1006. [illegible] 240.

Sum Ludolphi Brandini

Hh. II. 10.

Catalog.

F. G. V. 43.

Panzer VI. 257. 649.

St-R. 113, 241.

(Annotationes in quintam editionem p. F. NP. III 35)

CYPRIANVS
Sacerdos Dei Euangelium Christi tenens, occidi potest. Vinci aut nõ potest.

IOANNES FROBENIVS CANDIDO
LECTORI S. D.

EN NOVVM TESTAMENTVM, EX ERASMI ROTERODAMI RECOGNI-

tione, iam quartum damus studiose lector, adiecta uulgata translatione, quo protinus ipsis oculis conferre possis, quid conueniat quid dissideat. Hic non sine graui tedio nostro, tibi tediũ ademimus. Adiecta est Pauli peregrinatio Latina, cum præfatione Chrysostomi, in omnes epistolas Pauli. In annotationibus præterquam quod autor exactiora reddidit omnia, magnam accessionem adiunxit ex Græcorum uoluminibus eq́ꝫ uetustissimis exemplaribus Latinis, quæ nuper est nactus. Cuius in recognoscendo summã diligentiam, nos in excudendo sumus imitati. Si proxima æditio satisfecit, fatebe ris hic Frobenium à Frobenio superatum. Accessit & locorum annotatu dignorum index non aspernandus. Fruere, nostrisq́ꝫ conatibus faue.



ἓν μαργάριτον τίμιον
ἀποδοὺς ἅπαντα λάμβανε.

En margaritum nobile.
Eme, si cupis ditescere.

BASILEAE ANNO M. D. XXVII.

Ho. 10. Nfl. – 16. gr.

2 1/2 gols R

DILECTO FILIO

ERASMO ROTEROD. SACRAE THEO

LOGIAE PROFESSORI.

A S

LEO, P P X.

DILECTE FILI SALVTEM, ET APOSTOlicam beñ. Valde nos delectarunt lucubrationes tuæ in teſtamentum nouum iam pridem æditæ, non tam quia noſtro nomini dicatæ fuerant, quàm quod non uulgari, ſed noua & inſigni quadam eruditione præſtabant, omniumq; doctorum calculo plurimum laudabantur. Quas nuper à te recognitas, & pluribus additis annotationibus locupletatas, illuſtratasq; fuiſſe certiores facti, non mediocriter gauiſi fuimus, ex prima illa æditione, quæ abſolutiſſima uidebatur, coniecturã facientes, qualis hæc futura, quantúmue boni, ſacræ Theologiæ ſtudioſis, ac orthodoxæ fidei noſtræ ſit allatura. Macte igitur iſtius animi tui eſto, ac publicæ utilitati ſtudens, operi tam ſancto, ut in lucem exeat, ſedulo inuigila, dignam quidem tot laborum mercedem ab ipſo deo relaturus: à nobis uero meritam commendationem, & cunctis Chriſtifidelibus perpetuam laudem conſecuturus. Datum Romæ apud ſanctũ Petrum, Sub annulo piſcatoris. Die x. Septem. M. D. XVIII. Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Euangeliſta.

BIBL. PUBL. BASILIENSIS.

LEONI DECIMO

PONTIFICI MODIS OMNIBVS SVMMO,
Eraſmus Roterodamus Theologorum
infimus, S. D.



INTER tot egregia decora, Leo decime pontifex maxime, quibus undiq; clarus & ſuſpiciendus, ad pontificiæ dignitatis culmen adiſti, hinc infinitis Mediceæ domus ornamentis, non minus erudi/torum hominum monumentis, quàm maiorum tuorũ imaginibus & honoribus inclytæ, hinc in/numeris corporis animiq; dotibus, quas partim diuini numinis indulſit benignitas, partim eadẽ aſpirante, tua parauit induſtria, non alia res te uerius, aut magnificẽtius il/luſtrauit, quàm quod ad iſtum honorem, quo maior inter homines, homi ni non poteſt contingere, parem morum attuleris innocentiam, neq; uero uitam modo ab omni dedecore longe, lateq; ſemotam, uerumetiã famã, nulla unquam ſiniſtri rumoris labe aſperſam. Id quod cum ubiq; difficilli mum eſt, tum præcipue Rhomæ, cuius urbis tanta eſt libertas, ne dicam pe tulantia, ut illic à conuicijs parum tuta ſit & integritas, ac ne ij quidem ab/ſint à crimine, qui plurimum abſunt à uitijs. Quibus rebus factum eſt, ut Leoni non paulo plus ueræ laudis pepererit, quod ſummum pontificium promeruiſſet, quàm quod accepiſſet. Iam in ipſa pulcherrimi ſimul & ſan/ctiſſimi muneris functione, cum tot præclaris factis, tot eximijs uirtutibus ſuſceptum honorem uiciſſim cohoneſtes, nihil tamen eſt, quod te ſuperis pariter & mortalibus commendet efficacius: quàm quod ſummo ſtudio, pariq; ſapientia, illud potiſſimum agis ac moliris, ut indies in melius pro/uehatur Chriſtiana pietas, hactenus temporum maximéq; bellorũ uitio, nonnihil labefacta collapſaq;, ut eſt cæterarum item omnium rerum hu/manarum natura, ni manibus pedibúsq; obnitamur, paulatim in deterius relabi, uelutiq; degenerare. At res egregias aliquoties ut difficilius, ita & pulchrius eſt reſtituiſſe, quàm condidiſſe. Proinde quando tu nobis uelut alterum præſtas Eſdram, & ſedatis, quod in te fuit, bellorum procellis, ſar/ciendæ religionis prouinciam, ſtrenue capeſſis, par eſt nimirum, ut omnes ubiq; gentium ac terrarum Chriſtiani, rem omnium pulcherrimam ac ſa/luberrimam conantem, pro ſua quiſq; facultate adiuuent. Iam uideo paſ/ſim excellẽtes ingenio uiros ceu magnos & opulentos reges, Solomoni no ſtro in templi ſtructuram mittere marmora, ebur, aurum, gemmas. Nos

tenues reguli ſeu potius homũculi,qualeſcunq; materias,aut certe caprarũ pelles,nẽ nihil cõferamus,mittere ſtudemus,uile quidẽ munuſculum,quod ad noſtrã attinet operã,ſed unde(niſi me fallit animus) Chriſti tẽplo,ſi non multũ ſplẽdoris,certe nõ parũ utilitatis ſit acceſſurum,præſertim ſi eius calculo cõprobetur,de cuius unius nutu ac renutu ſumma rerum humanarum pendet uniuerſa. Etenim cum illud haberem perſpectiſſimum,præcipuam ſpem,planecq; ſacram,ut aiunt,ancorã,reſtituendæ ſarciendæq; Chriſtianæ religionis in hoc eſſe ſitam, ſi quotquot ubiq; terrarum Chriſtianam philoſophiam profitentur,in primis autoris ſui decreta, ex Euangeliis Apoſtolicisq; literis imbibãt,in quibus ſermo ille cœleſtis,quondam è corde patris ad nos profectus, adhuc nobis uiuit, adhuc ſpirat, adhuc agit & loquitur, ſic ut mea quidem ſentẽtia nuſquam aliâs efficacius aut præſentius: adhæc,cum uiderem ſalutarem illam doctrinam longe purius ac uiuidius ex ipſis peti uenis, ex ipſis hauriri fontibus,quàm ex lacunis,aut riuulis,nouum (ut uocant)teſtamentum, uniuerſum ad Græcæ originis fidem recognouimus, idq; non temere,neq; leui opera, ſed adhibitis in conſilium compluribus utriuſq; linguæ codicibus, nec ĩjs ſanè quibuſlibet, ſed uetuſtiſſimis ſimul & emẽdatiſſimis. Et quoniam nouimus in rebus ſacris, religioſe quoque uerſandum eſſe, nec hac contenti diligentia, per omnia ueterum Theologorum ſcripta circumuolantes, ex horum citationibus aut expoſitionibus ſubodorati ſumus,quid quiſq; legiſſet,aut mutaſſet. Adiecimus annotationes noſtras, quæ primum lectorem doceant, quid qua ratione fuerit immutatum, deinde ſi quid alioqui perplexum,ambiguum,aut obſcurum,id explicent,atq; enodent.Poſtremo quæ obſiſtant,quo minus procliue ſit in poſterum deprauare, quod nos uix credendis uigiliĩjs reſtituiſſemus.Quãquam,ut ingenue dicam, quicquid hoc eſt operis uideri poterat humilius quàm ut ei dicandum eſſet,quo nihil maius habet hic orbis,niſi conueniret,ut quicquid ad religionem inſtaurandam pertinet,haud aliĩ conſecretur,quàm ſummo religionis principi,& eidem aſſertori.Neq; metus eſt,ne munus hoc noſtrũ qualecunq;,ſis aſpernaturus,qui non loco tantum referas illum, qui donaria nõ precĩjs,ſed animis ſolitus ſit æſtimare,qui duo minutula panperculæ uiduæ, ſplendidis & opimis diuitum donariĩjs prætulerit. Iam an non quotidie uidemus inter auro gemmisq; radiantia regũ donaria pratenſibus floſculis,aut hortenſibus herbulis cõcinnatas corollas ſuſpendi diuis,quas,re tenuis, pietate diues offert plæbecula? Alioqui quicquid illud eſt, ſeu magnum,ſeu puſillum, ſeu ludicrum,ſeu ſeriũ,quod huius ingenioli fundus produxerit, id omne, ut nullus dedicem, ſuopte iure ſibi poteſt uindicare,ſummus ille apud ſuos, uirtutum ac literarũ omnium Mecœnas & antiſtes Gulielmus Vuaramus Archiepiſcopus Cantuarienſis,totius Angliæ,non tituli tantum honore primas, ac tuæ ſanctitatis legatus, ut uocant,natus, cui meipſum quoq; quantus quantus ſum debeo,non modo uniuerſum ſtudĩj mei prouentũ. Siquidem is(ut ne dicam interim, cuiuſmodi tum publice,tum priuatim in me fuerit)id præſtat ſuæ Britanniæ,quod Leo præſtat orbi terrarũ, quodq; Medicea domus iam olim eſt Italiæ,uel hoc nomine terrarum omnium feliciſſimæ,hoc is ſuis eſt Anglis,ceu ſalutare quoddam ſydus,ab ipſis fatis in hoc datus,ut eo præſide,quicquid eſt bonarum rerum repullulet ac ſuboleſcat. Nam perinde,quaſi uno in homine plures ſint heroes,& in unico pectore,non ſimplex inhabitet numen:ita

Decreta Chriſti.

Annotationũ utilitas.

Archiepiſcopus Cantuarienſis.

miris

miris modis Archiepiſcopum gerit eccleſiæ,legatum ſedi Rhomanæ, cõſiliarium regiæ,cancellarium iuſticiæ,Mecœnatem ſtudijs, cuius opera potiſſimum factum eſt, ut inſula iam olim uiris,armis,opibuſq; pollens,nunc optimis item legibus,religione,moribus, ad extremum ingenijs omni literarum genere perpolitis, adeo floreat, ut cum quauis cæterarum regionum poſſit ex æquo contendere. Verum quo latius huius laboris noſtri manaret utilitas, uiſum eſt,tui nominis apud omnes ſacroſanctı,ceu lenocinio quodam ad publicam orbis abuti commoditatem,præſertim cum huc uocet ipſa quoq; rei ratio,quod pulchre congruebat,ut illius auſpicijs hæc Chriſtiana philoſophia diriuaretur ad omneis mortales,qui Chriſtianæ religionis teneret arcem, ac per eum proficiſceretur doctrina cœleſtis ad uniuerſos homines,per quem Chriſtus nos uoluit accipere,quicquid homines è terris euehit in cœlũ. Quanquam adeo,quid tandem uetat,quo minus hic liber gemina commẽdatione fultus, hoc etiam felicius & auſpicatius exeat in manus hominum, ſi duobus totius orbis ſummatibus uiris communiter fuerit conſecratus ? Quandoquidem aris templiſq; uidemus hoc plus accedere maieſtatis ac ueneratiõis,quod pluribus ſimul diuis ſint dedicata. Iam hoc quantumlibet nouum uideatur,modo publicæ conducat utilitati. Et ea eſt Leonis modeſtia facilitaſq;, ut hac parte non minus ſit maximus,quàm ea qua maximos omnes longo ſuperat interuallo. Et ea eſt Archiepiſcopi in omni decorum genere præſtantia,ut Leonem omnibus numeris ſummum, non alius magis|deceat collega. Poſtremo ſi fas eſt apud tantum principem nonnihil Thraſonis è comœdia referre, quantúmuis in ſpeciem humilis uideatur hic meus labor,tamen confido futurũ,ut attentus lector aliquanto plus deprehendat in receſſu,quàm prima ſtatim fronte præ ſe ferat opus. Sed ne celſitudinem tuam iugi ſolicitudine,terrarum orbi conſulentem,longiore ſermone remorans, in publica peccem commoda, quod reliquũ eſt, cum plebeio lectore tranſigam, ſed prius illud apprecatus,ut cuius prouidentia Leo decimus contigit ſubleuãdis rebus mortalium, idem eum nobis & q̃ maxime longæuũ eſſe uelit,& feliciſſimum. Baſileæ Anno reſtitutæ ſalutis, M. D. XVI. Calendis Februarijs.

Paracleſim, quoniam toties excuſa nuſquam non circumfertur,uiſum eſt hic omittere.

DES. ERASMI ROTE
RODAMI APOLOGIA.

IAM ut paucis occurram Apologia, reclamaturis, Paulus apoſtolus, referẽte Luca, fortunatum ſeſe prædicat, quod apud Agrippã pro ſe cauſam dicturus eſſet, cui propter diutinam cum Iudæis conſuetudinem, res omnes in quibus uertebatur quæſtio, maxime cognitæ compertæq; eſſent. Atq; utinam eodem nomine mihi quoque gratulari poſſim, cui planè diuerſum quiddam uſu uenit atq; Paulo. Nam ne opus quidem eſt nobis Apologia, niſi apud iſtos, qui totum hoc negocium, de quo cõtrouerſia eſt, nõ intelligunt: nec prorſus aliam ob cauſam calumniantur, niſi quod non intelligãt. Siquidem apud eos qui Latinas, Græcas & Hebraicas literas uel ad mediocritatẽ deguſtarunt, qui ſerio in ueſtigandis diuinæ ſcripturæ myſterijs, qui feliciter ac diligenter in uetuſtis illis, ac nõ minus ueris quàm uetuſtis Theologis uerſati ſunt, nihil addubito, quin magnam initurus ſim gratiam, etiam ſi quod conatus ſum, parum aſſecutus fuero. Proinde mire fiet, ut quibus hac opera noſtra nõ magnopere eſt opus, quiq; ſoli damnare quædam poſſent, quod ob bonarum peritiam literarum ualeãt iudicare, ij non ſolum comprobent ſuo ſuffragio noſtram induſtriam, uerumetiam gratiam haud uulgarem habeant. Contrà qui hiſce de rebus nullo modo poſſunt ferre ſentẽtiam, & hoc magis egent huius laboris ſubſidio, quo longius abſunt à bonis literis, ij non ſolum nõ amplectentur opus ipſorum paratum uſui, uerumetiam obſtrepent, calumniabũtur, damnabunt: quorum alterum extremæ cuiuſdam ingratitudinis eſſe uidetur, alterum inſignis impudentiæ. Quid enim fingi poteſt impudentius quàm damnare librum quem ne legeris quidem: tum eiuſmodi, ut ſi maxime legas, tamen abſq; linguarum peritia pronunciare de eo non poſſis? Quid autẽ ingratius, quàm pro tam immenſis ſudoribus uigilijſq;, quas tantum iuuandi animo ſuſceperis, & quibus nulla par gratia referri queat, rependi calumniam, idq; potiſſimum ab ijs, ad quos potiſſimũ operis utilitas ſit reditura? Cum ubiq; fœda eſt ingratitudo, tum in nullos æque par eſt gratos eſſe, atq; in eos qui diſpendio rei pecuniariæ, iactura uoluptatum, nonnullo etiam ualetudinis ac uitæ ſuæ detrimento, in hoc totis uiribus incumbunt, ut ingenij ſui monumentis orbi conſulant. Verum haud ſcio, an uſquam ingratius reperias mortaliũ ingenium, nec aliâs eſſe uerius arbitror, quod non minus eleganter quàm grauiter dictum eſt à Seneca, Tutius eſſe, quoſdam offendiſſe quàm demeruiſſe. Nihil æque perit, atq; id quod cõfertur in ingratos. At magis perit officium, mea quidem ſententia, quod in eos collocatur, qui non intelligunt officium: & minus gratiæ redit ab ijs qui non cognoſcunt meritum, quàm qui non agnoſcũt. Nam ij tametſi diſſimulant, tamen apud ſe ſunt obnoxij, nonnunquam pudore coguntur agnoſcere. Deniq; ſpes eſt fore, ut aliquando reſipiſcant.

ſcant. Illi quod eſt beneficium, iniuriam interpretantur, & officio adiuti in ius uocãt benemerentem. Theologorum in primis eſt, non ſolum gratitudinem præſtare, uerumetiam candorem & manſuetudinem. Et Theologis potiſſimum hic meus deſudauit labor, atq; his Theologis, quibus aut non uacauit, aut non contigit, eas diſcere literas, ſine quibus diuina ſcriptura penitus intelligi non poſſit. Horum adiuuandis ſtudijs, noſtrum impendimus ſtudium, ut quod illis ſua fortuna negauit, id noſtra ſuppeditaret induſtria. Et tamen ſi qui reclamaturi ſunt, ex hoc grege prodituros auguror. Amplectuntur medici, nõ aſpernantur iureconſulti, recipiunt philoſophi, ſi quid ad illorum profeſſionem inſtaurandam conducit. Abſit ut ſoli Theologi pertinaciter reclamemus, & ipſi noſtris inuideamus bonis. Sanè permoleſtũ eſt, pro benigne collato beneficio nullam recipere gratiam. Moleſtius ab ijs de quibus benemereri ſtudeas, calumniam præmij loco reportare, & à quibus tuo iure poteras exigere debitam gratiam, his actoribus iniuriæ cauſam dicere. Seneca ſummum liberalitatis genus eſſe putat, ac diuinæ beneficentiæ proximum, ſi quis nõ tantũ gratuito proſit, uerumetiam ſciens perdat beneficium. At mihi uideor hoc quoq; ſuperaturus, ſi de his quoq; pergã benemereri, qui beneficium iniuria retaliant. Et quemadmodum fidi medici, reclamantibus etiam & cõuiciantibus ægrotis, tamen pergũt ſubuenire, ita nos hoc quoq; uelut auctario beneficium noſtrum cumulabimus, ut beneficiũ quod accipiunt, intelligant. Primũ igitur etiam atq; etiã adhortor omnes Theologos, ut quibus per ætatẽ aut occupationes uacat, Græcas deguſtẽt literas, & item Hebræas, ſi liceat. In ipſis arcanæ ſcripturæ fontibus diligenter philoſophẽtur, ueteres Theologos, quos & eruditio commendat & uitæ ſanctimonia, iugiter euoluant. Deinde noſtra ſi uolent conferant & expendant, atq; ita probent ſi quid recte monuimus, emendent amice, ſi quid ut homines aberrauimus à uero, & minus aſſecuti ſumus, quod ſedulo ſumus ſecuti. Quod ſi impetro, cauſam uici, pro accuſatoribus habiturus patronos. Cæterum à quibus hoc non impetro, ſaltem illud mihi uel precario donẽt, ut credant, me ſimplici pioq; iuuãdi ſtudio quicquid hoc laboris eſt ſuſcepiſſe. Quod ſi parum alicubi ſucceſſit, error eſt, nõ ſcelus: & corrigi mereor, inceſſi non mereor, Nihil enim magis agnoſco, quàm me nihil ſcire. Profiteant alij quantumlibet ingentia. Ego pro mea tenuitate nihil profitens, præſto tamen quod licet, paratiſſimus ad palinodiam, ſicubi more hominum lapſus ſim, ipſe quoq; mihi cenſor futurus, ſimul atq; deprehendero. Cæterũ diuus Hieronymus non fert reprehenſorem, qui damnare poſſit, docere non poſſit. Quorũ illud tyrannicũ eſt, hoc amicũ & eruditũ. Iam illud quemadmodũ extra cõtrouerſiam eſt apud eruditos, ita indoctis etiam, multorum libris perſuaſum eſſe reor, hanc noui teſtamenti æditionẽ Hieronymi nõ eſſe. Tametſi nos, nec hanc, qualiſcunq; eſt, aut cuiuſcũq; eſt, neq; cõuellimus ullo modo, neq; calumniamur. Tantum reſtituimus, quæ temporum ac librariorum uitio fuerant deprauata, obiter indicatis & his, quæ uel ambigue, uel parum attente reddidit interpres, nam non recte, mihi religio eſt dicere, etiamſi id non ueritus eſt aliquot locis Hieronymus, idq; fecimus, neq; leui quod dici ſolet brachio, neque temere, ſed primum ex canonum conſilio, ad Græcæ originis fidem, examinatis exemplaribus Latinis, neq; tamen fidentes paucis, aut quibuſlibet. Laurentius Valla ſeptem bonæ fidei codices ſe ſecutum fuiſſe teſtatur. Nos in prima recognitione

quatuor Græcis adiuti ſumus,in ſecunda quinq;.In tertia præter alia acceſſit æditio Aſulana,in hac quarta præſto fuit & Hiſpanienſis.Deinde cõſultis tum peruetuſtis tum emẽdatis aliquot Latinæ linguæ uoluminibus:nec hoc contenti, diſcuſſis & exploratis probatiſſimis autoribus,non oſcitanter obſeruauimus quid citarint,quid le gerint,quid emendarint,quid interpretentur.Atq; hiſce rebus omnibus qua licuit ui gilantia,certe,ſumma fide,collatis ac pẽſitatis,quod optimum iudicauimus, ſecuti ſu mus:& hac lege in medium contulimus, ut nihilo ſecius ſuo quiſq; iudicio frueretur. Iam uero ſi qui uerẽtur,ne ſacrarum literarum autoritas uocetur in dubium,ſi quid uſquam uariauerit: hi ſciant oportet, iam annos plus mille, neq; Latinorum,neque Græcorum exemplaria per omnia conſenſiſſe.Id quod ne fieri quidem poſſit,nimi rum in tanta librariorum,nõ ſolum turba,uerumetiam inſcitia,oſcitantia,temerita te.Vt ne cõmemorem quàm multa mutata ſint ab eruditulis, aut certe à parum attentis.Comperio quædam eraſa aut inducta à factionibus, quarum tumultu quon dam ſurſum ac deorſum miſcebant omnia,præſertim Orientis eccleſiæ,dum quiſq; pro ſuarum partium patrocinio ſcripturam uariat.Id certe factum nõ obſcure com pluribus in locis declarat Hieronymus.Leuius deprauandi genus eſt,quoties lector aliunde quod congruebat aſſcribit,Grauius quũ quod ſcholiaſtes annotarat in ſpa tio,lector tranſfert in cõtextum. Quid autem accidit religioni Chriſtianæ, quod tot iam ſeculis,aliud legit Hieronymus,aliud Cyprianus,aliud Hilarius,aliud Ambroſius,aliud Auguſtinus? Apud hos alicubi non modo diuerſa comperies,ſed & pugnantia,cum in ſumma Chriſtianæ fidei conſentiant.Quid accidit Græcis orthodoxis,qui ſic ſecuti ſunt tranſlationem Septuaginta, ut ſubinde meminerint, Symmachi Theodotionis & Aquilæ? Quid facias, poſteaquam nec ipſa horum temporũ æditio per omnia ſibi conſentit? Qua de re ſi quis dubitet,huic fidem fecerint codices typis etiam excuſi, cum annotamentis marginalibus, quæ declarant uarietatem lectionis,& ſi id parum eſt, ex commentarijs Bedæ,Rabani,Thomæ,ex commẽtarijs Lyrani,ex cõmentarijs Hugonis Carrenſis idẽ intelliget.Origenes iam tum quę rebatur inexplicabilem in Euãgelicis libris uarietatem.Et publicitus aliud legit Græcia,aliud occidentis eccleſia,Et circa ætatem Hieronymi,quædam eccleſiæ ſequebantur interpretationem Septuaginta, quædam nouam amplectebantur, ex Hebræorum fontibus traditam.Atq; etiam poſt hanc ætatem,aliud legebant Gallicanæ eccleſiæ,aliud Romana. Deniq; ſi excutias uetuſtos codices manu deſcriptos,quibus in publico cultu tum utebantur, duos non reperies inter ſe conſentientes, Certe conſtat Auguſtinum codicibus uſum,qui non uacabant mendis. Et tamen tot iam ſeculis conſtitit ſua ſcripturis autoritas . Si codicum uarietas in totum abrogat fidem ſcripturis,& apud Hebræos & apud Græcos & apud Latinos uariant.Quæſo quid periculi conſecutũ eſt, quod ſanctus Hieronymus uetus & nouum teſtamentum mũdo iam ſeneſcenti,ad Hebræam & Græcam ueritatem inſtaurauit? Reclamatum eſt tum à nonnullis,quibus ipſe ſuis libris abunde ſatiſfacit,nec ob aliud opinor reclamatum,niſi quod neſcirent eas literas.At num hinc uel tantulum incommodi natũ eſt Chriſtianæ religioni? Auguſtinus fatet ipſa codicũ diſcordia, ſe nõ mediocriter adiutũ fuiſſe,dum quod hic parum apte dixerat, alter clarius ac rectius efferret,id quod uel fortuito fieri neceſſe eſt.Quid deceſſit Euangeliorum maieſtati,

quod

quod ea Iuuẽcus heroicis uerſibus incluſerit? Quod Arator idem auſus ſit in actis Apoſtolorũ? Nos locos aliquot innouauimus,non tam ut elegantius redderemus, quàm ut dilucidius ac fidelius. Quid autem erat periculi,ſi paraphraſi totam orationem nouaſſemus? Id quod propemodum fecit Hieronymus in ueteri teſtamento. Quibus hæc placet æditio,quam ego nec damno, nec muto,huic ſua manet æditio. Siquidem ea noſtra caſtigatione non læditur,ſed redditur illuſtrior,purior, emẽdatior. Illa legatur in ſcholis,canatur in templis, citetur in concionibus. Nullus obſtat. Illud auſim polliceri,quiſquis hanc noſtrã domi legerit, ſuam rectius intellectu rus eſt. Proinde ſi nihil offendit niſi nouitas, & illa iam uetus olim noua fuit,& hæc noua, ſi patiamur, olim uetus fuerit. Nimis imperiti eſt hominis, libros annorum æſtimare numero, ac non potius ipſarum rerum iudicio. Optarim & ipſe in ſacris literis,nihil eſſe deprauatum,nihil diſſidere. Atq; id ut optare eſt in procliui, ita nec fuit unquam,nec opinor futurum eſt unquã. Qui prædicant inuiolabilem diuinarũ ſcripturarum autoritatẽ,his utroq; fauemus pollice. Qui has ſciens deprauat,cõtumeliam facit ſpiritui ſancto. Fatemur. Verũ hæc maieſtas in ipſis eſt fontibus. Non errauit Eſaias,neq; quiſquam mutare nititur,quod ille ſcripſit. Non lapſus eſt Matthæus,nemo corrigit quod ille tradidit. Cum interpretibus,cum ſcribis,cum deprauatoribus nobis res eſt. Quod ſi tota labaſcit autoritas, ob aliquot loca corrupta,oportuit ſpiritum ſanctũ nõ minus aſſidere bibliographis,quàm Prophetis & Euangeliſtis. Nuſquam non adeſt ſpiritus ſanctus,ſed ita uim exerit ſuam,ut nobis portionem laboris relinquat. Autoritas illa inuiolabilis intra Prophetas & Apoſtolos aut Euangeliſtas ſtetit. Immo hæc eſt ſumma ſcripturarum laus, quod in tot linguas toties tranſfuſæ,toties ab hæreticis uel mutilatæ uel deprauatæ, tot modis in curia ſcribarum contaminatæ, tamen æternæ ueritatis uigorem obtinent. Sic omnibus malorum procellis, ſollicitata, conſtat eccleſia. Is uero ſubſeruit ſpiritui ſancto, qui quod per homines deprauatum eſt, pro uiribus, priſtinæ reſtituit integritati. Nunquam defuturi ſunt qui deprauent,proinde nunquam ceſſandum eſt à ſtudio caſtigandi. Aliud eſt igitur ſacra ſcriptura, aliud quod incommode uerterunt interpretes aut ſcribæ corruperunt. Rurſus aliud eſt mutare publicam lectionem, aliud priuata publicam uel emendare uel illuſtrare. Atqui hæc mire cõfundunt quidam qui ſibi uidentur admodum dialectici. Neque refello quod aiunt quidam in literis & apicibus latere myſteria, ſi modo illi agnoſcant hyperbolen. Alioqui non oportebat ſcripturam haurire niſi ex fontibus. Nam qui uertit in alienam linguam, à literis & apicibus longe lateq; cogit' diſcedere. De nominibus dei,præſertimde nomine tetragrammato mira iactant Iudæi, de nomine Ieſu nonnulla Chriſtiani,uerum hæc myſteria pereunt in tranſlatione. Quin illud ipſum nomen Ieſu longe alijs elementis ſcribitur apud Hebræos, alijs apud Euangeliſtas ac Paulum. Si tam ſeria res latet in punctis & apicibus, quur Apoſtoli qui norant Hebraice, nomen illud ſacroſanctum non ijſdem elementis nobis tradiderunt,quibus ſcribitur apud Hebræos, quum toties in ſcriptis ſuis inculcent? Hoc argumento quum urgerem quendam,reſpondit nomen Ieſu in omnibus noui teſtamenti libris deprauate ſcribi legiq;. Quod ſi uerũ eſſet in tam inſigni errore tot iam ſeculis caligaſſet eccleſia catholica. Imò probabilius eſt ſic Græcos ac Latinos uulgo ſonuiſſe nomen illud, &

apoſtolos

apoſtolos uſurpaſſe receptam uocem,non ſollicitos de elementis & apicibus. Quin ijdem euangeliſtæ & apoſtoli non fuere tam ſuperſtitioſi, in citandis ſcripturarum teſtimonijs,interdum ſequentes æditionem ſeptuaginta,nonnunquam ex Hebræorum fontibus adducẽtes,aliâs ſuo arbitrio reddentes ſententiã, nec cum his nec cum illis per omnia cõgruentes. Iam quid attinet iſtos refellere,qui nõ minus indocte q̃ impudenter ſolent uociferari,facinus eſſe non ferendum,ut quiſquam corrigat euangelia,caſtiget canticum,magnificat,mutet precationem dominicam? O uocem uix auriga dignam, nedum Theologo. Ne mihi ſuccenſeat ordo Theologicus, quod Theologum nomino:illis indignetur potius,qui quum eſſent primi nominis Theologi,hæc ſeditioſiſſime uociferabantur, & adhuc uociferãtur in ordinarijs profeſſionibus,ſacriſq̃ cõcionibus. Sed ad rem. Fas eſt nebuloni cuiuis,Euãgelij codices deprauare,& nefas erit quod deprauatũ eſt reſtituere? præſertim homini, ne quid dicam inſolentius,in hoc genere literarũ,nec indiligenti,nec inexercitato,idq̃ tot Græcis ac Latinis uoluminibus,tot clariſſimis autoribus in conſilium aſcitis? Mihi plurimis argumentis uehementer probabile eſt,uniuerſum teſtamentum nouum Græce ſcriptum fuiſſe,non Latine. Certe ſi quis excipiat Euangelium iuxta Matthæum, & unam ad Hebræos epiſtolam,de reliquo nulla cõtrouerſia eſt. Proinde qui mutare paret,quod ſcriptũ fuit ab Apoſtolis & Euangeliſtis in hũc iure damitent, quod corrigat Euangelia,nõ in eum qui iuxta pontificum decreta ex Græcorum fontibus, ex ſacrorum interpretum ſentẽtia ſyncera fide reponat,quod uel à ſcribis erat uitiatum,uel ab interprete parum apte redditũ in Latinis codicibus, cum Græce ſcripſerint Apoſtoli. Sed cur hæc pluribus ago? cum diuus Hieronymus cõpluribus epiſtolis huius cauſæ patronum agat, qui nec ipſe,cum in re nõ ita diſſimili laboraſſet, calumnia caruit. Cuius emẽdatio ſi extaret,aut non fuiſſet nobis hoc laboris capiundum,aut fuiſſet quod ſequeremur. Itaq; te quæſo lector optime,cum occurret nouatum aliquid à nobis,ne protinus ad ſolitæ lectionis guſtum ac ſaliuam reijcias,ac damnes,quaſi neceſſe ſit malum eſſe,quicquid diuerſum eſt,ſimul & me fraudans mea laude,& te operis utilitate,ſed primum noſtra cõferto cum Græcis,quod quo promptius eſſet,illa è regione adiecimus:nunc addidimus & ueterem æditionẽ, hactenus uſu publico receptã. Expende num fidelius,num apertius,num ſignificãtius expreſſerim,q̃ uetus interpres. Nec hic rurſum protinus in ius trahãt, ſi minus uerbũ uerbo reſpondeat,id quod ut maxime coneris,ne fieri quidẽ poteſt. Si nefas eſſe ducũt, uſquã à literis ac ſyllabis diſcedere, cur hic interpres paſſim id auſus eſt, aliquoties nulla nec adactus neceſſitate,nec inuitatus utilitate,ſed uelut in re ludicra laſciuiens & oſcitãs? Quod ſi licet,ut certe licet,ſi me cõperies ſentẽtias,maiori fide reddidiſſe q̃ ille reddiderit,ne damna quod nouũ eſt,ſed amplectere quod eſt rectius. Iam ſi collatio tibi nõ ſatiſfacit,ne cõtinuo pronũcies. Cõſule noſtras annotatiões,quæ fortaſſe tibi uel autoritate teſtium,uel rationibus adductis ſatiſfaciẽt. Fit interim,ut diuerſa ſit lectio, fit,ut ijſdẽ ex uerbis cõplures ſenſus accipi poſſint. Nos primũ unicam duntaxat lectionem proponimus. Nec enim aliter poteramus: Cæterum in annotamentis uarias referimus,aut indicantes quid nobis optimum uideatur,aut tuo relinquentes arbitrio,quid ſequi malis. Sunt in quibus noſtra uulgata magis probatur æditio,aut Ambroſiana lectio, quàm Græci codices. Et tamen conſentientibus

omnibus

omnibus Græcis exemplaribus,quoniã illa mutare non licuit, Latina accõmodauimus,ne nõ reſponderent,cum in hoc ipſum adderentur. Cæterum id in ſcholijs diſcutimus.Cõperio quædam apud illos addita ex more ſolenni,ueluti coronidem illam ſic additã precationi dominicæ,quemadmodũ apud nos in calce pſalmorũ adijcitur Gloria patri.Ea non refecuimus à cõtextu, ſed tamẽ in cõmentariolis admonemus addita.Nam is error minus habet periculi,cum quod frequenter comperio factum,ex alijs locis aſſcribit lector, quod in ſimili ſententia deerat alibi. Attamen id quoq; curauimus admonere.Proinde non ita tradimus hanc lectionem,quaſi certa indubitataq; ſint omnia,ſed quod ex noſtra emẽdatione,accedẽtibus annotamentis,non mediocriter adiuuandus ſit lector uigilans & attẽtus.Inerunt permulta,quæ ceu minutula friuolaq; cõtemnenda uidebũtur alicui.Verũ qui conferet,qui expendet,qui tractabit & interpretabitur ſacras literas,is ipſe cõperiet,in his minutulis nõ minimũ eſſe utilitatis. Ad hæc facile mihi ueniam dabit, huiuſmodi minuta perſequuto,qui cogitarit ad huiuſmodi ſcrupos primi nominis autores impegiſſe, nonnunquam & pudendo errore lapſos eſſe,nimirũ ipſum Hilariũ,Auguſtinum,Ambroſium,& inter recẽtiores doctiſſimũ Thomam Aquinatem,ne iam cæteros cõmemorem. A quibus in hoc uerſanti negocio, nonnunq; diſſentire fuit neceſſe. Quod quidẽ ut ſemper ingenue feci,ita nuſquã contumelioſe,ne in iſtos quidem procacior, quorũ impudens temeritas, & inſolens inſcitia parum merebatur hanc ciuilitatem. In quos etiã ſi liberius inuectus fuiſſem,tamen apud eruditos omneis excuſaret me Plautinũ illud:Quod dignis maledicitur,bene dictum eſt,nõ maledictum. Verum malui rationem habere quid me dignum eſſet,quàm quid iſti mererentur.Erat animus,iſtorum ineptias omnino diſſimulare,niſi libri paſſim manibus omnium tererentur,& oraculorũ inſtar legerentur ac citarentur.Nec rurſus id à me factum eſt affectate,ſed obiter locis aliquot,quo poſthac minus illis fidãt,qui quicquid apud huiuſmodi ſcriptores utcunq; poſitũ aut additum repererint,id alba,quod aiũt,amuſſi in ſuos cõuerrerent commentarios:aut certe quibus autores iſti magni ſunt,intelligerent,ob harum rerũ quas indicauimus ignorantiam,magnos etiam autores turpiter ac pluſcq; pueriliter hallucinatos eſſe. Alioqui ſi quicquid in horum uoluminibus uel rideri,uel improbari poterat,perſequi uoluiſſem,tum uere mihi inter manus nata fuiſſet λιτὰς κακῶρ, ut eſt in Græcorum prouerbio,nec ad ea refellenda una ſufficerat ilias.Cæteros autẽ,quos præter eruditionis cõmendationem ornat & uitæ ſanctimonia,tantum abeſt ut inceſſam petulantius,ut ſæpenumero captatis etiã prætextibus,aut eleuem errorem,aut excuſem, aut tegam. Nec mihi ſuccenſere debent, ſi quid lapſus eſt Auguſtinus aut Thomas. Quum res ipſa clarior eſt,quàm ut diſſimulari poſſit,imputent inſcitiæ linguarũ,aut ſi malint,imputent illorum ſeculis.E re ſtudioſorum erat,illa non omnino diſſimulare. Non quod me putem oculatiorem ſummis illis uiris,ſed quod alicubi fortaſſe fuerim attentior, & fortaſſe linguarũ opibus inſtructior, certe quàm Aquinas, qui Latine tantũ nouit,nec id admodum exacte, quippe qui contendit luxuriam proprie pertinere ad libidinem. Quos omnes, ut ſemper ueri fuere ſtudioſiſſimi, magis propicios eſſe mihi confido,uel hoc nomine,quod illorum libros aliquanto reddiderim purgatiores.Quid minutius hypoſtigma? At tantula res hæreticũ gignit ſenſum,quemadmodum docet Aurelius Auguſtinus

guſtinus libro de doctrina Chriſtiana tertio,exempli cauſa citans illud Ioannis: In principio erat uerbum apud deũ,& deus erat.Et interpoſita diaſtola,ſequitur: Verbum hoc erat in principio apud deum.Hanc lectionem hæreticam appellat,uidelicet eorum,qui negabant uerbum dei, deum eſſe.Item illud quod eſt apud Paulum in epiſtola ad Rhomanos: Quis accuſabit aduerſus electos dei? Ab hoc loco quæ ſequuntur,niſi per interrogationem legantur, ſenſum non hæreticum modo,ſed & prorſus blaſphemum efficiunt.Quaſi reſpondeas ad ſuperiora: Deus qui iuſtificat. Deinde quis eſt qui cõdemnet? Ad id rurſum reſpondeas:Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt.Idem offenſus amphibologia Paulini ſermonis, cum ait: Quod ſtultũ eſt dei,ſapientius eſt hominibus,mauult ita reddi,quod ſtultum eſt dei, ſapientius eſt quàm hominis,quod alioqui uideri potuerit incertũ,dandi ne caſu dictum eſſet hominibus an auferendi.Atq; hæc & alia his fermè conſimilia multis uerbis illic annotauit uir tantus,quæ nihil negocij ſit animaduertere,etiam ſi nullus moneat.Quid ſi is legiſſet tot portenta mendarum à nobis prodita ſublataq; ? tot craſſiſſimas diſcuſſas tenebras? tot ſenſus præpoſtere non ſolum ambigue redditos, ſuæ reſtitutos integritati? an non hunc laborem noſtrum utriſq; manibus complexus fuiſſet? Quædam autem tanta breuitate ſunt annotata,ut ni noſtram annotatiunculã ad locum ipſum conferas,non ſis animaduerſurus quid uoluerim.Nam quod com pluſculis locis occurrent eadem, id data opera factum eſt,quo conſuleremus lectori uel parũ memori,uel inquirendi laborem fugitanti.Et ſanè nõnihil uereor,ne quem admodum multos eſt offenſura nouitas,ita è diuerſo exiſtant,quibus hoc ipſum diſpliceat, quicquam eſſe quod conueniat cum ueteri interprete. Alijs nihil probatur, quod ſit diuerſum: alijs ineruditum uidetur,quod non tota ratione pugnet ac diſſideat.Rurſus alios offendit ſermo paulo purior ac Latinior,nẽpe hos qui nihil acutum iudicant,niſi quod prodigioſis ſcateat ſolœciſmis. Alij contrà faſtidiunt, quicquid non refert Ciceronianũ illum nitorem. Nos in hoc opere ut non affectauimus eloquentiam,ita mundiciem,ſi qua in promptu fuit,nõ reſpuimus. Non offenditur deus ſolœciſmis,at idem non delectatur.Odit ſuperbam eloquẽtiam,fateor,at multo magis ſupercilioſam & arrogantem infantiam.Nos toleramus iſtorum balbutiẽ, ferant ipſi uiciſſim noſtram qualemcũq; dicendi mediocritatem.Verum ut aliquando finiam,quemadmodum ingenue fateor eſſe permulta,quæ doctius tractari potuiſſent:ut non inficias eo,locis aliquot me dormitaſſe laſſum: ita res ipſa,ni fallor,indicabit,me,poſt Laurentium Vallam, cui non hac tantum in parte debent bonæ literæ,poſt Iacobum Fabrum,uirtutis omnis & literarum antiſtitem:nec ſine cauſa uerſatum in hoc negocio,nec ſine fructu. Bene ualeto lector amice, & ſi quid adhuc deſideras,à præfatione quam Annotationibus præfixi,petito.

APOLOGIAE FINIS.

DE HAC POSTRE-

MA AEDITIONE.

ERAS. ROT. PIO LECTORI S. D.

OMnibus omnium cauillationibus reſpondere, lector optime, præterquam quod infiniti ſit negotij, nec admodum ex huius operis dignitate fore uideo, nec operæpretium ullum intelligo: propterea quod qui ſtudium hoc noſtrum ſugillant ac traducunt, ferè non legunt, aut certe non intelligunt noſtras apologias. Et iam ſatis illis reſponſum eſt duabus apologijs, quas primæ quoq; æditioni, ceu clypeos, aduerſus iſtorum tela præfiximus: præterea in epiſtola, qua Martino Dorpio reſpondemus: ad hæc in epiſtola ad inſignem Theologum Henricū Bolocum. Rurſus in epiſtola contra quendā cuius nomē ſtudio ſuppreſſi, poſtremo in Apologia qua nuper reſpondi Petro Sutori. Proinde hic capita duntaxat argumentorum annotabimus lectori, uel occupato, uel craſſiori.

Primum illud teſtamur, & ubiq; teſtatū eſſe uolumus, nos nuſquā à iudicio eccleſiæ ~~catholicæ, uel~~ unguem aut digitum latum uelle diſcedere. Quod ſi quid uſq; eiuſmodi ~~deprehendatur, non data opera~~ dictum, ſed ~~elapſum, ut~~ ſumus homines, id iam nunc pro recantato ~~uolumus~~ haberi.

palinodiam cantat Eraſmus.

Nota Lector

Nec præimus eruditorum iudicio, nec publicarum ſcholarum autoritati præiudicamus. Manet incolume ſuum cuiq; iudiciū. Annotationes ſcribimus non leges: & expendenda proponimus, non protinus habenda pro compertis.

Nec ideo poſteriores æditiones immenſis ſudoribus parauimus, quod priori bus diffideremus, ſed opus quod tum pro uirili, proq; tēporis ſpacio cōq; fieri potuit optimum dedimus: nunc emēdatius multo, multoq; locupletius damus. Atq; id ſane facturos nos, prima ſtatim æditione ſumus polliciti. Quod quidem quo fiet ſæpius, hoc plus erit lucri lectori.

Quod in æditione prima parcius fecimus, ueriti, ne tantam nouitatem non ferrent quidā: poſt hortantibus amicis magnis & eruditis, animumq; addētibus, uberius præſtitimus, ut totus noui teſtamenti ſermo ſimplex quidē, ſed tamen Latinus eſſet, exceptis uerbis aliquot, & idiomatibus, quæ receptiora uidebam, quàm ut mutari poſſent. Sicut fides pro fiducia, fidelis pro fidenti, benedictus pro laudatus aut laudandus: in nomine Ieſu, pro autore Ieſu, ſiue fiducia Ieſu. Nam mihi quidam nimis moroſi uidentur, qui quū dialecticis, philoſophis, rhetoribus, grammaticis, medicis, ac mathematicis concedant peculiares uoces, quæ extra tractationem artis, aut nihil omnino ſignificant, aut longe aliud ſignificant, nihil eiuſmodi permittunt in diuinis literis.

Neq; parū multa adiecimus prioribus annotationibus, & priores illas autorū nomenclatura cōmuniuimus ob quoſdā, auidiores calumniandi quàm diſcendi.

Sed offenduntur, qui Latine neſciūt: & ueteres ſolœciſmos: quibus aſſueuerūt,

requirunt. Habent iſti ueterem æditionem, per me quidem integram & intactam. Scio, plurimos ob ſermonis imperitiam, ne dicam ſpurciciem, à ſacris uoluminibus abhorrere. Boni conſulent iſti, ſi his quoq; cõſultum eſſe uoluimus, præſertim cum ipſi nihil perdant.

Sed indigni ſunt, inquiũt, qui ſacras literas ob ſermonis ſimplicitatẽ faſtidiũt. In ſacris literis nec apicem mutamus, cum tranſlatoribus ac deprauatoribus nobis res eſt. Nec ſimplicitatem tollimus, ſed reſtituimus. Deniq; pium eſt imbecilles illecebra quadam primum allicere.

Non offenditur, inquiũt, deus ſolœciſmis. Verũ fortaſſis, at idem non delectatur. Excuſat Auguſtinus ſermonis uitiũ, nõ præfert. Et excuſat in idiotis, nõ in Theologis, poſtremo tolerat inuitus. Nam in totũ mutari malit, ſi liceat. Quod ſi ſenſum reddit ambiguũ, aut etiã peruerſum, quod locis aliquot indicauimus factum, deteſtatur. Quin & deus odit ſuperbos Solœciſtas, qui recte loquentes inſectantur, nec ipſi uolũt meliora diſcere, nec alios ſinunt, ceu canes in præſepi, iuxta prouerbium.

Alioquin illud ab iſtis requiram: utrũ omnes ſolœciſmos amplectãtur, an eos tantũ quibus aſſueuerũt. Si quoſuis amplectuntur, cur ab iſtis quoq; uapulant pueri, cum dicũt, fuit in domo tuo: aut, friget corpus meus. Imò uel in tẽplis exibilarent omnes, ſi diaconus pro filio legat, pilio, aut pro Philippo, pilippum. Et tamen abſurdiora ſunt ſæpenumero quæ committunt ipſi. Quod ſi nulli placent Solœciſmi, niſi quibus aſſueuerint, iam palàm eſt, eos nõ duci iudicio recto, ſed ſuis blandiri ineuis, & eos imitari, qui cum ab aliorũ hulceribus abhorreãt, ſua tamẽ familiari ſcabie nõ offenduntur. Porrò quid interea fiet ijs, qui Solœciſmis non aſſueuerunt?

Auguſtinus patitur barbare dici: Iuſtus ut palma floriet, pro florebit: ſed patitur in plebe imperita. Patitur, ut eruditi pro, os, cuius paternus caſus ſit, oſſis, oſſum dicant, ſed quoties imperitis loquũtur, aliter non intellecturis. Iam uero cum uulgo nemo Latine loquatur, quod Auguſtinus ſcribit de Solœciſmis, non magis ad nos pertinet, quàm ſi moneret, ut apud Gallos Gallice loquens concionator, uerbis Gallicis uulgo notis uteretur. Alioqui cur Auguſtinus ipſe in ſuis libris non Soleciſſat, cum ſæpenumero nec ab eruditulis intelligatur?

Auguſtinus non admittit Solœciſmos, niſi apud imperitos, ut dictum eſt, & in hoc duntaxat, ut ſentẽtiam reddant dilucidam. At docuimus, locis aliquot interpretis Solœciſmis totam ſubuerti ſententiam, & hac occaſione magni nominis interpretes fuiſſe lapſos.

Porrò quod obijciũt, indignũ eſſe, diuinã ſcripturã ſubijci regulis Donati, ut à uiro ſancto dictũ eſt, ita nõ perinde circũſpecte, q; quidẽ pace illius dixerim. Primũ enim, interp̃tis ſermo nõ eſt ſcriptura ſancta, ſed quod Moſes aut Apoſtoli ſcripſerunt. Nos interpretis ſermonẽ emẽdamus, & ſanctæ ſcripturæ ſuã lucẽ reſtituimus. Deinde ſi cõtumelioſum eſt de rebus diuinis emẽdate loqui, in ius uocãdi ſunt ueteres penè omnes, qui nõ elegãter modo, uerum etiã eloquẽter tractarũt res myſticas.

Mihi uidetur ad propagandum Chriſti Euãgelium pertinere, ut caſto puroq; ſermone tradatur, quatenus licet. Recte loquendi ratio omnium eſt communis: at uaria res eſt barbaries, & intellectu difficilis, quippe recedẽs à ſermone naturali. Vt nihil eſt dilucidius ſermone recto, ita nihil facilius.

Quod

Quod ſi quis neget in hac interpretatione ineſſe Solœciſmos, non illos quidē hauſtos ex apoſtolico ſermone,ſed ex uulgi fece,cōſulat indicē meū,& mox,opinor, Ibidem uidebit,quot locis hallucinati ſint interpretes (mutabit ſententiam. etiam magni nominis,tātum ob ſermonis uitium. Ne quis putet nullum aliud eſſe incommodum,niſi quod parum munda ſit oratio.

Porrò quanquam haud inficiamur,in Apoſtolorum & Euangeliſtarum Græco ſermone nonnulla eſſe præter rationem grammaticam,tamen non erat cauſa,cur nos tantum Solœciſmorum prodigioſorum adderemus.

Et fortaſſis,quod illis tēporibus cōducebat,ut Apoſtolorū oratio eſſet incondi tior,nūc expediat mutari,quādo nec Apoſtolico cultu nunc utuntur Epiſcopi,ſed in omnibus ſplendor acceſſit eccleſiæ. Olim expediebat Apoſtolos eo ſermone uti, qui latiſſime patebat,& à literatis pariter ac illiteratis intelligebatur, quandoquidem & Chriſtū Syriace locutū apparet: nunc ea ratio adeo locū nō habet,ut iȷs qui Latine didicerint, noua balbutiēdi ratio ſit diſcēda ob interpretis nō Apoſtolorū Solœciſmos. Proinde, ut olim abuſi ſunt Apoſtoli ea lingua quā repererūt uulgo maxime cōmunem: ita nunc cōducibile fuerit, ſacras literas eo ſermone tradi,qui ſit omnibus Latine doctis communis. Conuenit enim id eſſe communiſſimum, quod eſt rectiſſimum. Quod dictum eſt de ſermone Apoſtolico, idem ualet in oratione ueterū interpretum,cum ſermo Romanus adhuc eſſet promiſcuæ multitudini communis.

Si ob eam cauſam diuinos libros expedit inerudite uerti, quo poſſint à pluribus intelligi, potiſſimū uertēdi eſſent in linguā Gallicam, aut Germanicā. Nunc ita uerſi ſunt,ut aliquoties nec ab eruditis nec ab imperitis intelligantur.

Si non licet Chriſtianis recte loqui,cur Auguſtinus grammaticā recte loquendi magiſtram,ponit inter artes neceſſarias ad ſacrorum uoluminum intelligētiam? cur tot grammaticorū ſcholis plena ſunt omnia? cur tot laboribus excruciatur ætas illa rudis,an ut diſcat mendoſe loqui?

Vt nihil aliud ſit commodi,certe hoc boni habet ſermonis elegantia,quod ſimplex ſit & naturalis:cum inemendate loquendi ſexcentæ ſint ſpecies.

Etiāſi nos in ſermone apoſtolorū, quod crebro iam diximus,ne ſyllabā quidē mutamus,imò ſermonē illorū, uitio librariorū aut alioqui deprauatū, reſtituimus. Proinde ne qs damet, hic corrigit euangeliū, hic emēdat precationē dominicā: ſed, hic codices euangeliorū à mēdis repurgat. Nec magis obiurgandus ſum, q̄ qui ſcopis euerrit ſordes è templo. Non enim quicquid in tēplo eſt, continuo ſanctum eſt.

Iam ſi,quicquid hic uertit interpres, ſpiritui ſancto libet aſſcribere,& ob id nefas eſſe,quicq̄ hinc demutare,cur audet reprehēdere Hieronymus, quod apud hūc legit,nūc uerba taxās,nūc ſententiā,nunc ſubmouēs quod adiectū affirmat? id aūt nō raro facit,etiā in his libris quos ædidit multo poſt æditam utriuſq̄ teſtamēti uerſionem. Quur audēt diuerſum legere Cyprianus,Ambroſius,& Auguſtinus? Quur aliud in ſolenni cultu legūt canūtq̄ per orbē terrarū eccleſiæ, præſertim in pſalmis?

Hieronymus in præfatione ad Deſiderium,plurimum intereſſe putat interuatem & interpretem: Ibi,inquit,ſpiritus uentura prædicit,hic eruditio & uerborū copia,ea quæ intelligit,tranſfert:& tamen hic Hieronymus agit de Septuaginta,quorum autoritas penè fuit ſacroſancta. At nemo nouit, quis hic fuerit interpres,nam

innumeros fuisse testatur Augustinus,atq; eos admodum tenuiter eruditos.

Arbitror nihilo plus honoris huic interpreti deberi quàm Septuaginta,quorũ æditionem non raro sequuntur & Apostoli, sed horum translationem mutauit ecclesia,simul atq; nacta est meliorem.

Vtrum autem uolũt huic uni hoc honoris haberi,an interpretibus omnibus? si huic uni,causam adferant,cur huic potius quàm cæteris,si debetur omnibus,cæteris nimirum antiquatis facta est iniuria.

Non idem honoris debetur interpreti & Euangelistæ,alioqui quisquis concinnat aut describit codicẽ Euangelicũ,hoc honoris sibi postulabit. Versant omnes in re Euangelica,sed dispari functione. Imò diuus Hieronymus interpretũ operã, qua nobis sacros libros in aliam linguam transfuderunt, confert cum studio M. Tullij, quo quædam Xenophontis,Platonis ac Demosthenis opuscula Latinis dedit.

Si deus per Caipham uirum malum edidit prophetiã uerissimam,quid uetat quo minus per hominem linguis instructum, etiam si non adsit peculiaris afflatus spiritus,recte uertantur libri sacri.

Quoties Hieronymus Græcos orthodoxos sequutus,adducit autoritatẽ Symmachi, Theodotionis & Aquilæ,hæreticorũ Iudaissantium, & nobis inuidemus, si quis quid cõmonstret,In Daniele Theodotionis æditio prælata est translationi Septuaginta. Indicat hoc Hieronymus enarrans caput huius prophetæ quartum.

Quod si iuxta Hieronymũ optimus interpres est, qui linguas & rem optime teneat,opinor me neutra in re hoc certe interprete uideri inferiorem,ne nihil de me ipso dicã gloriose. Tametsi uidetur hic interpres magis incogitantia peccasse, quàm imperitia,multaq; tribuisse uulgo idiotarum quibus ista tum scribebantur.

Porrò si prorsus in interprete requirũt afflatum spiritus sancti, quid obsistat, quo minus & nobis adsit communis omnium Christianorũ spiritus, qui solet uberius opitulari ijs,qui suam quoq; industriam adiunxerint.

Audio quosdã adeo superstitiosos,ut nihil patiantur immutari à uerbis Euangelistarum in uertendo. Quasi uero istuc uertere sit,ac non potius peruertere. Duabus rebus constat oratio,uerbis ceu corpore,& sententia uelut anima. Si utrũq; reddi potest,nõ obsto,quo minus fiat. Si non potest, præposterum fuerit interpretem uerborum tenacem,à sententia recedere.

Si prorsus contendunt uerbum esse uerbo reddendum,cur toties à uerbis recedit interpres,aliquoties nulla inuitatus commoditate? Si licet,utiq; semper hoc spectandum erit interpreti,ut sententiam bona fide uerbis quàm aptissimis efferat

Nec cõstat,nec probabile est,hanc,qua uulgo utimur,æditionẽ, ullius Synodi autoritate fuisse cõprobatam. Neq; probabile est,in Synodis hac sola patres usos fuisse,quæ ex Græcis,Latinis ac Barbaris cõstabant:quorũ alius Græce citabat,alius Ambrosiũ sequebat,alius Cyprianũ,aut aliũ quẽpiã:sed tantũ usu publico receptã.

De Septuaginta nõ ueretur pronũciare Hieronymus,illos uertisse uerbis ambiguis,quod non intelligebãt:& alicubi conuersionẽ illorũ mendaciũ appellat. Nec paucis locis nominatim indicat manifeste lapsos in reddenda scripturæ sententia. Cur igitur putemus sacrilegium esse,si quis ab hoc ignoto dissentiat?

Sed utitur iam annis aliquot ecclesia Rhomana: utitur, sed non sola: nam &

Hieronymum

Hieronymum legit, & Ambrosium. & cãtus ecclesiasticus sæpenumero discrepat ab hac æditione. Nec sic utitur, ut decernat, nihil illic esse, quod possit reddi melius.

Diu usa est ecclesia ueteri cõuersione ueteris testamenti, quæ quod Septuaginta Græce uerterãt, ad uerbum reddit sermone prorsus absurdo: quod palàm fuerit, si quis legat Augustinum De locutionibus. Nec ideo respuit commodiorem interpretationem, quæ priori substituta est per Hieronymum, ut arbitrantur.

Quod si quis omnino contendat, nusquam ab interprete dissentiendum esse, Primum excuset ea loca, in quibus ostendimus illum palàm uel dormitasse, uel lapsum esse, uel ita inscite reddidisse Græca, ut ob illius incommodã interpretationem summates Theologi, qui tantũ Latine sciebant, aut non consuluerunt Græcos codices, turpiter lapsi sint. Hæc si notiora sunt, quàm ut negari possint, fateamur, interpretem hominem fuisse, ne quid dicam acerbius.

Etiãsi pleraq; sunt eiusmodi, ut probabile sit, uitio librariorũ inducta fuisse: proinde ut interpretationem approbet ecclesia, certe deprauationem non approbat.

Neq; quicquid receptum est in usum ecclesiasticum, continuo receptum est iudicio. Quædam casu irrepunt, ad quæ conniuet ecclesia, præsertim si non uideantur ad fidei morumq; periculum pertinere. Imò fieri potest, ut in hoc genere quædam ad tempus ignoret ecclesia.

Cum Damasus hoc negocij daret Hieronymo, ut nouum testamentũ ex Græcorum fontibus emẽdaret, habebat nimirum iam tum ecclesia, quod legebat, & fortassis seculis aliquot legerat. Id si syncerum erat, quid opus erat emendatione Hieronymi? Sin corruptum, palàm est ecclesiam ad tempus uti, quod sit in melius uertendum. Idem dico, de uetere testamento.

Nõ ideo uacillat autoritas scripturæ sacræ, si mẽdæ tollant' è codicibus, imò potius uacillaret, si cõstet, nos uti deprauatis exẽplaribus: atq; id certe negari nõ potest.

Optandũ, ut nullum mendũ insit sacris libris, & ad id quantũ fieri potest, enitendum est. Verũ id non contigit post annos mille trecentos, nec fortassis unquam continget ad plenum. Bene nobiscum agetur, si quàm minimum insit mendarum.

Proinde ne nos quidẽ profitemur omneis mendas à nobis sublatas, plurimas certe sublatas audebimus profiteri: & nos rem eò deduxisse, ut posthac codicibus quàm minime mendosis uti liceat, si quis hoc filum secutus, emendare uelit, cum autoritate Pontificis Rhomani.

Nos enim non sic proponimus hanc æditionem, ut uelimus per omnia haberi emendatam: sed quod apud Græcos frequentissimũ habetur, maximeq; constans, id uertimus, indicantes, ubi nostra cum Græcis consentiant, aut dissentiant, & quid nobis rectissimum esse uideatur.

Scio res sacras reuerenter ac religiose tractandas, & idcirco licet in infima functione uersantes, tamen omni qua licuit circũspectione sumus usi. Contulimus utri usque linguæ uetustissimos ac probatissimos codices, nec eos sanè paucos. Excussimus ueterum ac recentiorum commentarios, tum Græcos, tum Latinos. Obseruauimus, quid diuersi legant. Pensitauimus ipsius loci sentẽtiam, atq; ita demum pronunciauimus, quid sentiremus. Imò ne pronunciauimus quidem, sed lectorem admonuimus, suum cuiq; iudicium liberum relinquentes.

Beda, Rabanus, Thomas, Lyrenſis, & Carrenſis, alijq; his obſcuriores, ſatis habent annotaſſe: alia litera ſic habet, quod ſic in codice quopiam ſcriptum, aut fortaſſe deprauatum offenderint, & uidentur rem utilem præſtare. Et nobis obſtrepitur, qui tot argumentis, ac ſummorũ uirorũ autoritate ueram lectionẽ reſtituimus?

Si uarietas abrogat fidem libris, iam olim uariabant codices ætate Origenis, ætate Hieronymi, ætate Bedæ, ætate Thomæ, denicq; noſtris etiam temporibus hodieq; uariant, & tamen adhuc ſacris libris ſua conſtat autoritas.

Si loca quædam deprauata fidem eleuant arcanis uoluminibus, iam olim id uſu ueniſſet temporibus Origenis, qui Homilia in Matthæũ octaua queritur hac de re his uerbis: Multã enim differentiã inter exẽplaria inuenimus, ſiue per negligentiam ſcribentium, ſiue ex temeritate quorundã, ſiue propter eos qui negligunt emendare ſcripturas: uel propter eos, qui quod ipſis uidetur, in emendationibus uel adijciunt, uel ſubducunt. Audis lector, iam tum uariaſſe libros? audis fuiſſe deprauatos? audis quædam adiecta, aut ſubtracta?

Atq; ut ille non eſt auſus, in nouo præſertim teſtamento, pronunciare per obelos & aſteriſcos, ſed tantũ admonere lectorẽ: ita nos, quid nobis uideretur, & quam obrem uideretur, ſeparatim oſtendimus, nequaquam admouentes manum receptæ uerſioni, nec aliud profitẽtes, quàm Latine reddere nos quod in Græcorũ libris habetur, quibus uſi ſunt orthodoxi Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Athanaſius.

Hoc fortaſſe uincimus Origenem, quod illi nihil erat, quod ſequeretur in nouo teſtamento, præter codices Græcos. Nos Græcos contulimus cum Latinis, & ab utriuſq; linguæ probatiſſimis interpretibus adiuti ſumus: cum is penè primus ſcripſerit in libros diuinos.

Si quis contendit, nullum omnino mendum eſſe in libris ſacris, quid fiet ijs locis, quæ tam palàm deprauata ſunt, ut nulla ſit tergiuerſatio? Sin fatentur aliquot locos uitiatos, cur nõ ſinunt corrigi, quicquid corrigendum eſſe uidetur?

Sed audio quoſdã ita loqui: Rem amplectimur, ſed offendiculum datur multitudini, ſi ſenſerit in libris, quos hactenus ſecuti ſumus, ineſſe quicquam uel uitiatũ uel non intellectum. Primum non iſta ſcribuntur multitudini, ſed eruditis, & præcipue Theologiæ candidatis. Hos offendi non oportet. Neq; nos correctionẽ appellamus laborem noſtrum, ſed annotationes. Neq; cuiquam moleſti ſumus, aliter citanti, & ueterem, aut etiam deprauatam æditionem ſequenti. Ab ipſis potius naſcitur offendiculum, qui in publicis concionibus, qui in compotationibus, qui in uehiculis ac nauibus apud idiotas ac mulierculas uociferantur eſſe, qui ſacros libros & precationem dominicam emendet.

Miſera uero conditio ſacrorum uoluminum, ſi horum autoritas pendet ab indoctis, ut ferè ſunt, librarijs, aut temulentis typographis.

Non uociferantur in eos, à quibus palàm eſt ſacros codices uitiari quotidie, cũ ſint illiteratiſſimi, qui hoc audent. In me clamitant, hominem in hoc certe genere ſtudij, quod à linguarum peritia pendet, nec omnino indoctum, opinor, nec inexercitatum. Illis temere licet pro ſuo arbitratu deprauare, mihi non licebit ex fide ueterum codicum, ex probatiſſimorum interpretum autoritate reſtituere?

In illis non requirunt autoritatem, ſatis eſt illitum eſſe chartis, in me requirunt

penè

penè miracula. Cur,inquiunt,credamus Eraſmo? Imò ſi Eraſmo diffidunt, fidant Theologo. Nam ſi mihi tradita eſt autoritas interpretandi ſacras literas, mirantur ſi auſim de lectione quicquam hiſcere?

Quanquam non poſtulo, ut mihi credant. Credant uetuſtis & emendatis exemplaribus,credant Græcæ ueritati,præſertim ubi horum lectio cum orthodoxorū interpretatione congruit. Poſtremo nec his credant, ſed rem ſecum expendant,& ſi quid habent rectius in medium conferant, non mordeant admonitorem. A nobis enim nulli præcluſa eſt uia,meliora quærendi,imò potius aperta eſt.

Hieronymo mandauit Damaſus. Mandauit, ſed ut amicus, non ut ſummus Pontifex. Mandaſſe legimus,approbaſſe non legimus. Poſtremo extra controuerſiam eſt,nō extare caſtigationem Hieronymi. Id quod à me dilucide probatum eſt alibi. Et conſtat,hanc rurſus uitiatam,ut maxime demus,fuiſſe Hieronymo caſtigatam,quod certiſſimis argumentis promptum eſt refellere.

Nihil,inquiunt,tentandum abſq; Synodi autoritate. Quid magis ridiculū dici poſſit. Vt mihi liceat admonere,quid uel à ſcriba uideatur corruptum, uel ab interprete melius reddi potuerit,præſertim ex ueterum ſententia,tota Synodus erit conuocāda? Cotidie noui ſcribuntur commentarij in ſacras literas, proponuntur oracula de rebus grauiſſimis tot conduntur articuli,nec ulla Synodus requiritur.

Quid ſi nouum teſtamentum uertiſſem carmine,quod fecit Iuuencus, aut paraphraſi dilucidius explicuiſſem, an ob eam rem putant indicendam fuiſſe Synodum? Nunc tantum quod eſt in Græcis uerto,aliquoties non probans,quod apud illos legitur,& noſtra præferens,quanquam in Græcis codicibus præter deprauata nihil extat,unde periclitetur Chriſtiana doctrina.

Quod ſi nefas iudicant quicquam extare diuerſum ab hac æditione,abolendi eſſent Ambroſiani commentarij,ſupprimendus Cyprianus,Hieronymus & Auguſtinus, nihil attingendum Græcorum interpretum, quos uerſos legunt & ſcholæ & eccleſiæ Chriſtianorum. Atq; eadem ratione nefas habebitur,nouum ac uetus teſtamentum ædidiſſe Græce, quod nuper ex Aldi mei prodijt officina, ac mox idem præſtitit Franciſcus Archiepiſcopus Toletanus, approbante Rhomano Pontifice, qui ſuppeditauit exemplar in nouo teſtamento, cum quo noſtra æditio ferè conſentit in omnibus.

Nos opus hoc dedimus,non, unde non liceat diſſentire,ſed quod ad emēdandos pariter & intelligendos ſacros libros magnopere conducit. Et ut nos proponimus,ita probat ſuo ſcripto Leo.x. Pontifex uere maximus,hac quoq; parte conſultum eſſe cupiens religioni Chriſtianæ. Scio hic leuis eſt Rhomani Pontificis autoritas,quam pluſquam ſacroſanctam uideri uolūt,quoties illius diplomatis datur ius abſoluendi inuitis paſtoribus, aut alia functio unde meſſis eſt aliqua non pœnitenda,aut ius occupandi plura ſacerdotia. Verum hic potius ualere oportuit,quod in illis emitur nonnunq; & extorquet Pontificis indulgentia,Hic gratuito fauor impenſus eſt,nec tam homini quàm rei.

Tot mendas ſuſtulimus, tot loca male reddita explicuimus, tot prodigioſos Solœciſmos amouimus,tot nodos,in quibus hæſerunt & ueteres,extricauimus: tot inſignes lapſus autorum indicauimus, tot amphibologias reſecuimus, tot hyper-

bata digeſſimus:ut finiã,tot ſenſus antehac obſcuros ac nubilos illuſtrauimus, tantam utilitatẽ gratis detulimus,& uociferantur quidam aduerſus benemerentem.

Iam nõ me dam eſt,hoc male habet quoſdam,quod à magni nominis ſcriptoribus diſſentiam. Qui fauent Auguſtino,fremũt,me nõ per omnia cum illo ſentire. Qui Thomæ addicti ſunt,dolẽt illũ attingi. Franciſcani nollẽt refelli Lyranum, aut Scotũ. Atqui ſi hanc accipimus legẽ,à nemine prorſus licebit diſſentire, cũ ipſi tamẽ inter ſe diſſentiant. In hoc opere,ueritatis maior q̃ autoritatis erat habenda ratio.

Non eſt contumelioſum à quamlibet probatis autoribus diſſentire,ſi rationibus adductis id facias. Hoc intereſt:ſunt,à quibus par eſt reuerenter diſſentire,uelut ab Hieronymo,ab Ambroſio,ab Auguſtino. Sunt quibus hoc reuerẽtiæ non debetur, Thomæ fortaſſe debetur,Lyrenſi aut Carrenſi non debetur,neq; doctrinæ neque ſanctimoniæ nomine. Et referebat,hos aliquot locis taxari,quod uiderem ſolos mira fiducia,ſed nullo iudicio paſſim legi.

Sed cauillor in hos fortaſſis uno aut altero loco. Primum ipſis imputetur, qui tam ridicula ſcripſerint,non mihi. Deinde ſi ſtomachantur,quod hos aliquoties attingo,cur non magis agnoſcunt ciuilitatem meã,cum ad tam multa conniueo? quæ nequaquã præteriturus eram, ſi animi cauſa taxaſſem illos. Quod aliquoties attigi, coẽgit ſtudiorũ utilitas,quod rarius id facio,datum eſt Chriſtianæ modeſtiæ.

Quanq̃ & hoc libuiſſet diſſimulare ſi per iſtos licuiſſet,qui uociferabant hunc laborẽ prorſus infrugiferum fore, utpote puerilem & grãmaticum. Nũc ut puerilis omnino cõtemni non poteſt, qui cõmonſtrat,in quibus ſummi doctores lapſi ſunt.

Verum hoc ipſum,ni fallor,offendit pleroſq;,quod admonentur,quaſi hactenus aliquid ignorarint in his literis,quarum ſcientiam profitentur:& pudet quæ imberbes didicere,ſenes perdenda fateri. Primum nimium arrogãs ſit, qui profiteatur ſe nihil neſcire,deinde taciti hæc quoque diſcant,& deſinent ignorare. Hac uia probrum hoc optime effugerint. Nunc iſtiuſmodi uociferationibus magis etiam traducunt ſuam inſcitiam.

Quod ſi uſq; adeo inuiſa eſt nouitas,ut ferri non poſſit,fuit & hæc æditio, quæ nunc utimur,olim noua. Et ſtultiſſimum eſt,rerum æſtimationem ab annis ſumere. Hac æſtimatione res præclara fuerit ebrietas, quæ eſt uetuſtiſſima:& ex priſcis uſq; ſeculis in hanc ætatẽ deducta. Quin rem ipſam potius quàm annales expendimus?

Si nouitas offendit,nos uetera inſtauramus, & nouitatem excludimus. Nam poſterior eſt æditione,deprauatio. Si qui ſunt, qui nõ poſſunt mutare ſaliuã, quàm à pueris imbiberunt,manet iſtis ſua uetus æditio,ſi uolũt,tum dilucidior,tum emendatior:ſi nolunt,eadem & ſui ſimilis. Si glandes iſtorum palatũ obſtinate delectãt, ſaltem ne inuideant ijs,qui tritico ueſci malunt.

Vtrum quæſo fas eſt,poſt ueteres aliquid inquirere,an nõ? Si fas non eſt, cur auſi ſunt Alexãder ac Thomas, & poſt hos alij complures,totam Theologiæ faciẽ immutare? Si fas,cur noſtris obſtrepunt ſtudijs,præſertim cũ & nullius iudicio præſcribant,& ueterum autoritate nitantur? Etenim ſi fas eſt inducere noua,multo magis fas eſt reuocare uetera.

Si nihil aliud quàm codices noſtros emendaſſem ex Græcis exẽplaribus, com probanda erat induſtria, qui id conatus eſſem, quod Auguſtinus non uno in loco

fieri

fieri iubet. Nunc non hoc contentus, ex orthodoxorum commentarijs rem peto.

Vt donemus, nihil esse mendi in libris nostris, tamen multis de causis oportebat ad fontes cõfugere, ob amphibologias, ob quædam obscure reddita, ob tropos & emphasim Græcanicæ phraseos, quæ sæpenumero reddi non potest, ob gratiam idiomatis, quæ in uertendo non respondet.

Vt donemus Græcorum libros æque deprauatos esse ac Latinos, tamẽ ex collatis exẽplaribus æque deprauatis sæpe deprehendit uera lectio: propterea quod sæpenumero fit, ut quod hic casu deprauatum est, in alio codice reperiatur integrũ.

Augustinus in epistola LIX. non audet respondere, rogatus de sententia ueteris cuiusdam ex psalmis, nisi consultis libris Græcis. Idem ueteris testamenti noui q; libros cum Græcis contulit, nimirum diffisus uulgatæ interpretationi. Id quantum habeat utilitatis in ueteri testamento uiderint alij, certe in nouo necessariũ est. Et quidam non dubitant de omnibus pronunciare, freti uulgatis codicibus? Idem multis locis docet lectionis synceritatem ex antiquiore lingua petẽdam esse: hoc est ab ea, in quam primum translatus est liber. Veluti cum hæretur in ueteri testamento: iubet consuli Græcos codices, si quis Hebraice nesciat, quod in hanc linguam prius uersum sit uetus testamentum, quàm in Latinam.

Hieronymus laudat studiũ mulierũ Germanarũ, quæ Latinũ psalterium cum Græco cõtulerint, cum id ab Hebræorum fontibus manarit: & isti putãt absurdum idem fieri in nouo testamento, quod totum, aut penè totum fluxit à Græcis?

Sed audio quosdam in totum abrogare fidem Græcorum libris, posteaquam se semouerunt ab ecclesia Rhomana. Atqui eadem de causa, non est fidendum Hebræorum libris, quod illi sint infensissimi, non solum Rhomano Pontifici, sed Christo, & Christianis omnibus. Et tamen Hieronymus illis fisus est id tẽporis, cum maxime fuisset tempestiuum deprauare, si quid deprauare uoluissent.

Si Græcis in animo fuisset deprauare codices suos, his potissimum locis deprauassent, in quibus à nobis dissentiunt, ueluti de processione spiritus, aut si quid aliud est eiusmodi, at in his nobis consentiunt. Nec ullus locus proferri ualet, qui hoc nomine suspectus haberi possit.

Aristoteles apud nos habet autoritatẽ suam, cũ plus sit q; schismaticus, uideli cet à Christo alienissimus. Auerroes habet põdus etiam in Theologorum scholis, homo blasphemus in Christũ. Et Græcorũ uoluminibus nulla erit apud nos fides? quod quidam illorum desciuerunt à Pontifice Rhomano, Neque enim defecerunt omnes. Et qui desciuerunt & qui non desciuerunt, in lectione consentiunt.

Si olim deprauati sunt Græcorum codices, iam adhuc erãt orthodoxi. Sin nuper à schismate, qui fit, ut horum codices cum ueterum libris cõsentiant? Nisi forte tam impudens erit aliquis, ut dicat, uniuersos codices, & interpretum commẽtarios simul esse uitiatos à schismaticis.

Ego magis suspicor, si quid deprauatũ est in Græcorũ libris, id à Latinis exemplaribus fuisse profectum, posteaq; Rhomana ecclesia cœpit absorbere Græciam.

Nec tota diuulsa est à nobis Græcia: Rhodus, & Creta Christũ agnoscit, agnoscit Rhomanum Pontificem, cur horum libris diffidimus? Et ab his potissimum nobis ueniunt exemplaria.

Risit

Riſit olim Heluidiũ Hieronymus,qui ſibi ſtultiſſimè perſuaſerit,Græcos codi ces eſſe corruptos:ac dictũ hominis ſtultius eſſe putat,quàm ut ſit argumentis refel lendum.Et tamen iam tum Oriens fermè omnis hæreſibus feruebat Arianorum & Origeniſtarum. Ab ijs magis timendũ erat exemplaribus,quàm à ſchiſmaticis.

Damnauit eccleſia quaſdam Græcorum opiniones, codices Græcorum nun/ quam damnauit.Et cur nos damnamus,quod non damnauit eccleſia? Imò cur non habemus fidem his,quibus fidem haberi uoluit eccleſia?

Sunt qui poſt receptã Hieronymi tranſlationẽ,negant quicquam eſſe tribuen/ dum uel Hebræis uel Græcis uoluminibus.Iamq; ceſſare quod ſcribit Auguſtinus, noui teſtamenti ueritatẽ ex Græcis,ueteris ex Hebræis eſſe petendam.Si ijdem ſunt Græcorum libri,quur hodie reijciantur,quibus olim fuerat autoritas,& cõſentire in pleriſq; docuimus.Deinde ſi quod ſcripſit Auguſtinus nõ ualebat poſt receptã Hie ronymi tranſlationem,quur tot ſeculis poſt Auguſtinum, eandem regulam in pon tificũ decretis recepit eccleſia? Si dicti pondus æſtimamus ab ætate Gratiani, iam erat hæc Hieronymi tranſlatio receptiſſima.

Omitto interim, quod docti multis cõiecturis colligũt, neq; uetus neq; nouũ teſtamentũ hodie purũ haberi,uel ex uerſione Hieronymi.Primũ pſalteriũ ex He/ bræo uerſum,nunq; recepit eccleſia,Eccleſiaſten nõ eſſe Hieronymianæ uerſionis de/ clarat ipſa præfatio, quã ſuis præfixit cõmentarijs. Deniq; codices qui ferũtur iuxta tranſlationẽ Septuaginta, & iuxta ueritatẽ Hebraicã,uehemẽter inter ſe diſſentiũt.

Quidam hic nobis tradũt Leſbiam regulã,ut id habeatur pro recto,quod uul go receptiſſimum eſt. Verũ nunq; tam bene fuit actũ cum rebus humanis,ut quod optimũ eſſet à uulgo peteretur.Certiſſima regula eſt,linguarũ,tranſlationũ, expoſi torũ,exemplariorũ inter ipſa collatio, adhibito ſobrio iudicio, excluſa contentione.

Iam quod à quibuſdã ſtudiũ hoc noſtrũ cõtemnitur, ut humile ac puerile,qui circa ſyllabas ac uoculas laborẽ, nõ ita ualde me mouet. Ego magnũ arbitror,quic/ quid ad rem Theologicã pertinet.Et cum nõ ignorarem,quantũ reuerentiæ ſacris li bris debebatur, mihi conſcius ſumpſi,quod in eo munere uideretur infimum.

Sit hoc grammaticũ,ſit puerile,ſit triuiale,modo fateantur eſſe neceſſariũ. Vt nihil aliud doceam quàm rectã lectionem,nimirũ turpe eſt hoc ipſum neſcire ma/ gnos Theologos.Et tamẽ hoc manifeſtius eſt,quàm ut negari poſſit: poſteaquam hiclapſus deprehẽditur Auguſtinus,lapſus Beda,lapſus Thomas,lapſus Lyrenſis, & Carrenſis:poſteaquam frequenter audimus hos,qui concionantur in templis, eti am thema,quod proponunt,perperam intellectum adducere.

Scrupi ſunt quãlibet minuti,ſed ad hos impingũt frequẽter οἱ τὰ κλῖον ὑπερφέρο νοῶντες. Si iuxta Chryſoſtomũ & Auguſt.articulus ὁ, hoc eſt,minutiſſimũ elemẽtũ, additũ aut omiſſum,ſenſum facit orthodoxũ,aut hæreticũ:ſi idẽ efficit hypoſtigme nõ ſuo poſita loco:qd eſt,cur hæc ut minuta negligamus,quæ tantũ habẽt momẽti?

Quoniã alicubi cõmonſtramus ordinẽ,& anfractus hyperbatorũ explicamus, uociferant grãmatiſtã.Quidã etiã in frequẽtiſſima cõcione dixit,Docet conſtruere. Hoc didici ante annos quadraginta. quaſi nõ Origenes in ſcripturarũ expoſitione mea ſententia nulli ſecundus,quaſi nõ Hieronymus frequẽter conſtructionẽ cõmon ſtret.Et tamẽ is q hæc uociferabat,maxime op9 habet qui cõmonſtret cõſtructionẽ.

Sint

Sint illi multo doctiores,nihil obſto,Nō tamen arbitror omnino cum Megarenſibus nullo in numero ponendum eum, qui tot locis docet doctiores, quod ſcire referebat, neſcire fœdum erat.

Auguſtinus quem iſti quoq; pro ſummo eccleſiæ doctore habēt,nónne diſtinguit percōtationem ab interrogatione,cōmonſtrat hypoſtigmas,digerit cola, commata ac periodos,indicat tropos grammatiſtarum?

Nónne ridentur μετέωροι, qui ſublatis in cœlum oculis ſic cōtemplantur aſtra, ut tibias impingant in ſaxum?

Apelles non cōtemnebat,rationem terendi,miſcendi colores,nec ductum ſimplicium linearum,quæ in arte qua præcelluit,infima ſunt.

Nec peritus Architectus,circa tectum & colophonē occupatus, negligit in fundamentum comportare rudera.Hæc qui neſcit architectus nō eſt,qui negligit,opus collapſurum erigit.

Verū turpe eſt, inquiūt,hæc diſcere doctores.Fateor didiciſſe oportuit non diſcere:uerū quid facies hijs,quibus hoc nō cōtigit,uel quia defuit animus,uel quia nō cōtigit diſcēdi facultas.An præſtat neſcire, quod cognitu neceſſariū,q̄ ſerius diſcere?

Nec tamen quiſquam cogitur iſta diſcere,tametſi nemini non licet,certe iuuenibus potiſſimum hic deſudat labor.

Nec dubito quin uētura ſit ætas, & iam fortaſſis exoriť,qua uidebūť hæc magna ex parte ſupuacanea.Verū qui iam in grādes robuſtosq; uiros adoleuerūt, nō aſpernanť nutricē,q̄ prima māmam dedit,q̄ cibū præmāſum in os inſeruit. Nec illi Græciæ lumina ſapiētes,in omni diſciplinarū genere abſoluti,nullā habebāt gratiā ijs à qb⁹ agnoſcere,pingere,ſonareq; literarū elemēta didicerāt.Hæc ita puſilla ſunt, ut ſine his nemo ſit maxim⁹. Suæ cuiq; dotes ſunt.Nos quod datū eſt impartimus.

Quanquam hæc minus negligēda uidebuntur,ſi quis periculum fecerit,quantis hæc minuta conſtent ſudoribus.Aut ſi quis aggrediatur tractare ſcripturam diuinam,& in ea,ſicut oportet,rimari curioſe ſingula.Vſu ſentitur utilitas,nō tumultuaria lectione.Poſtremo deſinet contemnere,qui non unam aut alteram annotationē, ſed uniuerſum opus expenderit. Tu mihi ocioſus ac ſupinus hunc aut illum locum expendis,& uideris tibi copioſius ac doctius tractare potuiſſe.Poteram & ipſe,ſi decem modo fuiſſent excutiendi. In tot milibus hanc præſtare diligentiam difficillimum eſt, mihi ſanè fuit,feliciori non inuidebimus.

Auguſtinum non pœnitebat operæ ſuæ, cum huiuſmodi quædam annotaret in libros Pentateuchi,non ex fontibus Hebræorum,ſed ex Græcis uoluminibus. Is rem annotatu dignam duxit, quod in ſacris literis reperiatur uerbum multitudinis numero additū nomini,rem ſignificanti,quæ conſtet ex multis.Quod genus eſt:Dimitte populū meum,ut ſeruiāt mihi.Item: Omnis terra adorent te.Præterea quod in hac oratiōe:Si interrogauerit te Eſau,dicēs:Cuius es tu,& quò uadis,& cuius hæc, quæ antecedunt te? Et dices,pueri tui Iacob: poſtremo loco redundet, coniunctio, &.Rurſus quod in hoc ſermone: Tu autem teſtamentū meum conſeruabis,Cōſeruabis,poſitū ſit pro cōſerua.Rurſum,quod hæc uerba, quæ ſunt in Leuitico: ἀκάθαρτος ὧν, ἀκάθαρτος ἔσαι:putat ad hunc modū uerti poſſe,immundus exiſtēs,immundus erit.Et tamen participium exiſtens, non eſſe ab exiſtere,ſed ab eſſe, cum Græce

ſit

sit ὤν, quasi dicas, essens. Præterea quod docet, mulierem dici, quæ uirgo sit, cùm Hebræam uocem nesciat, unde pendebat quæstio. Item quod ὄψιμον Græcum, parum Latine dicatur serotinum. Ad hæc tam puerilia non grauatus est descendere tantus episcopus. Quid ipse Hieronymus, nónne quædam annotauit, quæ friuola uideri possent, si quicquam omnino friuolum esset in sacris libris? In epistolam ad Ephesios cap. 5. in Pauli uerbis: Propter hoc relinquet patrem & matrem &c. annotauit, ἀντὶ τούτου dictum, pro ἕνεκεν τούτου, cum utraq; dictio probe quadret, & eundem efficiat sensum: Vice uxoris relinques patrem & matrem, & causa uxoris relinques patrem ac matrem. Idem in epistolã ad Philemonem indicauit, ἀγαπητὸν magis sonare diligibilem quàm dilectum, qui Græce dicatur ἠγαπημένον. Iterum in epistolam ad Rhomanos: παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν, omni dictum esse pro omnibus, cũ utroq; modo dicat idem: quisquis est inter uos, &, omnibus qui sunt inter uos. Iam uero quid commemorem, qualia sint pleraq;, quæ Hieronymus annotauit in libello, quem de castigatione psalterij scripsit ad Suniam & Fretelam. Quàm multa sunt illic minutissima, quæ ego non dignarer meis annotatiunculis quamlibet grammaticis.

Nullus igitur reprehendat, si argumento suscepto respondeo. Mihi abunde satis est, si nullus ante me plus præstitit in hoc scripti genere. Quid alij possint, aut præstituri sint, nescio. Certe optarim existere permultos, qui me prorsus obscurarẽt. Imò uel reprehendi gaudebo, si quis industria sua rem tam sacram, à nobis utcunq; tentatam, adiuuerit. Absit modo procacitas, quam fœdam & indecoram sibi ducunt & Ethnici uersantes in re literaria.

Meminerit is, qui reprehensionem parat, se quoq; hominem esse, neq; minus labi posse reprehendendo, quàm potuerit autor operis scribendo. Quanquam longe plus ueniæ debetur ei, qui prodesse studens, in ingenti opere dormitauit alicubi, non assecutus, quod uoluit, quàm ei, qui in alieno libro cupiẽs ingeniosus uideri, uenatur quod carpat, & tamen hoc ipsum perperam facit, dumq; falsos aliorum errores exagitat, ipse suos ueros prodit. Quanquam nullus est error fœdior, quàm animus spirans inuidiam, & uel rectissima carpendi libidinem.

Sic oportet ad librum legendũ accedere lectorẽ, ut solet ad cõuiuium conuiua ciuilis. Cõuiuator annitit omnibus satisfacere: & tamẽ si quid apponit, quod huius aut illius palato nõ respõdeat, urbane uel dissimulant cõuiuæ, uel probãt etiã, ne qd cõtristent cõuiuatorem. Quis enim eum cõuiuam ferat, qui tantũ hoc animo ueniat ad mensam, ut carpens quæ apponuntur, nec uescatur ipse, nec alios uesci sinat?

Et tamẽ his quoq; reperias inciuiliores, qui palàm, qui sine fine damnent ac lacerent opus, quod nunquam legerint. Atq; hoc sanè faciunt, qui se Christianæ pietatis doctores profitẽtur, & religionis antistites: cum sit pluſquam sycophanticum damnare quod nescias.

Nec intelligunt, quantũ abesse oporteat linguã prophetici canis, quæ lingẽdo medetur hulceribus: à lingua uiperæ aut aspidis, cuius uenenum immedicabile. Nec cogitant, quantum discriminis sit inter hierophantam & sycophantam.

Cum Theologorum scholæ, nec Scotũ, nec Petrum Lombardũ, nec Occam, nec Thomam, nec Augustinum, nec Ambrosium, nec Hieronymum, nec Hilarium, nec Cyprianum, nec Chrysostomum, nec Ioannem Damascenũ, nec Origenẽ, imò

nec Petrum

nec Petrum apoſtolum prorſus ab errore liberent, & ab eo quidem errore, quem ſi tuearis, hæreticus ſis: cur noſtra tam iniquo legunt iudicio?

At ſummis illis, inquiunt, hoc ciuilitatis debetur, tibi non item. Imò quo magis præcelluerunt illi uel dignitate uel eruditione, hoc minus ueniæ debebatur. Neque enim, opinor, iſti me inter uſq; adeo indoctos numerant, quos nō oporteat quicq; omnino ſcribere.

Nomen hæreſeos quo grauius eſt, & inuiſius Chriſtianis auribus, hoc turpius eſt, id temere cuiquam impingere. At iſti nihil magis habent in promptu, nec dubitant hæreſim inclamare, priuſquā circumſpiciant, qua de re loquantur. Et quemadmodum uno ſue grunniente grunniunt omnes, ita ad huius aut illius clamorem omnes eiuſdem factionis ſodales uociferantur hæreſim.

Ita ualde Chriſtiani uideri uolunt, ſi in Chriſtianum ſint fortiter contumelioſi. Idq; quo poſſint impune, principum tyrannidi fauent, & Rhomano pontifici ſemper adulantur, peſſime interim de illo ſentientes, cui putant quicquam eſſe charius, quàm quod ad Chriſti gloriam & gregis ſalutem pertinet.

Eccleſiæ nomen ſubinde inculcant, quum ſuum agant negocium, ſpiritum ſanctum habent in ore, quum longe alius ſit in animo.

Qui ſimpliciter errat, fraterne monendus eſt. Qui nihil aliud quàm prodeſſe ſtuduit, cum fauore & candore legendus eſt. At mirū quàm iſti ſæuiunt, quo faſtu, quo ſupercilio cenſurā agunt, frequenter ubi rem non intelligunt. Nam id accidiſſe, docere ſi libeat poſſim. Qua re quid poteſt eſſe turpius?

Origenes aduerſus Celſum pluſq; hæreticū, qui totā Chriſti uitam indigniſſimis conuicijs lacerarat, argumentis egit, nō conuicijs. Auguſtinus cū Paſcētio diſputans, ſemper dariſſimū uirū appellat, cum is iuxta Arianorū dogma negaret homuſion patri filiū. Cū Pollētio, de diuortio ſic diſputat, ut nulla ſit uſquā hæreſeos mentio. Ad Madaurenſes idololatras honorifice reſcribit, fratres dilectiſſimos, & dominos prædicabiles eos appellās: nec grauat' cauſam illorū ſibi cōmendatā adiuuare.

Inquiſitoribus hoc datum eſt negocij, ut indices ſint, non iudices: doctores, nō ſycophantæ: monitores, non calumniatores: fidei cuſtodes, nō ſub fidei defendēdæ prætextu tyrannidem affectantes.

Hæreſis non eſt: ubi non eſt ambitio, ubi non eſt malicia, ubi nō eſt arrogātiæ comes pertinacia. Nec in quouis errore hæreſis eſt, ſed in ijs duntaxat, quæ proprie ad catholicam fidem pertinent.

Quàm iniquum eſt, impune impingere tantam contumeliam: nec uictori ullū eſſe propoſitum præmium aut talionem niſi quod elapſus uidetur.

Chriſtus ipſe non extinguit linum fumigans, non comminuit baculū fractū: & nos ob humanū lapſum, imò ob faſtū noſtrū alienamus erecta felicia q; ingenia.

An non turpiſſimū eſt, à magnis olim Theologis apud Italos damnatas fuiſſe Pici Mirandulani concluſiones, ut impias & hæreticas: quæ nunc ut Chriſtianæ piæq; leguntur ab omnibus, non ſine applauſu Theologorum?

Iam ſentio quoſdam eſſe, qui carpendis aliorū ſcriptis famā aucupantur, compendiaria quidem, ſed ſceleratiſſima uia. Olim tibicen ille meliorem parandi ſubito nominis uiam mōſtrauit, ut doctis ac uulgo celebribus ſe probaret: quod horū ſuf-

fragijs futurum esset,ut à populo quoq; probaretur. Quis autẽ genius malus hanc rationem cõmonstrauit? Ingerunt se transuersim in opus alienũ, & unũ aut alterũ locũ uellicant,moxq; famã,quam alius complurium annorum uigilijs sibi parauit, uno æquant die, nec æquant modo, uerumetiam superant.nam doctior habetur, qui reprehensor ac censor est.

Quod hoc est ingratitudinis genus, totius operis laudẽ sibi uindicare ob unũ aut alterum locum castigatum, cum dissimulet interim, se tot locis fuisse adiutum? Perinde quasi,si quis donatus sexcentis aureis, unum alterúmue ex ijs ὑποχάλκοις κίβδηλον fuisse clamitet. Aut si quis damnet totum apparatum,quod unum aliquod ius appositum sit æquo salsius.

Si detestandæ ingratitudinis est, beneficiũ acceptũ inficiari:quale uidebit, pro gratis collato officio contumeliam reponere? Et si inciuilis habet, qui donatici equidẽtes inspicit:qualis habebit, q in opere necessario nihil aliud q̃rit, nisi q̃d arrodat?

Si quis existat prorsus ἀναλφάβητος & indoctus, qui pio quodam animi studio gratis concinnet, aut sartiat codices euangelicos:nónne futurũ esset,ut omnes huius pietatem exoscularentur? Nónne huius hominis memoriam suis fastis inscriberẽt? Et in hoc officio,quod longe plus adfert utilitatis, & nobis non paulo pluris cõstat, tam sunt ingrati quidam.

Si quis donet istos nouo pallio, si quis accipiat cœna lautiore, si quis nummis aliquot donet:tantum non adorãt, pietatem hominis ubiq; prædicant:sua merita, quibus abundant scilicet,illi impertiuntur. At hoc meo beneficio magis egebant, & oblatrant bene merenti.

Porrò quod obiter admonuimus quædam, quæ uidentur dissonare cum ijs, quæ publicitus recepta sunt in scholis,nec sine causa fecimus,nec odiose tamen. Fortassis expediret reipublicæ Christianæ plura conuelli, quæ nunc uelut oracula publice docentur,cum priuatim fateantur se diuersum sentire.

Alius hoc agit,ut orbis sit Thomista:alius ut Scotista,alius ut Occanista,alius ut Realis,alius ut Nominalis, Quin illud potius agimus omnes, ut orbis sit Christianus?

Iam audio iactare quosdam, à me permulta præterita, quæ forsitan (rent annotatu digna. Primum illud lectorem admonitum esse uolo,me non persequutum esse,quicquid in nouo testamento uideretur annotãdum, sed ea duntaxat, quæ ad lectionis synceritatem pertinent. Etiamsi hic quoq; multa prudentes omisimus,ne lectorem oneraremus. Quod si quis quid adijciet nostris,gratulabor etiam utilitati publicæ. Imò si à nobis alicubi dissentiet,modo id agat argumentis nõ conuitijs,ut erudito dignum est,nequaquam offendar. Argumenta possunt honeste refelli argumentis: conuicia conuicijs retaliare, turpe est:cum interim ferre sit molestũ. Qui rationibus agit,simplex negocium & sibi sumit, & exhibet respõsuro. At qui contumeliose dissentit, duplex sumit ac facessit negocium, geminumq; malũ accersit,dum & famam lædit alienam,& sibi ipse maledicentiæ suspicionem conciliat.

Prodesse ut pulcherrimum est,ita difficillimum. Lædere ut facillimum est,ita fœdissimum. Cur hæc posterior pars pleriſq; magis placet? In altera se magnos declarent,qui famam affectant apud posteros,homine Christiano dignam.

Si qua mihi foret incantatio, qua possem nouum hoc aspidum genus sopire, non gra-

non grauaret uti. Nunc quando id nõ datur: aduersus istorum uenenata sibila, bonorum fauore, uelut antidoto, me consolor. Oblatrant, sed inter eruditos ferè nulli, si qui sunt ex eo sunt hominũ genere, qui se deuouisse uidentur dijs manibus, si queãt bonas literas, hoc est, omneis, quas ipsi non didicerunt, funditus extinguere. Nam negligendos opinor idiotas ex media uulgi fece, unà cum superstitiosis mulierculis: quos isti uel redemerunt ad uociferandum, uel subornarunt. Aduersus horum maliciam, primum omnium me consolatur recta conscientia, & Christus agonotheta noster: deinde tot hominum iudicia, quorum alios uitæ sanctimonia, alios insignis eruditio, alios fortunæ splendor, alios ecclesiastici muneris dignitas, quosdam hæc omnia simul à contemptu uindicant. Quorũ suffragium hoc ponderis plus habere debet, quod horum nemo sit, cuius fauorem aut emeruerim officio, aut precibus sim eblanditus. Literis ex omni terrarum plaga missis, mihi quotidie gratias agũt, quod meis lucubrationibus, qualibuscunq; inflammati sint ad bonæ mentis, ad sacrarum literarum studium. & qui nunquam Erasmum uiderunt, tamen ex libris cognitum amant. Nullus est in his à me prouocatus, ut modo dixi, nec est cur mihi blandiãt, Nihil est quod metuãt à me, aut uenentur ex me. Experta utilitas, & gratus animus hæc mihi parauit suffragia. Vt omnibus in commune laboraui, ita gratias agunt oẽs, cuiuscũq; gentis, cuiuscũq; ordinis cãdidi & integri, Hoc ego præmiũ pulchrius esse duco, cẽq; si contigisset episcopi dignitas. Agnoscit officiũ meũ Italia, cogor enim esse glorioſior, præcipue Rhoma & Venetia. Tot Cardinales fauent nostris laboribus, sed præcipue uir in literis grauioribus absolutissimus, Card. Dominicus Grymanus, Titulo diui Marci, & omni ornamentorũ genere cumulatiſſ. Card. Titulo Sanctorũ quatuor, Matthæus Card. Sedunensis, Card. Laurẽtius Campegius, & ante hos Raphahel Card. S. Georgij. Frãciscus Card. Vulteranus. Quin ipse totius rei publicæ Christianæ princeps Leo x. ut ad priorẽ æditionẽ literis humanissime scriptis adhortabatur, ita post ad posteriorem rursus adhortatus est. ut interim nõ commemorem episcopos, & eruditorum hominum centurias. Post hunc Adrianus Sextus uir præter uitæ sanctimoniam, eruditione singulari, iudicioq; præditus acerrimo. Rursus Clemens septimus quid fauoris non præstat studijs nostris, idq; nec ambiẽti, nec optanti. Nimirũ uir ab ipsa maiorum stirpe natus, iuuandis optimis disciplinis, hunc fauorem studijs religionicq; præstat non mihi. Nec horum quos recensui fauor, intra uerba literas & uulgaria constitit officia. Certioribus argumentis declaratus est. Agnouit Hispania, uel hoc argumento, quod Franciscus Card. Toletanus, semel atq; iterũ me sollicitauit præmijs haudquaquam aspernandis, ut adirẽ Hispanias. Porrò Guilhelmus à Croya, quo me animo semper fuerit prosequutus, notius est plurimis cẽq; ut hic sit commemorandũ. Agnoscit Germania omnis, summorum præsulum ac principum literis me prouocans ad amplissima præmia, donisq; nõ uulgaribus ornans simul & excitans nostram industriã. Agnoscit Hungaria, agnoscit Morauia & Polonia episcoporũ ac summatium uirorũ literis mihi gratias agens, nec id sine præclaris muneribus, quorum è numero præcipui sunt duo fratres, Ioãnes Turzo quondam episcopus Vratislauiensis, & Stanislaus episcopus Olmucensis. Quid eñ dicã de Britannia, ubi tot mihi sunt Mecœnates, inter quos primus dariſs. Baro, Guilhelmus Monteiouius: proximus Guilhelmus Archiepiſ. Cantuarieñ. totius Angliæ primas: tertius Thomas Card. Eboracensis, uir acerrimi

iudicij:ſummus rex ipſe nō minus animi q̄ fortunæ bonis florentiſſimus, quorum uterq; & benignitate ſua ultro fouet ociū noſtrum, & ſi libeat,inuitat ad ampliora. Ioānē epiſcopū Roffenſem in hoc catalogo,in quo magis expēduntur ſuffragia q̄ numerantur,unum pro multis numerare poteram, Deinde Cutbertum Tunſtallū epiſcopum Londonienſem. A Gallis, præcipue ab incomparabili uiro Stephano Poncherio epiſcopo Pariſienſi,& à rege Chriſtianiſſimo Franciſco iam toties inui/ tor non uulgaribus promiſſis.Poſtremo,quanquam nuſquam gentium plus ualeāt Sycophantæ, quàm apud noſtros, nec uſq̄ minor ſit honos bonis literis: tamen ſunt hic quoq;, qui faueant pro commodo publico laboranti:quorū præcipui ſunt, uir cordatiſſimus ſimul & oculatiſſimus Erardus à Marca, epiſcopus ac princeps Leodiēſis, nunc Card.Et dariſſimus Philippus à Burgundia,epiſcopus ac princeps Traiectenſis,quorum uterq; ultro defert amplam fortunam,ſi quid expeterem hu/ iuſmodi.Ne commemorem interim Carolum Cæſarem,& Ferdinandū huius ger/ manū.E ſummis præcipuos duntaxat attigi,cum cotidie literis obruar, quibus mihi celebres Academiæ,quibus uiri doctrina præſtantes, quibus religione commenda/ biles,& gratulantur & gratias agunt. Rettuli quiddam glorioſi militis è Comœdia, huc me perpulit quorundā improbitas. Et tamen adeo nihil mentitus ſum,ut cōplu res ſciens reticuerim,ſunt enim qui malunt fauere dàm,quemadmodū Nicodemus fauit Ieſu:nec ambitioſe laudes illorum quod ueriſſime poteram prædicaui, nec ob oculos poſui,quantum ſit diſcriminis inter hos qui probant fauent, atq; adiuuāt,& inter iſtos qui obſtrepunt,calumniantur, ac damnant. Merebantur utriq; depingi, uerum oportuit meminiſſe Chriſtiani pudoris. Tot igitur ac talium uirorū animis ſuffragijſq; fretus, moderatius fero Sycophantarum ingratiſſimorum grunnitus. Feliciſſimum quidē eſt placuiſſe omnibus. Verū id quoniam nulli adhuc contigit, proximū eſt,placuiſſe optimis.

Vt igitur cauſam omnem in pauca contraham, aduerſus eos qui totum hoc inſtitutum damnant, docui pium eſſe, ſemperq; futurum,ſacris codicibus,uel adi/ mere mendas,uel aliquid lucis addere, & ſpiritui ſancto gratum eſſe, quicquid huc pro ſuo quiſque modulo attulerit. Si quis animo meo calumniam ſtruit, nihil ali/ ud poſſum quàm Chriſtum teſtem facere, me nihil aliud ſpectaſſe q̄ ipſius glo/ riam, & Chriſtiani populi fructum. Si quis cauſatur periclitari ſcripturarum au/ toritatem, demonſtraui hac induſtria eam ſeruari non deſtrui. Si quis fingit tu/ multum ex nouitate, nos publicam lectionem autoritate priuata non mutamus, imò ne id fiat toties admonemus: ſi quid tumultus fuit, non iſtuc peperit nouitas, ſed quorundam intempeſtiui clamores apud imperitam multitudinem, qui ſi de uulgi fece eſſent, impingi poterat, quod imprudenter anſam hanc præbuiſſem idiotis:nunc quoniam id factum eſt à ſapientiæ columinibus, accuſari nō debeo, ſi à talibus uiris,tale nihil oriturum ſuſpicatus ſum.Aduerſus eos qui requirunt auto/ ritatem publicā, docui nihil eſſe neceſſe, in opere priuatæ lectioni parato. Satis eſt eccleſiæ iudicio ſubmiſſum eſſe quod profero. Si quis in me deſiderat iuſtam erudi/ tionem,arbitror me ſuperaſſe, quotquot hactenus in hoc argumento uerſati ſunt. Si curam, ſi quid defuit, poſterioribus, ut habet prouerbium, melioribus ſarſimus. Si quis hoc quoque culpat,dicam, homo ſum,& probatiſſimorum uirorum ſequor exemplum. Si quis me negat eſſe Theologum, grammatici partes egi. Si gram/

maticum

maticum aſpernantur, non aſpernatur Cæſar tonſoris, aut nomenclatoris officiũ. Si clamant hoc non niſi à Theologo præſtari potuiſſe, Theologus infimus, infimã theologiæ functionem mihi ſumpſi. Si Theologus non eſt quo ſit alius doctior, nõ habebit orbis niſi unum Theologum. Quanquam ſuæ cuique dotes ſunt. Si nullus adferet meliora, res ipſa loquetur me nõ omnino luſiſſe operam. Si quis adferet, gemina mihi debebitur gratia. primum quod extimularim exemplo, deinde quod iuuerim præſtructa uia. Siquis clamitat hæc eſſe leuiora, quàm ut operæpreciũ ſit Theologum huc flectere oculos, reclamant tot inſignes lapſus magnorum alioqui Theologorũ. Si quos pudet hæc neſcire, diſcant, & abierit pudor: ſi pudet pigẽtue diſcere, uenia dabitur pudori, dabitur & deſidiæ, liuori nõ dabitur, ſi iunioribus hæc diſcere cupientibus obſtrepant. Si quem illud habet male, quod Theologos quoſdam liberius attigi, ita tum mihi uiſa eſt exigere cauſa, quanquã hoc quoque moderatus ſum poſterioribus editionibus. Nullũ ordinem uſquam inceſſo, in neminem ſtrinxi calamum niſi uirulentiſſime laceſſitus, ſemper tamen ciuilitate ſuperior prouocatore. Neq; quiſquam adhuc Theologus aut monachus in me debacchatus eſt, etiam ſi id fecere Rabini nonnulli, palliati complures. Sed obſecro per Chriſtum, ſi pergemus ad iſtum modum nos uiciſſim dentibus impetere, quid ſupereſt, niſi ut mutuis morſibus tandem conficiamur? Quanto conſultius fuerit, ut ſi quis quid in meis ſcriptis deſiderat, aut moneat priuatim, quo medear ipſe, aut publice coarguat, ſed argumentis non ſcurrilibus conuicijs: ita nec inficietur lector amarulentiæ uenenо, & à me non uulgaris inibitur gratia. Seniores iuniorum profectui comiter faueant, iuniores contra ſenioribus ne inſultẽt: ita maiorum æquitas candorq;, ac minorum modeſtia uerecundiaq; concordiam alet, tumultum excludet, inuidiam minuet, profeſſorum autoritatem non lædet, profeſſionis dignitatem tuebitur, utilitatem augebit. Agite quotquot uere Theologi, quotquot uere monachi, imò quotquot uere Chriſtiani eſſe uolumus, hoc conſilium amplectamur, nec pœnitebit obtemperaſſe. Ex hiſce rabioſis contentionibus quid expectari poteſt, niſi talis exitus, qualia iamdudum uidemus procœmia. Hæc, opinor, abunde ſatisfaciẽt, qui ſibi fieri ſatis ullo modo patietur. Cæterum qui ſibi obturant aures, ne cognoſcant, qui occludunt oculos, ne cernant, fruſtra canitur hæc fabula. Proinde ſit hactenus huic negocio datum ſatis. FINIS.



ΠΙΣΤΕΥΩ εἰς ἕνα θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ & γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων, καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, & σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα & ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, & καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, & συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. εἰς μίαν καθολικὴν & ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἀμήν.

ΥΠΟΘΕΣΙΣ ΚΑΝΟ-

ΝΩΝ ΤΗΣ ΤΩΝ ΕΥΑΓΓΕΛΙΣΤΩΝ ΣΥΜΦΩΝΙΑΣ.

Εὐσέβιος καρπιανῷ ἀγαπητῷ, ἀδελφῷ ἐν κυρίῳ χαίρειν.



ΑΜΜΩΝΙΟΣ μὲν ὁ ἀλεξανδρεὺς, πολλὴν ὡς εἰκὸς φιλοπονίαν καὶ σπουδὴν εἰσασηοχὼς, τὸ διὰ τεσσάρων ἡμῖν καταλέλοιπεν εὐαγγέλιον, τῷ κατὰ ματθαῖον τὰς ὁμοφώνους τῶν λοιπῶν εὐαγγελιστῶν πρικοπὰς παραθεὶς, ὡς δὲ ἀνάγκης συμμῆναι τὸν τῆς ἀκολουθίας εἱρμὸν τῶν τριῶν διαφθαρῆναι, ὅσον ἐπὶ τῷ ὕφει τῆς ἀναγνώσεως. ἵνα δὲ σωζομένου καὶ τοῦ τῶν λοιπῶν δι' ὅλου σώματός τε καὶ εἱρμοῦ, εἰδέναι ἔχοις τοὺς οἰκείους ἑκάστου εὐαγγελιστοῦ τόπους ἐν οἷς κατὰ τῶν αὐτῶν ἠνέχθησαν φιλαλήθως εἰπεῖν, ἐκ τοῦ πονήματος τοῦ προειρημένου ἀνδρὸς εἰληφὼς ἀφορμὰς, καθ' ἑτέραν μέθοδον, κανόνας, δέκα τὴν ἀριθμὸν διεχάραξάσοι τοὺς ὑποτεταγμένους. ὧν ὁ μὲν πρῶτος περιέχει ἀριθμοὺς ἐν οἷς τὰ παραπλήσια εἰρήκασιν οἱ τέσσαρες, ματθαῖος, μάρκος, λουκᾶς, ἰωάννης. Ὁ δεύτερος, ἐν ᾧ οἱ τρεῖς, ματθαῖος, μάρκος, λουκᾶς. Ὁ τρίτος, ἐν ᾧ οἱ τρεῖς, ματθαῖος, λουκᾶς, ἰωάννης. Ὁ τέταρτος, ἐν ᾧ οἱ τρεῖς, ματθαῖος, μάρκος, ἰωάννης. Ὁ πέμπτος, ἐν ᾧ οἱ δύο, ματθαῖος, λουκᾶς Ὁ ἕκτος, ἐν ᾧ οἱ δύο, ματθαῖος, μάρκος. Ὁ ἕβδομος, ἐν ᾧ οἱ δύο, ματθαῖος, ἰωάννης. Ὁ ὄγδοος, ἐν ᾧ οἱ δύο, λουκᾶς, μάρκος. Ὁ ἔννατος, ἐν ᾧ οἱ δύο, λουκᾶς, ἰωάννης. Ὁ δέκατος, ἐν ᾧ ἕκαστος αὐτῶν ἰδίως ἀνέγραψεν. Αὕτη μὲν οὖν ἡ τῶν ὑποτεταγμένων κανόνων ὑπόθεσις. ἡδὲ σαφὴς αὐτῶν διήγησις, ἔστιν ἥδε. ἐφ' ἑκάστῳ τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων ἀριθμός τις πρόκειται κατὰ μέρος ἀρχόμενος ἀπὸ πρώτου, εἶτα δευτέρου, καὶ τρίτου καὶ καθ' ἑξῆς προϊὼν δι' ὅλου μέχρι τῆς τέλους τοῦ βιβλίου. Καθ' ἕκαστον δὲ ἀριθμὸν, ὑποσημείωσις διὰ τοῦ μέλανος ἔγκειται, δηλοῦσα ἐν ποίῳ τῶν δέκα κανόνων κείμενος ὁ ἀριθμὸς τυγχάνει, οἷον εἰ μὲν ἄλφα, δῆλον ὡς ἐν τῷ πρώτῳ, εἰ δὲ βῆτα ἐν τῷ δευτέρῳ. καὶ οὕτως μέχρι τῶν δέκα. Εἰ οὖν ἀναπτύξας ἔν τι τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων ὁποῖον δή ποτε βουληθείης πυνθάνεσθαί τι ὦ βούλει κεφαλαίῳ, καὶ γνῶναι τίνες τὰ παραπλήσια εἰρήκασι, καὶ τοὺς οἰκείους ἐν ἑκάστῳ τόπους εὑρεῖν, ἐν οἷς κατὰ τὸ αὐτὸ ἠνέχθησαν, ἧς ἐπέχεις πρικοπῆς ἀναλαβὼν τὸν προκείμενον ἀριθμὸν πυνθάνεσθαι τε αὐτὸν ἔνδον τῷ κανόνι, ὃν ἡ διὰ τοῦ μέλανος ὑποσημείωσις ὑποβέβληκεν, ἴσῃ μὲν οὖν εὐθὺς ἐκ τῶν ἐπὶ μετώπου τῆς κανόνος προγραφῶν, ὁπόσοι τῶν τίνες, τὰ παραπλήσια εἰρήκασιν. Ἐπιστήσας δὲ καὶ τοῖς τῶν λοιπῶν εὐαγγελίων ἀριθμοῖς τοῖς ἐν τῷ κανόνι ᾧ ἐπέχεις, ἀριθμὸς παρακείμενος, πυνθάνεσθαι δὲ αὐτοὺς ἔνδον, ἐν τοῖς οἰκείοις ἑκάστου εὐαγγελίου τόποις, τὰ παραπλήσια λέγοντας εὑρήσεις. ἔρρωσο ἐν κυρίῳ.

κανὼν

Ματ.	Μαρ.	Λυκᾶς.	Ἰωάννης.	Ματ.	Μάρκος.	Λυκᾶς.	Ἰωάν.
κ	β	ϛ	ι	ϛ	ι	ε	ε
ικ	ϛ	ι	ς	ι	ϛ	ϛ	ϛ
ικ	ϛ	ι	ιβ	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
ικ	ϛ	ι	ιδ	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
ικ	ϛ	β	κα	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
ιδ	ε	ιγ	κβ	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
κγ	κϛ	ιδ	κϛ	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
κγ	κϛ	ιδ	κϛ	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
κγ	κϛ	ιϛ	κϛ	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
κγ	κϛ	ιϛ	κϛ	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
ο	κ	κϛ	κϛ	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
πϛ	ϛιθ	ιϛ	κϛ	ιϛ	ϛ	ι	ϛ
ικ	ϛ



κανὼν Δεύτερος ἐν ᾧ οἱ τρεῖς.

Ματ.	Μαρ.	Λȣκ.	Ματ.	Μαρ.	Λȣκ.	Ματ.	Μαρ.	Λȣκ.
ιε	ϛ	ιε	ρκγ	λδ	ρμζ	σκε	ρλδ	σμε
κα	ι	λβ	ρλ	λε	ϖβ	σκϛ	ρλγ	σμδ
λα	ρβ	ρϖε	ρλα	λϛ	οϛ	σκϑ	ρλε	σλζ
λβ	λϑ	ρλγ	ρλε	λη	οη	σκϑ	ρλε	σμϛ
λβ	λϑ	οϑ	ρλζ	μδ	ρξζ	σμβ	ρλζ	σλζ
μ	μα	μϛ	ρμϛ	μξ	ϟ	σμβ	ρλζ	σμη
ξβ	ιγ	δ	ρμδ	μϑ	ιβ	σμγ	ρλη	σμθ
ξβ	ιγ	κδ	ρμϑ	ξϛ	λε	σμη	ρμγ	σθ
ξγ	ιη	λγ	ρμϑ	ξϛ	μγ	σμη	ρμγ	σμγ
ξζ	ιε	κϛ	ρμγ	ξθ	λϛ	σμϑ	ρμδ	σμδ
ζϑ	μζ	ϖγ	ρξδ	οϑ	ρμδ	σμα	ρμϛ	σμε
οα	κα	λη	ρξη	ϖϛ	ϟε	σμγ	ρμη	σδ
οβ	κβ	λϑ	ρξη	ϖγ	σϛ	σμη	ρμ	σμζ
οβ	κβ	ρϖϛ	ρο	ϖε	ϟϛ	σμϑ	ρμα	σμη
ογ	κγ	μ	ροβ	ϖζ	ϟη	σξδ	ρμε	ρμϛ
οδ	μθ	ϖε	ροδ	ϟα	ϟϑ	σξθ	ρμδ	σκη
οϛ	μβ	ρξθ	ροϛ	ϟγ	ρα	σοα	μβ	σλ
οϑ	κϑ	πϛ	ροη	ϟε	ρβ	σοη	ρξ	σξγ
π	λ	μδ	ροη	ϟε	σιζ	σπα	ρξγ	σξη
πβ	μγ	ϖζ	ροθ	ϟθ	ρϟζ	σπε	ρξϛ	σξε
πβ	μγ	ρι	ρϟ	ρε	ρϟε	σϖε	ρξϛ	σξζ
ϖγ	μδ	ϖη	ρϟβ	ρϛ	σιϛ	σϟϛ	ροζ	σπ
πγ	μδ	ριβ	ρϟγ	ρζ	ρκα	σϟϛ	ροζ	σπδ
ϖε	με	πη	ρϟγ	ρζ	σιη	τα	ρϖβ	σπϛ
ϖε	με	ριδ	ρϟδ	ρη	ρμβ	τη	ρπθ	τε
πη	ρμα	ρμη	ρϟδ	ρη	σιθ	τιβ	ρϟγ	σϟθ
πη	ρμα	σμα	ρϟε	ρθ	σκ	τιϛ	ρϟζ	οϟγ
ϟβ	μ	ϖ	ρϟη	ρι	σκα	τιζ	ρϟη	σϟε
ϟδ	πϛ	ϟζ	ρϟϑ	ρια	ρογ	τκβ	σβ	τθ
ϟδ	πϛ	ρμϛ	σα	ριβ	σκβ	τλη	σιη	τκβ
ργ	α	ο	σγ	ριδ	σο	τλϑ	σιϑ	τκε
ριδ	κδ	μα	σε	ριϛ	σκδ	τμ	σκ	τκζ
ριϛ	κε	μβ	σϛ	ριζ	σλβ	τμβ	σκβ	τκγ
ριϛ	κε	ρξε	ση	ριη	σλϛ	τμδ	σκδ	τκη
ριϛ	κε	ροζ	σιζ	ρκζ	σμ	τμϛ	σκε	τλ
ρκα	λβ	ρκζ	σιθ	ρκη	σμα	τμγ	σλβ	τλζ
ρκβ	λγ	ρκϑ	σκγ	ρλ	σμϛ	τμδ	σλγ	τλη
						τέλ°	τω β̄	κανό

Κανὼν τρίτος ἐν ᾧ δι τρεῖς.

Ματ.	Λουκᾶς.	Ἰωάν.
α	ιδ	α
α	ιδ	γ
α	ιδ	ε
ζ	ς	β
ζ	ς	κε
μδ	ξγ	ριε
ξδ	ξε	λζ
ζ	μκ	ριχ
ζ	με	ρλθ
ζζ	σια	ρς
ρια	ριδ	λ
ρια	ριδ	ριδ
ρια	ριδ	ρμκ
ριβ	ριθ	κ
ριβ	ριθ	μδ
ριβ	ριθ	ξα
ριβ	ριθ	ος
ριβ	ριθ	πζ
ριβ	ριδ	ζ
ριβ	ριθ	ρμβ
ριβ	ριθ	ρμδ
ρμε	μζ	ζδ

τέλος τῶν γ κανόνος.

Κανὼν τέταρτος ἐν ᾧ δι τρεῖς.

Ματθαῖος.	Μάρκος.	Ἰωάννης.
ιη	π	κε
ριζ	κε	ζγ
ριζ	κε	ζε
ρμ	ξζ	μα
ρξα	οζ	κγ
ρξα	οζ	μγ
σδ	ριε	ζα
σδ	ριε	ρλε
σιε	ριε	ρκπ
σιε	ρκε	ρλγ
σιε	ρκε	ρλζ
σιε	ρκδ	ρμ
σοζ	ρμδ	ζκ
σοθ	ρξα	οβ
σοδ	ρξα	ρκα
σπζ	ρξη	ρμβ
σϛγ	ρος	ρζ
σϛζ	ρον	ο
σϛδ	ρϖ	ργ
τζ	ρπκ	ρξδ
τκα	σα	ρπ
τκα	σα	ρϛβ
τκγ	σγ	ρϖγ
τκδ	σζ	ρπε
τκδ	σζ	ρπζ
τλγ	σια	σγ

τέλος τῶν δ κανόνος.

Κανὼν πέμπτος ἐν ᾧ οἱ δύο.

Ματ.	Λȣκ.	Ματ.	Λȣκ.	Ματ.	Λȣκ.
γ	β	οκ	ρκ	ρϛζ	σοβ
ι	κ	ϖδ	ρια	σιγ	σλε
ιβ	ια	ϖϛ	ρθ	σκα	ρϖα
ιϛ	ιϛ	ϛγ	ρμε	σκκ	ρλθ
κε	μϛ	ϛε	ρξ	σλα	ροθ
κϛ	μζ	ϛϛ	ρϖβ	σολ	σιε
κκ	μκ	ϛϛ	ρϖδ	οβ	ρμβ
λ	μθ	ρβ	ξθ	σλδ	ρλϛ
λδ	ρϛδ	ρδ	οα	σλϛ	ρλε
λϛ	ρξβ	ρε	ρϛγ	σλζ	ρλκ
λκ	μγ	ρζ	ογ	σλκ	ρμ
μ	μβ	ρκ	ριε	σμ	ρμα
μα	με	ρι	ρικ	σμα	ροε
μγ	ρκγ	ριθ	ρκϛ	σμε	σβ
μϛ	ρμγ	ρκε	ξβ	σμϛ	σε
μζ	ρλδ	ρκζ	ρκκ	σμζ	σιγ
μκ	ρϛα	ρκκ	ρλβ	σξα	σζ
μθ	ρμ	ρκθ	ρλ	σξβ	σιβ
μα	μθ	ρλβ	πα	σξε	ρμζ
μγ	ρκε	ρλδ	ρκ	σξϛ	ρμε
μδ	μδ	ρλκ	ρξκ	σξζ	ρμκ
με	ρο	ρϛ	μζ	σο	σκθ
μζ	ξα	ρμκ	σκϛ	σοβ	σλα
μκ	ξ	ρξβ	ρξα		
ξ	ροα	ροε	σ		
ξα	ξδ	ρπβ	ρπζ		
ξε	ροβ	ρπϐ	ρπθ	τέλος	τωε κα/
ξϛ	ξϛ	ρϖγ	ρϛκ	νόνος.	
ξκ	ρε	ρϖζ	ρϛθ		

Κανὼν ἕκτος.

Ματ.	Μάζ.
ε	γ
ιζ	ζ
κ	θ
κβ	ια
μδ	χκς
οζ	ξζ
ρ	ζκ
ρλθ	με
ρμε	ξ
ρμκ	ξε
ρμβ	ξκ
ρμδ	οα
ρμζ	οβ
ρμθ	ογ
ρξ	ος
ρξζ	ον
ρξε	π
ρξθ	πδ
ρογ	ϟθ
ρπ	ϟ
ρπθ	ϟγ
σβ	ϟιγ
σιδ	ϟκ
σιε	ϟκδ
σκδ	ϟλα
σμς	ϟμ
στκ	ϟνς
σφκδ	ϟπ
σχε	ϟπδ
σψ	ϟπθ
τ	ϟπς
τιβ	ϟπη
τκ	ϟπθ
τκε	ϟρ
τκθ	ϟρκ
τλ	ϟρκδ
τμ	ϟρκθ
τμβ	ϟρλ
τμδ	ϟρμ
τμθ	ϟρξ
τν	ϟρπ
τξ	ϟρπδ
τπ	ϟρπθ
τπδ	ϟρς
τπθ	ϟρτ
τρ	ϟρφ
τρδ	ϟρχ
τρθ	ϟρψ
τς	ϟς
τσ	ϟσ
τσδ	ϟσδ
τσθ	ϟσθ
τφ	ϟτ
τφδ	ϟτδ
τφθ	ϟτθ
τχ	ϟφ
τχδ	ϟφδ
τχθ	ϟφθ
τψ	ϟχ
τψδ	ϟχδ
τψθ	ϟχθ
τω	ϟψ
τωδ	ϟψδ
τωθ	ϟψθ
υ	ϟω
υβ	ϟωβ
υδ	ϟωδ
υζ	ϟωζ
υθ	ϟωθ
υκ	ϡ
υκβ	ϡβ
υκδ	ϡδ
υκζ	ϡζ
υκθ	ϡθ
υλ	ϡκ
υμ	ϡλ
υμβ	ϡμ
υμδ	ϡν
υμζ	ϡξ
υμθ	ϡο
υν	ϡπ
υξ	ϡρ
υξβ	ϡς
υξδ	ϡσ
υξζ	ϡτ
υξθ	ϡφ
υο	ϡχ
υοβ	ϡψ
υοδ	ϡω
υοζ	ϡϡ
υοθ	ϡϡβ
υπ	ϡϡδ
υπβ	ϡϡζ
υπδ	ϡϡθ
υπζ	ϡϡκ
υπθ	ϡϡλ
υρ	ϡϡμ
υρβ	ϡϡν
υρδ	ϡϡξ
υρζ	ϡϡο
υρθ	ϡϡπ
υς	ϡϡρ
υσ	ϡϡς
υσβ	ϡϡσ
υσδ	ϡϡτ
υσζ	ϡϡφ
υσθ	ϡϡχ
υτ	ϡϡψ
υτβ	ϡϡω
υτδ	ϡϡϡ
υτζ	ϡϡϡβ
υτθ	ϡϡϡδ
υφ	ϡϡϡζ
υφβ	ϡϡϡθ
υφδ	ϡϡϡκ
υφζ	ϡϡϡλ
υφθ	ϡϡϡμ
υχ	ϡϡϡν
υχβ	ϡϡϡξ
υχδ	ϡϡϡο
υχζ	ϡϡϡπ
υχθ	ϡϡϡρ
υψ	ϡϡϡς
υψβ	ϡϡϡσ
υψδ	ϡϡϡτ
υψζ	ϡϡϡφ
υψθ	ϡϡϡχ
υω	ϡϡϡψ
υωβ	ϡϡϡω
υωδ	ϡϡϡϡ
υωζ	ϡϡϡϡβ
υωθ	ϡϡϡϡδ
φ	ϡϡϡϡζ
φβ	ϡϡϡϡθ
φδ	ϡϡϡϡκ
φζ	ϡϡϡϡλ
φθ	ϡϡϡϡμ
φκ	ϡϡϡϡν
φκβ	ϡϡϡϡξ
φκδ	ϡϡϡϡο
φκζ	ϡϡϡϡπ
φκθ	ϡϡϡϡρ
φλ	ϡϡϡϡς
φμ	ϡϡϡϡσ
φμβ	ϡϡϡϡτ
φμδ	ϡϡϡϡφ
φμζ	ϡϡϡϡχ
φμθ	ϡϡϡϡψ
φν	ϡϡϡϡω
φξ	ϡϡϡϡϡ
φξβ	ϡϡϡϡϡβ
φξδ	ϡϡϡϡϡδ
φξζ	ϡϡϡϡϡζ
φξθ	ϡϡϡϡϡθ
φο	ϡϡϡϡϡκ
φοβ	ϡϡϡϡϡλ
φοδ	ϡϡϡϡϡμ
φοζ	ϡϡϡϡϡν
φοθ	ϡϡϡϡϡξ
φπ	ϡϡϡϡϡο
φπβ	ϡϡϡϡϡπ
φπδ	ϡϡϡϡϡρ
φπζ	ϡϡϡϡϡς
φπθ	ϡϡϡϡϡσ
φρ	ϡϡϡϡϡτ
φρβ	ϡϡϡϡϡφ
φρδ	ϡϡϡϡϡχ
φρζ	ϡϡϡϡϡψ
φρθ	ϡϡϡϡϡω
φς	ϡϡϡϡϡϡ
φσ	ϡϡϡϡϡϡβ
φσβ	ϡϡϡϡϡϡδ
φσδ	ϡϡϡϡϡϡζ
φσζ	ϡϡϡϡϡϡθ
φσθ	ϡϡϡϡϡϡκ
φτ	ϡϡϡϡϡϡλ
φτβ	ϡϡϡϡϡϡμ
φτδ	ϡϡϡϡϡϡν
φτζ	ϡϡϡϡϡϡξ
φτθ	ϡϡϡϡϡϡο
φφ	ϡϡϡϡϡϡπ
φφβ	ϡϡϡϡϡϡρ
φφδ	ϡϡϡϡϡϡς
φφζ	ϡϡϡϡϡϡσ
φφθ	ϡϡϡϡϡϡτ
φχ	ϡϡϡϡϡϡφ
φχβ	ϡϡϡϡϡϡχ
φχδ	ϡϡϡϡϡϡψ
φχζ	ϡϡϡϡϡϡω
φχθ	ϡϡϡϡϡϡϡ
φψ	ϡϡϡϡϡϡϡβ
φψβ	ϡϡϡϡϡϡϡδ
φψδ	ϡϡϡϡϡϡϡζ
φψζ	ϡϡϡϡϡϡϡθ
φψθ	ϡϡϡϡϡϡϡκ
φω	ϡϡϡϡϡϡϡλ
φωβ	ϡϡϡϡϡϡϡμ
φωδ	ϡϡϡϡϡϡϡν
φωζ	ϡϡϡϡϡϡϡξ
φωθ	ϡϡϡϡϡϡϡο
φϡ	ϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡς
φϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡχ
φϡμ	ϡϡϡϡϡϡϡψ
φϡν	ϡϡϡϡϡϡϡω
φϡξ	ϡϡϡϡϡϡϡϡ
φϡο	ϡϡϡϡϡϡϡϡβ
φϡπ	ϡϡϡϡϡϡϡϡδ
φϡρ	ϡϡϡϡϡϡϡϡζ
φϡς	ϡϡϡϡϡϡϡϡθ
φϡσ	ϡϡϡϡϡϡϡϡκ
φϡτ	ϡϡϡϡϡϡϡϡλ
φϡφ	ϡϡϡϡϡϡϡϡμ
φϡχ	ϡϡϡϡϡϡϡϡν
φϡψ	ϡϡϡϡϡϡϡϡξ
φϡω	ϡϡϡϡϡϡϡϡο
φϡϡ	ϡϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡϡς
φϡϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡϡχ
φϡϡμ	ϡϡϡϡϡϡϡϡψ
φϡϡν	ϡϡϡϡϡϡϡϡω
φϡϡξ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡ
φϡϡο	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ
φϡϡπ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ
φϡϡρ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ
φϡϡς	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ
φϡϡσ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ
φϡϡτ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ
φϡϡφ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡμ
φϡϡχ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡν
φϡϡψ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡξ
φϡϡω	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡο
φϡϡϡ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡϡϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡϡϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡς
φϡϡϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡϡϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡϡϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡϡϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡχ
φϡϡϡμ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡψ
φϡϡϡν	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡω
φϡϡϡξ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡ
φϡϡϡο	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ
φϡϡϡπ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ
φϡϡϡρ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ
φϡϡϡς	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ
φϡϡϡσ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ
φϡϡϡτ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ
φϡϡϡφ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡμ
φϡϡϡχ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡν
φϡϡϡψ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡξ
φϡϡϡω	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡο
φϡϡϡϡ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡϡϡϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡϡϡϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡς
φϡϡϡϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡϡϡϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡϡϡϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡϡϡϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡχ
φϡϡϡϡμ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡψ
φϡϡϡϡν	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡω
φϡϡϡϡξ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡ
φϡϡϡϡο	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ
φϡϡϡϡπ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ
φϡϡϡϡρ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ
φϡϡϡϡς	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ
φϡϡϡϡσ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ
φϡϡϡϡτ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ
φϡϡϡϡφ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡμ
φϡϡϡϡχ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡν
φϡϡϡϡψ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡξ
φϡϡϡϡω	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡο
φϡϡϡϡϡ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡϡϡϡϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡϡϡϡϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡς
φϡϡϡϡϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡϡϡϡϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡϡϡϡϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡϡϡϡϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡχ
φϡϡϡϡϡμ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡψ
φϡϡϡϡϡν	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡω
φϡϡϡϡϡξ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡ
φϡϡϡϡϡο	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ
φϡϡϡϡϡπ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ
φϡϡϡϡϡρ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ
φϡϡϡϡϡς	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ
φϡϡϡϡϡσ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ
φϡϡϡϡϡτ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ
φϡϡϡϡϡφ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡμ
φϡϡϡϡϡχ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡν
φϡϡϡϡϡψ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡξ
φϡϡϡϡϡω	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡο
φϡϡϡϡϡϡ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡϡϡϡϡϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡϡϡϡϡϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡς
φϡϡϡϡϡϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡϡϡϡϡϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡϡϡϡϡϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡϡϡϡϡϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡχ
φϡϡϡϡϡϡμ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡψ
φϡϡϡϡϡϡν	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡω
φϡϡϡϡϡϡξ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡ
φϡϡϡϡϡϡο	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ
φϡϡϡϡϡϡπ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ
φϡϡϡϡϡϡρ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ
φϡϡϡϡϡϡς	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ
φϡϡϡϡϡϡσ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ
φϡϡϡϡϡϡτ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ
φϡϡϡϡϡϡφ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡμ
φϡϡϡϡϡϡχ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡν
φϡϡϡϡϡϡψ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡξ
φϡϡϡϡϡϡω	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡο
φϡϡϡϡϡϡϡ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡϡϡϡϡϡϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡϡϡϡϡϡϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡς
φϡϡϡϡϡϡϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡϡϡϡϡϡϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡϡϡϡϡϡϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡϡϡϡϡϡϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡχ
φϡϡϡϡϡϡϡμ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡψ
φϡϡϡϡϡϡϡν	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡω
φϡϡϡϡϡϡϡξ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡ
φϡϡϡϡϡϡϡο	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ
φϡϡϡϡϡϡϡπ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ
φϡϡϡϡϡϡϡρ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ
φϡϡϡϡϡϡϡς	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ
φϡϡϡϡϡϡϡσ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ
φϡϡϡϡϡϡϡτ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ
φϡϡϡϡϡϡϡφ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡμ
φϡϡϡϡϡϡϡχ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡν
φϡϡϡϡϡϡϡψ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡξ
φϡϡϡϡϡϡϡω	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡο
φϡϡϡϡϡϡϡϡ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡϡϡϡϡϡϡϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡϡϡϡϡϡϡϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡς
φϡϡϡϡϡϡϡϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡϡϡϡϡϡϡϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡϡϡϡϡϡϡϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡϡϡϡϡϡϡϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡχ
φϡϡϡϡϡϡϡϡμ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡψ
φϡϡϡϡϡϡϡϡν	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡω
φϡϡϡϡϡϡϡϡξ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡ
φϡϡϡϡϡϡϡϡο	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ
φϡϡϡϡϡϡϡϡπ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ
φϡϡϡϡϡϡϡϡρ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ
φϡϡϡϡϡϡϡϡς	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ
φϡϡϡϡϡϡϡϡσ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ
φϡϡϡϡϡϡϡϡτ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ
φϡϡϡϡϡϡϡϡφ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡμ
φϡϡϡϡϡϡϡϡχ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡν
φϡϡϡϡϡϡϡϡψ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡξ
φϡϡϡϡϡϡϡϡω	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡο
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡς
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡχ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡμ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡψ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡν	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡω
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡξ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡο	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡπ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡρ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡς	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡσ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡτ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡφ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡμ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡχ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡν
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡψ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡξ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡω	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡο
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡπ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡβ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡρ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡδ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡς
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡζ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡσ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡθ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡτ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡκ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡφ
φϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡλ	ϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡϡχ
ιά α *Ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν, ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἰσχυρότερός μου ἐστίν. οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι, αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ πυρί. ιβ ε *οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ, καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ, εἰς τὴν ἀποθήκην, τὸ δὲ ἄχυρον, κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ. ιγ α *Τότε παραγίνεται ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην πρὸς τὸν Ἰωάννην, τοῦ βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ, ὁ δὲ Ἰωάννης διεκώλυεν αὐτὸν, λέγων. ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με; ιδ α Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπε πρὸς αὐτὸν, ἄφες ἄρτι. οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν ἡμῖν, πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην. *τότε ἀφίησιν αὐτὸν. καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς, ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος. καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, καὶ εἶδεν τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν. ιε β καὶ ἰδοὺ φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν λέγουσα. οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

*Τότε ὁ Ἰησοῦς ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου, καὶ νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα, καὶ νύκτας τεσσαράκοντα, ὕστερον ἐπείνασεν. ιδ ε *καὶ προσελθὼν αὐτῷ ὁ πειράζων, εἶπεν. Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, εἰπὲ, ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν. γέγραπται. οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος θεοῦ. *Τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, καὶ λέγει αὐτῷ. εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, βάλε σεαυτὸν κάτω. γέγραπται γάρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου. ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, πάλιν γέγραπται. οὐκ ἐκπειράσεις

radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, excidítur, & in ignem mittitur. Ego quidem baptizo uos aqua ad pœnitentiam. At ille qui post me uenturus est, fortior me est: cuius non sum idoneus ut calciamenta portem. Ipse uos baptizabit spiritu sancto, & igni: cuius uentilabrum in manu ipsius, & repurgabit aream suam & congregabit triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Tunc accedit Iesus à Galilæa ad Iordanem, ad Ioannem, ut baptizaretur ab illo. At Iohannes prohibebat illum, dicens: Mihi opus est ut abs te baptizer, & tu uenis ad me? Respõdens autem Iesus dixit ad illum: Omitte nunc. Sic enim decet nos, ut compleamus omnem iustitiam. Tunc omittit illum. Et baptizatus Iesus, ascendit protinus ab aqua, & ecce aperti sunt illi cœli & uidit spíritum dei descendentem tanquã columbam, & uenientem super ipsum. Et ecce uox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.

Tunc Iesus subductus fuit in desertum à spíritu, ut tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset dies quadraginta, ac noctes quadraginta, tandem esurijt. Et cum accessisset ad eum ille qui tentat, dixit: Si filius es dei, iube ut lapides hi panes fiant. At ille respondens dixit: Scriptum est: Non solo pane uicturus est homo, sed omni uerbo quod egreditur per os dei. Tunc assumit illum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, dicítq; illi: Si filius es dei, præcipita te deorsum. Nam scriptum est: Angelis suis mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum. Dixit illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis

radicem arborũ posita est. Omnis ergo arbor quæ nõ facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Ego quidem baptizo uos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me uenturus est, fortior me est: cuius non sum dignus calciamenta portare, ipse uos baptizabit in spiritu sancto & igni. Cuius uentilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili. Tunc uenit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo. Iohannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari: & tu uenis ad me. Respondens autem Iesus dixit ei: Sine modo: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli: & uidit spíritum dei descendentem sicut columbam, & uenientem super se. Et ecce uox de cœlo, dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.

IIII. Tunc Iesus ductus est in desertum a spíritu ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respõdens dixit: Scriptum est: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore dei. Tunc assumpsit eũ diabolus in sanctam ciuitatem: & statuit eum super pinnaculum tẽpli, & dixit ei: Si filius dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: quia angelis suis mandauit de te: & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuũ. Ait illi Iesus rursum: Scriptum est: Nõ tentabis

παράσεις κύριον τὸν θεόν σου. πάλιν παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν, καὶ δείκνυσιν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν, καὶ λέγει αὐτῷ. ταῦτά σοι πάντα δώσω, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι. τότε λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὕπαγε σατανᾶ. γέγραπται γάρ. κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.
τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος. καὶ ἰδοὺ ἄγγελοι προσῆλθον, καὶ διηκόνουν αὐτῷ. * Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη, ἀνεχώρησεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, * καὶ καταλιπὼν τὴν Ναζαρὲθ, ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς Καπερναοὺμ τὴν παραθαλασσίαν, ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν, καὶ Νεφθαλίμ, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος.
γῆ Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλίμ, ὁδὸν θαλάσσης, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει, εἶδε φῶς μέγα, καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς.
* Ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς κηρύσσειν, καὶ λέγειν. μετανοεῖτε. ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Περιπατῶν δὲ ὁ Ἰησοῦς παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, εἶδεν δύο ἀδελφούς, σίμωνα τὸν λεγόμενον πέτρον, καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, βάλλοντας ἀμφίβληστρον εἰς τὴν θάλασσαν. ἦσαν γὰρ ἁλιεῖς. καὶ λέγει αὐτοῖς. * δεῦτε ὀπίσω μου καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων. οἱ δὲ ἀφέντες εὐθέως τὰ δίκτυα ἠκολούθησαν αὐτῷ. * καὶ προβὰς ἐκεῖθεν, εἶδεν ἄλλους δύο ἀδελφούς, Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ Ζεβεδαίου τοῦ πατρὸς αὐτῶν, καταρτίζοντας τὰ δίκτυα αὐτῶν, καὶ ἐκάλεσεν αὐτούς. οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὸ πλοῖον καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν, ἠκολούθησαν αὐτῷ.
* καὶ περιῆγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν ὁ Ἰησοῦς, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, καὶ θερα-
πεύων

tabis dominum deum tuum. Rursum assumit illum diabolus in montem excelsum ualde, & commonstrat ei omnia regna mundi, & gloriam illorum, & dicit illi: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me. Tunc dicit illi Iesus: Abi satana. Scriptum est enim: Dominum deum tuum adorabis, & illum solum coles. Tunc omittit illum Diabolus. Et ecce angeli accedebant, ac ministrabant ei. Cum audisset autem Iesus, quod Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta Nazareth, profectus habitauit in Capernaum, quæ est ciuitas maritima, in finibus Zabulon & Neptalim, ut impleretur quod dictum fuerat, per Esaiam prophetam dicentem: Terra Zabulon, & Neptalim iuxta uiam maris, ultra Iordanem, Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, & umbra mortis, uidit lucem magnam, & qui sedebant in regione & umbra mortis, lux orta est eis. Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare, & dicere: Resipiscite, instat enim regnum cœlorum. Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (Nam erant piscatores) & dicit illis: Sequamini me, & faciam uos piscatores hominum. At illi relictis ilico retibus, secuti sunt illum. Et progressus illinc, uidit alios duos fratres, Iacobum filium Zebedæi, & Iohannem fratrem eius in naui, cũ Zebedæo patre suo, sarcientes retia sua, & uocauit eos. At illi protinus relicta naui & patre suo, secuti sunt eum. Et circumibat totã Galilæam Iesus, docens in synagogis, illorum, ac prædicans Euangeliũ regni, et sanans

tabis dominum deum tuum. Iterũ assumpsit eum diabolus in montem excelsum ualde: & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade sathana. Scriptũ est enim: Dominum deum tuũ adorabis: & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce angeli accesserunt & ministrabant ei. Cum autem audisset Iesus quod Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam: & relicta ciuitate Nazareth, uenit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima in finibus Zabulon & Neptalim, ut adimpleretur quod dictũ est per Esaiam prophetam: Terra Zabulon, & terra Neptalim, uia maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnã: & sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cœlorum. Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ: uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare: Erant enim piscatores. Et ait illis: Venite post me, & faciam uos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde uidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Iohannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & uocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Et circumibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum & prædicans euangelium regni: & sanans

ΜΑΤΘΑΙΟΣ.

πνῶν πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ. καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν συρίαν. καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ, πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, ποικίλαις νόσοις καὶ βασάνοις συνεχομένους, καὶ δαιμονιζομένους, καὶ σεληνιαζομένους, καὶ παραλυτικούς, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς. καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ ἀπὸ τῆς γαλιλαίας καὶ δεκαπόλεως καὶ ἱεροσολύμων, καὶ ἰουδαίας, καὶ πέραν τοῦ ἰορδάνου. τοὺς δὲ τοὺς ὄχλους, ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος· καὶ καθίσαντος αὐτοῦ, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ, ἐδίδασκεν αὐτοὺς, λέγων.

κδ ι
κε ε
κς ε
κζ ε
κη ε
κθ ε

Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται. Μακάριοι οἱ πραεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν. Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται. Μακάριοι οἱ ἐλεήμονες, ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται. Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν θεὸν ὄψονται. Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται. Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

λ ι

Μακάριοί ἐστε, ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς καὶ διώξωσιν, καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ' ὑμῶν ψευδόμενοι, ἕνεκεν ἐμοῦ. χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε, ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς, οὕτω γὰρ ἐδίωξαν τοὺς προφήτας, τοὺς πρὸ ὑμῶν.

λα ε

Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς. ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.

λβ β

Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου. οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη, οὐδὲ καίουσι λύχνον, καὶ τιθέασιν αὐτὸν ὑπὸ τὸν μόδιον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν, καὶ λάμπει πᾶσι τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ. οὕτως λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν

ERASMVS.

nans omnem morbum, & omnem languorem in populo. Et dimanauit fama illius in totam Syriam. Et adduxerunt ad illum omnes male affectos, uarijs morbis ac torminibus contractos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, sanauitq; illos. Et secutæ sunt eum turbæ multæ, à Galilæa ac Decapoli, & Hierosolymis, & Iudæa, & à regionibus trans Iordanem sitis.

Cum uidisset autem turbas, ascendit in mõtem, & cum consedisset, accesserunt ad illum discipuli eius: & postquam aperuisset os suum, docebat illos, dicens: Beati paupes spiritu, quoniam illorum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient. Beati mites, quoniam ipsi hæreditatem accipient terræ. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniã ipsi deum uidebunt. Beati pacifici, quoniam ij filij dei uocabũtur. Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum cœlorũ. Beati estis, cum probra iecerint in uos & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Sic enim persecuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante uos. Vos estis sal terræ. Quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Nõ potest oppidum abscondi supra montem situm: neque accendunt lucernam, & ponunt illam subter modiũ, sed super candelabrũ, et lucet omnibus qui sunt in domo. Sic luceat lux uestra coram ho

VVLG. EDITIO. 7

nans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerũt ei omnes male habentes uarijs lãguoribus & tormentis comprehensos: & qui dæmonia habebant & lunaticos & paralyticos, & curauit eos. Et secutæ sunt eũ turbæ multæ de Galilæa & decapoli, & de Hierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem. Videns autem V. Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati paupes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorũ. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiũt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi deum uidebunt. Beati pacifici: quoniam filij dei uocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint & dixerint omne malum aduersum uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate: quoniã merces uestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante uos. Vos estis sal terræ: Quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilũ ualet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mũdi. Nõ potest ciuitas abscõdi supra montem posita: neq; accendunt lucernam & ponũt eam sub modio, sed super cãdelabrũ: ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux ũra co-

πρoσθεμηῦ ἀνθρώπωμ, ὅπως ἴδω-
σιμ ὑμῶμ τὰ καλὰ ἔργα, καὶ δοξά-
σωσι τὸμ πατέρα ὑμῶμ, τὸμ ἐμ τοῖς
οὐρανοῖς. * Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθομ
καταλῦσαι τὸμ νόμομ ἢ τοὺς προ-
φήτας. οὐκ ἦλθομ καταλῦσαι, ἀλλὰ
πληρῶσαι. ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖμ,
* ἕως ἂμ παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ,
ἰῶτα ἓμ, ἢ μία κεραία, οὐ μὴ παρέλ-
θῃ ἀπὸ τοῦ νόμου ἕως ἂμ πάντα γέ-
νηται. * ὃς ἐὰμ οὖμ λύσῃ μίαμ τῶμ
ἐντολῶμ τούτωμ τῶμ ἐλαχίστωμ, καὶ
διδάξῃ οὕτως τοὺς ἀνθρώπους, ἐλά-
χιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ
τῶμ οὐρανῶμ. ὃς δ' ἂμ ποιήσῃ καὶ δι-
δάξῃ, οὗτος μέγας κληθήσεται ἐν
τῇ βασιλείᾳ τῶμ οὐρανῶμ. Λέγω δὲ
ὑμῖμ, ἐὰμ μὴ περισσεύσῃ ὑμῶμ ἡ δι-
καιοσύνη, πλεῖομ τῶμ γραμματέ-
ωμ καὶ φαρισαίωμ, οὐ μὴ εἰσέλθητε
εἰς τὴμ βασιλείαμ τῶμ οὐρανῶμ. Ἠ-
κούσατε ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, οὐ
φονεύσεις, ὃς δ' ἂμ φονεύσῃ, ἔνοχος
ἔσται τῇ κρίσει. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖμ,
ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελ-
φῷ αὐτοῦ εἰκῇ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρί-
σει. ὃς δ' ἂμ εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ
ῥακά, ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ,
ὃς δ' ἂμ εἴπῃ μωρέ, ἔνοχος ἔσται εἰς
τὴμ γέενναμ τοῦ πυρός. ἐὰμ οὖμ προ-
σφέρῃς τὸ δῶρόμ σου ἐπὶ τὸ θυσια-
στήριομ, κἀκεῖ μνησθῇς, ὅτι ὁ ἀδελ-
φός σου ἔχει τί κατὰ σοῦ, ἄφες ἐκεῖ
τὸ δῶρόμ σου ἔμπροσθεμ τοῦ θυσιαστη-
ρίου, καὶ ὕπαγε πρῶτομ, διαλλάγηθι
τῷ ἀδελφῷ σου. καὶ τότε ἐλθὼμ
πρόσφερε τὸ δῶρόμ σου. * Ἴσθι εὐ-
νοῶμ τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχύ, ἕως
ὅτου εἶ μετ' αὐτοῦ ἐν τῇ ὁδῷ, μήπο-
τέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κρι-
τῇ, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑ-
πηρέτῃ, καὶ εἰς φυλακὴμ βληθήσῃ.
ἀμὴν λέγω σοι. οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖ
θεμ. ἕως ἂμ ἀποδῷς τὸμ ἔσχατομ κο-
δράντην. * Ἠκούσατε, ὅτι ἐῤῥέθη
τοῖς ἀρχαίοις, οὐ μοιχεύσεις. ἐγὼ
δὲ λέγω ὑμῖμ, ὅτι πᾶς ὁ βλέπωμ
γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐ-
τῆς, ἤδη ἐμοίχευσεμ αὐτὴμ ἐν τῇ
καρδίᾳ αὐτοῦ. Εἰ δὲ ὁ ὀφθαλμός σου
ὁ δεξιὸς σκανδαλίζῃ σε, ἔξελε αὐτὸμ
καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. συμφέρει γάρ σοι,
ἵνα

ram hominibus, ut uideãt uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrũ, qui est in cœlis. Ne existimetis, quod uenerim ad destruẽdam legẽ, aut prophetas: imò nõ ueni ut destruã, sed ut compleã. Amen quippe dico uobis, donec prætereat cœlũ & terra, iota unũ, aut unus apex non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Quisquis igitur soluerit unum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Quisquis autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorũ. Dico enim uobis: Nisi abundauerit uestra iustitia, plus quàm scribarum & pharisæorũ, nõ possitis ingredi in regnum cœlorũ. Audistis quod dictũ sit ueteribus: Non occides. Quisquis autẽ occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quod quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit iudicio, Quicunq; uero dixerit fratri suo Rhaca, obnoxius erit cõcilio. Quisquis autẽ dixerit fatue, obnoxius erit gehennæ incẽdio. Itaq; si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, q frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuũ coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum. Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, dum es in uia cum illo: ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem conijciaris. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec persolueris extremum quadrantem. Audistis quod dictum fuerit antiquis, Non committes adulterium. At ego dico uobis, quod quicũq; aspexerit uxorẽ alterius, ad cõcupiscendũ eam, iam adulteriũ cũ ea cõmisit in corde suo. Quod si oculus tuus dexter obstaculo tibi fuerit, erue illum & abijce abs te. Expedit enim tibi, ut pereat

ram hominibus, ut uideant opera uestra bona: & glorificẽt patrem uestrum qui in cœlis est. Nolite putare, quoniam ueni soluere legem aut prophetas. Nõ ueni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico uobis: donec transeat cœlum & terra, iota unum aut apex unus non præteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit unũ de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum. Dico autem uobis: quia nisi abundauerit iustitia uestra plus quam scribarum & pharisæorum nõ intrabitis in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare: & uade prius reconciliari fratri tuo: & tunc ueniens offeres munus tuum. Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es cum eo in uia: ne forte tradat te aduersarius iudici: & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi: non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico uobis: quia omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendũ eã, iam mœchatus est eã in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs te. Expedit enim tibi ut pereat

ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μελῶν σου, καὶ μὴ ὅλον τὸ σῶμά σου βληθῇ εἰς γέενναν, καὶ ἐὰν ἡ δεξιά σου χεὶρ σκανδαλίζῃ σε, ἔκκοψον αὐτὴν καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. συμφέρει γάρ σοι, ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μελῶν σου, καὶ μὴ ὅλον τὸ σῶμά σου βληθῇ εἰς γέενναν. ἐρρέθη δέ, ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, δότω αὐτῇ ἀποστάσιον. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι. καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται. πάλιν ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις, οὐκ ἐπιορκήσεις, ἀποδώσεις δὲ τῷ κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ὀμόσαι ὅλως, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ θεοῦ, μήτε ἐν τῇ γῇ, ὅτι ὑποπόδιόν ἐστι τῶν ποδῶν αὐτοῦ, μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, ὅτι πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως, μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς, ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι. ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ ναί, οὒ οὔ. τὸ δὲ περισσὸν τούτων ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν. ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη, ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ. ἀλλ' ὅς τίς σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σου σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην, καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον, καὶ ὅς τίς σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν, ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. τῷ αἰτοῦντί σε δίδου, καὶ τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι μὴ ἀποστραφῇς. ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη, ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς, ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους. ἐὰν γὰρ ἀγαπήσητε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς,

ut pereat unũ mẽbrorũ tuorũ, ac non totũ corpus tuũ conĳciat in gehennã. Et ſi dextera tua manus obſtiterit tibi, amputa eã, & proĳce abs te. Expedit eĩ tibi, ut pereat unũ mẽbrorũ tuorũ, ac nõ totum corpus tuũ conĳciatur in gehennã. Dictũ eſt aũt quicũq; repudiauerit uxorẽ ſuã, det illi libellũ diuortĳ. At ego dico uobis, quod quiſquis repudiauerit uxorẽ ſuã, niſi cauſa ſtupri, efficit ut illa ſit adultera, & quicũq; repudiatã duxerit, adulterium cõmittit. Rurſum audiſtis, quod dictum fuerit antiquis, Nõ peierabis, ſed perſolues domino ea quæ iuraueris. At ego dico uobis, ne iuretis omĩno, neq; per cœlum, quia thronus dei eſt: neq; per terrã, quia ſubſellium eſt pedum illius: neq; per Hieroſolyma, quoniã ciuitas eſt magni regis: neq; per caput tuum iurabis, propterea, quod non potes unũ pilum albũ, aut nigrũ facere. Sed erit ſermo ueſter, eſt eſt, non nõ. Porrò quod ultra hæc adiũgitur, ex malo ꝓficiſcit. Audiſtis quod dictum fuerit, Oculũ pro oculo, & dentẽ pro dente. At ego dico uobis, Ne reſiſtatis malo: ſed quiſquis impegerit alapã in dexterã tuam maxillã, obuerte illi & alteram, & ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuã tollere, permitte illi & pallium: & qui te adegerit ad miliarium unũ, abito cum illo duo. Petẽti abs te dato, & cupientem mutuum accipere, ne auerſeris. Audiſtis quod dictũ ſit: Diliges proximum tuũ, & odio habebis inimicum tuum. At ego dico uobis: Dilĭgite inimicos ueſtros, bene ꝓcemini deuouẽtibus uos: benefacite iĳs, qui uos odio proſequuntur: orate pro iĳs, qui læduntur & infectantur uos, ut ſitis filĳ patris ueſtri, qui eſt in cœlis: quia ſolem ſuum exoriri finit, ſuper malos ac bonos, & pluuiam mittit ſuper iuſtos et iniuſtos. Nã ſi dilexeritis eos, qui diligunt uos

ut pereat unũ membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizet te, abſcide eã & proĳce abs te. Expedit eĩ tibi ut pereat unũ membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum eſt autẽ: Quicunq; dimiſerit uxorẽ ſuam, det ei libellum repudĳ. Ego autẽ dico uobis: quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa: facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Iterũ audiſtis quia dictũ eſt antiquis: Nõ periurabis: reddes autem domino iuramẽta tua. Ego autem dico uobis non iurare omnino, neq; per cœlũ, quia thronus dei eſt: neq; per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius: neq; per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt magni regis. Neque per caput tuum iuraueris: quia non potes unum capillum album facere aut nigrũ. Sit autem ſermo ueſter, eſt eſt, non non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt. Audiſtis quia dictũ eſt: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico uobis, nõ reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui uult tecum in iudicio cõtendere, & tunicam tuã tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunq; te angariauerit mille paſſus, uade cum illo & alia duo. Qui petit a te, da ei: & uolenti mutuare a te, ne auertaris. Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum: et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis: diligite inimicos ueſtros: benefacite his qui oderunt uos: & orate pro perſequentibus, & calumnĭantibus uos, ut ſitis filĳ patris ueſtri qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Si enim diligitis eos qui uos diligunt,

quod

quam

τίνα μισθὸν ἔχετε; οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι τὸ αὐτὸ ποιοῦσιν; καὶ ἐὰν ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν μόνον, τί περισσὸν ποιεῖτε; οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι οὕτως ποιοῦσιν; ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὡσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐ-
μβ ρανίος, τέλειός ἐστιν. * προσέ-
1 χετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν, μὴ πρὸ προσώπου τῶν ἀνθρώπων, πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς· εἰ δὲ μήγε, μισθὸν οὐκ ἔχετε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν τῷ ἐν οὐρανοῖς. ὅταν οὖν ποιῇς ἐλεημοσύνην, μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου, ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ ποιοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις, ὅπως δοξασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. σοῦ δὲ ποιοῦντος ἐλεημοσύνην, μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου, ὅπως ᾖ σου ἡ ἐλεημοσύνη ἐν τῷ κρυπτῷ, καὶ ὁ πατήρ σου ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, αὐτὸς ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ. καὶ ὅταν προσεύχησθε, οὐκ ἔσεσθε ὡσπερ οἱ ὑποκριταί, ὅτι φιλοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν ἑστῶτες προσεύχεσθαι, ὅπως ἂν φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις. ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. σὺ δὲ ὅταν προσεύχῃ, εἴσελθε εἰς τὸ ταμεῖόν σου, καὶ κλείσας τὴν θύραν σου, προσεύξαι τῷ πατρί σου τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ, καὶ ὁ πατήρ σου ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ.
μγ * προσευχόμενοι δὲ, μὴ βαττολογήσητε, ὥσπερ οἱ ἐθνικοί. δοκοῦσι γὰρ ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται. μὴ οὖν ὁμοιωθῆτε αὐτοῖς, οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὧν χρείαν ἔχετε, πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν. Οὕτως οὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς. πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου. ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, δὸς ἡμῖν σήμερον. καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν.
* Ἐὰν γὰρ

quod præmium habetis? Nónne & publicani idē faciunt? Et si cō-
plexi fueritis fratres uestros tantum, quid eximium facitis? Nónne & publicani sic faciunt? Eritis igitur uos perfecti, quemadmodum pater uester, qui est in cœlis perfectus est. Attendite ne eleemosynam uestrā præstetis coram hominibus, quo spectemini ab illis. Alioquí præmium nō habetis apud patrem uestrū, qui est in cœlis. Itaq; cū præstas eleemosynam, ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypocritæ faciūt in conciliabulis, & in uicis, ut glorificentur ab hominibus. Amē dico uobis, habent mercedem suā. Cæterum tu cum præstabis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit tua eleemosyna in occulto: & pater tuus qui uidet in occulto, ipse reddet tibi in propatulo. Et cū oraueris, nō eris quēadmodū hypocritæ. Nam illi solent in cōciliabulis & in angulis platearū, stantes orare, quo cōspicui sint hominibus. Amē dico uobis, quod habēt mercedē suā. Tu uero cum oras, introito in cubiculum tuum: & occluso ostio tuo, ora patrē tuū, qui est in occulto, & pater tuus qui uidet in occulto, persoluet tibi in propatulo. Verū orantes, ne sitis multiloqui, sicut ethnici. Putāt enim fore, ut ob multiloquiū suū exaudiātur. Ne igitur efficiamini similes istorū. Nouit enim pater uester, quibus rebus opus sit uobis, priusquàm petatis ab illo. Ad hunc ergo modū orate uos, Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomē tuū. Veniat regnū tuū, fiat uolūtas tua, quēadmodū in cœlo, sic etiā in terra. Panē nostrū quotidianū da nobis hodie, & remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitorib⁹ nostris. Et ne inducas nos in tētationē. Sed libera nos à malo, Quia tuū est regnū, & potentia, & gloria, in secula seculorum. Amen.

Proinde,

quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantū, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo uos perfecti: sicut & pater uester cœlestis perfectus est.

Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrē uestrum qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in uicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: ut sit eleemosyna tua in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ: qui amant in synagogis & in angulis platearū itantes orare ut uideantur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt: Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater uester, quid opus sit uobis, antequam petatis eum. Sic ergo uos orabitis:

Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

VI.

Si enim

μϛ s * Ἐὰν γὰρ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ἀφήσει καὶ ὑμῖν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος. ἐὰν δὲ μὴ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν. με ι * Ὅταν δὲ νηστεύητε, μὴ γίνεσθε ὡσπερ οἱ ὑποκριταὶ σκυθρωποί. ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις νηστεύοντες. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαι σου τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπόν σου νίψαι ὅπως μὴ φανῇς τοῖς ἀνθρώποις νηστεύων, ἀλλὰ τῷ πατρί σου, τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ, καὶ ὁ πατήρ σου ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ. μζ s * Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπὶ τῆς γῆς, ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται διορύσσουσι, καὶ κλέπτουσιν. θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, ὅπου οὔτε σὴς, οὔτε βρῶσις ἀφανίζει καὶ ὅπου κλέπται οὐ διορύσσουσιν, οὐδὲ κλέπτουσιν. ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν ἐκεῖ ἔσται καὶ ἡ καρδία ὑμῶν. * ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός ἐὰν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινὸν ἔσται. ἐὰν δὲ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρὸς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου σκοτεινὸν ἔσται. εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστὶ, τὸ σκότος πόσον; * οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν. ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει, ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει. οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν μβ καὶ μαμμωνᾷ. * διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν τί φάγητε, μηδὲ τί πίητε, μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν τί ἐνδύσησθε. οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τροφῆς; καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος; ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά. οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα; καὶ περὶ ἐνδύματι τί μεριμνᾶτε; καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ

Proinde si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis pater uester cœlestis. Quod si nō remiseritis hominibus errata sua, nec pater uester remittet errata uestra. Porrò cum ieiunaueritis, ne sitis ueluti hypocritæ tetrici. Obscurant enim facies suas, quo perspicuum sit hominib⁹ ipsos ieiunare Amen dico uobis, habent mercedem suam. Tu uero cum ieiunas, unge caput tuū, & faciem tuā laua, ne conspicuū sit hominibus te ieiunare, sed patri tuo, qui est in occulto, et pater tuus qui uidet in abdito, reddet tibi in propatulo. Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur. Sed recondite uobis thesauros in cœlo, ubi neq; erugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt, neque furantur. Nam ubi fuerit thesaurus uester, illic erit & cor uestrum. Lucerna corporis est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Quod si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuū tenebrosum erit. Ergo si lumen quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quātæ? Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget: aut huic ad hærebit, & alterum negliget. Non potestis deo seruire & mammonæ. Propterea dico uobis, ne sitis solliciti uitæ uestræ, quid esuri sitis, aut bibituri: neq; corpori uestro quibus indumentis usuri. Nónne anima pluris est quàm cibus, & corpus pluris q̄ indumētum? Vertite oculos ad uolatilia cœli, quia nō serunt neq; metunt, neq; conuehunt in horrea, & pater uester cœlestis alit illa. Nónne uos longe p̄cellitis illa? Quis autē ex uobis sollicite cogitando, potest addere ad staturam suā cubitum unum? Ac de indumento quid solliciti estis? Cognoscite lilia agri

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cœlestis delicta uestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas ut pareant hominibus ieiunantes. Amē dico uobis: quia rē ceperunt mercedem suam. Tu autem cum ieiunas: unge caput tuū: & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunās: sed patri tuo qui est in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem uobis thesauros in cœlo: ubi nec erugo nec tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumē quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit & alterum contemnet. Nō potestis deo seruire & mammonæ. Ideo dico uobis: ne solliciti sitis animæ uestræ quid māduce tis: neq; corpori uestro quid induamini. Nonne anima plus est quā esca: & corpus plus quam uestimētum? Respicite uolatilia cœli quæ nō serunt neque metunt, neque congregant in horrea: & pater uester cœlestis pascit illa. Nōne uos magis pluris estis illis? Quis autem uestrum cogitās potest adijcere ad staturam suā cubitum unum? Et de uestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri

τῦ ἀγρῦ, πῶς αὐξάνει. οὐ κοπιᾷ, οὐδὲ νήθει. λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων. εἰ δὲ τὸν χόρτον τὸν ἀγρῦ σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσιν, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς ὀλιγόπιστοι; μὴ οὖν μεριμνήσητε λέγοντες. τί φάγωμεν, ἢ τί πίωμεν, ἢ τί περιβαλώμεθα. πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ. οἶδεν γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος, ὅτι χρῄζετε τούτων ἁπάντων. ζητεῖτε δὲ πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν. μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον. ἡ γὰρ αὔριον, μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς. ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς. μ * Μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε, ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε, κριθήσεσθε, καὶ ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν. Να * Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς; ἢ πῶς ἐρεῖς τῷ ἀδελφῷ σου ἄφες ἐκβαλῶ τὸ κάρφος ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ ἰδοὺ ἡ δοκὸς ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου; ὑποκριτά, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ ἀδελφοῦ σου. Νδ * Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς. Νγ * Αἰτεῖτε καὶ δοθήσεται ὑμῖν, ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε, κρούετε καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν. πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν, λαμβάνει, καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει, καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται. ἢ τίς ἐστιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃν ἐὰν αἰτήσῃ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; καὶ ἐὰν ἰχθῦν αἰτήσῃ, μὴ ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; εἰ οὖν ὑμεῖς πονηροὶ ὄντες, οἴδατε δόματα ἀγαθὰ διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς δώσει ἀγαθὰ τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν; Νε * Πάντα οὖν ὅσα ἂν θέλητε, ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς

agri, quomodo crescant. Non laborant, neq; nent. Attamen dico uobis ne Solomonem quidem in uniuersa gloria sua, sic amictum fuisse, ut unũ ex his. Quod si gramẽ agri, quod hodie cum sit, cras in clibanum mittitur, deus sic uestit, an non multo magis uobis id faciet ò parum fidentes? Ne sitis igitur solliciti, dicentes: Quid edemus, aut quid bibem⁹, aut quibus operiemur? Nam omnia ista gentes exquirunt. Nouit enim pater uester cœlestis quod opus habeatis his omnibus. Quin potius quærite primum regnum dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Ne sitis igit̃ solliciti in crastinum: nam crastinus dies curam habebit sui ipsius. Sufficit sua dici afflictio. Nolite cõdemnare, ne cõdemnemini. Quo enim iudicio iudicatis, eo iudicabitur de uobis, & qua mẽsura metimini ea metiẽtur uobis alij. Cur autẽ uides festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem aũt quæ est in oculo tuo, non animaduertis? Aut quomodo dicis fratri tuo, sine eximã festucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo? Hypocrita, eijce prius trabẽ ex oculo tuo, & tum perspicies ut eximas festucã ex oculo fratris tui. Ne detis quod sanctum est canibus: ne proiecerítis margaritas uestras ante porcos, ne quãdo hi cõculcẽt eas pedibus suis, & illi uersi in uos lacerẽt uos. Petite & dabitur uobis, quærite et inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Quisquis eñ petit accipit: & quicũq; quærit inuenit: & pulsanti aperiet̃. An quisquã est uestrũ homo, qui si filius eius petierit panẽ, lapidẽ daturus sit illi? Aut si piscẽ petierit, num serpentem porriget illi? Si uos igitur cum sitis mali nostis dona bona dare filijs uestris, quanto magis pater uester qui est in cœlis, dabit bona, si postuletis ab ipso? Omnia igit̃ quæcũq; uolueritis ut faciãt uobis homies, sic & uos

agri quomodo crescũt: Non laborant neq; nent. Dico autem uobis: quoniam nec Salomõ in omni gloria sua cooperatus est, sicut unũ ex istis. Si enim fœnũ agri quod hodie est & cras in clibanũ mittitur, deus sic uestit, quãtomagis uos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: qd mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur uobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibijpsi. Sufficit diei malicia sua. VII. Nolite iudicare & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis. Quid autem uides festucã in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non uides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater sine eijciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo: & tunc uidebis eijcere festucã de oculo fratris tui. Nolite sanctum dare canibus: neq; mittatis margaritas uestras ante porcos, ne forte cõculcent eas pedibus suis: & canes cõuersi dirumpant uos. Petite & dabitur uobis: quærite & inuenietis: pulsate & aperietur uobis. Omnis eñ qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Aut quis est ex uobis homo: quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidẽ porriget ei? Aut si piscem petierit, nũquid serpentem porriget ei? Si ergo uos cũ sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris: q̃tomagis pater uester qui in cœlis est, dabit bona petẽtibus sibi? Omnia ergo quæcunq; uultis ut faciãt uobis homines, & uos

ἡμῖν ποιεῖτε αὐτῆς. οὕτος γάρ
Νε ἐστιν ὁ νόμος ☩ οἱ προφῆται. *εἰ
ε σέλθετε διὰ τῆς στενῆς πύλης. ὅτι πλα
τεῖα ἡ πύλη ☩ εὐρύχωρος ☩ ἡ ὁδὸς
ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ἀπώλειαν, καὶ
πολλοί εἰσιν οἱ εἰσερχόμενοι δι' αὐ
τῆς. ὅτι στενὴ ἡ πύλη, καὶ τεθλιμμένη
ΝΖ ἡ ὁδὸς, ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωήν,
ι καὶ ὀλίγοι εἰσὶν οἱ εὑρίσκοντες αὐ
τήν. *προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδο
προφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑ
μᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσω
θεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες, ἀπὸ τῶν
ΝΖ καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς.
ε *μή συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν
ΝΗ σταφυλήν; ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα;
ι *οὕτω πᾶν δένδρον ἀγαθὸν, καρ
πούς καλοὺς ποιεῖ. τὸ δὲ σαπρὸν δέν
δρον, καρπούς πονηρούς ποιεῖ. οὐ
δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρπούς
πονηρούς ποιεῖν. οὐ δὲ δένδρον σα
πρὸν καρπούς καλοὺς ποιεῖν. πᾶν
δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν
ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.
ἄρά γε ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐ
ΝΘ πιγνώσεσθε αὐτούς. *οὐ πᾶς ὁ λέ
γων μοι κύριε κύριε, εἰσελεύσεται
γ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἀλλ'
ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου
τοῦ ἐν οὐρανοῖς. *πολλοί ἐροῦσί μοι
ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, κύριε κύριε, οὐ
τῷ σῷ ὀνόματι προεφητεύσαμεν;
☩ τῷ σῷ ὀνόματι δαιμόνια ἐξεβάλομεν;
καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δυνάμεις
πολλὰς ἐποιήσαμεν; καὶ τότε ὁμο
λογήσω αὐτοῖς, ὅτι οὐδέποτε ἔγνων
ὑμᾶς. ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ, οἱ ἐρ
γαζόμενοι τὴν ἀνομίαν. *πᾶς οὖν
ὃς ἂν ἀκούσῃ μου τοὺς λόγους τού
τους, καὶ ποιήσῃ αὐτούς, ὁμοιώσω αὐ
τὸν ἀνδρὶ φρονίμῳ, ὅς ἂν ᾠκοδόμη
σε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν πέτραν
☩ κατέβη ἡ βροχὴ, καὶ ἦλθον οἱ πο
ταμοὶ, ☩ ἐπνευσαν οἱ ἄνεμοι ☩ προ
σέπεσαν τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, καὶ οὐκ
ἔπεσεν. τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν
πέτραν. ☩ πᾶς ὁ ἀκούων μου τοὺς
λόγους τούτους, ☩ μὴ ποιῶν αὐ
τούς, ὁμοιωθήσεται ἀνδρὶ μωρῷ, ὅς
ἂν ᾠκοδόμησεν τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐ
πὶ τὴν ἄμμον, ☩ κατέβη ἡ βροχὴ,
καὶ ἦλθον οἱ ποταμοὶ καὶ ἐπνευσαν
οἱ ἄνε-

& uos facite illis. Hæc eſt lex & prophetæ. Introite per arctam portam: quoniam lata eſt porta, & ſpacioſa uia, quæ abducit in exitium: multiq; ſunt qui ingrediuntur per illam. Quoniam anguſta eſt porta, & ſtricta uia, quæ abducit ad uitam, & pauci ſunt qui inueniunt illam. Cauete uero uobis à pſeudoprophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtitu ouium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces. A fructibus ipſorum agnoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uuam? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit. Putris autem arbor, fructus malos facit. Non poteſt arbor bona, fructus malos facere: neque arbor putris, fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conijcitur. Igitur ex fructibus ipſorum agnoſcetis eos. Non quiſquis dicit mihi domine, domine, introibit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Multi dicent mihi in illo die: Domine, domine, nónne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus? & per nomen tuum multas uirtutes præſtitimus? Actum confitebor illis, nunquàm noui uos. Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Omnis igitur qui audit ex me ſermones hos, & facit eos, adſimilabo illum uiro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, & deſcendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non eſt proſtrata. Fundata enim fuerat ſuper petram. Et omnis qui audit à me ſermones hos, & non facit eos, adſimilabitur uiro fatuo, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, & deſcendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti

& uos facite illis. Hæc eſt enim lex & ꝓpheræ: Intrate peranguſtã portã: quia lata porta & ſpacioſa uia eſt quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt qui intrãt per eam. Quod anguſta porta & arta uia eſt quæ ducit ad uitam: & pauci ſunt qui inueniunt eam. Attendite a falſis prophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium: intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis, uuas: aut de tribulis, ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non poteſt arbor bona: malos fructus facere: neque arbor mala, fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus: & in nomíe tuo uirtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam noui uos. Diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit uerba mea hæc & facit ea, aſſimilabitur uiro ſapienti qui ædificauit domũ ſuam ſupra petram: & deſcendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti & irruerunt in domum illam, & nõ cecidit. Fundata enim erat ſupra petrã. Et omnis qui audit uerba mea hæc & non facit ea, ſimilis erit uiro ſtulto qui ædificauit domũ ſuã ſuper arenã, & deſcendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt

b uenti

οἱ ἄνεμοι καὶ προσέκοψαν τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, καὶ ἔπεσεν, καὶ ἦν ἡ πτῶσις αὐτῆς μεγάλη.* καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ιησοῦς τοὺς λόγους τούτους, ἐξεπλήσσοντο οἱ ὄχλοι ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.* καταβάντι δὲ αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ὄρους, ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, καὶ ἰδοὺ λεπρὸς ἐλθὼν, προσεκύνει αὐτῷ λέγων. κύριε ἐὰν θέλῃς δύνασαί με καθαρίσαι. καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ ὁ Ιησοῦς λέγων. θέλω, καθαρίσθητι. καὶ εὐθέως ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα. καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ιησοῦς. ὅρα μηδενὶ εἴπῃς, ἀλλὰ ὕπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε τὸ δῶρον, ὃ προσέταξε Μωσῆς, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς.* εἰσελθόντι δὲ τῷ Ιησοῦ εἰς Καπερναούμ, προσῆλθεν αὐτῷ ἑκατόνταρχος παρακαλῶν αὐτὸν καὶ λέγων. κύριε ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς, δεινῶς βασανιζόμενος. καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ιησοῦς. ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν, καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἑκατόνταρχος, ἔφη. κύριε, οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, ἵνα μου ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς, ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου. καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας, καὶ λέγω τούτῳ, πορεύθητι, καὶ πορεύεται. καὶ ἄλλῳ ἔρχου, καὶ ἔρχεται. καὶ τῷ δούλῳ μου, ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ. ἀκούσας δὲ ὁ Ιησοῦς, ἐθαύμασε, καὶ εἶπε τοῖς ἀκολουθοῦσιν. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον.

* Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.* καὶ εἶπεν ὁ Ιησοῦς τῷ ἑκατοντάρχῳ. ὕπαγε, καὶ ὡς ἐπίστευσας γενηθήτωσοι, καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ.* καὶ ἐλθὼν ὁ Ιησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν πέτρου εἶδεν τὴν πενθερὰν αὐτοῦ

uenti, & impegerunt in domum illam, & deiecta est, & fuit ruina illius magna. Et factum est, ut cum finisset Iesus sermones hos, obstupuerint turbæ super doctrina illius. Docebat enim eos uelut habens autoritatem, & non sicuti scribæ.

Cum descendisset autem de monte secutæ sunt eũ turbæ multæ: & ecce leprosus accedens, adorauit eum, dicens: Domine, si uelis, potes me mundare, protensaque manu, tetigit illum Iesus, dicens: Volo, mundus esto, ac protinus mundata fuit illius lepra. Et dicit illi Iesus: Vide, ne cui dixeris: sed abi, ostende te ipsum sacerdoti, & offer munus, quod iussit offerri Moses in testimonium ipsis. Porrò cum ingressus fuisset Iesus Capernaum, adijt eum Centurio, obsecrans eum & dicens: Domine, famulus meus decumbit domi paralyticus, ac grauiter discrutiatur. Et dicit illi Iesus: Ego cum uenero medebor illi. Et respondens Centurio, dixit: Domine, non sum idoneus, ut tectum meum subeas, imò tãtum dic uerbum, & sanabitur famulus meus. Nam & ego sum homo alterius potestati subditus, & habeo sub me milites, & dico huic, uade, & uadit: & alteri, ueni, & uenit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Hæc autem cum audisset Iesus, admiratus est, & ait sequentibus se: Amen dico uobis, ne in Israël quidem tantum fidei reperi. Dico autem uobis, quod multi ab oriente & occidente uenient: & recumbent cum Abraham & Isaac, & Iacob, in regno cœlorum: filij uero regni eijcientur in tenebras extremas, illic erit ploratus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Abi, & quemadmodum credis, ita fiat tibi. Et sanatus est famulus eius in hora illa. Et cum uenisset Iesus in domum Petri, uidit socrum illius

uenti, & irruerunt in domum illam & cecidit: & fuit ruina eius magna. Et factum est cum consummasset Iesus uerba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ & pharisæi.

Cum autem descendisset Iesus de monte secutæ sunt eũ turbæ multæ: & ecce leprosus ueniens adorabat eum, dicens: Domine si uis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum tetigit eum, dicẽs: Volo mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris: sed uade ostende te sacerdoti, & offer munus tuũ quod præcepit Moyses in testimoniũ illis. Cum autem introisset Capharnaum accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego ueniam & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectũ meum: sed tantum dic uerbo & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic uade, & uadit: & alio ueni, & uenit: & seruo meo fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se, dixit: Amen dico uobis: non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem uobis quod multi ab oriente & occidente uenient: & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade: & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora. Et cum uenisset Iesus in domum Petri, uidit socrum

VIII.

eius

didit ut crucifigeretur. tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio, congregauerũt ad eum uniuersam cohortem. Et cum exuissent eũ, circundederunt ei chlamydem coccinam, et coronã de spinis contextam imposuerũt super caput eius, & harundinem in dexteram eius, et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorũ. Et cum expuissent in eum, acceperunt harundinem & percutiebãt caput eius. Et postquam illusissent ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum uestimentis suis, & abduxerũt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæũ, nomine Simonem: hunc adegerunt, ut tolleret crucẽ eius. Et uenerunt in locum, qui dicitur golgotha, quod est caluariæ locus. Et dederunt ei acetum bibere cũ felle mixtũ: & cum gustasset, noluit bibere. Postquã autem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes: ut implerẽtur quod dictũ est per prophetam: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestimentũ meum miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum ibi. Et imposuerant sup caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus rex Iudæorũ. Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones, unus à dextris, & alter à sinistris. Prætereuntes autem conuitia iaciebant in eum, mouentes capita sua, & dicentes: Tu ille qui destruebas templum, & in triduo ædificabas: serua temetipsum. Si filius dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum, illudentes cum scribis & senioribus, dicebant: Alios seruauit, seipsum non potest seruare. Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in deo, liberet eum nũc si uult eum. Dixit enim, filius dei sum. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.

dit eis ut crucifigeretur: tũc milites præsidis suscipiẽtes Iesum in prætorio, congregauerunt ad eum uniuersam cohortẽ: & exuẽtes eũ, chlamydẽ coccineã circũderũt ei. Et plectẽtes coronã de spinis, deposuerũt super caput eius: & harundinẽ in dextera eius: & genuflexo ante eũ, illudebãt ei, dicẽtes: Aue rex Iudæorũ. Et expuẽtes in eum, acceperũt harundinẽ & percutiebant caput eius. Et postquã illuserũt ei, exuerũt eũ chlamydẽ & induerũt eũ uestimẽtis eius & duxerũt eũ ut crucifigerẽt. Exeuntes aũt inuenerũt hominẽ Cyreneũ nomine Simonem: hũc angariauerũt ut tolleret crucẽ eius. Et uenerunt in locũ qui dicitur: Golgatha: quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei uinum bibere cũ felle mixtũ. Et cũ gustasset, noluit bibere. Postquã autẽ crucifixerunt eum, diuiserũt uestimẽta eius, sortẽ mittentes: ut impleretur quod dictũ est per prophetam, dicẽtem: Diuiserunt sibi uestimenta mea: & super uestem meam miserũt sortem. Et sedentes seruabant eum. Et imposuerũt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus rex Iudæorũ. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, & unus a sinistris. Prætereũtes autem blasphemabant eum, mouẽtes capita sua, & dicẽtes: Vah qui destruis templum dei, & in triduo illud reædificas: Salua temetipsum: si filius dei es, descẽde de cruce. Similiter, & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus, dicebãt: Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluum facere: Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Cõfidit in deo: liberet eũ nunc si uult. Dixit enim quia filius dei sum. Idipsum autẽ & latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.

τόμ. * Ἀπὸ δὲ ἕκτης ὥρας σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν ἕως ὥρας ἐνάτης. * περὶ δὲ τὴν ἐνάτην ὥραν ἀνεβόησεν ὁ Ἰησοῦς φωνῇ μεγάλῃ, λέγων. Ηλει ἤλει, λαμᾶ ζαβαχθανί. τοῦτ' ἔστιν, θεέ μου, θεέ μου, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες; τινὲς δὲ τῶν ἐκεῖ ἑστώτων ἀκούσαντες, ἔλεγον, ὅτι Ἠλίαν φωνεῖ οὗτος. * καὶ εὐθέως δραμὼν εἷς ἐξ αὐτῶν, καὶ λαβὼν σπόγγον, πλήσας τε ὄξους, καὶ περιθεὶς καλάμῳ ἐπότιζεν αὐτόν. οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον ἄφες, ἴδωμεν εἰ ἔρχεται Ἠλίας σώσων αὐτόν. * Ο δὲ Ἰησοῦς πάλιν κράξας φωνῇ μεγάλῃ, ἀφῆκε τὸ πνεῦμα * καὶ ἰδοὺ τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο, ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω * καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη, καὶ αἱ πέτραι ἐσχίσθησαν, καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν, καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη, καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ, εἰσῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς. * Ο δὲ ἑκατόνταρχος καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ τηροῦντες τὸν Ἰησοῦν, ἰδόντες τὸν σεισμὸν καὶ τὰ γενόμενα, ἐφοβήθησαν σφόδρα, λέγοντες. ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος, * Ησαν δὲ ἐκεῖ γυναῖκες πολλαὶ, ἀπὸ μακρόθεν θεωροῦσαι, αἵτινες ἠκολούθησαν τῷ Ἰησοῦ ἀπὸ τῆς γαλιλαίας, διακονοῦσαι αὐτῷ, ἐν αἷς ἦν μαρία ἡ μαγδαληνὴ καὶ μαρία ἡ τοῦ ἰακώβου καὶ ἰωσὴ μήτηρ, καὶ ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν ζεβεδαίου. * Οψίας δὲ γενομένης, ἦλθεν ἄνθρωπος πλούσιος ἀπὸ ἀριμαθαίας, τὸ ὄνομα ἰωσήφ, ὃς καὶ αὐτὸς ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ. οὗτος προσελθὼν τῷ πιλάτῳ ἠτήσατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. τότε ὁ πιλᾶτος ἐκέλευσε ἀποδοθῆναι τὸ σῶμα. * καὶ λαβὼν τὸ σῶμα ὁ ἰωσὴφ ἐνετύλιξεν αὐτὸ σινδόνι καθαρᾷ, καὶ ἔθηκεν αὐτὸ ἐν τῷ καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ, ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ, καὶ προσκυλίσας λίθον μέγαν τῇ θύρᾳ τοῦ μνημείου, ἀπῆλθεν. Ην δὲ ἐκεῖ μαρία ἡ μαγδαληνὴ καὶ ἄλλη μαρία, καθήμεναι ἀπέναντι τοῦ τάφου. * Τῇ δὲ ἐπαύριον ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευήν, συνήχθησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι πρὸς πιλᾶτον, λέγοντες. κύριε, ἐμνήθημεν

ERASMVS.

A sexta autē hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usq; ad horam nonam, & circa horā nonam clamauit Iesus uoce magna, dicēs: Eli eli lama sabachthani: Hoc est, Deus meus, deus meus, cur deseruisti me? Quidā autem illic stantium, cum audissent dicebant, Heliā uocat iste. Et continuo currens unus ex eis, cū acceptam spongiā implesset aceto, imposuit harundini, dabatq; ei ut biberet. Cæteri uero dicebāt: sine, uideamus an ueniat Helias liberaturus eum. Iesus autē cum iterū clamasset uoce magna, emisit spiritum. Et ecce uelum templi scissum est in duas partes à summo usq; ad imum. & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta apta sunt, & multa corpora sanctorū, qui dormierant, surrexerūt & egressi è monumentis post resurrectionē eius, uenerunt in sanctam ciuitatē, & apparuerūt multis. Centurio uero & qui cum eo erāt custodientes Iesum, uiso terræ motu, & his quæ facta fuerant timuerūt ualde, dicētes: Vere filiꝰ dei erat iste. Erāt aūt ibi mulieres multæ, è lōginquo spectātes, quæ secutæ fuerāt Iesum à Galilæa, ministrātes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſe mater, & mater filiorū Zebedæi. Cū aūt sero factū esset, uenit quidā homo diues ab Arimathæa nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu, hic accessit ad Pilatū, ac postulauit corpus Iesu. Tūc Pilatus iussit reddi corpus. Et cum accepisset corpus Ioseph, inuoluit illud sindone mūda: posuitq; illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra: & aduoluto saxo ingenti ad ostiū monumenti, abijt. Erat autē ibi Maria magdalene & altera Maria, sedentes contra sepulchrū. Postero aūt die quæ sequitur parasceuen, conuenerūt principes sacerdotum & pharisæi ad Pilatū, dicentes: Domine,

VVLG. EDITIO.

A sexta autē hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terrā usq; ad horā nonā. Et circa horam nonam clamauit Iesus uoce magna, dicens: Eli eli lamma azabthani: Hoc est, Deus meus, deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidā autē illic stantes & audiētes, dicebāt: Heliam uocat iste. Et continuo currēs unus ex eis ac ceptā spongiā impleuit aceto: & imposuit harundini & dabat ei bibere. Cæteri uero dicebāt: Sine, uideamus an ueniat Helias liberās eū. Iesus aūt iterū clamans uoce magna, emisit spiritū. Et ecce uelū tēpli scissum est in duas partes, a summo usq; deorsum. Et terra mota est: & petræ scissæ sunt: & monumēta aperta sunt: & multa corpora sanctorū qui dormierāt, surrexerūt. Et exeūtes de monumentis post resurrectionē eius uenerūt in sanctā ciuitatē: & apparuerunt multis. Cēturio aūt & qui cū eo erāt custodiētes Iesum, uiso terræmotu & his quæ fiebāt, timuerūt ualde, dicētes: Vere filius dei erat iste. Erant aūt ibi mulieres multæ a lōge quæ secutæ erant Iesum a Galilæa ministrātes ei: iter quas erat Maria Magdalene & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorū Zebedæi. Cū aūt sero factū esset, uenit quidā homo diues ab Arimathia nomine Ioseph: qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatū, & petijt corpus Iesu. Tūc Pilatus iussit reddi corpꝰ. Et accepto corpore Ioseph inuoluit illud in sindone mūda: & posuit illud in monumēto suo nouo: quod exciderat in petra: & aduoluit saxum magnū ad ostiū monumēti, & abijt. Erāt aūt ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes cōtra sepulchrū. Altera aūt die quæ est post parasceuen, conuenerūt principes sacerdotū & pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine,

ρίε, ἐμνήσθημεν, ὅτι ἐκεῖνος ὁ πλάνος εἶπεν ἔτι ζῶν, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι, κέλευσον οὖν ἀσφαλισθῆναι τὸν τάφον ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας, μήποτε ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κλέψωσιν αὐτόν, καὶ εἴπωσιν τῷ λαῷ, ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, καὶ ἔσται ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης. ἔφη αὐτοῖς ὁ πιλᾶτος. ἔχετε κουστωδίαν, ὑπάγετε, ἀσφαλίσασθε ὡς οἴδατε. οἱ δὲ πορευθέντες, ἠσφαλίσαντο τὸν τάφον, σφραγίσαντες τὸν λίθον, μετὰ τῆς κουστωδίας.

τῇ β α

* ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ, εἰς μίαν σαββάτων, ἦλθεν Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ ἡ ἄλλη Μαρία, θεωρῆσαι τὸν τάφον. καὶ ἰδοὺ σεισμὸς ἐγένετο μέγας. ἄγγελος γὰρ κυρίου καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ, προσελθὼν ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας, καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ. ἦν δὲ ἡ ἰδέα αὐτοῦ ὡς ἀστραπὴ, καὶ τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ λευκὸν ὡσεὶ χιών. ἀπὸ δὲ τοῦ φόβου αὐτοῦ ἐσείσθησαν οἱ τηροῦντες, καὶ ἐγένοντο ὡσεὶ νεκροί. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἄγγελος, εἶπεν ταῖς γυναιξί. μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς, οἶδα γὰρ ὅτι Ἰησοῦν, τὸν ἐσταυρωμένον ζητεῖτε, οὐκ ἔστιν ὧδε. ἠγέρθη γὰρ καθὼς εἶπεν. δεῦτε ἴδετε τὸν τόπον ὅπου ἔκειτο ὁ κύριος. καὶ ταχὺ πορευθεῖσαι εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, καὶ ἰδοὺ προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν γαλιλαίαν, ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε, ἰδοὺ εἶπον ὑμῖν. καὶ ἐξελθοῦσαι ταχὺ ἀπὸ τοῦ μνημείου μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς μεγάλης, ἔδραμον ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ ἰδοὺ Ἰησοῦς ἀπήντησεν αὐταῖς, λέγων. χαίρετε. αἱ δὲ προσελθοῦσαι, ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ. τότε λέγει αὐταῖς ὁ Ἰησοῦς. μὴ φοβεῖσθε. ὑπάγετε, ἀπαγγείλατε τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἵνα ἀπέλθωσιν εἰς τὴν γαλιλαίαν. κἀκεῖ με ὄψονται. πορευομένων δὲ αὐτῶν, ἰδού τινες τῆς κουστωδίας ἐλθόντες εἰς τὴν πόλιν, ἀπήγγειλαν τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἅπαντα τὰ γενόμενα. καὶ συναχθέντες μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, συμβούλιόν τε λαβόντες, ἀργύρια ἱκανὰ

minè, recordati ſumus, quod impoſtor ille dixit adhuc uiuēs: poſt tres dies reſurgo, iube ergo muniri ſepulchrum uſq; in diem tertium, ne quando ueniant diſcipuli eius, & furētur eum, dicántque plebi, ſurrexit à mortuis: & erit nouiſſimus error peior illo priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam: Ite, munite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, obſignato lapide, adhibitis cuſtodibus.

Veſpera autem ſabbatorum, quæ luceſcit in unā ſabbatorum, uenit Maria Magdalene, & altera Maria, ut uiderent ſepulchrū. Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim domini deſcendit de cœlo: & accedens, deuoluit lapidē ab oſtio, ſedebatq; ſuper eū. Erat autē aſpectus eius ſicut fulgur, & ueſtimentum eius candidū ſicut nix. Præ timore autem eius cōcuſſi ſunt cuſtodes, & facti ſunt uelut mortui. Reſpondens autē angelus, dixit mulieribus: Nolite timere uos: ſcio enim quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis: nō eſt hic, ſurrexit enim ſicut dixit. Venite, uidete locum ubi poſitus erat dominus. Et cito euntes dicite diſcipulis eius, quod ſurrexit à mortuis: & ecce præcedit uos in Galilæā, ibi eum uidebitis, ecce dixi uobis. Et digreſſæ celeriter à monumēto cum timore & gaudio magno, currebāt ut renunciarent diſcipulis eius. Cum autem iſſent ad renunciandū diſcipulis eius, & ecce Ieſus occurrit illis, dicēs: Auete. Illæ autē acceſſerunt & tenuerūt pedes eius, & adorauerunt eum. Tūc ait illis Ieſus: Nolite timere: Ite renūciate fratribus meis, ut eant in Galilæā, & ibi me uidebūt. Quæ cum abiſſent, ecce quidam è cuſtodibus uenerunt in ciuitatem, ac renunciauerunt principibus ſacerdotū oīa quæ acciderant: & cōgregati cum ſenioribus, conſilio habito, pecuniam co

mine, recordati ſumᵒ, quia ſeductor ille dixit adhuc uiuens: poſt tres dies reſurgā: Iube ergo cuſtodiri ſepulchrū uſq; in diem tertiū: ne forte ueniant diſcipuli eius & furētur eum: & dicāt plebi, ſurrexit a mortuis: & erit nouiſſimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam: Ite cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierūt ſepulchrum ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

Veſpere autem ſabbati quæ luceſcit in prima ſabbati, uenit Maria Magdalene & altera Maria uidere ſepulchrum. Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim domini deſcendit de cœlo: & accedens, reuoluit lapidem: & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur: & ueſtimenta eius ſicut nix. Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes: & facti ſunt uelut mortui. Reſpondens autē angelus dixit mulieribus. Nolite timere uos. Scio enim quod Ieſum qui crucifixus eſt quæritis: Nō eſt hic: ſurrexit enim ſicut dixit: Venite & uidete locum ubi poſitus erat dominus. Et cito euntes dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit: & ecce præcedet uos in Galila am: Ibi eum uidebitis: ecce prædixi uobis. Et exierunt cito de monumento cū timore & gaudio magno currentes nunciare diſcipulis eius. Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes eius: & adorauerūt eum. Tunc ait illis Ieſus: Nolite timere: Ite nunciate fratribus meis ut eant in Galilæam: ibi me uidebunt. Quæ cum abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus uenerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et cōgregati cum ſenioribus, conſilio accepto pecuniam

XXVIII.

ρια ἱκανὰ ἔδωκαν τοῖς στρατιώταις, λέγοντες. Εἴπατε ὅτι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς ἐλθόντες, ἔκλεψαν αὐτὸν ἡμῶν κοιμωμένων. Καὶ ἐὰν ἀκουσθῇ τοῦτο ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος, ἡμεῖς πείσομεν αὐτὸν, καὶ ὑμᾶς ἀμερίμνους ποιήσομεν. Οἱ δὲ λαβόντες τὰ ἀργύρια, ἐποίησαν ὡς ἐδιδάχθησαν. καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ Ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον. Οἱ δὲ ἕνδεκα μαθηταὶ ἐπορεύθησαν εἰς τὴν γαλιλαίαν, εἰς τὸ ὄρος οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. καὶ ἰδόντες αὐτὸν προσεκύνησαν αὐτῷ, οἱ δὲ ἐδίσασαν. καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐλάλησεν αὐτοῖς λέγων. Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.

niam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quod discipuli eius nocte uenerint, & furati sint eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit sub præside, nos persuadebimus ei, & securos uos faciemus. At illi accepta pecunia fecerūt sicut erāt edocti. Et diuulgatus est hic sermo apud Iudæos usque in hodiernum diem. Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Iesus. Et cum uidissent illum, adorauerūt eum: quidam autem dubitauerunt. Et accedēs Iesus, locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

copiosam dederunt militibus dicētes: Dicite quia discipuli eius nocte uenerunt & furati sunt eū nobis dormientibus. Et si hoc auditū fuerit a præside nos suadebimus ei: & securos uos faciemus. At illi accepta pecunia fecerūt sicut erāt edocti. Et diuulgatū est uerbū istud apud Iudæos usq; in hodiernū diē. Vndecim autem discipuli abierūt in Galilæam in mōtem ubi constituerat illis Iesus. Et uidētes eum adorauerūt: quidā autem dubitauerūt. Et accedens Iesus, locutus est eis dicēs: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizātes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.

ΤΕΛΟΣ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΥ.

EVANGELII SECVNDVM MATTHAEVM FINIS.

FINIS.

Μαρκ μαθητ̃ς κ̀ ἑρμηνευτ̀ς πέτρ, καθὼς τ πέτρ διηγεμόν ἀκήκοε, πρακληθεὶς ὑπ τ ῥώμ πρὸ τ̃ν ἀδελφ̃ν, βραχὺ σν ἔταξεν εὐαγγέλιον. ὃπ ὑπ χ̀ν πέτρος ἐδοκίμασε, κ̀ τ̃ ἐκκλησί ἀναγνωσθ̀ν μυον αὐθεντίας διέδωκε, καὶ τὰ συνεγράψατ κλ́μης ὑπ τ̃ ἕκτ τ̃ν ὑποτυπώσεων λόγ. καὶ πανταχ̃ ἱεραπολίτης ἐπίσκοπ μέμνητ τότ τ μάρκ. κ̀ πέτρ ὑπ τ̃ πρώτ ἐπιστολ̃, ἐπὶ ὀνόματι Βαβυλ̃νι, εἰκονικ̃ς ῥώμην σημαίνων. Ἀσπάζετ ὑμ̃ς φησὶν ἡ ὑπ Βαβυλ̃νι συν̃ τ̃ ἐκλεκτ̃, καὶ μάρκος ὁ ἐμὸς υἱός. πρὸς ἃ καὶ τὸ εὐαγγέλιον ὅπ αὐτὸς συνέταξε, καταλαμβάνει τὴν Αἴγυπτ, καὶ πρ̃τ ὑπ Ἀλεξανδρείᾳ Ἰησ̃ν χριστὸν κηρύττων, κατεσήσατο ἐκκλησίαν. Τοσαύτ πανδυνσ κ̀ βί καρτερίας διέπρεψεν, ὥστε πάντας τοὺς ἀκολουθ̃ντας τ̃ χριστ̃ ἐπεδ τ̃ τότ διαγωγ̃. Οθεν κ̀ φίλων ὁ τ̃ν ἰουδαίων ἐλλογιμώτατος, ὁρ̃ν ὑπ Ἀλεξανδρείᾳ πρώτην ἐκκλησίαν ἐξ ἰουδαΐσασαν, ὡσανεὶ εἰς ἔπαινον τ οἰκεί ἔθνους, βίβλον περὶ τ τόπ διαγωγ̃ς συνεγράψατο. καὶ ὥσπερ λουκ̃ς δ̃ηγήσατο τοὺς ὑπ ἱεροσολύμοις πιστεύσαντας πάντα ἐκκλησίαν κοινὰ, οὕτως κἀκε̃ν ὅπερ ὑπ Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ μάρκ τ διδασκάλ ἐώρα γινόμενον, τ̃ μνήμ παρέδωκε. πελευτήσας δὲ τ̃ ὀγδόῳ τοῦ νέρων ἔτ, ἀπετέθη ὑπ Ἀλεξανδρείᾳ, διαδεξαμένου αὐτὸν Ἀνανί.

ΥΠΟΘΕΣΙΣ ΕΙΣ ΤΟ ΚΑΤΑ ΜΑΡΚΟΝ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΤΟΥ ΘΕΟΦΥΛΑΚΤΟΥ ΩΣ ΔΟΚΕΙ.

Ὁ κ̀ μάρκος εὐαγγέλιον μετὰ δέκα ἔτη τ̃ς χριστ̃ ἀναλήψεως συνεγράφη ὑπ ῥώμης. ἦν μὲν γὰρ οὗτος ὁ μάρκος πέτρ μαθητ̀ς, ὃν ἰδίον αὐτ̃ ὁ πέτρ ὀνομάζει πανθυμαδικὸν πάντως. ἐκαλ̃το δὲ κ̀ ἰωάννης. ἀνεψιὸς δὲ βαρνάβα. ἀλλὰ κ̀ παῦλ συνέκδημ. τέως μὲν τοι πέτρῳ συνῆν τὰ πλε̃στα, κ̀ ὑπ ῥώμης συνῆν. ἠτήσαντο οὖν αὐτὸν οἱ ὑπ ῥώμην πιστοὶ, μὴ μόνον ἀγράφως κηρύσσειν, ἀλλὰ κ̀ ἐγγράφως ἐκθέσθ πρὸς κ̀ χριστὸν πρᾶγμα πείρᾳ. μόλις οὖν πεισθεὶς συνεγράψατο. τῷ δὲ πέτρῳ ἀπεκαλύφθη πρὰ θεοῦ, ὅτι μάρκ συνέγραψεν εὐαγγέλιον. ἰδὼν οὖν κ̀ ἐπιβεβαιώσας ὡς ἀληθὲς, εἶτα μὴ ἐπισκοπὴν αὐτὸν ἀπέστειλεν εἰς Αἴγυπτ. ἔνθα δ̀ κ̀ κηρύξας ὑπ Ἀλεξανδρείᾳ τε ἐκκλησίαν συνεκάμενσ, πολὺς πλὸς τοῦ μεσημβρινῶ κλίματι πάντας ἐφώτισεν. Εσιμ οὖν ὁ χαρακτ̃ρ τ εὐαγγελίου σαφ̃ς, κ̀ οὐδὲν ἔχων πεπλασμένον. χεδόν τι κ̀ πάντα τοῦ ματθαίου συνῆν ἔχων ὁ πρὼν εὐαγγελιστ̀ς, πλὴν ὅσον ὁ ματθα̃ος πλατύτερος, κ̀ ὅτι ὁ μὲν ματθα̃ος τ̀ κ̀ σάρκα γεννήσεως τοῦ κυρίου ὑπ ἀρχ̃ μνημονεύει, οὗτος δ̀ ἀπ τ προφήτου ἤρξατο ἰωάννου. Οθεν ἴνες εἰσὶ κ̀ πρωτόπρομ δοκ, τριστόμιον νόκμα εἶπον ἐπὶ τοῖς εὐαγγελισαῖς, ὁ ἐπὶ τ̃ν χορυβ̀ν καθήμενος θεός, ἃ πεζα πρόσωπα ἡ γραφὴ λέγει, πρέδωκεν ἡμῖν πεζάμορφον τὸ εὐαγγέλιον ἑνὶ πνεύματι συνεχόμενον. ὥσπερ οὖν τὰ χερουβὶμ ἕκασον, ἓν μὲν πρόσωπον εἶχεν ὅμοιον λέοντι, ἕτερον δὲ ἀνθρώπῳ, κ̀ ἕτερον ἀετῷ, κ̀ ἕτερον μόσχῳ, οὕτως κ̀ ἡ τοῦ εὐαγγελικοῦ κηρύγματος πραγματεία. Τὸ μὲν κ̀ ἰωάννου εὐαγγέλιον, ἔχει λεοντοπρόσωπον. βασιλικὸν γὰρ ὁ λέων, καὶ ἡγεμονικὸν ὄζον. ὁμοίως οὖν καὶ ὁ ἰωάννης ἀπὸ τοῦ βασιλικοῦ κ̀ δεσποτικοῦ ἀξιώματος τ̃ θεότητος τοῦ λόγου ἤρξατο, εἰπών, Ἐν ἀρχ̃ ἦν ὁ λόγος, κ̀ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. Τὸ δ̀ κ̀ ματθα̃ον, ἀνθρωποπρόσωπον, ἀπὸ γε τ καταὶ σάρκα γεννήσεως καὶ ἀνθρωποπήσεως τοῦ λόγου ἤρξατο. Τὸ δὲ κ̀ μάρκον, ἀετῷ πεζῷ καζόμενον, ἀπὸ γε προφήτου ἤρξατο τοῦ ἰωάννου. Η δὲ προφητικὴ χάρις προσαρμοῖ οὖσα καὶ ὀξέως τὰ πόρρω βλέπουσα, ἀετός ὄζι. Φασὶ γὰρ τὸν ἀετὸν ὀξυδερκέστατον εἶναι, ὥστε κ̀ μόνον ἐκ τ̃ν ἄλλων ζώων πρὸς τὸν ἥλιον δύνασθαι ἀτενίζειν μὴ καμύοντα. Μόχῳ δὲ ὅμοιον δὲ κατὰ λαγὰν, διό ἀπὸ φ̀ ἱερατείας τοῦ ζαχαρίου ἤρξατο, ὑπὲρ τ̃ν ἁμαρτιῶν τ λαοῦ θυμιῶντος. μόχ δὲ ἦν ὁ θυόμενος τότε. Αρχεται οὖν ὁ μάρκ τ εὐαγγελίου ἀπ τ τοῦ προφήτου διαγωγ̃ς καὶ ὑποθέσεως. ἄκουε οὖν τί φησίν.

Εὐαγγέλιον

α Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ θεοῦ, ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις. * ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν
β ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου. * φωνὴ βοῶντος ἐν
α τῇ ἐρήμῳ, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους
γ αὐτοῦ. * ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁ-
5 μαρτιῶν. καὶ ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα, καὶ οἱ Ἱεροσολυμῖται, καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ ὑπ' αὐτοῦ, ἐξομολογούμενοι τὰς ἁ-
μαρτίας αὐτῶν. ἦν δὲ ὁ Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ, καὶ ἐσθίων ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον, καὶ ἐκήρυσσέ
ζ λέγων. * ἔρχεται ὁ ἰσχυρότερός μου ὀπίσω μου, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς κύψας λῦσαι τὸν ἱμάντα
τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ. ἐγὼ μὲν ἐβάπτισα ὑμᾶς ἐν ὕδατι, αὐτὸς δὲ βαπτίσει ὑμᾶς ἐν πνεύματι ἁγίῳ.
καὶ ἐγένετο ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, ἦλθεν Ἰησοῦς ἀπὸ Ναζαρὲθ
τ γαλιλαίας. * καὶ ἐβαπτίσθη ὑπὸ
α Ἰωάννου ἐν τῷ Ἰορδάνῃ. ☩ εὐθὺς ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος, εἶδεν σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς, καὶ τὸ πνεῦμα ὡσεὶ περιστερὰν καταβαῖ-
νον ἐπ' αὐτόν. καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῶν οὐρανῶν. σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγα-
ε πητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα. * καὶ εὐθέως ϛ τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον. ☩ ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡμέρας τεσσαράκοντα, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ σατανᾶ. * καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων,
ζ καὶ οἱ ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ. * μετὰ δὲ τὸ παραδοθῆναι Ἰωάννην, ἦλθεν η Ἰησοῦς εἰς τὴν γαλιλαίαν, * κηρύσ-
σων τὸ εὐαγ-

NITIVM euangelij Iesu Christi filij dei, sicut scriptum est in Prophetis: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Baptizabat Ioannes in deserto prædicãs baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebantur ad eum tota Iudæa regio, ac Hierosolymitæ, & baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua. Erat autem Ioannes uestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos suos, uescebaturq; locustis ac melle syluestri: & prædicabat, dicens: Venit is qui fortior est me post me, cuius non sum idoneus ut procumbens soluam corrigiam calciamentorum. Ego quidem baptizaui uos aqua, ille uero baptizabit uos spiritu sancto. Et factum est in diebus illis, uenit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane. Et statim ascendens de aqua uidit diffindi cœlos, & spiritum quasi columbam descendentem super illum. Et uox facta est de cœlis: Tu es ille filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Et continuo spiritus illũ expellit in desertum, & erat illic in deserto dies quadraginta, & tentabatur à satana, eratq; cũ feris, & angeli ministrabant illi. Postquam autẽ comprehensus esset Ioãnes, uenit Iesus in Galilæam, prædicãs euangelium

NITium euangelij Iesu Christi filij dei sicut scriptum est in Esaia propheta: Ecce mitto angelum meũ ante faciẽ tuam qui præparabit uiã tuam ante te: Vox clamantis in deserto: Parate uiã domini: rectas facite semitas eius. Fuit in deserto Ioãnes baptizans & prædicãs baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eũ omnis Iudææ regio: & Hierosolymitæ uniuersi: & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Ioannes uestitus pilis cameli & zona pellicea circa lũbos eius: & locustas & mel siluestre edebat: & prædicabat, dicens: Veniet fortior me post me: cuius non sum dignus procumbẽs soluere corrigiam calciamentorum eius. Ego baptizaui uos aqua: ille uero baptizabit uos spiritu sancto. Et factũ est in diebus illis uenit Iesus a Nazareth Galilææ, & baptizatus est a Ioanne in Iordane, & statim ascendẽs de aqua uidit cœlos apertos & spiritum sanctum tãquam columbam descendentem & manentem in ipso. Et uox facta est de cœlis: Tu es filius meus dilectus: in te complacui. Et statim spiritus expulit eum in desertum: & erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & tentabatur a satana. Eratque cum bestijs: & angeli ministrabãt illi. Postquam autem traditus est Ioannes: uenit Iesus in Galilæã: prædicans euangelium

θ σων το εὐαγγέλιον τ̃ βασιλείας
ς του θεου, και λέγων. ὅτι πεπλή/
ρωται ὁ καιρὸς, & ἤγγικεν ἡ βασι/
λεία του θεοῦ, μετανοεῖτε & πιστεύ/
τε ἐν τ̃ εὐαγγελίῳ. Περιπατῶν
δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν τ̃ γαλι/
λαίας, εἶδεν σίμωνα καὶ ἀνδρέαν
τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, βάλλοντας ἀμ
φίβληστρα ἐν τ̃ θαλάσσῃ, ἦσαν γὰρ
ι ἁλιεῖς. * καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ ιησοῦς.
β δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑ/
μᾶς γενέσθαι ἁλιεῖς ἀνθρώπων. &
εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα αὐτῶν,
ια ἠκολούθησαν αὐτῷ. * καὶ προβὰς ὀ/
ς λίγον, εἶδεν ἰάκωβον τὸν
του ζεβεδαίου, καὶ ἰωάννην τὸν ἀδελ
φὸν αὐτοῦ, & αὐτοὺς ἐν τῷ πλοίῳ
καταρτίζοντας τὰ δίκτυα, καὶ εὐ/
θέως ἐκάλεσεν αὐτούς. καὶ ἀφέν/
τες τὸν πατέρα αὐτῶν ζεβεδαῖον
ἐν τ̃ πλοίῳ μετὰ τ̃ μισθωτ̃
ιβ ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτου. * καὶ εἰ/
κ σπορεύονται εἰς καπερναούμ. & εὐ/
θέως τοῖς σάββασιν εἰσελθὼν εἰς
ιγ τὴν συναγωγὴν, ἐδίδασκεν. * καὶ
β ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τ̃ διδαχ̃ αὐτ̃.
ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσί/
αν ἔχων, & οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.
ιδ * καὶ ἦν ἐν τ̃ συναγωγ̃ αὐτῶν ἄν α
κ θρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, &
ἀνέκραξε λέγων. ἔα, τί ἡμῖν καὶ σοὶ
ιησοῦ ναζαρηνέ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡ/
μᾶς; οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος του θεοῦ.
καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ ιησοῦς, λέ
γων. φιμώθητι & ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ.
& σπαράξαν αὐτὸν τὸ πνεῦμα τὸ
ἀκάθαρτον, καὶ κράξαν φωνῇ μεγά
λῃ, ἐξῆλθεν ἐξ αὐτου. καὶ ἐθαμ/
βήθησαν πάντες, ὥστε συζητεῖν πρὸς
αὐτοὺς, λέγοντες. τί ἐστι τοῦτο; τίς
ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη; ὅτι κατ' ἐξ
ουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκα
θάρτοις ἐπιτάσσει, καὶ ὑπακούουσιν
αὐτῷ; ἐξῆλθε δὲ ἡ ἀκοὴ αὐτου εὐ/
θὺς εἰς ὅλην τὴν περίχωρον τ̃
ιε γαλιλαίας. * καὶ εὐθέως ἐκ τ̃ συ/ β
β ναγωγ̃ ἐξελθόντες, ἦλθον εἰς τ̃
οἰκίαν σίμωνος & ἀνδρέου μετὰ
ἰακώβου καὶ ἰωάννου. ἡ δὲ πενθερὰ
σίμωνος κατέκειτο πυρέσσουσα, &
εὐθέως λέγουσιν αὐτῷ περὶ αὐτ̃. &
προσελθὼν

euangelium regni dei, & dicens: Impletum est tempus, instátque regnum dei, resipiscite & credite Euangelio. Cum ambularet autem iuxta mare Galilææ, uidit Simonem & Andream fratrem eius, iacientes retia in mare, erant enim piscatores. Et dixit eis Iesus: Sequamini me, & faciam ut efficiamini piscatores hominum. Ac protinus relictis retibus suis, secuti sunt eum. Et progressus illinc pusillum, uidit Iacobum filium Zebedæi, & Iohannem fratrem eius, qui & ipsi in naui reconcinnabant retia, statimque uocauit illos. Et illi relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenarijs, secuti sunt eum. Et ingrediuntur Capernaum, & statim sabbatis ingressus in synagogam docebat. Et stupebant super doctrina eius. Erat enim docens eos tanquam autoritate præditus, & non sicut scribæ. Et erat in synagoga eorum homo obnoxius piritui immundo, & exclamauit, dicens: Ah, Quid rei nobis tecum est Iesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos? Noui te quis sis, nimirum ille sanctus dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab homine. Et cum discerpsisset eum spiritus immundus, exclamassetque uoce magna, exijt ab eo. Et obstupuerunt omnes, ita ut conquirerent inter se, dicentes: Quid est hoc? Quæ doctrina noua hæc? quia cum autoritate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? Emanauit autem fama eius statim in totam undique regionem Galilææ finitimam. Et protinus è synagoga egressi, uenerũt in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Ioanne. Socrus autẽ Simonis decumbebat febricitãs, & continuo dicunt ei de illa. Et accedens

euangelium regni dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum dei. Pœnitemini & credite euãgelio. Et præteriens secus mare Galilææ, uidit Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare. Erant enim piscatores. Et dixit eis Iesus: Venite post me: & faciam uos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, uidit Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius: & ipsos componentes retia in naui: & statim uocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercennarijs, secuti sunt eum: & ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos: & stupebant super doctrina eius. Erat enim docens eos quasi potestatem habens: & non sicut scribæ. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio quod sis sanctus dei. Et commi natus est ei Iesus, dicens: Obmutesce & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans uoce magna, exijt ab eo. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se, dicentes: Quidnam est hoc? Quænã doctrina hæc noua? Quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Et processit rumor eius statim in oñem regionem Galilææ. Et protinus egredientes de synagoga uenerũt in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Ioanne. Recumbebat autem socrus Simonis febricitans: & statum dicunt ei de illa. Et accedens

γ περὶ τοῦ ἰαθέντων ἀπὸ ποικίλων νόσων. δ περὶ τ λεπροῦ.

προσελθὼν ἤγειρεν αὐτὴν, κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετὸς εὐθέως, καὶ διηκόνει αὐτοῖς. ὀψίας δὲ γενομένης, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος, ἔφερον πρὸς αὐτὸν πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, καὶ τοὺς δαιμονιζομένους. καὶ ἦν πόλις ὅλη ἐπισυνηγμένη πρὸς τὴν θύραν, καὶ ἐθεράπευσε πολλοὺς κακῶς ἔχοντας ιγ ποικίλαις νόσοις. * καὶ δαιμόνια κ πολλὰ ἐξέβαλε, καὶ οὐκ ἤφιεν λαλεῖν τὰ δαιμόνια, ὅτι ἤδεισαν αὐτόν. * καὶ πρωῒ ἔννυχον λίαν ἀναιβ στὰς ἐξῆλθε, καὶ ἀπῆλθεν ὁ Ιησοῦς εἰς ἔρημον τόπον, κἀκεῖ προσήυχετο. καὶ κατεδίωξαν αὐτὸν ὁ Σίμων, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, καὶ εὗρον αὐτὸν, λέγουσιν αὐτῷ. ὅτι πάντες ζητοῦσί σε. καὶ λέγει αὐτοῖς. ἄγωμεν εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις, ἵνα καὶ ἐκεῖ κηρύξω. εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα. καὶ ἦν κηρύσσων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, καὶ τὰ δαιμόνια ιδ ἐκβάλλων. * καὶ ἔρχεται πρὸς γ αὐτὸν λεπρὸς παρακαλῶν αὐτὸν, καὶ γονυπετῶν αὐτὸν, καὶ λέγων αὐτῷ. ὅτι ἐὰν θέλῃς δύνασαί με καθαρίσαι. ὁ δὲ Ιησοῦς σπλαγχνισθείς, ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῷ. θέλω, καθαρίσθητι. καὶ εἰπόντος αὐτοῦ, εὐθέως ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ ἡ λέπρα, καὶ ἐκαθαρίσθη. καὶ ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, εὐθέως ἐξέβαλεν αὐτόν. καὶ λέγει αὐτῷ. ὅρα, μηδενὶ μηδὲν εἴπῃς, ἀλλὰ ὕπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, ἃ προσέταξε Μωσῆς εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. * ο δὲ ἐξελθὼν ἤρξατο κηρύσσειν πολλὰ, καὶ διαφημίζειν τὸν λόγον, ὥστε μηκέτι αὐτὸν δύνασθαι φανερῶς εἰς πόλιν εἰσελθεῖν, ἀλλ' ἔξω ἐν ἐρήμοις τόποις ἦν, καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν πανταχόθεν.

κ * καὶ πάλιν εἰσῆλθεν εἰς Καπερναούμ δι' ἡμερῶν, καὶ ἠκούσθη ὅτι εἰς οἶκόν ἐστι, καὶ εὐθέως συνήχθησαν πολλοί, ὥστε μηκέτι χωρεῖν, μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, καὶ ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον. καὶ ἔρχονται πρὸς αὐτὸν παραλυτικὸν

accedens erexit eam, apprehensa manu eius, & reliquit eam febris ilico, ac ministrabat eis. Vesperi uero, cum occidisset sol afferebant ad eum omnes male habentes, & qui à dæmonijs agitabantur. Et ciuitas tota congregata erat ad ostium, & sanauit multos qui ægrotabant uarijs morbis, & dæmonia multa eijciebat: & non sinebat loqui dæmonia quod ipsum nossent. Et mane multa adhuc nocte cũ surrexisset, egressus est: & abijt Iesus in desertum locum, ibique orabat. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant: & cum inuenissent eum, dicunt ei: Omnes te quærunt. Et ait illis: Eamus in proximos uicos, ut & ibi prædicem: in hoc enim egressus sum. Et prædicabat in synagogis eorum, in tota Galilæa, & dæmonia eijciebat. Et uenit ad eum leprosus, deprecans eum, eiq; ad genua accidens, ac dicens illi: Si uis potes me mundare. Iesus autem misertus, protensa manu, tetigit illum, & dicit ei: Volo, mundus esto. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Et cõminatus ei, statim emisit illum, dicítque ei: Vide ne cui quicquam dicas, sed abi teipsum ostende sacerdoti, & offer pro emundatione tui, quæ præcepit Moses in testimoniũ illis. At ille egressus, cœpit prædicare multa, & diuulgare sermonem, ita ut iam non posset Iesus manifeste introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis erat, & uenie-bant ad eum undiq;. Et iterum intrauit Capernaũ post dies aliquot, & auditum est quod in domo esset, & protinus congregati sunt multi, adeo ut iam nõ caperent eos, nec illa loca quæ erant circa ianuam, & loquebatur eis sermonem. Et ueniunt ad eum ferentes

accedens eleuauit eam apprehẽsa manu eius: & continuo dimisit eam febris: & ministrabat eis. Vespere autem facto cum occidisset sol: afferebãt ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes: & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam: & curauit multos qui uexabantur uarijs languoribus: & dæmonia multa eijciebat, & non sinebat ea loqui: quoniam sciebant eum: & diluculo ualde surgens egressus abijt in desertum locum, ibique orabat: & prosecutus est eum Simon & qui cum illo erant. Et cum inuenissent eum: dixerunt ei: quia omnes quærunt te. Et ait illis: Eamus in proximos uicos & ciuitates, ut ibi prædicẽ: Ad hoc enim ueni. Et erat prædicans in synagogis eorum & in omni Galilæa: & dæmonia eijciens. Et uenit ad eum leprosus deprecans eum: & genuflexo dixit: Si uis potes me mundare. Iesus autem misertus eius: extendit manum suam: & tangens eũ, ait illi: Volo mundare. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Et comminatus est ei, statimque eiecit illum. Et dixit ei: Vide nemini dixeris: sed uade ostẽde te principi sacerdotum: & offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyses in testimonium illis. At ille egressus cœpit prædicare: & diffamare sermonem: ita ut iam non posset manifeste introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esse: & conueniebant ad eum undiq;. Et iterum intrauit Capharnaum post dies octo: & auditum est quod in domo esset, et cõuenerunt multi, ita ut non caperẽt neq; ad ianuam, & loquebatur eis uerbũ. Et uenerũt ad eum ferentes II.

παραλυτικὸν φέροντες, αἰρόμενον
ὑπὸ τεσσάρων, ϗ μὴ δυνάμενοι πρὸ
σενεγκεῖν αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον, ἀπε
στέγασαν τὴν στέγην ὅπου ἦν, ϗ ἐξο
ρύξαντες χαλῶσι τὸν κράβαττον,
ἐφ' ᾧ ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο. ἰδὼν δὲ
ὁ Ιησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν, λέγει τῷ
παραλυτικῷ. τέκνον, ἀφέωνταί σοι
αἱ ἁμαρτίαι σου. ἦσαν δέ τινες τῶν
γραμματέων ἐκεῖ καθήμενοι, καὶ
διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις
αὐτῶν, τί οὗτος οὕτω λαλεῖ βλασ
φημίας; τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρ
τίας, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός; ϗ εὐθέως ἐπι
γνοὺς ὁ Ιησοῦς τῷ πνεύματι αὐτοῦ,
ὅτι οὕτως διαλογίζονται ἐν ἑαυτοῖς
εἶπεν αὐτοῖς. τί ταῦτα διαλογίζε
σθε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν; τί ἐστιν
εὐκοπώτερον εἰπεῖν τῷ παραλυτικῷ,
ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν
ἔγερσον καὶ ἆρον σου τὸν κράβαττον,
καὶ περιπάτει; ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ἐξου
σίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀφιέ
ναι ἐπὶ τῆς γῆς ἁμαρτίας, λέγει τῷ
παραλυτικῷ. σοὶ λέγω, ἔγερσε, καὶ
ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ ὕπα
γε εἰς τὸν οἶκόν σου. ϗ ἠγέρθη εὐθέ
ως, καὶ ἆρας τὸν κράββατον ἐξῆλ
θεν ἐναντίον πάντων. ὥστε ἐξίστασθαι
πάντας, καὶ δοξάζειν τὸν θεόν, λέγον
τας. ὅτι οὐδέποτε οὕτως εἴδομεν.

κα * καὶ ἐξῆλθεν πάλιν παρὰ τὴν θά
ϛ λασσαν, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἤρχετο πρὸς
αὐτόν, καὶ ἐδίδασκεν αὐτούς. καὶ παρά
ε γων ὁ Ιησοῦς, εἶδεν Λευὶν τὸν Ἀλ
φαίου καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον,
καὶ λέγει αὐτῷ. ἀκολούθει μοι, καὶ
κβ ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ. * καὶ ἐ
β γένετο ἐν τῷ κατακεῖσθαι αὐτὸν
ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ, ϗ πολλοὶ τελῶναι
ϗ ἁμαρτωλοὶ συνανέκειντο τῷ Ιη
σοῦ καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. ἦσαν
γὰρ πολλοί, ϗ ἠκολούθησαν αὐτῷ. ϗ
οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι ἰδόν
τες αὐτὸν ἐσθίοντα μετὰ τῶν τελω
νῶν ϗ ἁμαρτωλῶν, ἔλεγον τοῖς μα
θηταῖς αὐτοῦ. τί, ὅτι μετὰ τελωνῶν
κὴ ἁμαρτωλῶν ἐσθίει ϗ πίνει; * καὶ
β ἀκούσας ὁ Ιησοῦς, λέγει αὐτοῖς. οὐ χρεί
αν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ'
οἱ κακῶς ἔχοντες. οὐκ ἦλθον καλέ
σαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς
μετάνοιαν.

ferẽtes paralyticũ, qui à quatuor portabatur: et cum nõ possent ap propinquare illi præ turba, nudauerunt tectũ ædiũ in quibus erat, perfossoq; tecto funibus demittunt grabatũ, in quo paralyticus decumbebat. Cum autẽ uidisset Iesus fidem illorũ, ait paralytico: Fili, remittantur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus deus? Et protinꝰ ubi cognouisset Iesus spiritu suo, quod sic cogitarent intra sese, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus uestris? Vtrum est facilius dicere paralytico, remittantur tibi peccata, an dicere; surge, & tolle grabatum tuum & ambula? Vt autẽ sciatis quod filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata, ait paralytico Tibi dico, surge, ac tolle grabatũ tuum, & abi in domum tuam. Et statim surrexit, sublatoq; grabato egressus est in conspectu omniũ, adeo ut stupescerent omnes, & glorificarent deũ, dicentes: Nunquam sic uidimus. Et egressus est rursus ad mare, omnisq; turba ueniebat ad eum, ac docebat eos.
Et cum præteriret Iesus, uidit Leui, Alphæi filium, sedentem ad teloniũm, & ait illi: Sequere me. Is que surgens secutus est eum. Et factũ est, cum accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discumbebãt cum Iesu & discipulis eius. erant enim multi qui secuti fuerãt eum Et scribæ ac pharisæi cum uidissent eum capientem cibum cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius: Quid est, quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit? Hoc audito Iesus, ait illis: Non opus habent qui ualent, medico, sed qui male habent. Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœniten-

ferentes paralyticum qui a quatuor portabaꝰ. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudauerũt tectum ubi erat: & patefaciẽtes submiserunt grabatum in quo paralyticus iacebat. Cum autẽ uidisset Iesus fidem illorum ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua: erãt autem illic quidam de scribis sedentes & cogitãtes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? Blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus deus? Quo statim cognito Iesus spiritu suo: quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus uestris? Quid est facilius dicere paralytico: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge tolle grabatum tuum & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico: surge, tolle grabatum tuum, & uade in domum tuam. Et statim surrexit ille & sublato grabato abijt inde coram omnibus: ita ut mirarentur omnes & honorificarent deum, dicẽtes: quia nunquam sic uidimus. Et egressus est rursus ad mare: omnisq; turba ueniebat ad eum: & docebat eos. Et cum præteriret, uidit Leui alphei sedẽtem ad teloneum, & ait illi. Sequere me. Et surgẽs secutus est eum. Et factum est cum accũberet in domo illius: multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Erant enim multi qui sequebãtur eum. Et scribæ & pharisæi uidentes quia manducaret cũ publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister uester? Hoc audito, Iesus ait illis: Nõ necesse habẽt sani medico, sed qui male habent. Non eñ ueni uocare iustos, sed peccatores

μετάνοιαν. καὶ ἦσαν οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ Φαρισαίων νηστεύοντες, καὶ ἔρχονται, καὶ λέγουσιν αὐτῷ. διὰ τί οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου, καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων νηστεύουσιν, οἱ δέ σοι μαθηταὶ οὐ νηστεύουσι; καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς μὴ δύανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν ἐστι, νηστεύειν; ὅσον χρόνον μεθ' ἑαυτῶν ἔχουσι τὸν νυμφίον, οὐ δύανται νηστεύειν. ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, καὶ τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. καὶ οὐδεὶς ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπιῤῥάπτει ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ, εἰ δὲ μή, αἴρει τὸ πλήρωμα αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται. καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς, εἰ δὲ μή, ῥήσσει ὁ οἶνος ὁ νέος τοὺς ἀσκούς, καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται, ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέον. * καὶ ἐγένετο, παραπορεύεσθαι αὐτὸν τοῖς σάββασι διὰ τῶν σπορίμων, καὶ ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν, τίλλοντες τοὺς στάχυας, καὶ οἱ Φαρισαῖοι ἔλεγον αὐτῷ. ἴδε τί ποιοῦσιν τοῖς σάββασιν, ὃ οὐκ ἔξεστιν; καὶ αὐτὸς ἔλεγεν αὐτοῖς, οὐδέποτε ἀνέγνωτε τί ἐποίησε Δαβὶδ, ὅτε χρείαν ἔσχεν, καὶ ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ; πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν, οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι; καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι; καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς. * τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον. ὥστε κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου. καὶ εἰσῆλθε πάλιν εἰς τὴν συναγωγήν, καὶ ἦν ἐκεῖ ἄνθρωπος ἐξηραμμένην ἔχων τὴν χεῖρα. καὶ παρετήρουν αὐτόν, εἰ τοῖς σάββασι θεραπεύσει αὐτόν, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ. καὶ λέγει τῷ ἀνθρώπῳ, τῷ ἐξηραμμένην ἔχοντι τὴν χεῖρα, ἔγειρε εἰς τὸ μέσον. καὶ λέγει αὐτοῖς. ἔξεστι τοῖς σάββασιν ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σῶσαι, ἢ ἀποκτεῖναι; οἱ δὲ ἐσιώπων. καὶ περιβλεψάμενος αὐτοὺς μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας

κα β

κε β

ι

pœnitentiam. Et discipuli Ioannis ac pharisæorum ieiunabant, ueniuntq; & dicũt illi: Quare discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli nō ieiunant? Et ait illis Iesus: Num possunt filij thalami nuptialis in quo cum illis sponsus est, ieiunare? Quandiu habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabũt in illis diebus. Et nemo assumentum panni rudis assuit uestimento ueteri, alioquin aufert supplementum eius nouum à ueteri, & peior scissura fit. Et nemo mittit uinum mustum in utres ueteres, alioqui disrumpit uinũ mustum utres, & uinum effunditur, & utres pereunt, sed uinum mustum in utres nouos mitti debet. Et accidit, ut transiret sabbatis per segetes, & cœperunt discipuli eius cœperunt prægredi & uellere spicas, & pharisæi dicebant ei: ecce cur faciunt sabbatis, quod non licet? Et ipse ait illis: Nunquàm legistis quid fecerit Dauid, cum opus haberet, & esuriret ipse & qui cũ eo erant? quomodo ingressus sit in domũ dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis comederit, quos non licet edere nisi sacerdotibus: & dederit etiam ijs qui secum erant? Et dicebat illis: Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Itaq; dominus est filius hominis, etiam sabbati.

Et introiuit iterum in synagogam, & erat ibi homo arefactam habens manum: & obseruabant eum, an sabbatis sanaturus esset eum, ut accusarent illum. Et ait homini, habenti manum arefactam: Surge in medium. Et dicit illis: Vtrum licet sabbatis benefacere, an malefacere? animam seruare, an occidere? At illi tacebãt. Et cum circumspexisset eos cũ ira cundia, cõdolescẽs super cæcitate cordis

catores. Et erãt discipuli Ioannis & pharisæi ieiunantes, & ueniunt & dicunt illi: Quare discipuli Ioannis & pharisæorũ ieiunãt: tui autem discipuli nõ ieiunãt? Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filij nuptiarũ quandiu cũ illis spõsus est ieiunare? Quanto tẽpore habẽt secũ spõsum, nõ possunt ieiunare. Venient autẽ dies cũ auferetur ab eis spõsus: & tũc ieiunabũt in illis diebꝰ. Nemo assumentũ panni rudis assuit uestimẽto ueteri: alioquin aufert supplemẽtũ nouum a ueteri: & maior scissura fit. Et nemo mittit uinum nouũ in utres ueteres: alioquin dirumpet uinũ utres: & uinũ effunderur & utres peribũt. Sed uinũ nouum in utres nouos mitti debet. Et factũ est iterũ cum dominus sabbatis ambularet per sata: & discipuli eius cœperunt prægredi & uellere spicas. Pharisæi autem dicebant ei: ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis quod non licet. & ait illis: Nũquid legistis quid fecerit Dauid quando necessitatẽ habuit: & esurijt ipse & qui cum eo erant. Quomodo introiuit in domũ dei sub Abiathar principe sacerdotum: & panes propositionis manducauit quos nõ licebat manducare nisi solis sacerdotibus: & dedit eis & qui cum eo erãt. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominẽ factum est, & non homo propter sabbatum. Itaq; dominus est filius hominis etiam sabbati.

III. Et introiuit iterum in synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam: & obseruabãt eum si sabbatis curaret ut accusarẽt illum. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. Et dixit eis: Licet sabbatis benefacere an male: animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circunspiciens eos ira, contristatus super cæcitate cordis

καρδίας αὐτῶν, λέγει τῷ ἀνθρώπῳ. ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. καὶ ἐξέτεινε, καὶ ἀπεκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς, ὡς ἡ ἄλλη. * καὶ ἐξελθόντες οἱ Φαρισαῖοι εὐθέως μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν συμβούλιον ἐποίουν κατ' αὐτοῦ, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσι. * καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησε μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς τὴν θάλασσαν. καὶ πολὺ πλῆθος ἀπὸ τῆς γαλιλαίας ἠκολούθησαν αὐτῷ, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας, & ἀπὸ Ἰεροσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, καὶ οἱ περὶ Τύρον & Σιδῶνα πλῆθος πολύ, ἀκούσαντες ὅσα ἐποίει, ἦλθον πρὸς αὐτόν. καὶ εἶπεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτόν. πολλοὺς γὰρ ἐθεράπευσεν, ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ, ἵνα αὐτοῦ ἅψωνται, ὅσοι εἶχον μάστιγας. * καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα, ὅταν αὐτὸν ἐθεώρει, προσέπιπτεν αὐτῷ, καὶ ἔκραζε λέγοντα. ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. & πολλὰ ἐπετίμα αὐτοῖς, ἵνα μὴ αὐτὸν φανερὸν ποιήσωσι. * καὶ ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος, & προσκαλεῖται οὓς ἤθελεν αὐτός. καὶ ἀπῆλθον πρὸς αὐτόν. καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ. & ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν, & ἔχειν ἐξουσίαν θεραπεύειν τὰς νόσους, καὶ ἐκβάλλειν τὰ δαιμόνια. * καὶ ἐπέθηκε τῷ σίμωνι ὄνομα πέτρον. & Ἰάκωβον τὸν τοῦ ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰακώβου, καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὀνόματα Βοανηργές, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς. καὶ Ἀνδρέαν, καὶ Φίλιππον, καὶ Βαρθολομαῖον, καὶ Ματθαῖον, καὶ θωμᾶν, καὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ ἁλφαίου & Θαδδαῖον, καὶ σίμωνα τὸν Καναναῖον, & Ἰούδαν Ἰσκαριώτην, ὃς καὶ παρέδωκεν αὐτόν. καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον. * καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν. καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν. ἔλεγον γάρ, ὅτι ἐξέστη. * καὶ οἱ γραμματεῖς οἱ ἀπὸ Ἰεροσολύμων καταβάντες, ἔλεγον, ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει, καὶ ὅτι ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια. * καὶ προσκαλεσάμενος αὐτοὺς, ἐν παραβολαῖς ἔλεγεν αὐτοῖς. πῶς δύναται

cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus illius sana, ut altera. Egressi uero pharisæi, statim unà cũ Herodianis cõsilium inibant aduersus eum, ut illũ perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & ingens multitudo à Galilæa secuta est eũ, & ab Iudæa & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trãs Iordanem, & qui circa Tyrum habitabãt ac Sidonẽ, hominũ multitudo magna: qui cum audissent quæ faciebat, uenerunt ad eum. Et iussit Iesus discipulis suis, ut nauicula sibi deseruiret ꝓpter turbã, ne ipsum premerent. Multos enim sanauerat, ita ut irruerent in eum, quo illum tangerent, quotquot affligebantur. Et spiritus immũdi cum illum uidissent, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es filius dei: & uehementer interminabatur eis, ne se manifestũ facerent. Et ascendit in montẽ, ac uocat ad se quos uoluit ipse: & uenerũt ad eum. Et fecit duodecim ut essent secum, & ut emitteret eos ad prædicandum, utcꝫ haberẽt potestatem sanãdi morbos, eiiciẽdiꝫ dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum filiũ Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitrui: & Andreã, & Philippũ, & Bartholomæum, & Matthæũ, & Thomã, & Iacobum Alphæi filiũ, & Thaddæum, & Simonẽ Cananæũ & Iudam Iscariotẽ, qui et prodidit illũ. Et ueniũt in domũ, & cõuenit iterum turba, sic ut nõ liceret illis uel panes edere: & cum audissent qui ad illũ attinebant, exierũt ut manus inijcerent in eum. Dicebant enim, in furorẽ uersus est. Et scribæ qui ab Hierosolymis descẽderant, dicebãt: Beelzebul habet, & per principẽ dæmoniorũ eijcit dæmonia. Et ad se uocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest

cordis eorũ, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi. Exeuntes autẽ pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant ad uersus eũ quomodo eũ perderent. Iesus autẽ cum discipulis suis secessit ad mare: et multa turba a Galilæa & Iudæa secuta est eũ & ab Hierosolymis & ab Idumæa & trans Iordanem: & qui circa Tyrum & Sidonẽ multitudo magna audiẽtes quæ faciebat uenerunt ad eũ. Et dixit Iesus discipulis suis: ut in nauicula sibi deseruirent propter turbam ne cõprimerent eum. Multos eñ sanabat ita ut irruerẽt in eũ ut illum tangerẽt quotquot habebãt plagas. Et spiritus immundi cum illum uidebant, procidebant ei. Et clamabant dicentes: Tu es filius dei: & uehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum. Et ascendens in mõtẽ uocauit ad se quos uoluit ipse: & uenerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum illo: & ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates: & eijciendi dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobũ Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi: & imposuit eis nomina Boanerges: quod est filij tonitrui: & Andream & Philippum & Bartholomeum & Matthæum & Thomam & Iacobum Alphei & Thadeum & Simonem Chananæũ, & Iudam Scarioth qui & tradidit illum. Et ueniunt ad domũ: & cõuenit iterum turba: ita ut non possent neq; panem manducare: & cũ audissent sui, exierunt tenere eũ. Dicebant enim quoniã in furorem uersus est: Et scribæ qui ab Hierosolymis descendebant, dicebãt quoniã beelzebub habet: & quia in principe dæmoniorũ eijcit dæmonia. Et cõuocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo

do potest

δύναται σατανᾶς σατανᾶν ἐκβάλλειν, καὶ ἐὰν βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δύνατι σταθῆναι ἡ βασιλεία ἐκείνη. καὶ ἐὰν οἰκία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δύνατι σταθῆναι ἡ οἰκία ἐκείνη. καὶ εἰ ὁ σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν καὶ μεμέρισται, οὐ δύνατι σταθῆναι, ἀλλὰ τέλος ἔχει. οὐ δύνατι οὐδεὶς τὰ σκεύη τοῦ ἰσχυροῦ, εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, διαρπάσαι, ἐὰν μὴ πρῶτον τὸν ἰσχυρὸν δήσῃ, καὶ τότε τὴν οἰκίαν
λδ αὐτοῦ διαρπάσει. * Ἀμὴν λέγω ὑμῖν,
β ὅτι πάντα ἀφεθήσεται τὰ ἁμαρτήματα τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, καὶ βλασφημίαι, ὅσας ἂν βλασφημήσωσιν. ὃς δ' ἂν βλασφημήσῃ εἰς τὸν πνεῦμα τὸν ἅγιον, οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀλλ' ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου κρίσεως. ὅτι ἔλεγον, πνεῦμα ἀκάθαρ
λε τον ἔχει. * Καὶ ἔρχοντι ἡ μητὴρ αὐτοῦ
β καὶ οἱ ἀδελφοί, καὶ ἔξω ἑστηκότες, ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὸν φωνοῦντες αὐτὸν, καὶ ἐκάθητο ὄχλος περὶ αὐτὸν, εἶπον δὲ αὐτῷ. ἰδοὺ ἡ μητήρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἔξω ζητοῦσί σε. καὶ ἀπεκρίθη αὐτοῖς, λέγων. τίς ἐστιν ἡ μητήρ μου, καὶ οἱ ἀδελφοί μου; καὶ περιβλεψάμενος τοὺς κύκλῳ περὶ αὐτὸν μαθητὰς καθημένους, λέγει. ἰδοὺ ἡ μητήρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου. ὃς δὲ ἂν ποιήσῃ τὸν θέλημα τοῦ θεοῦ, οὗτος ἀδελφός μου, καὶ ἀ-
λς δελφή μου, καὶ μητήρ ἐστι. * Καὶ πά-
ut nemini diceret, ſed uade oſtende te ſacerdoti: & offer pro emundatione tua ſicut præcepit Moyſes in teſtimoniũ illis. Perambulabat autem magis ſermo de illo: & conueniebãt turbæ multæ, ut audirent & curarẽtur ab infirmitatibus ſuis. Ipſe autem ſecedebat in deſertũ & orabat. Et factum eſt in una dierum, & ipſe ſedebat docens. Et erant phariſæi ſedẽtes & legis doctores qui uenerant ex omni caſtello Galilææ & Iudææ & Hieruſalẽ: & uirtus domini erat ad ſanandũ eos. Et ecce uiri portantes in lecto hominẽ qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre & ponere ante eum. Et nõ inueniẽtes qua parte illũ inferrent præ turba: aſcenderũt ſupra tectum: & per tegulas ſubmiſerũt eum cum lecto in medium ante Ieſum. Quorũ fidem ut uidit, dixit: Homo, remittũtur tibi peccata tua. Et cœperũt cogitare ſcribæ & phariſæi, dicentes: Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus deus? Vt cognouit autẽ Ieſus cogitationes eorũ, reſpõdens dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibꝰ ueſtris? Quid eſt facilius dicere, dimittũtur tibi peccata: an dicere, ſurge & ambula? Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, ſurge: tolle lectum tuum & uade in domum tuam. Et confeſtim ſurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat, & abijt in domum ſuã, magnificans deum. Et ſtupor apprehendit omnes: & magnificabant deum. Et repleti ſunt timore, dicentes quia uidimus mirabilia hodie. Et poſt hæc exijt: & uidit pũblicanum nomine Leui ſedentem ad teloneum, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eũ: & fecit ei conuiuium

magnum

μεγάλιω λθνεὶς αὐτῷ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτ, Ⓒ ἦμ ὄχλος πλωνῶμ πλύς, Ⓒ ἄλλων, οἳ ἦσαμ μετ᾽αὐτῶμ κατακείμενοι. Ⓒ ἐγόγγυζομ οἱ γραμματῆς Ⓒ οἱ φαρισαῖοι πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτ, λέγοντες. διὰ τί μετὰ τελωνῶμ καὶ ἁμαρτωλῶμ ἐσθίετε Ⓒ πίνετε;

μ β * καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ιησοῦς, εἶπε πρὸς αὐτούς. οὐ χρείαμ ἔχουσιμ οἱ ὑγιαίνοντες ἰατροῦ, ἀλλ᾽ οἱ κακῶς ἔχοντες. οὐκ ἐλήλυθα καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαμ. οἱ δὲ εἶπομ πρὸς αὐτόμ. διὰ τί οἱ μαθηταὶ ἰωάννου νηστεύουσι πυκνὰ, Ⓒ δεήσεις ποιοῦνται, ὁμοίως Ⓒ οἱ τῶν φαρισαίων, οἱ δὲ σοὶ ἐσθίουσι καὶ πίνουσιμ. ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς. μὴ δύνασθε τοὺς υἱοὺς τ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ᾽αὐτῶμ ἐστι, ποιῆσαι νηστεύειμ; ἐλεύσονται ἡμέραι, καὶ ὅταμ ἀπαρθῇ ἀπ᾽αὐτ ὁ νυμφίος, τότε νηστεύσουσιμ ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴμ πρὸς αὐτούς. ὅτι οὐδεὶς ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱμάτιομ παλαιόμ, εἰ δὲ μή γε, καὶ τὸ καινὸμ σχίσει, Ⓒ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ τὸ ἐπίβλημα ἀπὸ τοῦ καινοῦ. καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνομ νέομ εἰς ἀσκοὺς παλαιούς, εἰ δὲ μή γε, ῥήξει ὁ νέος οἶνος τοὺς ἀσκούς, καὶ αὐτὸς ἐκχυθήσεται, Ⓒ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται. ἀλλὰ οἶνομ νέομ εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέομ, Ⓒ ἀμφότεροι συντηροῦνται. Ⓒ οὐδεὶς πιὼμ παλαιὸμ εὐθέως θέλει νέομ, λέγει γὰρ, ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιμ.

μα β * Ἐγένετο δὲ, ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ διαπορεύεσθαι αὐτὸμ διὰ τῶν σπορίμων, Ⓒ ἤλλομ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τοὺς στάχυας, καὶ ἤσθιομ, ψώχοντες ταῖς χερσί. τινὲς δὲ τ φαρισαίωμ εἶπομ αὐτοῖς. τί ποιεῖτε, ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖμ ἐν τοῖς σάββασι. καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπεμ ὁ ιησοῦς. οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε, ὃ ἐποίησε δαβὶδ, ὁπότε ἐπείνασεμ αὐτὸς, Ⓒ οἱ μετὰ αὐτοῦ ὄντες, ὡς εἰσῆλθεμ εἰς τ οἶκομ τ θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τ προθέσεως ἔλαβε καὶ ἔφαγε, Ⓒ ἔδωκε καὶ τοῖς μετ᾽αὐτοῦ, οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖμ, εἰμὴ μόνους τοὺς ἱερεῖς; καὶ ἔλεγεμ αὐτοῖς, ὅτι κύριός ἐστιμ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου.

magnum Leui in domo ſua,& erat turba multa publicanorum,& aliorum, qui cum illis accumbebant. Et murmurabant ſcribæ, & phariſæi,aduerſus diſcipulos eius dicentes: Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis? Et reſpondens Ieſus, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent. Non ueni uocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. At illi dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Iohannis ieiunant frequenter,& obſecrationes faciũt,ſimiliter & phariſæorum, tui uero edunt & bibunt? Quibus ipſe ait: Num poteſtis facere, ut filij thalami, dum cum illis eſt ſpõſus, ieiunent? Venient autem dies, & cum ablatus fuerit ab illis ſponſus,tunc ieiunabunt in illis diebus. Dicebat autẽ & ſimilitudinem ad illos: Nemo immiſſuram noui ueſtimenti immittit in ueſtimentum uetus,alioquin,& nouum rumpit,& ueteri non conuenit immiſſura ex nouo. Et nemo mittit uinum nouũ in utres ueteres, alioqui rumpet uinum nouum utres, & ipſum effundetur,& utres peribũt. Sed uinum muſtum in utres nouos mittendum eſt,& utraq; conſeruantur. Et nemo qui biberit uetus,ſtatim uult nouũ: dicit enim, uetus melius eſt. Accidit autem,ut in ſabbato ſecundoprimo tranſiret per ſata, ac uellebant diſcipuli eius ſpicas, edebantq;, confricantes manibus. Quidã autem phariſæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet facere in ſabbatis? Et reſpondens Ieſus ad eos,dixit: Ne hoc quidem legiſtis, quod fecit Dauid, cum eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant, quomodo intrauit in domum dei, & panes propoſitionis ſumpſit, editq; ac dedit etiam his qui ſecum erant,quos nõ licet edere,niſi tantum ſacerdotibus? Et dicebat illis Dominus eſt filius hominis etiã ſabbati.

magnũ Leui in domo ſua: & erat turba multa publicanorum & aliorũ qui cũ illis erant diſcũbentes. Et murmurabãt phariſæi & ſcribæ eorũ, dicẽtes ad diſcipulos eius: Quare cũ peccatoribus & publicanis mãducatis & bibitis? Et reſpõdens Ieſus dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent: Non eñ ueni uocare iuſtos, ſed peccatores in pœnitẽtiam. At illi dixerunt ad eũ. Quare diſcipuli Iohãnis ieiunãt frequẽter, & obſecrationes faciũt ſimiliter & phariſæorum: tui aũt edunt & bibũt. Quibus ipſe ait: Nunquid poteſtis filios ſpõſi dum cũ illis eſt ſpõſus facere ieiunare? Venient autẽ dies cũ ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Dicebat autẽ & ſimilitudinem ad illos: Quia nemo commiſſurã a ueſtimẽto nouo immittit in ueſtimẽtum uetus: alioquin & nouum rũpit & ueteri nõ conuenit cõmiſſura a nouo. Et nemo mittit uinũ nouũ in utres ueteres: alioqn rũpit uinũ nouũ utres: & ipſum effundeť,& utres peribunt. Sed uinũ nouũ in utres nouos mittendũ eſt: & utraq; cõſeruanť: & nemo bibens uetus ſtatim uult nouũ: dicit enim, uetus melius eſt.

VI. Factum eſt autẽ in ſabbato ſecũdo primo cum tranſiret per ſata, uellebãt diſcipuli eius ſpicas: & mãducabãt confricãtes manibus. Quidam autẽ phariſæorũ dicebãt illis: Quid facitis quod non licet in ſabbatis? Et reſpõdens Ieſus ad eos, dixit. Nec hoc legiſtis quod fecit Dauid, cum eſuriret ipſe & qui cum eo erãt, quomodo intrauit in domũ dei: & panes propoſitionis ſumpſit & mãducauit: & dedit his qui cum ipſo erãt: quos non licebat manducare, niſi tantum ſacerdotibus? Et dicebat illis, quia dominus eſt filius hominis etiam ſabbati. Fa

μβ σαββάτῳ. * Ἐγένετο δὲ ⸂ ἐν ἑτέρῳ
β ⸁ σαββάτῳ, εἰσελθεῖν αὐτὸν εἰς τὴν συ
ναγωγὴν ⸂ διδάσκειν. καὶ ἦν ἐκεῖ ιδ
ἄνθρωπος ⸃, καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἡ δεξιὰ
ἦν ξηρά. παρετήρουν δὲ αὐτὸν οἱ γραμ
ματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι, εἰ ἐν τῷ ⸂ σα
βάτῳ θεραπεύσῃ, ἵνα εὕρωσι κατη
γορίαν ⸁ αὐτοῦ. Αὐτὸς δὲ ᾔδει τοὺς
διαλογισμοὺς αὐτῶν, ⸂ εἶπεν τῷ
ἀνθρώπῳ τῷ ξηρὰν ἔχοντι τὴν χεῖ
ρα. ἔγειραι, καὶ στηθι εἰς τὸ μέσον. ὁ
δὲ ἀναστὰς ἔστη. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς
πρὸς αὐτούς. ἐπερωτήσω ὑμᾶς, τί
ἔξεστι τοῖς σάββασιν, ἀγαθοποιῆσαι
ἢ κακοποιῆσαι, ψυχὴν σῶσαι ἢ ἀπο
λέσαι; ⸂ περιβλεψάμενος πάντας
αὐτοὺς, εἶπεν τῷ ἀνθρώπῳ, ἔκτεινον
τὴν χεῖρά σου. ὁ δὲ ἐποίησε, ⸂ ἀπο κα
τεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη.
Αὐτοὶ δὲ ἐπλήσθησαν ἀνοίας, ⸂ διε
λάλουν πρὸς ἀλλήλους, τί ἂν ποιή
μγ σαιεν τῷ Ἰησοῦ. * Ἐγένετο ⸂ ἐν ταῖς
β ἡμέραις ταύταις, ἐξῆλθεν εἰς τὸ ὄρος
προσεύξασθαι, καὶ ἦν διανυκτερεύων
μδ ⸂ ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ θεοῦ. * καὶ ὅτε ἐγέ ιε
β νετο ἡμέρα, προσεφώνησε τοὺς μαθη
τὰς αὐτοῦ. ⸂ ἐκλεξάμενος ἀπ᾽ αὐτῶν
δώδεκα, οὓς ⸂ ἀπόστολους ὠνόμασε
σίμωνα, ὃν ⸂ ὠνόμασε πέτρον, καὶ
ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἰάκω
βον ⸂ ἰωάννην, φίλιππον καὶ
βαρθολομαῖον, ματθαῖον καὶ θωμᾶν
ἰάκωβον τὸν τοῦ ἁλφαίου καὶ σίμω
να τὸν καλούμενον ζηλωτὴν, ἰούδαν
ἰακώβου, ⸂ ἰούδαν ἰσκαριώτην, ὃς καὶ
μς ἐγένετο προδότης. * καὶ καταβὰς
α μετ᾽ αὐτῶν, ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ, καὶ
ὄχλος μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ πλῆθος
πολὺ τοῦ λαοῦ ἀπὸ πάσης τῆς ἰου
δαίας καὶ ἱερουσαλὴμ, ⸂ τῆς παρα
λίου τύρου καὶ σιδῶνος ⸃, οἳ ἦλθον ἀ
κοῦσαι αὐτοῦ, καὶ ἰαθῆναι ἀπὸ τῶν
νόσων αὐτῶν, ⸂ οἱ ὀχλούμενοι ὑπὸ
πνευμάτων ἀκαθάρτων, καὶ ἐθεραπεύ
οντο. ⸂ πᾶς ὁ ὄχλος ἐζήτει ἅπτεσθαι
αὐτοῦ, ὅτι δύναμις παρ᾽ αὐτοῦ ἐξήρχετο,
μη ⸂ ἰᾶτο πάντας. * καὶ αὐτὸς ἐπάρας
ε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἰς τοὺς μαθη
μζ τὰς, ἔλεγε. * Μακάριοι οἱ πτωχοί, ὅτι
ε ὑμετέρα ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. * Μα
μη κάριοι οἱ πεινῶντες νῦν, ὅτι χορτασθή ιζ
σεσθε. Μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν, ὅτι
γελάσετε.

sabbati. Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in synago gam, ac doceret. Et erat ibi homo & manus eius dextera erat arida Obseruabant autem eum scribæ ac pharisæi, an in sabbato sanaturus esset, ut inuenirent unde accusarent eum. Ipse uero sciebat cogitationes eorũ, & ait homini qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medio. Et surgens stetit. Ait igitur ad illos Iesus: Interrogabo uos, utrum licet sabbatis bene facere an malefacere, animam seruare an perdere? Et circũspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam. Ille autem fecit, & restituta est manus eius sana sicut altera. ipsi autem repleti sunt amentia, & colloquebantur inter sese, quidnam facerent Iesu. Factum est autẽ in illis diebus, exijt in montem ad orandum, eratque pernoctans in deprecatione dei. Et cum dies factus esset, uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & apostolos nominauit, Simonem, quem & nominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum & Iohannem, Philippũ & Bartholomæũ, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi filium & Simonem qui uocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotẽ, qui idem fuit proditor. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri turbaq; discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ex omni Iudæa & Hierusalem, & à maritima Tyro & Sidone, qui uenerant ut audirent eum, & sanarentur à morbis suis, & qui uexabantur à spiritibus immundis, & sanabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia uirtus ab illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse attollens oculos suos in discipulos, dicebat: Beati pauperes, quia uestrum est regnum dei. Beati qui esuritis nunc, quia saturabimini. Beati qui fletis nunc, quia ridebitis.

ti. Factum est autẽ & in alio sabbato, ut intraret in synagogã & doceret. Et erat ibi homo: & manus eius dextera erat arida. Obseruabant autem scribæ & pharisæi si in sabbato curaret, ut inuenirent unde accusarent eum. Ipse uero sciebat cogitationes eorum: & ait homini qui habebat manum aridam: Surge & sta in medium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo uos si licet sabbatis benefacere, an male: animam saluam facere, an perdere? Et circunspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam: Et extendit & restituta est manꝰ eius. Ipsi autem repleti sunt insipientia: & colloquebantur adinuicem, quidnam facerent de Iesu. Factum est autem in illis diebus, exijt in montem orare: & erat pernoctans in oratiõe dei: & cum dies factus esset, uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & apostolos nominauit, Simonem quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobũ & Iohannem, Philippũ & Bartholomæum, Matthæũ & Thomam, Iacobum Alphei & Simonem qui uocatur Zelotes, Iudam Iacobi, & Iudam Scarioth, qui fuit proditor. Et descendens cum illis de monte, stetit in loco cãpestri, & turba discipulorum eius & multitudo copiosa plebis, ab oñi Iudæa & Hierusalem & maritima & Tyri & Sidonis, qui uenerant ut audirẽt eum & sanarentur a languoribus suis. Et qui uexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia uirtus de illo exibat & sanabat oñes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat. Beati pauperes: quia uestrũ est regnũ dei. Beati qui nũc esuritis: quia saturabimini. Beati qui nũc fletis: quia ridebitis

μϑ ε γελάσετε. * μακάριοι ἐστέ, ὅταν μισήσωσιν ὑμᾶς οἱ ἄνθρωποι, καὶ ἀφορίζωσιν ὑμᾶς, καὶ ὀνειδίσωσι, καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν, ἕνεκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. χάρητε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ καὶ σκιρτήσατε, ἰδοὺ γὰρ ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς. κατὰ ταῦτα γὰρ ἐποίουν τοῖς προφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν. πλὴν οὐαὶ ὑμῖν τοῖς πλουσίοις, ὅτι ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν. * οὐαὶ ὑμῖν, οἱ ἐμπεπλησμένοι, ὅτι πεινάσετε. οὐαὶ ὑμῖν, οἱ γελῶντες νῦν, ὅτι πενθήσετε καὶ κλαύσετε. * οὐαὶ ὑμῖν, ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες οἱ ἄνθρωποι. κατὰ ταῦτα γὰρ ἐποίουν τοῖς ψευδοπροφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν. * Ἀλλὰ ὑμῖν λέγω τοῖς ἀκούουσιν, ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς. * τῷ τύπτοντί σε ἐπὶ τὴν σιαγόνα, πάρεχε καὶ τὴν ἄλλην. καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντός σου τὸ ἱμάτιον, καὶ τὸν χιτῶνα μὴ κωλύσῃς. παντὶ δὲ τῷ αἰτοῦντί σε δίδου. καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σὰ, μὴ ἀπαίτει. * καὶ καθὼς θέλετε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς ὁμοίως. * καὶ εἰ ἀγαπᾶτε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τοὺς ἀγαπῶντας αὐτοὺς ἀγαπῶσι. καὶ ἐὰν ἀγαθοποιῆτε τοὺς ἀγαθοποιοῦντας ὑμᾶς ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τὸ αὐτὸ ποιοῦσι. καὶ ἐὰν δανείζητε παρ᾽ ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν, ποία ὑμῖν χάρις ἐστίν; καὶ γὰρ ἁμαρτωλοῖς δανείζουσιν, ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα. πλὴν ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καὶ ἀγαθοποιεῖτε καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες καὶ ἔσται ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς, καὶ ἔσεσθε υἱοὶ τοῦ ὑψίστου, ὅτι αὐτὸς χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς. γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί. * μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε. μὴ κατακρίνετε, καὶ οὐ μὴ κατακριθῆτε. Ἀπολύετε, καὶ ἀπολυθήσεσθε. Δίδοτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν. μέτρον καλὸν

bitis. Beati eritis cum uos oderint homines, & seperauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanq; malum propter filium hominis. Gaudete in illo die & exultate, ecce enim merces uestra multa est in cœlis. Secundū hæc enim faciebāt prophetis patres eorum. Veruntamē uæ uobis diuitibꝰ, quia habetis cōsolationem uestrā. Væ uobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ cū laudauerint uos omnes homines. Secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. Sed uobis dico qui auditis, Diligite inimicos uestros: bñfacite his qui uos oderunt. Benedicite maledicentibus uobis, & orate pro calumniantibus uos. Percutienti te in maxillam, præbe & alteram, & ab eo qui aufert tibi pallium, etiam tunicam noli prohibere. Omni aūt exigēti abs te, tribue, & ab eo qui aufert quæ tua sunt, ne reposcas. Et prout uultis ut faciāt uobis homines, uos quoq; facite illis similiter. Et si diligitis eos qui uos diligunt, quæ uobis est gratia? Nam & peccatores eos à quibus diliguntur, diligunt. Et si benefeceritis his qui uobis benefaciūt, quæ uobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciūt. Et si mutuum dederitis his à quibꝰ speratis uos recepturos, quæ gratia est uobis? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant paria. Quin immò diligite inimicos uestros, & benefacite, & mutuū date, nihil inde sperātes & erit merces uestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est erga ingratos ac malos. Estote ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Remittite, & remittetur uobis. Date & dabitur uobis. Mensuram

debitis. Beati eritis cū uos oderint homines & cum separauerint uos & exprobauerint: & eiecerint nomē uestrum tanquā malum propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate: ecce enī merces uestra multa est in cœlo. Secundū hæc enim faciebant prophetis patres eorū. Verūtamē uæ uobis diuitibꝰ qui habetis cōsolationem uestrā. Væ uobis qui saturati estis: qa esurietis. Væ uobis qui ridetis nūc: quia lugebitis & flebitis. Væ cū benedixerint uobis oīnes homines: Secundū hæc enim faciebāt pseudo prophetis patres eorū. Sed uobis dico qui auditis: Diligite inimicos uestros: benefacite his qui uos oderunt: benedicite maledicētibus uobis: & orate pro calūniantibus uos. Et qui te percusserit in maxillā unā, præbe illi & alterā. Et ab eo qui aufert tibi uestimētum, etiā tunicā noli prohibere. Omni autē petēti te, tribue: & q aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et prout uultis ut faciāt uobis homines, & uos facite illis similiter. Et si diligitis eos qui uos diligūt: quæ uobis est gratia? Nā & peccatores diligētes se diligunt. Et si benefeceritis his qui uos diligūt: quæ uobis est gratia? Siquidē & peccatores hoc faciunt. Et si mutuū dederitis his a quibꝰ speratis recipere: quæ gratia est uobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerātur ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos uestros: benefacite & mutuū date, nihil inde sperātes & erit merces uestra multa. Et eritis filij altissimi: quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut, & pater uester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condennabimini. Dimittite, & dimittetur uobis. Date, & dabit̄ uobis. Mensuram

ΛΟΥΚΑΣ.

προμ καλὸμ πεπιεσμμένομ, ⁊ σεσαλευμμένομ, ⁊ ὑπερεκχυνόμμενομ δώσουσιμ εἰς τὸμ κόλπομ ὑμῶμ. τῷ γὰρ αὐτῷ μέτρῳ ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖμ. * Εἶπε δὲ παραβολὴμ αὐτοῖς. μὴ δύναται τυφλὸς τυφλὸμ ὁδηγεῖμ; οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνομ πεσοῦνται. * Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸμ διδάσκαλομ αὐτοῦ, κατηρτισμμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ. * Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴμ δὲ δοκὸμ τὴμ ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς; ἢ πῶς δύνασαι λέγειμ τῷ ἀδελφῷ σου, ἄδελφε, ἄφες ἐκβάλω τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου, αὐτὸς τὴν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου δοκὸμ οὐ βλέπων; ὑπόκριτα, ἔκβαλε πρῶτομ τὴμ δοκὸμ ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, ⁊ τότε διαβλέψεις, ἐκβαλεῖμ τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου. * Οὐ γάρ ἐστι δένδρομ καλὸμ, ποιοῦμ καρπὸμ σαπρόμ. οὐδὲ πάλιμ δένδρομ σαπρόμ, ποιοῦμ καρπὸμ καλόμ. ἕκαστομ γὰρ δένδρομ ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται. * Οὐ γὰρ ἐξ ἀκανθῶμ συλλέγουσι σῦκα. οὐδὲ ἐκ βάτου τρυγῶσι σταφυλήν. * Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ ἀγαθόμ. καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ πονηρόμ. ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας λαλεῖ τὸ στόμα αὐτοῦ. * Τί δέ με καλεῖτε κύριε, κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω. * Πᾶς ὁ ἐρχόμενος πρός με, ⁊ ἀκούων μου τῶν λόγων, καὶ ποιῶν αὐτούς, ὑποδείξω ὑμῖν τίνι ἐστὶμ ὅμοιος. ὅμοιός ἐστὶμ ἀνθρώπῳ οἰκοδομοῦντι οἰκίαμ, ὃς ἔσκαψε ⁊ ἐβάθυνε, καὶ ἔθηκε θεμέλιομ ἐπὶ τὴν πέτραμ, πλημμύρας δὲ γενομένης, προσέρηξεν ὁ ποταμὸς τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, ⁊ οὐκ ἴσχυσε σαλεῦσαι αὐτήν, τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραμ. ὁ δὲ ἀκούσας, ⁊ μὴ ποιήσας, ὅμοιός ἐστὶμ ἀνθρώπῳ οἰκοδομήσαντι οἰκίαμ ἐπὶ τῆς γῆς χωρὶς θεμελίου, ᾗ προσέρηξεν ὁ ποταμός, καὶ εὐθέως ἔπεσε, ⁊ ἐγένετο τὸ ῥῆγμα τῆς οἰκίας ἐκείνης μέγα.

* Ἐπεὶ δὲ ἐπλήρωσε πάντα τὰ ῥήματα τὰ αὐτοῦ

ERASMVS.

suram bonam & confertam, & concussam atq; exundantem dabunt in sinum uestrum. Eadem quippe mensura qua metimini, metientur alij uobis. Dicebat autem illis similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcũ ducere? nónne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus supra magistrum suum: perfectus autem omnis erit, sicut magister ipsius. Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo proprio est, non animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, sine eij ciam festucam quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non uidens: Hypocrita, eijce primum trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies, ut eijcias festucã, quæ est in oculo fratris tui. Non est enim arbor bona, quæ facit fructũ malum: neque arbor mala, faciens fructum bonum. Vnaquæq; eñ arbor ex fructu suo cognoscitur. Neque enim è spinis colligunt ficus, neque è rubo uindemiant uuam. Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abũdantia eñ cordis os loquitur. Quid autem uocatis me domine, domine, & non facitis quæ dico? Quisquis uenit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam uobis, cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum: qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram. Inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere. Fundata enim erat super petram. Qui autẽ audiuit & non fecit, similis est homini, qui ædificauit domum suam super terram, absq; fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna. Cum autem consummasset omnia uerba sua

VVLG. EDITIO. 127

suram bonam & cõfertam & coagitatam & superefflu entem dabunt in sinum uestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur uobis. Dicebat autem illis & similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere: nõne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum: perfectus autẽ omnis erit si sit sicut magister ei⁹. Quid autem uides festucã in oculo fratris tui trabem autem quæ in oculo tuo est nõ cõsideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater sine, eijciam festucã de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non uides? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies ut educas festucã de oculo fratris tui. Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos: neq; arbor mala faciens fructum bonum. Vnaquæq; eñ arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo uindemiãt uuã. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonũ: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia eñ cordis os loquitur. Quid autem uocatis me domine domine, & non facitis quæ dico? Omnis qui uenit ad me: & audit sermones meos: & facit eos, ostendam uobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum qui fodit in altum: & posuit fundamentum supra petram. Inundatione autẽ facta, illisum est flumen domui illi: & nõ potuit eam mouere: fundata enim erat supra petram. Qui autem audit & non facit, similis est homini ædificanti domum suam supra terram sine fundamẽto: in quam illisus est fluuius: & continuo cecidit: & facta est ruina illius domus magna.

Cũ aũt implesset oñia uer VII.

τα αὐτ ἐις τὰς ἀκοὰς τ λαοῦ, εἰσῆλ
θεν εἰς καπ ναούμ. ἑκατοντάρχου δέ
τινος δοῦλος κακῶς ἔχων, ἤμελλε τε
λευτᾶν, ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος. ἀκού
σας δὲ περὶ τοῦ Ιησοῦ, ἀπέστειλε πρὸς
αὐτὸν πρεσβυτέρους τ Ἰουδαίων, ἐρω
τῶν αὐτὸν, ὅπως ἐλθὼν διασώσῃ τ
δοῦλον αὐτοῦ. οἱ δὲ παραγενόμενοι
πρὸς τὸν Ιησοῦν, παρεκάλουν αὐτὸν
σπουδαίως, λέγοντες, ὅτι ἄξιός ἐστιν
ᾧ παρέξῃ τοῦτο. ἀγαπᾷ γὰρ τὸ ἔθνος
ἡμῶν, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς
ᾠκοδόμησεν ἡμῖν. ὁ δὲ Ιησοῦς ἐπο
ρεύετο σὺν αὐτοῖς. ἤδη δὲ αὐτοῦ οὐ
μακρὰν ἀπέχοντος ἀπὸ τῆς οἰκί
ας, ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν ὁ ἑκατόνταρ
χος φίλους, λέγων αὐτῷ· κύριε, μὴ
σκύλλου, οὐ γάρ εἰμι ἱκανὸς, ἵνα ὑ
πὸ τὴν στέγην μου εἰσέλθῃς. διὸ οὐ
δὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα πρός σε ἐλθεῖν,
ἀλλὰ εἰπὲ λόγῳ, καὶ ἰαθήσεται ὁ
παῖς μου. καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός
εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενος, ἔχων
ὑπ ἐμαυτὸν στρατιώτας, καὶ λέ
γω τούτῳ, πορεύθητι, καὶ πορεύε
ται· καὶ ἄλλῳ, ἔρχου, καὶ ἔρχεται. καὶ
δούλῳ μου, ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ.
ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Ιησοῦς, ἐθαύ
μασεν αὐτόν· καὶ στραφεὶς, τῷ ἀκο
λουθοῦντι αὐτῷ ὄχλῳ εἶπε. λέγω ὑ
μῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην
πίστιν εὗρον. * καὶ ὑποστρέψαντες οἱ
πεμφθέντες εἰς τὸν οἶκον, εὗρον τὸν
ἀσθενοῦντα δοῦλον ὑγιαίνοντα. * καὶ
ἐγένετο ἐν τῷ ἑξῆς ἐπορεύετο εἰς πό
λιν, καλουμένην ναείν, καὶ συνεπο
ρεύοντο αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἱκα
νοὶ, καὶ ὄχλος πολύς. ὡς δὲ ἤγγισε
τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, καὶ ἰδοὺ ἐξεκομί
ζετο τεθνηκὼς υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ
αὐτοῦ, καὶ αὕτη ἦν χήρα, καὶ ὄχλος τῆς
πόλεως ἱκανὸς σὺν αὐτῇ, καὶ ἰδὼν
αὐτὴν ὁ κύριος, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ
αὐτῇ, καὶ εἶπεν αὐτῇ· μὴ κλαῖε. καὶ
προσελθὼν, ἥψατο τῆς σοροῦ. οἱ δὲ βα
στάζοντες ἔστησαν, καὶ εἶπε. νεανίσκε,
σοὶ λέγω, ἐγέρθητι, καὶ ἀνεκάθισεν ὁ
νεκρὸς, καὶ ἤρξατο λαλεῖν, καὶ ἔδωκεν
αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ. ἔλαβε δὲ φό
βος πάντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν θεὸν,
λέγοντες, ὅτι προφήτης μέγας ἐγή
γερται ἐν ἡμῖν, καὶ ὅτι ἐπεσκέψατο
ὁ θεὸς

ba ſua audiente populo, intrauit Capernaum. Centurionis autem cuiuſdam ſeruus male habens, agebat animã, qui illi erat charus: Cum audiſſet autẽ de Ieſu, miſit ad eum ſeniores ludæorum, rogans eum, ut ueniret & ſeruaret ſeruum ſuum. At illi cum uenirent ad lesum, rogabant eum ſtudioſe, dicẽtes: Dignus eſt, ut hoc illi præſtes. Diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis. Ieſus autẽ ibat cum illis. Et cum iam non longe abeſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens ei: Domine, noli uexari. Non enim ſum dignus, ut ſub tectum meum intres. Quapropter nec meipſum ſum dignum arbitratus, ut uenirem ad te, ſed dic uerbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate cõſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, uade, ac uadit: & alteri, ueni, ac uenit: & ſeruo meo, fac hoc, ac facit. Auditis autem his Ieſus, miratus eſt eum, & conuerſus, ſequenti ſe turbæ dixit: Dico uobis, ne in Iſraël quidem tantam fidem inueni. Et reuerſi, qui miſſi fuerant, in domum, repererunt ſeruum qui languerat, ſanum. Et factum eſt, deinceps ibat in ciuitatem, quæ uocatur Nain, & ibant cum eo diſcipuli eius multi, turbaque copioſa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matri ſuæ. & hæc uidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cũ uidiſſet dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit, tetigítque loculum. Porrò qui portabant ſubſtiterunt. Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & glorificabant deum, dicentes: Propheta magnus ſurrexit inter nos, & deus

ba ſua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiuſdam ſeruus male habens erat moriturus: qui illi erat precioſus. Et cum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum ut ueniret & ſanaret ſeruũ eius. At illi cum uenirent ad Ieſum, rogabant eum ſollicite dicẽtes ei: quia dignus eſt ut hoc illi præſtes: diligit enim gentem noſtrã: & ſynagogã ipſe ædificauit nobis. Ieſus autem ibat cum illis: Et cum iam non longe eſſet a domo: miſit ad eum Cẽturio amicos, dicẽs: Domine, noli uexari. Non eñ ſum dignus ut ſub tectum meũ intres: propter quod & meipſum non ſum dignũ arbitratus ut uenirem ad te, ſed dic uerbo & ſanabitur puer meus. Nã & ego homo ſum ſub poteſtate cõſtitutus, habens ſub ſe milites: & dico huic uade, & uadit: & alio ueni, & uenit: & ſeruo meo fac hoc, & facit. Quo audito Ieſus miratus eſt: & conuerſus ſequentibus ſe turbis, dixit: Amen dico uobis: nec in Iſrael tantam fidem inueni. Et reuerſi qui miſſi fuerant domum, inuenerunt ſeruum qui languerat ſanum. Et factum eſt deinceps ibat Ieſus in ciuitatẽ quæ uocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli eius & turba copioſa. Cum autẽ appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicꝰ matris ſuæ: & hæc uidua erat: & turba ciuitatis multa cũ illa. Quã cum uidiſſet dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterũt. Et ait: Adoleſcens tibi dico ſurge. Et reſedit qui erat mortuꝰ: & cœpit loqui: & dedit illũ matri ſuæ. Accepit autẽ omnes timor & magnificabant deũ, dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia

ΛΟΥΚΑΣ.

ξκ ὁ θεὸς τ̃ λαὸν αὐτ̃ο. *καὶ ἦλθεν ὁ
ι λόγος οὗτος ἐν ὅλῃ τ̃ῇ ἰουδαίᾳ περὶ αὐ
ξθ τ̃ου, & ἐν πάσῃ τ̃ῇ περιχώρῳ. * καὶ
ε ἀπήγγειλαν ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ αὐτ̃ο
περὶ πάντων τ̃ούτων. κ̄ προσκαλεσά
μενος & δύο τινὰς τ̃ῶν μαθητ̃ῶν αὐτ̃ο
ὁ ἰωάννης, ἔπεμψε πρὸς τὸν ἰησ̃ν̄,
λέγων. Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον
προσδοκῶμεν; παραγενόμενοι δὲ
πρὸς αὐτὸν οἱ ἄνδρες, εἶπον. Ἰωάν
νης ὁ βαπτιστὴς ἀπέσταλκεν ἡμᾶς
πρ̃ὸς σε, λέγων. Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος,
ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν; ἐν αὐτῇ τ̃ῇ
ὥρᾳ ἐθεράπευσε πολλοὺς ἀπὸ νόσων
καὶ μαστίγων, & πνευμάτων πονη
ρῶν, & τυφλοῖς πολλοῖς ἐχαρίσα
το βλέπειν. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰη
σ̃ς, εἶπεν αὐτ̃οῖς. πορευθέντες ἀπαγ
γείλατε ἰωάννῃ, ἃ εἴδετε & ἠκ̃ούσατε
ὅτι τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, χωλοὶ πε
ριπατ̃οῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, κω
φοὶ ἀκ̃ούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται, πτω
χοὶ εὐαγγελίζονται, & μακάριός ἐστιν
ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί. Α
πελθόντων δὲ τ̃ῶν ἀγγέλων ἰωάννου
ἤρξατο λέγειν πρὸς τοὺς ὄχλους περὶ
ἰωάννου. τί ἐξ̃ελ̃ηλ̃υθατε εἰς τὴν ἔρη
μον θεάσασθαι; κάλαμον ὑπὸ ἀνέ
μου σαλευόμενον; ἀλλὰ τί ἐξ̃ελ̃ηλύ
θατε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱ
ματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ οἱ ἐν ἱ
ματισμῷ ἐνδόξῳ, & τρυφῇ ὑπάρ
χοντες, ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσίν. Αλ
λὰ τί ἐξελ̃ηλύθατε ἰδεῖν; προφήτην;
ναὶ λέγω ὑμῖν, καὶ περισσότερον προ
ο φήτου. * οὗτός ἐστι περὶ οὗ γέγρα
β πται. ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγε
λόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατα
σκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν
σου. * λέγω γὰρ ὑμῖν. μείζων ἐν
γ γεννητοῖς γυναικῶν προφήτης ἰω
άννου τ̃οῦ βαπτιστ̃οῦ οὐδείς ἐστιν. ὁ δὲ μι
κρότερος ἐν τ̃ῇ βασιλείᾳ τ̃οῦ θεοῦ, μείζων
δ αὐτ̃οῦ ἐστι. * καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκ̃ού
ι σας & οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τ̃ὸν θεὸν,
βαπτισθέντες τ̃ὸ βάπτισμα ἰωάννου.
οἱ δὲ φαρισαῖοι & οἱ νομικοὶ τ̃ὴν βου
λὴν τ̃οῦ θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτοὺς, μὴ
βαπτισθέντες ὑπ' αὐτ̃οῦ. Εἶπε δὲ ὁ κύ
ι ριος. * τίνι οὖν ὁμοιώσω τοὺς ἀνθρώ
πους τ̃ῆς γενεᾶς ταύτης, & τίνι εἰσὶν
ὅμοιοι; ὅμοιοί εἰσι παιδίοις τοῖς
ἐν ἀγορᾷ

ERASMVS.

& deus uisitauit plebem suam. Et exijt hic rumor in uniuersam Iudæam de eo, & omnẽ finitimam regionem. Et nunciauerunt Iohãni discipuli ipsius de his oĩbus. Et conuocauit duos de discipulis suis Iohannes, misitq; ad Iesum, dicens: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Cum autem uenissent ad eum uiri, dixerunt: Iohãnes baptista misit nos ad te, dicens: Tu es ille qui uenturus es, an alium expectamus? In eadem autem hora multos curauit à morbis ac plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit uisum. Et respõdens dixit illis: Euntes renunciate Iohanni, quæ uidistis & audistis, quod cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundãtur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperib⁹ annunciatur euãgelium, & beatus est quicunq; nõ fuerit offensus per me. Et cum discessissent nuncij Iohannis, cœpit de Iohãne dicere ad turbas: Quid existis in desertum ut uideretis? arundinem uento agitari? Sed quid existis uisuri? hominem mollibus uestimentis indutum? Ecce qui uestitu splendido uestiuntur, & in delitijs agunt, in aulis Regum sunt. Sed quid existis ad uidendum? prophetam? Vtique dico uobis, & plus quàm prophetam. Hic est de quo scriptum est, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Dico enim uobis: Maior inter natos mulierum propheta Iohãne baptista nemo est. Attamen qui minor est in regno dei, maior est illo. Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt deum, baptizati baptismo Iohannis. Pharisæi autem & legisperiti consilium dei spreuerunt aduersus semetipsos, non baptizati ab eo. Ait autem dominus. Cui ergo similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus

VVLG. EDITIO. 129

& quia deus uisitauit plebẽ suam. Et exijt hic sermo in uniuersam Iudæam de eo & omnem circa regionem. Et nunciauerũt Iohanni discipuli eius de oĩbus his: & cõuocauit duos de discipulis suis Iohannes: & misit ad Iesum, dicens: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Cum autem uenissent ad eum uiri, dixerunt: Iohannes baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui uenturus es, an aliũ expectamus? In ipsa autẽ hora multos curauit a languoribꝰ suis & plagis & spiritibus malis: & cæcis multis donauit uisum. Et respõdens dixit illis: Euntes, renunciate Iohanni quæ audistis & uidistis: quia cæci uident: claudi ambulant: leprosi mũdantur: surdi audiunt: mortui resurgunt: pauperes euangelizãtur: & beatus est quicunq; non fuerit scãdalizatus in me. Et cum discessissent nuncij Iohãnis, cœpit de Iohanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum uidere: harũdinem uento agitatã? Sed quid existis uidere hominem mollibus uestimentis indutum? Ecce qui in ueste preciosa sunt & delitijs in domibꝰ regum sunt. Sed quid existis uidere? Prophetam? Vtiq; dico uobis & plus quã prophetam. Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit uiã tuã ante te. Dico eĩ uobis. Maior inter natos mulierũ propheta Iohanne baptista, nemo est. Qui autem minor est in regno dei, maior est illo. Et omnis populus audiens & publicani, iustificauerunt deum: baptizati baptismo Iohannis. Pharisæi autem & legisperiti cõsiliũ dei spreuerunt, in semetipsos non baptizati ab eo. Ait autem dominus. Cui ergo similes dicam homines generationis huius: & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus

ἐν ἀγορᾷ καθημένοις, & προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις, & λέγουσιν· ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκλαύσατε. Ἐλήλυθε γὰρ Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς, μὴ τε ἄρτον ἐσθίων, μή τε οἶνον πίνων, & λέγετε, δαιμόνιον ἔχει. ἐλήλυθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων & πίνων & λέγετε. Ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος & οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν, καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ πάντων τῶν τέκνων αὐτῆς. πάντων

οδ α * Ἠρώτα δέ τις αὐτὸν τῶν φαρισαίων, ἵνα φάγῃ μετ' αὐτοῦ, καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸν οἶκον τοῦ φαρισαίου ἀνεκλίθη. καὶ ἰδοὺ γυνὴ ἐν τῇ πόλει, ἥτις ἦν ἁμαρτωλός, ἐπιγνοῦσα, ὅτι ἀνάκειται ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ φαρισαίου, κομίσασα ἀλάβαστρον μύρου, & στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω κλαίουσα, ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας αὐτοῦ τοῖς δάκρυσι, & ταῖς θριξὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμασσε, & κατεφίλει τοὺς πόδας αὐτοῦ, & ἤλειφε τῷ μύρῳ. Ἰδὼν δὲ ὁ φαρισαῖος ὁ καλέσας αὐτὸν, εἶπεν ἐν ἑαυτῷ, λέγων. οὗτος εἰ ἦν προφήτης, ἐγίνωσκεν ἂν, τίς καὶ ποταπὴ ἡ γυνὴ, ἥτις ἅπτεται αὐτοῦ, ὅτι ἁμαρτωλός ἐστι. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπε πρὸς αὐτόν. Σίμων, ἔχω σοί τι εἰπεῖν. ὁ δέ φησι, Διδάσκαλε, εἰπέ. Δύο χρεοφειλέται ἦσαν δανειστῇ τινι, ὁ εἷς ὤφειλε δηνάρια πεντακόσια, ὁ δὲ ἕτερος πεντήκοντα, μὴ ἐχόντων δὲ αὐτῶν ἀποδοῦναι, ἀμφοτέροις ἐχαρίσατο. τίς οὖν αὐτῶν εἰπὲ πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει; Ἀποκριθεὶς ὁ Σίμων, εἶπεν, ὑπολαμβάνω, ὅτι ᾧ τὸ πλεῖον ἐχαρίσατο. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ. ὀρθῶς ἔκρινας, καὶ στραφεὶς πρὸς τὴν γυναῖκα, τῷ Σίμωνι ἔφη. βλέπεις ταύτην τὴν γυναῖκα; εἰσῆλθόν σου εἰς τὴν οἰκίαν, ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας μου οὐκ ἔδωκας, αὕτη δὲ τοῖς δάκρυσιν ἔβρεξέ μου τοὺς πόδας, καὶ ταῖς θριξὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμαξε, φίλημά μοι οὐκ ἔδωκας, αὕτη δὲ ἀφ' ἧς εἰσῆλθον, οὐ διέλειπε καταφιλοῦσά μου τοὺς πόδας. ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου οὐκ ἤλειψας, αὕτη δὲ μύρῳ ἤλειψέ μου τοὺς πόδας. οὗ χάριν λέγω σοι, ἀφέωνται αἱ ἁμαρ

ERASMVS.

sedentibus in foro, & acclamantibus inter se ac dicentibus: Cantauimus uobis tibijs, & nō saltastis. Cecinimus uobis lugubria, & nō ploraſtis. Venit enim Iohannes baptiſta neq; edens panem, neq; bibens uinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit filius hominis edens ac bibēs, & dicitis: Ecce homo edax, & uinipotor, amicꝰ publicanorū ac peccatorū. Et iuſtificata eſt ſapiētia a filijs ſuis omībꝰ. Rogabat aūt illum quidā è phariſæis, ut caperet cibū cū ipſo. Et ingreſſus domū phariſæi, accubuit. Et ecce mulier quæ fuerat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quod Ieſus accubuiſſet in domo phariſæi, attulit alabaſtrū unguēti, ſtánſque ad pedes eius à tergo, flens lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui extergebat, & deoſculabaī pedes eius, & unguento ungebat. Vidēs autem phariſæus, qui uocauerat eum, ait intra ſe, dicēs: Hic ſi eſſet prophe ta, ſciret utiq;, quæ & qualis eſt mulier, quæ tāgit ipſum', quia peccatrix eſt. Et reſpondens Ieſus dixit ad illū: Simon, habeo quiddam quod tibi dicā. At ille ait: Magiſter dic. Duo debitores erāt cuidam creditori, unus debebat denarios quingētos, & alter quinquaginta. Cum aūt illi non eſſent ſoluendo, cōdonauit utriſq;. Horum igitur, dic uter eum plus diligeť? Reſpōdens Simō, dixit: Exiſtimo, quod is cui plus cōdonauit. At ille dixit ei: Recte iudicaſti. Et conuerſus ad mulierē, dixit Simoni: Vides hanc mulierē: Intraui in domū tuam, aquā pedibus meis nō dediſti, hæc autē lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis ſui exterſit. Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intraui, nō ceſſauit deoſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittātur peccata

VVLG. EDITIO.

ſedentibus in foro & loquētibus ad inuicē & dicētibus: Cātauimus uobis tibijs, & nō ſaltaſtis: Lamētauimꝰ, & non ploraſtis. Venit autē Iohannes baptiſta, neq; manducans panē, neq; bibēs uinum: & dicitis dæmoniū habet. Venit filiꝰ hominis mānducans & bibēs, & dicitis: Ecce homo deuorator & bibens uinū, amicus publicanorū & peccatorū. Et iuſtificata eſt ſapiētia ab oīnibus filijs ſuis. Rogabat autē illū quidā de phariſæis ut manducaret cū illo. Et ingreſſus domū phariſæi diſcubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix: ut cognouit quod Ieſus accubuiſſet in domo phariſæi: attulit alabaſtrū unguenti: & ſtans retro ſecꝰ pedes eius: lachrymis cœpit rigare pedes eiꝰ: & capillis capitis ſui tergebat: & oſculabaī pedes eius & unguēto ungebat. Vidēs autē phariſæus qui uocauerat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet propheta ſciret utiq; quæ & qualis eſt mulier quæ tāgit eum: quia peccatrix eſt. Et reſpōdens Ieſus, dixit ad illū: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic: Duo debitores erāt cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos: & alius quinquaginta. Nō habentibus illis unde redderēt, donauit utriſq;: Quis ergo eū plus diligit? Reſpōdens Simō dixit: Eſtimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicaſti. Et cōuerſus ad mulierē dixit Simoni: Vides hanc mulierē? Intraui in domū tuā: aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos: & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguēto unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: remittūtur ei peccata

ΛΟΥΚΑΣ.

αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί, ὅτι ἠγάπησε πολύ. ᾧ δὲ ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ. Εἶπε δὲ αὐτῇ. ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι. καὶ ἤρξαντο οἱ συνανακείμενοι λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, τίς οὗτός ἐστιν, ὃς καὶ ἁμαρτίας ἀφίησιν; Εἶπε δὲ πρὸς τὴν γυναῖκα. ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, πορεύου εἰς εἰρήνην. * Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ καθεξῆς, καὶ αὐτὸς διώδευε κατὰ πόλιν καὶ κώμην κηρύσσων, καὶ εὐαγγελιζόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ καὶ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ, καὶ γυναῖκες τινὲς αἳ ἦσαν τεθεραπευμέναι ἀπὸ πνευμάτων πονηρῶν καὶ ἀσθενειῶν, Μαρία ἡ καλουμένη Μαγδαληνή, ἀφ' ἧς δαιμόνια ἑπτὰ ἐξεληλύθει, καὶ Ἰωάννα γυνὴ Χουζᾶ, ἐπιτρόπου Ἡρῴδου, καὶ Σουσάννα, καὶ ἕτεραι πολλαί, αἵτινες διηκόνουν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς. * Συνιόντος δὲ ὄχλου πολλοῦ, καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτὸν, εἶπε διὰ παραβολῆς. Ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον αὐτοῦ, καὶ ἐν τῷ σπείρειν αὐτὸν, ὃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδόν, καὶ κατεπατήθη, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέφαγεν αὐτό. καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν πέτραν καὶ φυὲν ἐξηράνθη διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα. καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν, καὶ συμφυεῖσαι αἱ ἄκανθαι ἀπέπνιξαν αὐτό. καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἀγαθήν, καὶ φυὲν ἐποίησε καρπὸν ἑκατονταπλασίονα. Ταῦτα λέγων ἐφώνει, Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. Ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες, τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη. Ὁ δὲ εἶπεν. ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, * τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν. * Ἔστι δὲ αὕτη ἡ παραβολή. Ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδόν εἰσιν, οἵτινες ἀκούουσιν, εἶτα ἔρχεται ὁ διάβολος, καὶ αἴρει τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν. οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἵτινες ὅταν ἀκούσωσι μετὰ χαρᾶς δέχονται τὸν λόγον, καὶ οὗτοι ῥίζαν οὐκ ἔχουσιν, οἳ

ERASMVS.

peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus remittitur, is minus diligit. Dixit autem ad illã: Remittuntur tibi peccata. Et cœperũt qui simul accumbebant dicere intra se: Quis est hic, qui etiã peccata remittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit. uade cum pace.

Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per singulas ciuitates & castella, prædicãs & annuncians regnũ dei, & duodecim cũ illo, simulq; mulieres aliquæ, quæ erant sanatæ à spiritibus malis, & infirmitatibus: Maria quæ uocatã Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Cum autem turba plurima conueniret, & è singulis ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exijt qui sementem faciebat ad seminandũ semẽ suũ, & inter seminandũ, aliud cecidit circa uiam, & conculcatum est, & uolucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit super petram, & enatũ aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul enatæ spinæ suffocauerũt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & enatum fecit fructum centuplũ. Hæc dicẽs clamabat: Qui habet aures ad audiendum, audiat. Interrogabant autẽ eum discipuli eius, dicentes: quæ esset ista parabola. At ille dixit: Vobis datũ est nosse mysteria regni dei, cæteris aũt per parabolas ut uidentes nõ uideãt, & audientes nõ intelligant. Est aũt hæc parabola: Semen est sermo dei. Qui autem iuxta uiam, hi sunt qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit sermonem de corde eorum ne credentes seruentur. Nam qui super petrã, ij sunt qui cum audierint, cum gaudio suscipiũt sermonem. & hi radices non habent, qui ad

VVLG. EDITIO. 151

cata multa: quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit: Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se: Quis est hic qui etiam peccata dimittit. Dixit autẽ ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: Vade in pace.

Et factum est deinceps, & VIII. ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans & euangelizans regnũ dei: & duodecim cum illo: & mulieres aliquæ quæ erãt curatæ a spiritib⁹ malignis & infirmitatibus: Maria quæ uocatur Magdalene de qua septem dæmonia exierant: & Iohanna uxor Chuzæ procuratoris Hærodis: & Susanna & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Cum autẽ turba plurima cõueniret: & de ciuitatibus properarẽt ad eum, dixit per similitudinem: Exijt qui seminat seminare semẽ suũ. Et dum seminat, aliud cecidit secus uiam & cõculcatum est: & uolucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petrã: & natũ aruit: quia nõ habebat humorẽ: & aliud cecidit inter spinas: & simul exortæ spinæ suffocauerũt illud. Et aliud cecidit in terrã bonam: & ortum fecit fructũ centuplum. Hæc dicẽs clamabat: Qui habet aures audiẽdi, audiat. Interrogabant autẽ eum discipuli eius quæ esset hæc parabola. Quib⁹ ipse dixit: Vobis datum est nosse mysteriũ regni dei: cæteris autem in parabolis: ut uidentes non uideant: & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola. Semẽ est uerbum dei. Qui autem secus uiam: hi sunt qui audiunt: deinde uenit diabolus & tollit uerbum de corde eorum: ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt uerbum: & hi radices nõ habẽt

quia

σιμ, οἱ πρὸς καιρὸν πιστεύουσι, καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται. τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσόν, οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκούσαντες, καὶ ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου, καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι συμπνίγονται, καὶ οὐ τελεσφοροῦσι. τὸ δὲ ἐν τῇ καλῇ γῇ, οὗτοί εἰσιν, οἵτινες ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ ἀκούσαντες τὸν λόγον κατέχουσι, καὶ καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ. * οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας καλύπτει αὐτὸν σκεύει, ἢ ὑποκάτω κλίνης τίθησιν, ἀλλ' ἐπὶ λυχνίας ἐπιτίθησιν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι βλέπωσι τὸ φῶς. οὐ γάρ ἐστι κρυπτὸν ὃ οὐ φανερὸν γενήσεται. * οὐδὲ ἀπόκρυφον, ὃ οὐ γνωσθήσεται, καὶ εἰς φανερὸν ἔλθῃ. * βλέπετε οὖν πῶς ἀκούετε. ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ. καὶ ὃς ἂν μὴ ἔχῃ, καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. * Παρεγένοντο δὲ πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον, καὶ ἀπηγγέλθη αὐτῷ λεγόντων. Ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἑστήκασιν ἔξω, ἰδεῖν σε θέλοντες. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε πρὸς αὐτούς. Μήτηρ μου καὶ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν, οἱ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ ἀκούοντες καὶ ποιοῦντες αὐτόν. * καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἐνέβη εἰς πλοῖον, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς. Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης, καὶ ἀνήχθησαν. πλεόντων δὲ αὐτῶν ἀφύπνωσε, καὶ κατέβη λαῖλαψ ἀνέμου εἰς τὴν λίμνην, καὶ συνεπληροῦντο καὶ ἐκινδύνευον. προσελθόντες δὲ διήγειραν αὐτόν, λέγοντες. ἐπιστάτα, ἐπιστάτα, ἀπολλύμεθα. ὁ δὲ ἐγερθεὶς ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ καὶ τῷ κλύδωνι τοῦ ὕδατος. καὶ ἐπαύσαντο, καὶ ἐγένετο γαλήνη. Εἶπε δὲ αὐτοῖς. Ποῦ ἐστιν ἡ πίστις ὑμῶν; φοβηθέντες δὲ ἐθαύμασαν, λέγοντες, πρὸς ἀλλήλους. Τίς ἄρα οὗτός ἐστιν; ὅτι καὶ τοῖς ἀνέμοις ἐπιτάσσει καὶ τῷ ὕδατι καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ; καὶ κατέπλευσαν εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν, ἥ ἐστιν ἀντιπέρα τῆς Γαλιλαίας. ἐξελθόντι δὲ αὐτῷ ἐπὶ τὴν γῆν, ὑπηύτησεν

qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedũt. Quod autẽ in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitijs ac uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, nec referunt fructum. Quod autem in bonã terram, hi sunt, qui in corde honesto ac bono audiẽtes sermonem retinent, & fructum afferunt per patientiam. Nemo uero cum lucernã accenderit, operit eam uase, aut subter lectum ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Non est enim occultum, quod nõ manifestum sit futurũ: nec absconditũ, quod non sit cognoscendum, & in propatulum uenturum. Videte ergo quomodo audiatis. Quisquis ẽm habet, dabitur illi, & quicunq; nõ habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. Venerunt autem ad illum mater et fratres eius & non poterant adire eum præ turba, & nunciatũ est illi dictũq;: Mater tua & fratres tui stant foris, uolentes te uidere. Qui respõdens, dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui sermonem dei audiunt, ac faciunt illum. Factum est autem quodã die, & ipse ascẽdit in nauim, ac discipuli eius & ait ad illos: Traijciamus in ulteriorem ripam stagni, ac soluerũt. Cæterum nauigantibus illis, obdormiuit: & ingruit procella uenti in stagnũ, & complebantur ac periclitabantur. Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: Præceptor, præceptor, perimus. At ille exprectus, increpauit uentum ac tempestatem aquæ: & cessauerunt, factaq; est tranquillitas Dixit autem illis: Vbi est fides uestra? Timentes autẽ mirati sunt inter se, dicentes: Quisputas hic est? Quia uentis quoque & aquæ imperat, & obediũt ei? Et nauigauerunt ad regionẽ Gadarenorũ, quæ est contra Galilæam. Et cum de naui egressus esset ad terram, occurrit

quia ad tempus credũt: & in tempore tentationis recedunt: Quod autem inter spinas cecidit: hi sunt qui audierunt & a sollicitudinibus & diuitijs & uoluptatibus uitæ euntes suffocãtur, & non referunt fructum. Quod autẽ in bonam terram: hi sunt qui in corde bono & optimo audiẽtes uerbum, retinẽt & fructum afferunt in patiẽtia. Nemo autem lucernã accẽdẽs operit eam uase: aut subtus lectũ ponit, sed supra candelabrum ponit: ut intrantes uideant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum quod nõ cognoscatur & in palam ueniat. Videte ergo quid audiatis. Qui ẽm habet, dabitur illi: & quicunque nõ habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. Venerunt autem ad illum mater & fratres eius: & non poterãt audire eum præ turba: & nunciatum est illi: Mater tua & fratres tui stant foris uolentes te uidere. Qui respõdens dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt qui uerbum dei audiunt & faciunt. Factum est autem in una dierum: & ipse ascendit in nauiculam & discipuli eius: & ait ad illos: Trãsfretemus trans stagnum. Et ascenderũt. Nauigantibus autem illis, obdormiuit: & descendit procella uenti in stagnũ: & compellebantur & periclitabantur. Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: Præceptor perimus. At ille surgens increpauit uentum & tempestatem aquæ, & cessauit: & facta est tranquillitas. Dixit autem illis: Vbi est fides uestra? Qui timentes, mirati sunt, adinuicem dicentes. Quisputas hic est? Quia & uentis & mari imperat: & obediunt ei. Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est cõtra Galilæam. Et cum de naui egressus esset ad terrã occurrit

ἀπήγγειλαν αὐτῷ ἀνήρ τις ἐκ τῆς πόλεως, ὃς εἶχε δαιμόνια ἐκ χρόνων ἱκανῶν, καὶ ἱμάτιον οὐκ ἐνεδύσκετο καὶ ἐν οἰκίᾳ οὐκ ἔμενεν, ἀλλ' ἐν τοῖς μνήμασιν. ἰδὼν δὲ τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἀνακράξας προσέπεσεν αὐτῷ, καὶ φωνῇ μεγάλῃ εἶπε. Τί ἐμοὶ καὶ σοί Ἰησοῦ υἱὲ τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου; Δέομαί σου μή με βασανίσῃς. παρήγγελλεν γὰρ τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ ἐξελθεῖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου. πολλοῖς γὰρ χρόνοις συνηρπάκει αὐτόν, καὶ ἐδεσμεῖτο ἁλύσεσι, καὶ πέδαις φυλασσόμενος, καὶ διαῤῥήσσων τὰ δεσμά, ἠλαύνετο ὑπὸ τοῦ δαίμονος εἰς τὰς ἐρήμους. ἐπηρώτησε δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, λέγων. Τί σοί ἐστιν ὄνομα; ὁ δὲ εἶπε, λεγεών, ὅτι δαιμόνια πολλὰ εἰσῆλθεν εἰς αὐτόν. καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα μὴ ἐπιτάξῃ αὐτοῖς εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν. ἦν δὲ ἐκεῖ ἀγέλη χοίρων ἱκανῶν βοσκομένων ἐν τῷ ὄρει. καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα ἐπιτρέψῃ αὐτοῖς, εἰς ἐκείνους εἰσελθεῖν, καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς. ἐξελθόντα δὲ τὰ δαιμόνια, ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, εἰσῆλθεν εἰς τοὺς χοίρους, καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν λίμνην, καὶ ἀπεπνίγη. ἰδόντες δὲ οἱ βόσκοντες τὸ γεγονὸς ἔφυγον, καὶ ἀπήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν, καὶ εἰς τοὺς ἀγρούς. ἐξῆλθον δὲ ἰδεῖν τὸ γεγονός. καὶ ἦλθον πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ εὗρον καθήμενον τὸν ἄνθρωπον ἀφ' οὗ τὰ δαιμόνια ἐξεληλύθει, ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα, παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἐφοβήθησαν. ἀπήγγειλαν δὲ αὐτοῖς, καὶ οἱ ἰδόντες πῶς ἐσώθη ὁ δαιμονισθείς, καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν ἅπαν τὸ πλῆθος τῆς περιχώρου τῶν Γαδαρηνῶν, ἀπελθεῖν ἀπ' αὐτῶν, ὅτι φόβῳ μεγάλῳ συνείχοντο. * Αὐτὸς δὲ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον ὑπέστρεψεν. ἐδέετο γὰρ αὐτοῦ ὁ ἀνήρ, ἀφ' οὗ ἐξεληλύθει τὰ δαιμόνια, εἶναι σὺν αὐτῷ. ἀπέλυσε δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς λέγων. ὑπόστρεφον εἰς τὸν οἶκόν σου, καὶ διήγησαι ὅσα ἐποίησέ σοι ὁ θεός. καὶ ἀπῆλθε καθ' ὅλην τὴν πόλιν κηρύσσων, ὅσα ἐποίησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς. * Ἐγένετο δὲ ἐν

κριταὶ ὑμῶν αὐτοὶ ἔσονται. εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ ὑμᾶς ἡ βασιλεία τ θεοῦ. ὅταν ὁ ἰσχυρὸς καθωπλισμένος φυλάσσῃ τὴν ἑαυτ αὐλήν, ἐν εἰρήνῃ ἔστι τὰ ὑπάρχοντα αὐτ. ἐπὰν δὲ ὁ ἰσχυρότερος αὐτ ἐπελθὼν νικήσῃ αὐτὸν, τὴν πανοπλίαν αὐτοῦ αἴρει, ἐφ ᾗ ἐπεποίθει, & τὰ σκῦλα αὐτ διαδίδωσιν. ὁ μὴ ὢν μετ ἐμοῦ, κατ ἐμοῦ ἐστίν. καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ ἐμοῦ σκορπίζει. * ὅταν τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν, & μὴ εὑρίσκον, λέγει. ὑποστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου, ὅθεν ἐξῆλθον. & ἐλθὸν, εὑρίσκει σεσαρωμένον & κεκοσμημένον. τότε πορεύεται, καὶ παραλαμβάνει ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ. & γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων. * Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ λέγειν αὐτὸν ταῦτα, ἐπάρασά τις γυνὴ φωνὴν ἐκ τοῦ ὄχλου, εἶπεν αὐτῷ. Μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας. Αὐτὸς δὲ εἶπε, μενοῦνγε, μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, & φυλάσσοντες αὐτόν. * τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων, ἤρξατο λέγειν. ἡ γενεὰ αὕτη πονηρά ἐστι, σημεῖον ζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου. καθὼς γὰρ ἐγένετο Ἰωνᾶς σημεῖον τοῖς Νινευίταις, οὕτως ἔσται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τῇ γενεᾷ ταύτῃ. Βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῶν ἀνδρῶν τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινεῖ αὐτούς, ὅτι ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶνος, καὶ ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶνος ὧδε. ἄνδρες Νινευῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, & κατακρινοῦσιν αὐτήν, ὅτι μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ. καὶ ἰδοὺ πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε. * οὐδεὶς λύχνον ἅψας εἰς κρυπτὸν τίθησιν, οὐδὲ ὑπὸ τὸν μόδιον, ἀλλ ἐπὶ τὴν λυχνίαν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι, τὸ φῶς βλέπωσιν. * ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός. ὅταν ὁ ὀφθαλμός σου

iudices uestri erunt. Porrò si digito dei eiicio dæmonia, profecto peruenit ad uos regnum dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Vbi uero fortior eo superueniens uicerit eum, uniuersa arma eius aufert, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arentia, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domũ meam unde exiui. Et cum uenerit, inuenit eam scopis mundatam atq; ornatam, tunc uadit, & assumit septem alios spiritus se cum nocentiores ipso, & ingressi habitant ibi, & fiunt extrema hominis illius peiora primis. Factũ est autem cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmó, beati qui audiunt sermonem dei, & custodiũt illum. Turbis autem confluentibus se, cœpit dicere: Natio hæc mala est. Signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & filius hominis nationi isti. Regina Austri surget in iudicio cum uiris nationis huius, & condemnabit illos, quia uenit à finibus terræ, ut audiret sapientiam Solomonis, & ecce plus quàm Solomon hoc in loco. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum natione hac, & condemnabunt illam: quia ad pœnitentiam adducti sunt prædicatione Ionæ. & ecce plus quàm Iona hoc in loco. Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque subter modium, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen uideant. Lucerna corporis est oculus. Cum igitur oculus tuus

iudices uestri erunt. Porro si in digito dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in uos regnũ dei. Cũ fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior eo superueniẽs uicerit eũ, uniuersa arma eius auferet in quibus cõfidebat: et spolia eius distribuet. Qui nõ est mecum, cõtra me est: & qui nõ colligit mecũ, dispergit. Cũ immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa: quærẽs requiẽ & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meã unde exiui. Et cũ uenerit, inuenit eam scopis mundatam. Et tunc uadit & assumit septem alios spiritus secũ nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora priorib⁹. Factum est autẽ cum hæc diceret: extollens uocem quædã mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit: & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo: beati qui audiunt uerbũ dei, & custodiunt illud. Turbis autẽ concurrentib⁹ cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est: signum quærit: & signum non dabitur ei nisi signũ Ionæ prophetæ. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & filius hominis generationi isti. Regina Austri surget in iudicio cum uiris generationis huius, & condemnabit illos: quia uenit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cũ generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitẽtiam ægerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quam Iona hic. Nemo lucernam accendit: & in abscõdito ponit neque sub modio, sed supra candelabrum: ut qui ingrediuntur, lumen uideant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus

lus

μός σου ἁπλοῦς ᾖ, καὶ ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινὸν ὄψει. ἐὰν δὲ πονηρὸς ᾖ, τὸ σῶμά σου σκοτεινὸν ὄψει. σκόπει οὖν, μὴ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, σκότος ἐστίν. εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον φωτεινόν, μὴ ἔχον τι μέρος σκοτεινόν, ἔσται φωτεινὸν ὅλον, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε. * Ἐν δὲ τῷ λαλῆσαι, ἠρώτα αὐτὸν φαρισαῖός τις, ὅπως ἀριστήσῃ παρ' αὐτῷ. εἰσελθὼν δὲ ἀνέπεσεν. ὁ δὲ φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου. εἶπε δὲ ὁ κύριος πρὸς αὐτόν. νῦν ὑμεῖς οἱ φαρισαῖοι τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου, καὶ τοῦ πίνακος καθαρίζετε, τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας. ἄφρονες, οὐχ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν, καὶ τὸ ἔσωθεν ἐποίησε; πλὴν τὰ ἐνόντα, δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν. * Ἀλλ' οὐαὶ ὑμῖν τοῖς φαρισαίοις, ὅτι ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον, καὶ τὸ πήγανον, καὶ πᾶν λάχανον, καὶ παρέρχεσθε τὴν κρίσιν, καὶ τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ, ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι. * οὐαὶ ὑμῖν τοῖς φαρισαίοις, ὅτι ἀγαπᾶτε τὴν πρωτοκαθεδρίαν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς. * οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταί, ὅτι ἐστὲ ὡς τὰ μνημεῖα τὰ ἄδηλα, καὶ οἱ ἄνθρωποι περιπατοῦντες ἐπάνω οὐκ οἴδασιν. * Ἀποκριθεὶς δέ τις τῶν νομικῶν, λέγει αὐτῷ. Διδάσκαλε, ταῦτα λέγων καὶ ὑμᾶς ὑβρίζεις. ὁ δὲ εἶπε. καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαὶ, ὅτι φορτίζετε τοὺς ἀνθρώπους φορτία δυσβάστακτα, καὶ αὐτοὶ ἑνὶ τῶν δακτύλων ὑμῶν οὐ προσψαύετε τοῖς φορτίοις. * Οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν, οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν αὐτούς, ἄρα μαρτυρεῖτε καὶ συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν, ὅτι αὐτοὶ μὲν ἀπέκτειναν αὐτούς, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα. * Διὰ τοῦτο καὶ ἡ σοφία τοῦ θεοῦ εἶπεν. ἀποστελῶ εἰς αὐτοὺς προφήτας καὶ ἀποστόλους, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενοῦσι καὶ ἐκδιώξουσιν, ἵνα ἐκζητηθῇ τὸ αἷμα

lus tuus fuerit ſimplex, totũ quoque corpus tuũ lucidũ erit. quod ſi malus fuerit, etiam corpus tuũ tenebroſum erit. Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergo corpus tuũ totum lucidũ fuerit, non habens aliquam partẽ tenebroſam, ſic erit lucidum totũ ut cum lucerna fulgore illuminat te. Et cum loqueretur, rogauit illum quidam phariſæus, ut prandaret apud ſe. Ieſus autem ingreſſus accubuit. Phariſæus autem cũ uidiſſet, admiratus eſt, quod non priùs lauiſſet ante prandiũ. Et ait dominus ad illum: Nũc uos phariſæi exteriora poculi, catiniq; mũdatis, & quod intus eſt ueſtri, plenum eſt rapina & malicia: ſtulti. nónne qui fecit quod foris eſt, etiam id quod intus eſt, fecit? Verũ tamẽ quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt uobis. Sed uæ uobis phariſæis, quia decimatis mentã & rutam, & quoduis olus, et præteritis iudicium & charitatẽ dei. Immò hæc oportuit facere & illa nõ omittere. Væ uobis phariſæis, quia diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutatiões in foro. Væ uobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, quia eſtis ut monumenta quæ nõ apparent, & homies ambulantes ſuper neſciunt. Reſpondens autẽ quidam ex legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc dicens etiã nos afficis contumelia. At ille ait: Et uobis legiſperitis uæ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare nõ poſſunt, & ipſi uno digito ueſtro nõ attingitis ſarcinas. Væ uobis, qa ædificatis monumenta prophetarum, patres aũt ueſtri occiderunt illos: profecto teſtamini, quod cõprobatis facta patrum ueſtrorũ, quoniã illi quidem eos occiderũt uos autem ædificatis eorũ ſepulchra. Propterea & ſapientia dei dixit: Mittam ad illos prophetas & apoſtolos, & ex illis occident et perſequentur, ut requiratur ſanguis

lus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuũ lucidũ erit: ſin autẽ nequam fuerit, etiã corpꝰ tuũ tenebroſum erit. Vide ergo ne lumẽ quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergo corpus tuum totũ lucidum fuerit: nõ habens aliquam partem tenebrarũ, erit lucidum totũ. Et ſicut lucerna fulgoris illuminabit te. Et cum loqueretur, rogauit illum quidam phariſæus, ut prãderet apud ſe. Et ingreſſus recubuit. Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere: quare non baptizatus eſſet ante prandiũ. Et ait dominus ad illũ: Nunc uos phariſæi qd' deforis eſt calicis & catini mũdatis: quod autem intus eſt ueſtrũ, plenum eſt rapina & iniquitate. Stulti, nõne qui fecit qd' deforis eſt: etiã id quod deintus eſt fecit? Verũtamen quod ſupereſt, date elemoſynam: & ecce omnia mũda ſunt uobis. Sed uæ uobis phariſæis, qui decimatis mẽtam & rutã & omne olus: & præteritis iudiciũ & charitatem dei. Hæc autẽ oportuit facere, & illa non omittere. Væ uobis phariſæis, qui diligitis primas cathedras in ſynagogis: & ſalutatiões in foro. Væ uobis q eſtis ut monumẽta quæ nõ parẽt: & homines ambulãtes ſupra, ne ſciunt. Reſpõdens autẽ quidam ex legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc dicẽs etiã nobis cõtumeliam facis. At ille ait: Et uobis legiſperitis uæ, qui oneratis homies onerib⁹ quæ portare nõ poſſunt: & ipſi uno digito ueſtro nõ tãgitis ſarcinas. Væ uobis qui ædificatis monumenta prophetarũ: patres autẽ ueſtri occiderunt illos. Profecto teſtificamini quod conſentitis operibus patrũ ueſtrorũ: quoniã quidẽ ipſi eos occiderũt: uos aũt ædificatis eorũ ſepulchra. Propterea & ſapiẽtia dei dixit: Mittã ad illos prophetas & apoſtolos: & ex illis occidẽt & perſequenẽ, ut inquiratur ſanguis

τὸ αἷμα πάντων τῶν προφητῶν, τὸ ἐκχυνόμενον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης, ἀπὸ τοῦ αἵματος Ἄβελ ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου τοῦ ἀπολομένου μεταξὺ τοῦ θυσιαστηρίου καὶ τοῦ οἴκου. Ναὶ λέγω ὑμῖν, ἐκζητηθήσεται ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης.

μω ε * οὐαὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς, ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως, αὐτοὶ οὐκ εἰσήλθετε, καὶ τοὺς εἰσερχομένους ἐκωλύσατε.

μγ ε * λέγοντος δὲ αὐτοῦ ταῦτα πρὸς αὐτούς, ἤρξαντο οἱ νομικοὶ καὶ οἱ φαρισαῖοι δεινῶς ἐνέχειν, καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων, ἐνεδρεύοντες αὐτὸν, ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ.

Ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους, ἤρξατο λέγειν πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, πρῶτον.

μλ β με ε * προσέχετε ἑαυτοῖς ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν φαρισαίων ἥτις ἐστὶν ὑπόκρισις.

μ * οὐδὲν δὲ συγκεκαλυμμένον ἐστίν, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, καὶ κρυπτὸν ὃ οὐ γνωσθήσεται. ἀνθ' ὧν ὅσα ἐν τῇ σκοτίᾳ εἴπατε, ἐν τῷ φωτὶ ἀκουσθήσεται, καὶ ὃ πρὸς τὸ οὖς ἐλαλήσατε ἐν τοῖς ταμείοις, κηρυχθήσεται ἐπὶ τῶν δωμάτων. λέγω δὲ ὑμῖν τοῖς φίλοις μου, μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, καὶ μετὰ ταῦτα μὴ ἐχόντων περισσότερόν τι ποιῆσαι. ἀποδείξω δὲ ὑμῖν τίνα φοβηθῆτε. φοβήθητε τὸν μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι ἐξουσίαν ἔχοντα ἐμβαλεῖν εἰς τὴν γέενναν, ναὶ λέγω ὑμῖν, τοῦτον φοβήθητε. οὐχὶ πέντε στρουθία πωλοῦνται ἀσσαρίων δύο. καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. ἀλλὰ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσίν. μὴ οὖν φοβεῖσθε, πολλῶν στρουθίων διαφέρετε. λέγω δὲ ὑμῖν, πᾶς ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁμολογήσει ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ.

μς ς * ὁ δὲ ἀρνησάμενός με ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων, ἀπαρνηθήσεται ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ.

μζ η * καὶ πᾶς ὃς ἐρεῖ λόγον εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀφεθήσεται αὐτῷ. τῷ δὲ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα βλασφημήσαντι οὐκ ἀφεθήσεται. * ὅταν δὲ προσφέρωσιν

guis omnium prophetarum, qui effunditur à constitutione mundi, à natione ista, à sanguine Abel usq; ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. profecto dico uobis, requiretur ab hac natione. Væ uobis legisperitis, qa tulistis clauē scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, uetuistis. Cum autē hæc ad illos diceret, cœperunt legisperiti & pharisæi grauiter insistere, & captiose interrogare eū de multis, insidiātes ei, & quærētes aliquid uenari ex ore eius, quo accularent eum.

Cum autē conuenissent innumera turbæ multitudo, adeo ut se inuicem conculcarēt, cœpit dicere ad discipulos suos, primum, Cauete uobis ipsis à fermēto pharisæorum quod est hypocrisis. Nihil enim opertū est, quod non reuelabitur: neq; absconditū, quod non scietur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine audientur, & quod in aurē loquuti estis in conclauibus, prædicabit in tectis. Dico aūt uobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidūt corpus, & post hæc non habent quod amplius faciant. Ostēdam autem uobis quem timeatis. Timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatem conīciendi in gehennam. certe dico uobis, hunc timete. Nonne quinq; passerculi ueneunt minutis assibus duobus, & unus ex illis nō est in obliuione corā deo. Quin & pili capitis uestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis. Dico autē uobis, omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illū coram angelis dei. Qui autē negauerit me coram hominibus, negabitur corā angelis dei. Et quisquis loquitur dictum in filiū hominis, remittet illi, ei uero qui in spiritū sanctum conuiciū dixerit, non remittet. Cum autem adduxerint

sanguis omnium prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi, a generatione ista, a sanguine Abel usque ad sanguinē Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico uobis, requiretur ab hac generatione.
Væ uobis legisperitis: qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Cū autem hæc ad illos diceret, cœperūt pharisæi & legisperiti grauiter insistere: & os eius opprimere de multis insidiantes ei: & quærentes aliquid capere de ore eius, ut accusarent eum.

Multis autem turbis cōcurrētibus ita ut seinuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite a fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. XII.
Nihil enim opertū est quod non reueletur: neque absconditū quod nō sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem uobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidūt corpus: & post hoc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem uobis quem timeatis: Timete eū qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehēnam. Ita dico uobis hunc timete.
Nonne quinq; passeres ueneunt dipondio: & unus ex illis non est in obliuione coram deo? Sed & capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis uos. Dico autē uobis:
Omnis quicunque confessus fuerit me corā hominibus: & filius hominis cōfitebitur illū coram angelis dei.
Qui aūt negauerit me corā hominib⁹: denegabitur coram angelis dei. Et omnis qui dicit uerbū in filiū hominis, remittetur illi: ei autē qui in spiritū sanctū blasphemauerit, nō remittetur. Cū aūt in

n ducent

xerint uos ad ſynagogas, & ad magiſtratus ac poteſtates, nolite ſoliciti eſſe, qualiter aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis. Spiritus em̄ ſanctus docebit uos in eadem hora, quid oporteat uos dicere. Ait aūt ei quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo, ut diuidat mecū hæreditatē. At ille dixit ei: Homo, quis me cōſtituit iudicē aut diuiſorē ſup uos? Dixitq; ad illos: Vidēte & cauete ab auaritia, quia nō in abundantia cuiuſquàm uita eius eſt ex his quæ poſſidet. Dixit aūt ſimilitudinē ad illos, dicens: Hominis cuiuſdā diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe, dicēs: Quid faciam, quod nō habeā quo cōgregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciā: Deſtruā horrea mea, & maiora extruam, & illuc cōgregabo omnia quæ nata ſunt mihi bona mea, & dicā aniæ meæ. Ania habes multa bona repoſita in annos multos, requieſce, comede, bibe, gaude. Dixit autē illi deus: Stulte hac nocte animā tuā repetūt abs te. Quæ uero paraſti, cui cedent? Sic qui recondit ſibi, nec eſt erga deū diues. Dixitq; ad diſcipulos ſuos: Ideo dico uobis: Nolite ſolliciti eſſe aniæ ueſtræ, quid edatis, neq; corpori qd induamini. Ania plus eſt q̄ eſca, & corpus plus q̄ indumentū. Conſiderate coruos quia nō ſemināt, neq; metūt, quibus nō eſt penuariū, neq; horreū & deus palcit illos. Quāto magis uos præſtatis uolucribus? Quis aūt ueſtrū ſolicitudine ſua poteſt adijcere ad ſaturā ſuam cubitū unum? Si ergo ne id quidē quod minimū eſt poteſtis, quid de cæteris ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia quō creſcunt, nō laborant, neque nent. dico aūt uobis, nec Salomō in omni gloria ſua ueſtiebat ſicut unū ex iſtis. Si aūt gramen quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittit, deus ſic ueſtit, quanto magis uos ueſtiet ô parū fidentes?

ducent uos in ſynagogas & ad magiſtratꝰ & poteſtates, nolite ſolliciti eſſe q̄liter aut quid reſpōdeatis, aut quid dicatis: Spiritꝰ em̄ ſanctꝰ docebit uos in ipſa hora, quid oporteat uos dicere. Ait aūt ei quidā de turba: Magiſter, dic fratri meo ut diuidat mecū hæreditatē. At ille dixit ei: Homo, qs me cōſtituit iudicē aut diuiſorē ſupra uos? Dixitq; ad illos: Videte & cauete ab oīi auaricia: qa nō in abūdātia cuiuſq; uita eiꝰ eſt ex his quæ poſſidet. Dixit aūt ſimilitudinē ad illos, dicēs: Hominis cuiuſdā diuitis, uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciā qd' nō habeo quo cōgregē fructꝰ meos. Et dixit: Hoc faciā: Deſtruā horrea mea, & maiora faciā: & illuc cōgregabo oīa quæ nata ſunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requeſce, comede, bibe, epulare. Dixit aūt illi deus: Stulte, hac nocte animā tuā repetūt a te: quæ aūt paraſti, cuiꝰ erūt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat: & nō eſt in deū diues. Dixitq; ad diſcipulos ſuos: Ideo dico uobis: Nolite ſolliciti eſſe animæ ueſtræ quid māducetis: neq; corpori qd induamini. Anima plus eſt quā eſca: & corpus plus quā ueſtimētū. Cōſiderate coruos: qa nō ſemināt neq; metūt: quibꝰ nō eſt cellariū neq; horreū: & deus paſcit illos: Quāto magis uos pluris eſtis illis. Quis autē ueſtrū cogitādo poteſt adijcere ad ſaturā ſuam cubitum unū? Si ergo neq; qd' minimū eſt poteſtis, quid de cæteris ſolliciti eſtis? Cōſiderate lilia quomodo creſcūt: Nō laborāt, neq; nent. Dico autē uobis: quia nec Salomō in oīi gloria ſua ueſtiebat ſicut unū ex iſtis. Si autē fœnū quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, deus ſic ueſtit: quāto magis uos puſillæ fidei?

Et uos

πισοι; καὶ ὑμεῖς μὴ ζητεῖτε τί φάγητε, ἢ τί πίητε, καὶ μὴ μετεωρίζεσθε. ταῦτα γὰρ πάντα τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου ἐπιζητεῖ. ὑμῶν δὲ ὁ πατὴρ οἶδεν, ὅτι χρῄζετε τούτων. πλὴν ζητεῖτε τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν. * μὴ φοβοῦ τὸ μικρὸν ποίμνιον, ὅτι εὐδόκησεν ὁ πατὴρ ὑμῶν δοῦναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν. * πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα ὑμῶν, καὶ δότε ἐλεημοσύνην. * ποιήσατε ἑαυτοῖς βαλάντια μὴ παλαιούμενα, θησαυρὸν ἀνέκλειπτον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅπου κλέπτης οὐκ ἐγγίζει, οὐδὲ σὴς διαφθείρει. ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρός ὑμῶν, ἐκεῖ καὶ ἡ καρδία ὑμῶν ἔσται. * ἔστωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι, καὶ ὑμεῖς ὅμοιοι ἀνθρώποις προσδεχομένοις τὸν κύριον αὐτῶν, πότε ἀναλύσῃ ἐκ τῶν γάμων, ἵνα ἐλθόντος καὶ κρούσαντος, εὐθέως ἀνοίξωσιν αὐτῷ. * μακάριοι οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι, οὓς ἐλθὼν ὁ κύριος εὑρήσει γρηγοροῦντας. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι περιζώσεται καὶ ἀνακλινεῖ αὐτοὺς, καὶ παρελθὼν διακονήσει αὐτοῖς. καὶ ἐὰν ἔλθῃ ἐν τῇ δευτέρᾳ φυλακῇ, καὶ ἐν τῇ τρίτῃ φυλακῇ ἔλθῃ, καὶ εὕρῃ οὕτως, μακάριοί εἰσιν οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι. * τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης, ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἂν, καὶ οὐκ ἂν ἀφῆκε διορυχθῆναι τὸν οἶκον αὐτοῦ. καὶ ὑμεῖς οὖν γίνεσθε ἕτοιμοι ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται. * εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ πέτρος. κύριε πρὸς ἡμᾶς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγεις, ἢ καὶ πρὸς πάντας; εἶπε δὲ ὁ κύριος. τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς οἰκονόμος καὶ φρόνιμος, ὃν καταστήσῃ ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον; μακάριος ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, ὃν, ἐλθὼν ὁ κύριος αὐτοῦ, εὑρήσει ποιοῦντα οὕτως. ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν. * ἐὰν δὲ εἴπῃ ὁ δοῦλος ἐκεῖνος ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, χρονίζει μου ὁ κύριος ἔρχεσθαι, καὶ ἄρξηται τύπτειν τοὺς παῖδας καὶ τὰς παιδίσκας, ἐσθίειν τε καὶ πίνειν καὶ μεθύσκεσθαι, ἥξει

tes? Et uos nolite quærere quid eſuri ſitis, aut quid bibituri, & nolite in ſublime tolli. hæc enim omnia gentes mũdi quærunt. pater autẽ ueſter ſcit quod iſtis indigeatis. Quin potius quærite regnũ dei, & hæc omnia adijcientur uobis. Noli timere puſille grex, quia cõplacitum eſt patri ueſtro dare uobis regnum. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Parate uobis ſacculos qui non ueteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit. Vbi enim theſaurus ueſter eſt, ibi & cor ueſtrum erit. Sint lumbi ueſtri præcincti, & lucernæ accenſæ & uos ſimiles hominibus, expectantibus dominum ſuum quando reuertatur à nuptijs: ut cũ uenerit ac pulſauerit, confeſtim aperiant ei. Beati ſerui illi, quos cum uenerit dominus, inuenerit uigilantes: amẽ dico uobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi uenerit in ſecunda uigilia, & ſi in tertia uigilia uenerit, atq; ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitote, quod ſi ſciſſet pater familiâs qua hora fur uenturus fuiſſet, uigilaſſet, utiq;, nec paſſus fuiſſet perfodi domum ſuam. Et uos igitur eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet. Ait autẽ ei Petrus: Domine, ad nos dicis iſtam parabolam an etiam ad omnes? Dixit autem dominus: Quiſnam eſt fidelis diſpenſator ac prudens, quem conſtituet dominus ſuper famulitiũ ſuum, ut det illis in tempore demenſum cibum? Beatus ille ſeruus, quem cum uenerit dominus inuenerit ita facientem: uere dico uobis, quod omnibus quæ poſſidet, præficiet illum. Quod ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo, differt dominus meus reditum, cœperitq; percutere ſeruos & ancillas, & edere bibereq; & inebriari, ueniet

Et uos nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis, & nolite in ſublime tolli. Hæc enim omnia gẽtes mundi quærũt. Pater autẽ ueſter ſcit quoniã his indigetis. Verumtamẽ primũ quærite regnũ dei & iuſticiam eius: & hæc omnia adijciẽtur uobis. Nolite timere puſillus grex: quia cõplacuit patri ueſtro dare uobis regnũ. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynã. Facite uobis ſaccu los qui nõ ueteraſcunt: theſaurum nõ deficientẽ in cœlis: quo fur non appropiat, neq; tinea corrũpit. Vbi enim theſaurꝰ ueſter eſt, ibi & cor ueſtrũ erit. Sint lumbi ueſtri præcincti: & lucernæ ardentes in manibꝰ ueſtris: & uos ſimiles hominibus expectãtibꝰ dominũ ſuũ, quãdo reuertat a nuptijs: ut cũ uenerit & pulſauerit, confeſtim aperiãt ei. Beati ſerui illi, quos cũ uenerit dominꝰ, inuenerit uigilantes. Amen dico uobis quod præcinget ſe, & faciet illos diſcũbere: & tranſiẽs miniſtrabit illis. Et ſi uenerit in ſecũda uigilia: & ſi in tertia uigilia uenerit: & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Hoc autẽ ſcitote: quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur ueniret, uigilaret utiq; & nõ ſineret perfodi domũ ſuã. Et uos eſtote parati: quia qua hora nõ putatis, filius hominis ueniet. Ait autẽ ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Dixit autẽ dominus: Quiſputas eſt fidelis diſpenſator & prudens: quem cõſtituit dominus ſuper familiã ſuam, ut det illis in tempore tritici menſurã. Beatus ille ſeruꝰ: quem cũ uenerit dominus, inuenerit ita faciẽtem. Vere dico uobis: quia ſuper omnia quæ poſſidet, cõſtituet illum. Quod ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit dominꝰ meus uenire: & cœperit percutere ſeruos & ancillas: & edere & bibere & inebriari, ue-

ἥξῃ ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου ἐν ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷ, καὶ ἐν ὥρᾳ ᾗ οὐ γινώσκει, καὶ διχοτομήσει αὐτόν, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀπίστων θήσει.

μθ 1 *Ἐκεῖνος δὲ ὁ δοῦλος ὁ γνοὺς τὸ θέλημα τοῦ κυρίου ἑαυτοῦ, καὶ μὴ ἑτοιμάσας μηδὲ ποιήσας πρὸς τὸ θέλημα αὐτοῦ, δαρήσεται πολλάς. ὁ δὲ μὴ γνούς, ποιήσας δὲ ἄξια πληγῶν, δαρήσεται ὀλίγας. παντὶ δὲ ᾧ ἐδόθη πολύ, πολὺ ζητηθήσεται παρ' αὐτοῦ, καὶ ᾧ παρέθεντο πολύ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτόν. *πῦρ

ξζ 5 ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη; βάπτισμα δὲ ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πῶς συνέχομαι ἕως οὗ τελεσθῇ; δοκεῖτε, ὅτι εἰρήνην παρεγενόμην δοῦναι ἐν τῇ γῇ; οὐχί λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἢ διαμερισμόν. ἔσονται γὰρ ἀπὸ τοῦ νῦν πέντε ἐν οἴκῳ ἑνὶ διαμεμερισμένοι, τρεῖς ἐπὶ δυσίν, καὶ δύο ἐπὶ τρισίν. διαμερισθήσεται πατὴρ ἐφ' υἱῷ, καὶ υἱὸς ἐπὶ πατρί, μήτηρ ἐπὶ θυγατρί, καὶ θυγάτηρ ἐπὶ μητρί, πενθερὰ ἐπὶ τὴν νύμφην αὐτῆς, καὶ νύμφη ἐπὶ τὴν πενθερὰν αὐτῆς.

ξα 8 *Ἔλεγε δὲ καὶ τοῖς ὄχλοις, ὅταν ἴδητε τὴν νεφέλην ἀνατέλλουσαν ἀπὸ δυσμῶν, εὐθέως λέγετε, ὄμβρος ἔρχεται, καὶ γίνεται οὕτως, καὶ ὅταν νότον πνέοντα, λέγετε, ὅτι καύσων ἔσται, καὶ γίνεται, ὑποκριταί, τὸ πρόσωπον τῆς γῆς καὶ τοῦ οὐρανοῦ οἴδατε δοκιμάζειν, τὸν δὲ καιρὸν τοῦτον πῶς οὐ δοκιμάζετε; τί δὲ καὶ ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον; * Ὡς

ξβ 8 γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ' ἄρχοντα ἐν τῇ ὁδῷ, δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, μή ποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κριτήν, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ πράκτορι, καὶ ὁ πράκτωρ σε βάλῃ εἰς φυλακήν. λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως οὗ καὶ τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῷς.

ξγ 1 *Παρῆσαν δέ τινες ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ ἀπαγγέλλοντες αὐτῷ περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὧν τὸ αἷμα Πιλᾶτος ἔμιξε μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς. Δοκεῖτε, ὅτι οἱ Γαλιλαῖοι οὗτοι ἁμαρτωλοὶ παρὰ πάντας τοὺς Γαλιλαίους ἐγένοντο, ὅτι τοιαῦτα πεπόνθασιν; οὐχί λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἐὰν μὴ μετα-

ueniet dominus serui illius in die quo non sperat, & hora qua nescit, & dissecabit eum, partemque eius cum infidis ponet. Ille autem seruus qui cognouit uoluntatem domini sui, & non se præparauit, nec fecit secundum uoluntatem eius, plagis uapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Porro cuicunq; multum datum est, multū quæretur ab eo: & cui commendauerunt multū, plus petent ab eo. Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo, si iam accēsus est? Sed baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor, donec perficiatur? Putatis quod pacem uenerim missurus in terram? Nō dico uobis, imò separationē. Erūt em̄ ex hoc quinq; in domo una diuisi, tres aduersus duos, & duo contra tres. diuidetur pater aduersus filium, & filius aduersus patrē, mater aduersus filiā, & filia aduersus matrem, socrus aduersus nurum suā, & nurus aduersus socrū suam. Dicebat autē & ad turbas: Cum uideritis nubem orientē ab occasu, statim dicitis, imber uenit, & ita fit, & cum austrū flantē, dicitis, quod æstus erit, & fit. Hypocritæ, facie cœli & terræ nostis probare, hoc autē tempus qui fit ut nō probetis? cur autē & ex uobisipsis non iudicatis quod iustū est? Cum enim uadis cum aduersario tuo ad magistratum in uia, da operam ut libereris ab illo, ne forte pertrahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor coniiciat te in carcerē. Dico tibi, nō exibis inde, donec ultimū etiam minutū reddas. Aderant autem quidam eodem in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificijs ipsorū. Et respōdens Iesus, dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico uobis, imò

niet dominus serui illius in die qua non sperat & hora qua nescit, & diuidet eum: partemq; eius cum infidelibus ponet. Ille autem seruus qui cognouit uoluntatem domini sui, & nō se præparauit: & nō fecit secundū uolūtatem eius, uapulabit multis. Qui autem non cognouit & fecit digna, plagis uapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Ignem ueni mittere in terram: & quid uolo nisi ut accendatur? Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coartor usque dum perficiatur? Putatis: quia pacem ueni mittere in terrā? Nō, dico uobis, sed separationem. Erunt enim ex hoc quinq; in domo una diuisi: tres in duo, & duo in tres diuidentur: pater in filiū, & filius in patrem suum: mater in filiam, & filia in matrem: socrus in nurū suam, & nurus in socrum suum. Dicebat autē & ad turbas: Cum uideritis nubem orientē ab occasu, statim dicitis: nimbus uenit, & ita fiet: & cum austrum flantem, dicitis: quia æstus erit, & fit. Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & a uobisipsis non iudicatis quod iustum est? Cum aūt uadis cū aduersario tuo ad principē in uia, da operā liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem: & iudex tradat te exactori: & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi: non exies inde, donec etiam nouissimū minutū reddas. Aderāt autē qdā ipso tempore nūciātes illi de Galilæis: quorum sanguinē Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum. Et respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnib⁹ Galilæis peccatores fuerint qa talia passi sunt? Non, dico uobis: sed nisi XIII.

μὴ μετανοῆτε πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε. ἢ ἐκεῖνοι οἱ δέκα καὶ ὀκτὼ, ἐφ' οὓς ἔπεσεν ὁ πύργος ἐν τῷ σιλωὰμ, καὶ ἀπέκτεινεν αὐτούς. δοκεῖτε ὅτι οὗτοι ὀφειλέται ἐγένοντο παρὰ πάντας ἀνθρώπους τοὺς κατοικοῦντας ἐν ἰερουσαλήμ; οὐχί λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἐὰν μὴ μετανοῆτε πάντες ὁμοίως ἀπολεῖσθε. * ἔλεγε δὲ ταύτην τὴν παραβολήν. συκῆν εἶχέ τις ἐν τῷ ἀμπελῶνι αὐτοῦ πεφυτευμένην, καὶ ἦλθε καρπὸν ζητῶν ἐν αὐτῇ, καὶ οὐχ εὗρεν. εἶπε δὲ πρὸς τὸν ἀμπελουργόν, ἰδοὺ τρία ἔτη ἔρχομαι ζητῶν καρπὸν ἐν τῇ συκῇ ταύτῃ, καὶ οὐχ εὑρίσκω, ἔκκοψον αὐτήν, ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, λέγει αὐτῷ. κύριε, ἄφες αὐτὴν καὶ τοῦτο τὸ ἔτος ἕως ὅτου σκάψω περὶ αὐτὴν, καὶ βάλω κοπρίαν. κἂν μὲν ποιήσῃ καρπὸν, εἰ δὲ μήγε, εἰς τὸ μέλλον ἐκκόψεις αὐτήν. ἦν δὲ διδάσκων ἐν μιᾷ τῶν συναγωγῶν ἐν τοῖς σάββασι. καὶ ἰδοὺ γυνὴ ἦν πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας ἔτη δέκα καὶ ὀκτὼ, καὶ ἦν συγκύπτουσα καὶ μὴ δυναμένη ἀνακύψαι εἰς τὸ παντελές. ἰδὼν δὲ αὐτὴν ὁ ἰησοῦς προσεφώνησε καὶ εἶπεν αὐτῇ. γύναι ἀπολέλυσαι τῆς ἀσθενείας σου. καὶ ἐπέθηκεν αὐτῇ τὰς χεῖρας, καὶ παραχρῆμα ἀνωρθώθη καὶ ἐδόξαζε τὸν θεόν. ἀποκριθεὶς δὲ ἀρχισυνάγωγος ἀγανακτῶν, ὅτι τῷ σαββάτῳ ἐθεράπευσεν ὁ ἰησοῦς, ἔλεγε τῷ ὄχλῳ. ἓξ ἡμέραι εἰσὶν ἐν αἷς δεῖ ἐργάζεσθαι, ἐν ταύταις οὖν ἐρχόμενοι θεραπεύεσθε, καὶ μὴ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου. * ἀπεκρίθη οὖν αὐτῷ ὁ κύριος, καὶ εἶπεν. ὑποκριτὰ, ἕκαστος ὑμῶν τῷ σαββάτῳ οὐ λύει τὸν βοῦν αὐτοῦ ἢ τὸν ὄνον ἀπὸ τῆς φάτνης, καὶ ἀπαγαγὼν ποτίζει; ταύτην δὲ θυγατέρα ἀβραὰμ οὖσαν, ἣν ἔδησεν ὁ σατανᾶς, ἰδοὺ δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη, οὐκ ἔδει λυθῆναι ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ τούτου τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου; * καὶ ταῦτα λέγοντος αὐτοῦ κατῃσχύνοντο πάντες οἱ ἀντικείμενοι αὐτῷ. καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἔχαιρεν ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἐνδόξοις τοῖς γινομένοις ὑπ' αὐτοῦ. * ἔλεγε δέ, τίνι ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, καὶ τίνι ὁμοιώσω αὐτήν; ὁμοία

nisi resipueritis omnes similiter peribitis, Aut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos. Putatis, quod debitores fuerint ultra cunctos homines habitantes Hierosolymis? Non dico uobis, imò nisi resipueritis omnes similiter peribitis. Dicebat & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in uinea sua, & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem uineæ: Ecce anni tres sũt ex quo uenio quærens fructũ in ficu hac, & non inuenio. succide illã, ad quid uel terrã occupat? At ille respondens, dixit illi: Domine, sine illam & hoc anno, donec fodero circũ illam & misero stercus, & siquidẽ fecerit fructum, sin minus, in posterũ succides eam Docebat autẽ in una synagogarũ sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo eratq; contracta, nec omnino poterat erigere caput, quam cum uideret Iesus, uocauit eam ad se, & ait illi: Mulier liberata es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manũ, & confestim erecta est, & glorificabat deum. Respondens autem princeps Synagogæ, indignans quod sabbato sanasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo uenite, ut saneminí, & non in die sabbati. Respondens autem ad illum dominus, dixit: Hypocrita, unusquisque uestrum sabbato nónne soluit bouem suum aut asinum à præsepi, & ducit aquatum? Hanc autem filiam Abrahæ, quã alligauit satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à uinculo isto die sabbati? Et cum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat super uniuersis quæ cum gloria fiebant ab eo. Dicebat ergo: Cui simile est regnum dei, & cui simile faciam illud? Si

nisi pœnitentiã habueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi decem & octo: supra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos. Putatis: quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitãtes in Hierusalẽ? Non, dico uobis: sed si pœnitentiã nõ habueritis, omnes similiter peribitis. Dicebat aũt & hãc similitudinẽ. Arborẽ fici habebat quidã plantatã in uinea sua: & uenit quærẽs fructum in illa, & non inuenit. Dixit aũt ad cultorẽ uineæ: Ecce anni tres sunt: ex quo uenio quærens fructũ in ficulnea hac, & non inuenio: Succide ergo illam, ut quid etiam terrã occupat? At ille respõdens, dixit illi: Domine, dimitte illã & hoc anno usq; dum fodiã circa illã, & mittã stercora. Et siquidẽ fecerit fructũ: sin aũt, in futurum succides eam. Erat aũt docẽs in synagoga eorũ sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decẽ & octo & erat inclinata: nec omnino poterat sursum respicere. Quã cũ uidisset Iesus, uocauit eã ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus: & confestim erecta est, & glorificabat deum. Respõdens autẽ archisynagogus indignans: quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari: In his ergo uenite & curamini, & non in die sabbati. Respondens autẽ ad illum dominꝰ, dixit: Hypocritæ, unusquisq; uestrum sabbato nõ soluit bouem suũ aut asinũ a præsepio, & ducit adaquãre? Hãc autẽ filiã Abrahæ quã alligauit satanas, ecce decẽ & octo annis, non oportuit solui a uinculo isto die sabbati? Et cũ hæc diceret, erubescebãt omnes aduersarij eius: & omnis populꝰ gaudebat in uniuersis quæ gloriose fiebãt ab eo. Dicebat ergo: Cui simile est regnũ dei: & cui simile esse æstimabo il

ὁμοία ὅτι κόκκῳ σινάπεως, ὃν λαβὼν ἄνθρωπος ἔβαλεν εἰς κῆπον ἑαυτοῦ, καὶ ηὐξησε, καὶ ἐγένετο εἰς δένδρον μέγα, καὶ τὰ πετεινὰ τ οὐρανοῦ κατεσκήνωσεν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ.
ρξη 5 * καὶ πάλιν εἶπε. τίνι ὁμοιώσω τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ; ὁμοία ὅτι ζύμῃ ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον. * καὶ διεπορεύετο κατὰ πόλεις
ρξθ β ρο 8 & κώμας, διδάσκων καὶ πορείαν ποιούμενος εἰς ἱερουσαλήμ. * εἶπε δέ τις αὐτῷ. κύριε, εἰ ὀλίγοι οἱ σῳζόμενοι; ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς. ἀγωνίζεσθε εἰσελθεῖν διὰ τ στενῆς πύλης ὅτι πολλοί, λέγω ὑμῖν, ζητήσουσιν εἰ
ροα 8 σελθεῖν, & οὐκ ἰσχύσουσιν. * ἀφ οὗ ἂν ἐγερθῇ ὁ οἰκοδεσπότης, & ἀποκλείσῃ τὴν θύραν, καὶ ἄρξησθε ἔξω ἑστάναι & κρούειν τὴν θύραν, λέγοντες. κύριε, κύριε, ἄνοιξον ἡμῖν. καὶ ἀποκριθεὶς ἐρεῖ ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ. τότε ἄρξεσθε λέγειν. ἐφάγομεν ἐνώπιόν σου, & ἐπίομεν, & ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν ἐδίδαξας. &
ροδ 6 ἐρεῖ, λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ, ἀπόστητε ἀπ ἐμοῦ πάντες ἐργάται τ ἀδικίας. ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς & ὁ βρυγμὸς τ ὀδόντων, * ὅταν ὄψησθε ἀβραὰμ & ἰσαὰκ καὶ ἰακὼβ, καὶ πάντας τοὺς προφήτας ἐν τῇ βασιλείᾳ τ θεοῦ, ὑμᾶς δὲ ἐκβαλλομένους ἔξω. & ἥξουσιν ἀπ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν & βορρᾶ & νότου, καὶ ἀνακλιθήσονται ἐν τῇ βασιλείᾳ τ
ρογ β ρολ 8 θεοῦ. * καὶ ἰδοὺ εἰσὶν ἔσχατοι οἵ ἔσονται πρῶτοι, καὶ εἰσὶν πρῶτοι οἵ ἔσονται ἔσχατοι. Ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ προσῆλθόν τινες φαρισαῖοι, λέγοντες αὐτῷ, ἔξελθε καὶ πορεύου ἐντεῦθεν, ὅτι ἡρῴδης θέλει σε ἀποκτεῖναι. καὶ εἶπεν αὐτοῖς. πορευθέντες εἴπατε τῇ
μα ἀλώπεκι ταύτῃ. ἰδοὺ ἐκβάλλω δαιμόνια, καὶ ἰάσεις ἐπιτελῶ σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι, πλὴν δεῖ με σήμερον καὶ αὔριον καὶ τὴν ἐχομένην πορεύεσθαι, ὅτι οὐκ ἐνδέχεται, προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἱε
ροε 4 ρουσαλήμ. * Ἱερουσαλήμ, Ἱερουσαλήμ, ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, & λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτήν, ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυνάξαι

lud? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & euasit in arborem magnam, & uolucres cœli nidulabantur in ramis eius. Et iterum dixit: Cui simile faciam regnum dei? Simile est fermento quod acceptum mulier abscõdit in farinæ sata tria, donec fermentetur totum. Et ibat per ciuitates & castella docens: & iter faciens Hierosolymã. Ait autem illi quidam: Domine, an pauci sunt qui salutem consequuntur? Ille uero dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico uobis, quærent intrare, & non poterunt. Cum autem surrexerit paterfamilias, & clauserit ostium, & cœperitis foris stare, & pulsare ostium, dicẽtes: Domine, domine, aperi nobis. Et respondens dicet uobis: Nescio uos unde sitis. Tũc incipietis dicere: Edimus corã te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet: Dico uobis, nescio uos unde sitis. Discedite à me omnes, qui patratis iniquitatem. Ibi erit fletus & stridor dentium, cum uideritis Abraham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno dei, uos autem expelli foras. Et uenient ab oriente & occidente & aquilone & austro, & accumbent in regno dei. Et ecce sunt postremi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt postremi. Eodem die accesserũt quidam pharisæorum, dicẽtes illi: Exi, & uade hinc, quia Herodes uult te occidere. Et ait illis: Ite dicite uulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie ambulare, quia fieri non potest, ut propheta pereat alibi, quàm Hierosolymis. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te: quoties uolui congregare

lud? Simile est grano sinapis: quod acceptum homo misit in hortũ suum: & creuit, & factum est in arborẽ magnam: & uolucres cœli requieuerunt in ramis eius. Et iterum dixit. Cui simile æstimabo regnũ dei? Simile est fermento quod acceptũ mulier abscondit in farinæ sata tria: donec fermentare tur totũ. Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Hierusalẽ. Ait aũt illi quidã: Domine, si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos: Cõtendite intrare per angustã portam: quia multi (dico uobis) quærunt intrare, & non poterunt. Cum autẽ intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium: & incipietis foris stare & pulsare ad ostiũ, dicentes: Domine, aperi nobis. Et respõdens, dicet uobis: Nescio uos, unde sitis? Tunc incipietis dicere: Mãducauimus coram te, & bibimus: & in plateis nostris docuisti. Et dicet uobis: Nescio uos, unde sitis. Discedite a me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & stridor dentium: cum uideritis Abraham & Isaac & Iacob & omnes prophetas in regno dei: uos autem expelli foras. Et uenient ab oriente & occidente & aquilone & austro, & accumbent in regno dei. Et ecce sunt nouissimi qui erant primi: & sunt primi qui erant nouissimi. In ipsa die accesserunt quidam pharisæorum, dicentes illi: Exi & uade hinc: quia Herodes uult te occidere. Et ait illis: Ite & dicite uulpi illi: Ecce eijcio dæmonia & sanitates perficio hodie & cras: & tertia die consumor. Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Hierusalem. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas: & lapidas eos qui mittuntur ad te: Quotiens uolui congregare

ΛΟΥΚΑΣ.

συνάξαι τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ὄρνις τὴν ἑαυτῆς νοσσιὰν ὑπὸ τὰς πτέρυγας & οὐκ ἠθελήσατε. ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐ μή με ἴδητε ἕως ἥξῃ ὅτε εἴπητε, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου.

pos 1 * Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς οἶκόν τινος τῶν ἀρχόντων τῶν φαρισαίων σαββάτῳ φαγεῖν ἄρτον, & αὐτοὶ ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτόν. & ἰδοὺ ἄνθρωπός τις ἦν ὑδρωπικὸς ἔμπροσθεν αὐτοῦ· καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ιησοῦς, εἶπε πρὸς τοὺς νομικοὺς καὶ φαρισαίους, λέγων. Εἰ ἔξεστιν τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν; οἱ δὲ ἡσύχασαν, & ἐπιλαβόμενος ἰάσατο αὐτὸν, & ἀπέλυσε. * καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπε, τίνος ὑμῶν υἱὸς ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται, & οὐκ εὐθέως ἀναβήσεται αὐτὸν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου; καὶ οὐκ ἴσχυσαν ἀνταποκριθῆναι αὐτῷ πρὸς ταῦτα. * Ἔλεγε δὲ πρὸς τοὺς κεκλημένους παραβολὴν ἐπέχων, πῶς τὰς πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο, λέγων πρὸς αὐτούς. ὅταν κληθῇς ὑπό τινος εἰς γάμους, μὴ κατακλιθῇς εἰς τὴν πρωτοκλισίαν, μήποτε ἐντιμότερός σου ᾖ κεκλημένος ὑπ' αὐτοῦ, & ἐλθὼν ὁ σὲ & αὐτὸν καλέσας, ἐρεῖ σοι, δὸς τούτῳ τόπον, καὶ τότε ἄρξῃ μετ' αἰσχύνης τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν. ἀλλ' ὅταν κληθῇς πορευθεὶς ἀνάπεσον εἰς τὸν ἔσχατον τόπον, ἵνα ὅταν ἔλθῃ ὁ κεκληκώς σε, εἴπῃ σοι, φίλε, προσανάβηθι ἀνώτερον, τότε ἔσται σοι δόξα ἐνώπιον πάντων συνανακειμένων σοι. * ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται, καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται. * Ἔλεγε δὲ & τῷ κεκληκότι αὐτὸν, ὅταν ποιῇς ἄριστον ἢ δεῖπνον, μὴ φώνει τοὺς φίλους σου, μηδὲ τοὺς ἀδελφούς σου, μηδὲ τοὺς συγγενεῖς σου, μηδὲ γείτονας πλουσίους, μήποτε καὶ αὐτοί σε ἀντικαλέσωσι, & γένηταί σοι ἀνταπόδομα, ἀλλ' ὅταν ποιῇς δοχήν, κάλει πτωχούς, ἀναπείρους, χωλούς, τυφλούς, καὶ μακάριος ἔσῃ, ὅτι οὐκ ἔχουσιν ἀνταποδοῦναί σοι. ἀνταποδοθήσεται γάρ σοι ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων. ἀκούσας δέ τις τῶν συνανακειμένων εἶπεν

ERASMVS.

gare filios tuos, quemadmodum auis nidum suũ sub pennas, & noluistis. Ecce relinquitur uobis domus uestra deserta. Dico aũt uobis, quod nõ uidebitis me, donec uenerit tempus, cum dicetis: Benedictus qui uenit in nomine domini. Et accidit ut introiret in domũ cuiusdam principis pharisæorũ sabbato ad capiendũ cibũ, & ipsi obseruabant eũ. Et ecce homo quidã hydropicus erat ante illũ. μβ Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos & pharisæos dicens: Num licet sabbato sanare? At illi tacuerũt. Ipse uero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius uestrũ asinus aut bos in puteũ cadet, & nõ continuo extrahet illũ die sabbati? Et nõ poterãt ad hæc respõdere illi. Dicebat aũt ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicẽs ad illos: Cum inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens, is qui te & illũ uocauit, dicat tibi: da huic locũ, & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere. Quin potius cum uocatus fueris, uade, accumbe in nouissimo loco: ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius: tunc erit tibi gloria corã simul discumbentibus: quia omnis qui se extollit, deijcietur: & qui se deijcit, extolletur. Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat: Cum facis prandium, aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos tuos, neq; uicinos diuites: ne quando & ipsi te uicissim inuitent, ac rependatur tibi beneficium. Imò cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris: quia non possunt rependere tibi. rependetur enim tibi in resurrectione iustorum. Hæc cum audisset quidam de simul accumbentibus dixit

VVLG. EDITIO.

gare filios tuos: quẽadmodum auis nidũ suũ sub pennis, & noluisti? Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Dico autem uobis: quia non uidebitis me, donec ueniat cũ dicetis: benedictus qui uenit in nomine domini. Et factũ est cum introisset Iesus in domũ cuiusdã principis pharisæorũ sabbato mãducare panẽ: & ipsi obseruabãt eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illũ. Et respondens Iesus dixit ad legisperitos & pharisæos, dicẽs: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse uero apprehensum sanauit eũ ac dimisit. Et respõdens ad illos dixit: Cuius uestrũ asinus aut bos in puteum cadet: & nõ cõtinuo extrahet illum die sabbati? Et nõ poterant ad hæc respõdere illi. Dicebat aũt & ad inuitatos, parabolam: intẽdẽs quomodo primos accubitus eligerẽt, dicens ad illos: Cũ inuitatus fueris ad nuptias, nõ discũbas in primo loco: ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo: & ueniẽs is qui te & illũ uocauit, dicat tibi: da huic locũ: & tunc incipias cũ rubore nouissimũ locum tenere. Sed cum uocatus fueris, uade recũbe in nouissimo loco: ut cũ uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascẽde superius. Tũc erit tibi gloria corã simul discũbentibus: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Dicebat autẽ & ei qui se inuitauerat: Cum facis prãdium aut cœnã, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neque uicinos, neq; diuites: ne forte & ipsi te reinuitẽt, & fiat tibi retributio. Sed cum facis cõuiuiũ, uoca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia nõ habẽt retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectiõe iustorũ. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus,

XIIII.

εἶπεμ αὐτῷ. Μακάριος ὃς φάγεται ἄρτομ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ. * ὁ δὲ εἶπεμ αὐτῷ. ἄνθρωπος τὶς ἐποίησε δεῖπνομ μέγα, & ἐκάλεσε πολλούς. & ἀπέστειλε τὸμ δοῦλομ αὐτοῦ τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου, εἰπεῖμ τοῖς κεκλημένοις, ἔρχεσθε, ὅτι ἤδη ἕτοιμά ἐστι πάντα, & ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς πάντες παραιτεῖσθαι πάντες, ὁ πρῶτος εἶπεμ αὐτῷ. ἀγρὸμ ἠγόρασα, καὶ ἔχω ἀνάγκην ἐξελθεῖμ καὶ ἰδεῖμ αὐτόμ, ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρητημένομ. & ἕτερος εἶπε, ζεύγη βοῶμ ἠγόρασα πέντε, & πορεύομαι δοκιμάσαι αὐτά, ἐρωτῶ σε ἔχε με παρητημένομ. & ἕτερος εἶπε. γυναῖκα ἔγημα, καὶ διὰ τοῦτο οὐ δύναμαι ἐλθεῖμ. καὶ παραγενόμενος ὁ δοῦλος, ἀπήγγειλε τῷ κυρίῳ αὐτοῦ ταῦτα. τότε ὀργισθεὶς ὁ οἰκοδεσπότης, εἶπε τῷ δούλῳ αὐτοῦ. ἔξελθε ταχέως εἰς τὰς πλατείας & ῥύμας τῆς πόλεως, καὶ τοὺς πτωχοὺς & ἀναπήρους & χωλοὺς & τυφλοὺς εἰσάγαγε ὧδε. & εἶπεμ ὁ δοῦλος. κύριε, γέγονεμ ὡς ἐπέταξας, & ἔτι τόπος ἐστί. καὶ εἶπεμ ὁ κύριος πρὸς τὸμ δοῦλομ. ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς & φραγμούς, καὶ ἀνάγκασομ εἰσελθεῖμ, ἵνα γεμισθῇ ὁ οἶκός μου. λέγω γὰρ ὑμῖμ ὅτι οὐδεὶς τῶν ἀνδρῶμ ἐκείνωμ τῶν κεκλημένωμ γεύσεταί μου τοῦ δείπνου.

ξπϛ Συνεπορεύοντο δὲ αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, & στραφεὶς εἶπε πρὸς αὐτούς. εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸμ πατέρα αὐτοῦ, καὶ τὴμ μητέρα, καὶ τὴμ γυναῖκα, & τὰ τέκνα, & τοὺς ἀδελφούς, καὶ τὰς ἀδελφάς, ἔτι δὲ καὶ τὴμ ἑαυτοῦ ψυχήμ, οὐ δύναταί μου μαθητὴς εἶναι. & ὃς οὐ βαστάζει τὸμ σταυρὸμ αὐτοῦ & ἔρχεται ὀπίσω μου, οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής. * τίς γὰρ ἐξ ὑμῶμ, θέλωμ πύργομ οἰκοδομῆσαι, οὐχὶ πρῶτομ καθίσας ψηφίζει τὴ δαπάνην, εἰ ἔχει τὰ πρὸς ἀπαρτισμόμ, ἵνα μή ποτε θέντος αὐτοῦ θεμέλιομ, καὶ μὴ ἰσχύοντος ἐκτελέσαι, πάντες οἱ θεωροῦντες ἄρξωνται ἐμπαίζειμ αὐτῷ, λέγοντες, ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἤρξατο οἰκοδομεῖμ, καὶ οὐκ ἴσχυσεμ ἐκτελέσαι; ἢ τίς βασιλεὺς πορευόμενος συμβαλεῖμ ἑτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμομ οὐχὶ

dixit illi: Beatus qui comedit panem in regno dei. At ipse dixit ei Homo quidam apparauerat cœnam magnam, & uocauit multos, misitq; seruũ suum hora cœnæ, ut diceret inuitatis: Venite: quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse mihi est exire, & uidere illam: rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque: & eo ad probandum illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum uenire. Ac reuersus seruus, renunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamiliâs, dixit seruo suo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, claudós que & cæcos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo: Exi in uias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico enim uobis, quod nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meam. Ibant autem turbæ multæ cum eo, & conuersus dixit ad illos: Si quis uenit ad me, nec odit patrem suum, ac matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores: præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et quisquis non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim est ex uobis, qui uelit turrim ædificare, quin prius sedens computet sumptus, an habeat quibus opus est ad perficiendum, ne postquàm posuerit fundamentum, nec potuerit perficere, omnes qui uiderint, incipiant illudere ei, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, nec potuit consummare? Aut quis rex proficiscens ut committat prælium aduersus alterum regem, nonne

dixit illi: Beatus qui manducabit panẽ in regno dei. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnã: & uocauit multos: & misit seruum suũ hora cœnæ dicere inuitatis, ut uenirent: quia iã parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire & uidere illam: rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi: & ideo non possum uenire. Et reuersus seruus, nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis: & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est ut imperasti: & adhuc locus est. Et ait dominus seruo: Exi in uias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis: quòd nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meam. Ibant autẽ turbæ multæ cum eo: & conuersus dixit ad illos: Si quis uenit ad me & non odit patrem suum & matrem & uxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Quis eñ ex uobis uolens turrim ædificare: nõne prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere: omnes qui uidẽt, incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. At quis rex iturus committere bellum aduersus aliũ regem: non

οὐχὶ καθίσας πρῶτον βουλεύεται, εἰ δυνατός ἐστιν ἐν δέκα χιλιάσιν ἀπαντῆσαι τῷ μετὰ εἴκοσι χιλιάδων ἐρχομένῳ ἐπ' αὐτόν; εἰ δὲ μήγε, ἔτι αὐτοῦ πόρρω ὄντος, πρεσβείαν ἀποστείλας ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην.* οὕτως οὖν πᾶς ἐξ ὑμῶν, ὃς οὐκ ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσιν, οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής. *καλὸν τὸ ἅλας, ἐὰν δὲ καὶ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἀρτυθήσεται; οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν εὔθετόν ἐστιν, ἔξω βάλλουσιν αὐτό. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

rierat. Hæc illis audiētibus, adijciens dixit parabolā, eo quod eſſet prope Hieruſalē, & quia exiſtimarēt, quod cōfeſtim regnū dei manifeſtaret̄. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abijt in regionem lōginquā accipere ſibi regnū, & reuerti. Vocatis autem decem ſeruis ſuis, dedit eis decē minas, & ait ad illos: Negociamini dū uenio. Ciues autē eius oderāt eū: & miſerūt legationē poſt illum, dicētes: Nolumus hūc regnare ſuper nos. Et factū eſt ut rediret accepto regnō & iuſſit uocari ſeruos, quibus dedit pecuniā ut ſciret quātum quiſq; negociatus eſſet. Venit autē primus, dicens: Domine mna tua decem mnas acquiſiuit. Et ait illi: Euge bone ſerue: quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatē habens ſupra decem ciuitates. Et alter uenit, dicens: Domine, mna tua fecit quinq; mnas. Et huic ait: Et tu eſto ſuper quinq; ciuitates. Et alter uenit, dicens: Domine, ecce mna tua quā habui repoſitā in ſudario. Timui enim te: quia homo auſterus es: tollis quod nō poſuiſti: & metis quod non ſeminaſti. Dicit ei: De ore tuo te iudico ſerue nequā: Sciebas qđ ego homo auſterus ſum, tollēs quod non poſui: & metens quod non ſeminaui. Et quare non dediſti pecuniā meam ad mēſam: & ego ueniens cū uſuris utiq; exegiſſem illud? Et aſtātibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas: Dico autē uobis: quia omni habēti dabitur, & abūdabit: ab eo autem qui nō habet: & quod habet, auferetur ab eo. Verūtamē inimicos meos illos qui noluerūt me regnare ſuper ſe, adducite huc: & interficite ante me. Et his dictis præcedebat aſcēdēs Hieroſolymā. Et factū eſt cum appropinquaſſet ad Bethphage

φαγὴ & βηθανίαν πρὸς τὸ ὄρος τὸ
καλούμενον ἐλαιῶν, ἀπέστειλε δύο
τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, εἰπών. ὑπάγε-
τε εἰς τὴν κατέναντι κώμην. ἐν ᾗ εἰ-
σπορευόμενοι, εὑρήσετε πῶλον δε-
δεμένον, ἐφ' ὃν οὐδεὶς πώποτε ἀν-
θρώπων ἐκάθισε, λύσαντες αὐτὸν ἀ-
γάγετε. καὶ ἐάν τις ὑμᾶς ἐρωτᾷ,
διὰ τί λύετε, οὕτως ἐρεῖτε αὐτῷ, ὅτι
ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει. * Ἀπελ
θόντες δὲ οἱ ἀπεσταλμένοι, εὗρον κα-
θὼς εἶπεν αὐτοῖς. λυόντων δὲ αὐτῶν
τὸν πῶλον, εἶπον οἱ κύριοι αὐτοῦ πρὸς
αὐτούς, τί λύετε τὸν πῶλον; οἱ δὲ εἶ
πον, ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει. καὶ
ἤγαγον αὐτὸν πρὸς τὸν ΙΗΣΟΥΝ. καὶ
ἐπιῤῥίψαντες ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια ἐπὶ
τὸν πῶλον, ἐπεβίβασαν τὸν ΙΗ-
ΣΟΥΝ. πορευομένου δὲ αὐτοῦ ὑπε-
στρώννυον τὰ ἱμάτια αὐτῶν ἐν τῇ ὁ-
δῷ. * ἐγγίζοντος δὲ αὐτοῦ ἤδη
πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους τῶν
ἐλαιῶν, ἤρξαντο ἅπαν τὸ πλῆθος
τῶν μαθητῶν χαίροντες αἰνεῖν τὸν
θεὸν φωνῇ μεγάλῃ περὶ πασῶν, ὧν
εἶδον δυνάμεων, λέγοντες. Εὐλο-
γημένος ὁ ἐρχόμενος βασιλεὺς ἐν
ὀνόματι κυρίου, εἰρήνη ἐν οὐρανῷ, καὶ
δόξα ἐν ὑψίστοις. * καί τινες τῶν φα
ρισαίων ἀπὸ τοῦ ὄχλου εἶπον πρὸς
αὐτόν. Διδάσκαλε, ἐπιτίμησον
τοῖς μαθηταῖς σου. καὶ ἀποκριθεὶς,
εἶπεν αὐτοῖς. Λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν οὗ
τοι σιωπήσωσιν, οἱ λίθοι κεκράξον-
ται. * καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πό
λιν, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ, λέγων, ὅτι
εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καί γε ἐν τῇ ἡμέρᾳ
σου ταύτῃ, τὰ πρὸς εἰρήνην σου, νῦν
δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου. ὅτι
ἥξουσιν ἡμέραι ἐπί σε, καὶ περιβα-
λοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ
περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί
σε πάντοθεν, καὶ ἐδαφιοῦσί σε, καὶ τὰ
τέκνα σου ἐν σοί. * καὶ οὐκ ἀφήσου
σιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ, ἀνθ' ὧν
οὐκ ἔγνως τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς
σου. * καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν, ἤρ-
ξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας ἐν
αὐτῷ καὶ ἀγοράζοντας, λέγων αὐ-
τοῖς. Γέγραπται, ὁ οἶκός μου οἶκος προ
σευχῆς ἐστιν, ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσα
τε σπήλαιον λῃστῶν. * καὶ ἦν διδά-
σκων

phage & Bethaniam iuxta mon
tem, qui uocatur Oliuarum, misit
duos discipulos suos, dicēs: Ite in
castellum, quod è regione est. In
quod introëuntes, inuenietis pul
lum asinæ alligatū, in quo nemo
unquàm hominū sedit: soluite il
lum, & adducite. Et si quis uos in
terrogauerit, quare soluitis, sic di
cetis ei: Quia dominus eo opus
habet. Abierūt aūt qui missi erāt,
& inuenerūt sicut dixerat illis. Sol
uentibus aūt illis pullum, dixerūt
domini eius ad illos: Quare solui
tis pullū? At illi dixerūt: Quia do
minus eo habet opus. Et duxe
runt illū ad Iesum. Et iniectis ue
stimentis suis super pullū, impo
suerunt Iesum. Eunte aūt illo, sub
sternebant uestimenta sua in uia.
Et cum appropinquaret iam ad
descensum mōtis Oliuarū, cœpe
runt omnis multitudo discipulo
rum gaudētes laudare deum uo
ce magna super omībus, quas ui
derant, uirtutibus, dicētes: Bene
dictus qui uenit rex in nomine
domini, pax in cœlo, & gloria in
altissimis. Et quidā pharisæorum
è turba dixerūt ad illum: Magi
ster, increpa discipulos tuos. Qui
bus ipse ait: Dico uobis, quod si
hi tacuerint, mox lapides clama
bunt. Et ut appropinquauit, ui
dens ciuitatem, fleuit super illa,
dicēs: Si cognouisses & tu, & qui
dem in isto die tuo, quæ ad pacē
tuam pertinent curares. Nunc au
tem abscōdita sunt ab oculis tuis.
Quia ueniēt dies in te, & circūda
bunt te inimici tui uallo, & cingēt
te, & coangustabunt te undiq;, &
solo æquabūt te, & filios tuos qui
in te sunt. Et non relinquent in te
lapidem super lapidem, eo quod
non cognoueris tempus uisitatio
nis tuæ. Et ingressus in templū,
cœpit eijcere uendentes in illo &
ementes, dicens illis: Scriptum
est, Domus mea domus preca
tionis est: uos autem fecistis il
lam speluncam latronum. Et do
cebat

phage & Bethaniā, ad mon
tem qui uocat Oliueti: mi
sit duos discipulos suos, di
cens: Ite in castellū quod cō
tra uos est: in quod introeūtes
inuenietis pullū asinæ al
ligatum, cui nemo unquā
hominū sedit: soluite illū, &
adducite. Et si quis uos in
terrogauerit quare soluitis,
sic dicetis ei: quia dñs ope
ram eius desiderat. Abierūt
autē qui missi erāt: & inuene
runt sicut dixit illis, stantem
pullū. Soluētibus autē illis
pullū, dixerūt domini eius
ad illos: Quid soluitis pul
lum? At illi dixerūt. Quia
dominus eū necessariū ha
bet. Et duxerūt illum ad Ie
sum. Et iactantes uestimēta
sua supra pullum, imposue
runt Iesum. Eunte autē illo,
substernebāt uestimēta sua
in uia. Et cū appropinqua
ret iam ad descēsum mōtis
Oliueti, cœperūt oēs tur
bæ descēdentium gaudētes
laudare deū uoce magna su
per omnibus quas uiderāt
uirtutibus, dicētes: Benedi
ctus qui uenit rex in nomi
ne domini: pax in cœlo, &
gloria in excelsis. Et quidā
pharisæorū de turbis dixe
runt ad illū: Magister increpa
discipulos tuos. Quib⁹
ipse ait: Dico uobis: quia si
hi tacuerint, lapides clama
bunt. Et ut appropinquauit
uidēs ciuitatē, fleuit super il
lam, dicēs: Quia si cogno
uisses, & tu. Et quidē in hac
die tua quæ ad pacem tibi,
nunc aūt abscōdita sunt ab
oculis tuis. Quia ueniēt di
es in te, & circūdabunt te ini
mici tui uallo: & circunda
bunt te & coangustabūt te
undiq;: & ad terrā proster
nent te & filios tuos qui in
te sunt. Et nō relinquēt in te
lapidē sup lapidē, eo quod
nō cognoueris tempus uisi
tationis tuæ. Et ingressus in
templū, cœpit eijcere uen
dentes & emētes, dicens il
lis: Scriptū est: quia domus
mea, domus orationis est:
uos autē fecistis illam spe
luncam latronū. Et erat do

σκων δ καθ ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς & οἱ γραμματεῖς ἐζήτουν αὐτὸν ἀπολέσαι, & οἱ πῶτοι τοῦ λαοῦ, & οὐχ εὕρισκον, ὅ, τί ποιήσωσιν, ο λαὸς γὰρ ἅπας ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων.

σμβ * Καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐκείνων διδάσκοντος αὐτοῦ τὸν λαὸν ἐν τῷ ἱερῷ. καὶ εὐαγγελιζομένου ἐπέστησαν οἱ ἀρχιερεῖς & γραμματεῖς σὺν τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ εἶπον πρὸς αὐτὸν, λέγοντες. εἶπε ἡμῖν, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς; ἢ, τίς ἐστιν ὁ δούς σοι τὴν ἐξουσίαν ταύτην; Αποκριθεὶς δὲ, εἶπε πρὸς αὐτούς. Ερωτήσω ὑμᾶς κἀγὼ ἕνα λόγον, καὶ εἴπατέ μοι. Τὸ βάπτισμα Ἰωάννου ἐξ οὐρανοῦ ἦν, ἢ ἐξ ἀνθρώπων; οἱ δὲ συνελογίσαντο πρὸς ἑαυτοὺς λέγοντες, ὅτι ἐὰν εἴπωμεν ἐξ οὐρανοῦ, ἐρεῖ, διὰ τί οὖν οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ; ἐὰν δὲ εἴπωμεν, ἐξ ἀνθρώπων, πᾶς ὁ λαὸς καταλιθάσει ἡμᾶς. πεπεισμένοι γάρ εἰσιν Ἰωάννην προφήτην εἶναι. Καὶ ἀπεκρίθησαν μὴ εἰδέναι πόθεν. Καὶ ὁ Ιησοῦς εἶπεν αὐτοῖς. οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ. * Ηρξατο δὲ πρὸς τὸν λαὸν λέγειν τὴν παραβολὴν ταύτην. Ανθρωπός τις ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα, & ἐξέδετο αὐτὸν γεωργοῖς & ἀπεδήμησε χρόνους ἱκανούς, καὶ ἐν καιρῷ ἀπέστειλε πρὸς τοὺς γεωργοὺς δοῦλον, ἵνα ἀπὸ τοῦ καρποῦ τοῦ ἀμπελῶνος δῶσιν αὐτῷ. οἱ δὲ γεωργοὶ δείραντες αὐτὸν, ἐξαπέστειλαν κενόν. καὶ προσέθετο ἕτερον πέμψαι. ὁ δὲ κἀκεῖνον δείραντες καὶ ἀτιμάσαντες, ἐξαπέστειλαν κενόν. & προσέθετο τρίτον. οἱ δὲ καὶ τοῦτον τραυματίσαντες, ἐξέβαλον. Εἶπε δὲ ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος, τί ποιήσω; πέμψω τὸν υἱόν μου τὸν ἀγαπητόν. ἴσως τοῦτον ἰδόντες ἐντραπήσονται. ἰδόντες δὲ αὐτὸν οἱ γεωργοὶ, διελογίζοντο πρὸς ἑαυτοὺς, λέγοντες. οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος, δεῦτε ἀποκτείνωμεν αὐτὸν, ἵνα ἡμῶν γένηται ἡ κληρονομία, καὶ ἐκβαλόντες αὐτὸν ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος, ἀπέκτειναν. Τί οὖν ποιήσει αὐτοῖς ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος;

cebat quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & scribæ quærebant illum perdere, & primores plebis, nec inueniebant, quid facerent. totus enim populus pendebat ab ore eius, cum audiret illum.

Et factum est in uno dierum illorum, docente illo populum in templo, & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum & scribæ cum senioribus, & aiunt illi, dicentes: Dic nobis, qua autoritate ista facis? Aut, quis est qui dedit tibi istam autoritatem? Respondens autē Iesus dixit ad illos: Interrogabo uos & ego unum quiddā, & respondete mihi: Baptismus Iohannis è cœlo erat, an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicentes: Si dixerimus, è cœlo, dicet: Quare ergo non credidistis illi? Sin dixerimus, ex hominibus, plebs universa lapidabit nos. Persuasum enim habet Ioannem prophetam esse. Et responderūt se nescire unde esset. Et Iesus ait illis: Neque ego dico uobis, qua autoritate hæc faciam. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo quidam plantauit uineam, & locauit eam colonis, & ipse peregre egit multo tempore. Cumq; esset opportunum, misit ad colonos seruum, ut de fructu uineæ darent ipsi. Qui cæsum emiserunt eum inanem. Et rursus, adhuc alterum seruum misit. Illi uero hunc quoque cæsum, & contumelijs affectū, emiserunt inanem Rursus misit & tertiū. At illi hunc quoq; uulneribus inflictis, eiecerunt. Dixit autem dominus uineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum. Forsitan cum hunc uiderint, reuerebuntur. Quem cum uidissent coloni, cogitauerūt intra se, dicentes: Hic est hæres, uenite occidamus illū, ut nostra fiat hæreditas. Et eiectū illum extra uineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus uineæ?

cens quotidie in tēplo. Principes autē sacerdotū & scribæ & principes plebis quærebant illū perdere: & non inueniebant quid facerēt illi. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

Et factum est in una die- XX.
rum docente illo populum in templo & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum & scribæ cum senioribus: & aiunt, dicentes ad illum: Dic nobis: in qua potestate hæc facis: aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens autem Iesus, dixit ad illos: Interrogabo uos & ego unum uerbum, respondete mihi: Baptismum Iohannis de cœlo erat, an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus de cœlo, dicet: quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus: plebs uniuersa lapidabit nos. Certi sunt enim Iohannem prophetam esse. Et responderunt se nescire unde esset. Et Iesus ait illis: Neque ego dico uobis in qua potestate hæc facio. Cœpit autem dicere ad plebē parabolam hanc: Homo quidam plātauit uineam: & locauit eam colonis: & ipse peregre fuit multis tēporibus: & in tēpore illo misit ad cultores seruū, ut de fructu uineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruū mittere. Illi autem hunc quoq; cædentes & afficientes contumelijs, dimiserūt inanem. Et addidit tertium mittere. Qui & illum uulnerantes eiecerunt. Dixit autem dominus uineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectū: forsitan cum hunc uiderint, uerebuntur. Quē cum uidissent coloni, cogitauerunt intra se dicentes: Hic est hæres. Occidamus illum ut nostra fiat hæreditas: & eiectum illum extra uineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus uineæ?

πελῶνος; ἐλεύσεται καὶ ἀπολέσει τοὺς γεωργοὺς τούτους, καὶ δώσει τὸν ἀμπελῶνα ἄλλοις. ἀκούσαντες δέ, εἶπον, μὴ γένοιτο. ὁ δὲ ἐμβλέψας αὐτοῖς, εἶπε. Τί οὖν ἐστὶ τὸ γεγραμμένον τοῦτο. Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας; πᾶς ὁ πεσὼν ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λίθον, συνθλασθήσεται, ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ, λικμήσει αὐτόν. καὶ ἐζήτησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς ἐπιβαλεῖν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, καὶ ἐφοβήθησαν τὸν λαόν. ἔγνωσαν γάρ, ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην εἶπε. καὶ παρατηρήσαντες, ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους, ὑποκρινομένους ἑαυτοὺς δικαίους εἶναι, ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου, εἰς τὸ παραδοῦναι αὐτὸν τῇ ἀρχῇ καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἡγεμόνος. καὶ ἐπηρώτησαν αὐτόν, λέγοντες. διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ὀρθῶς λέγεις καὶ διδάσκεις; καὶ οὐ λαμβάνεις πρόσωπον, ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ διδάσκεις, ἔξεστιν ἡμῖν καίσαρι φόρον δοῦναι, ἢ οὔ; κατανοήσας δὲ αὐτῶν τὴν πανουργίαν εἶπε πρὸς αὐτούς. τί με πειράζετε; ἐπιδείξατέ μοι δηνάριον, τίνος ἔχει εἰκόνα καὶ ἐπιγραφήν; ἀποκριθέντες εἶπον, καίσαρος. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς. ἀπόδοτε οὖν τὰ καίσαρος καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ. καὶ οὐκ ἴσχυσαν ἐπιλαβέσθαι αὐτοῦ ῥήματος ἐναντίον τοῦ λαοῦ, καὶ θαυμάσαντες ἐπὶ τῇ ἀποκρίσει αὐτοῦ, ἐσίγησαν. προσελθόντες δέ τινες τῶν σαδδουκαίων, οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, ἐπηρώτησαν αὐτὸν, λέγοντες. διδάσκαλε, μωσῆς ἔγραψεν ἡμῖν, ἐάν τινος ἀδελφὸς ἀποθάνῃ, ἔχων γυναῖκα, καὶ οὗτος ἄτεκνος ἀποθάνῃ, ἵνα λάβῃ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα, καὶ ἐξαναστήσῃ σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ. ἑπτὰ οὖν ἀδελφοὶ ἦσαν, καὶ ὁ πρῶτος λαβὼν γυναῖκα, ἀπέθανεν ἄτεκνος. καὶ ἔλαβεν ὁ δεύτερος τὴν γυναῖκα, καὶ οὗτος ἀπέθανεν ἄτεκνος. καὶ ὁ τρίτος ἔλαβεν αὐτήν, ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἑπτὰ, καὶ οὐ κατέλιπον τέκνα, καὶ ἀπέθανον. ὕστερον πάντων ἀπέθανε καὶ ἡ γυνή, τίνος τῶν ἑπτὰ ἔσται γυνή; οἱ γὰρ ἑπτὰ ἔσχον

τὴν

uineæ? Veniet & perdet colonos iſtos, & dabit uineã aliis. Quod cum audiſſent, dixerũt: Abſit. Ille uero intuitus eos, ait: Quid eſt ergo hoc quod ſcriptum eſt: Lapidem quẽ reprobauerũt ædificantes, is factus eſt caput anguli? Omnis qui ceciderit ſuper illum lapidem, cõquaſſabitur: ſuper quẽ autẽ ceciderit cõminuet illum. Et quærebãt principes ſacerdotũ & ſcribæ inijcere in illum manus eadem hora, & timuerũt populum. Cognouerunt enim, quod in ipſos dixiſſet ſimilitudinẽ hanc. Et obſeruantes emiſerunt inſidiatores, qui ſe iuſtos ſimularent, ut caperent eum ex ſermone, traderẽtq; illum principatui & poteſtati præſidis. Et interrogauerunt eum, dicentes: Magiſter, ſcimus quod recte dicis ac doces, nec reſpicis perſonã, ſed uiam dei cũ ueritate doces: Licet nobis tributũ dare cæſari, an nõ? Intellecta aũt illorũ uerſutia, dixit ad eos: Quid me tentatis? Oſtendite mihi denariũ: cuius habet imaginem & inſcriptionem? Reſpondentes dixerũt: Cæſaris. Et ait illis: Reddite ergo quæ ſunt cæſaris, cæſari: & quæ ſũt dei, deo. Et non potuerũt uerbũ eius reprehendere corã populo, & mirati ſuper reſponſo eius, tacuerũt. Acceſſerunt aũt quidam Sadducæorum, qui negant eſſe reſurrectionem, & interrogauerũt eum, dicẽtes: Magiſter, Moſes ſcripſit nobis, ſi cuius frater mortuus fuerit, habens uxorem, ísque ſine liberis mortuus fuerit, ut accipiat frater eius uxorẽ, & ſuſcitet ſemẽ fratri ſuo. Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorẽ, ac mortuꝰ eſt ſine liberis. Et accepit ſecũdus illam, & ipſe mortuus eſt ſine liberis. Et tertius accepit illã, ſimiliter & cæteri ſeptem, nec reliquerũt liberos, & mortui ſunt. nouiſſime omniũ mortua eſt & mulier: In reſurrectione ergo cuius eorũ erit uxor? Siquidem ſeptem habuerunt

uineæ? Veniet & perdet colonos iſtos: & dabit uineam alijs. Quo audito, dixerũt illi: Abſit. Ille autem aſpiciens eos, ait: Quid eſt ergo hoc quod ſcriptũ eſt: Lapidem quem reprobauerũt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Omnis qui ceciderit ſupra illum lapidẽ, conquaſſabitur: ſupra quẽ autem ceciderit, cõminuet illum. Et quærebant principes ſacerdotũ & ſcribæ mittere in illũ manus hora illa, & timuerũt populum. Cognouerunt enim quod ad ipſos dixerit ſimilitudinem hanc. Et obſeruãtes miſerũt inſidiatores qui ſe iuſtos ſimularent, ut caperent eũ in ſermone: & traderent illum principatui & poteſtati præſidis. Et interrogauerũt eũ, dicẽtes: Magiſter, ſcimꝰ quia recte dicis & doces: & nõ accipis perſonã, ſed uiã dei in ueritate doces: Licet nobis tributũ dare Cæſari, an nõ? Cõſiderãs autẽ dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tẽtatis? Oſtẽdite mihi denarium: cuius habet imaginẽ & inſcriptionẽ? Reſpõdẽtes dixerũt: Cæſaris. Et ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: et quæ ſunt dei deo. Et nõ potuerunt uerbũ eius reprehẽdere corã plebe: & mirati in reſpõſo eius, tacuerũt. Acceſſerũt autem quidam ſaducæorũ, qui negant eſſe reſurrectionẽ: & interrogauerunt eũ, dicentes: Magiſter, Moyſes ſcripſit nobis: Si frater alicuiꝰ mortuꝰ fuerit habẽs uxorẽ: & hic ſine liberis fuerit, ut accipiat eam frater eius uxorẽ: & ſuſcitet ſemẽ fratri ſuo. Septẽ ergo fratres erãt: & primus accepit uxorẽ & mortuꝰ eſt ſine filijs. Et ſequẽs accepit illã: & ipſe mortuus eſt ſine filio. Et tertius accepit illã. Similiter & omnes ſeptẽ: & non reliquerũt ſemẽ, & mortui ſunt. Nouiſſime omniũ mortua eſt & mulier: In reſurrectione ergo cuius eorũ erit uxor? Siquidẽ ſeptem habuerunt

ἔχομ αὐτὴν γυναῖκα. καὶ ἀποκρι/
θεὶς, εἶπεμ αὐτοῖς ὁ ιησοῦς. οἱ υἱοὶ τοῦ
αἰῶνος τούτου γαμοῦσι καὶ ἐκγαμί
σκονται, οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶ/
νος ἐκείνου τυχεῖμ, καὶ τῆς ἀναστάσεως
τῆς ἐκ νεκρῶμ, οὔτε γαμοῦσιμ, οὔτε
ἐκγαμίσκονται, οὔτε γὰρ ἀποθανεῖμ
ἔτι δύνανται. ἰσάγγελοι γάρ εἰσι, καὶ
οἱ υἱοί εἰσι τοῦ θεοῦ, τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ
ὄντες. ὅτι δὲ ἐγείρονται οἱ νεκροὶ, καὶ μω
σῆς ἐμήνυσεμ ἐπὶ τῆς βάτου, ὡς λέ
γει κύριομ τὸμ θεὸμ ἀβραὰμ καὶ τὸμ
θεὸμ ἰσαὰκ καὶ τὸμ θεὸμ ἰακώβ. θεὸς
δὲ οὐκ ἔστι νεκρῶμ, ἀλλὰ ζώντωμ, πάν
τες γὰρ αὐτῷ ζῶσιμ. ἀποκριθέντες
δέ τινες τῶν γραμματέωμ, εἶπομ.
διδάσκαλε, καλῶς εἶπας. * οὐκ ἔτι
δὲ ἐτόλμωμ ἐπερωτᾶμ αὐτὸν οὐδέμ.
* Εἶπε δὲ πρὸς αὐτούς. πῶς λέγουσι,
τὸμ χριστὸμ υἱὸμ δαυὶδ εἶναι, καὶ αὐτὸς
δαυὶδ λέγει ἐν βίβλῳ ψαλμῶμ. εἶ/
πεμ ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου
ἐκ δεξιῶμ μου, ἕως ἂμ θῶ τοὺς ἐχθρούς
σου ὑποπόδιομ τῶν ποδῶμ σου; Δα/
βὶδ οὖμ κύριομ αὐτὸμ καλεῖ, καὶ πῶς
υἱός αὐτοῦ ἐστι; * Ακούοντος δὲ παν/
τὸς τοῦ λαοῦ, εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐ
τοῦ. προσέχετε ἀπὸ τῶν γραμμα/
τέωμ τῶν θελόντωμ περιπατεῖμ ἐν
στολαῖς, καὶ φιλόντωμ ἀσπασμοὺς
ἐν ταῖς ἀγοραῖς, καὶ πρωτοκαθεδρίας
ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ πρωτο/
κλισίας ἐν τοῖς δείπνοις. * οἱ κατεσθίο/
σι τὰς οἰκίας τῶν χηρῶμ, καὶ προφά/
σει μακρᾷ προσεύχονται, οὗτοι λή/
ψονται περισσότερομ κρίμα.

Αναβλέψας δὲ εἶδε τοὺς βάλλον/
τας τὰ δῶρα αὐτῶμ εἰς τὸ γαζοφυ
λάκιομ πλουσίους. εἶδε δέ τινα καὶ χή
ραμ πενιχρὰμ βάλλουσαμ ἐκεῖ δύο λε
πτά. καὶ εἶπεμ, ἀληθῶς λέγω ὑμῖμ,
ὅτι ἡ χήρα ἡ πτωχὴ αὕτη πλεῖομ
πάντωμ ἔβαλεμ. ἅπαντες γὰρ οὗτοι
ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς ἔβαλομ εἰς
τὰ δῶρα τοῦ θεοῦ, αὕτη δὲ ἐκ τοῦ ὑστερή
ματος αὐτῆς ἅπαντα τὸμ βίομ ὃμ εἶχεμ
ἔβαλε. * καί τινωμ λεγόντωμ περὶ τοῦ
ἱεροῦ, ὅτι λίθοις καλοῖς καὶ ἀναθήμα/
σι κεκόσμηται. εἶπε, ταῦτα ἃ θεω/
ρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι ἐν αἷς οὐκ
ἀφεθήσεται λίθος ἐπὶ λίθῳ ὃς οὐ κα
ταλυθήσεται. * Επηρώτησαμ δὲ αὐ
τὸμ λέ

habuerunt eam uxorē. Et respon
dens ait illis Iesus: Filij huius secu
li ducunt uxores & nuptū dant, il
li uero qui digni habebūtur secu/
lo illo, & resurrectiōe ex mortuis
neq; ducūt uxores, neq; nuptum
dant, neq; eū ultra mori possunt.
Aequales enim angelis sunt, & fi/
lij sunt dei, cū sint filij resurrectio/
nis. Quod uero resurgant mor/
tui, & Moses ostendit iuxta rubū
cum dicit dominum deum Abra
ham & deū Isaac & deum Iacob.
Deus autem nō est mortuorum,
sed uiuorū: omnes enim illi uiuūt
Respondentes autē quidā scriba/
rum, dixerunt: Magister, bene di/
xisti. Et amplius nō audebant eū
quicq̄ interrogare. Dixit autē ad
illos: Quomodo dicūt Chri
stum filiū esse Dauid: & ipse
Dauid dixit in libro Psal/
morū: Dixit dominus dño
meo: sede a dextris meis: do
nec ponā inimicos tuos, sca
bellum pedum tuorū. Da/
uid ergo dominū illum uo/
cat, & quomodo filius eius
est? Audiēte autē oīi popu
lo, dixit discipulis suis: Attē
dite a scribis qui uolūt am/
bulare in stolis: & amāt sa/
lutatiōes in foro: & primas
cathedras in synagogis: &
primos discubitus in cōui/
uijs. Qui deuorant domos
uiduarū simulātes longam
orationē. Hi accipient dam
nationē maiorē. Respiciēs
autē uidit eos qui mittebāt
munera sua in gazophyla/
cium diuites. Vidit autē &
quandam uiduā paupercu
lam, mittētem æra minuta
duo. Et dixit: Vere dico uo/
bis: quia uidua hæc pauper
plusquā omnes misit. Nā o/
mnes hi ex abūdāti sibi mi/
serūt in munera dei: hæc aūt
ex eo quod deest illi, omnē
uictū suū quē habuit misit.
Et quibusdā dicētibus de tē
plo quod bonis lapidib⁹ &
donis ornatum esset, dixit:
Hæc quæ uidetis, ueniēt di/
es in qb⁹ nō relinquet lapis
supra lapidē q nō destrua/
tur. Interrogauerūt autē il/
lum, di

habuerūt eam uxorē. Et ait
illis Iesus: Filij huius sæculi
nubūt & tradūtur ad nupti
as: illi uero qui digni habe/
buntur sæculo illo & resur/
rectiōe ex mortuis, neq; nu
bent neq; ducēt uxores: ne/
que enim ultra mori pote/
runt. Equales enim angelis
sunt & filij sunt dei, cū sint fi/
lij resurrectionis. Quia ue/
ro resurgēt mortui, & Moy/
ses ostēdit secus rubū: sicut
dicit dominū deū Abrahā &
deū Isaac & deū Iacob. De⁹
autem nō est mortuorū, sed
uiuorū: omnes enim uiuūt
ei. Respōdentes autē quidā
scribarū, dixerunt ei: Magi/
ster, bene dixisti. Et ampli/
us nō audebāt eum quicq̄
interrogare. Dixit autē ad il
los: Quomodo dicūt Chri
stum filiū esse Dauid: & ipse
Dauid dixit in libro Psal/
morū: Dixit dominus dño
meo: sede a dextris meis: do
nec ponā inimicos tuos, sca
bellum pedum tuorū. Da/
uid ergo dominū illum uo/
cat, & quomodo filius eius
est? Audiēte autē oīi popu
lo, dixit discipulis suis: Attē
dite a scribis qui uolūt am/
bulare in stolis: & amāt sa/
lutatiōes in foro: & primas
cathedras in synagogis: &
primos discubitus in cōui/
uijs. Qui deuorant domos
uiduarū simulātes longam
orationē. Hi accipient dam
nationē maiorē. Respiciēs XXI.
autē uidit eos qui mittebāt
munera sua in gazophyla/
cium diuites. Vidit autē &
quandam uiduā paupercu
lam, mittētem æra minuta
duo. Et dixit: Vere dico uo/
bis: quia uidua hæc pauper
plusquā omnes misit. Nā o/
mnes hi ex abūdāti sibi mi/
serūt in munera dei: hæc aūt
ex eo quod deest illi, omnē
uictū suū quē habuit misit.
Et quibusdā dicētibus de tē
plo quod bonis lapidib⁹ &
donis ornatum esset, dixit:
Hæc quæ uidetis, ueniēt di/
es in qb⁹ nō relinquet lapis
supra lapidē q nō destrua/
tur. Interrogauerūt autē il/
lum, di

φρμ,λέγοντες.διδάσκαλε, πότε οὖν ταῦτα ἔσαι,καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι;ὁ δὲ εἶπε,βλέπετε μὴ πλανηθῆτε.πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου,λέγοντες,ὅτι ἐγώ εἰμι.καὶ ὁ καιρὸς ἤγγικε. μὴ οὖν πορευθῆτε ὀπίσω αὐτῶν.ὅταν δὲ ἀκούσητε πολέμους καὶ ἀκαταστασίας,μὴ πτοηθῆτε.δεῖ γὰρ ταῦτα γενέσθαι πρῶτον,ἀλλ' οὐκ εὐθέως τὸ τέλος.τότε ἔλεγεν αὐτοῖς,ἐγερθήσεται ἔθνος ἐπὶ ἔθνος,καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν,σεισμοί τε μεγάλοι κατὰ τόπους,καὶ λιμοὶ,καὶ λοιμοὶ ἔσονται, φόβητρά τε,καὶ σημεῖα ἀπ' οὐρανοῦ μεγάλα ἔσαι. * πρὸ δὲ τούτων πάντων ἐπιβαλοῦσιν ἐφ' ὑμᾶς τὰς χεῖρας αὐτῶν,καὶ διώξουσι παραδιδόντες εἰς συναγωγὰς καὶ φυλακὰς,ἀγομένους ἐπὶ βασιλεῖς καὶ ἡγεμόνας ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου. ἀποβήσεται δὲ ὑμῖν εἰς μαρτύριον. * θέσθε οὖν εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν, μὴ προμελετᾶν ἀπολογηθῆναι, ἐγὼ γὰρ δώσω ὑμῖν στόμα καὶ σοφίαν, ᾗ οὐ δυνήσονται ἀντιπεῖν, οὐδὲ ἀντιστῆναι πάντες οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν. παραδοθήσεσθε δὲ καὶ ὑπὸ γονέων καὶ ἀδελφῶν καὶ συγγενῶν καὶ φίλων,καὶ θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν. καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου. καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται. ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν. * ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλήμ, τότε γνῶτε. ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς. * τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ,φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη, καὶ οἱ ἐν μέσῳ αὐτῆς, ἐκχωρείτωσαν, καὶ οἱ ἐν ταῖς χώραις, μὴ εἰσερχέσθωσαν εἰς αὐτὴν,ὅτι ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗταί εἰσι,τοῦ πλησθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα. * οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις, καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.* ἔσαι γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς,καὶ ὀργὴ τῷ λαῷ τούτῳ.* καὶ πεσοῦνται στόματι μαχαίρας,καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη.καὶ Ἰερουσαλὴμ ἔσαι πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν.* καὶ ἔσαι σημεῖα ἐν ἡλίῳ

lum,dicētes: Præceptor,quando hæc erunt,& quod ſignum quando iſta futura ſint? At ille dixit: Videte ne ſeducamini. Multi em̄ uenient ſub nomine meo, dicentes,ſe eſſe Chriſtum,& tempus inſtat.ne igitur ſequamini illos. Cæterum cum audieritis bella & ſeditiones,nolite terreri.oportet enim prius hæc fieri, ſed nō ſtatim finis. Tunc dicebat illis: Inſurget gens contra gentem,& regnū aduerſus regnū,& terræmotus magni erunt in ſingulis locis, & fames,ac peſtilentiæ,terriculamentaq́;& ſigna de cœlo magna erūt Sed ante hæc omnia inijcient uobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in conciliabula & carceres, trahētes ad reges ac præſides propter nomen meū. Continget aūt uobis in teſtimoniū. Habete igitur fixum in cordibus ueſtris, non eſſe præmeditandā defenſionem, nam ipſe dabo uobis os & ſapientiam,cui non poterūt contradicere, neq; reſiſtere oēs qui aduerſabuntur uobis. Trademini autem etiam à parentibus & fratribus & cognatis & amicis, & morte afficient quoſdā ex uobis. Et eritis inuiſi omnibus propter nomen meum. Et pilus de capite ueſtro non perit. Per patientiam ueſtrā poſſidete animas ueſtras. Cum autem uideritis circundari ad exercitibus Hieroſolymā,tunc ſcitote,quod immineat deſolatio eius. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes:& qui in medio eius,diſcedant: & qui in regionibus,nō intrent in eam: quia dies ultionis hi ſunt,ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt. Væ autem prægnātibus & mamma nutrientibus in illis diebus. Erit enim afflictio magna ſuper terram,& ira in populo hoc. Et cadent acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Et Hieruſalem calcabitur à gentibus donec impleantur tempora gentium. Et erunt ſigna in ſolę

lum,dicētes: Præceptor quā do hæc erūt: & quod ſignū cum fieri incipiēt? Qui dixit: Videte ne ſeducamini. Multi em̄ uenient in nomine meo,dicentes: quia ego ſum,& tempus appropinquauit. Nolite ergo ire poſt eos. Cum autem audieritis prælia & ſeditiones: nolite terreri: Oportet enim primum hæc fieri, ſed nōdum ſtatim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem:& regnum aduerſus regnum: & terremotus magni erūt per loca: & peſtilentiæ & fames: terroreſque de cœlo & ſigna magna erunt. Sed ante hæc omnia inijciēt uobis manus ſuas:& perſequentur tradētes in ſynagogas & cuſtodias: trahētes ad reges & præſides ꝓpter nomen meum. Continget autem uobis in teſtimoniū. Ponite ergo in cordibꝰ ueſtris non præmeditari quemadmodum reſpōdeatis. Ego em̄ dabo uobis os & ſapientiam: cui non poterunt reſiſtere & cōtradicere omnes aduerſarij ueſtri. Trademini autē a parētibus & fratribus & cognatis & amicis:& morte afficiēt ex uobis. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meū. Et capillus de capite ueſtro non peribit. In patientia ueſtra poſſidebitis animas ueſtras. Cum autem uideritis circundari ab exercitu Hieruſalē, tunc ſcitote quia appropinquauit deſolatio eiꝰ. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad mōtes:& qui in medio eius,diſcedant: & qui in regionibus,nō intrent in eā: quia dies ultionis hi ſunt,ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt. Væ autem prægnātibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic. Et cadēt in ore gladij: & captiui ducētur in omnes gentes. Et Hieruſalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum. Et erunt ſigna in ſolę

ἐν ἡλίῳ Ⓒ σελήνῃ Ⓒ ἄστροις, Ⓒ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν, ἐν ἀπορίᾳ, ἠχόσης θαλάσσης καὶ σάλου, ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ. αἱ γὰρ δυνάμεις τ οὐρανῶν σαλευθήσονται. * καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν νεφέλῃ μετὰ δυνάμεως Ⓒ δόξης πολλῆς. ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι, ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, διότι ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν. καὶ εἶπε παραβολὴν αὐτοῖς, ἴδετε τὴν συκῆν Ⓒ πάντα τὰ δένδρα, ὅταν προβάλωσιν ἤδη, βλέποντες ἀφ ἑαυτῶν γινώσκετε, ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν. οὕτως Ⓒ ὑμεῖς, ὅταν ἴδητε ταῦτα γινόμενα, γινώσκετε, ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τ θεοῦ. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα γένηται. ὁ οὐρανὸς Ⓒ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι. * προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, μήποτε βαρηθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ καὶ μερίμναις βιωτικαῖς, καὶ αἰφνίδιος ἐφ ὑμᾶς ἐπιστῇ ἡ ἡμέρα ἐκείνη. ὡς παγὶς γὰρ ἐπελεύσεται ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τ γῆς. ἀγρυπνεῖτε οὖν ἐν παντὶ καιρῷ, δεόμενοι, ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ σταθῆναι ἔμπροσθεν τ υἱ τ ἀνθρώπου. ἦν δὲ τὰς ἡμέρας ἐν τῷ ἱερῷ διδάσκων, τὰς δὲ νύκτας ἐξερχόμενος ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιῶν. καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὠρθριζε πρὸς αὐτὸν, ἐν τῷ ἱερῷ ἀκούειν αὐτοῦ. * ἤγγιζε δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, ἡ λεγομένη πάσχα. * καὶ ἐζήτουν οἱ ἀρχιερεῖς Ⓒ οἱ γραμματεῖς, τὸ, πῶς ἀνέλωσιν αὐτὸν, ἐφοβοῦντο γὰρ τὸν λαόν. * εἰσῆλθε δὲ Σατανᾶς εἰς ἰούδαν τὸν ἐπικαλούμενον ἰσκαριώτην, ὄντα ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τ δώδεκα. * καὶ ἀπελθὼν συνελάλησε τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ στρατηγοῖς, τὸ, πῶς αὐτὸν παραδῷ αὐτοῖς. καὶ ἐχάρησαν, Ⓒ συνέθεντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι. καὶ ἐξωμολόγησε, Ⓒ ἐζήτει εὐκαιρίαν τοῦ παραδοῦναι αὐτὸν αὐτοῖς ἄτερ ὄχλου. ηλθε δὲ

in sole & luna & stellis, & in terris anxietas gentium per desperatio nem, resonante mari & fluctu, ex tabescentibus hominibus præ timore, & expectatione eorũ quæ superuenient orbi terrarũ. Nam uirtutes cœlorum mouebuntur, & tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube cum potestate magna & gloria magna. His autem fieri incipientibus, suspicite & attollite capita uestra, quoniã appropinquat redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficũ & omes arbores, cum protrudũt iam gemmas, cernentes ex uobis ipsis scitis, quod iam instet æstas. Ita & uos cũ uideritis hæc fieri, scitote quod instet regnum dei. Amen dico uobis, nõ præteribit ætas hæc, antecp omnia facta fuerint. Cœlũ & terra transibunt, uerba aũt mea non transibunt. Cauete autẽ uobis, ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; uobis ingruat dies ille. Tanq; laqueus enim superueniet in omes qui sedent super faciem totius terræ. Vigilate itaq; omni tempore, deprecantes, ut liceat uobis effugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filiũ hominis. Docebat autem interdiu in templo, nocte uero exiens diuersabatur in monte qui uocatur oliuarũ. Et omnis populus diluculo uẽtitabat ad eum, ut in templo audiret eũ.

Instabat aũt dies festus azymorum, qui dicitur pascha. Et quærebant principes sacerdotum & scribæ, quomodo eum interficerent, timebant em plebem. Intrauit aũt satanas in Iudã, cui cognomẽ erat Iscariotes, qui erat è numero duodecim, abijtq; & locutus est cum principib⁹ sacerdotũ ac magistratibus, quemadmodũ illum traderet eis. Et gauisi sunt, ac pacti sunt pecuniã illi se daturos. Et ille spopondit, quærebatq; oportunitatẽ ut traderet illũ illis sine turba. Venit aũt

in sole & luna & stellis: & in terris præssura gẽtium præ confusione sonitus maris & fluctuũ: arescẽtibus hominibus præ timore & expectatione quæ superueniẽt uniuerso orbi. Nã uirtutes cœlorũ mouebũtur. Et tunc uidebunt filiũ hominis ueniẽtem in nube cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipiẽtibus: respicite & leuate capita uestra: quoniã appropinquat redẽptio uestra. Et dixit illis similitudinẽ: Videte ficulneã & omes arbores, cũ producũt iam ex se fructũ, scitis quoniam prope est æstas. Ita & uos cũ uideritis hæc fieri, scito te quoniam prope est regnũ dei. Amen dico uobis: qa nõ præteribit generatio hæc, donec omia fiãt. Cœlũ & terra trãsibũt: uerba autẽ mea nõ trãsibunt. Attẽdite autẽ uobis, ne forte grauẽtur corda uestra in crapula & ebrietate & curis hui⁹ uitæ: & superueniat in uos repentina dies illa. Tanquã laqueus eñ superueniet in omnes qui sedent super faciẽ omnis terræ. Vigilate itaq; omni tempore orãtes: ut digni habeamini fugere omia ista quæ uẽtura sunt, & stare ante filium hominis. Erat autem diebus docẽs in templo: noctib⁹ uero exiẽs morabatur in mõte, qui uocatur Oliueti: & omis populus manicabat ad eũ in templo audire eũ. Appropin quabat autẽ dies festus azymorũ qui dicitur pascha. Et quærebant principes sacerdotum & scribæ quomodo Iesum interficerẽt: timebãt uero plebẽ. Intrauit autẽ sathanas in Iudã qui cognominabaf Scharioth, unum de duodecim: & abijt & locutus est cũ principibus sacerdotũ & magistratibus, quemadmodũ illum traderet eis: & gauisi sunt & pacti sunt pecuniam illi dare: & spopõdit & quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis. Venit autem

XXII.

PASSIO sdm Luca

σμη β
σνξ α
σξα α
σξβ ə
σξγ β

ΛΟΥΚΑΣ

θε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, καὶ ἀπέστειλε πέτρον καὶ ἰωάννην, εἰπών. πορευθέντες ἑτοιμάσατε ἡμῖν τὸ πάσχα, ἵνα φάγωμεν. οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ. ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμεν; ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς. ἰδοὺ εἰσελθόντων ὑμῶν εἰς τὴν πόλιν, συναντήσει ὑμῖν ἄνθρωπος κεράμιον ὕδατος βαστάζων, ἀκολουθήσατε αὐτῷ εἰς τὴν οἰκίαν οὗ εἰσπορεύεται, καὶ ἐρεῖτε τῷ οἰκοδεσπότῃ τῆς οἰκίας. λέγει σοι ὁ διδάσκαλος, ποῦ ἐστὶ τὸ κατάλυμα, ὅπου τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου φάγω; κἀκεῖνος ὑμῖν δείξει ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον, ἐκεῖ ἑτοιμάσατε. ἀπελθόντες δὲ, εὗρον καθὼς εἰρήκει αὐτοῖς, καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα. καὶ ὅτε ἐγένετο ὥρα, ἀνέπεσε, καὶ οἱ δώδεκα ἀπόστολοι σὺν αὐτῷ. * καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς. ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν. * λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ. καὶ δεξάμενος ποτήριον, εὐχαριστήσας εἶπε. λάβετε τοῦτο, καὶ διαμερίσατε εἰς ἑαυτούς. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἔλθῃ. * καὶ λαβὼν ἄρτον, εὐχαριστήσας, ἔκλασε καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων. τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. * ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων. τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. * πλὴν ἰδοὺ ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος με μετ' ἐμοῦ ἐπὶ τῆς τραπέζης. καὶ ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου πορεύεται κατὰ τὸ ὡρισμένον. πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ δι' οὗ παραδίδοται. * καὶ αὐτοὶ ἤρξαντο συζητεῖν πρὸς ἑαυτούς, τὸ τίς ἄρα εἴη ἐξ αὐτῶν, ὁ τοῦτο μέλλων πράσσειν. * ἐγένετο δὲ καὶ φιλονεικία ἐν αὐτοῖς, τὸ, τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, εὐεργέται καλοῦνται. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλ' ὁ μείζων ἐν ὑμῖν,

ERASMVS.

nit autem dies azymorum in qua necesse erat immolari pascha. Et misit Petrum ac Iohannem, dicens: Euntes parate nobis pascha ut edamus. At illi dixerũt ei: Vbi uis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus uobis in ciuitatem occurret homo, uas aquæ testaceum portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamiliæ ædium: Dicit tibi magister: Vbi est diuersoriũ, ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ipse ostendet uobis cœnaculum magnũ stratum, ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt pascha. Et cum iam esset tempestiuum, accubuit: ac duodecim apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha comedere uobiscum ante quàm patiar Dico enim uobis, post hac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno dei. Et accepto poculo, gratias egit, ac dixit: Accipite hoc & diuidite inter uos: Dico enim uobis, quod non bibam de fructu uitis, donec regnũ dei ueniat. Et accepto pane, cum gratias egisset, fregit, ac dedit eis, dicens: Hoc est corpus meũ, quod pro uobis datur, hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculum postquã cœnauit, dicens: Hoc poculum, nouum testamentum per sanguinem meum, qui pro uobis effunditur. Veruntamen ecce manus prodentis me mecum est in mensa. Et filius quidem hominis secundũ quod definitum est, uadit. ueruntamen uæ homini illi per quem proditur. Et ipsi cœperunt quærere inter sese, quis nam esset ex ipsis, qui hoc facturus esset. Facta est aũt & contentio inter eos, quis eorũ uidere tur esse maior. Dixit autẽ eis: Reges gentiũ dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in uobis,

VVLG. EDITIO.

tem dies azymorũm in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrum & Iohannẽ, dicens: Euntes parate nobis pascha ut mãducemus. At illi dixerunt: Vbi uis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeũtibus uobis in ciuitatem, occurret uobis homo amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magister: Vbi est diuersoriũ ubi pascha cum discipulis meis mãducem? Et ipse ostendet uobis cœnaculum magnũ stratum & ibi parate. Euntes autẽ inuenerunt sicut dixit illis: & parauerunt pascha. Et cum facta esset hora, discubuit: & duodecim apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobiscũ antequam patiar. Dico enim uobis: quia ex hoc non manducabo illud donec impleat in regnodei. Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & diuidite inter uos. Dico enim uobis quod non bibam de generatione uitis, donec regnum dei ueniat. Et accepto pane gratias egit & fregit & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum quod pro uobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouũ testamentũ in sanguine meo: qui pro uobis fundetur. Veruntamen ecce manus tradentis me, mecũ est in mensa. Et quidẽ filius hominis secundum quod definitum est uadit. Verũtamẽ uæ homini illi per quẽ tradetur. Et ipsi cœperũt quærere inter se, qs esset ex eis qui hoc facturus esset. Facta est aũt et cõtẽtio inter eos, quis eorum uideret esse maior. Dixit aũt eis: Reges gentiũ dominantur eorũ. & qui potestatẽ habẽt super eos, benefici uocant. Vos aũt nõ sic. Sed qui maior est in uobis,

γνέσθω ὡς ὁ νεώτερος, ⁊ ὁ ἡγού/
σοκ μενος ὡς ὁ διακονῶν. * τίς γὰρ μεί
ε ζων ὁ ἀνακείμενος, ἢ ὁ διακονῶν; οὐχὶ ὁ ἀνακείμενος; ἐγὼ δέ εἰμι ἐν
μέσῳ ὑμῶν ὡς ὁ διακονῶν. ὑμεῖς δέ
ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ ἐν
τοῖς πειρασμοῖς μου. κἀγὼ διατίθε/
μαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι πα/
τήρ μου βασιλείαν, ἵνα ἐσθίητε καὶ πί
νητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασι
σοβ λείᾳ μου. * καὶ καθίσεσθε ἐπὶ θρό/
ε νων κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τ
σογ ἰσραήλ. * Εἶπε δὲ ὁ κύριος. Σίμων
ι σίμων, ἰδοὺ ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ον
ὑμᾶς, τ σωϊάσαι ὡς τ σῖτον. ἐγὼ
δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ
σοδ πίστις σου. καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στή
δ ριξον τοὺς ἀδελφούς σου. * ὁ δὲ εἶπεν
σοε αὐτῷ, κύριε, μετὰ σοῦ ἕτοιμός εἰμι καὶ
α εἰς φυλακὴν ⁊ εἰς θάνατον πορεύε/
σθαι. ὁ δὲ εἶπε, λέγω σοι πέτρε, οὐ
μὴ φωνήσῃ σήμερον ἀλέκτωρ, πρὶν
σος ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με. * καὶ
ι εἶπεν αὐτοῖς, ὅτε ἀπέστειλα ὑμᾶς ἀ/
νεν βαλαντίου ⁊ πήρας καὶ ὑποδη/
μάτων, μή τινος ὑστερήσατε; οἱ δὲ εἶ
πον, οὐδενός. εἶπεν οὖν αὐτοῖς. ἀλλὰ
νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον ἀράτω, ὁμοί
ως ⁊ πήραν, ⁊ ὁ μὴ ἔχων, πωλή/
σάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγορασά
τω μάχαιραν. * λέγω γὰρ ὑμῖν,
ι ὅτι ἔτι τοῦτο τὸ γεγραμμένον, δεῖ πλη
ιι ρωθῆναι ἐν ἐμοί, τό, καὶ μετὰ ἀνό/
μων ἐλογίσθη. καὶ γὰρ τὰ περὶ ἐμοῦ,
σοκ τέλος ἔχει. * οἱ δὲ εἶπον. κύριε, ἰδοὺ
ι μάχαιραι ὧδε δύο. ὁ δὲ εἶπεν αὐ/
σοϛ τοῖς, ἱκανόν ἐστι. * καὶ ἐξελθὼν ἐπο
α ρεύθη κατὰ τὸ ἔθος εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαι/
ῶν. ἠκολούθησαν δὲ αὐτῷ καὶ οἱ μα
σπ θηταί. * γενόμενος δὲ ἐπὶ τοῦ τό/
β που, εἶπεν αὐτοῖς. προσεύχεσθε, μὴ
σπα εἰσελθεῖν εἰς πειρασμόν. * καὶ αὐτὸς
α ἀπεσπάσθη ἀπ' αὐτῶν ὡσεὶ λίθου βο
λήν, καὶ θεὶς τὰ γόνατα προσήυχε/
σπβ το, λέγων. * πάτερ, εἰ βούλει, παρένε/
α γκε τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ. πλὴν μὴ τὸ θέλημά μου, ἀλλὰ τὸ σὸν
σπγ γινέσθω. * ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος
ι ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν. καὶ γενό/
μενος ἐν ἀγωνίᾳ, ἐκτενέστερον προσή
χετο. ἐγένετο δὲ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμ
βοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ
τὴν γῆν.

fiat ſicut iunior: & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat. Nam uter maior eſt, qui accumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui accumbit? At ego in medio ueſtrum ſum, ut qui miniſtrat: uos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus. Et ego diſpono uobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnū, ut edatis & bibatis ſuper meam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Ait autem dominus: Simon Simon, ecce ſatanas expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticum. ſed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. At ille dixit ei: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre, non canet hodie gallus, priuſquàm ter abneges te noſſe me. Et dixit eis: Quando miſi uos ſine ſacculo & pera & calciamētis, num quid defuit uobis? At illi dixerūt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet ſacculum tollat, ſimiliter & peram. & qui non habet, uendat tunicam ſuam, & emat gladium. Dico enim uobis: quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet perfici in me: & cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea quæ ſunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis eſt. Et egreſſus ibat, ut erat ſolitus, in mōtem oliuarum, ſecuti ſunt autem illum & diſcipuli. Et cum peruenisſet ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationē. Et ipſe auulſus eſt ab eis quātum iactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat, dicēs: Pater ſi uis transfer calicē iſtum a me. Verūtamen nō mea uolūtas, ſed tua fiat. Apparuit autē illi angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrētes in terram.

fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt qui recūbit, an qui miniſtrat? Nōne qui recūbit? Ego autē in medio ueſtrū ſum ſicut qui miniſtrat. Vos aūt eſtis qui permanſiſtis mecū in tentationibus meis. Et ego diſpono uobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnū ut edatis & bibatis ſuper mensam meā in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos iudicātes duodecim tribus Iſrael. Ait aūt dominꝰ Simoni: Simō, ecce ſathanas expetiuit uos ut cribraret ſicut triticum. Ego aūt rogaui pro te, ut nō deficiat fides tua. Et tu aliquando cōuerſus cōfirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecū paratus ſum & in carcerē & in mortē ire. At ille dixit: Dico tibi Petre: nō cātabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me Et dixit eis: Quando miſi uos ſine ſaculo & pera & calciamentis, nūquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nūc qui habet ſacculū tollat, ſimiliter & peram. Et qui nō habet, uēdat tunicā ſuam & emat gladiū. Dico enim uobis: qm̄ adhuc hoc qd̄ ſcriptū eſt, oportet impleri in me. Et cū iniqs deputatus eſt. Etem̄ ea quæ ſunt de me, finē habēt. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis eſt. Et egreſſus ibat ſecūdū conſuetudinē in montē Oliuarū. Secuti ſunt autem illum & diſcipuli. Et cū peruenisſet ad locū, dixit illis: Orate ne intretis in tētationem. Et ipſe auulſus eſt ab eis quātum iactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat, dicēs: Pater ſi uis transfer calicē iſtum a me. Verūtamen nō mea uolūtas, ſed tua fiat. Apparuit autē illi angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

σπδ β
πλὴν γλῶ. * καὶ ἀναστὰς ἀπὸ τῆς προσευ-
χῆς, ἐλθὼν πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ,
εὗρεν αὐτοὺς κοιμωμένους ἀπὸ τῆς λύ-
πης. καὶ εἶπεν αὐτοῖς. Τί καθεύδετε;
σπε α ἀναστάντες προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσ-
έλθητε εἰς πειρασμόν. * Ἔτι δὲ αὐ-
τοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ ὄχλος, καὶ ὁ λεγό-
μενος Ἰούδας, εἷς τῶν δώδεκα προῆρ-
χετο αὐτῶν, καὶ ἤγγισε τῷ Ἰησοῦ καὶ
σπς β φιλῆσαι αὐτόν. * Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐ-
τῷ. Ἰούδα, φιλήματι τὸν υἱὸν τοῦ ἀν-
σπζ α θρώπου παραδίδως; * Ἰδόντες δὲ οἱ πε-
ρὶ αὐτὸν τὸ ἐσόμενον, εἶπον αὐτῷ.
Κύριε, εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρᾳ;
καὶ ἐπάταξεν εἷς τις ἐξ αὐτῶν τὸν
δοῦλον τοῦ ἀρχιερέως, καὶ ἀφεῖλεν αὐ-
τοῦ τὸ οὖς τὸ δεξιόν. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ
σπη Ἰησοῦς, εἶπεν. ἐᾶτε ἕως τούτου. * καὶ
ι ἁψάμενος τοῦ ὠτίου αὐτοῦ, ἰάσατο αὐ-
σπθ α τόν. * Εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς πρὸς τοὺς
παραγενομένους ἐπ' αὐτόν, ἀρχιερεῖς
καὶ στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ καὶ πρεσβυτέ-
ρους, ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξεληλύθατε μετὰ
μαχαιρῶν καὶ ξύλων; καθ' ἡμέραν ὄντος μου μεθ' ὑμῶν ἐν τῷ ἱερῷ
οὐκ ἐξετείνατε τὰς χεῖρας ἐπ' ἐμέ.
ἀλλ' αὕτη ὑμῶν ἐστὶν ἡ ὥρα, καὶ ἡ ἐξου-
σία τοῦ σκότους. * Συλλαβόντες δὲ αὐ-
σπζ α τὸν ἤγαγον, καὶ εἰσήγαγον αὐτὸν εἰς
σπζα α τὸν οἶκον τοῦ ἀρχιερέως. * Ὁ δὲ Πέτρος
ἠκολούθει μακρόθεν. ἁψάντων δὲ πῦρ
ἐν μέσῃ τῇ αὐλῇ, καὶ συγκαθισάν-
των αὐτῶν, ἐκάθητο ὁ Πέτρος ἐν μέ-
σῳ αὐτῶν. ἰδοῦσα δὲ αὐτὸν παιδίσκη
τις καθήμενον πρὸς τὸ φῶς, καὶ ἀτε-
νίσασα αὐτῷ εἶπε. καὶ οὗτος σὺν αὐ-
τῷ ἦν. ὁ δὲ ἠρνήσατο αὐτὸν, λέγων. γύ-
σπζβ α ναι, οὐκ οἶδα αὐτόν. * καὶ μετὰ βρα-
χὺ ἕτερος ἰδὼν αὐτὸν, ἔφη. καὶ σὺ ἐξ
αὐτῶν εἶ. ὁ δὲ Πέτρος εἶπεν. ἄνθρω-
πε, οὐκ εἰμί. Καὶ διασάσης ὡσεὶ ὥρας
μιᾶς ἄλλός τις διϊσχυρίζετο, λέγων.
ἐπ' ἀληθείας καὶ οὗτος μετ' αὐτοῦ ἦν, καὶ
γὰρ Γαλιλαῖός ἐστιν. Εἶπε δὲ ὁ Πέ-
τρος. ἄνθρωπε, οὐκ οἶδα ὃ λέγεις. Καὶ
παραχρῆμα ἔτι λαλοῦντος αὐτοῦ, ἐφώ-
νησεν ἀλέκτωρ. καὶ στραφεὶς ὁ κύ-
σπζγ β ριος ἐνέβλεψε τῷ Πέτρῳ. * καὶ ὑπε-
μνήσθη ὁ Πέτρος τοῦ λόγου τοῦ κυ-
ρίου, ὡς εἶπεν αὐτῷ, ὅτι πρίν ἀλέκτο-
ρα φωνῆσαί, ἀπαρνήσῃ με τρίς. καὶ
ἐξελθὼν ἔξω ὁ Πέτρος, ἔκλαυσε
πικρῶς.

terram. Et cũ surrexisset à depre-
catione, uenissetq; ad discipulos
suos, reperit eos dormientes præ
mœstitudine. Et ait illis: Quid
dormitis? Surgite & orate, ne in-
tretis in tentationẽ. Adhuc autẽ
eo loquẽte, ecce turba, & qui uo-
cabaṫ Iudas, unꝰ è duodecim, an-
tecedebat eos, & appropinqua-
uit Iesu, ut oscularetur eum. Iesus
autẽ dixit illi: Iuda, osculo filiũ ho
minis prodis? Vidẽtes aũt hi qui
circa ipsum erant, qd futurũ erat,
dixerũt ei: Domine, percutiemus
ne gladio? Et percussit unus ex il
lis seruũ principis sacerdotum, &
amputauit auriculã eius dextrã.
Respõdens autẽ Iesus, ait: Sinite
huc usq;. Et cũ tetigisset auriculã
eius, sanauit eum, Dixit autẽ Ie-
sus ad eos qui uenerãt ad se, prin-
cipes sacerdotum ac magistratus
tẽpli & seniores: Quasi ad latro-
nem existis cũ gladijs ac fustibꝰ?
cum quotidie uobiscũ fuerim in
templo, non extẽdistis manus in
me. Sed hæc est hora illa uestra &
potestas tenebrarũ. Cõprehẽsum
autẽ eũ duxerũt, & induxerũt in
domũ principis sacerdotũ. Petrꝰ
uero sequebaṫ eminus. Cum au-
tem accẽdissent ignem in medio
aulæ, atq; unà consedissent, sedit
& Petrus inter illos. Quẽ cum ui
disset ancilla quædã sedentẽ ad lu
men, defixis in illũ oculis, dixit: Et
hic cũ illo erat. At ille abnegauit
eũ, dicẽs: Mulier, nõ noui illũ. Et
post pusillũ alius uidens eum, di-
xit: Et tu de illis es. Petrus uero
ait: Homo, nõ sum. Et interuallo
interiecto ferè horæ unius alius
quidam affirmabat, dicẽs: Vere
& hic cũ illo erat, nam & Galilæ-
us est. Et ait Petrꝰ: Homo, nescio
quid dicas. Et cõtinuo adhuc illo
loquente cecinit gallus. Et cõuer-
sus dominus, intuitus est Petrũ.
Et recordatus est Petrus sermõis
dñi, quomodo dixerat ipsi: priusq;
quã gallus cecinerit, ter me nega-
bis. Et egressus foras Petrꝰ fleuit
amare.

terrram. Et cũ surrexisset ab
oratione & uenisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristicia. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite orate, ne intretis in tẽtationẽ. Adhuc eo loquẽte: ecce turba, & qui uocabaṫ Iudas unus de duodecim antecedebat eos: & appropinquauit Iesu, ut oscularetur eum. Iesus autẽ dixit illi: Iuda, osculo filiũ hominis tradis? Videntes aũt hi qui circa ipsum erãt quod futurũ erat, dixerũt ei: Domine, si percutimꝰ in gladio? Et percussit unꝰ ex illis seruũ principis sacerdotũ: & amputauit auriculã eius dexteram. Respondens autẽ Iesus ait: Sinite usq; huc. Et cũ tetigisset auriculã eius, sanauit eũ. Dixit autẽ Iesus ad eos qui uenerant ad se principes sacerdotũ & magistratus templi & seniores. Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus. Cum quotidie uobiscũ fuerim in templo, non extẽdistis manꝰ in me. Sed hæc est hora uestra & potestas tenebrarũ. Cõprehendentes aũt eũ, duxerunt ad domũ principis sacerdotum. Petrus uero sequebaṫ eum a longe. Accẽso autem igne in medio atrij & circũ sedentibus illis, erat Petrus in medio corũ. Quem cum uidisset ancilla quædã sedẽtem ad lumẽ: & eũ fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier, nõ noui illum. Et post pusillũ alius uidens eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus uero ait: O homo nõ sum. Et interuallo facto q̃si horæ unius, aliꝰ quidã affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio qd dicis. Et cõtinuo adhuc illo loquẽte, cantauit gallus. Et cõuersus dñs respexit Petrũ. Et recordatꝰ est Petrꝰ uerbi domini sicut dixerat: quia priusquã gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit

σξα α

σξε β

σξς ,

σξζ α

σξη ,

σξθ β τ α τα ,

τβ α

τγ ϑ

τδ ,

τε β

ωικρῶς. * Καὶ οἱ ἄνδρες οἱ συνέχον
τες τὸν Ιησοῦν, ἐνέπαιζον αὐτῷ, δέ
ροντες. Καὶ περικαλύψαντες αὐτὸν, ἐπη
ρώτων αὐτὸν τὸ πρόσωπον, καὶ ἐπηρώ
των αὐτὸν, λέγοντες. Προφήτευσον
τίς ἐστιν ὁ παίσας σε; Καὶ ἕτερα πολ
λὰ βλασφημοῦντες ἔλεγον εἰς αὐ
τόν. * Καὶ ὡς ἐγένετο ἡμέρα, συνή
χθη τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, ἀρχιε
ρεῖς τε καὶ γραμματεῖς, καὶ ἀνήγαγον
αὐτὸν εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν, λέ
γοντες. Εἰ σὺ εἶ ὁ χριστός; εἰπὲ ἡμῖν.
* Εἶπε δὲ αὐτοῖς, ἐὰν ὑμῖν εἴπω, οὐ
μὴ πιστεύσητε. ἐὰν δὲ καὶ ἐρωτήσω, οὐ
μὴ ἀποκριθῆτέ μοι ἢ ἀπολύσητε. * Α
πὸ τοῦ νῦν ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου κα
θήμενος ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ
θεοῦ. * Εἶπον δὲ πάντες, σὺ οὖν εἶ ὁ
υἱὸς τοῦ θεοῦ; ὁ δὲ πρὸς αὐτοὺς ἔφη. ὑμεῖς
λέγετε, ὅτι ἐγώ εἰμι. Οἱ δὲ εἶπον.
* Τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτυρίας;
Αὐτοὶ γὰρ ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος
αὐτοῦ. * Καὶ ἀναστὰν ἅπαν τὸ πλῆ
θος αὐτῶν, ἤγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸν Πι
λᾶτον. * Ἤρξαντο δὲ κατηγορεῖν αὐ
τοῦ, λέγοντες. τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, καὶ κωλύοντα καί
σαρι φόρους διδόναι, λέγοντα ἑαυτὸν
χριστὸν βασιλέα εἶναι. * Ὁ δὲ Πιλᾶ
τος ἐπηρώτησεν αὐτὸν, λέγων. Σὺ
εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; ὁ δὲ ἀπο
κριθεὶς αὐτῷ, ἔφη. Σὺ λέγεις. * Ὁ δὲ
Πιλᾶτος εἶπε πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ
τοὺς ὄχλους, οὐδὲν εὑρίσκω αἴτιον ἐν
τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ. * Οἱ δὲ ἐπίσχυ
ον, λέγοντες, ὅτι ἀνασείει τὸν λαὸν,
διδάσκων καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρ
ξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως
ὧδε. Πιλᾶτος δὲ ἀκούσας Γαλιλαίας
ἐπηρώτησεν, εἰ ὁ ἄνθρωπος, Γαλι
λαῖός ἐστι. Καὶ ἐπιγνοὺς, ὅτι ἐκ τῆς
ἐξουσίας Ἡρῴδου ἐστὶν, ἀνέπεμψεν
αὐτὸν πρὸς Ἡρῴδην, ὄντα καὶ αὐτὸν
ἐν Ἰεροσολύμοις ἐν ταύταις ταῖς
ἡμέραις. Ὁ δὲ Ἡρῴδης ἰδὼν τὸν Ιη
σοῦν, ἐχάρη λίαν. ἦν γὰρ θέλων ἐξ
pretaris, magiſter, ubi habitas? Dicit eis: Venite & uidete. Venerunt, uideruntq; ubi maneret, & apud eum manſerũt die illo. Hora autem erat fermè decima. Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierãt à Iohanne, & ſecuti fuerant eum. Reperit hic prior fratrem ſuũ Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam, quod eſt, ſi interpreteris, unctus. Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus eum Ieſus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas: quod ſonat ſi interpreteris, lapis. Poſtero die uoluit Ieſus exire in Galilæam, & reperit Philippum, & dicit ei: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethſaida ciuitate Andreæ & Petri. Reperit Philippus Nathanaël, & dicit ei: De quo ſcripſit Moſes in lege & prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph Nazarenum. Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni & uide. Vidit Ieſus Nathanaël uenientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce uere Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Dicit ei Nathanaël: Vnde me noſti? Reſpõdit Ieſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus uocaret cum eſſes ſub ficu, uidebam te. Reſpondit Nathanaël, & ait ei: Rabbi, tu es ille filius dei, tu es ille rex Iſraël. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quia dixi tibi, uidebam te ſub ficu, credis: maiora his uidebis. Et dicit ei: Amen amen dico uobis: poſthac uidebitis cœlum apertum: & angelos dei aſcendentes ac deſcendentes ſuper filium hominis.

Et die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autẽ & Ieſus ac diſcipuli eius ad nuptias. Et ubi defeciſſet uinũ, dicit mater Ieſu ad eum: Vinũ nõ habẽt. Dicit ei Ieſus: Quid mihi tecum eſt mulier? Nondum uenit hora mea.

Dicit

pretatũ magiſter, ubi habitas? Dicit eis: Venite & uidete. Venerunt & uiderunt ubi maneret: & apud eũ mãſerũt die illo. Hora autẽ erat quaſi decima. Erat autẽ Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant a Iohanne, & ſecuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem ſuũ Simonẽ, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatũ Chriſtus. Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus aũt eum Ieſus, dixit: Tu es Simon filius Iohanna: tu uocaberis Cephas qd᷑ interpretaẽ Petrus. In craſtinũ uoluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Ieſus: Sequere me. Erat autẽ Philippus a Bethſaida ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quẽ ſcripſit Moyſes in lege & prophetæ: inueni mus Ieſum filium Ioſeph a Nazareth. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe. Dicit ei Philippus: Veni & uide. Vidit Ieſus Nathanael uenientem ad ſe, & dicit de eo. Ecce uere Iſraelita in quo dolus non eſt. Dixit ei Nathanael: Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus & dixit ei: Priuſquam te Philippus uocaret cum eſſes ſub ficu, uidi te. Reſpõdit ei Nathanael & ait: Rabbi, tu es filius dei: tu es rex Iſrael. Reſpondit Ieſus & dixit ei: Quia dixi tibi: uidi te ſub ficu, credis: maius his uidebis. Et dicit ei: Amen amen dico uobis: uidebitis cœlum apertũ & angelos dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis.

Et die tertia, nuptiæ factæ ſunt in Chana Galilææ: & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Ieſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondũ uenit hora mea.

II.

Λέγει ἡ μήτηρ αὐτοῦ τοῖς διακόνοις, ὅ τι ἂν λέγῃ ὑμῖν, ποιήσατε. ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λίθιναι ἓξ κείμεναι κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων, χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο, ἢ τρεῖς. λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατος. καὶ ἐγέμισαν αὐτὰς ἕως ἄνω, καὶ λέγει αὐτοῖς, ἀντλήσατε νῦν, καὶ φέρετε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ, καὶ ἤνεγκαν. ὡς δὲ ἐγεύσατο ὁ ἀρχιτρίκλινος τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον, καὶ οὐκ ᾔδει πόθεν ἐστίν, οἱ δὲ διάκονοι ἤδεισαν οἱ ἠντληκότες τὸ ὕδωρ, φωνεῖ τὸν νυμφίον ὁ ἀρχιτρίκλινος, καὶ λέγει αὐτῷ, πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησι, καὶ ὅταν μεθυσθῶσι, τότε τὸν ἐλάσσω. σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι. ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. * Μετὰ τοῦτο κατέβη εἰς Καπερναοὺμ αὐτὸς καὶ μήτηρ αὐτοῦ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ἐκεῖ ἔμειναν οὐ πολλὰς ἡμέρας. * Καὶ ἐγγὺς ἦν τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα ὁ Ἰησοῦς. * Καὶ εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τοὺς πωλοῦντας βόας καὶ πρόβατα καὶ περιστερὰς, καὶ τοὺς κερματιστὰς καθημένους. καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων, πάντας ἐξέβαλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, καὶ τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα, καὶ τὰς τραπέζας ἀνέστρεψε. καὶ τοῖς τὰς περιστερὰς πωλοῦσιν εἶπεν, ἄρατε ταῦτα ἐνθάδε, καὶ μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου, οἶκον ἐμπορίου. * Ἐμνήσθησαν δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι γεγραμμένον ἐστίν, ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου κατέφαγέ με. * Ἀπεκρίθησαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ εἶπον αὐτῷ, τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν, ὅτι ταῦτα ποιεῖς; * Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. εἶπον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος, καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερεῖς αὐτόν; ἐκεῖνος δὲ ἔλεγε περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ.

ὅτε

Dicit mater eius ministris. Quod cunq; dixerit uobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usq; ad summum. Et dicit eis: Infundite nũc, & ferte architriclino: & tulerunt. Postquam autem gustasset architriclinus aquam in uinũ uersam, neque sciret, unde esset, sed ministri sciebant qui hauserant aquã, uocat sponsum, & dicit ei: Omis homo primo loco bonum uinũ ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu seruasti bonum uinum usq; ad hoc tempus. Hoc ædidit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderũt in eum discipuli eius. Post hæc descendit Capernaum ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus. Et in propinquo erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam, & reperit in templo eos, qui uendebant boues & oues & columbas, & numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum è funiculis, omnes eiecit è templo, oues simul ac boues, & numulario rum effudit æs, mensásque subuertit. Et his qui columbas uendebant, dixit: Auferte ista hinc, nec facite domum patris mei, domum mercatus. Recordati uero sunt discipuli eius, quod scriptum est: Zelus domus tuæ exedit me. Respondérunt ergo Iudæi, & dixerũt ei: Quod signum ostendis nobis, quod ista facias? Respondit Iesus, & dixit eis: Destruite templum hoc: & in tribus diebus erigã illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis extructũ est templũ hoc, & tu in tribus diebus eriges illud? At ille dicebat de templo corporis sui.

Cum

Dicit mater eius ministris: Quodcunq; dixerit uobis, facite. Erãt autẽ ibi lapideæ hydriæ sex positæ secũdum purificationẽ Iudæorũ, capientes singulæ metretas binas uel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usq; ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc & ferte architriclino, & tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam uinũ factum, & non sciebat unde esset: ministri autem sciebant qui hauserant aquã: uocat sponsum architriclinꝰ, & dicit ei: Omnis homo primum bonum uinum ponit: & cũ inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autẽ seruasti bonum uinũ usq; adhuc. Hoc fecit initium signorũ Iesus in Chana Galilææ, & manifestauit gloriam suã: & crediderunt in eum discipuli eius. Post hæc descendit Capharnaũ ipse & mater eius & fratres eius & discipuli eius: & ibi manserũt nõ multis diebus. Et prope erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymã, & inuenit in tẽplo uendentes oues, & boues & columbas, & nũmularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo: oues quoq; & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his qui columbas uẽdebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domũ patris mei, domũm negociationis. Recordati sunt uero discipuli eius, quia scriptũ est: Zelus domus tuæ comedit me. Respõderũt ergo Iudæi & dixerũt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respõdit Iesus & dixit eis: Soluite tẽplũ hoc: & in tribus diebꝰ excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templũ hoc: & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui.

Cum

ὅτι οὖν ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι τοῦτο ἔλεγε αὐτοῖς, καὶ ἐπίστευσαν τῇ γραφῇ, καὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν ὁ Ιησοῦς. ὡς δὲ ἦν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῷ πάσχα ἐν τῇ ἑορτῇ, πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, θεωροῦντες αὐτοῦ τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει. αὐτὸς δὲ ὁ Ιησοῦς οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς, διὰ τὸ αὐτὸν γινώσκειν πάντας, καὶ ὅτι οὐ χρείαν εἶχεν, ἵνα τις μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ ἀνθρώπου. αὐτὸς γὰρ ἐγίνωσκεν, τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Ἦν δὲ ἄνθρωπος ἐκ τῶν φαρισαίων, νικόδημος ὄνομα, ἄρχων τῶν ἰουδαίων. οὗτος ἦλθε πρὸς τὸν Ιησοῦν νυκτὸς, καὶ εἶπεν αὐτῷ. ῥαββεί, οἴδαμεν, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος. οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν, ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ θεὸς μετ' αὐτοῦ. ἀπεκρίθη ὁ Ιησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῷ. ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ νικόδημος, πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν; μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν, καὶ γεννηθῆναι; ἀπεκρίθη ὁ Ιησοῦς, ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι, καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι. μὴ θαυμάσῃς, ὅτι εἶπόν σοι, ὅτι δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν. τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, ἀλλ' οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει. οὕτως ἐστὶ πᾶς, ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος. Ἀπεκρίθη νικόδημος, καὶ εἶπεν αὐτῷ, πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι; Ἀπεκρίθη Ιησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῷ, σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ ἰσραὴλ, καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις; ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν, καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν, καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν οὐ λαμβάνετε. εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε, πῶς ἐὰν εἴπω τὰ ἐπουράνια, πιστεύσετε; καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς

Cum ergo resurrexisset è mortuis recordati sunt discipuli eius, quod hoc dixisset eis, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixerat Iesus. Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomen eius: uidentes signa eius quæ ædebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, nec opus haberet, ut quisquam testaretur de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine.

Erat autem homo ex phari-
sæis, Nicodemus nomine, prin-
ceps Iudæorum. Hic uenit ad Ie
sum nocte, & dixit ei: Rabbi,
scimus quod à deo ueneris magi
ster. Nemo enim potest hæc si-
gna facere, quæ tu facis, nisi fue-
rit deus cum eo. Respondit Ie-
sus, & dixit ei: Amen amen dico
tibi: nisi quis natus fuerit è super-
nis, non potest uidere regnũ dei.
Dicit ad eum Nicodemus: Quo
modo potest homo nasci, cum sit
senex? Num potest in uentrem
matris suæ iterum introire, ac na-
sci? Respondit Iesus: Amen amẽ
dico tibi, nisi quis natus fuerit ex
aqua & spiritu, nõ potest introire
in regnum dei. Quod natum est
ex carne, caro est: & quod natum
est ex spiritu, spiritus est. Ne mi-
reris, quod dixi tibi, oportet uos
nasci è supernis. Spiritus ubi uult
spirat, & uocem eius audis, sed ne
scis unde ueniat, & quò uadat.
Sic est omnis qui natus est è spi-
ritu. Respondit Nicodemus &
dixit ei: Quomodo possunt hæc
fieri? Respondit Iesus, & dixit ei:
Tu es ille magister Israëlis, & hæc
ignoras? Amen amen dico tibi:
quod scimus, loquimur: & quod
uidimus, testamur: & testimo-
nium nostrum non accipitis. Si
terrena dixi uobis, & nõ creditis,
quomodo si dixero uobis cœle-
stia, crediturí sitis? Et nemo ascen
dit in cœlũ, nisi qui descendit è cœ
lo, filius

Cum ergo resurrexisset a
mortuis, recordati sunt di-
scipuli eius: quia hoc dice-
bat: & crediderunt scriptu-
ræ & sermoni quem dixit Ie
sus. Cum autem esset Hie-
rosolymis in pascha in die
festo: multi crediderunt in
nomine eius, uidentes signa
eius quæ faciebat. Ipse au-
tem Iesus non credebat se-
metipsum eis, eo quod ipse
nosset omnes: & quia opus
ei non erat, ut quis testimo
nium perhiberet de homi-
ne: Ipse enim sciebat quid
esset in homine.

Erat autem homo ex pha III.
risæis Nicodemus nomine
princeps Iudæorũ. Hic ue-
nit ad Iesum nocte & dixit
ei: Rabbi, scimus quia a deo
uenisti magister. Nemo eñ
potest hæc signa facere quæ
tu facis nisi fuerit deus cum
eo. Respondit Iesus & dixit
ei: Amen amẽ dico tibi: nisi
quis renatus fuerit denuo:
non potest uidere regnum
dei. Dixit ad eum Nicode-
mus. Quomodo potest ho
mo renasci cum sit senex?
Nunquid potest in uẽtrem
matris suæ iterato introire
& renasci? Respondit Iesus:
Amen amen dico tibi: nisi
quis renatus fuerit ex aqua
& spiritu sancto, non potest
introire in regnũ dei. Quod
natum est ex carne, caro est:
& quod natũ est ex spiritu,
spiritus est. Nõ mireris quia
dixi tibi: oportet uos nasci
denuo. Spiritus ubi uult,
spirat: & uocem eius audis,
sed nescis unde ueniat aut
quo uadat. Sic est omnis
qui natus est ex spiritu. Re-
spondit Nicodemus & dixit
ei: Quomodo possunt hæc
fieri? Respondit Iesus & di-
xit ei: Tu es magister in Isra-
el & hæc ignoras? Amẽ amẽ
dico tibi: quia quod scimus,
loquimur: & qđ uidimus, te
stamur: et testimoniũ nostrũ
nõ accipitis. Si terrena dixi
uobis, & nõ creditis: quomo
do si dixero uobis cœlestia
credetis? Et nemo ascẽdit in
cœlũ, nisi qui descẽdit de cœ

νὸς καταβὰς, ὁ υἱὸς τ̃ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. καὶ καθὼς μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τ̃ ἀνθρώπου, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτ̃, μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. οὕτως γὰρ ἠγάπησεν ὁ θεὸς τ̃ κόσμον, ὥστε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τ̃ μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτ̃, μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. οὐ γὰρ ἀπέστειλεν ὁ θεὸς τ̃ υἱὸν αὐτ̃ εἰς τ̃ κόσμον, ἵνα κρίνῃ τ̃ κόσμον, ἀλλ' ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος δι' αὐτ̃. ὁ πιστεύων εἰς αὐτ̃, οὐ κρίνεται. ὁ δὲ μὴ πιστεύων, ἤδη κέκριται, ὅτι μὴ πεπίστευκεν εἰς τὸ ὄνομα τ̃ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ θεοῦ. αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις, ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον. καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς, ἦν γὰρ πονηρὰ αὐτῶν τὰ ἔργα. πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων, μισεῖ τὸ φῶς, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ αὐτ̃ τὰ ἔργα. ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα, ὅτι ἐν θεῷ ἐστιν εἰργασμένα. Μετὰ ταῦτα ἦλθεν ὁ ιησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτ̃ εἰς τὴν ἰουδαίαν γῆν, καὶ ἐκεῖ διέτριβε μετ' αὐτῶν, καὶ ἐβάπτιζεν. * ἦν δὲ καὶ ἰωάννης βαπτίζων ἐν αἰνὼν ἐγγὺς τ̃ Σαλείμ, ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ. καὶ παρεγίνοντο καὶ ἐβαπτίζοντο. * οὔπω γὰρ ἦν βεβλημένος εἰς τὴν φυλακὴν ὁ ιωάννης. * Ἐγένετο οὖν ζήτησις ἐκ τ̃ μαθητῶν ἰωάννου μετὰ ἰουδαίων περὶ καθαρισμοῦ. καὶ ἦλθον πρὸς τὸν ἰωάννην, καὶ εἶπον αὐτῷ. ῥαββεί, ὃς ἦν μετά σου πέραν τοῦ ἰορδάνου, ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας, ἴδε οὗτος βαπτίζει, καὶ πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτόν. ἀπεκρίθη ἰωάννης, καὶ εἶπεν, οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τ̃ οὐρανοῦ. * Αὐτοὶ ὑμεῖς μαρτυρεῖτε, ὅτι εἶπον, οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ χριστὸς, ἀλλ' ὅτι ἀπεσταλμένος εἰμὶ ἔμπροσθεν ἐκείνου. * ὁ ἔχων τὴν νύμφην, νυμφίος ἐστίν. ὁ δὲ φίλος τοῦ νυμφίου ὁ ἑστηκὼς καὶ ἀκούων αὐτ̃, χαρᾷ χαίρει διὰ τὴν φωνὴν τοῦ νυμφίου. αὕτη οὖν ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται. ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι. ὁ ἄνωθεν ἐρ

κε γ κς δ κζ ι

lo, filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit serpentē in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit deus filium suum in mundum, ut condemnet mūdum, sed ut seruetur mūdus per eum. Qui credit in eum, nō condemnatur. Qui uero nō credit, iam cōdemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filij dei. Hæc est autem cōdemnatio, quod lux uenit in mundū, & dilexerūt homines magis tenebras quā lucem. Erant enim eorū mala opera. Oīnis enim qui male agit, odit lucē: nec uenit ad lucē, ne arguant opera ipsius. Qui aūt operat ueritatem, uenit ad lucē: ut conspicua fiant facta ipsius, quod per deū sint facta Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in terram Iudææ, & illic morabatur cum eis, ac baptizabat. Baptizabat aūt & Iohānes in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & ueniebāt ac baptizabantur. Nondū enim cōiectus fuerat Ioānes in carcerē. Orta est autem quæstio ex discipulis Iohānis cū Iudæis de purificatione. Et uenerunt ad Iohānem, & dixerūt ei. Rabbi qui erat tecū trans Iordanem, cui tu testimoniū perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Respōdit Iohānes, & dixit: Nō potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum è cœlo. Ipsi uos mihi testimoniū perhibetis qd' dixerim: nō sum ego Christus, sed qa missus sum ante illū. Qui habet sponsam spōsus est: amicus aūt sponsi qui stat & audit eū, gaudio gaudet propter uocē sponsi. hoc ergo gaudium meum impletum est. illum oportet crescere, me uero minui. Qui è supernis ue

lo, filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltauit serpentē in deserto: ita exaltari oportet filiū hominis: ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat uitā æternā. Sic enim deus dilexit mundū ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eū nō pereat, sed habeat uitā æternā. Nō enim misit deus filiū suū in mundū ut iudicet mūdū, sed ut saluetur mūdus per ipsum. Qui credit in eū, nō iudicat. Qui aūt nō credit, iam iudicatus est: quia non credidit in nomine unigeniti filij dei. Hoc est autē iudicium: quia lux uenit in mūdum: & dilexerūt homines magis tenebras quā lucem. Erant enim eorū mala opera. Oīnis enim qui male agit, odit lucē: & nō uenit ad lucem ut non arguant opera eius. Qui autē facit ueritatem, uenit ad lucē, ut manifestentur opera eius: quia in deo facta sunt. Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in terram Iudææ: & illic demorabatur cū eis & baptizabat. Erat autem & Iohānes baptizans in Ennon iuxta Salim: quia aquæ multæ erāt illic & ueniebāt & baptizabant. Nōdū enim missus fuerat Iohānes in carcerem. Facta est autē quæstio ex discipulis Iohānis cū Iudæis de purificatiōe. Et uenerūt ad Iohānē & dixerūt ei: Rabbi, qui erat tecū trās Iordanē cui tu testimoniūm perhibuisti: ecce hic baptizat, & omnes ueniūt ad eū. Respōdit Iohānes & dixit: Non potest homo accipere quicquā nisi fuerit ei datū de cœlo. Ipsi uos mihi testimoniū perhibetis qd' dixerim: nō sum ego Christus, sed qa missus sum ante illū. Qui habet spōsam, spōsus est: amicus aūt spōsi qui stat & audit eū, gaudio gaudet propter uocē sponsi. Hoc ergo gaudiū meum impletū est. Illū oportet crescere: me autem minui. Qui de sursum

θεν ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστίν. ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ. ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστίν, καὶ ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ, καὶ τὴν μαρτυρίαν αὐτοῦ οὐδεὶς λαμβάνει. ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν, ἐσφράγισεν, ὅτι ὁ θεὸς ἀληθὴς ἐστίν. ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ θεὸς, τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ λαλεῖ. οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα. * ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱὸν, καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. * ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ, οὐκ ὄψεται ζωήν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν.

Ὡς οὖν ἔγνω ὁ κύριος, ὅτι ἤκουσαν οἱ φαρισαῖοι, ὅτι Ἰησοῦς πλείονας μαθητὰς ποιεῖ, καὶ βαπτίζει, ἢ Ἰωάννης, καίτοι γε Ἰησοῦς αὐτὸς οὐκ ἐβάπτιζεν, ἀλλ' οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. * ἀφῆκε τὴν Ἰουδαίαν, καὶ ἀπῆλθε πάλιν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. * ἔδει δὲ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας. ἔρχεται οὖν εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας, λεγομένην συχάρ, πλησίον τοῦ χωρίου ὃ ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ. ἦν δὲ ἐκεῖ πηγὴ τοῦ Ἰακώβ. ὁ οὖν Ἰησοῦς κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, ἐκαθέζετο οὕτως ἐπὶ τῇ πηγῇ. ὥρα ἦν ὡσεὶ ἕκτη. ἔρχεται γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας ἀντλῆσαι ὕδωρ. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, δός μοι πιεῖν. οἱ γὰρ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπεληλύθησαν εἰς τὴν πόλιν, ἵνα τροφὰς ἀγοράσωσι. λέγει οὖν αὐτῷ ἡ γυνὴ ἡ Σαμαρεῖτις, πῶς σὺ Ἰουδαῖος ὢν, παρ' ἐμοῦ πιεῖν αἰτεῖς οὔσης γυναικὸς Σαμαρείτιδος; οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῇ, εἰ ἤδεις τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ καὶ τίς ἐστιν ὁ λέγων σοι, δός μοι πιεῖν, σὺ ἂν ᾔτησας αὐτὸν, καὶ ἔδωκεν ἂν σοι ὕδωρ ζῶν. λέγει αὐτῷ ἡ γυνὴ, κύριε οὔτε ἄντλημα ἔχεις, καὶ τὸ φρέαρ ἐστὶ βαθύ, πόθεν οὖν ἔχεις τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν; μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἰακώβ, ὃς ἔδωκεν ἡμῖν τὸ φρέαρ, καὶ αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ ἔπιε, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, καὶ τὰ θρέμματα αὐτοῦ; Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῇ. πᾶς ὁ πίνων ἐκ τοῦ ὕδατος τούτου, διψήσει πάλιν.

nis uenit, supra omnes est. Qui è terra profectus est, terrenus est, & è terra loquitur. Qui è cœlo uenit, supra omnes est, & quod uidit & audiuit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui accepit eius testimoniū, is obsignauit, quod deus uerax sit. Nam is quem misit deus, uerba dei loquitur: Nō enim huic ad mensuram dat deus spiritū. Pater diligit filiū & omnia dedit illi in manū. Qui credit filio, habet uitam æternā: qui uero non credit filio, nō uidebit uitam, sed ira dei manet super eum. Vt ergo cognouit dominus, audisse pharisæos, quod Iesus plures discipulos faceret, et baptizaret, quàm Ioannes: quanquā Iesus ipse nō baptizaret, sed discipuli eius: reliquit Iudæam & abijt iterum in Galilæam. Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, iuxta prædiū, qd' dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autē ibi fons Iacob Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem: Hora erat fermè sexta: Venit mulier Samaritana, ut hauriret aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi quod bibam. Nam discipuli eius abierant in ciuitatem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cū sis, potum à me poscis quæ sum mulier Samaritana? Non enim cōmercium habent Iudæi cum Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donū dei, & quis sit qui dicit tibi: Da mihi quod bibam: tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquā uiuam. Dicit ei mulier: Domine neque quo haurias, habes: & puteus profundus est, unde ergo habes aquam illam uiuam? Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteū, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum.

sum uenit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est & de terra loquitur. Qui de cœlo uenit, super omnes est. Et qd' uidit & audiuit, hoc testatur: & testimoniū eius nemo accipit. Qui autem acceperit eius testimonium, signauit: quia deus uerax est. Quem enim misit deus, uerba dei loquitur. Non enim ad mēsuram dat deus spiritum. Pater diligit filiū: & omnia dedit in manu ei⁹. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam: sed ira dei manet super eum. Vt ergo cognouit Iesus quia audierūt pharisæi quod Iesus plures discipulos facit & baptizat quam Iohannes: quanquam Iesus nō baptizaret, sed discipuli ei⁹: reliquit Iudæam, & abijt iterū in Galilæam. Oportebat autē eum transire per mediā Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ quæ dicit Sichar: iuxta prædiū quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontē: hora autem erat quasi sexta: uenit mulier de Samaria haurire aquā. Dixit ei Iesus: Da mihi bibere: Discipuli enim ei⁹ abierāt in ciuitatē ut cibos emerēt. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu cū Iudæus sis, bibere a me poscis quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutunt Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus & dixit ei: Si scires donum dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo: & dedisset tibi aquam uiuam. Dicit ei mulier: Domine, neq; in quo haurias habes: & puteus altus est. Vnde ergo habes aquā uiuam? Nūquid tu maior es patre nostro Iacob, q dedit nobis puteū: & ipse ex eo bibit & filij eius & pecora ei⁹? Respōdit Iesus & dixit ei: Omnis q bibit ex aq̄ hac, sitiet iterum.

IIII.

πάλιν. ὃς δ' ἂν πίῃ ἐκ τοῦ ὕδατος οὗ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα. ἀλλὰ τὸ ὕδωρ ὃ δώσω αὐτῷ, γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον. Λέγει πρὸς αὐτὸν ἡ γυνή. Κύριε, δός μοι τοῦτο τὸ ὕδωρ, ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ ἔρχωμαι ἐνθάδε ἀντλεῖν. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς. ὕπαγε, φώνησον τὸν ἄνδρα σου, καὶ ἐλθὲ ἐνθάδε. Ἀπεκρίθη ἡ γυνὴ καὶ εἶπεν αὐτῷ. οὐκ ἔχω ἄνδρα. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς. καλῶς εἶπας, ὅτι ἄνδρα οὐκ ἔχω, πέντε γὰρ ἄνδρας ἔσχες, καὶ νῦν ὃν ἔχεις, οὐκ ἔστι σου ὁ ἀνήρ. τοῦτο ἀληθὲς εἴρηκας. Λέγει αὐτῷ ἡ γυνή. Κύριε, θεωρῶ ὅτι προφήτης εἶ σύ. οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τῷ ὄρει τούτῳ προσεκύνησαν, καὶ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις ἐστὶν ὁ τόπος, ὅπου δεῖ προσκυνεῖν. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς. γύναι, πίστευσόν μοι, ὅτι ἔρχεται ὥρα ὅτε οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ πατρί. ὑμεῖς προσκυνεῖτε ὃ οὐκ οἴδατε, ἡμεῖς προσκυνοῦμεν ὃ οἴδαμεν, ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. ἀλλ' ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐστιν, ὅτε οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ προσκυνήσουσι τῷ πατρὶ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ. καὶ γὰρ ὁ πατὴρ τοιούτους ζητεῖ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτόν. πνεῦμα ὁ θεός, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν. Λέγει αὐτῷ ἡ γυνή. οἶδα ὅτι μεσίας ἔρχεται, ὁ λεγόμενος χριστός, ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, ἀναγγελεῖ ἡμῖν ἅπαντα. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, ἐγώ εἰμι ὁ λαλῶν σοι. Καὶ ἐπὶ τούτῳ ἦλθον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ἐθαύμασαν, ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει. οὐδεὶς μέντοι εἶπε, τί ζητεῖς, ἢ τί λαλεῖς μετ' αὐτῆς; ἀφῆκεν οὖν τὴν ὑδρίαν αὐτῆς ἡ γυνή, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, καὶ λέγει τοῖς ἀνθρώποις. Δεῦτε ἴδετε ἄνθρωπον, ὃς εἶπέ μοι πάντα ὅσα ἐποίησα. μήτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστός; ἐξῆλθον οὖν ἐκ τῆς πόλεως, καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτόν. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ ἠρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ, λέγοντες, ῥαββεί, φάγε. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς. ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν, ἣν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.

iterum. Quisquis autē biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternū: sed aqua quam ego dabo ei: fiet in eo fons aquæ saliē/tis in uitam æternā. Dicit illi mu/lier: Domine da mihi istam aquā ut non sitiam, neque ueniam huc ad hauriēdum. Dicit ei Iesus: Va/de, uoca uirum tuū, & ueni huc. Respondit mulier, & dixit ei: Nō habeo uirum. Dicit ei Iesus: Be/ne dixisti, non habeo uirū. Quin/que enim uiros habuisti, & nunc quem habes, nō est tuus uir. Hoc uere dixisti. Dicit ei mulier: Do/mine, uideo quod propheta es tu. Patres nostri in mōte hoc ad/orauerunt, & uos dicitis: quod Hierosolymis est locus, ubi opor teat adorare. Dicit ei Iesus: Muli/er, crede mihi, uenit hora quādo neque in monte hoc, neque Hie/rosolymis adorabitis patrē. Vos adoratis quod nescitis: nos ado/ramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed uenit hora & nūc est, quando ueri adoratores ado rabunt patrem spiritu ac ueritate. Nam & pater tales quærit qui ad orent ipsum. Spiritus est deus, & eos qui adorant eū, spiritu ac ueri tate oportet adorare. Dicit ei mu lier: Scio quod Messias uentu/rus est, qui dicitur Christus. cum ergo uenerit ille, nobis nuntia/bit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tibi. Et continuo uenerunt discipuli eius, & mira/bantur, quod cum muliere loque retur. Nemo tamen dixit: quid quæris, aut cur loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mu lier, & abiit in ciuitatem, & di/cit illis hominibus: Venite, ui/dete hominem, qui dixit mihi o/mnia quæcunque feci. num hic est ille Christus? Exierunt ergo è ciuitate, & ueniebant ad eum. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, comede. Ille au/tem dixit eis: Ego cibum habeo comedendum, quem uos ne/scitis.

iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, nō sitiet in æternū: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliētis in uitam æternam. Dicit ad eum mu lier: Domine, da mihi hanc aquam ut nō sitiam neq; ue niam huc haurire. Dixit ei Iesus: Vade uoca uirum tu/um & ueni huc. Respondit ei mulier & dixit: Non ha/beo uirum. Dixit ei Iesus: Bene dixisti, quia non ha/beo uirū. Quinq; enim ui/ros habuisti: & nunc quem habes, non est uir tuus. Hoc uere dixisti. Dicit ei mulier: Domine, uideo quia pro/pheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & uos dicitis quia Hierosoly/mis est locus ubi adorare oportet. Dixit ei Iesus: Mu/lier crede mihi: quia uenient hora quando neq; in mon/te hoc, neque in Hierosoly/mis adorabitis patrē. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus qđ scimus: quia salus ex Iudæis est. Sed ue/nit hora & nunc est, quan/do ueri adoratores adora/bunt patrē in spiritu & ueri/tate. Nā & pater tales quæ/rit, qui adorent eum. Spiri/tus est deus: & eos qui ado/rant eum, in spiritu & ueri/tate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia messias uenit qui dicitur Christus. Cū ergo uenerit ille, annun ciabit nobis oīa. Dixit ei Iesus. Ego sum qui loquor tecū. Et cōtinuo uenerūt di/scipuli eius, & mirabantur: quia cū muliere loquebat. Nemo tamē dixit: qd quæ/ris aut quid loqueris cū ea. Reliqt ergo hydriā suā mu/lier & abiit in ciuitatē, & di/xit illis hominib°: Venite & uidete hominē qui dixit mi hi oīa quæcūq; feci. Nun/quid ipse est Christus? Exie runt ergo de ciuitate & ue/niebant ad eū. Interea roga bant eum discipuli, dicētes: Rabbi māduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem uos ne/scius,

ΙΩΑΝΝΗΣ.

οἶδατε. ἔλεγον οὖν οἱ μαθηταὶ πρὸς ἀλλήλους, μή τις ἤνεγκεν αὐτῷ φαγεῖν; λέγει αὐτοῖς ὁ ΙΗΣΟΥΣ, ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον. οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἔτι τετράμηνός ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται; ἰδοὺ λέγω ὑμῖν, ἐπάρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν, καὶ θεάσασθε τὰς χώρας, ὅτι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη. καὶ ὁ θερίζων μισθὸν λαμβάνει, καὶ συνάγει καρπὸν εἰς ζωὴν αἰώνιον, ἵνα καὶ ὁ σπείρων ὁμοῦ χαίρῃ, καὶ ὁ θερίζων. ἐν γὰρ τούτῳ ὁ λόγος ἐστὶν ὁ ἀληθινός, ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων. ἐγὼ ἀπέστειλα ὑμᾶς θερίζειν, ὃ οὐχ ὑμεῖς κεκοπιάκατε. ἄλλοι κεκοπιάκασι, καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν κόπον αὐτῶν εἰσεληλύθατε. ἐκ δὲ τῆς πόλεως ἐκείνης πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν τῶν Σαμαρειτῶν διὰ τὸν λόγον τῆς γυναικὸς, μαρτυρούσης, ὅτι εἶπέ μοι πάντα, ὅσα ἐποίησα. ὡς οὖν ἦλθον πρὸς αὐτὸν οἱ Σαμαρῖται, ἠρώτων αὐτὸν μεῖναι παρ' αὐτοῖς, καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ δύο ἡμέρας. καὶ πολλῷ πλείους ἐπίστευσαν διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ. τῇ τε γυναικὶ ἔλεγον, ὅτι οὐκέτι διὰ τὴν σὴν λαλιὰν πιστεύομεν, αὐτοὶ γὰρ ἀκηκόαμεν, καὶ οἴδαμεν, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου ὁ Χριστός. *Μετὰ δὲ τὰς δύο ἡμέρας ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *Αὐτὸς γὰρ ΙΗΣΟΥΣ ἐμαρτύρησεν, ὅτι προφήτης ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι τιμὴν οὐκ ἔχει.* ὅτε οὖν ἦλθεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἐδέξαντο αὐτὸν οἱ Γαλιλαῖοι, πάντα ἑωρακότες, ὅσα ἐποίησεν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῇ ἑορτῇ. καὶ αὐτοὶ γὰρ ἦλθον εἰς τὴν ἑορτήν. ἦλθεν οὖν ὁ ΙΗΣΟΥΣ πάλιν εἰς τὴν Κανὰ τῆς Γαλιλαίας, ὅπου ἐποίησε τὸ ὕδωρ οἶνον. *Καὶ ἦν τις βασιλικὸς, οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει ἐν Καπερναούμ. οὗτος ἀκούσας, ὅτι ΙΗΣΟΥΣ ἥκει ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἀπῆλθε πρὸς αὐτὸν, καὶ ἠρώτα αὐτὸν, ἵνα καταβῇ, καὶ ἰάσηται αὐτοῦ τὸν υἱόν. ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν. εἶπεν οὖν ὁ ΙΗΣΟΥΣ πρὸς αὐτὸν, ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε. λέγει πρὸς αὐτὸν

ERASMVS

scitis. Dicebant ergo discipuli inter se: Nunquis attulit ei quod ederet? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam quod uult is qui misit me, & perficiã opus eius. Nónne uos dicitis: adhuc quatuor menses sunt, & messis ueniet? Ecce dico uobis, attollite oculos uestros, & uidete regiones, quoniã albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit: & congregat fructum in uitam æternã: ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est sermo uerus, quod alius est qui semi nat, & alius est qui metit. Ego misi uos ad metendũ, quod uos nõ laborastis. Alĩ laborauerunt, & uos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi credi derunt in eum Samaritanorum propter sermonem mulieris, testificantis, quod dixisset sibi omnia quæcũq; fecisset. Cum uenissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, ut apud se maneret. Et mansit ibi duos dies. Ac multo plures, crediderunt propter sermonẽ ipsius. & mulieri dicebãt: Iam non propter tuam orationẽ credimus. ipsi enim audiuimus, & scimus, quod hic est uere seruator mundi Christus. Post duos aũt dies exĩit inde, & abĩit in Galilæam. Ipse eñ Iesus testatus est, quod propheta in sua patria honorem nõ haberet. Cum ergo uenisset in Galilæã, exceperũt eum Galilæi, cum omĩa uidissent, quæ fecerat Hierosolymis in die festo. & ipsi enim uenerant ad diem festum. Venit ergo Iesus iterum in Cana Galilææ. ubi fecerat ex aqua uinum. Et erat quidã Regulus, cuius filius infirmabaẽ Capernaum. Hic cum audisset, quod Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæã, abĩit ad eum, & rogabat eũ, ut descenderet, ac sanaret ipsius filiũ: Si quidẽ is agebat animã. Dixit ergo Iesus ad eũ: Nisi signa & prodigia uideritis, nõ creditis. Dicit ad eum

VVLG. EDITIO. 189

scitis. Dicebãt ergo discipuli adinuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est ut faciam uoluntatẽ eiũs qui misit me: ut perficiam opus eius. Nonne uos dicitis qđ adhuc quatuor mẽses sunt & messis uenit? Ecce dico uobis. leuate oculos uestros & uidete regiones: quia albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedẽ accipit: & congregat fructũ in uitam æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat & qui metit. In hoc eñ est uerbum uerum: quia alius est qui seminat & alius est, qui metit. Ego misi uos metere quod uos non laborastis. Alĩ laborauerunt: & uos in labores eorũ introistis. Ex ciuitate autẽ illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter uerbũ mulieris testimoniũ perhibentis: quia dixit mihi omnia quæcunq; feci. Cũ uenissent ergo ad illum Samaritani, rogauerũt eũ ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderũt in eũ propter sermonẽ eius. Et mulieri dicebãt: quia iã nõ propter tuam loquelam credimus: Ipsi eñ audiuimus & scimus: quia hic est uere saluator mundi. Post duos autẽ dies exĩit inde & abĩit in Galilæam. Ipse eñ Iesus testimoniũ perhibuit: quia propheta in sua patria honorẽ non habet. Cũ ergo uenisset in Galilæã, exceperũt eum Galilæi: cũ omnia uidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo. Et ipsi enim uenerant ad diẽ festũ. Venit ergo iterum in Chana Galilææ ubi fecit aquam uinũ. Et erat quidã regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cũ audisset, quia Iesus aduenisset a Iudæa in Galilæam, abĩit ad eũ & rogabat eũ ut descẽderet & sanaret filiũ eĩ⁹. Incipiebat eñ mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & ꝓdigia uideritis, nõ creditis. Dicit ad

eum

αὐτὸν ὁ βασιλικός. Κύριε, κατάβηθι πρὶν ἀποθανεῖν τὸ παιδίον μου. Λέγει αὐτῷ ὁ Ιησοῦς. πορεύου, ὁ υἱός σου ζῇ. Ἐπίστευσεν ὁ ἄνθρωπος τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ιησοῦς, καὶ ἐπορεύετο. ἤδη δὲ αὐτοῦ καταβαίνοντος, οἱ δοῦλοι αὐτοῦ ἀπήντησαν αὐτῷ, καὶ ἀπήγγελλαν λέγοντες, ὅτι ὁ παῖς σου ζῇ. ἐπύθετο οὖν παρ' αὐτῶν τὴν ὥραν, ἐν ᾗ κομψότερον ἔσχεν. Καὶ εἶπαν αὐτῷ, ὅτι χθὲς ὥραν ἑβδόμην ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός. ἔγνω οὖν ὁ πατὴρ, ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, ἐν ᾗ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ιησοῦς, ὅτι ὁ υἱός σου ζῇ. καὶ ἐπίστευσεν αὐτὸς, καὶ οἰκία αὐτοῦ ὅλη. Τοῦτο πάλιν δεύτερον σημεῖον ἐποίησεν ὁ Ιησοῦς ἐλθὼν ἐκ τῆς Ιουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν. * Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ιησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα. ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδά, πέντε στοὰς ἔχουσα, ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν χωλῶν, ξηρῶν, ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν. ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ, ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος ὑγιὴς ἐγίνετο, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι. ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ, τριάκοντα καὶ ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. τοῦτον ἰδὼν ὁ Ιησοῦς κατακείμενον, καὶ γνοὺς, ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, λέγει αὐτῷ. Θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι; Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἀσθενῶν. Κύριε, ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, ἵνα ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ, βάλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν, ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγὼ, ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει. Λέγει αὐτῷ ὁ Ιησοῦς, ἔγειραι, ἆρον τὸν κράβαττόν σου, καὶ περιπάτει. καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἦρε τὸν κράβαττον αὐτοῦ, καὶ περιεπάτει. ἦν δὲ σάββατον ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. ἔλεγον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι τῷ πεθεραπευμένῳ. σάββατόν ἐστιν, οὐκ ἔξεστί σοι ἆραι τὸν κράβαττον. * Ἀπεκρίθη αὐτοῖς, ὁ ποιήσας με ὑγιῆ, ἐκεῖνός μοι εἶπεν, ἆρον τὸν κράβαττόν σου

λη ι

ζ

eum regulus: Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. Dicit ei Ieſus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo ſermoni quē dixerat ei Ieſus, & ibat. Iam autē eo deſcendente, ſerui occurrerūt ei, & nunciauerunt, dicentes: Filius tuus uiuit. Sciſcitatus eſt ergo horā ab eis, in qua melius habuiſſet. Et dixerunt ei: heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quod illa hora erat, in qua dixiſſet ſibi Ieſus, filius tuus uiuit, & credidit ipſe, & domus eius tota. Hoc iterum ſecundum ſignum ædidit Ieſus cum uenisſet à Iudæa in Galilæam.

Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam: Eſt autē Hieroſolymis ad probaticam piſcina, quæ nomina tur Hebraice bethesda, quinque porticus habens, in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus em̄ deſcendebat certo tempore in piſcinā, & turbabat aquā. Itaque qui primus deſcendiſſet poſt turbationem aquæ, ſanus fiebat à quocunq; detinebatur morbo. Erat autem quidā homo illic, qui triginta & octo annos morbo tenebatur. Hunc cum uidiſſet Ieſus decumbentem, & cognouiſſet quod iam multum temporis morbo teneretur, dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpōdit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinā. Sed interim dum ego uenio, iam alius ante me deſcendit. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem ſabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi ei, qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit: is mihi dixit: tolle grabatum tuū

eum regulus: Domine, deſcēde priuſquam moriatur filius meus. Dixit ei Ieſus: Vade filius tuus uiuit. Credidit homo ſermoni quem dixit ei Ieſus & ibat. Iam autem eo deſcendente ſerui occurrerunt ei & nunciauerūt dicentes: quia filius eius ueret. Interrogabat ergo horam ab eis in qua meliꝰ habuerat. Et dixerunt ei: quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater: quia illa hora eſſet in qua dixit ei Ieſus: Filius tuus uiuit: & credidit ipſe & domus eius tota. Hoc iterū ſecundum ſignum fecit Ieſus cum ueniſſet a Iudæa in Galilæam. Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorū: & aſcēdit Ieſus Hieroſolymā. Eſt autē Hieroſolymis probatica piſcina: quæ cognominatur Hebraice Bethſaida, quinq; porticus habens. In his iacebat multitudo magna languētium, cæcorum, claudorum, aridorū, expectantium aquæ motū. Angelus autem domini deſcēdebat ſecūdū tempus in piſcinā: & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinā poſt motionē aquæ, ſanus fiebat a quacunq; detinebaꝫ infirmitate. Erat autem quidā homo ibi triginta & octo annos habēs in infirmitate ſua. Hūc aūt cum uidiſſet Ieſus iacentē, & cognouiſſet: quia iam multū tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpōdit ei languidus: Domine, hominem non habeo: ut cum turbata fuerit aqua: mittat me in piſcinā. Dum uenio em̄ ego, aliꝰ ante me deſcēdit. Dixit ei Ieſus: Surge tolle grabatū tuū & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum & ambulabat. Erat aūt ſabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi qui ſanatus fuerat: Sabbatū eſt, nō licet tibi tollere grabatū tuū. Reſpondit eis. Qui me ſanū fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuū

V.

τὸμ σὸν [illegible] περιπάτει. ἠρώτησαν οὖν αὐτὸν, τίς ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος ὁ εἰπών σοι, ἆρον τὸν κράβαττόν σου, καὶ περιπάτει; ὁ δὲ ἰαθεὶς οὐκ ἤδει τίς ἐστιν. ὁ γὰρ Ιησοῦς ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ. μετὰ ταῦτα εὑρίσκει αὐτὸν ὁ Ιησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ εἶπεν αὐτῷ, ἴδε ὑγιὴς γέγονας, μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τί σοι γένηται. ἀπῆλθεν ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἀνήγγειλε τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι Ιησοῦς ἐστὶν ὁ ποιήσας αὐτὸν ὑγιῆ. καὶ διὰ τοῦτο ἐδίωκον τὸν Ιησοῦν οἱ Ἰουδαῖοι καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, ὅτι ταῦτα ἐποίει ἐν σαββάτῳ. ὁ δὲ Ιησοῦς ἀπεκρίνατο αὐτοῖς. ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι. διὰ τοῦτο οὖν μᾶλλον ἐζήτουν αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι ἀποκτεῖναι, ὅτι οὐ μόνον ἔλυε τὸ σάββατον, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν θεὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ θεῷ. Ἀπεκρίνατο οὖν ὁ Ιησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν. οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδέν, ἐὰν μή τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα. ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιεῖ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. ὁ γὰρ πατὴρ φιλεῖ τὸν υἱὸν, καὶ πάντα δείκνυσιν αὐτῷ, ἃ αὐτὸς ποιεῖ. καὶ μείζονα τούτων δείξει αὐτῷ ἔργα, ἵνα ὑμεῖς θαυμάζητε. ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς, καὶ ζωοποιεῖ, οὕτως καὶ ὁ υἱὸς, οὓς θέλει ζωοποιεῖ. οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ κρίνει οὐδένα, ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ, ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα. ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα τὸν πέμψαντα αὐτόν. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν. * Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστὶν, ὅτε οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται. ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, καὶ ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ καὶ κρίσιν ποιεῖν, ὅτι

tum tuum, & ambula. Interrogauerũt ergo eum, Quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effect⁹, nesciebat quis esset. Iesus eñ subduxit se quod turba esset eo in loco. Postea reperit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce san⁹ factus es, ne post hac pecces, ne quid deterius tibi cõtingat. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quod Iesus esset à quo sanatus fuisset. Ac propterea persequebantur Iudæi Iesum, & quærebant illum occidere, quod ista fecisset in sabbato. Iesus autẽ respondit eis: Pater meus ad hoc usque temporis operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere quia non solum soluisset sabbatũ sed & patrem suum dixisset deũ, æqualem se faciens deo. Respondit itaq; Iesus, & dixit eis: Amen amen dico uobis, nõ potest filius à se facere quicquam, nisi quid uiderit patrem facientẽ. Quæcunque eñ ille fecerit, hæc itidem & filius facit. Pater enim diligit filiũ & hæc omnia demonstrat ei quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, ut uos miremini. Sicut eñ pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult, uiuificat. Neque enim pater iudicat quenquam, sed omne iudiciũ dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorãt patrem. Qui non honorat filium, nõ honorat patrem qui misit illum. Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternã, & in cõdemnationẽ nõ ueniet, sed transiuit à morte in uitã. Amen amen dico uobis, quod ueniet hora, & nunc est, quãdo mortui audient uocem filij dei: & qui audierint, uiuent. Sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso & potestatem dedit ei iudicãdi quoq;, quia

tum tuum & ambula. Interrogauerunt ergo eum quis est ille homo qui dixit tibi: tolle grabatũ tuum & ambula. Is autẽ qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit a turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, iam noli peccare: ne deteri⁹ tibi aliquid contingat. Abijt ille homo & nunciauit Iudæis: quia Iesus esset qui fecit eum sanum. Propterea persequebantur Iudæi Iesum: quia hæc faciebat in sabbato. Iesus autem respondit eis: Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat deum, æqualem se faciens deo. Respõdit itaq; Iesus & dixit eis: Amen amen dico uobis: non potest filius a se facere quicquam: nisi quod uiderit patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Pater enim diligit filiũ, & omnia demõstrat ei quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera ut uos miremini. Sicut enim pater suscitat mortuos & uiuificat: sic & filius quos uult, uiuificat. Neq; eñ pater iudicat quenquã, sed omne iudicium dedit filio: ut oñes honorificent filium sicut honorificant patrem. Qui nõ honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum. Amẽ amẽ dico uobis: quia qui uerbum meum audit, & credit ei qui me misit, habet uitam æternam. Et in iudiciũ non uenit, sed transiet a morte in uitã. Amen amẽ dico uobis: quia uenit hora & nunc est, quando mortui audient uocẽ filij dei: & qui audierint, uiuẽt. Sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso. Et potestatẽ dedit ei iudiciũ facere: quia

οὐ γὰς ἀνθρώπου ἐσίμ. Μὴ θαυμάζετε τοῦτο, ὅτι ἔρχεται ὥρα, ἐν ᾗ πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ, καὶ ἐκπορεύσονται, οἱ τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες, εἰς ἀνάστασιν ζωῆς, οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες, εἰς ἀνάστασιν κρίσεως. οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδέν. καθὼς ἀκούω, κρίνω, καὶ ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ δικαία ἐστίν.

μὸ α μγ ι * Οὐ γὰς ζητῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμόν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με πατρός. * Ἐὰν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἡ μαρτυρία μου οὐκ ἔστιν ἀληθής. ἄλλος ἐστὶν ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ, καὶ οἶδα ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία, ἣν μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ. ὑμεῖς ἀπεστάλκατε πρὸς Ἰωάννην, καὶ μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ. Ἐγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω, ἀλλὰ ταῦτα λέγω, ἵνα ὑμεῖς σωθῆτε. ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων, ὑμεῖς δὲ ἠθελήσατε ἀγαλλιαθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ. Ἐγὼ δὲ ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου. * τὰ γὰρ ἔργα ἃ ἔδωκέ μοι ὁ πατὴρ, ἵνα τελειώσω αὐτὰ, αὐτὰ τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ, ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέσταλκε. καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ, οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε. * καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν, ὅτι ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος, τούτῳ ὑμεῖς οὐ πιστεύετε. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ, καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε. δόξαν παρὰ ἀνθρώπων οὐ λαμβάνω. ἀλλ' ἔγνωκα ὑμᾶς, ὅτι τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ οὐκ ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς. ἐγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, καὶ οὐ λαμβάνετέ με. ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ἐκεῖνον λήψεσθε. πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες, καὶ τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου θεοῦ οὐ ζητεῖτε; Μὴ δοκεῖτε, ὅτι ἐγὼ κατηγορήσω ὑμῶν πρὸς τὸν πατέρα, ἔστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν Μωσῆς,

quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia ueniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius, & prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Nō possum ego ex meipso facere quicquā. Sicut audio, iudico, & iudiciū meum iustum est, quia non quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me, patris. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimoniū meum non esset uerum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia uerum est testimoniū eius quod perhibet de me. Vos misistis ad Ioannem, & is testimoniū reddidit ueritati. Ego autem non ab homine testimoniū accipio, sed hæc dico ut uos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens, uos autem uoluistis ad tempus exultare in luce eius. At ego testimonium habeo maius testimonio Ioannis. Opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, ipsa inquam opera quæ ego facio, testificātur de me, quod pater miserit me. Et qui misit me pater, ipse testificatus est de me. Neque uocem eius unquam audistis neque speciem eius uidistis. & sermonem eius non habetis, in uobis manentem: quia quem misit ille, huic uos non creditis. Scrutamini scripturas, quia uos uidemini uobis in ipsis uitā æternam habere, & illæ sunt, quæ testificantur de me, nec uultis uenire ad me ut uitam habeatis. Gloriam ab hominibus non accipio, sed cognoui uos, quod dilectionem dei non habeatis in uobis. Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me. Si alius uenerit nomine suo illū recipietis. Quomodo uos potestis credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis & gloriam quæ à solo deo proficiscitur, non quæritis? Nolite putare, quod ego accusaturus sim uos apud patrem. Est qui accusat uos Moses

quia filius hominis est. Nolite mirari hoc: quia uenit hora in qua omnes qui in monumētis sunt, audiēt uocem filij dei: & procedēt qui bona fecerūt in resurrectionē uitæ: qui uero mala egerūt, in resurrectionē iudicij. Nō possum ego a meipso facere quicquā. Sicut audio, iudico: & iudiciū meum iustum est: quia nō quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me. Si ego testimoniū perhibeo de meipso, testimoniū meum nō est uerum. Alius est qui testimoniū perhibet de me: & scio quia uerū est testimoniū eius qđ perhibet de me. Vos misistis ad Iohannē: & testimoniū perhibuit ueritati. Ego autē non ab homine testimoniū accipio, sed hæc dico ut uos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucēs: Vos autem uoluistis ad horam exultare in luce eius. Ego autem habeo testimoniū maius Iohanne. Opera eīm quæ dedit mihi pater ut perficiā: ea ipsa opera quæ ego facio testimoniū perhibent de me: quia pater misit me. Et qui me misit pater, ipse testimonium perhibuit de me. Neq; uocē eius unq̄ audistis: neq; speciē eius uidistis. Et uerbū eius non habetis in uobis manēs: quia quem misit ille, huic uos nō creditis. Scrutamini scripturas: qa uos putatis in ipsis uitam æternā habere. Et ille sunt quæ testimonium perhibent de me: & non uultis uenire ad me ut uitā habeatis. Claritatē ab hominibus nō accipio: sed cognoui uos quia dilectionem dei nō habetis in uobis. Ego ueni in nomine patris mei: & non accepistis me. Si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo uos potestis credere qui gloriā ab inuicem accipitis: & gloriā quæ a solo deo est, nō quaritis? Nolite putare: quia ego accusaturus sim uos apud patrem: est qui accusat uos Moyses

μωσῆς, εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε. Εἰ γὰρ ἐπιστεύετε μωσῆ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί· περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν. Εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, πῶς τοῖς ἐμοῖς ῥήμασι πιστεύσετε;

essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite prandete. Et nemo discipulorũ audebat interrogare eum, dicens: tu quis es? cum scirent quod dñs esset. Venit itaque Iesus, & accipit panem, et dat eis, & piscẽ similiter. Hac iam tertia uice manifestatus est Iesus discipulis suis cũ resurrexisset à mortuis. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simõ Iohannis, diligis me plus quàm hi? Dicit ei: Etiam domine, tu scis quod amẽ te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei rursus iterũ: Simon Iohannis, diligis me? Ait illi: Etiam domine, tu scis quod amem te. Dicit ei: Pasce oues meas. Dicit ei tertio: Simon Iohãnis, amas me? Indoluit Petrus, qđ dixisset sibi tertio, amas me, dixitq; ei: Domine, tu oẽia nosti, tu scis quod amem te. Dicit ei Iesus: Pasce oues meas Amen amen dico tibi, cũ esses iunior, cingebas te, & ambulabas quò uolebas: cum aũt senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò nõ uis. Hoc aũt dixit, significans qua morte glorificaturus esset deũ. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Cõuersus Petrus, uidet illum discipulũ, quẽ diligebat Iesus, sequentẽ: qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domie, quis est ille qui tradit te? hũc ergo cũ uidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eũ uelim manere donec ueniã, quid ad te? tu me sequere. Exĳt ergo sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moreretur. Et non dixerat ei Iesus, nõ moritur: sed, si eum uelim manere donec ueniã, quid ad te? Hic est discipulus ille qui testimoniũ perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus quod uerũ est testimonium eius. Sunt autẽ & alia multa quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet eos qui scriberentur libros.

FINIS.

essent, nõ est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite, prãdete. Et nemo audebat discũbentium interrogare eũ, tu quis es: sciẽtes qũia dominus est. Et uenit Iesus & accepit panem & dabat eis: & piscẽ similiter. Hoc iã tertio manifestatus est Iesus discipulis suis cũ surrexisset a mortuis. Cum ergo prãdissent, dixit Simoni Petro Iesus: Simon Iohãnis diligis me plus his? Dicit ei: Etiã domine tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterũ. Simon Iohãnis diligis me? At ille: Etiã domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterũ: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio, Simõ Iohãnis amas me? Cõtristatus est Petrus qa dixit ei tertio, amas me: & dicit ei: Domine, tu oẽia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas. Amẽ amẽ dico tibi: cũ esses iunior cingebas te & ambulabas ubi uolebas. Cum autem senueris extẽdes manꝰ tuas & alius te cinget & ducet quo tu nõ uis. Hoc autẽ dixit significans, qua morte clarificaturus esset deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Cõuersus Petrus, uidit illum discipulum quẽ diligebat Iesus sequentem: qui & recubuit in cœna super pectus eius & dixit: Domine quis est qui tradet te? Hunc ergo cũ uidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic aũt quid? Dicit ei Iesus: Sic eũ uolo manere donec ueniam: quid ad te? Tu me sequere. Exĳt ergo sermo iste inter fratres: quia discipulus ille nõ moritur. Et non dixit ei Iesus: nõ moriꝫ, sed sic eum uolo manere donec ueniã: quid ad te? Hic est discipulꝰ ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimꝰ quia uerũ est testimoniũ eius. Sũt aũt & alia multa quæ fecit Iesus: quæ si scribanꝫ per singula: nec ipsum arbitror mundũ capere posse eos qui scribẽdi sunt libros.



ΑΠΟ δαμασκοῦ ἤρξατο, καὶ ἀνῆλθεν εἰς ἱερουσαλὴμ, ἐκεῖθεν εἰς ταρσὸν, κἀκεῖθεν εἰς ἀντιόχειαν. Ὁ πάλιν εἰς ἱλῆμ, καὶ πάλιν εἰς ἀντιόχειαν. κἀκεῖθεν ἀφορισθεὶς μετὰ βαρνάβα εἰς τὴν ἀπεστολὴν, κατῆλθεν εἰς σελευκείαν, εἶτα εἰς κύπρον, ἔνθα Ὁ παῦλος ἤρξατο καλεῖσθαι. εἶτα εἰς πέργην, εἶτα εἰς ἀντιόχειαν τῆς πισιδίας, εἶτα εἰς ἰκόνιον, εἶτα εἰς λύστραν καὶ δέρβην τῆς λυκαονίας, εἶτα εἰς παμφυλίαν, εἶτα πάλιν εἰς πέργην, εἶτα εἰς ἀτταλείαν, εἶτα πάλιν τρίτον εἰς ἀντιόχειαν τῆς συρίας, εἶτα πάλιν τρίτον εἰς ἱερουσαλὴμ διὰ τὴν περιτομήν. εἶτα πάλιν τέταρτον εἰς ἀντιόχειαν. εἶτα διῆλθε τῆς συρίαν Ὁ τὴν κιλικίαν. εἶτα πάλιν δεύτερον εἰς δέρβην Ὁ λύστραν, ἔνθα τὸν τιμόθεον περιέτεμεν, εἶτα εἰς τὴν φρυγίαν Ὁ γαλατικὴν χώραν, εἶτα εἰς μυσίαν, εἶτα εἰς τρωάδα. κἀκεῖθεν εἰς νεάπολιν, εἶτα εἰς φιλίππους τῆς μακεδονίας. εἶτα διελθὼν τὴν ἀμφίπολιν καὶ τῆς ἀπολλωνίαν, ἦλθεν εἰς θεσσαλονίκην, εἶτα εἰς βέρροιαν, εἶτα εἰς ἀθήνας, εἶτα εἰς κόρινθον, εἶτα εἰς ἔφεσον, εἶτα εἰς καισάρειαν, εἶτα δεύτερον εἰς ἀντιόχειαν τῆς πισιδίας, εἶτα εἰς τῆς γαλατικὴν χώραν Ὁ φρυγίαν. εἶτα πάλιν δεύτερον εἰς ἔφεσον. εἶτα διελθὼν τὴν μακεδονίαν, ἦλθεν εἰς ἑλλάδα. κἀκεῖθεν διελθὼν τὴν μακεδονίαν, ἦλθε πάλιν δεύτερον εἰς φιλίππους, Ὁ ἀπὸ φιλίππων πάλιν εἰς τρωάδα, ἔνθα Ὁ τὸν εὔτυχον ἤγειρε πεσόντα. εἶτα εἰς τῆς ἆσσον, εἶτα εἰς μιτυλήνην, εἶτα εἰς τὰ ἀντικρὺ χίου, εἶτα εἰς σάμον, κἀκεῖθεν εἰς μίλητον. ἐκεῖθεν μεταπεμψάμενος τοὺς ἐν ἐφέσῳ ὡμίλησεν αὐτοῖς. εἶτα εἰς κῶ, εἶτα εἰς ῥόδον, κἀκεῖθεν εἰς πάταρα, κἀκεῖθεν εἰς τύρον, εἶτα εἰς πτολεμαΐδα, κἀκεῖθεν εἰς καισάρειαν, κἀκεῖθεν πάλιν τέταρτον ἀνῆλθεν εἰς ἱλῆμ. κἀκεῖθεν περιεπέμφθη εἰς καισάρειαν, καὶ λοιπὸν δέσμιος ἐπὶ ῥώμην. οὕτως. ἀπὸ καισαρείας ἦλθεν εἰς σιδῶνα, κἀκεῖθεν εἰς μύρα τῆς λυκίας, εἶτα εἰς κνίδον. κἀκεῖθεν πολλὰ παθὼν, ἦλθεν εἰς τὴν νῆσον, ἔνθα ἡ ἔχιδνα καθήψατο τῆς χειρὸς αὐτοῦ, καὶ ἔμεινεν ἀβλαβής. εἶτα εἰς συρακούσας, εἶτα εἰς ῥήγιον τῆς καλαβρίας, εἶτα εἰς ποτιόλους. κἀκεῖθεν πεζὸς ἀνῆλθεν εἰς ῥώμην, ἀπαντησάντων αὐτῷ τῶν ἀδελφῶν εἰς ἀππίου φόρον καὶ τρεῖς ταβερνάς. καὶ λοιπὸν εἰσελθὼν εἰς ῥώμην, Ὁ διδάξας χρόνον ἱκανὸν, ὕστερον ἐν αὐτῇ τῇ ῥώμῃ ἐμαρτύρησεν, αὐτόθι τὸν καλὸν ἀγῶνα ἀγωνισάμενος. ῥωμαῖοι δὲ περικαλλέσιν οἴκοις καὶ βασιλείοις τὰ λείψανα τούτου καθείρξαντες, ἐπέτιον αὐτῷ μνήμης ἡμέραν πανηγυρίζουσι τῇ πρὸ τριῶν καλανδῶν ἰουλίων, ἕκτῳ τῶν ὅλων μηνὶ τοῦτο μαρτύριον ἑορτάζοντες. Πολλὰς δὲ Ὁ πρὸ τούτου ἤδη περιανέσεις ὑπέρ τε βίου Ὁ ἀρετῆς ὁ μακάριος ἐπιήσατο, καὶ πολλὰ περὶ τῶν πρακτέων τοῖς ἀνθρώποις εἰσηγήσατο. Ἔτι δὲ ὅλως καὶ διὰ τῆς ὑφῆς τῶν δεκατεσσάρων ἐπιστολῶν τούτων τὴν ὅλην ἀνθρώποις διέγραψε πολιτείαν. Αναγκαῖον δὲ ἡγησάμην ἐν βραχεῖ καὶ τὸν χρόνον ἐπισημειώσασθαι τοῦ κηρύγματος παύλου, ἐκ τῶν χρονικῶν κανόνων εὐσεβίου τοῦ παμφίλου τὴν ἀνακεφαλαίωσιν ποιούμενος. Ἔνθα δὴ τὴν βίβλον μετὰ χεῖρας εἰληφὼς, καὶ ταύτην ἀναπτύξας, εὑρίσκω τὸ πάθος τοῦ σωτῆρος ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ ἐν ὀκτωκαιδεκάτῳ ἔτει τιβερίου καίσαρος γεγενημένον, Ὁ τὴν τριήμερον δὲ εὐθὺς ἀνάστασιν, καὶ πάλιν τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάληψιν τοῦ χριστοῦ. καὶ μεθ' ἡμέρας τινὰς ὀλίγας εἶδον ἐκεῖ τοὺς ἀποστόλους προχειριζομένους εἰς διακονίαν, τὸν αὐτοφερώνυμον στέφανον, Ὁ τοὺς ἀμφ' αὐτόν. καὶ μετέπειτα στάσιν ἰουδαίων πάλιν καταλαμβάνω, καθὼς ἤδη προείπομεν, καὶ τὸν στέφανον ἀγωνιζόμενον ἐκεῖσε. καὶ τὸν παῦλον συνευδοκοῦντα πάνυ τῷ φόνῳ. ὃς μικρὸν ὕστερον τοῖς ἄρχουσι τῶν ἰουδαίων πρᾶσας, ἐπιστολὰς ἐκομίζετο πρὸς τοὺς ἐν δαμασκῷ ἰουδαίους κατὰ τῶν μαθητῶν. κατὰ μέσην δὲ τὴν ὁδὸν ἡ κλῆσις αὐτῷ γεγένηται παρὰ τοῦ θεοῦ, ὡς μικρῷ προσαναλωθῆναι τὸν ἔτος ἐκεῖνο. Ἐπιλαβομένου δῆτα τοῦ ἐννεακαιδεκάτου ἔτους τιβερίου καίσαρος, κατάρξασθαι τὸν παῦλον τοῦ κηρύγματος φησὶ ἡ ἱστορία, καὶ τὴν ἅπασαν οἰκουμένην διαδραμεῖν εὐαγγελιζόμενον τὴν εἰς χριστὸν εὐσέβειαν μέχρις τρισκαιδεκάτου ἔτους κλαυδίου καίσαρος, ἡγεμονεύοντος τότε τῆς ἰουδαίας φήλικος. ἐφ' οὗ κατηγορηθεὶς ὑπὸ ἰουδαίων, τὴν ἀπολογίαν ἐποιήσατο παῦλος. ὃς δὴ τὸν ἀπόστολον εἰς τὸν κατὰ καισάρειαν δεσμωτήριον κατέρξεν ἐπὶ δυσὶν ἔτεσι. μεθ' ὃν διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν πόρκιος φῆστος, εὐθὺς ἀνακρίνειν ὥρμησε τὸν ἀπόστολον, τοῖς ἰουδαίοις ἐν τούτῳ μεγίστην χάριν κατατιθέμενος. Τότε οὖν ὁ μακάριος νομίσας οὐκ ἄλλως ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς ἐπιβουλῆς, ἢ καίσαρα ἐπικαλεσάμενος, ἑστὼς ἐπὶ τοῦ βήματος ἐπεκαλεῖτο καίσαρα. καὶ εἰς ῥώμην ἐκπέμπετο πρὸς νέρωνα καίσαρα. Συνῆν δὲ αὐτῷ Ὁ ἀρίσταρχος, ὃν καὶ εἰκότως συναιχμάλωτόν που τῶν ἐπιστολῶν ἀποκαλεῖ. καὶ λουκᾶς, ὁ τὰς πράξεις τῶν ἀποστόλων γραφῇ παραδούς. Κἀκεῖσε οὖν ἐπὶ τῆς ῥωμαίων ὁ παῦλος διετίαν ὅλην ἐφυλάττετο. Ταῦτα γὰρ καὶ μέχρι τούτων ἱστορεῖ λουκᾶς ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἀποστόλων, κατ' ἐκείνου καιροῦ τὸ βιβλίον συγγραψάμενος. Ὁ τὰ καθεξῆς ἥκιστα τότε γινώσκων, οὐδὲ τὸ μαρτύριον αὐτοῦ ἐγκατέθετο τῇ βίβλῳ. καταλιπόντες γὰρ αὐτὸν ἐκεῖσε λουκᾶς τε καὶ ἀρίσταρχος ἦλθον. Εὐσέβιος δὲ τοὺς μετέπειτα χρόνους ἀκριβῶς περιεργασάμενος, ἱστόρησεν ἡμῖν καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ τόμῳ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας τούτου καὶ τὸ μαρτύριον. καὶ φησὶν τὸν παῦλον ἄνετον διατρίψαι, Ὁ τὸν τοῦ θεοῦ λόγον ἀκωλύτως κηρύξαι, ἐπισημηνάμενος. Τότε μὲν οὖν ἐπὶ νέρωνος ἀπολογησάμενον τὸν παῦλον, αὖθις ἐπὶ τὴν τοῦ κηρύγματος διακονίαν λόγος ἔχει στείλασθαι ὑπὸ καίσαρος ἀπολυθέντα, καὶ εὐαγγελίσασθαι ἐφ' ἑτέροις δέκα ἔτεσιν. Εἰς ἄκρον δὲ μανίας ὁ νέρων ἀφικόμενος, ἀνεῖλε μὲν ἀγριππίναν πρῶτα τὴν ἰδίαν μητέρα, ἔτι δὲ καὶ τὴν ἀδελφὴν τοῦ πατρὸς, καὶ ὀκταυίαν τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, Ὁ ἄλλους μυρίους

τῷ γένει

ζῳ ηχύ ηβοσήκοντας. Μετέπειτα δὲ καθολικὸν ἐκίνησε δίωγμὸν κτ̄l τῶν χῑsιανῶν, ϵ οὕτως ἐπὶ τὰς κατὰ ἡῶν ἀποσόλων ἐπήρθη σφαγάς. Μετασχλάμβ ϵ γρ ὁ παῦλος αὖθις, τῷ βήματι πρισᾷ. Σωληλθε ἡ πάλιν ὁ λυκᾶς αὐτῷ. ἔνθα δὴ σωέβη τὸν μ παῦλον τριακοσῷ ἑκτῳ ἔτει τοῦ σωτηρίου πάθους, τρισκαιδεκάτῳ δὲ νέρωνος μαρτυρῆσαι, ξίφει τιὼ κεφαλιὼ ἀπετμηθέντα. ἔσι τοίνυν ἀπὸ τοῦ ἐνιαυτοῦ καιδεκάτου ἔτους ζοβρίου καίσαρος ϵ ἡ οὗ κηρύσσει τὸ εὐαγγέλιον ἤρξατο, ἕως τοῦ εἰκοσᾶ δευτέρου ἔτη κ̄, καὶ τὰ γαίου δὲ ὡσαύτως ἔτη λ̄. αὖθις δὲ κολ τὰ κλαυδίου ἔτη μικρὸν ἐλάττω ῑβ̄. ὁμ διαδεξάμενος ϵ νέρωνος τρισκαιδεκάτῳ ἔτει ἐπὶ ἑαυτοῦ ἀρχῆς, τὸν ἀπόσολον ἀνῆλε. γράφει οὖν ὁ αὐτὸς ἀπόσολος παῦλος ϵ τιμοθέῳ, περὶ μὲν τῆς πρώτης αὐτοῦ ἀπολογίας, φάσκων τάδε, ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ, οὐδείς μοι συμπαρεγένετο, ἀλλὰ πάντες με ἐγκατέλιπον, μὴ αὐτοῖς λογισθείη, ὁ δὲ κύριός μοι παρέστη, καὶ ἐνεδυνάμωσέ με, ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ, καὶ ἀκούσωσι πάντα τὰ ἔθνη. ϵ ἐῤῥύσθην ἐκ σόματος λέοντος, τοῦτον λέγων εἶναι τὸν νέρωνα. περὶ δὲ σῆς δευτέρας ἐν ᾗ ϵ πολεῖται ζῳ κατ' αὐτὸν μαρτυρίῳ, φησί. τιὼ καλιὼ διακονίαν σου πληροφόρησον. Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, ϵ ὁ καιρός σῆς ἀναλύσεώς μου ἐφέστηκε. ϵ ὁ λυκᾶς ἐστιν μόνος μοι. Ἔσι οὖν ὁ πᾶς χρόνος τοῦ κηρύγματος παύλου, εἴκοσι καὶ ἓξ ἔτη. καὶ δύο ἔτη, ἃ διετέλεσεν ἐπὶ ζῳ κατὰ καισάρειαν δεσμωτηρίῳ. πρὸς δὲ τούτοις πάλιν τὰ ἐν ῥώμῃ πρότερα δύο ἔτη, καὶ τὰ πλουτταῖα δὲ ἔτη δέκα, ὥσε εἶναι τὰ πάντα ἔτη ἀπὸ σῆς ἡγησέως αὐτοῦ μέχρι τῆς πληρώσεως, τριάκοντα καὶ πέντε.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΠΑΥΛΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ.

Ἐπὶ νέρωνος τοῦ καίσαρος ῥωμαίων ἐμαρτύρησεν αὐτόθι παῦλος ὁ ἀπόσολος, ξίφει τιὼ κεφαλιὼ ἀποτμηθεὶς ἐν ζῳ τριακοσῷ ϵ ἑκτῳ ἔτει τοῦ σωτηρίου πάθους, τὸν καλὸν ἀγῶνα ἀγωνισάμενος ἐν ῥώμῃ, πέμπτῃ ἡμέρᾳ πανέμου μηνὸς, ἣν ζῳ λέγοιτ' ἂν παρὰ ῥωμαίοις τῇ πρὸ τριῶν καλανδῶν ἰουλίων. καθ' ἣν ἐπληρώθη ὁ ἅγιος ἀπόσολος τῷ κατ' αὐτὸν μαρτυρίῳ, ἑξηκοσῷ καὶ ἐνάτῳ ἔτει τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ιησοῦ χῑsοῦ πάσχσίας.

PEREGRINATIO APOSTOLORVM PETRI ET Pauli, cum ratione temporum per ERASMVM Roterodamum.

EX Actis Apoſtolicis nō liquet Petrum frequenter commutaſſe locum, niſi quod poſt mortem Stephani, profectus eſt unà cum collega Ioanne, in Samariam ciuitatem, cui poſt uerſum nomen Sebaſte, unde & tota regio Samaria dicta eſt: ut comprobaret autoritate ſua perficeretq; quod illic per Philippum diaconū cœptum erat. Deinde uidetur peraſq; Samariæ partes peragraſſe. Sic enim legimus cap. viij. Et multis regionibus Samaritanorum Euangelizabant. Eſt autem Samaria media inter Iudæam & Galilæam. Porrò nonum caput teſtatur illum peragraſſe uarias Palæſtinæ regiones, antequàm ueniret Lyddam & Ioppen. Sic enim habet: Factum eſt autem, ut Petrus dum tranſiret uniuerſos, deueniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ. Eſt enim Lydda in Palæſtina non procul à Ioppe ciuitate littorali. Rurſus à Ioppe profectus legitur ad Cæſareā Palæſtinæ maritimam, quæ prius dicta fuerat turris Stratonis. Hic baptizauit Cornelium Centurionem. Hinc reuerſus eſt Hieroſolymam. Cæterum quando profectus ſit Antiochiā, ubi præſediſſe creditur, aut quando ſe Romā tranſtulerit, quasq; regiones peragrarit, quoniam humanis duntaxat hiſtoriis proditum eſt, non laborabo perſequi. Nam Euſebius, qui putat illum prædicaſſe Euangeliū apud Ponticos, Galatas, Cappadoces, Aſiaticos, Bithynos, non aliunde ſumpſit coniecturam, niſi quod harum gentium meminit in priore Epiſtola. Cōueniebat autem ut Apoſtolorum

ſtolorum præcipuus,annos cõplures ſederet in ea ciuitate, unde dominus Ieſus uoluerat Euangelicam doctrinam,primum in omnes Iudææ regiones,mox in uniuerſum orbem propagari. Iam quod tradit hiſtoria, quam uocant Eccleſiaſticam, primariam rerum curam à Chriſto traditã Petro, Iacobo & Ioanni, id inde colligunt, quod horum aliquoties nominatim fit mẽtio, quum de cæteris nihil narretur, quid dixerint aut fecerint,niſi quod adſtabãt Petro dicenti tanquam teſtes.Erant autẽ Iacobi duo,unus Zebedæi filius,frater Ioãnis. Hũc interfecit Herodes atq; hoc ipſum arguit eum fuiſſe inter apoſtolos præcipuum. Alter Alphæi filius. Crebra mẽtio fit in actis tertij Iacobi,qui dictus eſt frater domini,cognomẽto Iuſtus,filius,ut opinatur Hieronymus,Mariæ,quæ fuerit ſoror matris domini.Huic Iacobo tribuunt epiſtolam,quæ legitur inter catholicas. Qui quum nõ eſſet de numero duodecim apoſtolorum,tamẽ hunc ſtatim à morte Chriſti apoſtoli deſignarunt epiſcopum Hieroſolymitanum,qui poſtea quàm Paulus appellaſſet Cæſarem,è templi faſtigio præcipitatus eſt,atque inter lapidandum fullonis fuſte percuſſus,interijt. Hunc Hieronymus negat fuiſſe de numero apoſtolorũ duodecim.Et tamẽ quanta fuerit huius autoritas uel illud declarat, quod quum in cõcilio tractaretur de gentibus nõ onerandis lege Moſaica, poſt Petrum cum autoritate pronunciat ſententiam ἐγὼ κρίνω, inquiens. Hic idem poſt Paulo fuit autor, ut adiungeret ſibi quatuor,qui uoto ſe adſtrinxerant:cumq; his ritu Iudaico purificaretur in templo,cuius cõſilio Paulus obtẽperauit.Quin etiã urbem ingreſſus hunc primum ſalutauit,tanquam illic primas tenentem. Et in epiſtola ad Galatas hunc ceu præcipuũ nominat.Aliorũ,inquit,apoſtolorum uidi neminẽ,niſi Iacobum fratrem domini.Cæterum Petrum Antiochiæ fuiſſe declarat in eadem epiſtola narrans, quemadmodũ illum reprehenderit ob ſimulationem. Iam Dionyſius apud Euſebiũ Corinthiorũ epiſcopus, ſcriptor peruetuſtus,literis prodidit,Petrũ & Paulũ Romæ iuſſu Neronis eodem die martyrij palmam promeruiſſe.Cæterũ Petrum inter præcipuos etiam primatem fuiſſe declarat, quod apud Euangeliſtas omnes,atq; etiam in Actis,in catalogo duodecim ſemper primo loco recẽſetur. Deinde quod initio ferè primus fuit ad dicendũ. Nam & ante miſſum ſpiritum ſanctũ,congregatis in cœnaculo diſcipulis,proponit de ſubrogando quopiam in locũ Iudæ.Rurſus ubi tumultus eſſet in populo ob linguarũ miraculum,Petrus ſolus auſpicatur cõcionem Euangelicã. Primus omnium miraculũ ædit in nomine Ieſu,pro templi foribus ſanato claudo.Ac mox hac de cauſa concurſu facto in porticu Solomonis, Petrus concionatur apud populũ. Vbi uidetur & Ioannes Petri comes aliquid dixiſſe, quod nõ refertur.Sic enim ait Lucas:loquẽtibus autem illis ad populũ, niſi placet accipere utrũq; dixiſſe, quod Petrus utriuſq; nomine dixit:Similis enim locus mox ſequitur in eodẽ cap.iij.Petrus uerò & Ioãnes reſpondentes dixerũt ad eos.Rurſus cap.iiij. Reſpondens autẽ Petrus & apoſtoli dixerũt, quod Petrus omniũ uoce loqueretur. Rurſum quũ ageret de creandis diaconis, Petrus uerba facit ſolus. Solus pronũciauit ſentẽtiã in Ananiã.Quin & illud arguit Petri dignitatẽ inter apoſtolos,quod primus ductus eſt in carcerẽ,ac uirgis cæſus: quãquàm ex narratione Lucæ uidentur omnes apoſtoli,ſimul cũ Petro,iam iterũ conijcto in carcerẽ,uirgis cæſi.Nũc de Paulo dicamus,qui ueluti ſtrenuus dux per omnes

terras

terras mariaq; uolitauit, ut omnes gentes redigeret ſub iugum Chriſti. Primũ Hieroſolymis profectus eſt Damaſcum. Ea eſt ciuitas cœles Syriæ, ſiue Syrophœnices, quæ quõdam Arabiæ deputabatur, ut autor eſt Tertullianus aduerſus Marcionem lib. iij. totius Syriæ caput, inter Libanũ & Antilibanum ſita. Hic baptizatus eſt Paulus, & Euangelij prædicationem auſpicatus. Verum hinc clàm profugiens utrũ abierit in Arabiam, & inde reuerſus ſit Damaſcum, ac poſt annos tres demũ redierit Hieroſolymam, ut uideret Petrum, quemadmodum ipſe refert in epiſtola ad Galatas, an ſtatim ſe receperit Hieroſolymam, non ſatis liquet ex actis. Imò ne hoc quidem, utrum in prima prædicatione periclitatus ſit ob inſidias præfecti an ſecunda. Ex narratione Lucæ uidetur ſtatim ut fugiſſet Damaſco ſe recepiſſe Hieroſolymam, quoniam qui paulo ante profectus fuerat hoſtili animo in diſcipulos, noluerunt in conſortium ſuum recipere. Quod ſi tot annis prædicaſſet, fieri uix potuiſſet, quin rumore cognouiſſent eum fuiſſe mutatum. Rurſus Hieroſolymis profugus deductus eſt Cæſareã Philippi, quàm Ptolemæus Paneæ uocat, Euſebius Paneadẽ: ea eſt Phœnices ad radicem Libani montis, ubi ſunt fontes Iordanis. A Cæſarea dimiſſus eſt Tarſum. Ea metropolis eſt Ciliciæ Pauli patria, quam interfluit amnis Cydnus. A Tarſo per Barnabam reductus eſt Antiochiam Phœnices metropolim, unde & regioni nomen, quæ proxima eſt Ciliciæ. Ea eſt ſupra fluuium Orontem. Hinc profectus eſt denuo Hieroſolymam, ut exhiberet collectam pecuniam in ſubſidium pauperum. Quo facto reuerſus eſt Antiochiam, unde uenerat. Hic donatus apoſtolico nomine, profectus eſt Seleuciã. Ea eſt in promontorio Antiochiæ Syriæ, obuia uolenti ab Antiochiæ ciuitate proficiſci in Cyprum. E Seleucia ſoluit in Cyprum inſulam oppoſitam Ciliciæ, quæ eſt Aſiæ minoris. Appulit autem Salaminem, quæ ciuitas Cypri prima occurrit ad orientẽ, & peruenit Paphum, quæ eſt extrema ad occidentem, ut intelligamus totam eam inſulam peragratam. Vbi quidam putant illi pro Saulo, commutatum Pauli nomẽ à Sergio Paulo eius inſulæ proconſule: cum magis conueniat, ut parentes ac patroni liberis ac libertis ſua impartiant nomina, quàm ut ab illis mutuentur. A Papho ſoluens appulit Pergen. Ea ciuitas eſt Pamphyliæ. Hinc Antiochiam Piſidiæ. Hinc Iconium, mox Lyſtra, quæ eſt ciuitas Lycaoniæ. Hic autem tum lapidatus eſt Paulus. A Lyſtris profectus eſt Derben, quæ & ipſa Lycaoniæ eſt. Hinc remẽſus iter quo uenerat, reuerſus eſt Lyſtra, Iconium & Antiochiam Piſidiæ, quo quod cœptum erat confirmaret. Atq; item peragrata reliqua Piſidia, redierunt in Pamphyliam, uſque ad Pergen, ad quam primum appulerant è Cypro. Hinc Attaliam. Ea ciuitas eſt maritima Pamphyliæ, ex qua tribæ fecerant Italiam. Attalia ſoluentes, nauigarunt Antiochiam Syriæ, unde primum hoc iter fuerat auſpicatus. Hinc rurſus Hieroſolymam ſum eſt, ut cæteris apoſtolis probaret, quæ geſſerat in Aſia minore, ſed interim prædicans Euangelium in Phœnice & Samaria, per quas erat iter. Eo peracto reuerſus eſt Antiochiam, unde uenerat. Hic ſeiunctus à Barnaba, peragrauit Syriam, ac mox Ciliciam. Inde iterum reuiſit Derben, ac Lyſtra, ubi circumcidit Timotheum. A Lyſtris fecit iter per Phrygiam & Galatiam. Hinc uentum eſt in Myſiam, mox Troadem. Atque hic nonnullus ſcrupulus occurrit. Etenim ſi ſentit de Phrygia, in qua eſt Troas, à Lycaonia

prior occurrit Galatia,quàm Phrygia. Et tamen Lucas cap.xvi.ſic refert: Tranſeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem uetiti ſunt à ſpiritu ſancto loqui uerbum in Aſia. Nec incertum uideri poteſt an Aſia hic accipiatur pro illa minoris Aſiæ parte,quæ ſimpliciter Aſia dicitur: an de tota Aſia minore,in qua iam multis locis prædicauerat. Siquidem Galatia ſita ad ſeptentrionem, hoc eſt ad Pontum Euxinum, ad orientem habet Cappadociã, ad occidentem Bithyniam, ad auſtrum Piſidiam & Lycaoniã. Porrò Myſia maior proxima eſt Aſiæ,ſic proprie dictæ. Myſia minor eſt ſupra Phrygiam. Poteſt igitur ſic explicari ſcrupulus,ut in his duobus uocabulis Phrygiam & Galatiam ſit ordo præpoſterus, quem ordinem rectum comperies in eiuſdem itineris deſcriptione cap.decimooctauo,& intelligamus illũ è Lycaonia rectà peruenisſe in Galatiam,hinc in Phrygiam,ex Phrygia uoluiſſe per Myſiam petere Bithyniam,ni uetuiſſet ſpiritus. Adhæret autem hæc Aſiæ pars Phrygiæ ad orientem & auſtrum. Itaq; Paulum uetitum huc ire,flexiſſe iter ad Myſiam, ni fallor, per quam iter eſt in Bithyniam,quæ quondã Bebrycia dicta eſt & Mygdonia: proxime habens ad ſeptentrionem & exortum eam Aſiæ partem, quæ proprie Pontus dicitur. Rurſus quũ huc ire uetaret ſpiritus,reflexiſſe iter ad occidentem,ac peragrata Myſia minore rediſſe per mediam Phrygiam uſque ad Troadem, quæ eſt in littore Phrygiæ,eadem & Antigonia dicta,oppoſita Cherſoneſo,unde proximus traiectus eſt in Europam ex Aſia minore. A Troade ſoluerunt, ac recto curſu peruenerunt in inſulam Samothracen,oppoſitam Thraciæ,quam habet ad ſeptentrionem. Hinc Neapolim. Ea ciuitas eſt in littore,in cõfinio Macedoniæ ac Thraciæ. hinc Philippos,quam Lucas admonet eſſe ciuitatem Coloniam in prima parte Macedoniæ. Ad hos ſcribit unam epiſtolam Paulus. Hic uirgis cæſus eſt, & in carcerem cõiectus cum Sila. Poſt hæc per Amphipolim,quæ non longe abeſt à Strymone flumine: & Apolloniã,quæ Theſſalonicæ proxima eſt,uenere Theſſalonicã. Ea ciuitas metropolis eſt Macedoniæ. Et ad hos Paulus ſcribit epiſtolã. Et hic orto tumultu dàm dimiſſus eſt Berrhœam,quam à Theſſalonica dirimit Pella,patria Alexandri Magni Hic reperit dociles auditores. Porrò Berrhœa,non ita procul abeſt à mari. Itaque tumultu concitato deductus eſt ad mare,inde Athenas peruentum nauigio,ni fallor, propterea quod Lucas meminit illum dimiſſum,ut iret ad mare. Eſt & alia coniectura,quod quum iter à Berrhœa ſit longum uſq; ad Atticam,nulla fit mentio regionũ aut ciuitatum, quæ pedibus iter facientibus occurriſſent. Hic conuertit Dionyſium: qui an iudex fuerit an philoſophus nõ ſatis liquet,quũ Lucas tantũ illũ uocet Areopagitam. Opinor aũt omnes Areopagitas dictos,qui partem eam urbis Athenarũ inhabitabãt. Demiror aũt quur Beda faciat hunc Corinthiorũ epiſcopũ: quũ apud Euſebiũ Dionyſius quidam Corinthiorũ epiſcopus, doceat Dionyſiũ Areopagitã Athenis epiſcopũ ab ipſo Paulo ordinatũ. Quin probabilius eſt Dionyſium Areopagitam nihil omnino ſcriptorũ reliquiſſe,quũ apud Euſebium tam diligenter recenſeantur libri Dionyſij Corinthiorũ epiſcopi, de Areopagitæ monumentis nulla uſquam fiat mentio. Ab Attica uenit Corinthũ. Ea eſt metropolis Achaiæ. Hinc conſtituerat nauigare in Syriam,& ſuſcepto uoto in Cenchreis,is eſt portus Corinthiacus ad Atticã ſpectans,totondit ſibi caput. Hinc igitur ſoluens peruenit Epheſum. Ea eſt

in littore

in littore Asiæ minoris, in parte quæ dicitur Ionia. Hic tum temporis reliquit Priscillam & Aquilam. Ab Epheso soluens uenit Cæsaream, deinde Antiochiam. Beda, non dubito quin ueterem quempiam sequutus, uult hanc Cæsaream esse Cappadociæ non Syriæ: & Græci uolunt hanc Antiochiam esse Pisidiæ, cuius supra bis meminit. Quanquàm Epheso profectis prior occurrit Pisidia, quàm Cappadocia. Cæterũ Græci codices hoc loco plus habẽt quàm nostri. Nimirum hunc in modum: Rogãtibus autem eis, ut ampliori tempore maneret apud se, non annuit, sed uale dixit illis, dicens: Oportet me omnino festũ, quod instat, agere Hierosolymis. Quibus probatur hæc lectio, malunt Paulũ ab Ephesio littore rectà nauigasse Cæsareã Palæstinæ, inde petijsse Hierosolymã, & salutasse fratres, post hæc redijsse Antiochiã Syriæ, atq; hinc rursus repetisse Asiam minorem. Facit ad hanc opinionẽ, quod ita legitur: Descendens Cæsareã, ascendit & salutauit ecclesiam. Ostendit quò descenderit, non indicat quò ascenderit. Atqui in Euãgelicis literis, qui petunt Hierosolymas ascendere dicuntur, unde coniectant illum è Cæsarea Palæstinæ ascẽdisse Hierosolymã, ubi dixerat agendum festũ diem, atq; hinc rursus descenderit petens Antiochiã. Hanc opinionem, ut probabilem, nos in hac paraphrasi sumus sequuti, cessuri facile, si quis adduxerit probabiliorem. Legitur & Antiochiæ cõmoratus aliquãdiu. At in Antiochia Syriæ solitus est libenter commorari Paulus. Hinc igitur repetita Asia, peragratis in medio regionibus, in quibus ante docuerat, uenit in Galatiam, hinc rursus in Phrygiam, ubiq; confirmans discipulos, Inde, quũ iam Apollos profectus esset Corinthum, ipse profectus est Ephesum, terrestri ne itinere, an nauigatione parum liquet, nisi quod probabilius est illũ terra fecisse iter, eo quod Lucas adijcit, peragratis superioribus partibus. Hic Paulus proposuerat repetere Hierosolymam, sed prius peragrata Macedonia & Achaia, per spiritum intelligẽs sibi Romam esse eundum post aditam Hierosolymã. Itaq; præmisit Timotheũ & Erastum in Macedoniam, ipse commoratus aliquãdiu in Asia minore. Post tumultũ per Demetrium excitatũ sequutus est eos, quos præmiserat. Peragratis autẽ superioribus partibus, deuenit in eam partem, quæ propriè dicitur Græcia, in qua est Attica & Achaia. Hic Lucas nõ nominat Athenas aut Corinthum, sed ex re conijcitur, quod quemadmodum fecerat, ex Attica uenerit in Achaiam, in qua est Corinthus: ac rursus è Cenchreis parauerit soluere in Syriam: sed quoniam senserat illic paratas insidias nauigaturo, uertit consilium, ac remensus iter quà uenerat, repetijt Macedoniã, terrestri ut apparet itinere, quoniam nauigaturo parabantur insidiæ. Quum uersaretur itaque in Macedonia, comitum partem, quos tum multos habebat ex Macedonia, præmisit Troadem, quæ est in Phrygia. Paulus sequutus, diem Paschæ egisse uidetur Philippis, quod Lucas ita scribat: Nauigauimus post diem Azymorum à Philippis. A Philippis itaque soluit Troadem, quò præcesserant comites, ut diximus. Hic adulescentem ex ruina mortuum restituit. A Troade peruenit Asson itinere pedestri, quò iussu Pauli comites nauigio præcesserant. Est autem Assos ciuitas littoralis, non longe infrà Troadem, eadem dicta Apollonia. Asso soluentes appulerunt Mitylenen. Ea est ciuitas Lesbi insulæ, obuia ab Asso nauigantibus Chium. A Mitylene legentes littora Asiæ, eò peruenerunt, ut Chium insulam haberent ad dextram.

Chius au

Chius autem oppoſita eſt Clazomenæ in littore Aſiæ, media inter Lesbum & Samum,quò,nempe Samum poſt adnauigarunt. Samus autem oppoſita eſt Trogyllio promontorio Aſiæ. A Samo ſoluentes appulerunt Trogyllium,ut eſt in Græcis codicibus:quanquàm Græcus qui ſcripſit peregrinationē Pauli, non meminit Trogyllij. A Trogyllio itum eſt Miletum. Ea eſt ciuitas Cariæ littoralis.A Chio cōmo de poterant appellere Epheſum, ſed data opera præternauigatū eſt, ne diutius hæreret in Aſia. Cum enim Philippis egiſſent diem paſchæ, decreuerant Pentecoſten agere Hieroſolymis. Itaque poſteaquàm euocatis Epheſo Miletū ſenioribus,mandaſſet quæ uolebat,illinc ſoluentes,recto curſu peruenerunt Coum. Ea eſt inſula inter Samum & Gnidum,ciuitatem in promontorio Aſiæ.A Coo uentū eſt,ad Rhodum. Ea eſt inſula oppoſita Lyciæ. Iam autem nauigantes incipiunt Aſiam habere ad ſeptentrionem, quum prius habuerint ad orientem. A Rhodo uenerunt Patara. Ea ciuitas eſt litoralis Lyciæ prouinciæ. Hic nacti nauim: quæ rectà peteret Phœnicen Syriæ, recto curſu cœperunt eò tendere. Nam relicta ad læuam Cypro inſula,appulerunt Tyrum. Ea eſt in littore Phœnices infra Sidonem. A Tyro uentum eſt Ptolemaidem.Et hæc eſt littoralis inter Tyrum & montē Carmelum. Hinc appulerunt Cæſareā Palæſtinæ, ubi diuerſatus eſt apud Philippum. Hinc iam pedeſtri itinere peruenit Hieroſolymam, unde iuſſu tribuni Lyſiæ, uinctus deductus eſt Antipatridem, quæ media occurrit inter Hieroſolymam & Cæſaream.Hinc per equites ductus eſt Cæſaream Palæſtinæ,unde iuſſu Feſti præſidis, qui Felici ſucceſſerat, uinctus deductus eſt Romam, hoc quidem itinere: Primum impoſitus naui, à Cæſarea peruenit Sidonem, quæ, ut diximus, eſt ſuprà Tyrum. Hinc appulerunt Cyprum, ſic ut illam ad læuā relinquerent diſpendioſo curſu,ſed huc adigebant uenti contrarij. Ita præterlegentes littora Ciliciæ & Pamphyliæ, peruenerāt Myra,quā ſcribæ uerterant in Lyſtram. Ea eſt in Lycia,non procul a littore.Hinc ægre longaq; nauigatione eò progreſſi ſunt, ut Gnidum promontorium haberent ad dextram. Sed reflante uento curſum flexerunt ad Cretam, quæ illis tum erat ad læuam. Venerunt autem ad portum, cui nomen Salmon. Opinor autem Lucam uſum uoce, qua tum forte uulgus utebatur. Nam arbitror hanc eſſe, quàm Plinius & Strabo uocant Sammonium.Hoc Cretæ promontorium ſpectat oriētem. Hinc ob uentos aduerſos ægre præterlegebant littora Cretæ, ſic ut inſulā haberent ad dextrā,donec uentū eſſet ad locū Cretæ,Laſææ ciuitati uicinū, qui dicitur Boni ſeu pulchri portus, quod nomen apud ueteres geographos non inuenitur.Apparet eius temporis fuiſſe uocabulum. Cæterū fuiſſe ad latus auſtrale Cretæ,declarat, quod hinc conabantur tendere ad Phœnicem,id eſt promontoriū Cretæ,ſpectans ad Africum & Chorum.Africus autem flat ab occaſu brumali,Chorus ab occaſu ſolſtitiali.Illic quoniā uidebatur portus commodus, decreuerant hybernare. Interea cum aſpiraſſet Auſter uentus ſat commodus,qui flat à medio meridie, ſoluētes ab Aſo (ea ciuitas eſt in littore Cretæ) præterlegebant oram Cretæ,ut appellerēt Phœnicen modo dictā. Sed ſubito in diuerſum mutato uēto, quum pro auſtro flare cœpiſſet Typhonicus, uehemens ac nautis formidabilis,idem dictus Euroaquilo,qui ſpirat inter ſeptētrionem & ortum,ui tempeſtatis delati ſunt in inſulam,quæ uocatur Claude, quæ Cretam ſpectat

tam ſpectat inter occidentem & Auſtrum, quam in partẽ maxime poterat impellere Euroaquilo, ex aduerſa cœli plaga ſpirans. Vnde grauius etiam metuebãt periculum, ne in ſyrtes impellerentur. Tandem deſperatis rebus, impegerunt nauim in inſulam, quæ dicebatur Melite. Ea eſt inter Epirum & Italiam, ſpectans Siciliam ad ſeptẽtrionem. Hic uiperam excuſſit abſque noxa. Illic aliam nauim nacti, nam altera perierat, appulerunt Syracuſas, quæ eſt in Sicilia, non procul à promontorio Pachyno. Huius littora præterlegentes deuenerunt Rhegium, id eſt oppidum in extremo agro Brutiorum, qua parte Italia proxima eſt Siciliæ. A Rhegio recto curſu delati ſunt Puteolos, id eſt promontorium in Campania, non procul à Neapoli. Hinc terreſtri itinere peruentum eſt uſq; ad forum Appij, ad locum, qui dicitur Tres Tabernæ, atq; hic occurſum eſt Paulo à diſcipulis è Roma. Abeſt autem Appij forum ab urbe iter diei. Hinc demum Romam peruentũ eſt. Conſtat igitur ex Actis illum peragraſſe totam minorem Aſiam, deinde tranſiſſe in Europam, ac totam Græciam peragraſſe, à parte ſeptentrionali, in qua eſt Macedonia, uſq; ad Illyridem. Nam Illyris extrema pars eſt Macedoniæ, ad ſeptentrionem & occidentem. Id ipſe refert in epiſtola ad Romanos cap. xv. ita ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleuerim Euangelium. Cæterum nuſquàm legimus illum prædicaſſe in Creta, ad quam appulit tempeſtate coactus & uinctus. Nec illic moram egiſſe legitur, quum ipſe cenſeret illic hybernandum eſſe, & tamen in Creta reliquit Titum, ut ſingulis ciuitatibus ordinaret preſbyteros, ac quod illic ſupereſſet corrigendum, corrigeret: quemadmodũ ipſe teſtatur in epiſtola, quibus ex uerbis apparet illum & in Creta prædicaſſe. Nec in Arabia quid à Paulo geſtum ſit, refert Lucas. Atque hactenus de locis peragratis. Nunc de temporum quoq; ratione paucis attingamus. Summa rerum quas actorum liber complectitur, ſub quatuor imperatoribus Romanis geſta eſt: Tiberio, qui ſucceſſit Octauio, Caio Caligula, Claudio Druſo, Claudio Nerone. Quorũ Tiberius rerum potitus eſt annos uigintitres, Caligula. iiij. exceptis duobus menſibus. Claudius tredecim, ac menſibus fermè decem. Nero quatuordecim ac menſibus propemodum octo. Quicquid igitur geſtum eſt à morte Chriſti, uſque ad Paulum Romam perductum, continet Tiberij annos ſex, Caligulæ quatuor, Claudij quatuordecim. In huius imperij initio Petrus Romã peruenisſe creditur, & eiuſdem anno quarto orta fames, cuius meminit Lucas. Rurſus eiuſdem anno nono, quemadmodum autor eſt Ioſephus & Euſebius, Roma expulſi ſunt iudæi, cuius rei meminit Lucas cap. decimo oct. Neronis autem annos quatuor. Interim præſides Iudææ fuerũt Pontius Pilatus, qui perijt anno Caligulæ tertio. Huic ſucceſſit Felix, apud quem Paulus cauſam dixit, quem Claudius imperij ſui anno undecimo, totius prouinciæ dederat procuratorẽ, Samariæ quoque & Galilææ, atque etiam regionis, quæ dicitur ultrà Iordanem. Et hoc nomine ſe felicem prædicat Paulus, quod cauſam dicturus eſſet apud eum, cui diu uerſato in ea prouincia, notæ eſſent res Iudaicæ. Huic ſucceſſorem dedit Nero Portium Feſtum. Apud quem quum præſente Agrippa cauſam dixiſſet Paulus, quoniam appellarat Cæſarem, uinctus Romam miſſus eſt, anno Neronis tertio aut ſecundo. Porrò Iudæorum principes hi fuere. Herodes rex Philippus & Lyſanias, præfuerunt annis ſex. Herodes rex qui Cæſareæ percuſſus ab angelo perijt, præfuit annos ſeptem.

Agrippa

Agrippa huius filius, ex cuius consilio Paulus Romam missus est, annos duodecim, quod ad actorum historiam pertinet. Quanquã pater quoq; cognomento dictus est Agrippa, sed filius simpliciter Agrippa uocatur in Actis. Dominus itaque Iesus occisus est, reuixit & ascendit in cœlum, misitq; spiritũ sanctum anno Tiberij decimooctauo. Ac proximo anno, aut ut quidam uolunt eodem, mox ut inter diaconos ordinatus est, lapidatus est Stephanus, Paulo assentiente, ac seruante uestes lapidantium testium. Qui paulo post deijcitur & cõuertitur apud Damascum, anno Tiberij decimo nono. Peragrauit autem uarias regiones ubiq; disseminans Euangelium, usq; ad annum Claudij decimumtertiũ. Nam hoc anno Paulus Hierosolymis coniectus est in uincula per Lysiam tribunũ, à quo Cæsaream uinctus est missus, ut apud Felicem audiretur, ubi detentus est in uinculis annos duos, atque à Felici ut erat uinctus, traditus est Portio Festo, à quo Romam missus est, ubi totum biennium egit in uinculis, hoc est, usque ad annum Neronis quintum. Nec ultra Lucas prosequitur historiam. Cætera scriptores non indiligentes ex uarijs coniecturis uidentur addidisse, uidelicet Paulum primum apud Neronem dicta causa fuisse absolutum, ac libere ubi uellet Euangelium prædicasse annos decem. Tandem ubi Neronis sæuitia iam processisset in rabiem reuocatus est ad eius tribunal, & capite truncatus. Huius rei coniecturã sumunt ex epistola Pauli ad Timotheum secunda. In qua meminit primæ defensionis suæ, in qua desertus sit ab omnibus, & tamen dei præsidio liberatus. Atque hinc rediisse ad prædicationem colligunt ex eo, quod mox subijcit: Dominus autem mihi adstitit & cõfortauit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. Porrò eum in secunda defensione fuisse periclitatum, arguit quod inibi scribit: Ego enim iam deliabor, & tempus meæ resolutionis instat &c. Itaq; martyrio coronatum credunt anno Neronis decimotertio, anno à Christi morte trigesimosexto, aut iuxta Chronicorum elenchon trigesimooctauo. Porrò quod Lucas reliquerit Paulum in prima defensione hinc colligunt, quod hic finierit eorum, quæ uiderat narrationem. Rursus quod adfuerit in secunda defensione, testatur Paulus in eadem epistola, dicens: Lucas est mecum solus. Ex his colligere licet Paulum in euangelico negocio uersatum fuisse annos uiginti unũ, præter duos illos, quos Cæsareæ tenebat in uinculis: Rursum alios duos, quos Romæ peregit in uinculis habitans in conducto, quibus ut historiæ memorant accesserunt decem. Ita comperies à baptismo Pauli, usque ad mortem eiusdem annos trigintaquinq;, aut ut quidã supputant trigintaseptem. Hæc quoniã uidebantur non nihil lucis allatura lectioni, libuit in frontispicio huius operis præfigere. Quanq; non ignoro uix annorum rationem ad unguem tradi posse, quum in his nõ solum diuersi scriptores inter se dissentiant, uerumetiã ijdem à seipsis discrepent, ut Beda in cõmentarijs cap. decimooctauo scribit ex autoritate Iosephi, Iudæos Roma expulsos anno Claudij nono. In annotatione temporũ, quam præposuit operi, dicit id factum anno octauo. Sic & apud Eusebium nõnunquam alium annum reperies in historia, alium in Chronicis, ubi in ambiguo relinquitur, utrum Tiberius imperauerit annos xxi. an xxiij. Bene uale lector, & ad acta perlegenda bonis auibus accingere.

ΟΝ μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων ὦ θεόφιλε, ὧν ἤρξατο ὁ Ιησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, ἄχρι ἧς ἡμέρας, ἐντειλάμενος τοῖς ἀποστόλοις, διὰ πνεύματος ἁγίου, οὓς ἐξελέξατο, ἀνελήφθη, οἷς καὶ παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα, μετὰ τὸ παθεῖν αὐτὸν, ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενος αὐτοῖς, καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, καὶ συναλιζόμενος παρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπὸ Ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός, ἣν ἠκούσατέ μου, ὅτι Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας. Οἱ μὲν οὖν συνελθόντες ἐπηρώτων αὐτὸν, λέγοντες. Κύριε, εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ; εἶπε δὲ πρὸς αὐτούς. Οὐχ ὑμῶν ἐστὶ γνῶναι χρόνους ἢ καιρούς, οὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, ἀλλὰ λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἰερουσαλὴμ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ Σαμαρείᾳ, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς, καὶ ταῦτα εἰπὼν, βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν πορευομένου αὐτοῦ. καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο παρεστήκεισαν αὐτοῖς ἐν ἐσθῆτι λευκῇ, οἳ καὶ εἶπον. ἄνδρες Γαλιλαῖοι, τί ἑστήκατε ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανόν; οὗτος ὁ Ἰησοῦς, ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανόν, οὕτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. Τότε ὑπέστρεψαν εἰς Ἰερουσαλὴμ ἀπὸ ὄρους τοῦ καλουμένου ἐλαιῶνος, ὅ ἐστιν ἐγγὺς Ἰερουσαλὴμ σαββάτου ἔχον ὁδόν. καὶ ὅτε εἰσῆλθον ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον οὗ ἦσαν

SVPERIOrem quidem uolumine dixímus Theophile, de omnibus quæ cœpit Iesus tum facere, tum docere, ad eum usque diem, quo postquã impartitus in hoc ipsum spiritũ sanctũ, mandata dedisset, quos delegerat, Apostolis, sursum assumptus est, quibus etiã seipsũ exhibuerat uiuentem, posteaq; supplicio fuisset affectus, idq; cõpluribus argumẽtis dum per dies quadraginta cõspicitur ab illis, ac loquitur eis de regno dei, & cõgregans illos in idẽ loci, pcepit eis ne discederẽt Hierosolymis, sed ut expectarent promissum patris, de quo (inquit) audistis ex me: qm̃ Ioannes baptizauit quidẽ aqua, uos autẽ baptizabimini spũ sancto post dies hosce nõ multos. Illi igitur ubi cõuenissent, percontabant illũ, dicentes: Dñe, num in tẽpore hoc restituis regnũ Israëli? Dixit autẽ ad illos: Nõ est uestrũ nosse tẽpora & articulos temporũ, quos pater in sua ipsius cõstituit potestate: sed accipietis uirtutẽ, posteaq; spiritꝰ sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes nõ solũ Hierosolymis uerũ etiã in uniuersa Iudæa Samariaq;, denicq; usq; ad extrema terræ. Atq; hæc locutus, uidentibus illis sdẽ, in altũ sublatus est: & nubes subduxit illũ ab oculis eorũ. Cũq; essent defixis in cœlũ oculis, eũte illo, ecce uiri duo astiterũt illis amicti uestibꝰ albis. qui & dixerũt Viri Galilæi, qd statis intuẽtes in cœlũ? hic Iesus qui assumptꝰ est à uobis in cœlũ, sic ueniet, quemadmodũ uidistis eum euntem in cœlũ Tunc reuersi sunt Hierosolymã à mõte, qui uocat oliueti, qui abest ab hierosolymis iter sabbati. & cũ introissent, ascenderũt in cœnaculum ubi

PRIMUM quidẽ sermonẽ feci de omnibus o Theophile, quæ cœpit Iesus facere et docere usque in diẽ qua præcipiens Apostolis per spiritũ sanctũ quos elegit assumptus est. Quibus & præbuit seipsum uiuum post passionẽ suam in multis argumẽtis, per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno dei. Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent: sed expectarẽt promissionem patris, quam audistis (inquit) per os meum: quia Iohannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto nõ post multos hos dies. Igitur qui conuenerant interrogabant eum, dicentes: Domine si in tempore hoc restituis regnum Israel? Dixit autem eis: Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: sed accipietis uirtutem superuenientis spiritus sancti in uos: & eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudæa & Samaria: & usque ad ultimum terræ. Et cũ hæc dixisset, uidentibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorũ. Cumq; intuerentur in cœlum euntem illũ, ecce duo uiri astiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus qui assumptus est a uobis in cœlum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cœlũ. Tunc reuersi sunt Hierosolymam a monte qui uocatur oliueti, qui est iuxta Hierũsalem sabbati habens iter. Et cum introissent in cœnaculum ascenderunt ubi manebat

οὖ ἦσαν καταμένοντες, ὅ, τε Πέτρος καὶ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωάννης καὶ Ἀνδρέας, Φίλιππος καὶ Θωμᾶς, Βαρθολομαῖος καὶ Ματθαῖος, Ἰάκωβος Ἁλφαίου καὶ Σίμων ὁ ζηλωτὴς, καὶ Ἰούδας Ἰακώβου. οὗτοι πάντες ἦσαν προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει σὺν γυναιξὶ καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρὶ τοῦ Ἰησοῦ, καὶ σὺν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ. Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἀναστὰς Πέτρος ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν, εἶπεν, ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν. Ἄνδρες ἀδελφοί, ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφὴν ταύτην, ἣν προεῖπε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον διὰ στόματος Δαβὶδ, περὶ Ἰούδα τοῦ γενομένου ὁδηγοῦ τοῖς συλλαβοῦσι τὸν Ἰησοῦν, ὅτι κατηριθμημένος ἦν σὺν ἡμῖν, καὶ ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης. οὗτος μὲν οὖν ἐκτήσατο χωρίον ἐκ τοῦ μισθοῦ τῆς ἀδικίας, καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, καὶ γνωστὸν ἐγένετο πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν Ἰερουσαλήμ, ὥστε κληθῆναι τὸ χωρίον ἐκεῖνο τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν Ἀκελδαμά, τοῦτέστι χωρίον αἵματος. Γέγραπται γὰρ ἐν βίβλῳ ψαλμῶν. Γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτοῦ ἔρημος, καὶ μὴ ἔστω ὁ κατοικῶν ἐν αὐτῇ, καὶ τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος. δεῖ οὖν σῶν ἐλθόντων ἡμῖν ἀνδρῶν ἐν παντὶ χρόνῳ, ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ κύριος Ἰησοῦς, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου ἕως τῆς ἡμέρας, ἧς ἀνελήφθη ἀφ' ἡμῶν, μάρτυρα τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ γενέσθαι σὺν ἡμῖν ἕνα τούτων. καὶ ἔστησαν δύο, Ἰωσὴφ τὸν καλούμενον Βαρσαβᾶν, ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦστος, καὶ Ματθίαν. καὶ προσευξάμενοι, εἶπον. Σὺ κύριε καρδιογνῶστα πάντων, ἀνάδειξον ὃν ἐξελέξω ἐκ τούτων δύο, ἕνα λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, ἀφ' ἧς παρέβη Ἰούδας πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτοῖς, καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν καὶ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων.

Καὶ ἐν

lum ubi manſitabant & Petrus & Iacobus, & Iohānes & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi frater: Hi omnes perſeuerabāt unanimiter in deprecatione & obſecratione cum mulieribus & Maria matre Ieſu, cūq; fratribus illius. Et in diebus his exurgens Petrus in medio diſcipulorū, dixit (eratq; turba nominū ſimul ferè centum uiginti) Viri fratres, oportuit impleri ſcripturam hanc, quā prædixit ſpiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux iis qui comprehenderūt Ieſum: quia cooptatus erat in numerū noſtrū & ſortitus erat partem miniſterij huius. Et is quidem parauit agrū ex mercede iniquitatis, ſuſpenſuſque crepuit medi⁹, & effuſa ſunt omnia uiſcera eius. Et innotuit omnibus habitantibus Hieroſolymæ, ita ut appellaretur ager ille lingua illis uernacula Aceldama, hoc eſt, Ager ſanguinis. Scriptū eſt enim in libro pſalmorum: Fiat cōmoratio eius deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea. Et epiſcopatū eius accipiat alter. Oportet igitur ut ex his uiris, qui nobiſcum uerſati ſunt toto tempore, quo dominus Ieſus perpetuam uitæ conſuetudinem egit nobiſcum, exorſus à baptiſmo Iohānis ad eum uſq; diem, quo receptus eſt à nobis: unus quiſpiam conſtituatur, qui ſit unà nobiſcū teſtis reſurrectionis eius. Et ſtatuerūt duos, Ioſeph qui uocatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Mathiam. Et facta precatione, dixerunt: Tu domine, qui corda noſti omniū, oſtende utrū elegeris ex his duobus, ut accipiat ſortem miniſterij huius et apoſtolatus, unde præuaricatus excidit Iudas, ut abiret in locum ſuū. Et dederunt ſortes eorum, et cecidit ſors ſuper Mathiā, & cooptatus eſt ad numerum undecim apoſtolorum.

Et cum

Petrus & Iohannes & Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomeus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simō Zelotes & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerātes unanimiter in oratiōe cum mulieribus & Maria matre Ieſu & fratribus eius. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit: (Erat autem turba hominum ſimul fere centum uiginti) Viri fratres oportet impleri ſcripturam quam prædixit ſpiritus ſanctus per os Dauid, de Iuda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Ieſum: qui connūmeratus erat in nobis: & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius. Et hic quidem poſſedit agrū de mercede iniquitatis: & ſuſpenſus crepuit medius: & diffuſa ſunt oīa uiſcera eius. Et notum factum eſt omnibus habitantibus Hieruſalem: ita ut appellarēt ager ille lingua eorum Acheldemach: hoc eſt ager ſanguinis. Scriptum eſt enim in libro pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta: & non ſit qui inhabitet in ea: & epiſcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his uiris qui nobiſcum ſunt cōgregati in omni tēpore quo intrauit & exiuit inter nos dominus Ieſus, incipiens a baptiſmate Iohannis uſque in diem qua aſſumptus eſt a nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri unū ex iſtis. Et ſtatuerunt duos: Ioſeph qui uocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus, & Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum miniſterij huius & apoſtolatus: de quo præuaricatus eſt Iudas: ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis: & cecidit ſors ſuper Mathiam: & annumeratus eſt cum undecim apoſtolis.

Et cum

καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό, καὶ ἐγένετο ἄφνω ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦχος, ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον, οὗ ἦσαν καθήμενοι. καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός, ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν, καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες πνεύματος ἁγίου, καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου ἀποφθέγγεσθαι αὐτοῖς. ἦσαν δὲ ἐν Ἰερουσαλὴμ κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι ἄνδρες εὐλαβεῖς ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν. γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης, συνῆλθε τὸ πλῆθος, καὶ συνεχύθη, ὅτι ἤκουον εἷς ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλούντων αὐτῶν. ἐξίσταντο δὲ πάντες καὶ ἐθαύμαζον, λέγοντες πρὸς ἀλλήλους. οὐκ ἰδοὺ πάντες οὗτοί εἰσιν οἱ λαλοῦντες Γαλιλαῖοι; καὶ πῶς ἡμεῖς ἀκούομεν ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἡμῶν ἐν ᾗ ἐγεννήθημεν; Πάρθοι καὶ Μῆδοι καὶ Ἐλαμῖται, καὶ οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, Ἰουδαίαν τε καὶ Καππαδοκίαν, Πόντον καὶ τὴν Ἀσίαν, Φρυγίαν τε καὶ Παμφυλίαν, Αἴγυπτον, καὶ τὰ μέρη τῆς Λιβύης τῆς κατὰ Κυρήνην καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, Κρῆτες καὶ Ἄραβες, ἀκούομεν λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ. ἐξίσταντο δὲ πάντες, καὶ διηπόρουν, ἄλλος πρὸς ἄλλον λέγοντες. τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι; ἕτεροι δὲ χλευάζοντες, ἔλεγον, ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί. Σταθεὶς δὲ Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα, ἐπῆρε τὴν φωνὴν αὐτοῦ, καὶ ἀπεφθέγξατο αὐτοῖς, ἄνδρες Ἰουδαῖοι, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰερουσαλὴμ ἅπαντες, τοῦτο ὑμῖν γνωστὸν ἔστω, καὶ ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου. οὐ γὰρ ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, οὗτοι μεθύουσιν. ἔστι δὲ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας. ἀλλὰ τοῦτό ἐστι, τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου Ἰωήλ. Καὶ ἔσται ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις, λέγει ὁ θεός, ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, καὶ προφητεύσουσιν οἱ υἱοὶ ὑμῶν, καὶ αἱ θυγατέρες ὑμῶν, καὶ οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσεις

Et cum compleretur dies pentecostes, erant omnes unanimiter in eodem loco. Et factus est repente de cœlo sonitus, tanquã impetu ueniẽtis flatus uehementis, & repleuit totam domũ, ubi erant sedentes. Et uisæ sunt illis dissectæ linguæ uelut igneæ, sederuntq; super singulos eorum, ac repleti sunt omnes spiritu sancto cœperuntq; loqui alijs linguis, prout spiritus ille dabat eloqui illis. Erant autem Hierosolymis habitãtes Iudæi, uiri religiosi ex omni natione earum, quæ sub cœlo sunt. Is rumor cum increbruisset, conuenit multitudo & confusa est, quod audiret unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, ac mirabantur, dicentes inter sese: Nónne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audimus eos sua quisque lingua in qua nati sumus? Parthi & Medi & Elamitæ, & habitatores Mesopotamiæ, Iudææq; & Cappadociæ, Põti, & Asiæ, Phrygiæ, & Pamphyliæ, Aegypti, & partium Libyæ eius quæ est finitima Cyrenæ, & aduenæ Romani, Iudæiq; & Proselyti, Cretes & Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis magnifica dei. Stupebant autem omnes, ac mirabantur, inter se dicentes: Quid nam uult hoc esse? Alij autẽ irridentes, dicebant: Musto expleti sunt isti. Stans autẽ Petrus cum undecim, extulit uocem suam, ac locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hierosolymis uniuersi, hoc uobis notum sit, & auribus percipite uerba mea. Non enim sicut uos existimatis, hi ebrij sũt, cum sit hora diei tertia. Sed hoc est quod dictum est per prophetam Ioël: Et erit in nouissimis diebus, dicit deus, effundam de spiritu meo super omnem carnẽ. Et prophetabunt filij uestri, & filiæ uestræ, & iuuenes uestri uisiones

tertia die: qui uisus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Hierusalē: qui usq; nunc sunt testes eius ad plæbem: & nos uobis annūciamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniā hāc deus adimpleuit filijs uestris resuscitās Iesum: sicut & in psalmo secūdo scriptū est: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Quod aūt suscitauit eū a mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionē ita dixit: Quia dabo uobis sancta Dauid fidelia. Ideoq; & alibi dicit: non dabis sanctū tuum uidere corruptionē. Dauid enim in sua generatione cū administrasset uoluntati dei, dormiuit & appositus est ad patres suos: et uidit corruptionē. Quē uero deus suscitauit, nō uidit corruptionē. Notum igitur sit uobis uiri fratres: quia per hūc uobis remissio peccatorum annūciatur abomnibus quibus nō potuistis in lege Moysi iustificari. In hoc omnis qui credit iustificatur. Videte ergo ne superueniat uobis quod dictum est in prophetis: Videte cōtemptores & admiramini & dispergimini: quia opus operor ego in diebus uestris: opūs quod nō credetis si qs enarrauerit uobis. Exeuntibus aūt illis, rogabant ut sequēti sabbato loquerentur sibi uerba hæc. Cūq; dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Iudæorum & colētium deū aduenarum, Paulū & Barnabā: qui loquentes suadebāt eis ut permanerēt in gratia dei. Sequenti uero sabbato pene uniuersa ciuitas conuenit audire uerbum dei. Videntes autē turbas Iudæi, repleti sunt zelo: & cōtradicebāt his quæ a Paulo dicebātur blasphemātes. Tūc constāter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primū loqui uerbum dei: sed quoniam repellitis illud

αὐτὸμ, μὴ οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς, ἰδοὺ στρεφόμεθα εἰς τὰ ἔθνη. οὕτως γὰρ ἐντέταλται ἡμῖν ὁ κύριος. Τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν, τοῦ εἶναί σε εἰς σωτηρίαν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. ἀκούοντα δὲ τὰ ἔθνη, ἔχαιρε, καὶ ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ κυρίου, καὶ ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Διεφέρετο δὲ ὁ λόγος τοῦ κυρίου διὰ ὅλης τῆς χώρας. οἱ δὲ Ἰουδαῖοι παρώτρυναν τὰς σεβομένας γυναῖκας καὶ τὰς εὐσχήμονας, καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως. καὶ ἐπήγειραν διωγμὸν ἐπὶ τὸν Παῦλον καὶ τὸν Βαρνάβαν. καὶ ἐξέβαλον αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. οἱ δὲ ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν αὐτῶν ἐπ' αὐτοὺς, ἦλθον εἰς Ἰκόνιον. οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπληροῦντο χαρᾶς καὶ πνεύματος ἁγίου.

Ἐγένετο δὲ ἐν Ἰκονίῳ κατὰ τὸ αὐτὸ εἰσελθεῖν αὐτοὺς εἰς τὴν συναγωγὴν τῶν Ἰουδαίων, καὶ λαλῆσαι οὕτως, ὥστε πιστεῦσαι Ἰουδαίων καὶ Ἑλληνῶν πολὺ πλῆθος. οἱ δὲ ἀπειθοῦντες Ἰουδαῖοι, ἐπήγειραν καὶ ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν κατὰ τῶν ἀδελφῶν. ἱκανὸν μὲν οὖν χρόνον διέτριψαν παῤῥησιαζόμενοι ἐπὶ τῷ κυρίῳ, τῷ μαρτυροῦντι τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, διδόντι σημεῖα καὶ τέρατα γίνεσθαι διὰ τῶν χειρῶν αὐτῶν. ἐσχίσθη δὲ τὸ πλῆθος τῆς πόλεως, καὶ οἱ μὲν ἦσαν σὺν τοῖς Ἰουδαίοις, οἱ δὲ σὺν τοῖς ἀποστόλοις. ὡς δὲ ἐγένετο ὁρμὴ τῶν ἐθνῶν τε καὶ Ἰουδαίων σὺν τοῖς ἄρχουσιν αὐτῶν, ὑβρίσαι καὶ λιθοβολῆσαι αὐτούς, συνιδόντες κατέφυγον εἰς τὰς πόλεις τῆς Λυκαονίας Λύστραν καὶ Δέρβην, καὶ τὴν περίχωρον. κἀκεῖ ἦσαν εὐαγγελιζόμενοι. καί τις ἀνὴρ ἐν Λύστροις ἀδύνατος τοῖς ποσὶν ἐκάθητο, χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ ὑπάρχων, ὃς οὐδέποτε περιπεπατήκει. οὗτος ἤκουε τοῦ Παύλου λαλοῦντος. ὃς ἀτενίσας αὐτῷ καὶ ἰδὼν, ὅτι πίστιν ἔχει τοῦ σωθῆναι, εἶπε μεγάλῃ τῇ φωνῇ. Ἀνάστηθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου ὀρθός. καὶ ἥλατο καὶ περιεπάτει. οἱ δὲ ὄχλοι ἰδόντες ὃ ἐποίησε Παῦλος, ἐπῆραν

illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes. sic enim nobis præcepit dominus: Posui te in lucem gentiũ, ut sis salus usq; ad extremũ terræ. Audientes autem gentes, gauisæ sunt, & glorificabant sermonẽ domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad uitam æternã. Diuulgabatur autẽ sermo domini per uniuersam regionẽ. Iudæi uero extimulauerũt mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis. & excitauerũt persecutionẽ in Paulum ac Barnabã, & eiecerunt eos de finibus suis. At illi excusso puluere pedũ suorũ in eos, uenerunt Iconiũ. Porro discipuli replebãtur gaudio & spiritu sancto. Factum est autẽ Iconij ut simul introirent synagogã Iudæorum, & loquerẽtur sic, ut crederet Iudæorum simul & Græcorũ copiosa multitudo. Qui uero increduli erant Iudæi, concitauerũt & corruperunt animos gentiũ aduersus fratres. Multo igit tempore demorati sunt fortiter agentes præsidio domini, qui testimoniũ perhibebat sermõi gratiæ suæ, dabatq; ut signa & prodigia fierent per manus eorũ. Diuisa est autẽ multitudo ciuitatis: & quidã quidem stabant à Iudæis, quidã uero ab apostolis. Cum autẽ factus esset impetus gentium pariter ac Iudæorum unà cum principibus suis, ut uim adferrent ac lapidarent eos, re intellecta, confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ Lystram, & Derbẽ, & finitimam undiq; regionem, & ibi prædicabãt Euangelium. Et quidã uir Lystris debilis pedibus sedebat, claudus ab utero matris suæ, qui nunquã ambulauerat. Hic audiuit Paulũ loquentẽ. Qui intuitus eũ & uidens, quod fidẽ haberet fore, ut saluus fieret, dixit magna uoce: Surge in pedes tuos rectꝰ. Et exiliit, ambulabatq;. Turbæ uero cũ uidissent quod fecerat Paulus, sustulerunt

illũd & indignos nos iudicatis æternæ uitæ: ecce cõuertimur ad gẽtes. Sic enim præcepit nobis dñs: Posui te in lumen gẽtibus ut sis in salutẽ usq; ad extremũ terræ. Audiẽtes aũt gẽtes, gauisæ sunt & glorificabãt uerbũ dñi, & crediderũt quãt erãt præordinati ad uitã æternã. Disseminabaꝫ aũt uerbũ domini per uniuersam regionẽ. Iudæi aũt cõcitauerũt mulieres religiosas & honestas & primos ciuitatis & excitauerunt persecutionẽ in Paulũ & Barnabã: & eiecerũt eos de finibus suis. At illi excusso puluere pedũ in eos, uenerũt Iconiũ. Discipuli q̃q; replebanꝫ gaudio & spiritu sancto. Factum est aũt in Iconio ut simul introirẽt synagogã Iudæorũ & loquerenꝫ, ita ut crederet Iudæorũ & Græcorũ copiosa multitudo. Qui uero increduli fuerũt Iudæi, suscitauerũt & ad iracũdiã cõcitauerũt animas gẽtiũ aduersus fratres. Multo igitꝫ tẽpore demorati sunt fiducialiter agẽtes in dño, testimoniũ phibẽte uerbo gratiæ suæ, dãte signa & ꝓdigia fieri per manꝰ eorũ. Diuisa est aũt multitudo ciuitatis: & qdã qdẽ erãt cũ Iudæis: qdã uero cũ aplis. Cũ aũt factꝰ esset impetꝰ gẽtiliũ & Iudæorũ cũ principibus suis ut cõtumelijs afficerẽt & lapidarẽt eos: intelligẽtes cõfugerũt ad ciuitates Lycaoniæ, Lystrã & Derbẽ, & uniuersam in circũitu regionẽ: & ibi euãgelizãtes erãt, Et cõmota est oĩs multitudo in doctrina eorũ: Paulus aũt & Barnabas morabanꝫ Lystris. Et quidã uir Lystris infirmus pedibꝰ sedebat claudꝰ ex utero matris suæ qui nunq̃ ambulauerat. Hic audiuit Paulũ loquentẽ. Qui intuitus eũ: & uidens quia fidẽ haberet ut saluus fieret, dixit magna uoce: Surge sup pedes tuos rectus: & exiliuit & ambulabat. Turbæ autẽ cũ uidissent qdꝰ fecerat Paulus, leuauerũt

ἐπῆραν τὴν φωνὴν αὐτῶν λυκαονιστὶ λέγοντες. Οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς. ἐκάλουν τε τὸν μὲν Βαρνάβαν, δία, τὸν δὲ παῦλον, ἑρμῆν, ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου. Ὁ δὲ ἱερεὺς τοῦ διὸς, τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως αὐτῶν, ταύρους καὶ στέμματα ἐπὶ τοὺς πυλῶνας φέρων, σὺν τοῖς ὄχλοις ἤθελε θύειν. ἀκούσαντες δὲ οἱ ἀπόστολοι Βαρνάβας καὶ παῦλος, διαῤῥήξαντες τὰ ἱμάτια αὐτῶν, εἰσεπήδησαν εἰς τὸν ὄχλον, κράζοντες καὶ λέγοντες. ἄνδρες, τί ταῦτα ποιεῖτε, καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι, εὐαγγελιζόμενοι ὑμᾶς, ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν θεὸν τὸν ζῶντα, ὃς ἐποίησε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, ὃς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. καίτοι γε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν ἀγαθοποιῶν, οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδούς, καὶ καιροὺς καρποφόρους, ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν. Καὶ ταῦτα λέγοντες, μόλις κατέπαυσαν τοὺς ὄχλους τοῦ μὴ θύειν αὐτοῖς. Ἐπῆλθον δὲ ἀπὸ Ἀντιοχείας καὶ Ἰκονίου Ἰουδαῖοι, καὶ πείσαντες τοὺς ὄχλους, καὶ λιθάσαντες τὸν παῦλον, ἔσυρον ἔξω τῆς πόλεως, νομίσαντες αὐτὸν τεθνάναι. κυκλωσάντων δὲ αὐτὸν τῶν μαθητῶν, ἀναστὰς εἰσῆλθεν εἰς τὴν πόλιν. καὶ τῇ ἐπαύριον ἐξῆλθε σὺν τῷ Βαρνάβᾳ εἰς Δέρβην. εὐαγγελισάμενοί τε τὴν πόλιν ἐκείνην, καὶ μαθητεύσαντες ἱκανούς, ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Λύστραν καὶ Ἰκόνιον καὶ Ἀντιόχειαν, ἐπιστηρίζοντες τὰς ψυχὰς τῶν μαθητῶν παρακαλοῦντες ἐμμένειν τῇ πίστει, καὶ ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν, παρέθεντο αὐτοὺς τῷ κυρίῳ εἰς ὃν πεπιστεύκεισαν. καὶ διελθόντες τὴν Πισιδίαν, ἦλθον εἰς Παμφυλίαν. καὶ λαλήσαντες ἐν Πέργῃ τὸν λόγον, κατέβησαν εἰς Ἀτταλείαν. κἀκεῖθεν ἐπέπλευσαν εἰς Ἀντιόχειαν

sustulerunt uocem suam Lycaonice, dicentes: Dij in specie hominum descenderunt ad nos. Et uocabant Barnabam, Iouem: Paulū uero Mercuriū, quod is esset dux sermonis. Sacerdos autem Iouis, qui erat ante ciuitatem illorū, tauros & coronas ad uestibula afferens, cum turbis uolebat sacrificare. Quod ubi audierunt apostoli Barnabas & Paulus conscissis uestibus suis, insilierunt in turbam, clamantes ac dicentes: Viri, cur ista facitis? Nos quoq; ijsdem quibus uos, obnoxij malis sumꝰ homines, annūciantes, ut ab istis uanis conuertamini ad deum uiuū, qui fecit cœlum & terram & mare, et omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis ætatibus sinebat omes gentes ingredi uijs suis. Quanq; nō expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia cōferret, de cœlo nobis dans pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Et hæc dicentes, uix compescuerunt turbas ne sibi immolarent. Superuenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, qui cū persuasissent turbis, ac Paulum lapidassent, extraxerunt eum è ciuitate, existimantes illū mortuū esse. Circundantibus aūt eum discipulis, surrexit & intrauit ciuitatē. Ac postero die profectus est cū Barnaba Derben. Cūq; euangelizassent ciuitati illi, ac docuissent multos, reuersi sunt Lystrā & Iconiū & Antiochiā, denuo cōfirmantes animas discipulorū, exhortantesq; ut perseuerarent in fide, & quod per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnū dei. Et cū suffragijs creassent illis per singulas ecclesias presbyteros, precatiq; essent cum ieiunijs, cōmendauerūt eos domino in quē crediderant. Peragratiq; Pisidia uenerunt in Pamphyliā, & cum locuti essent sermonē Pergæ, descenderunt in urbem Attaliam, & inde soluerūt Antiochiam,

leuauerunt uocē suam Lycaonice, dicētes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et uocabant Barnabam Iouem: Paulū uero Mercuriū: quoniam ipse erat dux uerbi. Sacerdos quoq; Iouis qui erat ante ciuitatē: tauros & coronas ante ianuas afferens, cū populis uolebat sacrificare. Quod ubi audierunt apostoli Barnabas & Paulus cōscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamātes & dicentes: Viri quid hæc facitis? Et nos mortales sumus similes uobis homines: annunciantes uobis ab his uanis cōuerti ad deum uiuū, qui fecit cœlū & terram, mare et oīa quæ in eis sunt: qui in præteritis generatiōibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas. Et quidem nō sine testimonio semetipsum reliquit benefaciēs, de cœlo dans pluuias & tempora fructifera implēs cibo & lætitia corda eorū. Et hoc dicentes, uix sedauerunt turbas ne sibi imolarēt. Superuenerūt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi: & persuasis turbis lapidantesq; Paulum, traxerūt extra ciuitatē, æstimātes eum mortuum esse. Circūdantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem: & postera die profectus est cum Barnaba in Derben. Cumq; euangelizassent ciuitati illi & docuissent multos: reuersi sunt Lystram & Iconium & Antiochiā, confirmātes animas discipulorum, exhortantesq; ut permanerent in fide: & quoniā per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū dei. Et cū constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cū ieiuniationibus: cōmendauerūt eos domino in quē crediderunt. Trāseuntesq; Pisidiam, uenerūt in Pamphiliam: & loquentes uerbū domini in Pergē, descenderūt in Attaliam & inde nauigauerunt Antiochiā,

ἀνιόχλαν, ὅθεν ἦσαν παραδεδομένοι τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ εἰς τὸ ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν. παραγενόμενοι δὲ καὶ συναγαγόντες τὴν ἐκκλησίαν, ἀνήγγειλαν ὅσα ἐποίησεν ὁ θεὸς μετ' αὐτῶν. καὶ ὅτι ἤνοιξε τοῖς ἔθνεσι θύραν πίστεως. Διέτριβον δὲ ἐκεῖ χρόνον οὐκ ὀλίγον σὺν τοῖς μαθηταῖς.

Καί τινες κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας ἐδίδασκον τοὺς ἀδελφούς, ὅτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωσέως, οὐ δύνασθε σωθῆναι. γενομένης οὖν στάσεως καὶ συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτούς, ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν, καί τινας ἄλλους ἐξ αὐτῶν, πρὸς τοὺς ἀποστόλους καὶ πρεσβυτέρους εἰς Ἰερουσαλήμ, περὶ τοῦ ζητήματος τούτου. οἱ μὲν οὖν προπεμφθέντες ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, διήρχοντο τήν τε Φοινίκην καὶ Σαμάρειαν, ἐκδιηγούμενοι τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν. καὶ ἐποίουν χαρὰν μεγάλην πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς. παραγενόμενοι δὲ εἰς Ἰερουσαλήμ, ἀπεδέχθησαν ὑπό τε τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων, ἀνήγγειλάν τε ὅσα ὁ θεὸς ἐποίησε μετ' αὐτῶν. ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων τῶν πεπιστευκότων, λέγοντες, ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτούς, παραγγέλλειν τε τηρεῖν τόν τε νόμον Μωσέως. Συνήχθησαν δὲ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου. πολλῆς δὲ συζητήσεως γενομένης, ἀναστὰς Πέτρος εἶπε πρὸς αὐτούς. Ἄνδρες ἀδελφοί, ὑμεῖς ἐπίστασθε, ὅτι ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο, διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου, καὶ πιστεῦσαι. καὶ ὁ καρδιογνώστης θεὸς ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς, δοὺς αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καθὼς καὶ ἡμῖν, καὶ οὐδὲν διέκρινε μεταξὺ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν, τῇ πίστει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν. νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν θεόν, ἐπιθεῖναι ζυγὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον τῶν μαθητῶν, ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν, οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι; ἀλλὰ διὰ τῆς χάριτος τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι.

Antiochiam, unde erant fraditi gratiæ dei in opus quod compleuerunt. Cum autem uenissent & congregassent ecclesiam, retulerunt quæcunq; fecisset deus secũ, et quod aperuisset gentibus ostiũ fidei. Commorati sunt autem illic multum temporis cũ discipulis.

Et quidam qui descenderant à Iudæa, docebant fratres nisi circuncidamini secundum morem Mosi, nõ potestis esse salui. Cum orta ergo seditio & disceptatio esset non exigua Paulo ac Barnabæ aduersus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas & quidam alij ex illis, ad apostolos ac presbyteros Hierosolymã, super hac quæstione. Illi ergo deducti ab ecclesia, pertransibant Phœnicen & Samariam, narrantes conuersionem gentium, & adferebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem uenissent Hierosolymam, susceptisunt ab ecclesia & ab apostolis ac presbyteris, annunciaueruntq; quæcunq; deus fecisset cum ipsis. Surrexerũt autem quidam de factione pharisæorum, qui crediderant dicentes, quod oporteret circuncidere eos ac præcipere, ut seruarent legem Mosi. Conuenerũtq; apostoli ac presbyteri, ut dispicerent de hoc negocio. Cum autẽ magna disceptatio fuisset, surgẽs Petrus dixit ad eos: Viri fratres, uos scitis, quod ab antiquis diebus deus inter nos elegit, ut per os meum audirent gentes uerbũ euangelij, crederentq;. Et qui nouit corda deus, testimonium præbuit illis, dans illis spiritũ sanctũ sicut & nobis, nihilq; discreuit inter nos & illos, cum fide purificauerit corda illorum. Nunc ergo quid tentatis deũ, ut imponatur iugum super ceruices discipulorũ quod neq; patres nostri neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam domini Iesu Christi credimus saluos futuros, quẽadmodũ & illi.

Antiochiam, unde erãt traditi gratiæ dei in opus quod compleuerũt. Cum autem uenissent & cõgregassent ecclesiam, retulerunt quanta fecisset deus cũ illis: & quia aperuisset gentibus ostium fidei. Morati sunt autẽ tempus non modicum cum discipulis.

Et quidam descendentes de Iudæa docebant fratres: quia nisi circuncidamini secundum morem Moysi, nõ potestis saluari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt ut ascẽderent Paulus & Barnabas & quidã alij ex alijs ad apostolos & presbyteros in Hierusalem super hac quæstione. Illi ergo deducti ab ecclesia pertransibant Phœnicen & Samariam, narrãtes conuersionem gentium: & faciebant gaudium magnũ omnibus fratribus. Cũ autem uenissent Hierosolymã susceptisunt ab ecclesia & ab apostolis & senioribus, annunciantes quanta deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi pharisæorum qui crediderunt, dicentes quia oportet circumcidi eos: præcipere quoque seruare legem Moysi. Conuenerunt quoque apostoli & seniores uidere de uerbo hoc. Cũ autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres uos scitis, quoniam ab antiquis diebus deus in nobis elegit per os meũ audire gentes uerbum euangelij & credere. Et qui nouit corda deus, testimonium perhibuit, dans illis spiritum sanctum sicut et nobis, & nihil discreuit inter nos & illos fide purificans corda eorũ. Nunc ergo quid tentatis deum: imponere iugũ super ceruices discipulorũ: quod neq; nos neq; patres nostri portare potuimus, sed per gratiã domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quẽadmodũ & illi.

κἀκεῖνοι. ἐσίγησε δὲ πᾶν τὸ πλῆθος, & illi: Tacuit autem tota multitudo, & audiebant Barnabam ac Paulum narrantes, quæ deus ædidisset signa & prodigia inter gentes per ipsos. Et postquam conticuissent, respōdit Iacobus, dicens Viri fratres, audite me. Symeon narrauit quemadmodum primū deus uisitauerit, ut sumeret ex gētibus populum in nomine suo, et huic consonant uerba prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, ac rursus ædificabo tabernaculum Dauid, quod collapsum est, & diruta eius instaurabo: & erigā illud, ut requirant qui reliqui sunt homines, dominū, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meū: dicit dominus, qui facit hæc omnia. Nota à sæculo sunt deo omia hæc opera sua. Propter quod ego censeo, nō obturbandū esse illis, qui ex gentibus conuertuntur ad deum, sed scribendū ad eos, ut abstineant se ab inquinamentis simulacrorū, et scortatione, et suffocato, et sanguine. Moses enim ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet qui ipsum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. Tunc placuit apostolis & senioribus cum tota ecclesia, ut delectos ex sese uiros mitterent Antiochiam cū Paulo et Barnaba, Iudam, cognomēto Barsaban & Silam, uiros primarios inter fratres missis per manus eorum literis in hāc sententiā: Apostoli & presbyteri & fratres, his qui sunt Antiochiæ & in Syria et in Cilicia fratribus qui sunt ex gentibus, salutem. Quoniam audiuimus, quod quidam è nobis egressi, turbauerunt uos uerbis, labefactantes animas uestras, iubentes uos circūcidi & seruare legem, quibus nō mandaueramus. Visum est nobis unanimiter cōgregatis, delectos uiros mittere ad uos, cum dilectis nostris Barnaba & Paulo, homibus qui exposuerunt animas suas pro nomine

& illi. Tacuit autem omnis multitudo: & audiebāt Barnabam & Paulum narrantes quanta deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus dicēs: Viri fratres audite me. Simon narrauit quemadmodum primum deus uisitauit sumere ex gētibus populum nomini suo. Et huic concordant uerba prophetarum: sicut scriptū est: Post hæc reuertar & reædificabo tabernaculū Dauid quod decidit: & dirupta eius reædificabo, & erigam illud: ut requirant cæteri hominum dominum: & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum dicit dominus faciens hæc. Notum a sæculo est domino opus suum. Propter quod ego iudico non inquietari eos qui ex gentibus conuertūtur ad deum: sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum: & fornicatione & suffocatis & sanguine. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in synagogis: ubi per omne sabbatum legitur. Tunc placuit apostolis & senioribus cum omni ecclesia eligere uiros ex eis, & mittere Antiochiam cūm Paulo & Barnaba: Iudam qui cognominabatur Barsabas & Silam, uiros primos in fratribus scribentes per manus eorum. Apostoli & seniores fratres his qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem: Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt uos uerbis euertentes animas uestras quibus non mādauimus: placuit nobis collectis in unum eligere uiros: & mittere ad uos cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo hominibus qui tradiderunt animas suas pro

nomine

ὀνόματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ. Απεστάλκαμεν οὖν Ιούδαν καὶ σίλαν, καὶ αὐτοὺς διὰ λόγου ἀπαγγέλλοντας τὰ αὐτά. ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ἡμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων, ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων, καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ, καὶ πορνείας, ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτούς, εὖ πράξετε. ἔρρωσθε. οἱ μὲν οὖν ἀπολυθέντες, ἦλθον εἰς Ἀντιόχειαν, καὶ συναγαγόντες τὸ πλῆθος, ἐπέδωκαν τὴν ἐπιστολήν. ἀναγνόντες δὲ, ἐχάρησαν ἐπὶ τῇ παρακλήσει. Ιούδας τε καὶ σίλας, καὶ αὐτοὶ προφῆται ὄντες, διὰ λόγου πολλοῦ παρεκάλεσαν τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ ἐπεστήριξαν. ποιήσαντες δὲ χρόνον, ἀπελύθησαν μετ' εἰρήνης ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν πρὸς τοὺς ἀποστόλους. Εδοξε δὲ τῷ σίλᾳ ἐπιμεῖναι αὐτοῦ. παῦλος δὲ καὶ βαρνάβας διέτριβον ἐν Ἀντιοχείᾳ, διδάσκοντες καὶ εὐαγγελιζόμενοι μετὰ καὶ ἑτέρων πολλῶν τὸν λόγον τοῦ κυρίου. Μετὰ δέ τινας ἡμέρας εἶπε παῦλος πρὸς βαρνάβαν. ἐπιστρέψαντες δὴ ἐπισκεψώμεθα, τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν, ἐν αἷς κατηγείλαμεν τὸν λόγον τοῦ κυρίου, πῶς ἔχουσι. Βαρνάβας δὲ ἐβουλεύσατο συμπαραλαβεῖν τὸν Ἰωάννην, τὸν καλούμενον Μάρκον. Παῦλος δὲ ἠξίου τὸν ἀποστάντα ἀπ' αὐτῶν ἀπὸ Παμφυλίας, καὶ μὴ συνελθόντα αὐτοῖς εἰς τὸ ἔργον, μὴ συμπαραλαβεῖν τοῦτον. ἐγένετο οὖν παροξυσμός, ὥστε ἀποχωρισθῆναι αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, τόν τε Βαρνάβαν παραλαβόντα τὸν Μάρκον ἐκπλεῦσαι εἰς Κύπρον. Παῦλος δὲ ἐπιλεξάμενος σίλαν, ἐξῆλθε παραδοθεὶς τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν. Διήρχετο δὲ τὴν Συρίαν καὶ Κιλικίαν ἐπιστηρίζων τὰς ἐκκλησίας.

Κατήντησε δὲ εἰς Δέρβην καὶ Λύστραν, καὶ ἰδοὺ μαθητής τις ἦν ἐκεῖ, ὀνόματι Τιμόθεος, υἱὸς γυναικὸς Ἰουδαίας πιστῆς, πατρὸς δὲ Ἕλληνος. ὃς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἐν Λύστροις καὶ Ἰκονίῳ ἀδελφῶν. Τοῦτον ἠθέλησεν ὁ παῦλος σὺν αὐτῷ ἐξελθεῖν,

nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Miſimus ergo Iudã & Sílam, qui & ipſi uobis uerbis referent eadem. Viſum eſt eñ ſpiritui ſancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris, cẽꝫ hæc neceſſaria, uidelicet, ut abſtineatis ab his quæ ſũt immolata ſimulacris, & ſanguine, & ſuffocato, & ſcortatione. A qbus ſi cõſeruaueritis uoſipſos, benefacietis. Valete. Illi ergo dimiſſi uenerunt Antiochiam, & cõgregata multitudine reddiderũt epiſtolã. Quam cũ legiſſent, gauiſi ſunt ſuper cõſolatione. Iudas autẽ & Sílas cũ eſſent & ipſi ꝓphetæ, ſermone copioſo adhortati ſunt fratres, confirmauerũtꝫ. Cõmorati aũt illic aliquantum temporis, dimiſſi ſunt cũ pace à fratrib⁹ ad apoſtolos. Viſum eſt aũt Sílæ manere ibidem, Paulus uero et Barnabas demorabantur Antiochiæ, docẽtes, & annunciantes cum alijs etiã cõpluribus ſermonem dñi. Poſt aliquot autẽ dies dixit ad Barnabã Paulus. Reuertẽtes iam uiſitemus fratres noſtros per omnes ciuitates, in quibus annunciauimus ſermonẽ dñi quomodo ſe habeant. Barnabas aũt cõſulebat ut aſſumerẽt & Iohannem, cognomento Marcum Paulus aũt nolebat, ut is qui deſeciſſet ab ipſis ex Pamphylia, nec iſſet cũ eis in opus, adiungeretur. Tam acris aũt fuit inter eos diſceptatio, ut alter ab altero ſeiungeretur, & Barnabas quidẽ aſſumpto Marco nauigaret in Cyprũ. Paulus uero allecto Sila profectus eſt traditus gratiæ dei à fratrib⁹. Perambulabat autem Syriam ac Ciliciam, confirmans eccleſias.

Peruenit autẽ Derben & Lyſtram, & ecce diſcipulus quidam erat ibi, nomĩe Timotheus, filius mulieris cuiuſdam Iudææ fidelis, cæterum patre Græco. Huic teſtimonium bonum reddebant qui Lyſtris erant & Iconij fratres. Hunc uoluit Paulus ſecum profi

nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Miſimus ergo Iudã & Silã: qui & ipſi uobis uerbis referent eadẽ. Viſum eſt eñ ſpũiſancto & nobis nihil ultra imponere uobis oneris cẽꝫ hæc neceſſaria: ut abſtineatis uos ab immolatis ſimulacrorũ & ſanguine & ſuffocato & fornicatione, a quibus cuſtodiẽtes uos bene agetis. Valete. Illi ergo dimiſſi deſcẽderũt Antiochiã: & congregata multitudine tradiderunt epiſtolã. Quã cũ legiſſent, gauiſi ſunt ſup cõſolatiõe. Iudas aũt & Sílas & ipſi cũ eſſent ꝓphetæ, uerbo plurimo cõſolati ſũt fratres, & cõfirmauerũt. Facto autẽ ibi aliquãto tẽpore dimiſſi ſunt cũ pace a fratribus ad eos q miſerãt illos. Viſũ eſt aũt Sílæ ibi remanere: Iudas aũt ſolus abĳt Hieruſalẽ. Paulus autẽ & Barnabas demorabãtur Antiochiæ, docẽtes & euãgelizãtes cũ alĳs pluribus uerbũ domini. Poſt aliquot autẽ dies dixit ad Barnabã Paulus: Reuertentes uiſitemus fratres per uniuerſas ciuitates in quib⁹ prædicauimus uerbũ domini: quomodo ſe habeãt. Barnabas autẽ uolebat ſecũ aſſumere & Iohãnem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autẽ rogabat eũ: ut qui diſceſſiſſet ab eis de Pãphilia, & nõ iſſet cũ eis in opus nõ debere recipi. Facta eſt aũt diſſenſio ita ut diſcederẽt ab inuicem: & Barnabas quidẽ aſſumpto Marco, nauigaret Cyprũ. Paul⁹ uero electo Syla prõfect⁹ eſt, traditus gratiæ dei a fratribus. Perãbulabat autem Syriã & Ciliciã, confirmãs eccleſias: præcipiẽs cuſtodire præcepta apoſtolorum & ſeniorũ. Peruenit XVI.
aũt in Derbẽ & Lyſtrã. Et ecce diſcipulus quidã erat ibi nomine Timothe⁹, fili⁹ mulieris uiduæ fidelis, patre gẽtili. Huic teſtimoniũ bonũ reddebant qui in Lyſtris erant, & Iconio fratres. Hũc uoluit Paulus ſecum profi

A ciſci: &

θεῖμ, Ⓒ λαβὼμ πδι ἐπεμεμ αὐτὸμ διὰ τοὺς ἰουδαίους, πάντας γὰρ τοὺς τόπους ἐκείνους. ἤδεσαμ γὰρ ἅπαντες τὸμ πατέρα αὐτοῦ ὅτι ἕλλην ὑπῆρχε. μόνως δὲ διεπορεύοντο τὰς πόλεις, παρεδίδοσαμ αὐτοῖς φυλάσσειμ τὰ δόγματα, τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλωμ Ⓒ τῶν πρεσβυτέρωμ τῶν ἐμ ἱερουσαλήμ. Αἱ μὲμ οὖμ ἐκκλησίαι ἐστερεοῦντο τῇ πίστει, καὶ ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ καθ' ἡμέραμ. Διελθόντες δὲ τὴμ φρυγίαμ Ⓒ τὴμ γαλατικὴμ χώραμ, κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος λαλῆσαι τὸμ λόγομ ἐμ τῇ ἀσίᾳ, ἐλθόντες κατὰ τὴμ μυσίαμ, ἐπείραζομ εἰς τὴμ βιθυνίαμ πορευθῆμαι, Ⓒ οὐκ εἴασεμ αὐτοὺς τὸ πνεῦμα. παρελθόντες δὲ τὴμ μυσίαμ, κατέβημεμ εἰς τρωάδα. καὶ ὅραμα διὰ τῆς νυκτὸς ὤφθη τῷ παύλῳ. Ἀνήρ τις ἦμ μακεδὼμ ἑστὼς, παρακαλῶμ αὐτὸμ, Ⓒ λέγωμ, διαβὰς εἰς μακεδονίαμ, βοήθησορ ἡμῖμ. ὡς δὲ τὸ ὅραμα εἶδεμ, εὐθέως ἐζητήσαμεμ ἐξελθεῖμ εἰς τὴμ μακεδονίαμ, συμβιβάζοντες, ὅτι πρόσκέκληται ἡμᾶς ὁ κύριος εὐαγγελίσασθαι αὐτούς. Ἀναχθέντες οὖμ ἀπὸ τρωάδος, εὐθυδρομήσαμεμ εἰς σαμοθρᾴκὴμ, τῇ τε ἐπιούσῃ εἰς νεάπολιμ, ἐκεῖθεμ τε εἰς φιλίππους, ἥτις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς μακεδονίας πόλις, κολώνια. ἦμεμ δὲ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει διατρίβοντες ἡμέρας τινὰς, τῇ τε ἡμέρᾳ τῶμ σαββάτωμ ἐξήλθομεμ ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸμ, οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι, καθίσαντες ἐλαλοῦμεμ ταῖς συνελθούσαις γυναιξί. καί τις γυνὴ ὀνόματι λυδία πορφυρόπωλις πόλεως θυατείρωμ, σεβομένη τὸμ θεόμ, ἤκουσεμ, ἧς ὁ κύριος διήνοιξε τὴμ καρδίαμ προσέχειμ τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ τοῦ παύλου. ὡς δὲ ἐβαπτίσθη καὶ ὁ οἶκος αὐτῆς, παρεκάλεσε λέγουσα. Εἰ κεκρίκατέ με πιστὴμ τῷ κυρίῳ εἶναι, εἰσελθόντες εἰς τὸμ οἶκόμ μου μείνατε, καὶ παρεβιάσατο ἡμᾶς. Ἐγένετο δὲ πορευομένωμ ἡμῶμ εἰς προσευχήμ, παιδίσκήμ τιμὰ ἔχουσαμ πνεῦμα πύθωνος, ἀπαντῆσαι ἡμῖμ, ἥτις ἐργασίαμ παρεῖχε τοῖς κυρίοις αὐτῆς μαντευομένη αὐτοῖς,

ciſci, & aſſumptũ circuncidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omẽs quod pater eius erat Græcus. Cum autem pertranſirent ciuitates, tradebant eis ſeruanda decreta, quæ erãt ordinata ab apoſtolis & preſbyteris, qui erant Hieroſolymis. Itaq; eccleſiæ cõfirmabantur fide, & abundabant numero quotidie Cum peragraſſent autem Phrygiam & Galaticam regionem, uetitiq; eſſent à ſpiritu ſancto loqui ſermonẽ in Aſia, profecti in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & nõ permiſit eos ſpiritus. Cum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderũt Troadem. & uiſio per noctem Paulo uiſa eſt. Vir Macedo quidã erat ſtans, & deprecans eum, ac dicens: Profectus in Macedoniam, ſuccurre nobis. Vt autem uiſum uidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniã, certi facti, quod uocaſſet nos dominus ad euangelizandũ eis. Cum ſoluiſſemus igitur à Troade, recto curſu uenimus Samothracen & poſtero die Neapolim, & inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia. Eramus autẽ in eadem urbe diebus aliquot commorantes, & die ſabbatorum egreſſi ſumus è ciuitate iuxta flumen, ubi ſolebat eſſe precatio, & ſedẽtes loquebamur mulieribus quæ cõuenerant. Et quædam mulier nomine Lydia purpurarũ uenditrix ciuitatis Thyatirorum, colens deum, audiuit, cuius dominus aperuit cor, ut intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Cum autem baptizata eſſet & domus eius, deprecata eſt dicens: Si iudicaſtis me fidelem domino eſſe, introite in domum meam & manete. & adegit nos. Accidit autem euntibus nobis ad precationem, ut puella quædam habens ſpiritum Pythonis, occurreret nobis, quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis diuinando.

ciſci: & aſſumens circũcidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebant eñ omnes quod pater eius erat gentilis. Cum autẽ pertranſirent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata quæ erãt decreta ab apoſtolis & ſenioribus qui erant Hieroſolymis. Et eccleſiæ quidẽ confirmabant fide, & abundabant numero quotidie. Tranſeuntes autẽ Phrygiam & Galatiæ regionem, uetati ſunt a ſpiritu ſancto loqui uerbũ dei in Aſia. Cum ueniſſent autẽ in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam: & nõ permiſit eos ſpiritus Ieſu. Cum aũt pertrãſiſſent Myſiã, deſcenderunt Troadẽ: & uiſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans & deprecans eum & dicẽs: Tranſiens in Macedoniã adiuua nos. Vt aũt uiſum uidit, ſtatim quæſiuim⁹ proficiſci in Macedoniã, certi facti quòd uocaſſet nos deus euangelizare eis. Nauigãtes autem a Troade, recto curſu uenimus Samothraciam: & ſequenti die Neapolim: & inde Philippis quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas Colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot cõſiſtentes. Die autẽ ſabbatorum egreſſi ſum⁹ foras portam iuxta flumẽ ubi uidebatur oratio eſſe: & ſedentes loquebamur mulieribus quæ cõuenerant: & quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorũ colens deum audiuit, cuius domin⁹ aperuit cor intẽdere his quæ dicebãtur a Paulo. Cũ autẽ baptizata eſſet & domus eius, deprecata eſt dicens: Si iudicaſtis me fidelẽ domino eſſe: introite in domũ meam & manete: & coegit nos. Factũ eſt autẽ euntibus nobis ad orationẽ puellam quandã habẽtem ſpiritum Pythonem obuiare nobis: quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis diuinãdo.

Hæc

αὕτη

αὗτη κατακολουθήσασα τῷ παύλῳ καὶ ἡμῖν, ἔκραζε λέγουσα. οὗτοι οἱ ἄνθρωποι δοῦλοι τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου εἰσὶν οἵτινες καταγγέλλουσιν ὑμῖν ὁδὸν σωτηρίας. τοῦτο δὲ ἐποίει ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας. διαπονηθεὶς δὲ ὁ παῦλος καὶ ἐπιστρέψας, τῷ πνεύματι εἶπε. παραγγέλλω σοι ἐν τῷ ὀνόματι ἰησοῦ χριστοῦ ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς. καὶ ἐξῆλθεν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ. ἰδόντες δὲ οἱ κύριοι αὐτῆς, ὅτι ἐξῆλθεν ἡ ἐλπὶς τῆς ἐργασίας αὐτῶν, ἐπιλαβόμενοι τὸν παῦλον καὶ τὸν σίλαν, εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας, καὶ προσαγαγόντες αὐτοὺς τοῖς στρατηγοῖς, εἶπον. οὗτοι οἱ ἄνθρωποι ἐκταράσσουσιν ἡμῶν τὴν πόλιν, ἰουδαῖοι ὑπάρχοντες, καὶ καταγγέλλουσιν ἔθη ἃ οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν παραδέχεσθαι, οὐδὲ ποιεῖν, ῥωμαίοις οὖσι. καὶ συνεπέστη ὁ ὄχλος κατ' αὐτῶν. καὶ οἱ στρατηγοὶ περιῤῥήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια, ἐκέλευον ῥαβδίζειν. πολλάς τε ἐπιθέντες αὐτοῖς πληγὰς, ἔβαλον εἰς φυλακὴν, παραγείλαντες τῷ δεσμοφύλακι, ἀσφαλῶς τηρεῖν αὐτούς. ὃς παραγελίαν τοιαύτην εἰληφὼς, ἔβαλεν αὐτοὺς εἰς τὴν ἐσωτέραν φυλακὴν, καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον. κατὰ δὲ τὸ μεσονύκτιον παῦλος καὶ σίλας προσευχόμενοι ὕμνουν τὸν θεόν. ἐπηκροῶντο δὲ αὐτῶν οἱ δέσμιοι. ἄφνω δὲ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, ὥστε σαλευθῆναι τὰ θεμέλια τοῦ δεσμωτηρίου. ἀνεῴχθησάν τε παραχρῆμα αἱ θύραι πᾶσαι, καὶ πάντων τὰ δεσμὰ ἀνέθη. ἔξυπνος δὲ γενόμενος ὁ δεσμοφύλαξ, καὶ ἰδὼν ἀνεῳγμένας τὰς θύρας τῆς φυλακῆς, σπασάμενος μάχαιραν, ἔμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν, νομίζων ἐκπεφευγέναι τοὺς δεσμίους. ἐφώνησε δὲ φωνῇ μεγάλῃ ὁ παῦλος λέγων. μηδὲν πράξῃς σεαυτῷ κακὸν, ἅπαντες γάρ ἐσμεν ἐνθάδε. αἰτήσας δὲ φῶτα, εἰσεπήδησε. καὶ ἔντρομος γενόμενος προσέπεσε τῷ παύλῳ καὶ τῷ σίλᾳ. καὶ προαγαγὼν αὐτοὺς ἔξω, ἔφη. κύριοι, τί με δεῖ ποιεῖν, ἵνα σωθῶ. οἱ δὲ εἶπον. πίστευσον ἐπὶ τὸν κύριον ἰησοῦν, καὶ σωθήσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου. καὶ ἐλάλησαν αὐτῷ τὸν λόγον

Hæc subsecuta Paulũ ac nos, clamabat dicens: Isti homines serui dei excelsissimi sunt, qui annunciant nobis uiam salutis. Hoc autem faciebat multos dies, Sed ægre ferens Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi per nomen Iesu Christi, ut exeas ab ea. Et exijt eadē hora. Videntes autem domini eius, quod abisset spes quæstus sui, apprehensum Paulum & Silam traxerunt in forum ad principes, & offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines cōturbant ciuitatem nostram, cum sint Iudæi, & annunciant instituta quæ non licet nobis suscipere, neque seruare, cum simus Rhomani. Et concurrit turba aduersus eos, ac magistratus scissis uestibus suis, iusserunt eos uirgis cædi. Cumque multas plagas eis imposuissent, coniecerunt eos in carcerem, præcipientes custodi carceris, ut diligenter custodiret eos. Qui cum tale præceptum accepisset, coniecit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno. Media autem nocte Paulus et Silas orantes laudabant deum. Exaudiebant autem eos, qui uincti erant. Subito uero terræmotus factus est magnus, ita ut concuterentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & omnium uincula soluta sunt. Experrectus autem custos carceris, cum uideret ianuas apertas carceris, euaginato gladio, erat seipsum interfecturus, existimans aufugisse uinctos. Clamauit autem Paulus uoce magna, dicens: Ne quid feceris tibiipsi mali, uniuersi enim hic sumus. Postulatóque lumine, irrupit, ac tremefactus accidit Paulo & Silæ ad pedes, & productis illis foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Et locuti sunt ei sermonem

Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat dicēs: Isti homines serui dei excelsi sunt: qui annūciant uobis uiam salutis: hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus & cōuersus spiritui, dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exijt eadem hora. Videntes autē domini eius quia exiuit spes quæstus eorum: apprehendentes Paulum & Sylam perduxerunt in forū ad principes: & offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines cōturbant ciuitatē nostram cum sint Iudæi: & annūciant morem quem nō licet nobis suscipere neq; facere, cum simus Romani. Et cucurrit plæbs aduersus eos & magistratus scissis tunicis eorum, iusserunt eos uirgis cædi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem: præcipientes custodi, ut diligenter custodiret eos. Qui cū tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem: & pedes eorū strinxit ligno. Media autem nocte Paulus & Sylas adorantes laudabant deum: & audiebant eos qui in custodia erāt. Subito uero terræmotus factus est magnus: ita ut mouerentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: & uniuersorum uincula soluta sunt. Expergefactus autē custos carceris & uidens ianuas apertas carceris: euaginato gladio uolebat se interficere, æstimās fugisse uinctos. Clamauit autē Paulus uoce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris. Vniuersi enim hic sumus. Petitoq; lumine introgressus est: & tremefactus procidit Paulo & Sylæ ad pedes: & producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere ut saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Et locuti sunt ei

τὸν λόγον τοῦ κυρίου, καὶ πᾶσι τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. Καὶ παραλαβὼν αὐτοὺς ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τῆς νυκτὸς, ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν, καὶ ἐβαπτίσθη αὐτὸς, καὶ οἱ αὐτοῦ πάντες παραχρῆμα. ἀναγαγών τε αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, παρέθηκε τράπεζαν, καὶ ἠγαλλιάτο πανοικὶ πεπιστευκὼς τῷ θεῷ. ἡμέρας δὲ γενομένης, ἀπέστειλαν οἱ στρατηγοὶ τοὺς ῥαβδούχους, λέγοντες. ἀπόλυσον τοὺς ἀνθρώπους ἐκείνους. Ἀπήγγειλε δὲ ὁ δεσμοφύλαξ τοὺς λόγους τούτους πρὸς τὸν παῦλον, ὅτι ἀπεστάλκασιν οἱ στρατηγοὶ, ἵνα ἀπολυθῆτε, νῦν οὖν ἐξελθόντες, πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ. ὁ δὲ παῦλος ἔφη πρὸς αὐτούς, δείραντες ἡμᾶς δημοσίᾳ, ἀκατακρίτους, ἀνθρώπους ῥωμαίους ὑπάρχοντας, ἔβαλον εἰς φυλακὴν, καὶ νῦν λάθρα ἡμᾶς ἐκβάλλουσιν; οὐ γάρ, ἀλλὰ ἐλθόντες αὐτοὶ ἐξαγαγέτωσαν ἡμᾶς. ἀνήγγειλαν δὲ τοῖς στρατηγοῖς οἱ ῥαβδοῦχοι τὰ ῥήματα ταῦτα. Καὶ ἐφοβήθησαν, ἀκούσαντες ὅτι ῥωμαῖοί εἰσί. Καὶ ἐλθόντες παρεκάλεσαν αὐτούς, καὶ ἐξαγαγόντες ἠρώτων ἐξελθεῖν τῆς πόλεως. ἐξελθόντες δὲ ἐκ τῆς φυλακῆς, εἰσῆλθον εἰς τὴν λυδίαν. Καὶ ἰδόντες τοὺς ἀδελφοὺς, παρεκάλεσαν αὐτούς, καὶ ἐξῆλθον.

Διοδεύσαντες δὲ τὴν ἀμφίπολιν καὶ ἀπολλωνίαν, ἦλθον εἰς θεσσαλονίκην, ὅπου ἦν συναγωγὴ τῶν ἰουδαίων. κατὰ δὲ τὸ εἰωθὸς τῷ παύλῳ εἰσῆλθε πρὸς αὐτούς, καὶ ἐπὶ σάββατα τρία διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν, διανοίγων καὶ παρατιθέμενος, ὅτι τὸν χριστὸν ἔδει παθεῖν, καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν, καὶ ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστὸς ἰησοῦς, ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. καί τινες ἐξ αὐτῶν ἐπείσθησαν, καὶ προσεκληρώθησαν τῷ παύλῳ καὶ τῷ σίλᾳ, τῶν τε σεβομένων ἑλλήνων πολὺ πλῆθος, γυναικῶν τε τῶν πρώτων οὐκ ὀλίγαι. ζηλώσαντες δὲ οἱ ἀπειθοῦντες ἰουδαῖοι, καὶ προσλαβόμενοι τῶν ἀγοραίων τινὰς ἄνδρας πονηροὺς, καὶ ὀχλοποιήσαντες, ἐθορύβουν τὴν πόλιν, ἐπιστάντες τε τῇ οἰκίᾳ ἰάσονος, ἐζήτουν αὐτοὺς ἀγαγεῖν εἰς τὸν δῆμον. μὴ εὑρόντες δὲ αὐτούς, ἔσυρον

sermonē domini, & omnibus qui erant in domo eius. Et assumptis illis in illa hora noctis, abluit plagas, & baptizat⁹ est ipse, & omes domestici illius, cōtinuo. Cumq; perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mēsam, & exultauit, quod cū uniuersa domo sua credidisset deo. Et cū dies ortus esset, miserūt magistratus uiatores, dicentes: Dimitte homines illos. Nunciauit aūt custos carceris sermones hos Paulo: miserunt magistratus ut dimittamini. Nūc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autē dixit eis: Cæsos nos publice, indicta causa, cum simus Rhomani, coniecerūt in carcerē, & nunc occulte nos eiiciunt? Non profecto, sed ueniāt ipsi ac nos educāt. Nunciauerūt autem magistratibus uiatores uerba hæc. Timueruntq;, audito quod Rhomani essent, & ueniētes deprecati sunt eos, & eductos rogabāt ut egrederentur è ciuitate. Egressi autē è carcere, introierunt ad Lydiā. & uisis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt.

Cum autem iter fecissent per Amphipolim & Apolloniā, uenerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem autem suam Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis è scripturis, adaperiens & allegās, quod Christum oportuisset pati & resurgere à mortuis, & qđ hic esset Christus Iesus, quem ego, inquit, annūcio uobis. Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & religiosorum Græcorum multitudo magna, mulieresq; primariæ non paucæ. Zelo autem commoti Iudæi increduli, & assumptis quibusdam circumforaneis uiris malis, ac turba coacta, concitauerunt ciuitatem, & urgentes domum Iasonis, quærebant eos producere ad populum. Et cum nō inuenissent eos, trahebant

uerbum domini cū omnibus qui erāt in domo eius. Et tollēs eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum. Et baptizatus est ipse & omnis domus eius cōtinuo. Cumque perduxisset eos in domum suā, apposuit eis mēsam & lætatus est cum omni domo sua credens deo. Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores: dicentes: Dimitte homines illos. Nunciauit autem custos carceris uerba hæc Paulo: quia miserunt magistratus ut dimittamini. Nunc igitur exeuntes ite in pace. Paulus autē dixit eis: Cæsos nos publice indēnatos homines Romanos miserunt in carcerem: & nunc occulte nos eiiciunt? Non ita, sed ueniant & ipsi nos eiiciant. Nunciauerunt autem magistratibus lictores uerba hæc. Timuerūtq; audito quod Romani essent: & uenientes deprecati sunt eos: & educentes rogabant ut egrederētur de urbe. Exeuntes aut de carcere, introierunt ad Lydiam: & uisis fratribus cōsolati sunt eos, & profecti sunt.

Cum autem perambulassent Amphipolim & Apoloniam, uenerunt Thessalonicam: ubi erat synagoga Iudæorum. Secundum cō suetudinem autem Paulus introiuit ad eos: & per sabbata tria disserebat eis de scriptūris, adaperiens & insinuans: quia Christū oportuit pati & resurgere a mortuis: & qa hic est Iesus Christus quem ego annūcio uobis. Et quidam ex eis crediderunt: & adiūcti sunt Paulo & Silæ: & de colentibus gentilibusq; multitudo magna: & mulieres nobiles nō paucæ. Zelantes autem Iudæi, assumentesque de uulgo uiros quosdam malos: & turba facta concitauerūt ciuitatem: & assistentes domui Iasonis quærebant eos producere in populum. Et cum non inuenissent eos, trahebant XVII.

ἕσυρον τὸν Ἰάσονα καί τινας ἀδελφοὺς ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας, βοῶντες. ὅτι οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες οὗτοι, κἀκεῖθεν πάρεισιν, οὓς ὑποδέδεκται Ἰάσων. καὶ οὗτοι πάντες ἀπέναντι τῶν δογμάτων καίσαρος πράσσουσι, βασιλέα λέγοντες ἕτερον εἶναι, Ἰησοῦν. ἐτάραξαν δὲ τὸν ὄχλον καὶ τοὺς πολιτάρχας ἀκούοντας ταῦτα. καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος καὶ τῶν λοιπῶν, ἀπέλυσαν αὐτούς. οἱ δὲ ἀδελφοὶ εὐθέως διὰ νυκτὸς ἐξέπεμψαν τόν τε παῦλον καὶ τὸν σίλαν εἰς βέροιαν. οἵτινες παραγενόμενοι, εἰς τὴν συναγωγὴν ἀπῆεσαν τῶν ἰουδαίων. οὗτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν θεσσαλονίκῃ, οἵτινες ἐδέξαντο τὸν λόγον μετὰ πάσης προθυμίας, τὸ καθ' ἡμέραν ἀνακρίνοντες τὰς γραφάς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως. πολλοὶ μὲν οὖν ἐξ αὐτῶν ἐπίστευσαν, καὶ τῶν ἑλληνίδων γυναικῶν τῶν εὐσχημόνων, καὶ ἀνδρῶν οὐκ ὀλίγοι. ὡς δὲ ἔγνωσαν οἱ ἀπὸ θεσσαλονίκης ἰουδαῖοι, ὅτι καὶ ἐν τῇ βεροίᾳ κατηγγέλη ὑπὸ τοῦ παύλου ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, ἦλθον, κἀκεῖ σαλεύοντες τοὺς ὄχλους. εὐθέως δὲ τότε τὸν παῦλον ἐξαπέστειλαν οἱ ἀδελφοί, πορεύεσθαι ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν, ὑπέμενον δέ τε σίλας καὶ ὁ τιμόθεος ἐκεῖ. οἱ δὲ καθιστῶντες τὸν παῦλον, ἤγαγον αὐτὸν ἕως ἀθηνῶν. καὶ λαβόντες ἐντολὴν πρὸς τὸν σίλαν καὶ τιμόθεον, ἵνα ὡς τάχιστα ἔλθωσι πρὸς αὐτὸν, ἐξήεσαν. ἐν δὲ ταῖς ἀθήναις ἐκδεχομένου αὐτοὺς τοῦ παύλου, παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ, θεωροῦντι κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν. διελέγετο μὲν οὖν ἐν τῇ συναγωγῇ τοῖς ἰουδαίοις καὶ τοῖς σεβομένοις, καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ κατὰ πᾶσαν ἡμέραν πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας. τινὲς δὲ τῶν ἐπικουρείων καὶ τῶν στωϊκῶν φιλοσόφων, συνέβαλον αὐτῷ. καί τινες ἔλεγον. τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν; οἱ δέ, ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι, ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῖς εὐηγγελίζετο. ἐπιλαβόμενοί τε αὐτοῦ, ἐπὶ τὸν ἄρειον πάγον ἤγαγον, λέγοντες. δυνάμεθα γνῶναι,

trahebant Iasonem, & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Hi qui terrarum orbem conturbarũt, huc quoq; uenerũt, quos clanculum excepit Iason. & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Iesum. Concitauerunt autem turbã, & magistratus ciuitatis audiẽtes hæc. Et accepta satisfactione ab Iasone & à cæteris, dimiserunt eos. Fratres uero confestim per noctẽ emiserunt Paulũ, simul & Silam in Berrhœã. Qui cum aduenissent, abierunt in synagogam Iudæorum. Hi autem erant summo genere nati inter eos qui erant Thessalonicæ, qui receperant sermonem cum omni animi promptitudine, quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent. Et multi quidem crediderũt ex eis, & Græcæ mulieres honestæ, & uiri nõ pauci. Cum aũt cognouissent Thessalonicenses Iudæi, quod & Berrhœæ annunciatus esset à Paulo sermo dei, uenerunt, & illic quoq; cõmouebant turbas. Statimq; tunc Paulũ emiserunt fratres, ut iret uelut ad mare. Sílas autem & Timotheus remanserũt ibi. Porrò qui prosequebantur Paulum, deduxerũt eum Athenas usq; & accepto mãdato ad Sílã ac Timotheũ, ut quàm celerrime uenirent ad se, profecti sunt. Paulus autẽ cũ Athenis eos expectaret, incãdescebat spiritus eius in ipso, cũ uideret simulacrorum cultui deditam ciuitatẽ. Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis & religiosis, et in foro quotidie cum ijs qui ipsum forte adirent. Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi cõflictabantur cum eo, & quidã dicebant: Quid uult spermologus hic dicere? Alij uero, nouorũ, inquiebãt, dæmoniorũ uidetur annũciator esse, qd Iesum & resurrectionẽ annũciaret eis. Et apphẽsum eũ ad Martiũ uicũ duxerũt, dicẽtes: Possumus scire

trahebãt Iasonem & quosdam fratres ad principes ciuitatis clamãtes: quoniam hi qui urbẽ concitãt: & huc uenerunt quos suscepit Iason: & hi omnes cõtra decreta Cæsaris faciũt regem alium, dicẽtes esse Iesum. Concitauerunt autẽ plæbem & principes ciuitatis audiẽtes hæc. Et accepta satisfactione a Iasone & cæteris, dimiserunt eos. Fratres uero cõfestim per noctẽ dimiserunt Paulum & Silam in Beroã. Qui cum uenissent in synagogam Iudæorum, introierunt. Hi autẽ erant nobiliores eorũ qui sunt Thessalonicæ qui susceperunt uerbũ cum omni auiditate: quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent. Et multi quidẽ crediderunt ex eis: & mulierũ gentilium honestarum, & uiri nõ pauci. Cũ autẽ cognouissent in Thessalonica Iudæi: quia & Beroæ prædicatũ est a Paulo uerbum dei: uenerunt & illuc commouentes & turbãtes multitudinem. Statimq; tunc Paulum dimiserũt fratres, ut iret usque ad mare. Sílas autem & Timotheus remanserunt ibi. Qui autem deducebant Paulum, perduxerũt eum usq; Athenis: & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheũ, ut quam celeriter uenirent ad illum profecti sunt. Paulus autẽ cum Athenis eos expectaret: incitabatur spiritus eius in ipso, uidẽs Idolatriæ deditam ciuitatem. Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis & colentibus: & in foro per omnes dies ad eos qui audierant. Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi disserebant cum eo: & quidã dicebant: Quid uult seminiuerbius hic dicere? Alij uero nouorum dæmoniorũ uidetur annũciator esse: quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis. Et apprehẽsum eum ad Ariopagũ duxerunt, dicentes: Possumus

γνῶναι, τίς ἡ καινὴ αὕτη, ἡ ὑπὸ σοῦ λαλουμένη διδαχή; ξενίζοντα γάρ τινα εἰσφέρεις εἰς τὰς ἀκοὰς ἡμῶν. βουλόμεθα οὖν γνῶναι, τί ἂν θέλοι ταῦτα εἶναι. Ἀθηναῖοι δὲ πάντες, καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι, εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν, ἢ λέγειν τί καὶ ἀκούειν καινότερον. Σταθεὶς δὲ ὁ Παῦλος ἐν μέσῳ τοῦ Ἀρείου πάγου, ἔφη. Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. Διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώστῳ θεῷ. Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. Ὁ θεὸς ὁ ποιήσας τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ οὗτος οὐρανοῦ καὶ γῆς κύριος ὑπάρχων, οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ, οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται, προσδεόμενός τινος, αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα. ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων, κατοικεῖν ἐπὶ παντὸς προσώπου τῆς γῆς, ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν, ζητεῖν τὸν κύριον, εἰ ἄρα γε ψηλαφήσειαν αὐτὸν, καὶ εὕροιεν, καίγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν, ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ θεοῦ, οὐκ ὀφείλομεν νομίζειν, χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ, ἢ λίθῳ χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου, τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον. Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ θεὸς, τὰ νῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν, διότι ἔστησεν ἡμέραν, ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ, ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε, πίστιν παράσχων πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. ἀκούσαντες δὲ ἀναστάσιν νεκρῶν, οἱ μὲν ἐχλεύαζον, οἱ δὲ εἶπον, ἀκουσόμεθά σου πάλιν περὶ τούτου. καὶ οὕτως ὁ Παῦλος ἐξῆλθεν ἐκ μέσου αὐτῶν. τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ, ἐπίστευσαν, ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, καὶ γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις,

scire, quæ sit ista noua quæ à te refertur, doctrina? Noua enim quæ dam ingeris auribus nostris. Volumus ergo scire, quid nam uelint hæc esse. Athenienses autē omnes, & qui illic uersabant hospites, ad nihil aliud uacabant, nisi aut dicendum aut audiendū aliquid noui. Stans aūt Paulus in medio Martij uici, ait: Viri Athenienses, per omnia ferè superstitiosiores uos uideo. Præteriens enim & cōtemplās culturas uestras, inueni et aram in qua inscriptum erat: Ignoto deo. Quē ergo ignorantes colitis, hūc ego annuncio uobis. Deus qui fecit mundū & omnia quæ in eo sunt hic cœli & terræ cum sit dominus nō in manufactis templis habitat nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus uitam & halitū per omnia, fecitq; ex uno sanguine omne genus hominū, ut inhabitaret super uniuersam faciē terræ, præfinitq; præstituta tempora, præfixitq; terminos habitationis eorum, ut quærerent deū, si forte attrectēt eū aut inueniant, quamuis nō longe absit ab unoquoq; nostrum. Per ipsum enim uiuimus & mouemur & sumus, sicut & quidā uestratiū poëtarum dixerunt: Nam huius progenies etiā sumus. Genus ergo cū simus dei, non debemus existimare auro aut argēto, aut lapidi arte sculpto, & inuēto hominis, numē esse simile. Et tempora quidē huius ignorantiæ cū hactenus dissimularit deus, nūc annūciat hominibus, ut omnes ubiq; resipiscāt, eo quod statuit diē in quo iudicaturus est orbē terrarū cū iustitia, per eū uirū per quē decreuerat, fide præstita omnibus, cum excitarit illū ex mortuis. Cū audissent aūt resurrectionē mortuorū, alij quidē irridebāt, alij uero dixerūt: Audiemus te de hoc iterū, sic Paulus exiuit è medio eorū. Quidā uero uiri adhærētes ei crediderūt, in quibus et Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris

psimus, decernentes, ne quid huiusmodi obseruent, nisi ut caueant & ab his quæ sunt immolata simulacris, & à sanguine, & suffocato, & scortatione. Tunc Paulus assumptis uiris postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoq; eorum oblatio. Dum autem septem dies iam penè essent expleti, hi qui ab Asia erant Iudæi, cum uidissent eum in templo, conturbarunt totum populum, & iniecerũt ei manus, clamantes: Viri Israëlitæ, succurrite. Hic est ille homo qui aduersus populum & legem & locũ hunc omnes ubique docet, insuper & Græcos induxit in templũ, & prophanauit sanctum locum hunc. Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem existimauerunt, quod in templũ introduxisset Paulus. Commotaq; est ciuitas tota & facta est concursio populi. Et apprehensum Paulũ, protrahebant è templo, statimque clausæ sunt fores. Quærentibus autem illis eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis, quod tota conturbata esset Hierosolyma. Qui statim assumptis militibus & centurionibus, decucurrit ad illos. At illi cum uidissent tribunum ac milites cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens tribunus apprehendit eũ, et iussit alligari catenis duabus, & interrogabat quis nam esset, et quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eũ in castra. Et cum uenisset ad gradus, contigit ut portaretur à militibus propter uiolentiam turbæ. Sequebatur eũ multitudo populi clamans, tolle eum. Et cũ cœpisset inducí in castra Paulus, dicit tribuno: Licet ne mihi loqui ad te? Qui dixit: Græce ností? Nónne tu

psimus iudicantes: ut abstineant se ab Idolis immolato & sanguine & suffocato & fornicatione. Tunc Paulus assumptis uiris postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoq; eorum oblatio. Dum autem septẽ dies consummarentur, hi qui de Asia erant Iudæi cum uidissent eum in templo: concitauerunt omnem populũ & iniecerunt ei manus clamantes: Viri Israelitæ adiuuate: Hic est homo qui aduersus populum & legẽ & locum hunc omnes ubique docens, insuper & gentiles induxit in templum: & uiolauit sanctũ locũ istum. Viderant enim Trophimũ Ephesium in ciuitate cum ipso: quem æstimauerunt, quoniam in templum introduxisset Paulus. Commotaq; est ciuitas tota: & facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum trahebant extra templũ: & statim clausæ sunt ianuæ. Quærentibus autem eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis: quia tota confunditur Hierusalem. Qui statim assumptis militibus & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum uidissent tribunum & milites, cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens tribunus apprehẽdit eum & iussit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis esset: & quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra. Et cum uenisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter uim populi. Sequebatur enim multitudo populi clamans: tolle eum. Et cum cepisset induci in castra, Paulus dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit ei: Græce nosti? Nonne

tu es

ἄρα σὺ εἶ ὁ αἰγύπτιος, ὁ πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀναστατώσας, καὶ ἀγαγὼν εἰς τὴν ἔρημον τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν σικαρίων; Εἶπε δὲ ὁ παῦλος. ἐγὼ ἄνθρωπός μέν εἰμι ἰουδαῖος ταρσεύς, τῆς κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. δέομαι δέ σου ἐπίτρεψόν μοι λαλῆσαι πρὸς τὸν λαόν. ἐπιτρέψαντος δὲ αὐτοῦ, ὁ παῦλος ἑστὼς ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν. κατέσεσε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ. πολλῆς δὲ σιγῆς γενομένης, προσεφώνει τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ, λέγων. Ανδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, ἀκούσατέ μου, τῆς πρὸς ὑμᾶς νῦν ἀπολογίας. ἀκούσαντες δὲ ὅτι τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ προσφωνεῖ αὐτοῖς, μᾶλλον παρέσχον ἡσυχίαν. καὶ φησιν. ἐγώ μέν εἰμι ἀνὴρ ἰουδαῖος, γεγεννημένος ἐν ταρσῷ τῆς κιλικίας, ἀνατεθραμμένος δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ παρὰ τοὺς πόδας γαμαλιὴλ, πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ θεοῦ, καθὼς πάντες ὑμεῖς ἐστε σήμερον, ὃς ταύτην τὴν ὁδὸν ἐδίωξα ἄχρι θανάτου, δεσμεύων καὶ παραδιδοὺς εἰς φυλακὰς ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας. ὡς καὶ ὁ ἀρχιερεύς μαρτυρεῖ μοι, καὶ πᾶν τὸ πρεσβυτέριον, παρ' ὧν καὶ ἐπιστολὰς δεξάμενος πρὸς τοὺς ἀδελφούς, εἰς δαμασκὸν ἐπορευόμην, ἄξων καὶ τοὺς ἐκεῖσε ὄντας δεδεμένους εἰς ἰερουσαλήμ, ἵνα τιμωρηθῶσιν. ἐγένετο δέ μοι πορευομένῳ καὶ ἐγγίζοντι τῇ δαμασκῷ περὶ μεσημβρίαν, ἐξαίφνης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ περιαστράψαι φῶς ἱκανὸν περὶ ἐμέ, ἔπεσά τε εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ ἤκουσα φωνῆς, λεγούσης μοι. Σαοὺλ Σαοὺλ, τί με διώκεις; ἐγὼ δὲ ἀπεκρίθην. τίς εἶ κύριε; εἶπέ τε πρός με. ἐγώ εἰμι ἰησοῦς ὁ ναζωραῖος, ὃν σὺ διώκεις. οἱ δὲ σὺν ἐμοὶ ὄντες, τὸ μὲν φῶς ἐθεάσαντο, καὶ ἐμφοβοι ἐγένοντο, τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι. εἶπον δέ, τί ποιήσω κύριε, ὁ δὲ κύριος πρός με. ἀναστὰς πορεύου εἰς δαμασκὸν, κἀκεῖ σοι λαληθήσεται περὶ πάντων ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι. ὡς δὲ οὐκ ἐνέβλεπον ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς ἐκείνου, χειραγωγούμενος ὑπὸ τῶν συόντων μοι, ἦλθον

ne tu es ille Aegyptius, qui ante hos dies tumultū cōcitasti, & eduxisti in desertū quatuor milia uirorū sicariorum? Dixit aūt Paulus: Ego sum homo quidē Iudæus Tarsensis, non obscuræ Cilicum ciuitatis ciuis. Rogo autē te, permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem. & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicēs:

Viri, fratres & patres, audite meam, qua nunc apud uos utor, excusationem. Cum audissent autem, quod Hebræa lingua sibi loqueretur, magis præstiterūt silentium. Et dicit: Ego quidē sum uir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, cæterum educatus in hac ciuitate ad pedes Gamalielis, institut⁹ accurate in patria lege, sectator dei, sicut & uos omēs estis hodie, qui hanc uiam persecutus sum usque ad mortē, alligās ac tradēs in carceres uiros pariter ac mulieres, sicut & princeps sacerdotum mihi testis est, & totus seniorū ordo, à quibus etiā epistolis ad fratres acceptis Damascum pergebā, ad ducturⁿ & illos qui illic essent uinctos Hierosolymam, ut puniren/tur. Accidit autem mihi iter faciēti & appropinquāti Damasco circiter meridiem, ut subito de cœlo circūfulgu raret me lux multa, cecidiq; in solum, & audiui uocem, dicentem mihi: Saul Saul, quid me persequeris? Ego uero respōdi: Quis es domine? Dixitq; ad me: Ego sum Iesus ille Nazarenus, quē tu persequeris. Et qui mecū erant, lumen quidem uiderūt, & exterriti sunt: uocē aūt non audierunt eius qui loquebat mecū. Dicebam aūt: Quid faciā domine? Dominus aūt dixit mihi: Surge, ac uade Damascū, et ibi tibi dicet de omnibus, quæ ordinata sunt tibi ut facias. Et cū nō uiderē præ gloria luminis illius, per manū deductus à comitib⁹ qui erāt mecū.

ueni

tu es Aegyptus qui ante hos dies tumultum cōcitasti: & eduxisti in desertum quatuor milia uirorū siccariorum? Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidē Iudæus a Tharso Ciliciæ: non ignotæ ciuitatis municeps. Rogo autē te permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradib⁹, annuit manu ad plæbem: & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens:

Viri fratres & patres audite quam ad uos nunc reddo rationē. Cum audissent aūt quia Hebræa lingua loquereť ad illos, magis præstiterunt silentium. Et dixit: Ego sum uir Iudæus natus Tharso Ciliciæ: nutritus autem in ista ciuitate secus pedes Gamalielis: eruditus iuxta ueritatē paternæ legis: æmulator legis sicut & uos omnes estis hodie: qui hāc uiam persecutus sum usq; ad mortē, alligās & tradens in custodias uiros ac mulieres: sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes maiores natu: a quibus & epistolas accipiens ad fratres Damascū pergebam ut adducerē inde uinctos in Hierusalē ut punirētur. Factū est autem eunte me & appropinquante Damasco, media die subito de cœlo circumfulsit me lux copiosa, & decidens in terram audiui uocē dicentem mihi. Saule Saule quid me persequeris? Ego autē respōdi: Quis es domine? Dixitq; ad me: Ego sum Iesus Nazarenus quē tu persequeris. Et qui mecū erāt, lumē quidē uiderunt: uocē autem eius nō audierūt qui loquebatur mecū. Et dixi: Quid faciam domine? Dominus autem dixit ad me: Surgēs uade Damascum: & ibi tibi dicetur de omnibus quæ te oporteat facere. Et cum non uiderē præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitib⁹,

XXII.

ἦλθομ εἰς δαμασκόμ. Ανανίας δέ τις
ἀνὴρ εὐσεβὴς, κατὰ τὸμ νόμομ, μαρτυ-
ρούμενος ὑπὸ πάντων τῶν κατοικούν-
των Ἰουδαίων, ἐλθὼν πρός με καὶ ἐπι-
στὰς, εἶπέ μοι. Σαοὺλ ἀδελφέ, ἀνά-
βλεψομ. κἀγὼ αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἀνέβλε-
ψα εἰς αὐτόμ. Ο δὲ εἶπεμ, ὁ θεὸς τῶμ
πατέρωμ ἡμῶμ προεχείρισατό σε
γνῶναι τὸ θέλημα αὐτοῦ, καὶ ἰδεῖμ τὸμ
δίκαιομ, καὶ ἀκοῦσαι φωνὴμ ἐκ τοῦ σό-
ματος αὐτοῦ, ὅτι ἔσῃ μάρτυς αὐτῷ
πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ὧμ ἑώρα-
κας καὶ ἤκουσας. καὶ νῦμ τί μέλλεις;
Ἀναστὰς βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι τὰς
ἁμαρτίας σου, ἐπικαλεσάμενος τὸ
ὄνομα τοῦ κυρίου. Ἐγένετο δέ μοι ὑπο-
στρέψαντι εἰς Ἰερουσαλὴμ, καὶ προσευ-
χομένου μου ἐν τῷ ἱερῷ, γενέσθαι με
ἐν ἐκστάσει, καὶ ἰδεῖμ αὐτὸμ λέγοντά
μοι. σπεῦσομ καὶ ἔξελθε ἐν τάχει ἐξ
Ἰερουσαλὴμ, διότι οὐ παραδέξονταί
σου τὴν μαρτυρίαμ περὶ ἐμοῦ. κἀγὼ εἶ-
πομ. κύριε, αὐτοὶ ἐπίστανται, ὅτι ἐγὼ
ἤμην φυλακίζωμ καὶ δέρωμ κατὰ τὰς
συναγωγὰς τοὺς πιστεύοντας ἐπὶ
σε. καὶ ὅτε ἐξεχεῖτο τὸ αἷμα Στεφάνου
τοῦ μάρτυρός σου, κἀγὼ αὐτὸς ἤμην ἐφε-
στὼς καὶ συνευδοκῶμ τῇ ἀναιρέσει αὐ-
τοῦ, φυλάσσωμ τὰ ἱμάτια τῶν ἀνα-
ῤῥόντωμ αὐτόμ. καὶ εἶπε πρός με. πο-
ρεύου, ὅτι ἐγὼ εἰς ἔθνη μακρὰμ ἐξα-
ποστελῶ σε. Ἤκουομ δὲ αὐτοῦ ἄχρι τού-
του τοῦ λόγου, καὶ ἐπῆραμ τὴν φωνὴμ
αὐτῶμ, λέγοντες. αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς τὸμ
τοιοῦτομ. οὐ γὰρ καθῆκομ αὐτὸμ ζῆμ. κρα-
ζόντωμ δὲ αὐτῶμ καὶ ῥιπτόντωμ τὰ ἱμά-
τια, καὶ κονιορτὸμ βαλλόντωμ εἰς τὸμ
ἀέρα, ἐκέλευσεμ αὐτὸμ ὁ χιλίαρχος
ἄγεσθαι εἰς τὴν παρεμβολὴν, εἰπὼμ,
μάστιξιμ ἀνετάζεσθαι αὐτὸμ, ἵνα ἐπι-
γνῷ δι᾽ ἣμ αἰτίαμ οὕτως ἐπεφώνουμ
αὐτῷ. Ὡς δὲ προέτειμεμ αὐτὸμ τοῖς
ἱμάσιμ, εἶπε πρὸς τὸμ ἑστῶτα ἑκα-
τόνταρχομ ὁ Παῦλος. εἰ ἄνθρω-
πομ Ῥωμαῖομ καὶ ἀκατάκριτομ ἔξε-
στιμ ὑμῖμ μαστίζειμ; ἀκούσας δὲ ὁ ἑ-
κατόνταρχος προσελθὼμ ἀπήγγειλε
τῷ χιλιάρχῳ, λέγωμ. ὅρα, τί μέλ-
λεις ποιεῖμ; ὁ γὰρ ἄνθρωπος οὗτος
Ῥωμαῖός ἐστι. προσελθὼμ δὲ ὁ χιλί-
αρχος, εἶπεμ αὐτῷ. λέγε μοι, εἰ
σὺ Ῥωμαῖος εἶ; ὁ δὲ ἔφη, ναί. Απε-

κρίθη

ueni Damaſcũ. Ananias aũt quí-
dam, uir pius, ſecundũ legem, te-
ſtimonio probatus omnium illic
habitantiũ Iudæorũ, ueniens ad
me & aſtans, dixit mihi: Saul fra-
ter, recipe uiſum. Et ego eadẽ ho-
ra recepto uiſu, uidi illũ. At ille di
xit: Deus patrũ noſtrorũ præpa-
rauit te, ut cognoſceres uolunta-
tem ſuã, & uideres id quod iuſtũ
eſt, & audires uocem ex ore eius:
quia eris teſtis illi apud omẽs ho-
mines, eorũ quæ uidiſti & audiſti
Et nũc quid cõtaris? Exurge & ba
ptizare & ablue peccata tua inuo
cato nomine domini. Factum eſt
aũt cum eſſem reuerſus Hieroſo-
lymã, & orarem in templo, ut ra-
perer extra me, & uiderem eũ di-
centem mihi: Feſtina & exi uelo-
citer Hieroſolymis, quoniã nõ re
cipient teſtimoniũ tuũ de me. Et
ego dixi: Domine, ipſi ſciũt, quod
ego pertrahebã in carcerẽ, & cæ-
debam in ſingulis ſynagogis eos
qui credebant in te. Et cũ funde-
retur ſanguis Stephani teſtis tui,
ego quoq; aſſiſtebã et aſſentiebar
morti illius, & cuſtodiebam ueſti
menta interficientiũ illũ. Et dixit
ad me: Vade, quoniã ego ad gen
tes procul mittã te. Audiebant au
tem eum uſq; ad hoc uerbũ, atq;
ſublatis uocibus, dicebant: Tolle
de terra hominem iſtiuſmodi, nõ
enim phas eſt eum uiuere. Voci-
ferantibus aũt eis, & proiicienti-
bus ueſtimẽta, & puluerẽ iactan-
tibus in aërem, iuſſit tribunus in-
duci eum in caſtra, & imperauit
eũ flagris examinari, ut ſciret pro
pter quam cauſam ſic acclamarẽt
ei. Et cũ aſtrinxiſſet eum loris, di-
xit aſtanti ſibi centurioni Paulus:
Num hominẽ Rhomanũ et inde
mnatũ licet uobis flagellare? quo
audito, centurio acceſſit ad tribu
num, & nunciauit ei, dicẽs: Quid
facturus es? Hic em̃ homo Rho-
manus eſt. Accedens aũt tribun⁹
dixit illi: Dic mihi, num tu Rho-
manus es? At ille dixit: Etiã. Et re

ſpondit

ueni Damaſcum. Ananias
autẽ quidam uir ſecũdum
legem teſtimonium habẽs
ab omnibus cohabitãtibus
Iudæis, ueniẽs ad me & ſtãs
dixit mihi: Saule frater re-
ſpice. Et ego eadem hora re
ſpexi in eum. At ille dixit:
Deus patrũ noſtrorũ præ-
ordinauit te, ut cognoſceres
uoluntatem eius & uideres
iuſtum: & audires uocẽ ex
ore eius: quia eris teſtis illi-
us ad omẽs homines eorũ
quæ uidiſti & audiſti. Et nũc
quid moraris? Exurge & ba
ptiſare & ablue peccata tua
inuocato nomine ipſius. Fa
ctum eſt autẽ reuertenti mi
hi in Hieruſalem & orãti in
tẽplo fieri me in ſtupore mẽ
tis & uidere illũ dicentẽ mi-
hi: Feſtina & exi uelociter
ex Hieruſalẽ: quoniam non
recipient teſtimoniũ tuũ de
me. Et ego dixi: Domine ipſi
ſciunt quia ego erã concluꝺens in carcere & cædens
per ſynagogas eos qui cre-
debant in te. Et cũ funderẽ
ſanguis Stephani teſtis tui,
ego aſtabam & conſentiebã
& cuſtodiebã ueſtimẽta in-
terficientium illum. Et dixit
ad me: Vade: quoniã ego in
nationes longe mittã te. Au
diebãt autem eum uſq; ad
hoc uerbũ: & leuauerũt uo-
cem ſuam, dicẽtes: Tolle de
terra huiuſcemodi: Nõ eñ
fas eſt eum uiuere. Vocife-
rantibus autẽ eis & proiiciẽ
tibus ueſtimẽta ſua & pul-
uerem iactãtibus in aerem,
iuſſit tribunus induci eum
in caſtra, & flagellis cædi, &
torqueri eum: ut ſciret pro-
pter quam cauſam ſic accla
marent ei. Et cum aſtrinxiſ-
ſet eum loris, aſtanti ſibi cẽ-
turioni Paulus dixit: Si ho-
minem Romanũ & indem-
natum licet uobis flagella-
re? Quo audito cẽturio ac-
ceſſit ad tribunum & nun-
ciauit ei, dicens: Quid actu
rus es? Hic enim homo ci-
uis Romanus eſt. Accedẽs
autem tribunus dixit illi:
Dic mihi ſi tu Roman⁹ es?
At ille dixit: Etiam. Et re-

ſpondit

κρίβη τι ὁ χιλίαρχος, ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. ὁ δὲ παῦλος ἔφη. ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι. εὐθέως οὖν ἀπέστησαν ἀπ' αὐτοῦ, οἱ μέλλοντες αὐτὸν ἀνετάζειν. καὶ ὁ χιλίαρχος δὲ ἐφοβήθη, ἐπιγνοὺς ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι, καὶ ὅτι ἦν αὐτὸν * δεδεκώς. τῇ δὲ ἐπαύριον βουλόμενος γνῶναι τὸ ἀσφαλὲς, τὸ, τί κατηγορεῖται παρὰ τῶν Ἰουδαίων, ἔλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν δεσμῶν. καὶ ἐκέλευσεν ἐλθεῖν τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ ὅλον τὸ συνέδριον αὐτῶν. καὶ καταγαγὼν τὸν παῦλον, ἔστησεν εἰς αὐτούς. Ἀτενίσας δὲ ὁ παῦλος τῷ συνεδρίῳ εἶπεν. ἄνδρες ἀδελφοί, ἐγὼ πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ θεῷ, ἄχρι ταύτης τῆς ἡμέρας. ὁ δὲ ἀρχιερεὺς ἀνανίας ἐπέταξε τοῖς παρεστῶσιν αὐτῷ, τύπτειν αὐτοῦ τὸ στόμα. τότε ὁ παῦλος πρὸς αὐτὸν εἶπε. τύπτειν σε μέλλει ὁ θεὸς τοῖχε κεκονιαμένε. καὶ σὺ κάθῃ κρίνων με κατὰ τὸν νόμον, καὶ παρανομῶν κελεύεις με τύπτεσθαι; οἱ δὲ παρεστῶτες εἶπον. τὸν ἀρχιερέα τοῦ θεοῦ λοιδορεῖς; ἔφη τε ὁ παῦλος. οὐκ ἤδειν ἀδελφοί, ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς. γέγραπται γάρ, ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς. γνοὺς δὲ ὁ παῦλος, ὅτι τὸ μὲν ἓν μέρος ἐστὶ σαδδουκαίων, τὸ δὲ ἕτερον φαρισαίων, ἔκραξεν ἐν τῷ συνεδρίῳ. ἄνδρες ἀδελφοί, ἐγὼ φαρισαῖός εἰμι, υἱὸς φαρισαίου, περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι. τοῦτο δὲ αὐτοῦ λαλήσαντος, ἐγένετο στάσις τῶν φαρισαίων, καὶ τῶν σαδδουκαίων, καὶ ἐσχίσθη τὸ πλῆθος. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι, μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα. φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα. ἐγένετο δὲ κραυγὴ μεγάλη, καὶ ἀναστάντες γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν φαρισαίων, διεμάχοντο, λέγοντες. οὐδὲν κακὸν εὑρίσκομεν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ. εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος, μὴ θεομαχῶμεν. πολλῆς δὲ γενομένης στάσεως, εὐλαβηθεὶς ὁ χιλίαρχος μὴ διασπασθῇ ὁ παῦλος ὑπ' αὐτῶν, ἐκέλευσε τὸ στράτευμα κατελθὸν

Alius exemplar

spondit tribunus: Ego multa ſumma ciuitatem iſtam comparaui. At Paulus ait: Ego uero & natus ſum. Protinus ergo diſceſſerũt ab illo, qui eum fuerant examinaturi. Tribunus quoq; timuit poſtquàm reſciuit, quod Rhomanus eſſet, & quod uinxiſſet eum. Poſtero autem die uolens ſcire certum, qua ex cauſa accuſaretur à Iudæis, ſoluit eum à uinculis, & iuſſit principes ſacerdotum conuenire totumq; concilium, ac deductum Paulum ſiſtebat corã illis.

Intentis autem oculis in concilium, Paulus ait: Viri fratres, ego omni conſcientia bona conuerſatus ſum coram deo uſq; in hodiernum diem. Princeps aũt ſacerdotum Ananias præcepit aſtãtibus ſibi, ut percuterent os eius. Tunc Paulus dixit ad eũ: Percuſſurus eſt te deus, paries dealbate. Et tu ſedes iudicãs me ſecundũ legem, & cõtra legem iubes me percuti? Et qui aſtabant, dixerũt: Summo ſacerdoti dei maledicis? Dixit autem Paulus: Neſciebam fratres, quod põtifex eſſet. Scriptum eſt enim: Principi populi tui nõ maledices. Sciens autẽ Paulus, quod una pars eſſet Saducæorum, & altera phariſæorũ, exclamauit in concilio: Viri fratres, ego phariſæus ſum, filius phariſæi, de ſpe & reſurrectione mortuorũ ego iudicor. Et cũ hoc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter phariſæos ac Sadducæos & diſſecta eſt multitudo. Nam Sadducæi quidem dicunt, non eſſe reſurrectionem, neq; angelum, neq; ſpiritũ: phariſæi autẽ utraq; confitentur. Factus eſt aũt clamor magnus: & cum ſurrexiſſent ſcribæ de factione phariſæorum, depugnabãt, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine iſto. Quod ſi ſpiritꝰ locutus eſt ei aut angelus, ne repugnemus deo. Et cum magna ſeditio coorta eſſet, ueritus tribunus, ne diſcerperetẽ Paulus ab ipſis, iuſſit milites deſcẽdere

ſpondit tribunus: Ego multa ſumma ciuilitatem hanc conſecutus ſum. Et Paulus ait: Ego autẽ & natus ſum. Protinus ergo diſceſſerunt ab illo qui eũ torturi erant. Tribunꝰ quoq; timuit poſtquã reſciuit quia ciuis Romanus eſſet: & quia alligaſſet eum. Poſtera autem die uolens ſcire diligẽtius qua ex cauſa accuſaretur a Iudæis, ſoluit eum & iuſſit ſacerdotes cõuenire & omne conciliũ: et producens Paulum ſtatuit inter illos.

Intendens autẽ in conciliũ Paulus ait: Viri fratres ego omni conſcientia bona cõuerſatus ſum ante deum uſq; in hodiernũ diem. Princeps autẽ ſacerdotum Ananias præcepit aſtãtibus ſibi percutere os eius. Tũc Paulus dixit ad eũ: Percutiet te deus paries dealbate. Et tu ſedens iudicas me ſecundũ legem: & cõtra legem iubes me percuti? Et qui aſtabãt, dixerunt: Summum ſacerdotem dei maledicis. Dixit autem Paulus: Neſciebam fratres, quia princeps eſt ſacerdotũ. Scriptũ eſt enim: Principẽ populi tui nõ maledices. Sciens autem Paulus quia una pars eſſet Saduceorum, & altera phariſæorum: exclamauit in cõcilio: Viri fratres, ego phariſæus ſum, filius phariſæorũ: de ſpe & reſurrectione mortuorum ego iudicor. Et cũ hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter phariſæos & Saducæos: & ſoluta eſt multitudo. Saducæi autem dicunt non eſſe reſurrectionẽ mortuorũ, neq; angelũ neq; ſpiritum: phariſæi autẽ utraq; confitentur. Factus eſt autem clamor magnus. Et exurgentes quidam phariſæorum pugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine iſto: Quid ſi ſpiritus locutus eſt ei aut angelus? Et cum magna diſſenſio facta eſſet, timens tribunus ne diſcerperetur Paulus ab ipſis: iuſſit milites deſcen-

XXIII.

εἶναι ⸀καὶ ἁρπάσαι αὐτὸν ἐκ μέσου
αὐτῶν, ἄγλμ πρὸς τὴν παρεμβολήν. τῇ
δὲ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ κύ-
ριος εἶπε. θάρσει παῦλε. ὡς γὰρ διεμαρ
τύρω τὰ περὶ ἐμοῦ εἰς ἱερουσαλήμ,
οὕτως σε δεῖ καὶ εἰς ῥώμλν μαρτυ-
ρῆσαι. γενομένης δὲ ἡμέρας, ποιήσαν
τές τινες τῶν ἰουδαίων συνεφωνήσαν, ἀνε-
θεμάτισαν ἑαυτοὺς, λέγοντες, μήτε
φαγεῖν μήτε πεῖν, ἕως οὗ ἀποκτείνω
σι τὸν παῦλον. ἦσαν δὲ πλείους τεσσα
ράκοντα, οἱ ταύτλν τὴν συωωμοσί
αν πεποιηκότες. οἵτινες προσελθόντες
τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς πρεσβυτέροις,
εἶπον. ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν
ἑαυτοὺς, μηδενὸς γεύσασθαι, ἕως
οὗ ἀποκτείνωμεν τὸν παῦλον.
νῦν οὖν ὑμεῖς ἐμφανίσατε τῷ χι
λιάρχῳ καὶ τῷ συνεδρίῳ, ὅπως
αὔριον αὐτὸν καταγάγῃ πρὸς ὑμᾶς,
ὡς μέλλοντας διαγινώσκειν ἀκρι-
βέστερον τὰ περὶ αὐτοῦ. ἡμεῖς δὲ πρὸ
τοῦ ἐγγίσαι αὐτὸν, ἕτοιμοί ἐσμεν
τὸν ἀνελεῖν αὐτόν. ἀκούσας δὲ ὁ υἱὸς
τῆς ἀδελφῆς παύλου τὸ ἔνεδρον,
παραγενόμενος καὶ εἰσελθὼν εἰς
τὴν παρεμβολὴν, ἀπήγγειλε τῷ
παύλῳ. προσκαλεσάμενος δὲ ὁ
παῦλος ἕνα τῶν ἑκατοντάρχων,
ἔφη. τὸν νεανίαν τοῦτον ἀπάγαγε
πρὸς τὸν χιλίαρχον. ἔφη γάρ τι ἀ-
παγγεῖλαι αὐτῷ. ὁ μὲν οὖν παρα-
λαβὼν αὐτὸν ἤγαγε πρὸς τὸν χιλί-
αρχον, καὶ φησίν. ὁ δέσμιος παῦ-
λος προσκαλεσάμενός με, ἠρώτησε
τοῦτον τὸν νεανίαν ἀγαγεῖν πρός σε,
ἔχοντά τι λαλῆσαί σοι. ἐπιλαβόμε
νος δὲ τῆς χειρὸς αὐτοῦ ὁ χιλίαρχος, ⸀καὶ
ἀναχωρήσας κατ' ἰδίαν, ἐπυνθάνε-
το, τί ἐστιν ὃ ἔχεις ἀπαγγεῖλαί μοι; εἶ
πε δὲ, ὅτι οἱ ἰουδαῖοι συνέθεντο ἐρω-
τῆσαί σε, ὅπως αὔριον εἰς τὸ συνέ-
δριον καταγάγῃς τὸν παῦλον, ὡς
μέλλοντές τι ἀκριβέστερον πυνθάνε-
σθαι περὶ αὐτοῦ. σὺ οὖν μὴ πεισθῇς αὐ
τοῖς. ἐνεδρεύσουσι γὰρ αὐτὸν ἐξ αὐτῶν
ἄνδρες πλείους τεσσεράκοντα. οἵτι-
νες ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς μήτε φα
γεῖν μήτε πιεῖν ἕως οὗ ἀνέλωσιν
αὐτόν. ⸀καὶ νῦν ἕτοιμοί εἰσι προσδέχο
μενοι τὴν ἀπὸ σοῦ ἐπαγγελίαν. ὁ μὲν
οὖν χιλίαρχος ἀπέλυσε τὸν νεανίαν
παραγγείλας,

dere & rapere eum de medio eo-
rum, ac deducere eum in caſtra.
Sequenti autem nocte aſſiſtens
ei dominus, ait: Bono animo eſto
Paule. Vt enim teſtificatus es de
me Hieroſolymis, ſic te oportet
& Rhomæ teſtificari. Facto autē
die collegerunt ſe quidam ex Iu-
dæis, & deuouerunt ſe, dicentes:
neq; eſuros ſe, neq; bibituros, do-
nec occiderent Paulum. Erant au
tem plures quā quadraginta uiri,
qui hanc coniurationem fecerāt.
Qui acceſſerunt ad principes ſa-
cerdotum ac ſeniores, & dixerūt:
Deuotiōe deuouimus noſipſos,
nihil guſtaturos, donec occida-
mus Paulum. Nunc ergo uos ſi-
gnificate tribuno & concilio, ut
cras producat illum ad nos, tan-
quàm aliquid certius cognituros
de eo. Nos uero priuſquàm ap-
propinquet, parati ſumus inter-
ficere illum. Cum autem audiſſet
filius ſororis Pauli inſidias, uenit
& intrauit in caſtra, nunciauitq;
Paulo. Accerſito autem Paulus
ad ſe uno ex centurionibus, ait:
Adoleſcētem hunc abduc ad tri-
bunum. Habet enim quod renū-
ciet illi. Et ille quidem aſſumens
eum, duxit ad tribunum, & ait:
Vinctus Paulus accerſitū me ro-
gauit, ut hunc adoleſcentem per-
ducerem ad te, habentem aliquid
quod loquatur tibi. Apprehenſa
autem tribunus manu illius, ſeceſ
ſit cum eo ſeorſum, & perconta-
tus eſt illum, Quid eſt quod ha-
bes ſignificandum mihi? Ille au-
tem dixit. Iudæi conſpirarunt ut
rogarent te, uti craſtino die e-
duceres Paulum in concilium,
quaſi aliquid certius inquiſituri
ſint de illo, tu uero ne morem
geſſeris illis. Inſidiantur enim ei
ex eis uiri plures quadraginta,
qui ſeipſos deuouerunt, ne uel
edant uel bibant, donec interfi-
ciant eum, & nunc parati ſunt ex
pectantes, ut promittas. Tribu
nus igitur dimiſit adoleſcentem,
præcepitq;

dere & rapere eū de medio
eorum, ac deducere eum in
caſtra. Sequenti autem no-
cte aſſiſtens ei dominus ait:
Conſtans eſto: ſicut enim
teſtificatus es de me in Hie-
ruſalē: ſic te oportet & Ro-
mæ teſtificari. Facta autem
die collegerunt ſe quidam
ex Iudæis, & deuouerunt
ſe dicētes neq; manducatu-
ros neq; bibituros, donec
occiderent Paulum. Erant
autem plus quam quadra-
ginta uiri qui hanc coniura
tionem fecerant: qui acceſſe
runt ad principem ſacerdo
tum & ſeniores, & dixerunt:
Deuotiōe deuouimus nos
nihil guſtaturos, donec oc-
cidamus Paulum: Nūc er-
go uos notum facite tribu-
no cum concilio, ut addu-
cat illum ad uos, tanquam
aliquid certius cogniturī de
eo. Nos uero priuſquā ap-
propiet, parati ſumus inter-
ficere illum. Quod cum au
diſſet filius ſororis Pauli in-
ſidias, uenit & intrauit in ca
ſtra: nunciauitque Paulo.
Vocans autem Paulus ad
ſe unum ex centurionibus,
ait: Adoleſcentem hunc per
duc ad tribunum: habet e-
nim aliquid indicare illi. Et
ille quidem aſſumens eum,
duxit ad tribunum & ait:
Vinctꝰ Paulus rogauit me
hunc adoleſcentem perdu-
cere ad te habētem aliquid
loqui tibi. Apprehendens
autem tribunus manum il-
lius, ſeceſſit cū eo ſeorſum:
& interrogauit illum: Quid
eſt quod habes indicare mi
hi? Ille autem dixit: Iu-
dæis conuenit rogare te, ut
craſtina die producas Pau-
lum in concilium: quaſi ali-
quid certius inquiſituri ſint
de illo: tu uero ne credi-
deris illis. Inſidiantur enim
ei ex eis uiri amplius quam
quadraginta, qui ſe deuo-
uerunt non manducare ne-
que bibere, donec inter-
ficiant eum: & nunc para-
ti ſunt, expectantes promiſ-
ſum tuum. Tribunus igi-
tur dimiſit adoleſcentem,
præcipiens

προαγωγέλας, μηδενὶ ἐκλαλῆσαι, ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρός με. καὶ προσκαλεσάμενος δύο τινὰς τῶν ἑκατοντάρχων, εἶπεν. ἑτοιμάσατε στρατιώτας διακοσίους, ὅπως πορευθῶσιν ἕως Καισαρείας, καὶ ἱππεῖς ἑβδομήκοντα, καὶ δεξιολάβους διακοσίους, ἀπὸ τρίτης ὥρας τῆς νυκτὸς, κτήνη τε προσθῆσαι, ἵνα ἐπιβάσαντες τὸν Παῦλον διασώσωσι πρὸς Φήλικα τὸν ἡγεμόνα, γράψας ἐπιστολὴν περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον. Κλαύδιος Λυσίας τῷ κρατίστῳ ἡγεμόνι Φήλικι χαίρειν. τὸν ἄνδρα τοῦτον συλληφθέντα ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, καὶ μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, ἐπιστὰς σὺν στρατεύματι ἐξειλόμην αὐτὸν, μαθὼν ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι, βουλόμενος δὲ γνῶναι τὴν αἰτίαν, δι' ἣν ἐνεκάλουν αὐτῷ, κατήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν. ὃν εὗρον ἐγκαλούμενον περὶ ζητημάτων τοῦ νόμου αὐτῶν, μηδὲν ἄξιον θανάτου, ἢ δεσμῶν ἔγκλημα ἔχοντα. μηνυθείσης δέ μοι ἐπιβουλῆς εἰς τὸν ἄνδρα, μέλλειν ἔσεσθαι ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων, ἐξαυτῆς ἔπεμψα πρός σε, παραγείλας καὶ τοῖς κατηγόροις λέγειν τὰ πρὸς αὐτὸν ἐπ' σου, ἔρρωσο. οἱ μὲν οὖν στρατιῶται κατὰ τὸ διατεταγμένον αὐτοῖς, ἀναλαβόντες τὸν Παῦλον, ἤγαγον διὰ νυκτὸς εἰς τὴν Ἀντιπατρίδα. τῇ δὲ ἐπαύριον ἐάσαντες τοὺς ἱππεῖς πορεύεσθαι σὺν αὐτῷ, ὑπέστρεψαν εἰς τὴν παρεμβολήν. οἵτινες εἰσελθόντες εἰς τὴν Καισάρειαν, καὶ ἀναδόντες τὴν ἐπιστολὴν τῷ ἡγεμόνι, παρέστησαν καὶ τὸν Παῦλον αὐτῷ. ἀναγνοὺς δὲ ὁ ἡγεμὼν ἠρώτησε ἐκ ποίας ἐπαρχίας ἐστὶ, καὶ πυθόμενος ὅτι ἀπὸ Κιλικίας διακούσομαί σου, ἔφη, ὅταν καὶ οἱ κατήγοροί σου παραγένωνται, ἐκέλευσέ τε αὐτὸν ἐν τῷ Πραιτωρίῳ Ἡρῴδου φυλάσσεσθαι.

Μετὰ δὲ πέντε ἡμέρας κατέβη ὁ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας μετὰ τῶν πρεσβυτέρων καὶ ῥήτορος Τερτύλλου τινός, οἵτινες ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ τοῦ Παύλου. κληθέντος δὲ αὐτοῦ, ἤρξατο κατηγορεῖν ὁ Τέρτυλλος, λέγων. πολλῆς εἰρήνης τυγχάνοντες διὰ σοῦ καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει

præcæpitq; ei, ne cui effutías, inquiens, quod hæc indicaueris mihi. Et accersitis duobus quibusdã centurionibus, dixit: Parate milites ducentos, ut eant Cæsareã, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, à tertia hora noctis, & iumenta præbete, ut impositum Paulum, saluum perducant, ad Felicem præsidem, scriptis literis in hanc formam. Claudius Lysias potentissimo præsidi Felici salutem. Virũ hunc cõprehensum a Iudæis, cum iam esset interficiendus ab eis, superueniens cũ exercitu, eripui, cognito, quod Rhomanus esset. uolensq; scire causam, ob quam accusarent illũ, deduxi eum in concilium eorũ. Quem comperi accusari de quæstionibus legis ipsorum, nullum dignum morte aut uinculis habentem crimen. Et cũ indicatum esset mihi de insidijs, quas parauerant illi Iudæi, protinus misi eum ad te, præcepto dato etiã accusatoribus: ut quæ habent aduersus eum, dicant apud te: Vale. Milites uero iuxta quod sibi iniunctum erat, receptum Paulum duxerunt per noctem Antipatridem. Postero autem die dimissis equitibus ut cum eo irent, reuersi sunt in castra. Qui cum uenissent Cæsaream, ac tradidissent epistolam præsidi, statuerunt coram eo & Paulum. Cum legisset autẽ præses, & interrogasset ex qua prouincia esset, et cognouisset quod ex Cilicia, audiã te, inquit, cum accusatores quoque tui aduenerint. Iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum.

Post quinq; autẽ dies descendit princeps sacerdotũ Ananias cum senioribus & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem contra Paulũ. Et citato Paulo, cœpit accusare Tertullus, dicens: Cũ in multa pace agamus per te, & multa recte gerantur inop

præcipiens ei ne cui loqueretur, quoniã hæc nota sibi fecisset. Et uocatis duobus centurionibus, dixit illis: Parate milites ducẽtos: ut eant usq; Cæsareã: & equites septuaginta: & lancearios ducentos, a tertia hora noctis: & iumẽta præparate: ut imponentes paulum, saluum perducerẽt ad Felicem præsidem. Timuit enim ne forte raperent eum Iudæi & occiderent: & ipse postea calumniã sustineret: tanquam accepturus pecuniam: scribens ei epistolam continentem hæc: Claudius Lysias optimo præsidi Felici, salutem. Virum hunc comprehensum a Iudæis: & incipiẽtem interfici ab eis, superueniens cum exercitu eripui: cognito quia Romanus est: uolẽsq; scire causam quam obijciebant illi, deduxi eum in cõcilium eorum. Quem inueni accusari de quæstionibus legis ipsorũ: nihil uero dignum morte, aut uinculis habentem crimen. Et cum mihi perlatum esset de insidijs quas parauerãt illi: misi eum ad te, denuncians & accusatoribus ut dicant apud te. Vale. Milites uero secundum præceptum sibi assumentes Paulum, duxerunt per noctẽ in Antipatridem: & postera die dimissis equitibus, ut cũ eo irent: reuersi sunt ad castra. Qui cũ uenissent Cæsareã & tradidissent epistolã præsidi: statuerunt ante illum & Paulum. Cum legisset autẽ & interrogasset de qua prouincia esset: & cognoscẽs quia de Cilicia: Audiã te inquit, cum accusatores tui uenerint. Iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum. Post XXIIII. quinq; autem dies descẽdit princeps sacerdotũ Ananias cũ senioribꝰ quibusdã & Tertullo ꝙdam oratore: qui adierũt præsidem aduersus Paulũ. Et citato Paulo, cœpit accusare Tertullꝰ, dicẽs: Cũ in multa pace agamus per te: et multa corrigantur per

τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ σῆς προνοίας
πάντη τε καὶ πανταχοῦ ἀποδεχόμε
θα, κράτιστε φῆλιξ, μετὰ πάσης εὐχα
ριστίας. ἵνα δὲ μὴ ἐπὶ πλεῖόν σε ἐγκό
πτω, παρακαλῶ ἀκοῦσαί σε ἡμῶν
συντόμως τῇ σῇ ἐπιεικείᾳ. εὑρόντες
γὰρ τὸν ἄνδρα τοῦτον λοιμόν, καὶ κι
νοῦντα στάσιν πᾶσι τοῖς ἰουδαίοις
τοῖς κατὰ πᾶσαν οἰκουμένην, πρωτοσ
τάτην τε τῆς τῶν ναζωραίων αἱρέσεως
ὄντα, ὃς καὶ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι,
ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, καὶ κατὰ τὸν ἡ
μέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρῖναι.
παρελθὼν δὲ λυσίας ὁ χιλίαρχος,
μετὰ πολλῆς βίας ἐκ τῶν χειρῶν ἡ
μῶν ἀπήγαγεν, κελεύων τοὺς κατη
γόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι ἐπί σε, παρ᾽
οὗ δυνήσῃ αὐτὸς ἀνακρίνας περὶ πάν
των τούτων ἐπιγνῶναι, ὧν ἡμεῖς κα
τηγοροῦμεν αὐτοῦ. συνέθεντο δὲ καὶ
οἱ ἰουδαῖοι, φάσκοντες ταῦτα οὕτως
ἔχειν. ἀπένευσε δὲ ὁ παῦλος, νεύσαν
τος αὐτῷ τοῦ ἡγεμόνος λέγειν. ἐκ
πολλῶν ἐτῶν ὄντα σε κριτὴν τῷ
ἔθνει τούτῳ ἐπιστάμενος, εὐθυμό
τερον τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦ
μαι, δυναμένου σου γνῶναι, ὅτι οὐ
πλείους εἰσίν μοι ἡμέραι ἢ δέκα
δύο, ἀφ᾽ ἧς ἀνέβην προσκυνήσων
ἐν ἰερουσαλήμ. καὶ οὔτε ἐν τῷ ἱερῷ
εὗρόν με πρός τινα διαλεγόμενον,
ἢ ἐπισύστασιν ποιοῦντα ὄχλου, οὔ
τε ἐν ταῖς συναγωγαῖς, οὔτε κατὰ
πόλιν. οὔτε παρασῆσαί με δύνα
ται, περὶ ὧν κατηγοροῦσί μου. ὁμο
λογῶ δὲ τοῦτό σοι, ὅτι κατὰ τὴν
ὁδὸν, ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, οὕτως
λατρεύω τῷ πατρῴῳ θεῷ, πι
στεύων πᾶσι τοῖς κατὰ τὸν νόμον καὶ
τοῖς προφήταις γεγραμμένοις, ἐλ
πίδα ἔχων εἰς τὸν θεόν, ἣν καὶ αὐ
τοὶ οὗτοι προσδέχονται, ἀνάστασιν
μέλλειν ἔσεσθαι νεκρῶν, δικαίων τε
καὶ ἀδίκων. ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ
ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς
τὸν θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους διὰ
παντός. δι᾽ ἐτῶν δὲ πλείόνων πα
ρεγενόμην, ἐλεημοσύνας ποιήσων
εἰς τὸ ἔθνος μου καὶ προσφοράς. ἐν οἷς
εὗρόν με ἡγνισμένον ἐν τῷ ἱερῷ,
οὐ μετὰ ὄχλου, οὐδὲ μετὰ θορύ
βου. τινὲς δὲ ἀπὸ τῆς ἀσίας ἰουδαῖοι,
οὓς

in populo hoc per tuã prouidẽtiam, & ſemp & ubiq; cõprobam⁹ præſtantiſſime Felix, cum omni gratiarũ actione. Sed ne diutius te detineam, oro te, ut audias nos paucis pro tua humanitate. Nacti enim ſumus uirum hunc peſtiferum & cõcitantem ſeditionem omnibus Iudæis in uniuerſo orbe, & autorẽ ſectæ Nazarenorũ, qui etiam templũ prophanare conatus eſt, quem et apprehenſum uoluimus ſecundũ legem noſtrã iudicare. Sed ſuperueniẽs tribunus Lyſias, cũ magna ui eripuit eum è manibus noſtris, iubens accuſatores eius ad te uenire, ex quo poteris ipſe inquiſitione facta de omnibus iſtis cognoſcere, de q̃bus nos accuſamus eum. Adiecerunt aũt & Iudæi, dicẽtes hæc ita ſe habere. Reſpondit aũt Paulus, cum annuiſſet ipſe præſes, ut diceret: Aequiore animo pro meipſo cauſam dico, cũ ſciam te multis iam annis iudicem fuiſſe genti huic, qui poſſis cognoſcere, quod non plures ſunt mihi dies quàm duodecim, ex quo aſcendi adoratur⁹ Hieroſolymã. & neque in templo compererunt me cum aliquo diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neq; in ſynagogis, neque in ciuitate. neq; probare poſſunt ea de quibus me accuſant. Confiteor autẽ hoc tibi, quod iuxta uiam, quam uocant hæreſim, ſic colo patrium deum, credens omnibus quæ in lege & prophetis ſcripta ſunt, ſpem habens in deũ, fore, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem mortuorũ, iuſtorũ ſimul & iniuſtorũ. Quin in hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo cõſcientiam habere erga deum, et erga homines ſemper. Poſt annos autẽ plures acceſſi, eleemoſynas exhibiturus in gentem meam, & oblationes, in quibus compererunt me purificatũ in tẽplo, haud cum turba, neque cum tumultu. Quidam autem ex Aſia Iudæi,

per tuam prouidẽtiã, & ſemper & ubiq; ſuſcipim⁹ optime Felix cũ omni gratiarũ actione. Ne diutius autẽ te protrahã, oro breuiter audias nos pro tua clemẽtia. Inuenimus hunc hominẽ peſtiferum concitantẽ ſeditiones omnibus Iudæis in uniuerſo orbe: & auctorẽ ſeditiõis ſectæ Nazarenorũ: qui etiam templũ uiolare conatus eſt. Quẽ & apprehenſum uoluimus ſecundũ legem noſtrã iudicare: ſuperueniens aũt tribunus Lyſias, cũ ui magna eripuit eum de manibus noſtris: iubens accuſatores eius ad te uenire: a q̃ poteris ipſe iudicans de omnibus iſtis cognoſcere: de quib⁹ nos accuſamus eum. Adiecerunt autẽ & Iudæi, dicẽtes hæc ita ſe habere. Reſpõdit autem Paulus annuente ſibi præſide dicere: Ex multis annis te eſſe iudicem gẽti huic ſciẽs, bono animo pro me ſatisfaciã: Potes enim cognoſcere quia nõ plus ſunt mihi dies quam duodecim, ex quo aſcendi adorare in Hieruſalẽ: & neque in tẽplo inuenerunt me cum aliquo diſputantẽ, aut concurſum facientẽ turbæ: neq; in ſynagogis, neq; in ciuitate: neq; ꝓbare poſſunt tibi de quibus me nũc accuſant. Cõfiteor autẽ hoc tibi, quod ſecundũ ſectã quam dicũt hæreſim: ſic deſeruio patri & deo meo: credẽs omnibus quæ in lege & prophetis ſcripta ſunt: ſpem habens in deum: quã & hi ipſi expectant reſurrectionẽ futuram iuſtorũ & iniquorũ. In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiã habere ad deũ & ad homies ſemper. Poſt annos autẽ plures elemoſynas facturus in gẽtem meam ueni, & oblationes & uota, in quibus inuenerunt me purificatũ in tẽplo: non cum turba neq; cũ tumultu. Et apprehenderunt me, clamãtes & dicentes: Tolle inimicũ noſtrum. Quidã autẽ ex Aſia Iudæi

quos

οὓς δεῖ ἐπὶ σοῦ παρεῖναι καὶ κατηγορεῖν, εἴ τι ἔχοιεν πρός με. ἢ αὐτοὶ οὗτοι εἰπάτωσαν, εἴ τι εὗρον ἐν ἐμοὶ ἀδικημα, στάντος μου ἐπὶ τοῦ συνεδρίου, ἢ περὶ μιᾶς ταύτης φωνῆς, ἧς ἐκέκραξα ἑστὼς ἐν αὐτοῖς, ὅτι περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι σήμερον ὑφ' ὑμῶν. ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ φῆλιξ, ἀνεβάλετο αὐτούς, ἀκριβέστερον εἰδὼς τὰ περὶ τῆς ὁδοῦ, εἰπών. ὅταν Λυσίας ὁ χιλίαρχος καταβῇ, διαγνώσομαι τὰ καθ' ὑμᾶς. διαταξάμενός τε τῷ ἑκατοντάρχῃ τηρεῖσθαι τὸν παῦλον, ἔχειν τε ἄνεσιν, καὶ μηδένα κωλύειν τῶν ἰδίων αὐτοῦ ὑπηρετεῖν, ἢ προσέρχεσθαι αὐτῷ. μετὰ δὲ ἡμέρας τινὰς παραγενόμενος ὁ φῆλιξ σὺν δρουσίλλῃ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, οὔσῃ ἰουδαίᾳ, μετεπέμψατο τὸν παῦλον. καὶ ἤκουσεν αὐτοῦ περὶ τῆς εἰς χριστὸν πίστεως. διαλεγομένου δὲ αὐτοῦ περὶ δικαιοσύνης καὶ ἐγκρατείας, καὶ τῶν κριμάτων τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι, ἔμφοβος γενόμενος ὁ φῆλιξ, ἀπεκρίθη, τὸ νῦν ἔχον πορεύου, καιρὸν δὲ μεταλαβὼν μετακαλέσομαί σε. ἅμα δὲ καὶ ἐλπίζων ὅτι χρήματα δοθήσεται αὐτῷ ὑπὸ τοῦ παύλου, ὅπως λύσῃ αὐτόν. διὸ καὶ πυκνότερον αὐτὸν μεταπεμπόμενος ὡμίλει αὐτῷ. διετίας δὲ πληρωθείσης ἔλαβε διάδοχον ὁ φῆλιξ πόρκιον φῆστον. θέλων τε χάριτας καταθέσθαι τοῖς ἰουδαίοις ὁ φῆλιξ, κατέλιπε τὸν παῦλον δεδεμένον.

φῆστος οὖν ἐπιβὰς τῇ ἐπαρχίᾳ, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀνέβη εἰς ἱεροσόλυμα ἀπὸ καισαρείας. οἵτινες ἐνεφάνισαν δὲ αὐτῷ ὁ ἀρχιερεὺς καὶ οἱ πρῶτοι τῶν ἰουδαίων κατὰ τοῦ παύλου, καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, αἰτοῦμενοι χάριν κατ' αὐτοῦ, ὅπως μεταπέμψηται αὐτὸν εἰς ἱερουσαλήμ, ἐνέδραν ποιοῦντες ἀνελεῖν αὐτὸν κατὰ τὴν ὁδόν. ὁ μὲν οὖν φῆστος ἀπεκρίθη, τηρεῖσθαι τὸν παῦλον ἐν καισαρείᾳ, ἑαυτὸν δὲ μέλλειν ἐν τάχει ἐκπορεύεσθαι. οἱ οὖν δυνατοὶ ἐν ὑμῖν, φησὶ, συγκαταβάντες, εἴ τί ἐστιν ἐν τῷ ἀνδρὶ τούτῳ, κατηγορείτωσαν αὐτοῦ. διατρίψας δὲ ἐν αὐτοῖς ἡμέρας πλείους ἢ δέκα, καταβὰς εἰς καισάρειαν, τῇ ἐπαύριον

quos oportebat apud te præsto esse & accusare, si quid haberent aduersum me. aut hi ipsi dicant, si quid deprehenderunt in me iniquitatis, cum stem in cõcilio, nisi de una hac uoce, qua clamaui inter eos stans, de resurrectiõe mortuorum ego iudicor hodie à uobis. Auditis autẽ his, Felix distulit illos, certo sciens quæ ad eam uiã attinebant, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, pernoscã causam uestram. Iussitq; cẽturioni, ut custodiret Paulũ, sineretq; cũ relaxari, & ne quẽ ex illius familiaribus uetaret subministrare ei, aut adire eum. Post aliquot aũt dies cum aduenisset Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, accersiuit Paulũ, & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum. Disputante autẽ illo de iustitia & temperantia & de iudicio futuro, tremefactus Felix respõdit: In præsentia abi, cæterum opportunitatem nactus accersam te, simul & illud sperans fore, ut pecunia sibi daretur à Paulo ut solueret ipsum, propter quod & frequẽter accersens eum, loquebatur cũ eo. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Porcium Festũ. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum uinctum. Festus ergo suscepta prouincia, post triduũ ascendit Hierosolymam ab urbe Cæsarea. Significarũtq; illi princeps sacerdotum ac primores Iudæorum de Paulo, & rogabant eũ postulantes fauorem aduersus eum, ut accerseret eum Hierosolymam, insidias tendentes ut interficerent eum in uia. Festus aũt respondit, ut seruaretur quidem Paulus Cæsareæ, se uero breui illò profecturum. Qui ergo inter uos, inquit, potentes sunt unà nobiscũ descẽdant, & si quod est in hoc uiro crimen, accusent eũ. Demoratus aũt inter eos dieb⁹ amplius quàm decem, descendit Cæsareã: & postero die

ꝰs oportebat apud te præsto esse, & accusare, si quid haberẽt aduersum me. Aut hijpsi dicant, si quid inuenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio: nisi de una hac solummodo uoce quæ clamaui inter eos stãs: quoniam de resurrectione mortuorũ ego iudicor hodie à uobis. Distulit autem illos Felix, certissime sciens de uia hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam uos. Iussitque centurioni custodire eum & habere requiem: nec quẽquã de suis prohibere ministrare ei. Post aliquot autẽ dies ueniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa: uocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum Iesum. Disputante autem illo de iustitia & castitate & de iudicio futuro: tremefactus Felix, respõdit: Quod nunc attinet uade: tempore autem opportuno accersiam te: simul & sperans quod pecunia ei daretur a Paulo: propter quod & frequenter accersiens eum, loquebatur cum eo. Biennio autem expleto accepit successorẽ Felix Portium Festũ. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum uinctum. Festus ergo cũ ueniisset in prouinciã, post triduum ascendit Hierosolymã a Cæsarea. Adierũtq; eum principes sacerdotum & primi Iudæorum aduersus paulum: & rogabant eũ postulantes gratiam aduersus eum: ut iuberet perduci eum in Hierusalem, insidias tendentes, ut interficerent eum in uia. Festus autẽ respõdit seruari quidem Paulum in Cæsarea: se autẽ maturius profecturum. Qui ergo in uobis ait potentes sunt, descendentes simul si quod est in uiro crimen, accusent eum. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decẽ: descẽdit Cæsaream: & altera die

XXV.

ρίον καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐκέλευσε τὸν Παῦλον ἀχθῆναι. παραγενομένου δὲ αὐτοῦ, περιέστησαν οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβεβηκότες Ἰουδαῖοι, πολλὰ καὶ βαρέα αἰτιάματα φέροντες κατὰ τοῦ Παύλου, ἃ οὐκ ἴσχυον ἀποδεῖξαι, ἀπολογουμένου αὐτοῦ, ὅτι οὔτε εἰς τὸν νόμον τῶν Ἰουδαίων, οὔτε εἰς τὸ ἱερόν, οὔτε εἰς Καίσαρά τι ἥμαρτον. ὁ Φῆστος δὲ τοῖς Ἰουδαίοις θέλων χάριν καταθέσθαι, ἀποκριθεὶς τῷ Παύλῳ, εἶπε. Θέλεις εἰς Ἱεροσόλυμα ἀναβὰς, ἐκεῖ περὶ τούτων κρίνεσθαι ἐπ' ἐμοῦ; Εἶπε δὲ ὁ Παῦλος ἐπὶ τοῦ βήματος Καίσαρός ἐσώς εἰμι, οὗ με δεῖ κρίνεσθαι. Ἰουδαίους οὐδὲν ἠδίκησα, ὡς καὶ σὺ κάλλιον ἐπιγινώσκεις. Εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ, καὶ ἄξιόν θανάτου πέπραχά τι, οὐ παραιτοῦμαι τὸ ἀποθανεῖν. Εἰ δὲ οὐδέν ἐστιν ὧν οὗτοι κατηγοροῦσί μου, οὐδείς με δύναται αὐτοῖς χαρίσασθαι. Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. Τότε ὁ Φῆστος συλλαλήσας μετὰ τοῦ συμβουλίου, ἀπεκρίθη. Καίσαρα ἐπικέκλησαι; ἐπὶ Καίσαρα πορεύσῃ. Ἡμερῶν δὲ διαγενομένων τινῶν, Ἀγρίππας ὁ βασιλεὺς καὶ Βερνίκη κατήντησαν εἰς Καισάρειαν, ἀσπασόμενοι τὸν Φῆστον. Ὡς δὲ πλείους ἡμέρας διέτριβον ἐκεῖ, ὁ Φῆστος τῷ βασιλεῖ ἀνέθετο τὰ κατὰ τὸν Παῦλον, λέγων. Ἀνήρ τίς ἐστι καταλελειμμένος ὑπὸ Φήλικος δέσμιος, περὶ οὗ γενομένου μου εἰς Ἱεροσόλυμα, ἐνεφάνισαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τῶν Ἰουδαίων, αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην, πρὸς οὓς ἀπεκρίθην, ὅτι οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν, πρὶν ἢ ὁ κατηγορούμενος κατὰ πρόσωπον ἔχοι τοὺς κατηγόρους, τόπον τε ἀπολογίας λάβοι περὶ τοῦ ἐγκλήματος. Συνελθόντων οὖν αὐτῶν ἐνθάδε, ἀναβολὴν μηδεμίαν ποιησάμενος, τῇ ἑξῆς καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐκέλευσα ἀχθῆναι τὸν ἄνδρα, περὶ οὗ σταθέντες οἱ κατήγοροι, οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον ὧν ὑπενόουν ἐγώ. ζητήματα δέ τινα περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας εἶχον πρὸς αὐτὸν, καὶ περί τινος Ἰησοῦ τεθνηκότος,

ro die ſedit pro tribunali, iuſſitq; Paulum addúci. Qui cum perductus eſſet, circumſteterunt eum qui ab Hieroſolymis deſcenderant Iudæi, multa & grauia crimina intendentes aduerſus Paulum quæ non poterant probare. Paulo pro ſe reſpondente, quod neq; in legem Iudæorum, neq; in templum, neq; in Cæſarem quicquã peccaſſet. Feſtus autem uolens gratificari Iudæis, reſpõdens Paulo, dixit: Vis Hieroſolymã aſcendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæſaris ſto, ubi me oportet iudicari. Iudæis nullam iniuriã feci, ſicut & tu melius noſti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori. Si uero nihil eſt eorũ, de quibus hi accuſant me, nemo poteſt me illis donare. Cæſarem appello. Tunc Feſtus cum conſilio colloquutus reſpondit: Cæſarem appellaſti? ad Cæſarem ibis. Et cum dies aliquot trãſacti eſſent, Agrippa rex et Bernice deſcenderunt Cæſareã ſalutaturi Feſtum. Et cũ dies complures ibi commorarentur, Feſtus regi retulit cauſam Pauli, dicens: Vir quidam eſt relictus à Felice uinctus, de quo cum uenisſem Hieroſolymam, ſignificarunt mihi principes ſacerdotum & ſeniores Iudæorum poſtulantes aduerſus illum ſententiam. Quibus reſpõdi: Non eſt Rhomanis conſuetudo ob gratiam donare aliquem hominem ut pereat, priuſquã is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumq; defendendi accipiat de crimine. Cum ergo huc conueniſſent, ſine ulla dilatione, ſequenti die ſedens pro tribunali iuſſi adduci uirum. De quo cum ſtetiſſent accuſatores, nullum crimen intendebant ſuper hiſce rebus, de quibus ego ſuſpicabar, ſed quæſtiones quaſdã de ſua ſuperſtitione habebant aduerſus eum, & de quodam Ieſu defuncto

ra die ſedit pro tribunali: & iuſſit Paulum adduci. Qui cum perductus eſſet, circũſteterunt eum qui ab Hieroſolyma deſcenderãt Iudæi: multas & graues cauſas obijcientes: quas nõ poterant probare, Paulo rationẽ reddente: quoniam neq; in legem Iudæorũ neq; in templũ neq; in Cæſarem quicquã peccaui. Feſtus autem uolens gratiã præſtare Iudæis: reſpondens Paulo, dixit: Vis Hieroſolymã aſcendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit aũt Paulus: Ad tribunal Cæſaris ſto: ibi me oportet iudicari. Iudæis non nocui: ſicut tu melius noſti. Si eñ nocui: aut dignum morte aliquid feci: non recuſo mori. Si uero nihil eſt eorũ quæ hi accuſant me: nemo poteſt me illis donare. Cæſarem appello. Tunc Feſtus cum cõſilio locutus, reſpondit: Cæſarem appellaſti: ad Cæſarem ibis. Et cũ dies aliquot trãſacti eſſent, Agrippa rex et Bernice deſcenderũt Cæſaream ad ſalutandum Feſtum. Et cũ dies plures ibi morarentur, Feſtus regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam eſt derelictus a Felice uinctus: de quo cũ eſſem Hieroſolymis, adierunt me principes ſacerdotum & ſeniores Iudæorum poſtulantes aduerſus illum damnationem. Ad quos reſpondi: quia non eſt Romanis cõſuetudo damnare aliquem hominem priuſquã is qui accuſat præſentes habeat accuſatores: locumq; defendendi accipiat: ad abluenda crimina quæ ei obijciuntur. Cum ergo huc cõueniſſent ſine ulla dilatione: in ſequenti die ſedẽs pro tribunali, iuſſi adduci uirum. De quo cum ſtetiſſent accuſatores, nullam cauſam deferebant: de quibus ego ſuſpicabar malũ. Quæſtiones uero quaſdã de ſua ſuperſtitione habebant aduerſus cũ: & de quodã Ieſu defuncto,

πθικκότος, ὃν ἔφασκεν ὁ παῦλος ζῆν. Ἀπορούμενος δὲ ἐγὼ τὴν περὶ τούτου ζήτησιν, ἔλεγον, εἰ βούλοιτο πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλήμ, κἀκεῖ κρίνεσθαι περὶ τούτων. Τοῦ δὲ παύλου ἐπικαλεσαμένου, τηρηθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ σεβαστοῦ διάγνωσιν, ἐκέλευσα τηρεῖσθαι αὐτὸν, ἕως οὗ πέμψω αὐτὸν πρὸς καίσαρα. Ἀγρίππας δὲ πρὸς τὸν φῆστον ἔφη, ἐβουλόμην κἀγὼ τοῦ ἀνθρώπου ἀκοῦσαι. Ὁ δὲ φῆστος εἶπεν, Αὔριον ἀκούσῃ αὐτοῦ. Τῇ οὖν ἐπαύριον ἐλθόντος τοῦ ἀγρίππα καὶ φήστου μετὰ πολλῆς φαντασίας, καὶ εἰσελθόντων εἰς τὸ ἀκροατήριον σὺν τοῖς χιλιάρχοις καὶ ἀνδράσι τοῖς κατ' ἐξοχὴν οὖσι τῆς πόλεως, καὶ κελεύσαντος τοῦ φήστου, ἤχθη ὁ παῦλος. καὶ φησὶν ὁ φῆστος, Ἀγρίππα βασιλεῦ, καὶ πάντες οἱ συμπαρόντες ἡμῖν ἄνδρες, θεωρεῖτε τοῦτον, περὶ οὗ πᾶν τὸ πλῆθος τῶν Ἰουδαίων ἐνέτυχόν μοι ἔν τε Ἱεροσολύμοις καὶ ἐνθάδε, ἐπιβοῶντες μὴ δεῖν ζῆν αὐτὸν μηκέτι. Ἐγὼ δὲ καταλαβόμενος μηδὲν ἄξιον θανάτου αὐτὸν πεπραχέναι, καὶ αὐτοῦ δὲ τούτου ἐπικαλεσαμένου τὸν σεβαστόν, ἔκρινα πέμψαι αὐτόν. περὶ οὗ ἀσφαλές τι γράψαι τῷ κυρίῳ οὐκ ἔχω. διὸ προήγαγον αὐτὸν ἐφ' ὑμῶν, καὶ μάλιστα ἐπὶ σοῦ βασιλεῦ ἀγρίππα, ὅπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης, σχῶ τι γράψαι. ἄλογον γάρ μοι δοκεῖ πέμποντα δέσμιον, μὴ καὶ τὰς κατ' αὐτοῦ αἰτίας σημᾶναι. Ἀγρίππας δὲ πρὸς τὸν παῦλον ἔφη, ἐπιτέτραπταί σοι ὑπὲρ σεαυτοῦ λέγειν. Τότε ὁ παῦλος ἀπελογεῖτο ἐκτείνας τὴν χεῖρα. Περὶ πάντων ὧν ἐγκαλοῦμαι ὑπὸ Ἰουδαίων βασιλεῦ ἀγρίππα, ἡγημαι ἐμαυτὸν μακάριον, μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ σήμερον, μάλιστα γνώστην ὄντα σε πάντων τῶν κατὰ Ἰουδαίους, ἠθῶν τε καὶ ζητημάτων. Διὸ δέομαί σου, μακροθύμως ἀκοῦσαί μου. Τὴν μὲν οὖν βίωσίν μου τὴν ἐκ νεότητος, τὴν ἀπ' ἀρχῆς γενομένην ἐν τῷ ἔθνει μου ἐν Ἱεροσολύμοις, ἴσασι πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, προγινώσκοντές με ἄνωθεν, ἐὰν θέλωσι μαρτυρεῖν, ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας,

defuncto, quem affirmabat Paulus uiuere. Hæsitãs autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam, num uellet ire Hierosolymam, & ibi iudicari super istis. Paulus aũt cum appellasset ut seruaretur Augusti cognitioni, iussi seruari eũ, donec mitterem eum ad Cæsarẽ Agrippa autẽ dixit ad Festũ: Volebã & ipse hominẽ audire. Cras, inquit, audies eum. Postero autẽ die cum uenissẽt Agrippa & Bernice cum multo apparatu, & introissent in auditorium cum tribunis & uiris principalibus ciuitatis, iubente Festo adductus est Paulus. Et dicit Festus: Agrippa rex, & omẽs qui simul adestis nobiscum uiri, uidetis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me, & Hierosolymis & hic, acclamantes nõ oportere eũ uiuere amplius. Ego uero comperi nihil dignũ morte eum admisisse. Cæterum cum is ipse appellasset Augustum, statui mittere eum. De quo quid certũ scribã domino, non habeo. Qua propter, pduxi eũ ad uos, & maxime ad te rex Agrippa, ut examinatione facta, habeam quod scribam. Iniquum emi mihi uidetur mittere uinctum, & crimina de quibus accusatur non significare.

Agrippa uero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu pro se dicebat: Super omĩbus de quibus accusor à Iudæis rex Agrippa, existimo me beatum, qui causam dicturus sim apud te hodie, cum tu maxime sis gnarus earum, quæ apud Iudæos sunt, & cõsuetudinũ & quæstionũ. Quapropter obsecro te, ut patienter me audias. Itaq; uitã quidem meam, quã egi ab adolescentia, quæ ab initio fuit in gẽte mea Hierosolymis nouerũt omnes Iudæi, qui prius nouerãt me ab initio, si uelint testimoniũ ferre, quod secundum exquisitissimã sectã nostræ religionis

defuncto, quem affirmabat Paulus uiuere. Hæsitãs autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam si uellet ire Hierosolymam: & ibi iudicari de istis. Paulo autem appellante, ut seruarẽ Augusti cognitioni, iussi seruari eum: donec mittam eum ad Cæsarem. Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras inquit audies eũ. Altera autẽ die cum uenissẽt Agrippa & Bernice cum multa ambitione: & introissent in auditorium cum tribunis & uiris principalibus ciuitatis: iubente Festo adductus est Paulus. Et dixit Festus: Agrippa rex & omnes qui simul adestis nobiscum uiri, uidetis hũc hominem de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me, petẽtes & acclamantes: nõ oportere eum uiuere amplius. Ego uero comperi nihil dignum eum morte admisisse. Ipso autẽ hoc appellante, ad Augustũ iudicaui mittere. De quo quid certũ scribam domino, non habeo: propter quod perduxi eum ad uos: & maxime ad te rex Agrippa: ut interrogatione facta, habeam quid scribã. Sine ratiõe enim mihi uidetur mittere uinctum, & causam eius non significare.

Agrippa uero ad Paulũ ait: Permittit tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationẽ reddere. De omĩb⁹ quibus accusor a Iudæis rex Agrippa æstimo me beatũ apud te: cũ sim defensurus me hodie, maxime te sciente omnia quæ apud Iudæos sunt cõsuetudines & quæstiões: propter quod obsecro, patiẽter me audias. Et quidem uitã meã a iuuẽtute quæ ab initio fuit in gente mea in Hierosolymis, nouerũt omnes Iudæi præsciẽtes me ab initio: si uelint testimoniũ perhibere: quoniam secũdum certissimam sectam nostræ

XXVI.

θρησκείας, ἔζησα φαρισαῖος, καὶ νῦν
ἐπ' ἐλπίδι εἰμὶ κρινόμενος ὑπὸ τοῦ θεοῦ,
τῆς πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν ἐπαγγελίας γενομένης ὑπὸ τοῦ θεοῦ,
εἰς ἣν τὸ δωδεκάφυλον ἡμῶν ἐν ἐκτενείᾳ νύκτα καὶ
ἡμέραν λατρεῦον, ἐλπίζει καταντῆσαι. περὶ ἧς ἐλπίδος ἐγκαλοῦμαι ὑπὸ
Ἰουδαίων, βασιλεῦ ἀγρίππα. ὑπὸ τίνων Ἰουδαίων.
τί ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν, εἰ ὁ θεὸς
νεκροὺς ἐγείρει; ἐγὼ μὲν οὖν ἔδοξα
ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ τοῦ Ναζαραίου δεῖν πολλὰ ἐναντία πρᾶξαι,
ὃ καὶ ἐποίησα ἐν Ἰερουσολύμοις. καὶ
πολλοὺς τῶν ἁγίων ἐγὼ φυλακαῖς
κατέκλεισα, τὴν παρὰ τῶν ἀρχιερέων ἐξουσίαν λαβών, ἀναιρουμένων
τε αὐτῶν, κατήνεγκα ψῆφον. καὶ
κατὰ πάσας τὰς συναγωγὰς πολλάκις τιμωρῶν αὐτοὺς, ἠνάγκαζον
βλασφημεῖν, περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς, ἐδίωκον ἕως καὶ εἰς
τὰς ἔξω πόλεις. ἐν οἷς καὶ πορευόμενος
εἰς τὴν Δαμασκὸν μετ' ἐξουσίας
καὶ ἐπιτροπῆς ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων, μέσης ἡμέρας μέσης, βασιλεῦ, κατὰ τὴν ὁδὸν εἶδον οὐρανόθεν ὑπὲρ
τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου περιλάμψαν με φῶς, καὶ τοὺς σὺν ἐμοὶ πο
ρευομένους. πάντων δὲ καταπεσόντων ἡμῶν εἰς τὴν γῆν, ἤκουσα φω
νὴν λαλοῦσαν πρός με, καὶ λέγουσαν
τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ. Σαοὺλ, Σαοὺλ
τί με διώκεις; σκληρόν σοι πρὸς κέν
τρα λακτίζειν. ἐγὼ δὲ εἶπον. τίς εἶ
κύριε; ὁ δὲ εἶπεν. ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς
IAM quo res sit dilucidior,argumentum epistolæ paucis explicandum. Atq; ut exordiar ab ipso nomine,quanquàm me non fugit Hieronymum in commentarijs, quos scripsit in epistolam ad Philemonem in hac esse sententia,ut existimet apostolũ prius uocatum Saulum, Pauli uero cognomẽ ceu trophæum usurpasse à Sergio Paulo proconsule,quem Christo lucrifecit,quem admodum legimus in Actis apostolorum cap. xiij. Rursus alios esse,quibus placeat in Iudaismo dictum Saulum,mutata religione simul & nomẽ mutasse. Sed alteram minus probabilem facit,quod Lucas hoc ipso,quod modo citauimus capite scribit: Saulus qui & Paulus repletus spiritu sancto, haud obscure declarans eum binominem fuisse, priusquàm Sergius Paulus esset conuersus, alteram plane refellit, quod cũ alijs aliquot locis,tum in eodẽ capite Saulus dicitur iam Christi prædicans Euangelium: Dixit illis spiritus sanctus: segregate mihi Saulum & Barnabam. Proinde mihi uero propior uidetur Origenis opinio, quemadmodum in ueteris instrumenti libris aliquot cõperimus diuersis nominibus notatos, uelut Idida dictum, qui aliâs uocatus est Salomõ: & Oziam alicubi dictum,qui alibi sit Azarias, Item in euangelicis literis, Lucæ dictũ Leui,qui se in suo Euãgelio Matthæum nominat,ita Paulo geminum fuisse uocabulum:quãquàm ipse in suis epistolis se nunquam Saulũ appellat,sed ubiq; Paulum,fortassis ob id,quod Pauli uocabulum Græcorum ac Rhomanorum,ad quos scribebat, auribus esset familiarius.Saulus enim sic à Saul Hebræa uoce deflexũ apparet, ut Græci à Ioseph Iosephum deflexerunt. Paulus autem Hebræis sonat mirabilem,si tamẽ ferendum putamus,Rhomanæ seu Græcanicæ uocis etymologiam à peregrina lingua peti. Quod tamen Hieronymus cum alicubi in alijs reprehendat,hic sibi permittit,opinor,ut in re non admodum seria.Certe Græcis sonat quietum, Latinis pusillum.Saul Hebræis sonat postulatum, & si Ambrosio credimus, inquietudinem siue tentationem. Atq; hæc quidem de ratione nominis,ut in argumẽto penè plus satis.Cæterum dictauit hanc epistolam,excipiente Tertio, quod is quoq; in calce epistolæ testatur,adijciẽs:Saluto uos ego Tertius,qui scripsi epistolam, in domino. Missam apparet è Corintho,per Phœbẽ fœminam Cenchreensem.Est autem Cenchreæ portus Corinthiorum, haud procul ab urbe dissitus. Quod si tempus quoq; requiratur, scriptam apparet,post utrãq; ad Corinthios epistolã: unde putant in hac absolutæ iam & confirmatæ pietatis argumenta potissimum elucere,id temporis,cum peragrata iam Achaia,in qua Corinthus est, & huic finitima Macedonia usq; ad Illyricum: ac non solum prædicato ubiq; Christi euangelio,in his duntaxat locis, in quibus aliorum apostolorum nemo prædicauerat, uerumetiam iuxta Petri monita, collecta à suis aliquanta pecunia, in subsidium pauperum,adornaret iter Hierosolymam,ut exhibito quod acceperat, illinc proficisceretur in Hispaniam, Rhoma iter facturus,atq; illic obiter salutaturus Christianos,de quorũ fide ac religione audierat,cum ipsos nondum uidisset.Acciderat

enim illis diuersum quiddam atq; Galatis. Siquidē hi primum recte à Paulo instituti, postea fraude pseudapostolorum circūuenti sunt, & retracti in Iudaismū. Contra Rhomani, primum male instituti à pseudapostolis, simul atque pro sua prudentia senserant fraudem, resipuerunt, & in eo quod rectum esse cognouerūt, perseuerabant. Nam in ecclesiæ nascentis primordijs erant qui existimarent, Euāgelij gratiam, quoniam Abrahæ posteris, & Iudaicæ genti peculiariter promissa uidebatur, non esse propagandam in prophanas gentes, & simulacrorum ac dæmonum cultui deditas. In qua sententia & Petrum apparet fuisse, qui uiso monē dus erat ut Cornelium centurionem admitteret: quo nomine mox illi exhibitum est negotium Hierosolymis, expostulantibus his, qui ex Iudaismo cōuersi fuerāt ad Christum, quod cum incircuncisis habuisset commercium, atq; in his probabile est & apostolos aliquot fuisse. Sic enim legimus in Actis cap. xi. Audierunt autem apostoli & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt uerbum dei. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant ex circuncisione dicentes: Quare introisti ad uiros præputium habentes, & manducasti cum illis? Erant rursus, qui licet non existimarēt gentes prorsus arcendas ab euangelij consortio, non admittendas tamen ducebant nisi circunciderentur ritu Iudaico: perinde quasi Christus egeret adminiculo legis Mosaicæ, simul ut euangelij gloriam in suam gentem transferrent. Et in Actis apostolorum cap. xi. proditum est, eos qui ob persecutionem, quæ accidit à morte Stephani, profugerant in Phœnicen, in Cyprum & in Antiochiam, nemini prædicasse Christū nisi solis Iudæis. Rursus capi. xv. Quidam Iudæi ueniunt Antiochiam, palàm aduersus Paulum & Barnabā prædicantes, non esse spem salutis, nisi iuxta Moysi præscriptum circuciderentur. Tantusq; tumultus per hos concitatus est, ut coacto concilio decretum sit, ut Paulus & Barnabas una cum aduersarijs Hierosolymam irent, & lis apostolorum ac seniorum arbitrio componeretur. Atq; illic rursum acriter obnitentibus non nullis, præsertim factionis pharisaicæ Christianis, cuius fuerat & Paulus, coacta est synodus apostolorum & seniorum, ac Petri Iacobiq; autoritate decretum est, ne gentes onerarentur lege Mosaica, tantum temperarent, ab esu suffocati animantis, à sanguine, à carnibus simulacro immolatis, & à stupris. Quod tamen pro ratione temporum, inuincibili Iudæorum superstitioni datum esse uel illud argumēto est, quod tria illa iam olim uidemus esse sublata, ac prorsus abolita. Ex eodem fonte nata est illa Pauli cum Petro concertatio Antiochiæ, cum gentium apostolus cernens suos ob Petri simulationem peridi tari, palàm illum redarguit, quemadmodum refert ipse in epistola ad Galatas capi. ij. Rursum Hierosolymis autore Iacobo, quo purgaret iam inter Iudæos sparsum rumorem, quod retrahere uideretur à lege Mosaica, cum cæteris caluitiū induxit capiti, & iuxta ritum Iudaicum purgatus munus obtulit in templo, sicuti refert Lucas Actorum cap. xxi. Quo quidem ex loco uidetur Iacobus, tametsi gentes prius onere legis Mosaicæ propēmodum liberasset, esse tamen in hac sententia, ut putaret à Iudæis exigendam esse legis obseruationē: uel in hoc ut placarentur ij, qui nondum sic profecerant in euangelica ueritate, ut possent omnino patrios

trios ritus contemnere. Sic enim loquitur,ut est coniectandum multitudinis congregatæ nomine,Iacobus:Et scient omẽs quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legẽ. Nec alia de causa opinor, totondit caput ex uoto Cenchreis capite decimo octauo. Consimili necessitate circumcidit Timotheũ capite decimo sexto, cum esset matre quidẽ Iudæa natus, sed patre ethnico. Tantæ molis erat ex Iudæo facere Christianum. Est enim ei genti peculiaris quædam pertinacia, nec ulla fuit unquam suæ religionis tenacior, ut eleganter docet Iosephus in apologia Iudaicarum antiquitatum. Ad hæc ut Iudæorum natio tum omnibus orbis nationibus erat peculiariter inuisa,ita uicissim omnes execrabantur illi,ceu impuros,prophanos & impios,adeo ut nec congressu dignarentur, & templum suum pollui crederent, si quis forte incircuncisus esset ingressus. Tantũ erat præcisæ pelliculæ superciliũ.Cum igitur spes non esset fore,ut Græci Rhomanicq; legem inuisam reciperent, & incredibili pertinacia reclamarent Iudæi, Paulus intelligens periculum esse, ne tam exitiabili dissidio magna ex parte periret euangelij fructus,& Christi gloria Mosaici nominis obscuraret admixtu, hoc in primis agit ubicq;,ut legis ceremonias abroget atque antiquet,omnemcq; salutis adipiscẽdæ fiduciam,in unum Christum transferat.Sicut autẽ Galatas acriter,sed tamen amanter obiurgat,quod essent in Iudaismum adducti:ita Rhomanos præmunit et instruit, ne ab pseudapostolis,quos sciebat nusquã cessare,illaqueentur incauti, sed in recta doctrina quam amplecti cœpissent, persisterent. Erat enim Rhomæ ingens Iudæorum numerus,siue illuc à Pompeio translatus,siue quod iam Rhomanorum esset prouincia Iudæa, quorum superstitio crebro & apud Iuuenalem atque Horatium & apud Senecam notatur. Cum quibus & Paulo multum negotij fuisse,posteaquàm Rhomam peruenisset, testatur extremum caput actorũ apostolicorum. Ac miro consilio singularis artifex in hac epistola sermonẽ temperat, inter Iudæos & gentes, dum studet omneis omnibus modis ad Christum pellicere,necq; uult,si fieri possit, quẽquam omnino mortalium perire suo duci cui militabat. Itaq; nunc hos obiurgat,nunc illos:nunc rursus erigit,ac subleuat. Gentium supercilium deprimit, ostendens nihil illis profuisse necq; naturæ legem, neque philosophiam, cuius professione tumebant,quo minus in omne scelerum decus prolaberentur.Rursum Iudæorum arrogantiam cohercet, qui legis fiducia perdidissent,id quod erat totius legis caput,fidem in Christum Iesum,docens legis ceremonias antiquatas esse iam coruscante Christi euangelio,quem legis umbræ deliniarant,abrogata iam ocia sabbatorum,circuncisionis iniuriam,Calendarum recursus, ter quotannis redeuntes ferias, delectum ciborum, in singulos dies iterum sordidãda lauacra,pecudũ innoxiarum lanienam,templi religionem assiduis inquinati cædibus. Has rerum umbras emicãte luce ueritatis euanescere. Veros esse filios Abrahæ,qui fidem Abrahæ referrent,uere Iudæos esse,qui Christũ profiterentur,uere circuncisos, qui mentẽ haberent à fœdis cupiditatibus repurgatam. Veram iusticiã ac perfectam salutẽ citra legis auxilia,per euangelium ac solã fidẽ in Christo conferri ex æquo omnibus,licet ea salus peculiariter olim esset promissa Iudæis:sed ita his promissa,ut prophetæ non tacuerint, fore ut illis reijcien-

tibus ad gentes prædicatio Christi propagaretur. Per legem Mosaicam ueram iu
stitiam nulli contingere, sed per fidem: idq; docet tum exemplo Abrahæ, tum ua
rijs ipsius legis testimonijs. Et ad eum modũ detracto utrisq; supercilio, adempta
utrisq; fiducia sui, omneis æquat in negocio fidei euangelicæ, ita gratulans saluti
gentium, ut suæ gentis cæcitatem paterno deploret affectu, licet illam ubiq; perti
naciſſime infensam experiretur, atq; id per se durũ, ita mitigat, ut dicat nec omneis
excæcatos & fore ut aliquando resipiscat Iudæorũ natio, fide gentium prouocata,
Atque hic obiter uaria multiplexq; doctrina de præfinitis, siue prædestinatis, de
præscitis, de uocatis, de gratia & merito, de libero arbitrio, de diuino consilio no
bis inscrutabili, de lege naturæ, de lege Moysi, de lege peccati. Varij item allegoria
rum fontes, dum duos facit Adam, alterum, quo nascimur iuxta carnẽ mortales:
alterum, quo renascimur immortales futuri. Duos homines, internum & externũ:
internum spiritui & rationi parẽtem, externum cupiditatibus & affectibus obno
xium, quorum priorem aliquando spiritum appellat, posteriorem interim corpus
siue membra, interim carnem, aliquoties legem peccati uocat. Duplicem mortem,
corporis & animi: & tertiam qua morimur peccato & peccandi affectibus. Tripli
cem item uitam, qua uiuimus corpore, qua animo, & qua uiuimus iusticiæ & pec
cato. Duplicem seruitutẽ aut libertatem, qua uicissim uel innocẽtiæ seruimus, emã
cipati à peccatis, uel peccatis seruimus, liberi à iusticia. Duplicẽ Iudaismum, dupli
cem circunciſionẽ, geminos posteros Abrahæ, duas parteis legis Mosaicæ: carna
lem, ueluti corpus: spiritualem, uelut animam legis. Duplicem baptismũ, quo pri
mum abluimur à peccatis pristinis sacro lauacro, & quo Christo cõmorimur, ab
dicatis mũdi affectibus. Duplicem sepulturã, corporalem, qua triduo sepultus est
Christus: & spiritualem, qua nos semoti à mũdi uitijs, requiescimus in illo. Dupli
cem resurrectionem, alteram quæ præcessit in Christo, in nobis secutura: alteram
qua nos à peccatis pristinis rediuiui, progredimur à uirtute ad uirtutem, hac parte
quoad licet futuram immortalitatẽ meditantes. Duplicem iusticiam, dei & homi
num. Duplex iudicium, dei & hominũ. Duplicem gloriam siue laudem, apud deũ
& apud homines. His dissertis, transit ad locum moralem: in primis adhortãs ad
mutuam concordiam, exemplo membrorum corporis. Et quoniam pax constare
non potest, ubi fastus est aut liuor, obsecrat, ut obsequijs mutuis, mutuum amo
rem alant foueantq;: Rhomanos, ut Iudæorum infirmitatem ex diutina legis as
suetudine relictam ferant: Contra Iudæos, ne gentibus in euangelij consortium
ascitis inuideant, sed illorũ fidem ac libertatem potius æmulentur: & cum idem sit
omnium deus, idem Christus, eadem gratia, idem præmium, omnes in unũ cor
pus coalescant, neque quisquam sibi arroget quicquam: sed si qua dote præcellat
aliquis, eam ad fratris opem accommodet. Atque hunc locum uarie tractat, do
cens, quales se præstare debeãt erga Iudæos incredulos, quales erga Christianos
superstitioſiores, siue, ut ipse uocat, infirmos: quales erga superiores, quales erga
inferiores, quales erga pares, quales erga principes ac magistratus Ethnicos, sed
suo utcunque fungentes officio, quales in prosperis, quales in aduersis. De
inde rursum laude Rhomanorum, mitigat admonitionis acerbitatem: & suam

apud

apud illos autoritatem commendat,commemorans quanto plus cæteris promo/
uerit in Euãgelio Christi,declarat quãta teneatur illos uidendi cupiditate: & ſpem
facit ſui aduentus, cur eum differre cogatur,aperit,laudans ſpontaneam Macedo
num & Corinthiorum in pauperes ſanctos liberalitatem,tacite ac uerecũde Rho
manos ad æmulandum prouocans.Caput extremum penè totum occupat ſaluta
tionibus, non frigide congeſtis multorum nominibus, ſed mire ſuo cuiq; addito
elogio.Poſtremo quoniam penitus nouerat & pſeudapoſtolorũ improbam uer/
ſutiam,& Rhomanorum ſimplicitatem,ac facilitatem,admonet etiam atq; etiam
caueant, ne illorum blandiloquentia fallãtur. Quanquàm autem horum pleraq;
peculiarius ad eam pertinent ætatẽ, in qua rudis adhuc paulatim ſuppullulabat
eccleſia Iudæis & gentibus admixta,ac principibus Ethnicis obnoxia,tamen nihil
eſt,unde nõ ad hæc quoq; tempora ſalutaris aliquid doctrinæ poſſit accõmoda/
ri, ueluti de fugienda ſuperſtitione, quæ diſſidiorum eſt ſeminarium: & ſic habet
ſpeciẽ pietatis, ut nihil ſit ueræ pietati aduerſius:de ſtulta fiducia philoſophiæ mũ
danæ,de merito fidei,de uitando faſtu,de toleranda alicubi minus eruditorũ aut
ſuperſtitioſorum imbecillitate,de mutuis obſequijs alenda concordia,de ferendis
aliquouſq; malis principibus & impijs epiſcopis,ne turbetur ordo ſtatus publici,
de malefactis beneficentia ſuperandis, de non iudicãdo quod ad te nõ pertineat,
de commode interpretando quicquid recto animo fieri poteſt,de cauẽda inſidio/
ſa blandiloquentia,alijſq; id genus rebus,in quibus hodieq; communis hominũ
uita uerſatur. Sed utilitatẽ huius epiſtolæ æquat,ac penè ſuperat difficultas, idq;
mihi tribus potiſſimũ de cauſis accidere uidetur,ſiue quod non alibi ſermonis or/
do confuſior,nuſquàm oratio hyperbatis magis hiulca,nuſquàm anantapodotis
crebrius inabſoluta,quod ſubinde queritur interpres Origenes,in huiuſmodi dif/
ficultatibus paſſim luctans ac laborans.Quod utrum interpreti aut ſcribæ Tertio
ſit tribuendum,an ipſi Paulo,aliorum eſto iudicium. Ipſe ſanè agnoſcit ſermonis
imperitiam,licet rerum inſcitiam deprecetur. Rurſus adeo non affectauit oratio/
nem arte humana compoſitam, ut eam ſibi fugiendam etiã duxerit,ne quid hinc
decederet gloriæ crucis:atq; ob id Origenes exiſtimat ſuperuacaneum eſſe,ſermo
nis compoſitionem in eo requirere. Hieronymus aliâs illi uindicat orationis arti/
ficium,aliâs adimit,ingenue confitens è corrupto Cilicũ ſermone nonnihil traxiſ/
ſe uitij.Auguſtinus etiam rhetorũ ornamenta floſculoſq; ex huius depromit epi
ſtolis.Quin & in actis dux uerbi eſt,& in epiſtola ad Corinthios priore,ſupra cæ/
teros omnes linguis loquitur.Quamuis enim,ut teſtatur Hieronymus,id tempo/
ris totus oriens Græce loqueretur:tamen ut conſentaneum eſt, apud Celtas non
eandem fuiſſe Rhomani ſermonis caſtimoniam, quæ fuit Rhomæ:ita ueriſimile
eſt,non parum interfuiſſe inter Cilicem Græce loquentẽ,& Atticum.Ad hæc ora/
tionis incommoda acceſſit hebraiſmus, cuius idiomata paſſim refert,ita græce lo
quens,ut nihilo ſecius interim Hebræum agnoſcas. Alteram difficultatis cauſam
arbitror,quod ob rerum inexplicabilium obſcuritatẽ,non alia ſit crebrioribus im/
pedita ſalebris, aut altioribus interrupta uoraginibus, adeo ut ipſe relicto quod
inſtituerat exclamare cogatur:O altitudo diuitiarũ.Quid quod quædã myſteria

prudens ſic attingit, ut ceu per tranſennam duntaxat oſtendat, pro temporũ illorum ratione, procp captu eorum quibus ſcribit, orationem attemperans. Nouerat & uiderat ille quædam, quæ nephas eſſet homini loqui, & nouit quatenus eſſet opus lacte, quatenus cibo ſolido. Sciebat ætatũ in Chriſto gradus, & quid cuiſoret adhibendum. Hoc conſilio Petrus apoſtolus apud rudem concionem uerba facturus de Chriſto, uirum eum nominat, deum tacet. Tertiam, opinor, crebram ac ſubitam perſonarum mutationem, dum nunc Iudæos, nunc gentes, nunc utrinque, modo credentes, modo incredulos reſpicit, aliâs infirmi, aliâs firmi, interim pñ, interim impñ, perſonam ſuſtinet. Quibus fit, ut lector uelut in labyrinthis ac Mæandris quibuſdam inextricabilibus oberrans, nec unde ſit ingreſſus ſatis uideat, nec quâ ſit exitus. Vt mihi non minus uere quàm eleganter Origenes Paulum adſimilem faciat ei, qui hoſpitem in opulentiſſimi cuiuſpiam principis palatium inducat, diuerſis uiarum ambagibus & conclauium ſeceſſibus perplexum. Quædam autem procul oſtẽdat, ex ditiſſimo opum theſauro, quædam propius admoueat, quædam uideri nolit. Sæpe interim per aliud ingreſſus hoſtium aliunde exeat, ut hoſpes ipſe miretur unde uenerit, ubi ſit, aut quâ ſit exeundũ. Agnouit hoc & Petrus apoſtolus in epiſtola ſecunda, teſtans eſſe in Paulinis epiſtolis, quædam intellectu difficilia, quæ parum eruditi, parumcp firmi deprauarent ad ſuam perniciem. Nos difficultates has pro uirili conati ſumus amoliri, niſi quod quædam Paulinæ linguæ adeo peculiaria ſunt, ut aliquoties mutari non queant, uelut hæc, fides, gratia, corpus, caro, membra, ſpiritus, mens, ſenſus, ædificare, aliáque huius generis, quæ ut prorſus mutari non debuerunt, ita quo ad licuit emollire ſtuduimus.

EPISTOLAE PAVLI APOSTOLI AD GRAECAM VERITATEM ET VETERUM Latinorum codicum fidem recognitæ per ERASMVM Roterodamum, sacræ Theologiæ professorem.

ΠΑΥΛΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ ΠΡΟΣ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

ERASMI VERSIO.

VVLGATA EDITIO.

A ΠΑΥΛΟΣ δοῦλος ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, κλητὸς ἀπόστολος, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον θεοῦ ὃ προεπηγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ, ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ τοῦ κυρίου ἡμῶν, δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν, εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, ἐν οἷς ἐστὲ καὶ ὑμεῖς, κλητοὶ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ. πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ, ἀγαπητοῖς θεοῦ, κλητοῖς ἁγίοις, χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

B Πρῶτον μὲν εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου, διὰ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, ὑπὲρ πάντων ὑμῶν ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ θεὸς, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὡς ἀδιαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου, δεόμενος, εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. Ἐπιποθῶ γὰρ ἰδεῖν ὑμᾶς, ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν, εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς, τοῦτο δέ ἐστι, συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν, διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως, ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ.

C Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν ἀδελφοὶ, ὅτι πολλάκις προεθέμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐκωλύθην ἄχρι τοῦ δεῦρο, ἵνα καρπόν τινα σχῶ καὶ ἐν ὑμῖν, καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν. Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ

PAVLVS seruus Iesu Christi uocatus ad munus apostolicū, segregatus in euangelium dei, quod ante pmiserat per prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo, qui genitus fuit ex semine Dauid, secundū carnē, qui declaratus fuit filius dei cū potentia, secundū spiritū sanctificationis, ex eo quod resurrexit è mortuis Iesus Christus dñs noster, per quē accepimus gratiā ac muneris apostolici functionē, ut obediat fidei inter omes gentes, sup ipsius noie quorum de numero estis & uos, uocati Iesu Christi. Omnibus qui Rhomæ estis dilectis dei, uocatis sanctis, gratia uobis & pax à deo patre nostro, & dño Iesu Christo.

Primū quidē gratias ago deo meo per Iesum Christū super omnibus uobis, ꝙ fides uestra annunciat in toto mūdo. Testis em mihi est deus, quē colo spū meo, in euāgelio filij ipsius, ꝙ indesinēter mentionē uestri facia, semp in precibus meis orās, si quo modo tandē aliqn psperū iter cōtingat, uolente deo, ut ueniā ad uos. Desidero em uidere uos, ut aliquod impertiar uobis donū spūale, quo cōfirmemini: hoc est, ut cōmunē capiā cōsolationē in uobis, p mutuā fidē, uestrā simul et meā. Nolo autē uos ignorare fratres, ꝙ sæpe ppositum habui uenire ad uos, licet ppedit⁹ fuerim ad hūc usq; diē, quo fructū aliquē haberē inter uos quoq; quēadmodū & inter reliqs gētes. Græcis simul & barbaris eruditis pariter

PAVlus seruus Iesu christi, uocatus Apostolus segregatus in euangeliū dei quod ante promiserat per pphetas suos in scripturis sanctis, de filio suo, qui fact⁹ est ei ex semine Dauid secūdum carnē: q prædestinat⁹ est filius dei in uirtute secūdū spiritū sanctificatiōis ex resurrectione mortuorū Iesu Christi dñi nostri: p quē accepimus gratiā & aplatū ad obediendū fidei in omnib⁹ gētib⁹ pro nomie ei⁹, in quibus estis & uos uocati Iesu Christi: oībus qui sunt Romæ dilectis dei, uocatis sanctis: Gra uobis & pax a deo pre & dño nro Iesu Christo. Primū qdē gratias ago deo meo p Iesum Christū p omnibus uobis: qa fides ura annūciat in uniuerso mundo. Testis enim mihi est de⁹ cui seruio in spū meo, in euā gelio filij ei⁹: cp sine intermissiōe memoriā uri facio sem per in oratiōib⁹ meis: obsecrās si quomodo tandē aliquādo prosperū iter habeā in uolūtate dei ueniendi ad uos. Desidero enim uidere uos, ut aliqd impertiar uobis gratiæ spiritalis ad cōfirmādos uos, id est simul cōsolari in uobis p eā quæ inuicē est fidē uram atq; meā. Nolo aūt uos ignorare fratres: quia sepe ppositum habui uenire ad uos: & phibitus sum usq; adhuc, ut aliquē fructum habeā in uobis, sicut & in cæteris gentibus. Græcis ac Barbaris, sapiētibus

πε καὶ ἀνοήτοις, ὀφειλέτης εἰμί. οὕτως τὸ κατ' ἐμὲ, πρόθυμον, καὶ ὑμῖν τοῖς ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελίσασθαι. οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. Δύναμις γὰρ θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι. Δικαιοσύνη γὰρ θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. καθὼς γέγραπται. ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

Δ Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ, ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν, καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων, τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων. Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ, ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ, δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, διότι γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν, καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ, ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν. διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν, εἰς ἀκαθαρσίαν, τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς. οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν αὐτοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει, παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

Διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς πάθη ἀτιμίας. αἵ τε γὰρ θήλειαι αὐτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν, εἰς τὴν παρὰ φύσιν. ὁμοίως τε καὶ οἱ ἄρσενες, ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν θηλείας, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εἰς ἀλλήλους, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι, καὶ τὴν ἀντιμισθίαν, ἣν ἔδει πλάνης αὐτῶν, ἐν ἑαυτοῖς ἀπολαμβάνοντες. καὶ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς

pariter ac rudibus, debitor sum. ita quantū in me est, paratus sum uobis quoque qui Rhomæ estis, euangelizare. Non enī me pudet euangelij Christi. Potentia siquidem est dei, ad salutē omī credenti, Iudæo primū simul & Græco. Iustitia enī dei per illud patefit ex fide in fidem. Sicuti scriptum est: Iustus autē ex fide uicturus est. Palàm fit enī ira dei de cœlo, aduersus omnē impietatē, & iniustitiam hominū, qui ueritatē in iniustitia detinent: propterea quod id quod de deo cognosci potest, manifestū est in illis. Deus enī illis patefecit. Siquidē quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mūdi, dum per opera intelligūtur, peruidentī ipsaq; æterna eius potētia ac diuinitas, in hoc, ut sint inexcusabiles, propterea quod cū deū cognouerint, nō ut deum glorificauerunt, neq; grati fuerūt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratū est insciens cor eorū. Cum se crederent esse sapiētes, stulti facti sunt, mutauerūtq; gloriam immortalis dei, per imaginē, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictā, uerū etiā uolatiliū & quadrupedū & reptiliū. Quapropter tradidit illos deus per cupiditates cordiū suorū, in immundītiā, ut ignominia afficiāt corpora sua, inter se mutuo. qui cōmutarunt ueritatem eius mendacio, & uenerati sunt colueruntq; ea quæ cōdita sunt, supra eū qui cōdidit, qui est laudādus in secula amen. Quamobrē tradidit eos deus in cupiditates ignominiosas. Nam et fœminæ illorū mutauerūt naturalem usum, in eum usum qui est præter naturā. Similiterq; & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserūt per appetentiā sui, alius in aliū masculi in masculos fœditatē perpetrantes, & præmiū quod oportuit, erroris sui in sese recipientes. Et quēadmodū nō ꝓbauerūt, ut deū agnoscerent: ita tradidit eos deus

& insipiētibus debitor sum: ita quod in me promptum est & uobis qui Romæ estis euangelizare. Non enim erubesco euangelium. Virtus enim dei est in salutem omni credenti: Iudæo primum & Græco. Iustitia enim dei in eo reuelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Iustus autē ex fide uiuit. Reuelat enim ira dei de cœlo super omnē impietatē & iniusticiam hominū, eorum qui ueritatē dei in iniusticia detinēt: quia quod notum est dei, manifestū est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta cōspiciunt: sempiterna quoq; eius uirtus & diuinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent deū, non sicut deum glorificauerunt aut gratias egerūt, sed euanuerūt in cogitatiōibus suis: & obscuratū est insipiēs cor eorū. Dicētes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerūt gloriā incorruptibilis dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: & uoluerū & quadrupedū & serpentiū. Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorū, in immundiciā, ut contumelijs afficiāt corpora sua in semetipsis. Quia cōmutauerūt ueritatem dei in mēdacium: & coluerunt & seruierūt creaturæ potius quā creatori: qui est benedictus in sæcula: amen. Propterea tradidit illos deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorū immutauerunt naturalē usum, in eum usum qui est contra naturā. Similiter autem & masculi relicto naturali usu fœminæ: exarserunt in desiderijs suis in inuicem: masculi in masculos turpitudinē operantes: & mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut nō probauerunt deum habere in noticia: tradidit illos deus

θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ, μεστοὺς φθόνου, φόνου, ἔριδος, δόλου, κακοηθείας, ψιθυριστὰς, καταλάλους, θεοστυγεῖς, ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας, ἐφευρετὰς κακῶν, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀνελεήμονας. οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι.

Διὸ ἀναπολόγητος εἶ ὦ ἄνθρωπε, πᾶς ὁ κρίνων. ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις. τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων. οἴδαμεν δὲ ὅτι τὸ κρῖμα τοῦ θεοῦ ἐστὶν κατὰ ἀλήθειαν ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας. λογίζῃ δὲ τοῦτο ὦ ἄνθρωπε, ὁ κρίνων τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας, καὶ ποιῶν αὐτὰ, ὅτι σὺ ἐκφεύξῃ τὸ κρῖμα τοῦ θεοῦ; ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ, καὶ τῆς ἀνοχῆς, καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς, ἀγνοῶν, ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει; κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου, καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς, καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ θεοῦ, ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι, ζωὴν αἰώνιον. τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας, καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ, θυμὸς, καὶ ὀργὴ, θλῖψις, καὶ στενοχωρία, ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου τοῦ κατεργαζομένου τὸ κακὸν, Ἰουδαίου τε πρῶτον καὶ Ἕλληνος. δόξα δὲ, καὶ τιμὴ, καὶ εἰρήνη παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ τὸ ἀγαθὸν, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον, καὶ Ἕλληνι. οὐ γάρ ἐστι προσωπολημψία παρὰ τῷ θεῷ. ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται. καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, διὰ νόμου κριθήσονται. οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ, ἀλλ' οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται. ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον

deus in reprobā mentē, ut facerēt quæ nō cōueniebat, repleti omni iniustitia, scortatione, uersutia, auaritia, malitia, plenī inuidia, cæde, cōtentione, dolo, malis prædīti moribus, susurrones, obtrectatores, deī osores, cōtumelioſi, elati, glorioſi, excogitatores malorū parētibus īmorigeri, exptes intelligētiæ, pactorū haudquaq; tenaces, alienī à charitatis affectu, nescij fœderis, īmisericordes. qui cū dei iustitiā nouerint, nēpe, q̄ ij q talia faciūt, digni sint morte: nō solum ea faciūt, uerūetiā assentiunt ijs, qui faciūt. Quapropter inexcusabilis es ó homo, quisq; es q iudicas. Nam hoc ipso q̄ iudicas alterū, teipsū cōdemnas. Eadē em facis tu, qui iudicas. Scimus autē, qd̄ iudiciū dei est secūdū ueritatē aduersus eos qui talia agūt. Cogitas aūt hoc ó homo, q iudicas eos qui talia faciūt, & facis eadē, q̄ tu suffugies iudiciū dei? Aut diuitias bonitatis illius, ac tolerantiæ, lenitatisq; cōtemnis, ignorās, q̄ bonitas dei ad pœnitentiā te inuitat? Sed iuxta duritiā tuā, & cor pœnitere nesciū, colligis tibiipsi iram in die iræ, quo patefiet iustū iudiciū dei, qui redditurus est unicuiq; iuxta facta sua: his quidē qui pseuderātes in benefaciēdo, gloriā & honorē & immortalitatē quærūt, uitam æternā: ijs uero qui sunt contentioſi, & qui ueritati quidē non obtēperant, sed obtēperant iniustitiæ, uētura est indignatio, & ira afflictio, & anxietas, aduersus omnē animā hoīs perpetrantis malum, ludæi primū simul & Græci. Gloria uero & honor & pax omī operāti bonū, ludæo primū simul & Græco. Nō em est personarū respectus apud deū. Quicūq; em sine lege peccauerūt, sine lege & peribūt: & qcūq; in lege peccauerūt per legē iudicabunt. Non em qui audiunt legē, iusti sunt apud deū: sed qui legē factis exprimūt, iusti habebunt. Nam cū gentes quæ legem

deus in reprobū sensum, ut faciant ea quæ nō cōueniūt, repletos omni iniqtate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate: susurrones, detractores, deo odibiles, cōtumelioſos, supbos, elatos, inuentores malorum, parentibus nō obedientes, insipientes, incōpoſitos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia. Qui cū iustitiā dei cognouissent, non intellexerunt, quoniā qui talia agūt, digni sunt morte: nō solum qui ea faciūt, sed etiā qui cōsentiūt facientibus. Propter quod inexcusabilis es o homo omnis qui iudicas In quo enim alterū iudicas teipsum cōdemnas. Eadem eni agis quæ iudicas. Scimꝰ eni qm̄ iudiciū dei est secundum ueritatē in eos qui talia agūt. Existimas aūt hoc o homo oīnis q iudicas eos q talia agūt & facis ea quia tu effugies iudiciū dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis cōtemnis? Ignoras quoniā benignitas dei ad pœnitentiā te adducit. Secundū aūt duritiam tuā & impœnitēs cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, q reddit unicuiq; secundū opa eius. His quidē secundū patientiā boni operis gloriā & honorē & incorruptionē quærentibus uitā æternā. His aūt qui sunt ex cōtentiōe, & q nō acqescūt ueritati, credūt aūt iniqtati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia, in omnē aīam hoīs operantis malū, ludæi primū & Græci. Gloria aūt & honor & pax omī opanti bonū, ludæo primū & Græco. Non eni est acceptio personarū apud deū. Quicūq; eni sine lege peccauerunt, sine lege peribūt. Et quicūq; in lege peccauerūt, per legē iudicabunt. Nō eni auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustifi cabunt. cū eni gētes quæ legem

μον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσι νόμος, οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων, ἐν ἡμέρᾳ ὅτε κρινεῖ ὁ θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου διὰ Ιησοῦ Χριστοῦ. Ἰδὲ σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ, καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ, καυχᾶσαι ἐν θεῷ, καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα, καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου, πέποιθάς τε σεαυτὸν ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει, παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων ἔχοντα τὴν μόρφωσιν γνώσεως, καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ. ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις. ὁ κηρύσσων μὴ κλέπτειν, κλέπτεις. ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν, μοιχεύεις. ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς. ὃς ἐν νόμῳ καυχᾶσαι, διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν θεὸν ἀτιμάζεις. τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι, καθὼς γέγραπται. Περιτομὴ μὲν γὰρ ὠφελεῖ, ἐὰν νόμον πράσσῃς. ἐὰν δὲ παραβάτης νόμου ᾖς, ἡ περιτομή σου ἀκροβυστία γέγονεν. Ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ, οὐχὶ ἡ ἀκροβυστία αὐτοῦ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται; καὶ κρινεῖ ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία, τὸν νόμον τελοῦσα, σὲ τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου; οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖός ἐστιν, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ ἐν σαρκὶ περιτομή, ἀλλ' ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, καὶ περιτομὴ καρδίας, ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι. οὗ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ τοῦ θεοῦ.

Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου; ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς; πολὺ κατὰ πάντα τρόπον. πρῶτον μέν γὰρ, ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ. Τί γάρ, εἰ ἠπίστησάν τινες; μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν

gem nō habent, natura quæ legis sunt, fecerint, eæ legem nō habentes, sibiipsis sunt lex, qui ostendūt opus legis scriptū in cordibus suis simul attestante illorū cōscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus, in eo die, cum iudicabit dns occulta hominū, iuxta euangeliū meū per Iesum Christum. Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in deo, & nosti uoluntatē, ac probas eximia, instructus ex lege, confidisq; teipsum ducem esse cæcorū, lumē in tenebris uersantiū, eruditorem insipientiū doctorē imperitorū, habentē formam cognitionis ac ueritatis per legē. Qui igitur doces aliū, teipsū non doces. qui prædicas nō furandum, furaris, qui dicis non adulterandū, adulteriū cōmittis. qui execraris simulacra, sacrilegiū admittis: qui de lege gloriaris, per legis transgressionē deum dehonestas. Nam nomē dei propter uos male audit inter gentes: quemadmodum scriptū est. Nam circuncisio quidem prodest, si legē seruaris. Quod si transgressor legis fueris, circuncisio tua in præputiū uersa est. Ergo si præputiū iustificatiōes legis seruauerit, nōne præputiū illius pro circūcisione imputabit? & iudicabit qd' est ex natura præputiū, si legē seruauerit, te qui per literā & circūcisionē transgressores legis? Non is qui in manifesto Iudæus sit, Iudæus est: nec ea quæ in manifesto sit carnis circūcisio, circūcisio est: sed qui in occulto Iudæus fuerit, is Iudæus est: & circūcisio cordis circūcisio est, quæ spiritu constat, non litera: cuius laus nō ex hominibus est, sed ex deo.

Quid igitur habet in quo præcellat Iudæus? aut quæ utilitas circuncisionis? Multū per omnem modum. Nam primū quidem illud, quod illis cōmissa sunt oracula dei. Quid em̄, si quidā fuerūt incredulis? Num incredulitas illorū fidem

gem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciūt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptū in cordibus suis, testimoniū reddēte illis cōscientia ipsorum, & inter seinuicem cogitationum accusantium: aut etiam defendentium in die cum iudicabit deus occulta hominum secundum euangelium meum per Iesum Christum. Si aūt tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in deo, & nosti uoluntatem eius, & probas utiliora instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorū, lumen eorū qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentē formā scientiæ & ueritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipsum nō doces. Qui prædicas nō furandū, furaris. Qui dicis nō mœchandū, mœcharis. Qui abominaris idola, sacrilegiū facis. Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis deum inhonoras. Nomen em̄ dei per uos blasphematē inter gentes. Sicut scriptū est: Circūcisio quidē prodest si legē obserues. Si autē præuaricator legis sis, circuncisio tua præputiū facta est. Si igitur præputiū iustitias legis custodiat, nōne præputiū illius in circūcisionē reputabit? et iudicabit id qd' ex natura est præputiū legē cōsumās, te qui per literam & circūcisionē præuaricator legis es. Nō enim qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne est circuncisio, sed qui in abscōdito Iudæus est, & circuncisio cordis in spū, nō litera, cuius laus nō ex hominibus, sed ex deo est. Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ utilitas circuncisionis? Multū per omnē modū. Primū quidē, quia credita sunt illis eloqiua dei. Quid em̄ si quidā illorū nō crediderūt? Nunqd incredulitas illorū fidem III.

πίσιν τοῦ θεοῦ καταργήσει; μὴ γένοιτο. γινέσθω δὲ ὁ θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης, καθὼς γέγραπται. ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου, καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε.

H Εἰ δὲ ἡ ἀδικία ἡμῶν, θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησι, τί ἐροῦμεν; μὴ ἄδικος ὁ θεὸς, ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν; κατὰ ἄνθρωπον λέγω. μὴ γένοιτο. ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ θεὸς τὸν κόσμον; Εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια τοῦ θεοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ψεύσματι ἐπερίσσευσεν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ, τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι; Θ καὶ μὴ καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν. ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά. ὧν τὸ κρῖμα ἔνδικόν ἐστι.

Θ Τί οὖν, προεχόμεθα; οὐ πάντως. προῃτιασάμεθα γὰρ Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, καθὼς γέγραπται. ὅτι οὐκ ἔστι δίκαιος, οὐδὲ εἷς, οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, οὐκ ἔστιν ὁ ἐκζητῶν τὸν θεόν. πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρεώθησαν, οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός. τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν, ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν. ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν. ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει, ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι αἷμα. σύντριμμα, καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, Θ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν. οὐκ ἔστι φόβος θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. Οἴδαμεν δὲ, ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ, ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ, Θ ὑπόδικος γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ θεῷ. Διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ. Διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας. Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται, μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν. Δικαιοσύνη δὲ θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς πάντας, Θ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας. οὐ γάρ ἐστι διαστολή. πάντες γὰρ ἥμαρτον, καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ. Δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως

fidem dei faciet irritã? Absit. Imò sit deus uerax, omnis autẽ homo mendax. Quemadmodũ scriptũ est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cũ iudicaris. Quod si iniustitia nostra, dei iustitiã cõmendat, quid dicemus? Num iniustus deus, qui inducat iram. Humano more loquor. Absit. Nam quomodo iudicabit deus mũdũ? Etẽm si ueritas dei, per meũ mendacium excelluit, in gloriã ipsius, quid posthac & ego ueluti peccator iudicor? Ac nõ potius (quemadmodũ de nobis male loquũtur & sicut quidam aiunt nos dicere) faciamus mala, ut ueniant bona. quorũ damnatio iusta est. Quid igit? præcellimus eos? Nullo modo. Nã ante causis reddítis ostendimus & Iudæos et Græcos omẽs peccato esse obnoxios, sicut scriptum est: Non est iustus, ne unus quidẽ, nõ est qui intelligat, nõ est qui exquirat deũ, omnes deflexerunt: simul inutiles facti sunt, non est qui exerceat bonitatẽ, non est usq; ad unum. Sepulchrũ apertũ guttur eorũ, linguis suis ad dolũ usi sunt, uenenũ aspidũ sub labijs eorum. Quorũ os execratione & amarulentia plenũ est, ueloces pedes illorũ ad effundedũ sanguinẽ Contritio & calamitas in uijs eorum, & uiam pacis nõ cognouerunt. Non est timor dei corã oculis eorũ. Scimus autẽ, quod quæcunq; lex dicit, his qui in lege sunt dicat: ut omne os obturet, & obnoxius fiat totus mũdus deo, propterea quod ex operibus legis nõ iustificabitur omnis caro in cõspectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Nunc uero absq; lege iustitia dei manifestata est, dum cõprobatur testimonio legis ac prophetarũ. Iustitia uero dei per fidẽ Iesu Christi in omẽs, & sup omẽs eos qui credũt. Nõ em est distinctio. Omẽs em peccauerũt, ac destituunt gloria dei. Iustificant aũt gratis p illius gratiã, per redẽptionem

fidem dei euacuauit? Absit. Est autẽ deus uerax: omnis aũt homo mẽdax. Sicut scriptũ est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cũ iudicaris. Si autẽ iniquitas nostra, iusticiã dei cõmendat quid dicemus? Nũquid iniquus est deus qui infert iram? Secundũ hominẽ dico. Absit. Alioquin quomodo iudicabit deus hũc mũdum? Si enim ueritas dei in meo mendacio abũdauit in gloriã ipsius, quid & adhuc ego tanq; peccator iudicor? Et nõ sicut blasphemamur: & sicut aiũt quidã nos dicere: Faciamus mala, ut ueniant bona. Quorũ dãnatio iusta est. Quid ergo? Præcellimus eos? Nequaquã. Causati enim sumus Iudæos & Græcos, oẽs sub peccato esse. Sicut scriptũ est: Quia nõ est iustus quisq;: nõ est intelligens: nõ est requirens deũ. Omnes declinauerũt, simul inutiles facti sunt: nõ est qui faciat bonũ: non est usq; ad unũ. Sepulchrum patẽs est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: uenenũ aspidum sub labijs eorũ. Quorũ os maledictiõe & amaritudine plenum est: ueloces pedes eorum ad effundendũ sanguinem. Cõtritio & infœlicitas in uijs eorũ: & uiam pacis non cognouerũt: non est timor dei ante oculos eorũ. Scimus aũt quoniam quæcunq; lex loquit: his qui in lege sunt loquit: Vt omne os obstruatur: & subditus fiat oẽs mũdus deo: quia ex operibus legis nõ iustificabitur oẽs caro coram illo. Per legẽ enim cognitio peccati. Nunc autẽ sine lege iusticia dei manifestata est, testificata a lege & prophetis. Iusticia autem dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super oẽs qui credunt in eũ. Nõ enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem

σεως φῆ ἐν χριστῷ ιησοῦ, ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον, διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ θεοῦ, πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον, καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως ιησοῦ.

Ποῦ οὖν ἡ καύχησις; ἐξεκλείσθη. διὰ ποίου νόμου; τῶν ἔργων; οὐχί, ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως. λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. ἢ ἰουδαίων ὁ θεὸς μόνον; οὐχὶ δὲ καὶ ἐθνῶν; ναὶ καὶ ἐθνῶν. ἐπείπερ εἷς ὁ θεός, ὃς δικαιώσει περιτομὴν ἐκ πίστεως, καὶ ἀκροβυστίαν διὰ τῆς πίστεως. νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο. ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν. τί οὖν ἐροῦμεν ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα; εἰ γὰρ ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν θεόν. τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; ἐπίστευσε δὲ ἀβραὰμ τῷ θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. τῷ δὲ ἐργαζομένῳ, ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ ὀφείλημα. τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην. καθάπερ καὶ δαβὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου, ᾧ ὁ θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων. μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι. μακάριος ἀνήρ, οὗ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν. ὁ μακαρισμὸς οὖν οὗτος, ἐπὶ τὴν περιτομὴν, ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν; λέγομεν γάρ, ὅτι ἐλογίσθη τῷ ἀβραὰμ ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην. πῶς οὖν ἐλογίσθη; ἐν περιτομῇ ὄντι, ἢ ἐν ἀκροβυστίᾳ; οὐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' ἐν ἀκροβυστίᾳ. καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας, εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην, καὶ πατέρα περι

nem quæ est in Christo Iesu, quē proposuit deus reconciliatorem per fidem interuenientē ipsius sanguine, ad ostensionē iustitiæ suæ, propter remissionem præteritorum peccatorū, quæ deus tolerauit, ad ostendendā iustitiā suam, in præsenti tēpore: in hoc, ut ipse sit iustus: & iustificās eum qui est ex fide Iesu. Vbi igitur gloriatio? Exclusa est. Per quā legem? Operum? Non, imò per legē fidei. Arbitramur igitur fide iustificari hominem ablq; operibus legis. An Iudæorū deus tantum? An nō & gentiū? Certe et gentiū. Quando quidem unus deus, qui iustificabit circuncisionē ex fide, & præputium per fidem. Legem igitur irritam facimus per fidē? Absit. Imò legem stabilimus. Quid igitur dicemus inuenisse Abrahā patrē nostrū secundū carnem? Nam si Abrahā ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud deū. Quid em̄ scriptura dicit? Credidit aūt Abrahā deo, & imputatū est ei ad iustitiā. Ei uero qui operatur, merces nō imputatur secundū gratiā, sed secundū debitū. Porrò ei qui nō operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Quemadmodū & Dauid explicat beatificationē hominis, cui deus imputat iustitiā absq; operibus. Beati, quorū remissæ sūt iniquitates, et quorū obtecta sunt peccata. Beatus uir, cui nō imputabit dn̄s peccatū. Beatificatio igitur hæc, in præputium tantum, an & in circūcisionē deuenit? Dicimus em̄, quod imputata fuerit Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo imputata est? cum esset in circūcisione, an cum esset in præputio? Nō in circūcisione, sed in p̄putio. Et signū accepit circūcisionis, signaculū iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, ut esset pater omniū credentiū per præputiū, ut imputaretur & illis iustitia, & pater circun

nem quæ est in Christo Iesu: quē proposuit deus propitiatorē per fidē in sanguine ipsius, ad ostensionē iustitiæ suæ propter remissionē præcedentū delictorū in sustentatione dei, ad ostēsionē iustitiæ eius in hoc tempore: ut sit ipse iustus & iustificans eū, qui ex fide est Iesu Christi. Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quā legem? Factorū? Non. Sed per legē fidei. Arbitramur enim iustificari hominē per fidē sine operibus legis. An Iudeorū deus tantū? Nonne & gentiū? Immo & gentium. Quoniā quidē unus est deus qui iustificat circūcisionem ex fide: & præputium per fidem. Legē ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.

IIII. Quid ergo dicemus inuenisse Abraam patrē nostrū secundū carnē? Si em̄ Abraam ex operib⁹ legis iustificatus est, habet gloriā: sed nō apud deū. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraā deo: & reputatū est illi ad iustitiā. Ei aūt qui operat̄, merces nō imputat̄ secūdū gratiā, sed secundū debitum. Ei uero qui nō operat̄: credenti aūt in eū, qui iustificat impiū, reputatur fides eius ad iustitiam secūdū propositū gratiæ dei: sicut & Dauid dicit, beatitudinē hominis cui deus accepto fert iustitiā sine operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. Beat⁹ uir cui nō imputauit dominus peccatū. Beatitudo ergo hæc in circūcisione tantū manet: an etiā in præputio? Dicimus em̄ quia reputata est fides Abraæ ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? In circūcisione, an in præputio? Non in circūcisione, sed in præputio. Et signū accepit circuncisionis signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio: ut sit pater omniū credentiū per præputiū: ut reputet̄ & illis ad iustitiā: Vt sit pater circū

ξα περιτομῆς, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς
μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι τοῖς
ἴχνεσι τῆς πίστεως, τῆς ἐν ἀκροβυ-
στίᾳ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ. οὐ
γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀ-
βραὰμ, ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, τὸ
κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου.
ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίστεως. εἰ
γὰρ οἱ ἐκ νόμου κληρονόμοι, κεκε-
νῶται ἡ πίστις, καὶ κατήργηται
ἡ ἐπαγγελία. ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κα
τεργάζεται. οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος,
οὐδὲ παράβασις. διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως
ἵνα κατὰ χάριν, εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν
τὴν ἐπαγγελίαν παντὶ τῷ σπέρμα
τι, οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλ-
λὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ, ὅς
ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν. καθὼς
γέγραπται, ὅτι πατέρα πολλῶν
ἐθνῶν τέθεικά σε, κατέναντι οὗ ἐ-
πίστευσε θεοῦ, τοῦ ζωοποιοῦντος
τοὺς νεκροὺς, καὶ καλοῦντος τὰ
μὴ ὄντα, ὡς ὄντα. ὃς παρ' ἐλπίδα
ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν, εἰς τὸ γε-
νέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐ-
θνῶν κατὰ τὸ εἰρημένον. οὕτως ἔσαι
τὸ σπέρμα σου. καὶ μὴ ἀσθενή-
σας τῇ πίστει, οὐ κατενόησε τὸ ἑαυ-
τοῦ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, ἑκα-
τονταέτης που ὑπάρχων, καὶ τὴν
νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάρρας, εἰς δὲ
τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ θεοῦ οὐ διε-
κρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλ' ἐνεδυναμώ
θη τῇ πίστει, δοὺς δόξαν τῷ θεῷ,
καὶ πληροφορηθεὶς, ὅτι ὃ ἐπήγ-
γελται, δυνατός ἐστι καὶ ποιῆ-
σαι. διὸ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς
δικαιοσύνην. οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐ
τὸν μόνον, ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ, ἀλ-
λὰ καὶ δι' ἡμᾶς, οἷς μέλλει λογίζε-
σθαι, τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγεί-
ραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ
νεκρῶν, ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παρα-
πτώματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν
δικαιοσύνην ἡμῶν.

IA Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως, εἰ-
ρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν θεὸν, διὰ
τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ
καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν
τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην, ἐν
ᾗ ἑστήκαμεν καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπί
δι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ. οὐ μόνον δέ, ἀλ
λὰ καὶ

spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Adeo stulti estis, cum spiritu cœperitis, nũc carne cõsummamini? Tam multa passi estis frustra, si tamẽ & frustra. Qui igit̃ subministrat uobis spiritum, & operatur uirtutes in uobis, utrũ ex operibus legis, an ex prædicatione fidei id facit? Quemadmodũ Abrahã credidit deo, & imputatum est illi ad iustitiã. Scitis igit̃, quod qui ex fide sunt, ij sint filij Abrahæ. Præuidens autẽ scriptura, quod ex fide iustificet gẽtes deus, prius rem lætam nunciauit Abrahæ: Benedicẽtur, inquiens, in te oms gentes. Itaque qui ex fide sunt benedicuntur cum fideli Abraham. Nam quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Scriptum est enim: Execrabilis oms, qui non mãserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quod autem in lege nullus iustificetur apud deum, palàm est. Siquidẽ iustus ex fide uiuet, lex autem nõ est ex fide: sed qui fecerit ea homo, uiuet in ipsis. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro uobis factus est execratio. Scriptum est enim, Execrabilis oms, qui pendet in ligno, ut in gẽtes benedictio Abrahæ ueniret per Christum Iesum, ut promissionem spiritus acciperemus per fidem. Fratres, secũdum hominem dico. Hominis licet testamentum, tamen si sit comprobatum, nemo reijcit, aut addit aliquid. Porrò Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, tanquã de multis, sed tanquàm de uno: & in semine tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum ante comprobatum à deo erga Christũ, lex quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritum, ut abroget promissionem. Nam si ex lege est hæreditas, non iam ex promissione. Atqui Abrahæ per promissionem donauit deus. Quid igitur lex? Propter transgressiones

addita

VVLG. EDITIO.

spiritum accepistis: an ex auditu fidei? Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis: nunc carne consummamini. Tanta passi estis sine causa: si tamen sine causa. Qui ergo tribuit uobis spiritũ, & operatur uirtutes in uobis ex operibus legis, an ex auditu fidei: sicut scriptũ est? Abraã credidit deo: & reputatũ est illi ad iustitiã. Cognoscite ergo qa qui ex fide sunt, hi sunt filij Abraæ. Prouidens autẽ scriptura: quia ex fide iustificat gẽtes deus: prænũciauit Abraæ, quia benedicẽ in te omnes gẽtes. Igiẽ qui ex fide sunt: benedicentẽ cum fideli Abraham. Qui cunq; enĩ ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui nõ permanserit in oms quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea. Quoniã autem in lege nemo iustificatur apud deum: manifestum est, quia iustus ex fide uiuit. Lex autẽ non est ex fide: sed qui fecerit ea, uiuet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. Fratres, secundum hominem dico: tamen hominis cõfirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius: Non dicit: & seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, & semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatũ a deo, quæ post quadringẽtos & triginta annos facta est lex: non irritum facit ad euacuandã promissionem. Nam si ex lege hæreditas: iam non ex promissiõe. Abrahæ autem per repromissionem donauit deus. Quid igitur lex? Propter trãsgressionem po-

sita

χάρις προσετέθη, ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου. ὁ δὲ μεσίτης, ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν. ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ θεοῦ; μὴ γένοιτο. εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος, ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, ὄντως, ἂν ἐκ νόμου ἦν ἡ δικαιοσύνη. ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν, ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἐκ πίστεως Ιησοῦ Χριστοῦ δοθῇ τοῖς πιστεύουσι. πρὸ τοῦ δὲ ἐλθεῖν τὴν πίστιν, ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα, συγκεκλεισμένοι εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι. ὥστε ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστόν, ἵνα ἐκ πίστεως δικαιωθῶμεν. ἐλθούσης δὲ τῆς πίστεως, οὐκέτι ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν. πάντες γὰρ υἱοὶ θεοῦ ἐστε διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ιησοῦ. ὅσοι γὰρ εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε. οὐκ ἔνι Ἰουδαῖος οὐδὲ Ἕλλην. οὐκ ἔνι δοῦλος οὐδὲ ἐλεύθερος. οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ. πάντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν Χριστῷ Ιησοῦ. εἰ δὲ ὑμεῖς Χριστοῦ, ἄρα τοῦ Ἀβραὰμ σπέρμα ἐστέ, κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι.

Λέγω δέ, ἐφ' ὅσον χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐστιν, οὐδὲν διαφέρει δούλου, κύριος πάντων ὤν, ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐστὶ καὶ οἰκονόμους ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρός. οὕτω καὶ ἡμεῖς. ὅτε ἦμεν νήπιοι, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ἦμεν δεδουλωμένοι. ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, γενόμενον ἐκ γυναικός, γενόμενον ὑπὸ νόμον, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν. ὅτι δέ ἐστε υἱοί, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν, κράζον Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. ὥστε οὐκέτι εἶ δοῦλος, ἀλλ' υἱός. εἰ δὲ υἱός, καὶ κληρονόμος θεοῦ διὰ Χριστοῦ. ἀλλὰ τότε μὲν οὐκ εἰδότες θεόν, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. νῦν δὲ γνόντες θεόν, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ θεοῦ, πῶς ἐπιστρέφετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε; ἡμέρας παρατηρεῖσθε, καὶ μῆνας

addita fuit, donec ueniret semen, cui ꝓmissum fuerat, ordinata per angelos in manu intercessoris. Intercessor autē unius nō est, at deus unus est. Lex igitur num est aduersus promissiones dei? Absit. Etenim si data fuisset lex, quæ possit uiuificare, uere ex lege esset iusticia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Cæterū antequàm uenisset fides, sub lege custodiebamur, concluſi in eam fidē, quæ erat reuelanda. Itaq; lex pædagogus noster fuit ad Christū, ut ex fide iustificaremur. At postquā uenit fides, nō amplius sub pædagogo sumus. Omnes enim filij dei estis, eo quod credidistis Christo Iesu. Nam quicūq; baptizati estis, Christum induistis. Nō est Iudæus, neque Græcus. Nō est seruus, neque liber. Non est masculus, ac fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. Q d' si uos estis Christi, igitur Abrahæ semē estis, & iuxta promissionem hæredes.

Dico autem, quàm diu hæres puer est, nihil differt à seruo, cū sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est usque ad tempus, quod pater præscripserit. Sic & nos cum essemus pueri, sub elementis mundi eramus, in seruitutem adacti. At ubi uenit plenitudo temporis, emisit deus filium suum, factum ex muliere, factū legi obnoxium: ut eos qui legi erāt obnoxij, redimeret: ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quoniam autem estis filij, emisit deus spiritū filij sui in corda nostra, clamātem, abba pater. Itaq; iam nō es seruus, sed filius: quod si filius, & hæres dei per Christū. Sed tum quidem cum ignoraretis deū, seruiebatis ijs, qui natura nō sunt dij. At nunc postea quā cognouistis deū, quin potiꝰ cogniti estis à deo, quomodo cōuertimini denuo ad infirma & egena elementa, quibus iterū ab integro seruire uultis? Dies obseruatis, & menses,

sita est, donec ueniret semē cui ꝓmiserat: ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autē unius nō est deus autē unus est. Lex ergo aduersus ꝓmissa dei? Absit. Si enim data esset lex quæ posset uiuificare, uere ex lege esset iusticia. Sed cōcluſit scriptura omnia sub peccato: ut promissio ex fide Iesu Christi dareꝰ credētibꝰ. Prius autē quā ueniret fides, sub lege custodiebamur: cōcluſi in eā fidē quæ reuelanda erat. Itaq; lex pædagogus noster fuit in Christo: ut ex fide iustificemur. At ubi uenit fides: iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu. Quicunq; enim in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis. Nō est Iudæus neq; Græcus: nō est seruus neq; liber: non est masculus neq; fœmina. Oēs enim uos unū estis in Christo Iesu. Si autem uos Christi: ergo semē Abrahæ estis secundum promissionē hæredes. Dico aūt: Quāto tēpore hæres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omniū: sed sub tutoribus & actoribus est usq; ad præfinitum tempus a patre. Ita & nos cum essemus paruuli, sub elemētis mundi eramus seruiētes: At ubi uenit plenitudo temporis, misit deus filiū suum factū ex muliere: factū sub lege, ut eos qui sub lege erāt redimeret: ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autē estis filij dei, misit deus spiritū filij sui in corda uestra clamantem, abba pater. Itaq; iam non est seruus, sed filius: quod si filius & hæres per deū. Sed tunc quidem ignorantes deū his qui natura nō sunt dij, seruiebatis. Nunc aūt cum cognoueritis deum: immo cogniti sitis a deo: q̄modo cōuertimini iterū ad infirma & egena elemēta, quibꝰ denuo seruire uultis? Dies ob-

IIII.

μῶν ας, καὶ καιρούς, καὶ ἐνιαυτούς.
Φοβοῦμαι ὑμᾶς, μή πως εἰκῇ κεκο
πίακα εἰς ὑμᾶς. γίνεσθε ὡς ἐγώ,
ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς, ἀδελφοί, δέο/
μαι ὑμῶν. οὐδέν με ἠδικήσατε. οἴ
δατε δὲ, ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς
εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον.
καὶ τὸν πειρασμόν μου, τὸν ἐν τῇ
σαρκί μου, οὐκ ἐξουθενήσατε, οὐδὲ
ἐξεπτύσατε, ἀλλ' ὡς ἄγγελον θεοῦ
ἐδέξασθέ με, ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν. τίς
οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; μαρ/
τυρῶ γὰρ ὑμῖν, ὅτι εἰ δυνατόν,
τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαν/
τες ἂν ἐδώκατέ μοι. ὥστε ἐχθρὸς
ὑμῶν γέγονα ἀληθεύων ὑμῖν; ζη/
λοῦσιν ὑμᾶς οὐ καλῶς, ἀλλὰ ἐκ/
κλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, ἵνα αὐτοὺς
ζηλοῦτε. καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν
καλῷ πάντοτε, καὶ μὴ μόνον ἐν τῷ
παρεῖναί με πρὸς ὑμᾶς. τεκνία μου,
οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφω
θῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν. ἤθελον δὲ πα/
ρεῖναι πρὸς ὑμᾶς ἄρτι, καὶ ἀλλάξαι
τὴν φωνήν μου, ὅτι ἀποροῦμαι ἐν
ὑμῖν. λέγετέ μοι οἱ ὑπὸ νόμον θέ
λοντες εἶναι, τὸν νόμον οὐκ ἀκού/
ετε; γέγραπται γάρ, ὅτι Ἀβραὰμ
δύο υἱοὺς ἔσχεν, ἕνα ἐκ τῆς παιδί/
σκης, καὶ ἕνα ἐκ τῆς ἐλευθέρας.
ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης, κα/
τὰ σάρκα γεγέννηται, ὁ δὲ ἐκ τῆς
ἐλευθέρας, διὰ τῆς ἐπαγγελίας. ἅτι
ἐστὶν ἀλληγορούμενα. αὗται
γάρ εἰσι δύο διαθῆκαι, μία μὲν
ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεν/
νῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ. τὸ γὰρ Ἄ/
γαρ, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ,
συνοικεῖ δὲ τῇ νῦν Ἰερουσαλήμ, δου
λεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς.
ἡ δὲ ἄνω Ἰερουσαλήμ, ἐλευθέρα ἐστὶν
ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. γέ/
γραπται γάρ, εὐφράνθητι στεῖρα ἡ
οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ
οὐκ ὠδίνουσα, ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα
τῆς ἐρήμου μᾶλλον, ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄν
δρα. ὑμεῖς δὲ ἀδελφοὶ κατὰ Ἰσαὰκ
ἐπαγγελίας τέκνα ἐσμέν. ἀλλ' ὥ/
σπερ τότε ὁ κατὰ σάρκα γεννηθεὶς,
ἐδίωκε τὸν κατὰ πνεῦμα, οὕτως καὶ νῦν
ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή; ἔκβαλε τὴν
παιδίσκην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς, οὐ
γὰρ μὴ

menſes,& tempora,& annos. Me/
tuo de uobis, ne fruſtra laborauе/
rim erga uos. Eſtote, ut ego ſum:
quandoquidē & ego ſum, ut uos:
fratres, rogo uos. Nihil me læſiſtis.
Noſtis, quod per infirmitatem car
nis euangelizauerim uobis príus:
& experimentū mei, quod erat in
carne, non eſtis aſpernati, neque re
ſpuiſtis, ſed me uelut angelū dei ſu
ſcepiſtis, uelut Chriſtū Ieſum. quæ
eſt igitur beatitudo ueſtra? Teſti/
moniū enim reddo uobis, quod ſi
fieri potuiſſet, oculos ueſtros effoſ/
ſos dediſſetis mihi. Igitur inimicus
factus ſum uobis, uera loquendo
uobis? Ambiūt uos nō bene, imò
excludere uos uolūt, ut ipſos æmu/
lemini. Bonum autem eſt æmulari
in re bona ſemper, & nō ſolum cū
præſens ſum apud uos Filioli mei,
quos iterū parturio, donec forme/
tur Chriſtus in uobis. Vellem aūt
adeſſe apud uos nūc, & mutare uo
cem meam, quoniā conſilij inops
ſum in uobis. Dicite mihi qui ſub
lege uultis eſſe, legem ipſam nō au
ditis? Scriptū eſt enim, quod Abra
ham duos filios habebat, unum ex
ancilla, & unum ex libera. Verum
is qui ex ancilla natus eſt, ſecundū
carnem natus eſt: qui uero ex libe/
ra, per repromiſſionē, quæ per alle
goriā dicunt. Nam hæc ſunt duo
teſtamenta, unū quidem à monte
Sina, in ſeruitutē generans, qui eſt
Agar. Nam Agar, Sina mons eſt
in Arabia, confinis eſt autē ei, quæ
nunc uocat Hieruſalem: ſeruit aūt
cū filijs ſuis. At quæ ſurſum eſt Hie
ruſalem, libera eſt, quæ eſt mater o/
mnium noſtrū. Scriptū eſt em: Læ
tare ſterilis, quæ nō paris, erumpe
& clama quæ non parturis: quoniā
multi liberi deſertæ, magis quàm
eius quæ habet uirum. Nos autem
fratres ſecundū Iſaac promiſſionis
filij ſumus. Sed quemadmodū tūc
is qui ſecundū carnē natus erat per
ſequebat eū, qui natus erat ſecūdū
ſpiritū, ita & nūc. At quid dicit ſcri/
ptura? Eijce ancillā & filiū illius: nō
enim

ſeruatis & mēſes & tempora
& annos: Timeo ne forte ſi/
ne cauſa laborauerim in uo
bis. Eſtote ſicut ego: quia &
ego ſicut uos. Fratres obſe/
cro uos: nihil me læſiſtis.
Scitis aūt quia per infirmi/
tatē carnis euāgelizaui uo/
bis iampridē: & tentationē
ueſtrā in carne mea nō ſpre
uiſtis, neq; reſpuiſtis: ſed ſi/
cut angelum dei excepiſtis
me ſicut Chriſtum Ieſum.
Vbi eſt ergo beatitudo ue/
ſtra? Teſtimoniū enim per/
hibeo uobis: quia ſi fieri po
tuiſſet oculos ueſtros eruiſ/
ſetis & dediſſetis mihi. Ergo
inimicus uobis factus ſum:
uerum dicēs uobis? Aemu
lantur uos nō bene: ſed ex/
cludere uos uolunt: ut illos
æmulemini. Bonum autem
æmulamini in bono ſemper
& nō tantum cum præſens
ſum apud uos. Filioli mei
quos iterū parturio, donec
formet Chriſtus in uobis.
Vellē aūt eſſe apud uos mo
do & mutare uocē meam:
qm̄ cōfundor in uobis. Di/
cite mihi qui ſub lege uultis
eſſe? Legem nō legiſtis: Scri
ptum eſt enī: quoniā Abra/
am duos filios habuit: unū
de ancilla, & unū de libera.
Sed qui de ancilla, ſecundū
carnē natus eſt: qui autē de
libera, per repromiſſionem:
quæ ſūt per allegoriā dicta.
Hæc enī ſunt duo teſtamen
ta: unū quidē in mōte Sina,
in ſeruitutē generās, quæ eſt
Agar. Sina enim mōs eſt in
Arabia, qui cōiunctus eſt ei
quæ nūc eſt Hieruſalē: & ſer
uit cū filijs ſuis. Illa aūt quæ
ſurſum eſt Hieruſalē, libera
eſt, quæ eſt mater noſtra: ſi/
cut ſcriptū eſt: Lætare ſteri/
lis quæ nō paris: erūpe & cla
ma quæ nō parturis: qa mul
ti filij deſertæ magis q̄ eius
quæ habet uirū. Nos aūt fra
tres ſecūdū Iſaac, promiſſiōis
filij ſumus. Sed q̄modo tūc
is qui ſecūdū carnē natꝰ fue
rat perſequebat eū qui ſecū
dum ſpiritū: ita & nūc. Sed
quid dicit ſcriptura? Eijce
ancillā & filium eius: Non
enim

γὰρ μὴ κληρονομήσῃ ὁ υἱὸς τῆς παι-
δίσκης μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέ-
ρας. ἄρα ἀδελφοὶ οὐκ ἐσμὲν παι-
δίσκης τέκνα, ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας.
τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν ἧ Χριστὸς ἡμᾶς ἠ-
λευθέρωσε, στήκετε, καὶ μὴ πάλιν
ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε. Ἰδὲ ἐγὼ
Παῦλος λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν περι-
τέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠ-
φελήσει. μαρτύρομαι δὲ πάλιν
παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ, ὅτι
ὀφειλέτης ὅλον τὸν νόμον
ποιῆσαι. κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χρι-
στοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, τῆς
χάριτος ἐξεπέσετε. ἡμεῖς γὰρ πνεύ-
ματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύ-
νης ἀπεκδεχόμεθα. ἐν γὰρ Χριστῷ
Ἰησοῦ, οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, οὔτε ἀ-
κροβυστία, ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης
ἐνεργουμένη. ἐτρέχετε καλῶς, τίς
ὑμᾶς ἀνέκοψε, τῇ ἀληθείᾳ μὴ πεί-
θεσθαι; ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ κα-
λοῦντος ὑμᾶς. μικρὰ ζύμη ὅλον
τὸ φύραμα ζυμοῖ. ἐγὼ πέποιθα εἰς
ὑμᾶς ἐν κυρίῳ, ὅτι οὐδὲν ἄλλο φρο-
νήσετε. ὁ δὲ ταράσσων ὑμᾶς βασά-
σει τὸ κρῖμα, ὅστις ἂν ᾖ. ἐγὼ δὲ
ἀδελφοί, εἰ περιτομὴν ἔτι κηρύσσω,
τί ἔτι διώκομαι; ἄρα κατήργη-
ται τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ. ὄφε-
λον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦν-
τες ὑμᾶς. ὑμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθερίαν
ἐκλήθητε ἀδελφοί. μόνον μὴ τὴν
ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκί,
ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλ-
λήλοις. ὁ γὰρ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ
λόγῳ πληροῦται, ἐν τῷ, ἀγαπήσεις
τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν. εἰ δὲ
ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε,
βλέπετε μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆ-
τε. λέγω δέ, πνεύματι περιπατεῖτε,
καὶ ἐπιθυμίαν σαρκὸς οὐ μὴ τελέσε-
τε. ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύ-
ματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός.
ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις, ἵνα
μὴ ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε. εἰ
δὲ πνεύματι ἄγεσθε, οὐκ ἐστὲ ὑπὸ
νόμον. φανερὰ δέ ἐστι τὰ ἔργα τῆς
σαρκός, ἅτινά ἐστι, μοιχεία, πορ-
νεία, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, εἰδωλο
λατρία, φαρμακεία, ἔχθραι, ἔρις,
ζῆλοι, θυμοί, ἐριθεῖαι, διχοστασίαι,
αἱρέσεις,

em hæres erit filius ancillæ cũ filio li
beræ. Itaq; fratres, nõ sumus ancil/
læ filij, sed liberæ. In libertate igit̃
qua Christus nos liberauit, state, &
ne rursus iugo seruitutis implicemi
ni. Ecce ego Paul⁹ dico uobis: qđ si
circũcidamini, Christ⁹ nihil uobis
proderit. Contestor autẽ omnem
hominem qui circũciditur, qđ de/
bitor est totius legis seruãdæ. Chri
stus uobis factus est ociosus, quicũ
que per legẽ iustificamini, à gratia
excidistis. Nos em̃ spiritu ex fide,
spem iustitiæ expectamus. Nã in
Christo Iesu, neq; circũcisio quic/
quam ualet, neq; præputiũ, sed fi/
des per dilectionẽ operans. Curre
batis bene, quis uos impediuit, ut
nõ crederetis ueritati? Nempe per
suasio nõ ex eo profecta, qui uocat
uos. Paulũ fermenti totam cõsper/
sionem fermentat. Ego confido de
uobis in domino, quod nihil aliud
sensuri sitis. Cæterũ qui conturbat
uos, portabit iudiciũ, quisquis fue/
rit. Ego autẽ fratres, si circumcisio
nem adhuc prædico, quid adhuc
persecutionẽ patior? Abolitum est
igitur offendiculum crucis. Vtinã
& abscindant̃ qui uos labefactant.
Vos em̃ in libertatẽ uocati fuistis
fratres, tantũ ne libertatem in occa
sionem detis carni, sed per charita/
tem seruite uobis inuicẽ. Nam to/
ta lex in uno uerbo cõpletur, nem/
pe hoc: Diliges proximũ tuũ ut te/
ipsum. Quod si alius aliũ uicissim
mordetis, & deuoratis, uidete ne
uicissim alius ab alio cõsumamini.
Dico autẽ, spiritu ambulate, & cõ/
cupiscentiam carnis nõ perficietis.
Nam caro cõcupiscit aduersus spi/
ritum, spiritus autem aduersus car/
nem. Hæc autẽ inter se mutuo ad/
uersantur, ut nõ quæcunq; uolueri
tis, eadẽ faciatis. Quod si spũ duci
mini, nõ estis sub lege. Porrò ma-
nifesta sunt opera carnis, quæ sunt
hæc: adulteriũ, scortatio, immundi
cia, lasciuia, simulacrorũ cultus, ue/
neficium, inimicitiæ, lis, æmulatio
nes, iræ, cõcertationes, seditiones,
sectæ,

enim hæres erit filius ancil/
læ cum filio liberæ. Itaq; fra
tres nõ sumus ancillæ filij,
sed liberæ: qua libertate nos
Christus liberauit. State V.
& nolite iterũ iugo seruitu/
tis contineri. Ecce ego Pau/
lus dico uobis: quoniã si cir
cuncidamini: Christus uo/
bis nihil ꝓderit. Testificor
aũt rursus oñi homini cir/
cuncidẽti se: quoniã debitor
est uniuersæ legis faciendæ.
Euacuati estis a Christo: q
in lege iustificamini, a gra/
tia excidistis. Nos enim spũ
ex fide spẽ iusticiæ expecta/
mus. Nã in Christo Iesu, ne
que circũcisio aliquid ualet
neq; præputiũ: sed fides quæ
per charitatẽ operat̃. Curre
batis bene: qs uos impedi/
uit ueritati nõ obedire? Ne/
mini cõsenseritis. Persuasio
hæc non est ex eo qui uocat
uos. Modicũ fermentũ, totã
massam corrumpit. Ego cõ
fido in uobis in domino, qđ
nihil aliud sapietis. Qui au
tem cõturbat uos, portabit
iudiciũ quicũq; est ille. Ego
aũt fratres si circũcisionem
adhuc prædico: qd adhuc
ꝑsecutionẽ patior? Ergo eua
cuatũ est scãdalũ crucis? Vti
nam abscindant̃ q uos cõ/
turbant. Vos enĩ in liberta/
tem uocati estis fratres: tãtũ
ne libertatẽ in occasionẽ de/
tis carnis: sed per charitatẽ
spũs seruire inuicẽ. Omnis
em̃ lex in uno sermone im/
pleť: Diliges ꝓximũ tuũ si/
cut teipsum. Quod si inui/
cem mordetis & comeditis:
uidete ne ab inuicẽ cõsuma
mini. Dico autẽ in Christo:
Spũ ambulate: & desideria
carnis non perficietis. Caro
enĩ cõcupiscit aduersus spi/
ritũ: spũs aũt aduersus car/
nem. Hæc enĩ sibi inuicẽ ad
uersant̃: ut nõ quæcũq; uul/
tis illa faciatis. Q2 si spũ du/
cimini: nõ estis sub lege. Ma
nifesta sunt autẽ opera car/
nis: quæ sunt fornicatio, im
mũdicia, ĩpudicitia, luxuria
idolorũ seruit⁹, ueneficia, ini
micitiæ, contentiões, æmula
tiones, iræ, rixæ, dissensiões,

αἱρέσεις, φθόνοι, φόνοι, μέθαι, κῶμοι, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, ἃ προλέγω ὑμῖν, καθὼς καὶ προεῖπον, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν. Ο δὲ καρπὸς τοῦ πνεύματός ἐστιν, ἀγάπη, χαρά, εἰρήνη, μακροθυμία, χρηστότης, ἀγαθωσύνη, πίστις, πραότης ἐγκράτεια. κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος. οἱ δὲ τοῦ χριστοῦ, τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι, καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. Εἰ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν. μὴ γινώμεθα κενόδοξοι, ἀλλήλους προκαλούμενοι, ἀλλήλοις φθονοῦντες. Ἀδελφοί, ἐὰν καὶ προλημφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι, ὑμεῖς οἱ πνευματικοί, καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον ἐν πνεύματι πραΰτητος, σκοπῶν σεαυτόν, μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς. ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τοῦ χριστοῦ. Εἰ γὰρ δοκεῖ τις εἶναί τι, μηδὲν ὤν, ἑαυτὸν φρεναπατᾷ. τὸ δὲ ἔργον ἑαυτοῦ δοκιμαζέτω ἕκαστος, καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν μόνον τὸ καύχημα ἕξει, καὶ οὐκ εἰς τὸν ἕτερον. ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον φορτίον βαστάσει. κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. μὴ πλανᾶσθε, θεὸς οὐ μυκτηρίζεται. ὃ γὰρ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει. ὅτι ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα αὐτοῦ, ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν. ὁ δὲ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα, ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον. Τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν. καιρῷ γὰρ ἰδίῳ θερίσομεν μὴ ἐκλυόμενοι. ἄρα οὖν ὡς καιρὸν ἔχομεν, ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς οἰκείους τῆς πίστεως. ἴδετε πηλίκοις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. ὅσοι θέλουσιν εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί, οὗτοι ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, μόνον ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ χριστοῦ διώκωνται. οὐδὲ γὰρ οἱ περιτεμνόμενοι αὐτοὶ νόμον φυλάσσουσιν, ἀλλὰ θέλουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, ἵνα ἐν τῇ ὑμετέρᾳ σαρκὶ καυχήσωνται. ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο

ERASMVS.

sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia, de quibus prædico uobis, quemadmodũ & prædixi: quod qui talia agunt, regni dei hæredes nõ erunt. Contra, fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperãtia. Aduersus huiusmodi non est lex. Qui uero sunt Christi, carnem crucifixerunt cũ affectibus & cõcupiscentijs. Si uiuimus spiritu, spiritu & incedamus. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicẽ nos prouocantes, inuicem inuidentes.

Fratres, etiam si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum, ne & tu tentetis. Inuicem alij aliorũ onera portate, & sic cõplete legem Christi. Nam si quis sibi uidetur aliquid esse, cum nihil sit, suum ipse fallit animum. Opus autẽ suũ probet unusquisque, & tunc in semetipso tantum gloriationem habebit, & non in alio. Vnusquisq; em̃ propriam sarcinã baiulabit. Cõmunicet autẽ qui catechizatur sermone, ei qui se catechizat in oẽibus bonis. Ne erretis, deus nõ irridetur. Quicquid em̃ seminauerit homo, hoc & metet. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem: sed qui seminat per spiritum, de spiritu metet uitam æternam. Bonum autem faciendo ne defatigemur. Tempore enim suo metemus nõ defatigati. Itaq; dum tempus habemus, operemur bonum: cum erga omnes, tum uero maxime erga domesticos fidei. Videtis quãta uobis epistola scripserim mea manu. Quicunque uolunt iuxta faciem placere in carne, ij cogunt uos circumcidi, tantum, ne ob crucem Christi persecutionem patiantur. Nam qui circumciduntur, ne ipsi quidem legem seruant: sed uolunt uos circumcidi, ut in uestra carne glorientur. Ego uero, abſit,

VVLG. EDITIO.

sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes: & his similia: quæ prædico uobis sicut prædixi: quoniam qui talia agũt, regnũ dei nõ consequẽtur. Fructus autẽ spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, cõtinentia, castitas. Aduersus huiusmodi nõ est lex. Qui autẽ sunt Christi: carnẽ suam crucifixerũt cũ uitijs & cõcupiscentijs.

Si spiritu uiuimus: spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocãtes, inuicem inuidẽtes. Fratres & si præoccupatus homo fuerit in aliq̃ delicto: uos qui spirituales estis, huiuscemodi instruite in spiritu lenitatis: cõsiderãs teipsum, ne & tu tenteris. Alter alteri⁹ onera portate: & sic adimplebitis legẽ Christi. Nam si quis existimat se aliqd esse cũ nihil sit, ipse se seducit. Opus autẽ suũ probet unusquisq; & sic in semetipso tantũ gloriam habebit: & nõ in altero. Vnusquisq; enim onus suũ portabit. Cõmunicet aũtem is qui catechizat̃ uerbo ei qui se catechizat in omnib⁹ bonis. Nolite errare: deus nõ irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet: quoniã qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionẽ. Qui autẽ seminat in spiritu: de spũ metet uitam æternam. Bonum autem faciẽtes non deficiamus: tempore enim suo metemus nõ deficientes. Ergo dum tẽpus habemus, operemur bonũ ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei. Videte qualibus litteris scripsi uobis mea manu. Quicunq; enim uolũt placere in carne: hi cogunt uos circũcidi, tantum ut crucis Christi persecutionẽ nõ patiãtur. Neq; enim qui circũcidunt̃ legẽ custodiunt: sed uolũt uos circũcidi, ut in carne uestra glorient̃. Mihi aũt

VI.

abſit

μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι, εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ, δι' οὗ ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ, ἐν γὰρ χριστῷ Ιησοῦ οὔτε περιτομὴ τι ἰσχύει, οὔτε ἀκροβυστία ἀλλὰ καινὴ κτίσις. καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος, καὶ ἐπὶ τὸν ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ. τοῦ λοιποῦ κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω. ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ κυρίου Ιησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω. Η χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν ἀδελφοί. ἀμήν.

Πρὸς γαλάτας ἐγράφη ἀπὸ ῥώμης.

absit, ut glorier, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quē mihi mūdus crucifixus est, et ego mundo. Nam in Christo Iesu neque circuncisio quicquā ualet, neque præputiū, sed noua creatura. Et quicunq; iuxta regulā hanc incedūt, pax super eos, & misericordia, & super Israëlem dei. De cætero ne quis mihi molestias exhibeat. Ego enim stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Gratia domini nostri Iesu Christi cū spiritu uestro fratres. Amen.

Ad Galatas missa fuit è Rhoma.

absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quē mihi mūdus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Iesu neq; circuncisio aliquid ualet, neq; præputiū, sed noua creatura. Et quicunq; hanc regulā secuti fuerint, pax sup illos & misericordia, & sup Israel dei. De cætero nemo mihi molestus sit. Ego em̄ stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Gratia domini nostri Iesu Christi cūm spiritu uestro fratres. Amen.

FINIS.

ΥΠΟΘΕΣΙΣ ΤΗΣ ΠΡΟΣ ΕΦΕΣΙΟΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗΣ ΠΑΥΛΟΥ.

Ταύτην ἐπιστέλλει ἀπὸ ῥώμης, οὔπω μὲν αὐτοὺς ἑωρακώς, ἀκούσας δὲ περὶ αὐτῶν. ἡ δὲ πρόφασις τῆς ἐπιστολῆς αὕτη. Ἐφέσιοι πιστεύσαντες εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ιησοῦν χριστὸν, γνησίαν ἔσχον εἰς αὐτὸν τὴν πίστιν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους τὴν ἀγάπην, καὶ ἠβούλοντο περὶ τοῦ παύλου βεβαιωθῆναι. μαθὼν τοίνυν ὁ ἀπόστολος, γράφει πρὸς αὐτοὺς ταύτην τὴν ἐπιστολὴν, ὥσπερ κατηχητικήν. καὶ πρῶτον μὲν δείκνυσι, μὴ νεώτερον εἶναι τὸ καθ' ἡμᾶς μυστήριον, ἀλλ' ἐξ ἀρχῆς καὶ πρὸ καταβολῆς κόσμου εἶναι ταύτην εὐδοκίαν τοῦ θεοῦ. ὥστε τὸν χριστὸν ὑπὲρ ἡμῶν παθεῖν, καὶ ἡμᾶς σωθῆναι. ἔπειτα περὶ κλήσεως ἐθνῶν διαλέγεται, ἵνα δείξῃ ἀξίως αὐτοὺς πεπιστευκέναι. Καὶ ἀπεδείκνυσιν, ὅτι ἡ κλῆσις αὐτῶν γέγονεν, οὐ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ιησοῦ χριστοῦ, ὅς ἐστιν υἱὸς τοῦ θεοῦ, ἵνα καὶ ἐκ τούτου μάθωσιν, ὅτι οὐκ ἀνθρωπολάτραι γεγόνασι, πιστεύσαντες τῷ χριστῷ, ἀλλ' ἀληθινοὶ θεοσεβεῖς. σημαίνει δὲ καὶ ἑαυτὸν διὰ τοῦτο ἀπεστάλθαι κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον, καὶ ὅτι περὶ αὐτῶν ἐφρόντισεν. ἔπειτα παραινετικοὺς λόγους ἀνδράσι καὶ γαναιξὶ πατράσι καὶ τέκνοις, κυρίοις καὶ δούλοις, τίθησιν ἐν τῇ ἐπιστολῇ. καὶ καθόλου πάντας παρασκευάζει κατὰ τοῦ διαβόλου, καὶ τῶν δαιμόνων αὐτοῦ, λέγων πρὸς ἐκείνους, ἡμῖν εἶναι τὴν πάλην. καὶ ὥσπερ ἀγαθὸς ἀλείπτης ἀλείψας τοῖς λόγοις πάντας κατὰ τῆς διαβολικῆς ἐνεργίας, οὕτως τελειοῖ τὴν ἐπιστολήν.

EPHESVS metropolis quondã erat Asiæ minoris,ciuitas superstitiose de/dita cultui dæmonũ,& præcipue Dianæ,unde & in Actis,Dianæ νεωκόρος dicitur,non illius uenatricis,cui Poëtæ sagittas & arma tribuunt, sed mul/timammiæ,quam Græci πολύμαστον appellant, quam uolebant omnium animantium esse nutricem,ut indicauit Hieronymus. Nam de templo Ephesiæ Dianæ, toto orbe celebratissimo, passim etiam ethnici meminere scriptores. Hos curiosarũ ar/tium tenebat studium. Vnde legimus,ad prædicationem apostolorum magicos libros ab eis comportatos,igni traditos fuisse,& supputato precio,compertum fuisse quinqua gies mille numûm argenti,sicuti refertur in Actis capite decimonono. Vt igitur à tan tis erroribus illos abduceret,triennium apud illos egit,nihil interim nõ faciens,quod ad illorum salutem faciebat, magno studio reclamantibus & obstrepentibus multis, sicut ipse testatur alicubi:ubi & bestijs obiectus est, quemadmodum ipse testatur in secundæ ad Corinthios epistola. At discedens, Timotheum apud eos remanere iussit. Abunda/bat autem ea ciuitas,ut curiosis & magiæ deditis, ita doctissimis uiris. Vnde Paulus,ut ad omnium mores & ingenia sese attemperat,de dæmonibus ac spiritibus crebro memi nit,bonorum ac malorum differentiam indicans. Ad hæc retrusa quædam aperit. Nec enim est ulla epistola,quæ tam abditos habeat sensus,ut ob hanc potissimũ Petrus scri/psisse uideatur: Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapien/tiam scripsit uobis,sicut in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quæ/dam difficilia intellectu,quæ indocti & instabiles deprauant,sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Difficultas autem non tam in uerbis sita est, quanquã haud alibi sermonis phrasis perplexior,quàm in sensibus,quod agnoscit & diuus Hiero nymus in præfatione cõmentariorum. Hæc idcirco uniuersa replicauimus,ut ostendere/mus,quare apostolus in hac uel potissimũ epistola obscuros sensus & ignota seculis sa/cramenta congesserit. Hos igitur quoniam in fide perstiterant, hortatur ut pergant, & & ad perfectionem proficiant,cõmonefaciens cuiusmodi fuerint,cum uitijs addicti ser/uirent impijs spiritibus,& quales nunc facti sint,insiti Christo,docens interim euangelij gratiam consilio diuino,licet Iudæis promissam,in gentes quoque recte propagatam & huius muneris se ministrum à deo constitutum. Quoniam autem scripsit è carcere,hor/tatur ne deijciantur animo, ob ipsius afflictiones, uerum eas potius sibi gloriæ ducant. Hæc agit capite primo,& secũdo. In cæteris tribus uitæ formam illis præscribit,demon/strans quid sequendũ,quid fugiendum:quæ officia maritorũ in uxores, uxorum in ma ritos:quæ parentum in liberos,liberorũ in parentes:quæ dominorũ in seruos,seruorum in dominos. Scripta est epistola ab urbe Rhoma per Tychicum diaconũ,cuius memi/nit in calce,fidelem ministrũ eum uocans. Ambrosius addit scriptam è carcere,cum Hie/rosolymis Rhomam deductus sub fideiussore degeret extra castra in suo conducto.

ARGVMENTI FINIS.

ΠΑΥΛΟΣ ἀπόστολος ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ διὰ θελήματος θεοῦ τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν ἐφέσῳ, καὶ πιστοῖς ἐν χριστῷ ΙΗΣΟΥ. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ. Εὐλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις χριστῷ. καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου, εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατ' ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ, προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ εἰς αὐτόν, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων κατὰ τὸ πλοῦτος τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς, ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει, γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ χριστῷ, τὰ ἐπὶ τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἐν αὐτῷ, ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος, κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον δόξης αὐτοῦ, τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ χριστῷ, ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν, ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, ὅς ἐστιν ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ. διὰ τοῦτο κἀγὼ ἀκούσας τὴν καθ' ὑμᾶς πίστιν ἐν τῷ κυρίῳ ΙΗΣΟΥ, καὶ τὴν ἀγάπην τὴν εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, οὐ παύομαι εὐχαριστῶν

PAVLVS Apostolus Iesu Christi per uoluntatē dei, sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu. Gratia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Benedictus deus & pater dñi nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus Christo. Quemadmodum elegit nos in ipso, antequā iacerent fundamenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo per charitatem, qui prædestinauit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christū in sese, iuxta beneplacitū uoluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ, qua charos reddidit nos per dilectū. Per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorū, iuxta diuitias gratiæ suæ, de qua ubertim nobis impartiuit in omni sapientia & prudentia, patefacto nobis arcano uolūtatis suæ, iuxta beneplacitū suū, quod proposuerat in seipso, usq; ad dispensationem plenitudinis temporū, ut summatim instauraret omnia per Christum, & quæ in cœlis sunt & quæ in terra per eundem, per quem & in sortem ascíti sumus, prædestinati secundum propositum ipsius, cuius ui fiunt uniuersa, iuxta decretum uoluntatis ipsius, ut simus nos in laudē gloriæ illius, qui priores sperauimus in Christo, in quo speratis & uos, audito uerbo ueritatis, Euangelio salutis uestræ, in quo etiam posteaquam credidistis obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitæ possessionis, in laudem gloriæ ipsius. Quapropter & ego, cū audissem eam quæ in uobis est fidem in domino Iesu, & charitatem in omnes sanctos, non desino gratias

PAVlus apostolus Iesu christi, per uoluntatem dei: omnib⁹ sanctis qui sunt Ephesi: et fidelibus omnib⁹ in Christo Iesu. Gratia uobis & pax a deo pr̃e nostro, & dño Iesu Christo. Benedictus deus & pater dñi nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictiõe spirituali, in cœlestib⁹ in Christo: Sicut elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionē: ut essemus sancti & immaculati in cõspectu ei⁹ in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionē filiorū per Iesum Christū in ipsum secūdum ꝓpositū uoluntatis suæ, in laudē gloriæ gratiæ suæ: in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redēptionē, per sanguinem eius in remissionē peccatorū, secūdū diuitias grātiæ eius: quæ superabūdauit in nobis in omni sapiētia & prudentia: ut notum faceret nobis sacramentum uolūtatis suæ, secūdū beneplacitū ei⁹ quod ꝓposuit in eo in dispēsatiõe plenitudinis tēporū, instaurare omia in Christo quæ in cœlis & quæ in terra sunt in ipso. In quo etiã nos sorte uocati sum⁹, prædestinati secūdū propositū eius qui operatur omnia secundum consiliū uolūtatis suæ: ut simus in laudē gloriæ ei⁹ius, nos qui ante speraui⁹ in Christo. In quo & uos cū audissetis uerbū ueritatis, euangeliū salutis uestræ: in quo & credētes signati estis spiritu promissiōis sancto: qui est pignus hæreditatis nostræ in redēptionē acquisitionis in laudē gloriæ ipsius. Propterea & ego audiens fidē uestram, quæ est in Christo Iesu, & dilectionē in omnes sanctos: nō cesso gratias

εὐχαριστῶμ ὑπὲρ ὑμῶμ, μνείαμ ὑμῶμ ποιούμενοι ἐπὶ τῶν προσευχῶμ μου, ἵνα ὁ θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶμ Ιησοῦ χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης δῴη ὑμῖμ πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ, πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶμ, εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς, τίς ἐστιμ ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ, καὶ τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις, καὶ τί τὸ ὑπερβάλλομ μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς, τοὺς πιστεύοντας κατὰ τὴμ ἐνέργειαμ τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ἣμ ἐνήργησεμ ἐν τῷ χριστῷ, ἐγείρας αὐτὸμ ἐκ νεκρῶμ, καὶ ἐκάθισεμ ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου, οὐ μόνομ ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. καὶ πάντα ὑπέταξεμ ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. καὶ αὐτὸμ ἔδωκε κεφαλὴμ ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ, τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου.

καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν, αἷς ποτὲ περιεπατήσατε κατὰ τὸμ αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, κατὰ τὸμ ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, ἐν οἷς καὶ ἡμεῖς πάντες ἀνεστράφημέν ποτε, ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκὸς ἡμῶμ ποιοῦντες τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς, καὶ τῶμ διανοιῶμ, καὶ ἤμεθα τέκνα φύσει ὀργῆς, ὡς καὶ οἱ λοιποί. ὁ δὲ θεὸς πλούσιος ὢμ ἐν ἐλέει, διὰ τὴμ πολλὴμ ἀγάπημ αὐτοῦ, ἣμ ἠγάπησεμ ἡμᾶς, καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι, συνεζωοποίησε τῷ χριστῷ. χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, καὶ συνήγειρε, καὶ συνεκάθισεμ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν χριστῷ Ιησοῦ, ἵνα ἐνδείξηται ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις τὸμ ὑπερβάλλοντα πλοῦτομ τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐν χρηστότητι ἐφ ἡμᾶς ἐν χριστῷ Ιησοῦ. τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶμ. θεοῦ τὸ δῶρομ, οὐκ

gratias agere pro uobis, mentionem uestri faciēs in precibus meis, ut deus dñi nostri Iesu Christi, pater gloriæ det uobis spiritū sapientiæ & reuelationis, per agnitionē sui, illuminatos oculos mētis uestræ, ut sciatis, quæ sit spes ad quam ille uocauit, & quàm opulenta gloria hæreditatis illi⁹ in sanctis, & quæ sit excellens magnitudo potentiæ illius in nos, qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, cum suscitaret eum ex mortuis, & sedere fecit ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutē, & dominiū, & omne nomen quod nominatur, non solum in seculo hoc, uerumetiam in futuro. Et oīa subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui oīa in omnibus adimplet.

Et uos cum essetis mortui delictis ac peccatis, in quibus aliquā do ambulastis iuxta seculū mundi huius, iuxta principem, cui potestas est aëris, qui est spiritus, nunc agens in filijs contumacibus, inter quos & nos oēs conuersabamur aliquando in concupiscentijs carnis nostræ, facientes quæ carni ac menti libebant, & eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Sed deus qui diues est in misericordia, propter multam charitatem suā, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo: per gratiam estis seruati, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu, ut ostēderet in seculis superuenientibus eminentem opulentiam gratiæ suæ, benignitate erga nos per Christum Iesum. Gratia enim estis seruati per fidem, idq; non ex uobis. Dei donum est, non

gratias agēs pro uobis, memoriam uestri faciēs in orationibus meis: ut deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det uobis spiritū sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis uestri: ut sciatis quæ sit spes uocationis eius: & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis. Et quæ sit superueniēs magnitudo uirtutis eius in nos, qui credimus secundū operationem potentiæ uirtutis eius, quā operatus est in Christo Iesu, suscitans illum a mortuis: & constituens ad dexterā suam in cœlestibus, super omnem principatum & potestatē & uirtutem & dominationem: & omne nomen quod nominatur: nō solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & oīa subiecit sub pedibus eius. Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiā: quæ est corpus ipsius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpleē. Et uos cō- II.
uiuificauit cū essetis mortui delictis & peccatis uestris, in quibus aliquādo ambulastis secundū sæculum mūdi huius: secundum principem potestatis aeris huius spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ: in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes uoluntatē carnis & cogitationum: & eramus natura filij iræ sicut & cæteri. Deus aūt qui diues est in misericordia, ꝓpter nimiā charitatem suam qua dilexit nos & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo: cuius gratia estis saluati: & conresuscitauit & cōsedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu: ut ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. Gratia eīm estis saluati per fidem: & hoc non ex uobis. Dei enim donum est,

non

οὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μή τις καυχήσηται. αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, κτισθέντες ἐν χριστῷ ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, οἷς προητοίμασεν ὁ θεὸς, ἵνα ἐν αὐτοῖς περιπατήσωμεν. Διὸ μνημονεύετε, ὅτι ὑμεῖς ποτὲ τὰ ἔθνη ἐν σαρκὶ, οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία, ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς ἐν σαρκὶ χειροποιήτου, ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, χωρὶς χριστοῦ, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ. νυνὶ δὲ ἐν χριστῷ ἰησοῦ ὑμεῖς, οἵ ποτε ὄντες μακρὰν ἐγγὺς ἐγενήθητε ἐν τῷ αἵματι τοῦ χριστοῦ. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας, τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας, ἵνα τοὺς δύο κτίσῃ ἐν ἑαυτῷ εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον, ποιῶν εἰρήνην, καὶ ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ θεῷ διὰ τοῦ σταυροῦ, ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ, καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν, τοῖς μακρὰν, καὶ τοῖς ἐγγύς. ὅτι δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν οἱ ἀμφότεροι ἐν ἑνὶ πνεύματι πρὸς τὸν πατέρα. ἄρα οὖν οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ, ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ ἰησοῦ χριστοῦ, ἐν ᾧ πᾶσα οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη, αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν κυρίῳ, ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον τοῦ θεοῦ ἐν πνεύματι.

Τούτου χάριν ἐγὼ παῦλος ὁ δέσμιος τοῦ χριστοῦ ἰησοῦ ὑπὲρ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν. εἴ γε ἠκούσατε τὴν οἰκονομίαν τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ, τῆς δοθείσης μοι εἰς ὑμᾶς, ὅτι κατὰ ἀποκάλυψιν ἐγνωρίσθη μοι τὸ μυστήριον, καθὼς προέγραψα ἐν ὀλίγῳ, πρὸς ὃ δύνασθε ἀναγινώσκοντες νοῆσαι τὴν σύνεσίν μου ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῦ χριστοῦ, ὃ ἑτέραις γενεαῖς οὐκ

non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit deus, ut in eis ambularemus. Quapropter mementote, quod uos quondã gentes in carne, uocabamini præputium, ab ea quæ uocatur circũcisio in carne, quæ circũcisio manibus fit, quod inquã eratis in tempore illo, sine Christo, abalienati à republica Israëlis, et extranei à testamentis promissionis, spem nõ habentes, deoq; carẽtes in mundo. Nunc autem per Christũ Iesum uos, qui quondam eratis longinqui, propinqui facti estis per sanguinem Christi. Ipse em̃ est pax nostra, qui fecit ex utrisq; unum, & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnẽ suam, legem mandatorũ in decretis sitam abrogans, ut duos cõderet in semet ipso in unum nouum hominẽ, faciens pacẽ: & ut recõciliaret ambos in uno corpore deo per crucem, perempta inimicitia per eã, & ueniens euãgelizauit pacẽ uobis, qui procul aberatis, & ijs qui prope. Quoniã autem per illum habemus aditũ utriq; in uno spiritu ad patrẽ. Iam igitur non estis hospites & incolæ, sed conciues sanctorũ ac domestici dei, superstructi super fundamentum apostolorum ac prophetarũ, summo angulari lapide ipso Iesu Christo, in quo quæcũq; structura coagmentatur, ea crescit in templũ sanctũ in domino, in quo & uos coædificamini in habitaculũ dei per spiritum. Huius rei gratia ego Paulus uinctus sum Christi Iesu pro uobis gentibus. Siquidẽ audistis dispensationẽ gratiæ dei, quæ data est mihi in uos, quod secundum reuelationẽ notum mihi fecit mysterium, quemadmodum ante scripsi paucis, ex quibus potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi, quod in alijs ætatibus, non

non ex operib⁹: ut ne quis glorieť. Ipsius enim sum⁹ factura creati in Christo Iesu in operibus bonis: quæ præparauit deus ut in illis ambulemus. Propter qđ memores estote, quod aliquãdo uos qui gentes eratis in carne: qui dicebamini præputium ab ea quæ dicit̃ circuncisio in carne manufacta: qui eratis illo in tempore sine Christo, alienati a cõuersatiõe Israel: & hospites testamentorũ, promissionis spem non habentes, & sine deo in hoc mũdo. Nunc autem in Christo Iesu uos qui aliquãdo eratis longe: facti estis ꝑpe in sanguine Christi. Ipse enī est pax nostra, qui fecit utraq; in unum: & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua: legem mandatorũ decretis euacuans, ut duos cõdat in semetipso in uno nouo homine faciens pacem: ut recõciliet ambos in uno corpore deo: per crucem interficiens inimicitias in semetipso: & ueniens euangelizauit pacem uobis qui longe fuistis: & pacem his qui ꝑpe: quoniã per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrẽ. Ergo iam non estis hospites & aduenæ: sed estis ciues sanctorum & domestici dei, superædificati super fundamẽtum apostolorũ & prophetarũ ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio cõstructa, crescit in templũ sanctũ in domino. In quo & uos coædificamini in tabernaculũ dei in spiritu sancto.

Huius rei gratia ego Paulus uinct⁹ Christi Iesu pro uobis gentibus: si tamẽ audistis dispensationem gratiæ dei, quæ data est mihi in uobis: quoniã secundũ reuelationẽ notũ factũ mihi est sacramentũ: sicut supra scripsi in breui: prout potestis legentes intelligere prudentiã meã in ministerio Christi: qđ alijs generationibus III.

non

οὐκ ἐγνωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώ-
πων, ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγί-
οις ἀποστόλοις αὐτοῦ & προφήταις
ἐν πνεύματι, εἶναι τὰ ἔθνη συγκλη-
ρονόμα, καὶ σύσσωμα, καὶ συμμέ-
τοχα τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ ἐν Χρι-
στῷ, διὰ τοῦ εὐαγγελίου, οὗ ἐγὼ ἐγε-
νόμην διάκονος κατὰ τὴν δωρεὰν
τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ, τὴν δοθεῖ-
σάν μοι κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς
δυνάμεως αὐτοῦ. ἐμοὶ τῷ ἐλαχι-
στοτέρῳ πάντων ἁγίων ἐδόθη ἡ χά
ρις αὕτη, ἐν τοῖς ἔθνεσιν εὐαγγελί(α
σθαι τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ
χριστοῦ. καὶ φωτίσαι πάντας, τίς
ἡ κοινωνία τοῦ μυστηρίου, τοῦ ἀποκε-
κρυμμένου ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ
θεῷ, τῷ τὰ πάντα κτίσαντι διὰ Ἰη-
σοῦ χριστοῦ, ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρ
χαῖς καὶ ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρα-
νίοις διὰ τῆς ἐκκλησίας, ἡ πολυποί
κιλος σοφία τοῦ θεοῦ, κατὰ πρόθεσιν
τῶν αἰώνων, ἣν ἐποίκσεν ἐν χριστῷ
Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ἐν ᾧ ἔχομεν
τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγω-
γὴν ἐν πεποιθήσει, τῇ διὰ τ πίστεως
αὐτοῦ. διὸ αἰτοῦμαι, μὴ ἐκκακεῖν ἐν
ταῖς θλίψεσί μου ὑπὲρ ὑμῶν, ἥ ἐσ
τὶν δόξα ὑμῶν. τοῦτο χάριν κάμ-
πτω τὰ γόνατά μου πρὸς τὸν πατέ
ρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, ἐξ
οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐ-
πὶ γῆς ὀνομάζεται, ἵνα, δῷ ὑμῖν
κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ,
δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ
πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρω-
πον, κατοικῆσαι τὸν χριστὸν διὰ τῆς
πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἐν
ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιω-
μένοι, ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι
σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις, τί τὸ πλάτος
& μῆκος & βάθος καὶ ὕψος, γνῶ-
ναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώ-
σεως ἀγάπην τοῦ χριστοῦ, ἵνα πληρω
θῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ.
τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆ
σαι ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, ὧν αἰτούμεθα ἢ
νοοῦμεν κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνερ
γουμένην ἐν ἡμῖν, αὐτῷ ἡ δόξα ἐν
τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, εἰς πά
σας τὰς γενεὰς τ αἰῶνος τῶν αἰώ
νων. ἀμήν.

Παρακαλῶ

non innotuit filijs hominũ,quem admodum nunc reuelatũ est sanctis apostolis eius & prophetis per spiritum,ut sint gentes cohæredes, & eiusdem corporis, consortesq; pmissionis eius in Christo,per euangelium,cuius factus sum minister secundum donum gratiæ dei, quod datum est mihi secundum efficaciam potentiæ illius. Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc,ut inter gentes euangelizem imperuestigabiles diuitias Christi,& in lucem proferam omnibus, quæ sit cõmunio mysterij,quod erat absconditũ à seculis in deo,qui uniuersa condidit per Iesum Christum, ut nota fiat nunc principatibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiã, uehementer uaria sapientia dei, secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro, per quem habemus audaciam & aditum cum fiducia, quæ est per fidem illius. Quapropter peto,ne deficiatis ob afflictiones meas, quas p uobis tolero,quæ est gloria uestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis à cõmuni patre cognatio in cœlis & in terra nominatur, ut det uobis iuxta diuitias gloriæ suæ, ut fortitudine corroboremini per spiritum suũ, in internum hominem, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus uestris, fixis in charitate radicibus,& fundamento iacto: ut ualeatis assequi cum omnibus sanctis,quæ sit latitudo et longitudo,& pfunditas,et sublimitas,cognoscereq; præeminentem cognitioni dilectionẽ Christi,ut impleamini in omnẽ plenitudinẽ dei. Ei uero qui potest cumulate facere ultra omnia, quæ petimus, aut cogitamus, iuxta uim agentem in nobis,sit gloria in ecclesia per Christũ Iesum,in omnes ætates seculi seculorũ. Amen.

Hortor

non est agnitum filijs hominum : sicuti nunc reuelatũ est sanctis apostolis eius & pphetis in spiritu:esse gentes cohæredes & concorporales,& comparticipes promissionis in Christo Iesu per euangelium: cuius factus sum ego minister secũdum donũ gratiæ dei quæ data est mihi secundũ operationem uirtutis eius.Mihi enim omnium sancto rum minimo data est gratia hæc in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi: & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in deo qui oñia creauit:ut innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapientia dei secũdum præfinitionem seculorum,quã fecit in Christo Iesu domino nostro : in quo habemus fiduciã & accessum in confidentia per fidẽ eius. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis : quæ est gloria uestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi: ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur : ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine Christum habitare per fidem in cordibus uestris in charitate radicati & fundati: ut possitis cõprehendere cum omnibus sanctis , quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum. Scire etiã supereminẽtem scientiæ charitatem Christi:ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Ei autem qui potens est oñia facere superabũdanter quam petimus aut intelligimus secũdum uirtutem quæ operatur in nobis:ipsi gloria in ecclesia & in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum. Amen.

Obsecro

apud uos euãgelium dei, in multo certamine. Siquidẽ exhortatio nostra nõ fuit ex impostura, neq; ex immundicia, neq; cũ dolo, sed quẽ admodũ probati fueramus à deo, ut nobis cõmitteretur euangeliũ: ita loquimur, nõ ut hominib⁹ placentes, sed deo qui probat corda nostra. Neq; eñ unquã per sermonem adulatiõis uersati sumus, quẽ admodũ nostis, nec per occasionẽ auaritiæ, deus est testis, neq; quærẽtes ex hominibus gloriã, nec à uobis, nec ab alijs, cum possemus in autoritate esse, tanquam apostoli Christi, sed fuimus placidi in medio uestri, perinde acsi nutrix foueat suos filios, sic affectu propensi in uos, animo cupiebamus impertire uobis, nõ solum euangeliũ dei, uerũetiam nostras ipsorum animas, propterea quod chari nobis facti estis. Meministis eñ fratres laboris nostri, ac sudoris. Nocte enim ac die opus facientes ob id, ne cui uestrum essemus oneri, prædicauimus apud uos euangelium dei. Vos autem testes estis & deus, quã sancte & iuste & inculpate uobiscum qui credebatis, uersati fuerimus: quemadmodum nostis, ut erga unumquẽq; uestrum, tanquã pater erga filios suos, fuerimus affecti, obsecrantes uos, & consolantes & obtestantes, ut ambularetis digne deo, qui uocasset uos in suum regnum ac gloriam. Quapropter & nos gratias agim⁹ deo indefinenter: quod cum acciperetis sermonẽ à nobis, quo deũ discebatis, accepistis non sermonẽ hominum, sed sicut erat uere sermonem dei, qui & agit in uobis credentibus. Vos enim imitatores facti estis fratres, ecclesiarum dei, quæ sunt in Iudæa, in Christo Iesu, quod eadem passi sitis & uos à proprijs cõtribulibus, quem admodũ & ipsi nos à Iudæis, qui ut & dominum occiderũt Iesum, & proprios prophetas, ita & nos persecuti sunt, & deo nõ placent,

& omnibus

ad uos euãgeliũ dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore neq; de immũdicia, neq; in dolo: sed sicut probati sumus a deo: ut crederetur a nobis euangelium ita loquimur: non quasi hominibus placentes: sed deo, qui probat corda nostra. Neq; eñ aliquãdo fuimus in sermone adulatiõis sicut scitis, neque in occasione auariciæ: deus testis est: neq; quærentes ab hominibus gloriam neq; a uobis, neq; ab alijs: cum possemus uobis oneri esse, ut Christi apostoli. Sed facti sumus paruuli in medio uestrũ, tanquam si nutrix foueat filios suos: ita desiderantes uos cupide, uolebamus tradere uobis: nõ solum euangelium dei: sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. Memores enim facti estis fratres laboris nostri & fatigationis, nocte & die operantes, ne quẽquam uestrum grauaremus, prædicauimus in uobis euãgeliũ dei. Vos testes estis & deus, quam sancte & iuste & sine querela uobis qui credidistis affuimus: sicut scitis qualiter unumquenque uestrum tanquam pater filios suos deprecantes uos & consolantes, testificati sumus ut ambularetis digne deo qui uocauit uos in suum regnum & gloriã. Ideo & nos gratias agimus deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis uerbum auditus dei: accepistis illud non ut uerbum hominum, sed sicut est uere uerbum dei: qui operatur in uobis qui credidistis. Vos enim imitatores facti estis fratres ecclesiarum dei quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu: quia eadem passi estis & uos a cõtribulibus uestris, sicut & ipsi a Iudæis: qui & dominum occiderunt Iesum & prophetas: & nos persecuti sunt: & deo non placent:

& omnibus

καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων, κωλυόντων ἡμᾶς τοῖς ἔθνεσι λαλῆσαι, ἵνα σωθῶσιν, εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας πάντοτε. ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος. ἡμεῖς δὲ ἀδελφοὶ ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν πρὸς καιρὸν ὥρας πρόσωπῳ, οὐ καρδίᾳ, περισσοτέρως ἐσπουδάσαμεν τὸ πρόσωπον ὑμῶν ἰδεῖν ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ. διὸ ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, ἐγὼ μὲν Παῦλος, καὶ ἅπαξ καὶ δίς, καὶ ἐνέκοψεν ἡμᾶς ὁ σατανᾶς. τίς γὰρ ἡμῶν ἐλπὶς, ἢ χαρὰ, ἢ στέφανος καυχήσεως, ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς, ἔμπροσθεν τοῦ κυρίου ἡμῶν ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ; ὑμεῖς γάρ ἐστε ἡ δόξα ἡμῶν καὶ ἡ χαρά.

Διὸ μηκέτι στέγοντες εὐδοκήσαμεν καταλειφθῆναι ἐν Ἀθήναις μόνοι, καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, καὶ διάκονον τοῦ θεοῦ καὶ συνεργὸν ἡμῶν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ ΧΡΙΣΤΟΥ, εἰς τὸ στηρίξαι ὑμᾶς, καὶ παρακαλέσαι ὑμᾶς περὶ τῆς πίστεως ἡμῶν, τῷ μηδένα σαίνεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις. αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα. καὶ γὰρ ὅτε πρὸς ὑμᾶς ἦμεν, προελέγομεν ὑμῖν, ὅτι μέλλομεν θλίβεσθαι, καθὼς καὶ ἐγένετο καὶ οἴδατε. διὰ τοῦτο κἀγὼ μηκέτι στέγων ἔπεμψα εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίστιν ὑμῶν, μή πως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων, καὶ εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ἡμῶν. Ἄρτι δὲ ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς ἀφ' ὑμῶν, καὶ εὐαγγελισαμένου ἡμῖν τὴν πίστιν, καὶ τὴν ἀγάπην ὑμῶν, καὶ ὅτι ἔχετε μνείαν ἡμῶν ἀγαθὴν πάντοτε, ἐπιποθοῦντες ἡμᾶς ἰδεῖν, καθάπερ καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς. διὰ τοῦτο παρεκλήθημεν ἀδελφοὶ ἐφ' ὑμῖν, ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει, καὶ ἀνάγκῃ ἡμῶν, διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως. ὅτι νῦν ζῶμεν, ἐὰν ὑμεῖς στήκητε ἐν κυρίῳ. Τίνα γὰρ εὐχαριστίαν δυνάμεθα τῷ θεῷ ἀνταποδοῦναι περὶ ὑμῶν ἐπὶ πάσῃ τῇ χαρᾷ, ᾗ χαίρομεν δι' ὑμᾶς ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ ἡμῶν, νυκτὸς καὶ ἡμέρας ὑπερεκπερισσοῦ δεόμενοι, εἰς τὸ ἰδεῖν ὑμῶν τὸ πρόσωπον,

et omnibus hominibus aduersantur, qui obsistunt nobis, ne loquamur gētibus, quo salui fiant, ut expleant sua peccata semper. peruenit aūt in illos ira in finem. Cæterū nos fratres, orbati uobis ad spatiū temporis, aspectu, nō corde, uehementius studuimus uidere faciem uestram, cū multo desiderio. Quapropter uoluimus uenire ad uos, ego quidē Paulus, & semel & iterum, & obstitit nobis satanas. Nā quæ est nostra spes, aut gaudiū, aut corona gloriationis, an nō & uos in conspectu dñi nostri Iesu Christi, in eius aduentu? Vos em̄ estis gloria nostra & gaudium.

Proinde cum non amplius feremus, uisum est nobis, ut Athenis resideremꝰ soli, ac misimus Timotheum fratrem nostrum, ac ministrum dei, & adiutorē operis nostri in euangelio Christi, ut confirmaret uos, & consolaretur uos de fide nostra, ne quisquā turbaretur in afflictionibus his. Nam ipsi nostis, nos in hunc usum positos esse Etem̄ cum apud uos essemus, prædicebamus uobis fore, ut afflictionem pateremur, quemadmodū & euenit, & nostis. Quapropter & ego nō amplius ferēs, misi ad hoc, ut cognoscerem fidem uestram, ne quo pacto tētasset uos ille qui tentat, & inanis factus esset labor noster. Nuper autē cum uenisset Timotheus ad nos à uobis, & annūciasset nobis fidem ac dilectionē uestram, & quod habeatis memoriam nostri bonam semper, desiderantes nos uidere, quemadmodū nos quoq; uos. Idcirco consolationem accepimus fratres per uos super omni afflictione & necessitate nostra, per uestram fidem. Quoniam nūc uiuimus, si uos statis in domino. Quam enim gratiarū actionem possumus deo rependere de uobis super omni gaudio, qd' gaudemus propter uos in conspectu dei nostri, nocte ac die supra modum orantes, ut uideamus uestrā faciem,

& ōmnibus hominibus aduersantur: prohibentes nos gentibus loqui, ut salui fiāt: ut impleāt peccata sua semper. Peruenit enī ira dei super illos usq; in finē. Nos autem fratres desolati a uobis ad tēpus horæ, aspectu non corde, abundantius festinauimus faciem uestrā uidere cū multo desiderio. Quoniam uoluimus uenire ad uos: ego quidem Paulus & semel & iterū: sed impediuit nos sathanas. Quæ est enī nostra spes, aut gaudiū, aut corona gloriæ? Nonne uos ante dominum nostrum Iesum Christum in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

III. Propter quod nō sustinentes amplius placuit nobis remanere Athenis solis: et misimus Timotheum fratrem nostrum & ministrū dei in euangelio Christi, ad cōfirmandos uos & exhortādos pro fide uestra: ut nemo moueat in tribulatiōibus istis. Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. Nam & cum apud uos essemus, prædicebamꝰ uobis passuros nos tribulationes: sicut & factū est & scitis. Propterea & ego amplius non sustinens misi ad cognoscēdum fidem ue/stram: ne forte tentauerit uos is qui tentat: & inanis fiat labor noster. Nunc autem ueniente Timotheo ad nos a uobis, & annunciante nobis fidem & charitatē uestram: & quia memoriam nostri habetis bonam, semper desiderantes nos uidere: sicut & nos quoq; & uos: ideo consolati sumus fratres in uobis in omni necessitate & tribulatione nostra per fidem uestrā: quoniam nunc uiuimus si uos statis in domino. Quam enim grātiarum actionem possumus deo retribuere pro uobis in omni gaudio quo gaudemus ꝓpter uos ante dominum deum nostrum: nocte ac die abundātius orantes, ut uideamus faciem

πρόσωπον, καὶ καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν. αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ιησοῦς χριστὸς κατευθύναι τὴν ὁδὸν ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς. ὑμᾶς δὲ ὁ κύριος πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι τῇ ἀγάπῃ εἰς ἀλλήλους, καὶ εἰς πάντας, καθάπερ καὶ ἡμεῖς εἰς ὑμᾶς, εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν, ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ, μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ.

Τὸ λοιπὸν οὖν ἀδελφοί, ἐρωτῶμεν ὑμᾶς καὶ παρακαλοῦμεν ἐν κυρίῳ Ιησοῦ, καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν, τὸ πῶς δεῖ ὑμᾶς περιπατεῖν, καὶ ἀρέσκειν θεῷ, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον. οἴδατε γὰρ, τίνας παραγγελίας ἐδώκαμεν ὑμῖν διὰ τοῦ κυρίου Ιησοῦ. τοῦτο γάρ ἐστι θέλημα τοῦ θεοῦ ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν, ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας, εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ, μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη, τὰ μὴ εἰδότα τὸν θεὸν, καὶ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, διότι ἔκδικος ὁ κύριος περὶ πάντων τούτων, καθὼς καὶ προείπαμεν ὑμῖν, καὶ διεμαρτυράμεθα. οὐ γὰρ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ὁ θεὸς ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ, ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ. τοιγαροῦν ὁ ἀθετῶν, οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν θεὸν, τὸν διδόντα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον αὐτοῦ εἰς ὑμᾶς. περὶ δὲ τῆς φιλαδελφίας, οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν, αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους. καὶ γὰρ ποιεῖτε αὐτὸ εἰς πάντας τοὺς ἀδελφοὺς, τοὺς ἐν ὅλῃ τῇ μακεδονίᾳ. παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς ἀδελφοὶ, περισσεύειν μᾶλλον καὶ φιλοτιμεῖσθαι, ἡσυχάζειν καὶ πράσσειν τὰ ἴδια, καὶ ἐργάζεσθαι ταῖς ἰδίαις χερσὶν ὑμῶν, καθὼς ὑμῖν παρηγγείλαμεν, ἵνα περιπατῆτε εὐσχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε. οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν ἀδελφοὶ περὶ τῶν κεκοιμημένων, ἵνα μὴ λυπῆσθε, καθὼς

faciem, & ſuppleamus quæ deſunt fidei ueſtræ. Ipſe uero deus & pater noſter & dominus noſter Ieſus Chriſtus dirigat uiam noſtram ad uos. Vos aũt dominus abundãtes & exuberantes faciat mutua inter uos charitate, & in oẽs, quemadmodum & nos in uos, ut cõfirmet corda ueſtra, irreprehenſibilia in ſanctimonia corã deo & patre noſtro, in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti, cũ oẽibus ſanctis eius.

Quod ſupereſt igit̃ fratres, rogamus uos & adhortamur per dominum Ieſum, quemadmodũ accepiſtis à nobis, quomodo oporteat uos uerſari, & placere deo, ut abũdetis magis. Noſtis enim, quæ præcepta dederimus uobis per dominum noſtrũ Ieſum. Hæc enim eſt uolũtas dei, ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis à ſcortatione, & ſciat unuſquiſq; ueſtrum ſuũ uas poſſidere, cũ ſanctificatione & honore, nõ cum affectu concupiſcẽtiæ, quemadmodũ & gentes, quæ nõ nouerunt deũ, ne quis opprimat ac fraudet in negocio fratrẽ ſuum, propterea qđ ultor eſt dominus de omnibus his, quemadmodum & ante diximus uobis, ac teſtati ſumus. Non enim uocauit nos deus immundiciæ cauſa, ſed ad ſanctificationem. Proinde qui reiſcit, nõ reiſcit hominem, ſed deum, qui dedit ſpiritum ſuum ſanctum in uos. Cæterum de fraterna charitate nõ neceſſe habetis, ut ſcribam uobis. Ipſi namque diuinitus docti eſtis, ut diligatis uos inuicẽ. Nam & facitis hoc erga cunctos fratres qui ſunt in tota Macedonia. Obſecramus autem uos fratres, ut abũdetis magis, & in hoc incumbatis, ut quieti ſitis, & agatis res proprias, & operemini proprijs manibus ueſtris, ſicuti uobis præcepimus, ut uos geratis honeſte erga extrarios, & nulla re uobis ſit opus. Cæterum nolo uos ignorare fratres de ijs qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum

& cæteri

faciem ueſtrã: & compleamus ea quæ deſunt fidei ueſtræ. Ipſe autem deus & pater noſter & dominus Ieſus Chriſtus dirigat uiam noſtram ad uos. Vos autẽ dominus multiplicet & abundare faciat charitatẽ ueſtrã in inuicem & in omnes: quẽ admodũ & nos in uobis ad confirmanda corda ueſtra ſine querela in ſanctitate ante deum & patrẽ noſtrum in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus ſanctis eius: Amẽ. De cæte- IIII.
ro ergo fratres rogam⁹ uos & obſecramus in domĩo Ieſu: ut quemadmodũ accepiſtis a nobis, q̃modo oporteat uos ambulare & placere deo: ſic & ambuletis ut abũdetis magis. Scitis enĩ quæ præcepta dederim uobis p dominũ Ieſum. Hæc eſt enĩ uolũtas dei, ſanctificatio ueſtra: ut abſtineatis uos a fornicatiõe: ut ſciat unuſquiſq; ueſtrũ uas ſuũ poſſidere in ſanctificatiõe & honore: nõ in paſſione deſiderij: ſicut & gentes quæ ignorãt deum. Et ne quis ſupergrediat̃ neque circũueniat in negocio fratrem ſuũ: quoniã uindex eſt dñs de his omnib⁹: ſicut prædiximus uobis & teſtificati ſumus. Nõ enim uocauit nos deus in immũdiciã: ſed in ſanctificationẽ. Itaq; qui hæc ſpernit: nõ hominẽ ſpernit, ſed deũ: qui etiã dedit ſpiritũ ſuũ ſanctũ in nobis. De charitate aũt fraternitatis nõ neceſſe habuim⁹ ſcribere uobis: Ipſi enĩ uos a deo didiciſtis, ut diligatis inuicem. Etenĩ illud facitis in omnes fratres in uniuerſa Macedonia. Rogam⁹ autem uos fratres, ut abũdetis magis & operã detis ũt quieti ſitis: & ut ueſtrũ negociũ agatis: & operemini manibus ur̃is: ſicut præcipimus uobis, ut & honeſte ambuletis ad eos qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis. Nolumus autẽ uos ignorare fratres de dormiẽtibus: ut non contriſtemini ſicut

& cæteri

θὼς καὶ οἱ λοιποὶ, οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα. Εἰ γὰρ πιστεύομεν, ὅτι Ιησοῦς ἀπέθανεν & ἀνέστη, οὕτως καὶ ὁ θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ιησοῦ, ἄξει σὺν αὐτῷ. τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν ἐν λόγῳ κυρίου, ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου, οὐ μὴ φθάσωμεν τοὺς κοιμηθέντας, ὅτι αὐτὸς ὁ κύριος & ἐν κελεύσματι, ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, καὶ ἐν σάλπιγγι θεοῦ καταβήσεται ἀπ' οὐρανοῦ, καὶ οἱ νεκροὶ ἐν χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον, ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι, ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα ἐν νεφέλαις εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου εἰς ἀέρα, & οὕτως πάντοτε σὺν κυρίῳ ἐσόμεθα. ὥστε παρακαλεῖτε ἀλλήλους ἐν τοῖς λόγοις τούτοις.

Περὶ δὲ τῶν χρόνων & τῶν καιρῶν ἀδελφοὶ, οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι. αὐτοὶ γὰρ ἀκριβῶς οἴδατε ὅτι ἡμέρα κυρίου, ὡς κλέπτης ἐν νυκτί, οὕτως ἔρχεται. ὅταν γὰρ λέγωσιν, εἰρήνη & ἀσφάλεια, τότε αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐφίσταται ὄλεθρος, ὥσπερ ἡ ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, & οὐ μὴ ἐκφύγωσιν. ὑμεῖς δὲ ἀδελφοὶ οὐκ ἔστε ἐν σκότει, ἵνα ἡ ἡμέρα ὑμᾶς ὡς κλέπτης καταλάβῃ. πάντες ὑμεῖς υἱοὶ φωτός ἐστε, & υἱοὶ ἡμέρας, οὐκ ἐσμὲν νυκτὸς οὐδὲ σκότους. ἄρα οὖν μὴ καθεύδωμεν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ, ἀλλὰ γρηγορῶμεν καὶ νήφωμεν. οἱ γὰρ καθεύδοντες, νυκτὸς καθεύδουσι & οἱ μεθυσκόμενοι, νυκτὸς μεθύουσιν. ἡμεῖς δὲ ἡμέρας ὄντες, νήφωμεν, ἐνδυσάμενοι θώρακα πίστεως καὶ ἀγάπης, & περικεφαλαίαν ἐλπίδα σωτηρίας. ὅτι οὐκ ἔθετο ἡμᾶς ὁ θεὸς εἰς ὀργὴν, ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτηρίας διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ, τοῦ ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα εἴτε γρηγορῶμεν, εἴτε καθεύδωμεν, ἅμα σὺν αὐτῷ ζήσωμεν. διὸ παρακαλεῖτε ἀλλήλους, & οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα, καθὼς καὶ ποιεῖτε. ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς ἀδελφοὶ, εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, & προϊσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ, καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ διὰ τὸ ἔργον

& cæteri non habentes ſpem. Nã ſi credimus, quod Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ſic & deus eos qui obdormierunt per Ieſum, adducet cum illo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, quod nos qui uiuemus & reliqui erim⁹ in aduentũ domini, nequaq; præueniemus eos qui dormiũt. Quoniam ipſe dominus cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba dei deſcendet de cœlo, et mortui in chriſto reſurgent primũ, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus ſimul cũ illis rapiemur in nubibus in occurſum domini in aëra, et ſic ſemper cum dño erimus. Proinde cõſolemini uos mutuo ſermonibus his. Porrò de tẽporibus & articulis temporũ fratres, non eſt opus ut uobis ſcribã. Ipſi enim planè ſcitis, quod dies ille dñi, ut fur in nocte, ita uẽturus ſit. Cum enim dixerint, pax & tuta omnia tunc repentinus eis imminet interitus, ſicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient. At uos fratres, nõ eſtis in tenebris, ut dies ille uos tanq; fur opprimat. Oẽs uos filij lucis eſtis, ac filij diei: non ſum⁹ noctis, neq; tenebrarũ. Proinde ne dormiamus, ſicut & cæteri, ſed uigilemus & ſobrij ſimus. Nam qui dormiũt, nocte dormiunt, & qui inebriãtur, noctu ſunt ebrij. at nos qui ſumus diei, ſobrij ſimus, induti thoracẽ fidei & charitatis, & pro galea ſpem ſalutis. Quoniã nõ conſtituit nos deus, ut iram nobis cõcitemus, ſed ut ſalutem cõſequamur per dñm noſtrum Ieſum Chriſtũ, qui mortu⁹ eſt pro nobis, ut ſiue uigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cũ illo uiuamus. Quapropter adhortemini uos mutuo, & ædificetis ſinguli ſingulos, ſicut & facitis. Rogam⁹ aũt uos fratres, ut agnoſcatis eos, qui laborant inter uos, & qui præſunt uobis in domino, & admonent uos, ut habeatis illos in ſummo precio per charitatẽ propter opus

& cæteri qui ſpẽ nõ habent. Si enim credimus quod Ieſus mortuus eſt & reſurrexit: ita & deus eos qui dormierũt per Ieſum adducet cum eo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini: quia nos qui uiuimus, qui reſtidui ſumus in aduẽtu domini: non præueniemus eos qui dormierũt. Quoniam ipſe dominus in iuſſu & in uoce archangeli & in tuba dei deſcẽdet de cœlo: et mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: Deinde nos qui uiuimus qui relinquimur, ſimul rapiemur cũ illis in nubibus obuiã Chriſto in aera: & ſic ſemper cũ domino erimus. Itaq; cõſolamini inuicẽ in uerbis iſtis.

De temporibus autẽ & momentis fratres nõ indigetis ut ſcribamus uobis: Ipſi enim diligẽter ſcitis, quia dies domini ſicut fur in nocte ita ueniet. Cum enim dixerint, pax & ſecuritas: tũc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in utero habẽtis, & nõ effugiẽt. Vos autẽ fratres nõ eſtis in tenebris: ut uos dies ille tanquã fur comprehendat. Omnes enim uos filij lucis eſtis & filij diei. Nõ ſumus noctis neque tenebrarum. Igitur nõ dormiamus ſicut & cæteri: ſed uigilemus & ſobrij ſim⁹. Qui enim dormiunt, nocte dormiũt: & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſũt. Nos autem qui diei ſumus, ſobrij ſimus: induti loricã fidei & charitatis & galeã ſpem ſalutis: quoniam nõ poſuit nos deus in iram: ſed in acquiſitionẽ ſalutis per dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ: qui mortuus eſt ꝓ nobis: ut ſiue uigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cũ illo uiuamus. Propter quod cõſolamini inuicẽ, & ædificate alterutrũ: ſicut & facitis. Rogamus autẽ uos frãtres ut noueritis eos qui laborant inter uos, & præſunt uobis in domino: & monẽt uos: ut habeatis illos abundantius in charitate ꝓpter

V.

γομ αὐτῶμ, εἰρωνεύετε ἐν αὐτοῖς. παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς ἀδελφοί, νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους, παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους, ἀντέχεσθε τῶμ ἀσθενῶμ, μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας. ὁρᾶτε, μή τις κακὸμ ἀντὶ κακοῦ τινὶ ἀποδῷ, ἀλλὰ πάντοτε τὸ ἀγαθὸμ διώκετε, καὶ εἰς ἀλλήλους, καὶ εἰς πάντας. πάντοτε χαίρετε, ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε, ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε. τοῦτο γὰρ θέλημα θεοῦ ἐν χριστῷ ἰησοῦ εἰς ὑμᾶς. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε. προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε. πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸμ κατέχετε. ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε. αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς. ☩ ὁλόκληρομ ὑμῶμ τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, ☩ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶμ ἰησοῦ χριστοῦ τηρηθείη. πιστὸς ὁ καλῶμ ὑμᾶς, ὃς καὶ ποιήσει. ἀδελφοὶ, προσεύχεσθε περὶ ἡμῶμ. ἀσπάσασθε τοὺς ἀδελφοὺς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ. ὁρκίζω ὑμᾶς τὸμ κύριομ, ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴμ πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἀδελφοῖς. ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶμ ἰησοῦ χριστοῦ μεθ' ὑμῶμ. ἀμήν.

πρὸς θεσσαλονικεῖς πρώτη ἐγράφη ἀπὸ ἀθηνῶμ.

opus illorũ: pacem habete cum illis. Obsecramus autẽ uos fratres, monete inordinatos, cõsolamini pusillanimes, subleuate infirmos, patientes estote erga omneis. Videte, ne quis malũ pro malo cuipiam reddat, sed semper quod bonum est, sectemini, tum erga uos inuicẽ, tum erga omneis. Semper gaudete, indelinenter orate, in omnibus gratias agite. Hæc emm est uolũtas dei per Christũ Iesum erga uos. Spiritum ne extinguatis, pphetias ne aspernemini. Omnia probate: quod bonũ fuerit, tenete. Ab omni specie mala abstinete. Ipse aũt deus pacis sanctificet uos totos. Et integer uester spiritus, et anima & corpus, ita ut in nullo positis culpari, in aduẽtu dñi nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui uocauit uos, qui idem efficiet. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omneis cũ oscu lo sancto. Adiuro uos per dñm, ut recitetur hæc epistola omnibus sanctis fratribus. Gratia domini nostri Iesu Christi sit uobiscum.

Ad Thessalonicenses prima scripta fuit ex Athenis.

opus illorum: & pacem habete cum eis. Rogamus autem uos fratres: corripite inquietos: cõsolamini pusillanimes: suscipite infirmos: patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est, sectamini in inuicẽ & in omnes. Semper gaudete: sine intermissione orate: in omnibus gratias agite. Hæc est enim uolũtas dei in Christo Iesu in omnibus uobis. Spiritũ nolite extinguere: prophetias nolite spernere. Omnia aũt probate: quod bonum est tenete: ab oñi specie mala abstinete uos. Ipse autẽ deus pacis sanctificet uos per oñia: ut integer spiritus uester & anima & corpus sine querela in aduẽtu dñi nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui uocauit uos: qui etiã faciet. Fratres orate p nobis. Salutate fratres omẽs in oscu lo sancto. Adiuro uos per dñm, ut legatur epistola hæc oñib⁹ sanctis fratrib⁹. Gr̃a dñi nostri Iesu Christi uobiscũ. Amẽ.

FINIS.

ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗΣ.

Ταύτην ἐπιστέλλει ἀπὸ ῥώμης. ἡ δὲ πρόφασις τῆς ὑπηστολῆς αὕτη. τινὲς ἀπὸ θεσσαλονίκης ἀργοὶ καὶ ἄτακτοι περιερχόμενοι, τοὺς ἀδελφοὺς ἀφήρπαζον, ὡς ἤδη τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἐνστάσης. ἠπάτων δὲ τοὺς ἀκούοντας, ὡς τοῦ ἀποστόλου τοῦτο δηλοῦντος, καὶ ὑπὸ πνεύματος ἀκούσαντες. ταῦτα τοίνυν μαθὼν ὁ ἀπόστολος, γράφει τὴν ἐπιστολήν, καὶ πρῶτον μὲν ἀποδέχεται τὴν πίστιν αὐτῶν αὐξάνουσαν. καὶ ὅτι ἐν αὐτοῖς ἐκαυχᾶτο, τὰς θλίψεις γενναίως ὑποφέρουσι διὰ τὸν χριστόν. καὶ παραμυθεῖται δὲ αὐτοὺς ὡς ἐσομένης ἐκδικίας παρὰ τοῦ θεοῦ κατὰ τῶν αὐτοὺς ἐκδικούντων. ἔπειτα περὶ τῆς παρουσίας τοῦ σωτῆρος διδάσκει, μηδενὶ αὐτοὺς πείθεσθαι, μηδὲ θροεῖσθαι αὐτοὺς, μή τε διὰ πνεύματος, μή τε ὡς αὐτοῦ γράψοντος, μήθ' ὅλως νομίζειν ἤδη παρεῖναι αὐτήν. μὴ γὰρ πρότερον ἔσεσθαι αὐτὴν, ἐὰν μὴ ἡ ἀποστασία πρῶτον ἔλθῃ, καὶ μετ' αὐτὴν ὁ ἀντίχριστος, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, οὗ τὴν παρουσίαν ἐν σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ ἔσεσθαι, σημαίνει. εἶτα παραινέσας αὐτοῖς στήκειν γενναίως, καὶ κρατεῖν τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθησαν παρ' αὐτοῦ, παραγγέλλει μηδὲ μίαν κοινωνίαν ἔχειν μετὰ τῶν ἀτάκτων, ἀλλὰ ἀποβάλλειν αὐτούς. εἶναι γὰρ καὶ περιέργους καὶ πλάνους ἐδήλωσε τοὺς τοιούτους. καὶ καθόλου δὲ παρήγγειλε τὸν μὴ ὑπακούοντα τοῖς λόγοις αὐτοῦ, τοῦτον ἀπεσυνάγωγον γίνεσθαι. καὶ λοιπὸν ἐπευξάμενος αὐτοῖς εἰρήνην, τελειοῖ τὴν ἐπιστολὴν τὸν ἀσπασμὸν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ γράψας, ὅπερ σημεῖον εἶναι πάσης ἐπιστολῆς δεδήλωκεν.

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES POSTERIOREM ARG. PER ERAS. ROT.

QVONIAM non contigit Paulo facultas reuiſendi Theſſalonicenſes, per epiſtolam confirmat illorum animos, ut fortiter ferant illatas ob Chriſtum afflictiones, nec ipſis defuturum præmium, nec aduerſarijs uindictam. Rurſum de die aduentus domini, de quo nonnihil attigerat in epiſtola ſuperiori, monet, ne quid commouerentur quorundam dictis, qui aſſeuerabant illum iam inſtare, tecte, ſicuti putant, ſignificans, prius abolendum Rhomanum imperium, ac deinde uenturum Antichriſtum. Attentius etiam inculcat, coërcendos eſſe, qui ocio & curioſitate ſua turbarent quietem & ordinem publicum, & ad opus adigendos, cum ipſe Paulus apud eos manibus ſuis laborarit. Scripſit Athenis per eoſdem, per quos miſit priorem epiſtolam, ut noſtra docent argumenta.

ARGVMENTI FINIS.

Παῦλος καὶ σιλουανὸς καὶ τιμόθεος, τῇ ἐκκλησίᾳ θεσσαλονικέων ἐν θεῷ πατρὶ ἡμῶν καὶ κυρίῳ ἰησοῦ χριστῷ. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ. Εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν τῷ θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν ἀδελφοί, καθὼς ἄξιόν ἐστιν, ὅτι ὑπεραυξάνει ἡ πίστις ὑμῶν, καὶ πλεονάζει ἡ ἀγάπη ἑνὸς ἑκάστου πάντων ὑμῶν εἰς ἀλλήλους, ὥστε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐν ὑμῖν καυχᾶσθαι ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ θεοῦ, ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν καὶ πίστεως, ἐν πᾶσι τοῖς διωγμοῖς ὑμῶν, καὶ ταῖς θλίψεσιν αἷς ἀνέχεσθε, ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ θεοῦ, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, ὑπὲρ ἧς καὶ πάσχετε. εἴπερ δίκαιον παρὰ θεῷ, ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς, θλῖψιν, καὶ ὑμῖν τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ κυρίου ἰησοῦ ἀπ' οὐρανοῦ, μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ, ἐν πυρὶ φλογὸς, διδόντος ἐκδίκησιν τοῖς μὴ εἰδόσι θεὸν, καὶ τοῖς μὴ ὑπακούουσι τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, οἵτινες δίκην τίσουσιν, ὄλεθρον αἰώνιον, ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, καὶ ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, καὶ θαυμασθῆναι ἐν πᾶσι τοῖς πιστεύσασιν, ὅτι ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ' ὑμᾶς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, εἰς ὃ καὶ προσευχόμεθα πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης, καὶ ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει, ὅπως ἐνδοξασθῇ τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ ἐν ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ἐν αὐτῷ κατὰ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ.

Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς ἀδελφοὶ ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτὸν, εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς

ERASMI VERSIO.

PAVLVS & Siluanus ac Timotheus eccleſiæ Theſſalonicenſium, in deo patre noſtro et domino Ieſu Chriſto. Gratia ſit uobis & pax à deo patre noſtro & dño Ieſu Chriſto. Gratias agere debemus deo ſemp de uobis fratres, ut par eſt, quod uehementer augeſcit fides ueſtra, & exuberat mutua ueſtra omniũ charitas, cuiuſq; in alterũ, adeo ut nos ipſi de uobis gloriemur in eccleſijs dei, de tolerantia ueſtra & fide, ſuper omnibus pſecutionibus ueſtris et afflictionibus, quas ſuſtinetis, documentũ iuſti iudicij dei, in hoc ut digni habeamini regno dei, pro quo & patimini. Siquidẽ iuſtum eſt apud deũ, reddere ijs qui affligunt uos, afflictionẽ, & uobis qui affligimini relaxationẽ nobiſcum, cũ reuelabitur dñs Ieſus de cœlo, cum angelis potentiæ ſuæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem ijs, qui nõ nouerunt deum, & qui non obediunt euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnam luent, interitum æternum, à facie dñi, & à gloria fortitudinis illius, cum uenerit, ut glorificetur in ſanctis ſuis, & admirãdus fiat in omnibus credentibus, quod fides habita ſit teſtimonio noſtro erga uos in die illo, ad qd' etiam oramus ſemper pro uobis, ut uos dignos habeat iſta uocatione deus noſter, & compleat omne bonum propoſitum bonitatis, & opus fidei cum potentia, ut illuſtretur nomen domini noſtri Ieſu Chriſti per uos, & uos per illum, iuxta gratiã dei noſtri & domini Ieſu Chriſti.

Rogamus autem uos fratres, per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtri aggregationem in illũ, ne cito dimoueamini à mente,

VVLGATA EDITIO.

PAVLVS & Siluanus & Timotheus eccleſiæ Theſſalonicẽſiũ in deo patre noſtro & domĩo Ieſu Chriſto. Gratia uobis & pax a deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto. Gratias agere debemus ſemp deo pro uobis fratres, ita ut dignũ eſt: quoniã ſupcreſcit fides ueſtra: & abũdat charitas unius cuiuſq; ueſtrũ in inuicẽ: ita ut & noſipſi in uobis gloriemur in eccleſijs dei, p patientia ueſtra & fide: in oñibus perſecutionib⁹ ueſtris & tribulatiõibus quas ſuſtinetis in exẽplũ iuſti iudicij dei: ut digni habeamini in regno dei: p quo & patimini. Si tamen iuſtũ eſt apud deũ retribuere retributionẽ his qui uos tribulãt: & uobis qui tribulamini, requiẽ nobiſcũ in reuelationẽ domini Ieſu de cœlo cũ angelis uirtutis eius in flamma ignis, dãtis uindictã his qui non nouerũt deũ: & qui nõ obediũt euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui pœnas dabũt in interitu æternas a facie domini: & a gloria uirtutis eius, cũ uenerit glorificari in ſanctis ſuis: & admirabilis fieri in omnib⁹ qui crediderũt: quia creditum eſt teſtimoniũ noſtrum ſuper uos in die illo. In quo etiã oramus ſemper pro uobis: ut digneẽ uos ſua uocatione deus noſter: & implẽat omnẽ uoluntatẽ bonitatis ſuæ: & opus fidei in uirtute, ut clarificeẽ nomẽ domini nr̃i Ieſu Chriſti in uobis, & uos in illo ſecundum gratiã dei noſtri & dñi Ieſu Chriſti. II. Rogamus autẽ uos fratres per aduentũ domininr̃i Ieſu Chriſti & noſtræ cõgregatiõis in ipſum: ut nõ cito moueamini a ueſtro

ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοὸς, μήτε θροεῖσθε, μήτε διὰ πνεύματος, μήτε διὰ λόγου, μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ χριστοῦ, μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον, ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, ὡς θεὸν καθίσαι, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἔστι θεός. οὐ μνημονεύετε ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς, ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν; καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ. τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, οὗ ἔστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, ἀνθ' ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο, εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς. καὶ διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει, ἵνα κριθῶσι πάντες οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ. ἡμεῖς δὲ ὀφείλομεν εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ κυρίου, ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ θεὸς ἀπαρχὴν εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, καὶ πίστει ἀληθείας, εἰς ὃ ἐκάλεσεν ὑμᾶς διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἡμῶν, εἰς περιποίησιν δόξης τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ. ἄρα οὖν ἀδελφοί, στήκετε καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις ἃς ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν. αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν Ιησοῦς χριστὸς καὶ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν, ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς, καὶ δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν, καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι, παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας, καὶ στηρίξαι ὑμᾶς ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ.

τὸ λοιπὸν

à mente, neq; turbemini, neq; per ſpiritum, neq; per ſermonē, neque per epiſtolā, tanquàm à nobis profectā, quaſi inſtet dies Chriſti, ne quis uos decipiat ullo modo, quoniam non aduenier dominus, niſi uenerit defectio prius, et reuelatus fuerit homo ille ſceleroſus, filius perditus, qui eſt aduerſarius, & effertur aduerſus omnē, qui dicitur deus aut numen, adeo ut in tēplo dei ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe deū. An nō meminiſtis, quod cum adhuc eſſem apud uos, hæc dixerim uobis? Et nunc quid detineat ſcitis, nempe, ut ille reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium nunc agit iniquitatis, tantum qui tenet, in præſentia teneat, donec è medio tollatur, & tunc patefiet iniquus ille, quem dominus cōficiet ſpiritu oris ſui, & abolebit claritate aduentus ſui, cuius eſt aduētus ſecundum operationem ſathanæ, cum omni potentia, & ſignis, ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniuſticiæ, in ijs qui pereunt, pro eo quod dilectionem ueritatis non receperunt in hoc, ut ſalui fierent. Et propterea mittet illis deus efficaciam illuſionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderūt ueritati, ſed approbauerunt iniuſticiam. Nos autem debemus gratias agere deo ſemper de uobis, fratres dilecti à domino, quod elegerit uos deus ab initio in ſalutē, per ſanctificationem ſpiritus, ac fidem ueritatis, ad quod uocauit uos per euangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ domini noſtri Ieſu Chriſti. Itaq; fratres ſtate, & tenete inſtitutiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Ipſe uero dominus noſter Ieſus Chriſtus, & deus ac pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationē æternam, et ſpem bonam per gratiam, conſoleť ueſtra corda, et ſtabiliat uos in omni ſermone & opere bono.

Quod

ſtro ſenſu, neque terreamini: neq; per ſpiritum: neque per ſermonem, neq; per epiſtolam tanquā per nos miſſam, quaſi inſtet dies domini. Ne quis uos ſeducat ullo modo. Quoniā niſi uenerit diſceſſio primū: et reuelatus fuerit homo peccati filius perditiōis: qui aduerſatur & extollitť ſupra omne quod dicitť deus, aut quod colitur: ita ut in templo dei ſedeat, oſtendens ſe tanquā ſit deus: non retinetis, quod cū adduc eſſem apud uos, hæc dicebam uobis. Et nūc quid detineat ſcitis, ut reueletur in ſuo tempore. Nam myſteriū iam operatur iniquitatis tantum, ut qui tenet nūc teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus: quem dominus Ieſus interficiet ſpiritū oris ſui. Et deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum cuius eſt aduentus ſecundū operationem ſathanæ in omni uirtute & ſignis & prodigijs mendacibus: & in omni ſeductiōe iniquitatis, his qui pereunt: eo quod ueritatem charitatis non receperūt ut ſalui fierent. Ideo mittet illis deus operationem erroris, ut credant mendacio: ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, ſed cōſenſerunt iniquitati. Nos autem debemus gratias agere deo ſemper pro uobis fratres dilecti a deo: quod elegerit uos deus primitias in ſalutē in ſanctificatione ſpiritus & in fide ueritatis: in qua & uocauit uos per euāgelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ domini noſtri Ieſu Chriſti. Itaque fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Ipſe autē dominꝰ noſter Ieſus Chriſtus & deus & pater noſter qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternā, & ſpem bonam in gratia, exhortetť corda ueſtra, & confirmet in omni opere & ſermōe bono.

Τὸ λοιπὸν, προσεύχεσθε ἀδελφοὶ περὶ ἡμῶν, ἵνα ὁ λόγος τοῦ κυρίου τρέχῃ καὶ δοξάζηται, καθὼς καὶ πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἵνα ῥυσθῶμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων. οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις, πιστὸς δέ ἐστιν ὁ κύριος, ὃς στηρίξει ὑμᾶς, καὶ φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. πεποίθαμεν δὲ ἐν κυρίῳ ἐφ' ὑμᾶς, ὅτι ἃ παραγγέλλομεν ὑμῖν, καὶ ποιεῖτε καὶ ποιήσετε. ὁ δὲ κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ, καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ χριστοῦ. παραγγέλλομεν δὲ ὑμῖν ἀδελφοί, ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος, καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν ἣν παρέλαβεν παρ' ἡμῶν. αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, πῶς δεῖ μιμεῖσθαι ἡμᾶς, ὅτι οὐκ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν, οὐδὲ δωρεὰν ἄρτον ἐφάγομεν παρά τινος, ἀλλ' ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ νύκτα καὶ ἡμέραν ἐργαζόμενοι, πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν. οὐχ, ὅτι οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν, ἀλλ' ἵνα ἑαυτοὺς τύπον δῶμεν ὑμῖν εἰς τὸ μιμεῖσθαι ἡμᾶς. καὶ γὰρ ὅτε ἦμεν πρὸς ὑμᾶς, τοῦτο παρηγγέλλομεν ὑμῖν, ὅτι εἴ τις οὐ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω. ἀκούομεν γάρ τινας περιπατοῦντας ἐν ὑμῖν ἀτάκτως, μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους. τοῖς δὲ τοιούτοις παραγγέλλομεν καὶ παρακαλοῦμεν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, ἵνα μετὰ ἡσυχίας ἐργαζόμενοι, τὸν ἑαυτῶν ἄρτον ἐσθίωσιν. ὑμεῖς δὲ ἀδελφοί, μὴ ἐκκακήσητε καλοποιοῦντες. εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν, διὰ τῆς ἐπιστολῆς τοῦτον σημειοῦσθε, καὶ μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ, ἵνα ἐντραπῇ, καὶ μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθε, ἀλλὰ νουθετεῖτε ὡς ἀδελφόν. αὐτὸς δὲ ὁ κύριος τῆς εἰρήνης δώῃ ὑμῖν τὴν εἰρήνην διὰ παντὸς ἐν παντὶ τρόπῳ. ὁ κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν. ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ παύλου, ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ. οὕτως γράφω. Η χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν ιησοῦ χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. ἀμήν.

Ἐγράφη ἀπὸ ἀθηνῶν.

ERASMVS.

Quod superest, orate fratres pro nobis, ut sermo domini currat & glorificetur, sicut & apud uos, & ut eripiamur ab absurdis ac peruersis hominibus. Non enim omnium est fides, sed fidelis est dns, qui stabiliet uos, & custodiet à malo. Confidimus aũt per dominum de uobis, quod quæ præcipimus uobis, & facitis, & facturi sitis. Porrò dominꝰ dirigat uestra corda in dilectionẽ dei, & in expectationẽ Christi. Præcipimus autem uobis fratres, per nomen domini nostri Iesu Christi, ut subducatis uos ab omni fratre, qui inordinate se gerit, & nõ iuxta institutionẽ quam accepit à nobis. Nam ipsi scitis, quomodo oporteat imitari nos: quoniam nõ inordinate gessimus nos inter uos, neq; gratis panẽ accepimus à quoquàm, sed cũ labore & sudore nocte dieq; facientes opus, ad hoc, ne cui uestrum esse/mus oneri. Nõ, quod id nobis nõ liceat, sed ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis ad imitãdum nos. Etenim cũ essemus apud uos, hoc præcipiebamꝰ uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Audimus enim quosdã uersantes inter uos inordinate, nihil operis facientes, sed curiosè agentes. Iis autem qui sunt istiusmodi, præcipimus et obsecramus per dominũ nostrum Iesum Christũ, ut cum quiete operantes, suum ipsorũ panem edant. Vos autẽ fratres, ne defatigemini in benefaciẽdo. Quod si quis non obedit sermoni nostro, per epistolam hunc indicate: & ne cõmerciũ habeatis cũ illo, ut pudore suffundatur: neq; uelut inimicum habeatis, sed admonete ut fratrem. Ipse autẽ dominus pacis det uobis pacem semper omnibus modis. Dominus sit cum omnibus uobis. Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola. Ita scribo. Gratia dñi nostri Iesu Christi sit cum omnibus uobis. Amen.

Missa fuit ex Athenis.

VVLG. EDITIO.

De cætero fratres orate pro nobis: ut sermo dei currat & clarificetur, sicut & apud uos: & ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Nõ enim omniũ est fides. Fidelis aũt deus est qui cõfirmabit uos & custodiet a malo. Confidimus aũt de uobis fratres in dño: quoniam quæcũq; præcipimus & facitis & facietis. Dns autẽ dirigat corda uestra in charitate dei & patiẽtia Christi. Denũciamus aũt uobis fratres in nomĩe dñi nostri Iesu Christi: ut subtrahatis uos ab omni fratre ambulãte inordinate: & nõ secundũ traditionẽ quã acceperũt a nobis. Ipsi enim scitis quẽadmodũ oporteat imitari nos quoniã nõ inquieti fuimus inter uos: neq; gratis panẽ manducauimus ab aliquo: sed in labore & fatigatione nocte ac die operantes: ne quem uestrũ grauaremus. Non quasi nõ habuerimus potestatem: sed ut nosmetipsos formam daremus uobis ad imitandũ nos. Nam & cum essemus apud uos, hæc denũciabamus uobis: quoniã si quis non uult operari, nec mãducet. Audiuimus enim inter uos quosdam ambulare inquiete: nihil operãtes, sed curiose agẽtes. His autem qui eiusmodi sunt denunciamus & obsecramus in dño Iesu Christo: ut cũ silentio operantes, suum panẽ mãducent. Vos autẽ fratres nolite deficere benefaciẽtes. Quod si quis nõ obedierit uerbo nostro per epistolã hanc, notate: & non cõmisceamini cum illo ut cõfundat. Et nolite quasi inimicũ existimare: sed corripite ut fratrem. Ipse autẽ deus pacis det uobis pacẽ sempiternã in oĩi loco. Dominus sit cum omnibus uobis. Salutatio mea manu Pauli: quod est signũ in oĩi epistola: ita scribo: Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis: Amẽ.

FINIS.

Ταύτην ἐπιστέλλει ἀπὸ μακεδονίας. ἡ δὲ πρόφασις τῆς ἐπιστολῆς αὕτη. ἐν τῇ ἐφέσῳ τινὲς ἰουδαΐζοντες ἐπεχείρουν ἑτεροδιδασκαλεῖν, καὶ ἀπατᾶν τοὺς ἀκεραίους προφάσει τοῦ νόμου. τοῦτο δὲ μαθὼν ὁ ἀπόστολος, προτρέπει τὸν τιμόθεον ἐκεῖ προσμεῖναι πρὸς διόρθωσιν αὐτῶν. γράφει δὲ τὴν ἐπιστολὴν, καὶ πρῶτον μὲν ὑπομιμνήσκει τιμόθεον, εἰδότα τὴν ἐν χριστῷ πίστιν, διδάσκων αὐτὸν περὶ τοῦ νόμου κωλύειν τοὺς περὶ τὴν ὀρθὴν διδασκαλίαν λαλοῦντας, ἐπιτιμᾶν τε αὐτούς. καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς ὑμέναιον καὶ ἀλέξανδρον ναυαγήσαντας περὶ τὴν πίστιν, παρέδωκε τῷ σατανᾷ, ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν. ταῦτα ὑπομνήσας, λοιπὸν διατάσσει αὐτῷ κανόνας ἐκκλεσιαστικοὺς περὶ προσευχῆς, πῶς καὶ ποῦ, καὶ περί τινων δεῖ προσεύχεσθαι, περὶ τοῦ σιγᾶν ἐν ἐκκλησίᾳ τὰς γυναῖκας, καὶ μᾶλλον μανθάνειν, καὶ μὴ διδάσκειν αὐτάς. περὶ ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων, πῶς καὶ ὁποίους εἶναι δεῖ τοὺς καθιστάμενους. περὶ τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ χηρῶν, ἀπὸ πόσων ἐτῶν χρὴ ταύτας κατελέγεσθαι, καὶ ὁποίας αὐτὰς εἶναι δεῖ, καὶ πῶς αὐταῖς δεῖ προσέχειν περὶ τοῦ σωφρονεῖν τοὺς νεωτέρους, καὶ γαμεῖν μᾶλλον, καὶ μὴ αἰσχρῶς ζῆν. περὶ τοῦ παραγγέλλειν τοὺς πλουσίους, μὴ ὑψηλοφρονεῖν, μηδὲ ἐλπίζειν ἐπὶ πλούτῳ. περὶ τούτων διαταξάμενος προτρέπετι αὐτὸν ταῦτα διδάσκειν, καὶ μηκέτι ὑδροποτεῖν, προσέχειν δὲ ἑαυτῷ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, εἰδότα, ἔσεσθαι καιροὺς ἐν οἷς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, διδάξας δὲ καθαρὰ εἶναι καὶ τὰ βρώματα, καὶ παραγγείλαντος αὐτῷ ἐκτρέπεσθαι τὰς ἐμφιλονείκους ζητήσεις ὡς βεβήλους, ἐφ' αἷς τινες καυχώμενοι παρέβησαν τὴν πίστιν, οὕτως τελειοῖ τὴν ἐπιστολήν.

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEVM PRIOREM. ARG. PER ERASMVM ROT.

TIMOTHEVM matre Iudæa, ſed Chriſtiana, patre Græco, Paulus in miniſterium adoptarat, probæ indolis iuuenem, & ſacris literis eruditũ, quem tamen ob Iudæos coactus eſt circumcidere. Quoniam autem huic eccleſiarũ curam delegarat, ſicut & Tito, quas ipſe non poterat adire, inſtituit eum in functione epiſcopali, & in diſciplina eccleſiæ, non ſic admonens ut diſcipulũ, ſed ut filiũ, & collegam. Id quo cum maiore faciat autoritate, ſubinde apoſtolicam autoritatem ſibi uindicat. Admonet autem, ut reiectis, qui Iudaicas fabulas inueherent, ea doceret, quæ eſſent fidei & charitatis: deinde principum licet ethnicorum, autoritatem, quoniam hinc pendebat ordo ciuitatis, & tranquillitas rei publicæ, adeo non ſpernendam Chriſtianis, ut pro his orari iubeat. Quid uiros deceat in cœtu eccleſiaſtico, quid mulieres, præſcribit. Epiſcopum depingit cum ſua familia. Atq; hæc fermè tribus primis capitibus. Deinde admonet, ne recipiat Iudaicas fabulas, de ciborum delectu, de uitando coniugio. Mox docet, qualem ſe præſtare debeat erga grandes natu uiros, erga iuuenes, erga anus, erga puellas, erga uiduas diuites ac pauperes & eccleſiæ ſtipe alendas, erga adoleſcentiores & ſuſpectæ etiamnum ætatis. Ad hæc præſcribit, quid præcipere debeat dominis, quid ſeruis, quid diuitibus: admonens modis om̃ibus reijciendas cõtentioſas quæſtiones ſophiſtarũ, inani doctrinæ ſpecie ſeſe uenditantiũ. Scribit è Laodicea per Tychicũ diaconũ.

FINIS.

ΠΑΥΛΟΣ ἀπόστολος Ιησοῦ Χριστοῦ κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ κυρίου Ιησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, Τιμοθέῳ γνησίῳ τέκνῳ ἐν πίστει. Χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου Ιησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ, πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, ἵνα παραγγείλῃς τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, μηδὲ προσέχειν μύθοις, καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, αἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον ἢ οἰκοδομίαν θεοῦ τὴν ἐν πίστει. τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας, καὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς, καὶ πίστεως ἀνυποκρίτου. ὧν τινες ἀστοχήσαντες, ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν, θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι, μὴ νοοῦντες μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται. Οἴδαμεν δὲ, ὅτι καλὸς ὁ νόμος, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται, εἰδὼς τοῦτο, ὅτι δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται, ἀνόμοις δὲ καὶ ἀνυποτάκτοις, ἀσεβέσι καὶ ἁμαρτωλοῖς, ἀνοσίοις καὶ βεβήλοις, πατρολῴαις καὶ μητρολῴαις, ἀνδροφόνοις, πόρνοις, ἀρσενοκοίταις, ἀνδραποδισταῖς, ψεύσταις, ἐπιόρκοις, καὶ εἴ τι ἕτερον τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ ἀντίκειται κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης τοῦ μακαρίου θεοῦ, ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ. καὶ χάριν ἔχω τῷ ἐνδυναμώσαντί με Χριστῷ Ιησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ὅτι πιστόν με ἡγήσατο, θέμενος εἰς διακονίαν, τὸν πρότερον ὄντα βλάσφημον, καὶ διώκτην, καὶ ὑβριστήν· ἀλλὰ ἠλεήθην, ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ. ὑπερεπλεόνασε δὲ ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν μετὰ πίστεως καὶ ἀγάπης, τῆς ἐν Χριστῷ Ιησοῦ. Πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὅτι Χριστὸς Ιησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον

PAVLVS apostolus Iesu Christi iuxta delegationem dei seruatoris nostri, et domini Iesu Christi, qui est spes nostra, Timotheo germano filio in fide. Gratia, misericordia, pax à deo patre nostro et domino Iesu Christo domino nostro. Quemadmodum rogaui te, ut remaneres Ephesi, cum proficiscerer in Macedoniã: ita facito, ut denuncies quibusdã, ne diuersam sequant doctrinã, nec attendãt fabulis & genealogijs nunquã finiẽdis, quæ quæstiones præbẽt magis quàm ædificationẽ dei, quæ est per fidem. Porrò finis præcepti, est charitas ex puro corde, & cõscientia bona, & fide non simulata. A quibus quod aberrarũt quidã, deflexerũt ad uaniloquiũ, uolentes esse legis doctores, nõ intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus asseuerant. Scimus autẽ, quod bona sit lex, si quis ea legitime utatur, sciẽs illud, quod iusto lex nõ sit posita, sed iniustis & inobsequẽtibus, impijs & peccatoribus, irreuerẽtibus & prophanis, patricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorũ cõcubitoribus, plagiarijs, mẽdacib⁹, periuris, et si quid aliud est, quod sanæ doctrinæ aduersetur secundũ euãgeliũ gloriæ beati dei, quod cõcreditũ est mihi. Et gratiã habeo, qui me potentem reddidit Christo Iesu domino nostro, quia fidelẽ me iudicauit, ponẽdo in ministeriũ, qui prius erã blasphemus, & persecutor, et uiolẽtus, sed & misericordiã adeptus sum, qđ ignorans fecerim per incredulitatem. Exuberauit autem supra modum gratia domini nostri cum fide & dilectione, quæ est per Christum Iesum. Certus sermo & dignus, quem modis oẽibus amplecta/mur, qđ Christus Iesus uenit in mundum,

PAVlus apostolus Iesu christi secũdũ imperium dei saluatoris nostri & Christi Iesu spei nostræ: Timotheo dilecto filio in fide, gra & misericordia: & pax a deo patre & Christo Iesu domino nostro. Sicut rogaui te, ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniã: ut denũciares quibusdã, ne aliter docerẽt, neque intenderẽt fabulis & genealogijs interminatis: quæ quæstiones præstãt magis quã ædificationẽ dei quæ est in fide. Finis aũt præcepti est charitas de corde puro & cõscientia bona, & fide nõ ficta. A quibus quidã aberrãtes cõuersi sunt in uaniloquium, uolentes esse legis doctores: nõ intelligẽtes, neq; quæ loquũtur, neq; de quib⁹ affirmãt. Scimus autẽ quia bona est lex si quis ea legitime utat: sciẽtes hoc qúia lex iusto nõ est posita, sed iniustis & non subditis: impijs & peccatoribus: sceleratis & contaminatis: parricidis & matricidis: homicidis: fornicarijs: masculorum concubitoribus: plagiarijs: mẽdacibus & periuris: & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur: quæ est secundum euangelium gloriæ beati dei quod creditum est mihi. Gratias ago ei qui me cõfortauit in Christo Iesu domino nostro: quia fidelẽ me existimauit ponens in ministerio. Qui prius blasphemus fui & persecutor & cõtumelioſus: sed misericordiã dei cõsecutus sum: quia ignorans feci in incredulitate. Superabũdauit aũt gratia domini nostri cũ fide & dilectiõe quæ est in Christo Iesu. Fidelis sermo & oẽi acceptiõe dignus: qa Christus Iesus uenit in hũc mundum

κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ. ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἠλεήθην, ἵνα ἐν ἐμοὶ πρώτῳ ἐνδείξηται Ἰησοῦς Χριστὸς πᾶσαν μακροθυμίαν πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον. τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ θεῷ τιμὴ, δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι τέκνον Τιμόθεε, κατὰ τὰς προαγούσας ἐπί σε προφητείας, ἵνα στρατεύῃ ἐν αὐταῖς τὴν καλὴν στρατείαν, ἔχων πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν ἣν τινες ἀπωσάμενοι περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν, ὧν ἐστιν Ὑμέναιος καὶ Ἀλέξανδρος, οὓς παρέδωκα τῷ σατανᾷ, ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν.

Παρακαλῶ οὖν, πρῶτον πάντων ποιεῖσθαι δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων, ὑπὲρ βασιλέων, καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων, ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι. τοῦτο γὰρ καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ, ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. εἷς γὰρ θεὸς, εἷς καὶ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς, ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις, εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κῆρυξ καὶ ἀπόστολος, ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι, διδάσκαλος ἐθνῶν ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ. Βούλομαι οὖν προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ, ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ. ὡσαύτως καὶ τὰς γυναῖκας ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης κοσμεῖν ἑαυτὰς, μὴ ἐν πλέγμασιν, ἢ χρυσῷ, ἢ μαργαρίταις, ἢ ἱματισμῷ πολυτελεῖ, ἀλλ' ὃ πρέπει γυναιξὶν, ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν δι' ἔργων ἀγαθῶν. γυνὴ ἐν ἡσυχίᾳ μανθανέτω ἐν πάσῃ ὑποταγῇ. γυναικὶ δὲ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω, οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρός, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ.

Ἀδὰμ.

mundum, ut peccatores ſaluos faceret, quorũ primus ſum ego. Verum ideo miſericordiam ſum adeptus, ut in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem clementiam ad exprimendũ exemplar ijs, qui crediturí eſſent in ipſo, in uitã æternam. Regi aũt ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli ſapienti deo honor, gloria, in ſecula ſeculorũ, amẽ Hoc præceptum cõmendo tibi fili Timothee, iuxta prophetias quæ de te præceſſerunt, ut milites in eis bonam militiam habens fidem & bonã conſcientiã, qua repulſa nõnulli circa fidem naufragiũ fecerũt quorũ de numero eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi ſatanæ ut diſcant non maledicere.

Adhortor igitur, ut ante omnia fiant deprecationes, obſecrationes interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus in eminentia conſtitutis, ut placidam ac quietã uitã degamus cum omi pietate & honeſtate. Nam hoc bonũ eſt & acceptum coram ſeruatore noſtro deo, qui cunctos homines uult ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Vnus enim deus, unus etiam conciliator dei & hominũ, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum precium redemptionis pro omnibus, ut eſſet teſtimoniũ temporibus ſuis, in quod poſitus ſum ego præco & apoſtolus. Veritatem dico in Chriſto, non mentior, doctor gentiũ cum fide & ueritate. Volo igitur orare uiros in omni loco ſtuſtollentes puras manus abſq; ira & diſceptatione. Cõſimiliter & mulieres in amictu modeſto, cũ uerecũdia & caſtitate ornare ſemetipſas, nõ tortis crinibus aut auro, aut margaritis, aut ueſtitu ſumptuoſo, ſed qđ decet mulieres, ꝓfitentes pietatẽ per opera bona. Mulier in ſilentio diſcat cũ omi ſubiectione. Cæterũ mulieri docere nõ permitto, neq; autoritatem uſurpare in uiros, ſed eſſe in ſilẽtio

Adam

fidē ſeruaui. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſticiæ corona, quam reddet mihi dominus in illo die, qui eſt iuſtus iudex: nō ſolum autem mihi, ſed & omnibus qui diligunt aduentum ipſius. Da operam, ut uenias ad me cito. Nam Demas me reliquit, amplexus præſens ſeculū, & profectus eſt Theſſalonicam, Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas mecum eſt ſolus. Marcum aſſumptū adducito unà tecum, eſt enim mihi perutilis ad miniſterium. Porrò Tychicum miſi Epheſum. Penulam quā reliqui Troade apud Carpum, cum uenies apporta, & libros maxime autem membranas. Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi dominus iuxta facta ipſius, quem & tu caue. Vehementer enim reſtitit ſermonibus noſtris. In prima mea defenſiōe nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt. Ne illis imputetur, ſed dominus mihi adfuit, et corroborauit me, ut per me præconium expleretur, & audirēt omnes gētes, & ereptus fui ex ore leonis, & eripiet me dominus ab omni facto malo, ſeruabitq; in regnum ſuum cœleſte, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Saluta Priſcam & Aquilam, & Oneſiphori familiam. Eraſtus manſit Corinthi. Trophimum autem reliqui in Mileto languentem. Da operam, ut uenias ante hyemem. Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia uobiſcum. Amen.

Scripta è Rhoma ad Timotheum ſecunda, cum Paulus iterum ſiſteretur Cæſari Neroni.

fidem ſeruaui. In reliquo reposita eſt mihi corona iuſticiæ: quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex. Non ſolū autem mihi, ſed & his qui diligūt aduētum eius. Feſtina ad me uenire cito. Demas eñ me dereliquit diligens hoc ſeculū: & abijt Theſſalonicam, creſcens in Galatiam: Titus in Dalmatiam: Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume & adduc tecū: eſt enim mihi utilis in miniſterio. Tychicum aūt miſi Epheſum. Penulā quam reliqui Troade apud Carpum ueniēs affer tecū & libros: maxime autem & membranas. Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi dominus ſecundū opera eius: quē & tu deuita. Valde eñ reſtitit uerbis noſtris. In prima mea defenſiōe nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerūt: nō illis imputetur. Dominus autē mihi aſtitit & confortauit me: ut per me prædicatio impleatur: & audiant omnes gentes: & liberatus ſum de ore leonis. Liberauit me dominus ab omni opere malo, & ſaluū faciet in regnum ſuum cœleſte: cui gloria in ſecula ſeculorū. Amen. Saluta Priſcam & Aquilam & Oneſiphori domū. Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Myleti. Feſtina ante hyemem uenire. Salutant te Eubolus & prudens & Linus & Claudia & fratres omnes. Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia uobiſcum. Amē.

FINIS.

ΤΑΥτην ὑπεστέλλει ἀπὸ νικοπόλεως, ἐκεῖ γὰρ προεχείμαζεν. ἡ δὲ πρόφασις ἐστὶ ἐπιστολῆς αὕτη. εἰς μὲν τῆς κρήτην ἀπέλιπε τὸν τῖτον, ἵνα καταστήσῃ κατὰ πόλεις κληρικούς. πολλῶν δὲ ὄντων ἐκεῖ τῶν ὑπεχειρούντων προφάσει τοῦ νόμου ἀπατᾶν τοὺς λαοὺς, μεθ' ὃ μαθὼν ὁ παῦλος γράφει. καὶ πρῶτον μὲν εὐχαριστῶν τῷ θεῷ διὰ τὴν αὐτοῦ εὐλάβειαν, σημαίνει τὴν ἐν χριστῷ πίστιν μὴ νεωτέραν εἶναι, ἀλλ' ἐξ αἰῶνος ἡτοιμάσθαι καὶ ἐπηγγέλθαι πρὰ τοῦ θεοῦ ταύτην. ἔπειτα περὶ ἐστὶ καταστάσεως τῶν κληρικῶν καὶ τούτων διδάσκει, πῶς, καὶ ὁποίους αὐτοὺς εἶναι δεῖ. καὶ ἐπιτιμᾶν δὲ ἐντέλλεται αὐτῷ τοῖς ἀντιλέγουσι τῇ ὑγιαινούσῃ πίστει, μάλιστα δὲ τοὺς ἐκ περιτομῆς. εἰδέναι τε τοὺς κρῆτας, ὅτι ἀργοί εἰσι καὶ χρήζουσιν ἐπιθυμίας. διδάξας δὲ πάντα τὰ βρώματα καθαρὰ εἶναι τοῖς καθαροῖς, καὶ ὁποίας εἶναι δεῖ τὰς πρεσβύτιδας τὰς ὀφειλούσας σωφρονίζειν τὰς νέας. παραινεῖ πῶς δεῖ καὶ τοὺς δούλους τοῖς ἰδίοις δεσπόταις ὑπηρετεῖν. καὶ τέλος ὑπομνήσας, ὅτι ἡ τοῦ σωτῆρος χάρις οὐκ ἐξ ἔργων ἡμᾶς ἐδικαίωσεν, ἀλλὰ τῇ ἰδίᾳ φιλανθρωπίᾳ, καὶ παραγγείλας τὰς νομικὰς μάχας ἐκτρέπεσθαι ὡς ἀναισχύντους οὔσας, δηλοῖ αὐτῷ, μετὰ τὸ πέμψαι πρὸς αὐτὸν ἀρτεμὰν, ἵνα ἔλθῃ πρὸς αὐτόν. ἐνετείλατό τε αὐτῷ ὥστε διδάσκειν, καὶ τοὺς αὐτοῦ καλῶν ἔργων προΐστασθαι. καὶ οὕτως τελειοῖ τὴν ἐπιστολήν.

IN EPISTOLAM AD TITVM ARGVMENTVM PER ERASMVM ROT.

TITVM discipulum suũ ac filij loco habitũ, ob eximias dotes insulæ nobilissimæ Cretæ præfecerat apostolus, & illinc abiens, archiepiscopum consecrarat. Huic scribit ex urbe Nicopoli, quæ est in Actiaco litore, rebus, ut apparet, adhuc tranquillioribus. siquidem afflictionum aut persecutionum nulla mentio. Monet autẽ ut quod ipse apud Cretenses cœperat, consummet absoluatq́ꝫ, per singulas ciuitates, quas centum habuisse memoratur ea insula, episcopos instituat, quos & presbyteros uocat, idonei episcopi formã præscribens. Et quoniã huc quoq́ꝫ penetrarant pseudapostoli, qui Iudaismũ suum omnibus ingerebant, animat eum, ut eos fortiter reijciat ac refutet. Deinde personarum & ætatum præscribit officia, quemadmodũ Timotheo præscribit. illud addens, ne quisquã Christianæ religionis prætextu principibus aut magistratibus resisteret, suo fungentibus officio, quamuis essent à Christi fide alieni, quin magis eos leniter ferendos, siquãdo forte, uolente deo, & illi resipiscant. Postremo iubet Titum ad se uenire Nicopolim, sed nõ priusquam Paulus Artemam aut Tychicum illuc misisset, ne Cretenses destituti uiderentur episcopi solatio.

FINIS.

Παῦλος δοῦλος θεοῦ, ἀπόστολος δὲ ἰησοῦ χριστοῦ κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν θεοῦ, καὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας, τὴν κατ' εὐσέβειαν ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς θεὸς πρὸ χρόνων αἰωνίων. ἐφανέρωσε δὲ καιροῖς ἰδίοις τὸν λόγον αὐτοῦ ἐν κηρύγματι, ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ κατ' ἐπιταγὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ, τίτῳ γνησίῳ τέκνῳ κατὰ κοινὴν πίστιν. χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. τούτου χάριν κατέλιπόν σε ἐν κρήτῃ, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην. εἴ τίς ἐστιν ἀνέγκλητος, μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ, τέκνα ἔχων πιστὰ, μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας, ἢ ἀνυπότακτα. δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι, ὡς θεοῦ οἰκονόμον μὴ αὐθάδη, μὴ ὀργίλον, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ, ἀλλὰ φιλόξενον, φιλάγαθον, σώφρονα, δίκαιον, ὅσιον, ἐγκρατῆ, ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. εἰσὶ γὰρ πολλοὶ ἀνυπότακτοι, καὶ ματαιολόγοι, καὶ φρεναπάται, μάλιστα οἱ ἐκ περιτομῆς, οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν, οἵτινες ὅλους οἴκους ἀνατρέπουσι, διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ αἰσχροῦ κέρδους χάριν. εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν, ἴδιος αὐτῶν προφήτης. κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. ἡ μαρτυρία αὕτη ἐστὶν ἀληθής. δι' ἣν αἰτίαν ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως, ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει, μὴ προσέχοντες ἰουδαϊκοῖς μύθοις, καὶ ἐντολαῖς ἀνθρώπων, ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν. πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς κα

ERASMI VERSIO.

PAVLVS seruus dei, apostolus autē Iesu Christi iuxta fidem electorum dei, & agnitionē ueritatis, quæ est secundū pietatem in spe uitæ æternæ, quam promisit is, qui mentiri nescit deus ante tēpora æterna, patefecit autē tempo ribus suis sermonē suum per prædicationem, quæ commissa est mihi secundum delegationē seruatoris nostri dei, Tito germano filio iuxta communē fidem. Gratia, misericordia, pax a deo patre, & domino Iesu Christo seruatore nostro. Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ desūt, pergas corrigere, & cōstituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi ordinaram. Si quis est inculpatus unius uxoris uir, liberos habēs fideles, nō obnoxios crimini luxus, aut qui nō sint intractabiles. Oportet em̄ episcopum inculpatū esse, tanquàm dei dispensatorē, non præfractum, nō iracundum, nō uinosum, nō percussorem, nō turpiter lucro deditum: sed hospitalem, bonarum rerum studiosum, sobrium, iustum, pium, temperantē, tenacē eius qui secundum doctrinā est, fidelis sermonis, ut potens sit etiā exhortari per doctrinā sanam, & cōtradicentes conuincere. Sunt em̄ multi intractabiles, & uaniloqui, & mentiū seductores: maxime ij, qui sunt ex circūcisiōe, quibus oportet obturare os, qui totas domos subuertunt, docētes, quæ nō oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex istis, pprius ipsorū propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri, testimoniū hoc est uerum. Quā ob causam redarguito illos seueriter, ut sani sint in fide, nō attendentes Iudaicis fabulis, & præceptis hominū, auersantium ueritatē. Omnia quidē pura puris.

VVLGATA EDITIO.

PAVLus seruus dei apostolus autem Iesu christi secūdū fidē electorū dei: & agnitionē ueritatis: quæ secūdū pietatē est in spē uitæ æternæ: quā promisit qui nō mētiē deus ante tēpora secularia: manifestauit aūt tēporibus suis uerbū suū in prædicatiōe: quæ credita est mihi secundū præceptū salua/toris nostri dei: Tito dilecto filio secundū cōmunē fidē: Gratia & pax a deo patre & Christo Iesu saluatore nr̄o. Huius rei gr̄a reliqui te Cretæ: ut ea quæ desunt, corrigas: & cōstituas per ciuitates præsbyteros: sicut & ego disposui tibi: Si qs sine crimine est, uni⁹ uxoris uir, filios habens fideles: nō in accusatione luxuriæ: aut nō subditos. Oportet enim episcopū sine crimine esse sicut dei dispensatorē: nō superbū: nō iracundū: nō uinolentū: nō percussorē: non turpis lucri cupidum: sed hospitalē, benignum, sobriū, iustum, sanctum, cōtinentē, amplectentem eū qui secundū doctrinam est fidelē sermonem: ut potēs sit exhortari in doctrina sana: & eos qui cōtradicunt arguere. Sunt em̄ multi etiā inobedientes, uaniloqui & seductores: maxime aut̄ qui de circūcisiōe sunt: ⁊s oportet redargui: qui uniuersas domos subuertūt, docētes quæ nō oportet, turpis lucri gr̄a. Dixit quidam ex illis proprius ipsorū propheta: Cretēses semper mēdaces, malæ bestiæ: uentris pigri. Testimonium hoc uerum est. Quā ob causam, increpa illos dure, ut sani sint in fide: nō intendentes Iudaicis fabulis & mandatis hominū auertentium se a ueritate. Oīa munda, mundis:

φῖς καθαροῖς. τοῖς δὲ μεμιασμένοις, & ἀπίστοις οὐδὲν καθαρόν, ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν & ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις. θεὸν ὁμολογοῦσιν εἰδέναι, τοῖς δὲ ἔργοις ἀρνοῦνται, βδελυκτοὶ ὄντες καὶ ἀπειθεῖς, καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι.

Σὺ δὲ λάλει, ἃ πρέπει τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ. πρεσβύτας νηφαλίους εἶναι, σεμνούς, σώφρονας, ὑγιαίνοντας τῇ πίστει, τῇ ἀγάπῃ, τῇ ὑπομονῇ. πρεσβύτιδας ὡσαύτως, ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, μὴ διαβόλους, μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας καλοδιδασκάλους, ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας, φιλάνδρους εἶναι, φιλοτέκνους, σώφρονας, ἁγνάς, οἰκουρούς ἀγαθάς, ὑποτασσομένας τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν. ἵνα μὴ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ βλασφημῆται. τοὺς νεωτέρους ὡσαύτως παρακάλει σωφρονεῖν, περὶ πάντα σεαυτὸν παρεχόμενος τύπον καλῶν ἔργων ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα, λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον, ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῇ, μηδὲν ἔχων περὶ ὑμῶν λέγειν φαῦλον. Δούλους ἰδίοις δεσπόταις ὑποτάσσεσθαι, ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι, μὴ ἀντιλέγοντας, μὴ νοσφιζομένους, ἀλλὰ πίστιν πᾶσαν ἐνδεικνυμένους ἀγαθήν, ἵνα τὴν διδασκαλίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ κοσμῶσιν ἐν πᾶσιν. ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ, ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις παιδεύουσα ἡμᾶς, ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ, ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας, καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Ταῦτα λάλει, καὶ παρακάλει, καὶ ἔλεγχε μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. μηδείς σου περιφρονείτω. Ὑπομίμνησκε αὐτοὺς, ἀρχαῖς & ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι, πειθαρχεῖν, πρὸς πᾶν ἔργον

puris. Porrò pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est illorũ & mens & conscientia. Deũ profitentur se scire, cæterum factis negant, cum sint abominabiles, & dicto non audientes, & ad omne opus bonum reprobi.

Tu uero loquere, quæ decent sanam doctrinã. Senes, ut sobrij sint graues, modesti, sani fide, charitate, patientia. Anus itidem, ut in habitu sint, qui religionem deceat, non calumniatrices, nõ uino multo seruientes, ut honesta doceant, quo possint modestas reddere adolescentulas, ut maritos suos diligant, ut liberos ament, ut sobriæ sint, puræ, domus custodes, bonæ, subditæ suis uiris, ne sermo dei male audiat. Adolescentes consimiliter adhortare, ut sobrij sint, per omnia temetipsum præbens formã bonorum operum in doctrina, integritatem, grauitatem, sermonẽ sanum, irreprehensibilẽ: ut is qui repugnat rubore suffundatur, nihil habẽs, quod de uobis dicat mali. Seruos hortare, ut suis dominis pareant, in omnibus illis placeant, non responsatores, non suffurantes, sed fidem omnem ostendẽtes bonam, ut doctrinã seruatoris nostri dei ornent in omnibus. Illuxit enim gratia dei, salutifera omĩbus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentijs, sobrie & iuste, & pie uiuamus in præsenti sæculo, expectantes beatam illam spem, & illustrationem gloriæ magni dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibijpsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & hortare, & argue cum omni præcipiendi studio. Nemo te despiciat.

Admoneto illos, ut principatib⁹ ac potestatibus subditi sint, ut magistratibus pareant, ut ad omne opus

mundis: coinquinatis autẽ & infidelibus nihil est mundum: sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Confitentur se nosse deum, factis autem negant: cum sint abominati & incrẽdibiles: & ad omne opus bonũ reprobi.

II. Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinã. Senes: ut sobrij sint, pudici, prudentes: sani in fide: in dilectione: in patientia. Anus similiter in habitu sancto: nõ criminatrices: nõ multo uino seruientes: bene docentes: ut prudentiam doceãt: Adolescẽtulas, ut uiros suos ament: filios suos diligant: prudentes, castas, sobrias, domus curam habẽtes: benignas, subditas uiris suis: ut non blaspheme tur uerbũ dei. Iuuenes similiter hortare ut sobrij sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum: in doctrina: in integritate: in grauitate. Verbum sanum irreprehẽsibile: ut is qui ex aduerso est uereatur nihil habens malum dicere de nobis. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, nõ contradicentes, nõ fraudãtes, sed in omnibus fidem bonã ostendentes: ut doctrinam salutatoris nostri dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia dei & saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos: ut abnegãtes impietatem & secularia desideria, sobrie, iuste & pie uiuamus in hoc seculo, expectantes beatã spem & aduentũ gloriæ magni dei & saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

III. Admone illos principibus & potestatib⁹ subditos esse: dicto obedire: ad omne opus

ἔργον ἀγαθὸν ἐτίμους εἶναι, μηδὲ ναβλασφημεῖν, ἀμάχους εἶναι, ἐπιεικεῖς, πᾶσαν ἐνδεικνυμένους πραότητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους. ἦμεν γάρ ποτε καὶ ἡμεῖς ἀνόητοι, ἀπειθεῖς, πλανώμενοι, δουλεύοντες ἐπιθυμίαις, καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις, ἐν κακίᾳ καὶ φθόνῳ διάγοντες, στυγητοί, μισοῦντες ἀλλήλους. ὅτε δὲ ἡ χρηστότης, καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ, οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς, διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, ἵνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι, κληρονόμοι γενώμεθα, κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου. πιστὸς ὁ λόγος. περὶ τούτων βούλομαί σε διαβεβαιοῦσθαι, ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι οἱ πεπιστευκότες θεῷ. ταῦτά ἐστι τὰ καλὰ καὶ ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις. μωρὰς δὲ ζητήσεις, καὶ γενεαλογίας, καὶ ἔριδας, καὶ μάχας νομικὰς παραίτησαι εἰσὶ γὰρ ἀνωφελεῖς καὶ μάταιαι. αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ, εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος. ὅταν πέμψω Ἀρτεμᾶν πρός σε ἢ Τυχικόν, σπούδασον ἐλθεῖν πρός με εἰς Νικόπολιν, ἐκεῖ γὰρ κέκρικα παραχειμάσαι. Ζηνᾶν τὸν νομικὸν καὶ Ἀπολλῶ σπουδαίως πρόπεμψον, ἵνα μηδὲν αὐτοῖς λείπῃ. μανθανέτωσαν δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι, καλῶν ἔργων προΐστασθαι εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι. ἀσπάζονταί σε οἱ μετ' ἐμοῦ πάντες. ἄσπασαι τοὺς φιλοῦντας ἡμᾶς ἐν πίστει. ἡ χάρις μετὰ πάντων ὑμῶν. ἀμήν.

ἐγράφη ἐκ Νικοπόλεως τῆς Μακεδονίας.

opus bonũ sint parati, ne de quoquam maledicant, ne sint pugnaces, sed humani, omnem exhibentes mansuetudinẽ erga omnes homines. Nam eramus quondam & nos stulti, inobedientes, errantes, seruientes desiderijs ac uoluptatibus uarijs, in malitia & inuidia degentes, odiosi, inuicem odio prosequentes. At postquã bonitas, & erga homines amor apparuit seruatoris nostri dei, non ex operibus quæ sunt in iusticia, quæ faciebamus nos, sed secũdum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulẽte, per Iesum Christum seruatorẽ nostrũ, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur iuxta spẽ uitæ æternæ. Indubitatus sermo. De his uolo ut confirmes, quo solliciti sint, ut bonis operibꝰ præsint qui crediderunt deo. Hæc eñ sunt honesta & utilia hominibus. Stultas aũt quæstiones, & genealogias, & contentiones, ac pugnas legales omitte: sunt eñ inutiles & superuacaneæ. Sectarũ autorẽ hominẽ, post unã & alterã admonitionẽ fuge, sciens, quod euersus sit, qui eiusmodi est, & peccet per se damnatus. Cum autem misero Arteman ad te, aut Tychicũ, da operam, ut uenias ad me Nicopolim, nam illic decreui hybernare. Zenam legisperitum & Apollo studiose deducito, ne quid illis desit. Discant autem & nostri, bonis operibus præesse, ad necessarios usus, ut nõ sint infrugiferi. Salutant te, qui mecum sunt omnes. Saluta eos, qui diligũt nos in fide. Gratia cũ omnibus uobis, Amẽ.

Scripta ex Nicopoli Macedoniæ.

opus bonũ paratos esse. Neminem blasphemare: nõ litigiosos esse, sed modestos, omnẽ ostendentes mansuetudinẽ ad omnes homines. Eramus enim aliquando & nos insipiẽtes & incredituli: errantes, seruiẽtes desiderijs & uoluptatibus uarijs: in malicia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicẽ. Cum autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri dei: nõ ex operibus iusticiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiã suam saluos nos fecit: per lauacrũ regeneratiõis & renouatiõnis spiritussancti: quẽ effudit in nos abũde per Iesum Christũ saluatorẽ nostrũ: ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundũ spem uitæ æternæ. Fidelis sermo est, Et de his uolo te cõfirmare: ut curẽt bonis operibꝰ præesse qui credunt deo. Hæc sunt bona & utilia hominibus. Stultas autẽ quæstiões & genealogias & contentiones & pugnas legis deuita. Sunt enim inutiles & uanæ. Hæreticum hominem post unam & secundã correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est: & delinquit cum sit proprio iudicio cõdemnatus. Cum misero ad te Arthemã aut Tychicum, festina ad me uenire Nicopolim: Ibi eñ statui hyemare. Zenam legisperitum & Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit. Discant autem & uestri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia dei cum oñibus uobis. Amen.

FINIS.

ΑΥΤΩ ἐπισέλλει ἀπὸ ῥώμης. ἡ δὲ πρόφασις τῆς ἐπιστολῆς αὕτη, ὀνήσιμος ὁ οἰκέτης φιλήμονος ἔφυγε, καὶ ἀπελθὼν πρὸς τὸν ἀπόστολον, κατηχήθη παρ' αὐτοῦ, καὶ γέγονεν αὐτῷ χρήσιμος εἰς διακονίαν. περὶ τούτου τοίνυν γράφει φιλήμονι, παραδέμενος αὐτῷ τὸν ὀνήσιμον ἵνα προσέχῃ αὐτῷ γνησίως, καὶ μηκέτι ἔχῃ αὐτὸν ὡς δοῦλον, ἀλλ' ὡς ἀδελφόν. προεξέφατο δὲ αὐτὸν καὶ ξενίαν αὐτῷ ἑτοιμάζει, ἵνα ἐὰν ἔλθῃ, εὕρῃ πῶς μείνῃ. καὶ οὕτως πλεονὶ τῷ ἐπιστολίῳ.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM, ARGVMENTVM PER ERAS. ROT.

GRAECI tradunt, hunc Philemonem genere Phrygem fuisse, quam nationem intractabilem ac seruilem esse, uel Græco prouerbio iactatū est: Phryx plagis emendatur. Quem tamen Paulus ob pietatem & officia in sanctos, inter præcipuos habuit amicos. Huius seruus Onesimus Rhomam profugerat non sine furto, quod ferè serui solent. Illic audito Paulo, qui tum in uinculis erat, euangelicam doctrinam amplexus est, ac Paulo seruiuit in carcere. Verū ne quid herus ob serui fugam animo cruciaretur, remittit eum: sed miro studio, miraq; ciuilitate seruū & fugitiuum & compilatorem domino reconcilians, se interim sponsorē offerens, dependurus, si quid ille suppilasset in fuga. Scribit enim e uinculis per dictum Onesimum, quem & filium uocat.

FINIS.

ΠΡΟΣ ΦΙΛΗΜΟΝΑ ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΠΑΥΛΟΥ.

ΠΑῦλος δέσμιος χριστοῦ ἰησοῦ καὶ τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ καὶ συνεργῷ ἡμῶν, καὶ ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ, καὶ ἀρχίππῳ τῷ συστρατιώτῃ ἡμῶν, καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ. εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου, πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου, ἀκούων σου τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν ἣν ἔχεις πρὸς τὸν κύριον ἰησοῦν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργὴς γένηται ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἀγαθοῦ, τοῦ ἐν ὑμῖν εἰς χριστὸν ἰησοῦν. χάριν γὰρ ἔχομεν πολλὴν καὶ παράκλησιν ἐπὶ τῇ σῇ ἀγάπῃ σου, ὅτι τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ σοῦ ἀδελφὲ

ERASMI VERSIO.

PAVLVS uinctus Christi Iesu et Timotheus frater Philemoni dilecto & collegæ nostro, & Apphiæ dilectæ, & Archippo cōmilitoni nostro, & quæ domi tuæ est, cōgregationi. Gratia uobis & pax à deo patre nostro & dño Iesu Christo. Gratias ago deo meo, semper mentionē tui faciēs in precibus meis, cum audiam tuā charitatem ac fidē, quam habes erga dominum Iesum, & erga omnes sanctos, ut cōmunicatio fidei tuæ efficax fiat in agnitione omnis boni, quod est in uobis erga Christum Iesum. Gaudium enim habemus multum, & consolationem in dilectione tua, quod uiscera sanctorum refocillata sunt per te frater.

Quapropter

VVLGATA EDITIO.

PAVLVS uinctus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto adiutori nostro: & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo cōmilitoni nostro: & ecclesiæ, quæ in domo tua est: Grā uobis & pax a deo pr̄e nostro & dño Iesu Christo. Grās ago deo meo, semper memoriā tui faciēs in orationib⁹ meis, audiēs charitatē tuā & fidē q̄m habes in dño Iesu & in oēs sc̄tos: ut cōicatio fidei tuæ euidēs fiat in agnitiōe oīs operis boni in Christo Iesu. Gaudiū enim magnū habui & cōsolatiōnē in charitate tua: qa uiscera sc̄tōrū requieuerūt p te frater

Q ter

φέ. Διὸ πολλὴν ἐν χριστῷ παῤῥησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον, διὰ τὴν ἀγάπην μᾶλλον παρακαλῶ, τοιοῦτος ὢν, ὡς παῦλος πρεσβύτης, νυνὶ δὲ καὶ δέσμιος ἰησοῦ χριστοῦ. παρακαλῶ σε περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνου, ὃν ἐγέννησα ἐν τοῖς δεσμοῖς μου, ὀνήσιμον, τόν ποτέ σοι ἄχρηστον, νυνὶ δὲ σοὶ καὶ ἐμοὶ εὔχρηστον, ὃν ἀνέπεμψα. Σὺ δὲ αὐτὸν, τοῦτ' ἔστι, τὰ ἐμὰ σπλάγχνα πρόσλαβοῦ, ὃν ἐγὼ ἐβουλόμην πρὸς ἐμαυτὸν κατέχειν, ἵνα ὑπὲρ σοῦ διακονῇ μοι ἐν τοῖς δεσμοῖς τοῦ εὐαγγελίου, χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης οὐδὲν ἠθέλησα ποιῆσαι, ἵνα μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σου ᾖ, ἀλλὰ κατὰ ἑκούσιον. τάχα γὰρ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη πρὸς ὥραν, ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς, οὐκέτι ὡς δοῦλον, ἀλλ' ὑπὲρ δοῦλον, ἀδελφὸν ἀγαπητὸν, μάλιστα ἐμοί, πόσῳ δὲ μᾶλλον σοὶ καὶ ἐν σαρκὶ, καὶ ἐν κυρίῳ; εἰ οὖν ἐμὲ ἔχεις κοινωνὸν, προσλαβοῦ αὐτὸν ὡς ἐμέ. εἰ δέ τι ἠδίκησέ σε, ἢ ὀφείλει, τοῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει. ἐγὼ παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. ἐγὼ ἀποτίσω. ἵνα μὴ λέγω σοι, ὅτι καὶ σεαυτόν μοι προσοφείλεις. ναὶ ἀδελφέ. ἐγώ σου ὀναίμην ἐν κυρίῳ. ἀνάπαυσόν μου τὰ σπλάγχνα ἐν κυρίῳ. πεποιθὼς τῇ ὑπακοῇ σου ἔγραψά σοι, εἰδὼς, ὅτι καὶ ὑπὲρ ὃ λέγω, ποιήσεις. ἅμα δὲ καὶ ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν. ἐλπίζω γὰρ, ὅτι καὶ διὰ τῶν προσευχῶν ὑμῶν χαρισθήσομαι ὑμῖν. ἀσπάζονταί σε ἐπαφρᾶς ὁ συναιχμάλωτός μου ἐν χριστῷ ἰησοῦ, μᾶρκος, ἀρίσταρχος, δημᾶς, λουκᾶς, οἱ συνεργοί μου. Ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν. ἀμήν.

Ἐγράφη ἀπὸ ῥώμης διὰ ὀνησίμου οἰκέτου.

Quapropter quamuis multam in Christo fiduciam habeam iniungendi tibi, id quod officij tui erat, tamen propter charitatem potius rogo, cū talis sim, nempe Paulus senex, nunc aūt etiam uinctus Iesu Christi. Rogo autē pro filio meo quem genui in uinculis meis, Onesimo, quondam tibi inutili, nūc uero tibi & mihi perutili, quem remisi. Tu autem eum, hoc est, uiscera mea suscipe, quem ego cupiebam apud me retinere, ut pro te ministraret mihi in uinculis euangelij, sed absq; tua sententia nihil uolui facere, ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed spontaneum. Nam propterea forsitā secessit ad tempus, ut æternū eum reciperes, nō iam ut seruū, sed supra seruum, nempe fratrem dilectū, maxime mihi, quanto aūt magis tibi, & in carne, & in domino? Si igitur me habes cōsortem, suscipe illum tanquā me. Quod si quid læsit te, aut debet, hoc mihi imputato. Ego Paulus scripsi mea manu. Ego dependam. ut ne dicā tibi, quod etiā teipsum mihi insuper debes. Etiam frater. Ego te fruar in domino. Refocilla mea uiscera in domino. Cōfisus de obedientia tua scripsi tibi, sciens, quod etiā ultra quàm dico facturus sis. Simul aūt etiam præpara mihi hospitium. Spero enim quod auxilio precū uestrarū donabor uobis. Salutant te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adiutores mei. Gratia domini nostri Iesu Christi sit cū spiritu uestro. Amen.

Missa fuit è Rhoma per Onesimum seruum.

ter. Propter quod multā fiduciam habens in Christo Iesu, imperādi tibi quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro cū sis talis ut Paulus senex: nunc aūt & uinctus Iesu Christi obsecro te, p meo filio quē genui in uinculis Onesimo, q tibi aliquādo inutilis fuit: nunc aūt & mihi & tibi utilis, quē remisi tibi. Tu aūt illum ut mea uiscera suscipe. Quem ego uoluerā mecū detinere, ut p te mihi ministraret in uinculis euāgelij. Sine consilio autē tuo nihil uolui facere: uti ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed uoluntariū. Forsitan enim ideo discessit ad horā a te, ut in æternū illum reciperes: iam non ut seruū, sed pro seruo charissimū fratrē: maxime mihi. Quāto autē magis tibi: & in carne & in domino. Si ergo me habes sociū, suscipe illum sicut me. Si autē aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu; ego reddā, ut non dicā tibi: qđ & teipsum mihi debes. Ita frater ego te fruar in domino: refice uiscera mea in Christo. Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id qđ dico facies. Simul autem & para mihi hospitium. Nam spero per orationes uestras donari me uobis. Salutat te Epaphras cōcaptiuus meus in Christo Iesu: Marcus, Aristarchus, Demas & Lucas adiutores mei: Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro: Amen.

FINIS.

Ταύτην ἐπιστέλλει ἀπὸ ἰταλίας. ἡ δὲ πρόφασις τῆς ἐπιστολῆς αὕτη. ἐπειδὴ οἱ ἰουδαῖοι ἐνίσαντο τῷ νόμῳ καὶ ταῖς σκιαῖς, διὰ τοῦτο ὁ ἀπόστολος παῦλος διδάσκαλος ἐθνῶν γενόμενος, καὶ εἰς τὰ ἔθνη ἀποσταλεὶς, κηρύττει τὸ εὐαγγέλιον. γράψας τε πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, γράφει λοιπὸν καὶ τοῖς ἐκ περιτομῆς πιστεύσασιν ἑβραίοις ἀποδεικτικὴν ταύτην ἐπιστολὴν, περὶ τῆς τοῦ χριστοῦ προυσίας, καὶ τοῦ πεπαῦσθαι τὴν σκιὰν τοῦ νόμου. καὶ πρῶτον μὲν ἀποδείκνυσι τοὺς προφήτας ἀπεστάλθαι, ἵνα περὶ τοῦ σωτῆρος ἀπαγγείλωσι, καὶ μετ' αὐτοὺς αὐτὸς ἔλθῃ, δούλους τε εἶναι τοὺς προφήτας, καὶ μηνυτὰς τῆς αὐτοῦ προυσίας, αὐτὸν δὲ τὸν χριστὸν υἱὸν εἶναι θεοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα γέγονε. καὶ ὅτι τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ἔδει ἄνθρωπον γενέσθαι, ἵνα διὰ τῆς τοῦ σώματος αὐτοῦ θυσίας καταργήσῃ τὸν θάνατον. οὐ γὰρ δι' αἵματος μόσχου, ἢ τράγου, ἀλλὰ δι' αἵματος χριστοῦ ἔσεσθαι τὴν σωτηρίαν τοῖς ἀνθρώποις. ἀποδείκνυσι δὲ, ὅτι ὁ νόμος οὐδένα ἐτελείωσεν, ἀλλὰ σκιὰν εἶχεν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν. καὶ οὐ κατέπαυσεν ὁ λαὸς, ἀλλὰ κοινὴ πᾶσιν ἡμῖν ὑπολείπεται ἡ ἡμέρα τῆς καταπαύσεως. πάλιν δὲ ἀποδείκνυσιν, ὅτι ἡ ἱεραρχικὴ λειτουργία μετετέθη ἀπὸ ἀαρὼν εἰς τὸν χριστὸν, οὗ τύπος ἦν ὁ μελχισεδέκ. οὐκοῦν ἐκ τοῦ λευὶ πίστει δεδικαιῶσθαι τοὺς πατέρας σημαίνει, καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου. εἶτα πάλιν εἰς τὰ ἤθη προτρεψάμενος αὐτοὺς, καὶ ἀποδεξάμενος αὐτῶν τὴν διὰ χριστὸν ὑπομονὴν, καὶ πείσας τιμᾶν τοὺς πρεσβυτέρους, τελειοῖ τὴν ἐπιστολήν.

IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS ARGVMENTVM PER ERAS. ROT.

NVLLA gens obstinatioribus animis repugnabat euãgelio Christi, quàm Iudæorum, qui Paulo etiam peculiariter erant infensi, quod se gentiũ apostolum profiteretur, quas Iudæi ut prophanas & impias abominabantur, quodq́ꝫ legem Mosaicam, quam illi sacrosanctam habebant, & euãgelij uice per uniuersum orbem spargi cupiebãt, antiquare uideretur. Adeo ut essent inter hos quoq; qui Christi doctrinam receperant, qui putarent legis obseruationem cum euangelio miscendam. Hierosolymis igitur qui crediderant, uarijs calamitatibus afficiebantur ab ijs, qui resistebant euangelio, nam penes hos erat publica autoritas, conijciebantur in uincula, cædebantur, diripiebantur illorum bona. Hos itaq; cõsolatur Paulus partim exemplo ueterum sanctorum, quorum pleriq; similibus, aut grauioribus calamitatibus exerciti sunt, quo uirtus illorũ esset exploratior spectatiorq́ꝫ, ac præcipue exemplo Christi, partim spe præmij cœlestis. Deinde declarat, coruscante iam euangelio Christi, cessasse umbras legis Mosaicæ, multa repetens ex ueteri testamento, & ad Christum accommodans. Docet non ex obseruatione legis, ad tempus datæ & imperfectæ, sperandam esse salutem, sed ex fide, qua ueteres etiam illi probatæ sanctimoniæ uiri, quorum memoria Iudæis erat sacrosancta, deo potissimum placuissent. In fine tradit præcepta quædam ad mores Christianos facientia.

FINIS.

ΠΟΛΥΜΕΡΩΣ ΚΑΙ ΠΟΛΥΤΡΟΠΩΣ ΠΑΛΑΙ Ο ΘΕΟΣ ΛΑΛΗΣΑΣ ΤΟΙΣ ΠΑΤΡΑΣΙΝ ΕΝ ΤΟΙΣ ΠΡΟΦΗΤΑΙΣ ΕΠ' ΕΣΧΑΤΟΥ ΤΩΝ ΗΜΕΡΩΝ ΤΟΥΤΩΝ ΕΛΑΛΗΣΕΝ ΗΜΙΝ ΕΝ ΥΙΩ, ΟΝ ΕΘΗΚΕ ΚΛΗΡΟΝΟΜΟΝ ΠΑΝΤΩΝ, ΔΙ' ΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΑΙΩΝΑΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ, ΟΣ ΩΝ ΑΠΑΥΓΑΣΜΑ ΤΗΣ ΔΟΞΗΣ, ΚΑΙ ΧΑΡΑΚΤΗΡ ΤΗΣ ΥΠΟΣΤΑΣΕΩΣ ΑΥΤΟΥ, ΦΕΡΩΝ ΤΕ ΤΑ ΠΑΝΤΑ ΤΩ ΡΗΜΑΤΙ ΤΗΣ ΔΥΝΑΜΕΩΣ ΑΥΤΟΥ, ΔΙ' ΕΑΥΤΟΥ ΚΑΘΑΡΙΣΜΟΝ ΠΟΙΗΣΑΜΕΝΟΣ ΤΩΝ ΑΜΑΡΤΙΩΝ ΗΜΩΝ, ΕΚΑΘΙΣΕΝ ΕΝ ΔΕΞΙΑ ΤΗΣ ΜΕΓΑΛΩΣΥΝΗΣ ΕΝ ΥΨΗΛΟΙΣ, ΤΟΣΟΥΤΩ ΚΡΕΙΤΤΩΝ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΤΩΝ ΑΓΓΕΛΩΝ, ΟΣΩ ΔΙΑΦΟΡΩΤΕΡΟΝ ΠΑΡ' ΑΥΤΟΥΣ ΚΕΚΛΗΡΟΝΟΜΗΚΕΝ ΟΝΟΜΑ. ΤΙΝΙ ΓΑΡ ΕΙΠΕΝ ΠΟΤΕ ΤΩΝ ΑΓΓΕΛΩΝ. ΥΙΟΣ ΜΟΥ ΕΙ ΣΥ, ΕΓΩ ΣΗΜΕΡΟΝ ΓΕΓΕΝΝΗΚΑ ΣΕ; ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ. ΕΓΩ ΕΣΟΜΑΙ ΑΥΤΩ ΕΙΣ ΠΑΤΕΡΑ, ΚΑΙ ΑΥΤΟΣ ΕΣΤΑΙ ΜΟΙ ΕΙΣ ΥΙΟΝ. ΟΤΑΝ ΔΕ ΠΑΛΙΝ ΕΙΣΑΓΑΓΗ ΤΟΝ ΠΡΩΤΟΤΟΚΟΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΝ, ΛΕΓΕΙ. ΚΑΙ ΠΡΟΣΚΥΝΗΣΑΤΩΣΑΝ ΑΥΤΩ ΠΑΝΤΕΣ ΑΓΓΕΛΟΙ ΘΕΟΥ. ΚΑΙ ΠΡΟΣ ΜΕΝ ΤΟΥΣ ΑΓΓΕΛΟΥΣ ΛΕΓΕΙ. Ο ΠΟΙΩΝ ΤΟΥΣ ΑΓΓΕΛΟΥΣ ΑΥΤΟΥ ΠΝΕΥΜΑΤΑ, ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΛΕΙΤΟΥΡΓΟΥΣ ΑΥΤΟΥ ΠΥΡΟΣ ΦΛΟΓΑ. ΠΡΟΣ ΔΕ ΤΟΝ ΥΙΟΝ, Ο ΘΡΟΝΟΣ ΣΟΥ Ο ΘΕΟΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΙΩΝΑ ΤΟΥ ΑΙΩΝΟΣ, ΡΑΒΔΟΣ ΕΥΘΥΤΗΤΟΣ, Η ΡΑΒΔΟΣ ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΣΟΥ. ΗΓΑΠΗΣΑΣ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΝ ΚΑΙ ΕΜΙΣΗΣΑΣ ΑΝΟΜΙΑΝ, ΔΙΑ ΤΟΥΤΟ ΕΧΡΙΣΕ ΣΕ Ο ΘΕΟΣ, Ο ΘΕΟΣ ΣΟΥ ΕΛΑΙΟΝ ΑΓΑΛΛΙΑΣΕΩΣ ΠΑΡΑ ΤΟΥΣ ΜΕΤΟΧΟΥΣ ΣΟΥ. ΚΑΙ ΣΥ ΚΑΤ' ΑΡΧΑΣ ΚΥΡΙΕ ΤΗΝ ΓΗΝ ΕΘΕΜΕΛΙΩΣΑΣ, ΚΑΙ ΕΡΓΑ ΤΩΝ ΧΕΙΡΩΝ ΣΟΥ ΕΙΣΙΝ ΟΙ ΟΥΡΑΝΟΙ, ΑΥΤΟΙ ΑΠΟΛΟΥΝΤΑΙ, ΣΥ ΔΕ ΔΙΑΜΕΝΕΙΣ, ΚΑΙ ΠΑΝΤΕΣ ΩΣ ΙΜΑΤΙΟΝ ΠΑΛΑΙΩΘΗΣΟΝΤΑΙ, ΚΑΙ ΩΣΕΙ ΠΕΡΙΒΟΛΑΙΟΝ ΕΛΙΞΕΙΣ ΑΥΤΟΥΣ, ΚΑΙ ΑΛΛΑΓΗΣΟΝΤΑΙ, ΣΥ ΔΕ Ο ΑΥΤΟΣ ΕΙ, ΚΑΙ ΤΑ ΕΤΗ ΣΟΥ ΟΥΚ ΕΚΛΕΙΨΟΥΣΙ. ΠΡΟΣ ΤΙΝΑ ΔΕ ΤΩΝ ΑΓΓΕΛΩΝ ΕΙΡΗΚΕΝ ΠΟΤΕ; ΚΑΘΟΥ ΕΚ ΔΕΞΙΩΝ ΜΟΥ, ΕΩΣ ΑΝ ΘΩ ΤΟΥΣ ΕΧΘΡΟΥΣ ΣΟΥ ΥΠΟΠΟΔΙΟΝ ΤΩΝ ΠΟΔΩΝ ΣΟΥ. ΟΥΧΙ ΠΑΝΤΕΣ ΕΙΣΙ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΚΑ ΠΝΕΥΜΑΤΑ, ΕΙΣ ΔΙΑΚΟΝΙΑΝ ΑΠΟΣΤΕΛΛΟΜΕΝΑ, ΔΙΑ ΤΟΥΣ ΜΕΛΛΟΝΤΑΣ ΚΛΗΡΟΝΟΜΕΙΝ ΣΩΤΗΡΙΑΝ;

ΔΙΑ ΤΟΥΤΟ

DEVS olim multipharíam, multísq; modis locutus patribus per prophetas, extremis diebus hísce locutus est nobis per filium, quem constituit hæredem omnium, per quem etiam secula cõdidit. qui cũ sit splendor gloriæ, et expressa imago substantiæ illius, moderetúrq; omnia uerbo potentiæ suæ, per semetipsum purgatione facta peccatorum nostrorum, consedit in dextera maiestatis in excelsis, tanto præstãtior factus angelis, quanto excellentius præ illis sortitus est nomen. Nam cui dixit unquam angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rursum: Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius. Rursum autem cum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes angeli dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui creat angelos suos spíritus, & ministros suos ignis flammam. Ad filium autem: Thronus tuus deus in seculum seculi, uirga rectitudinis, uirga regni tui. Dilexísti iustítiam & odísti iniquitatem, propterea unxit te deus, deus tuus, oleo exultationis ultra consortes tuos. Et tu in initio domine terræ fundamenta iecísti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut uestimentum ueterascent ac uelut amictum circumuolues eos, & mutabuntur, tu autem idem es, & anni tui non defícient. Ad quem autem angelorum dixit unquam? Sede à dextris meis, donec posuero inimícos tuos scabellum pedum tuorum. Nónne omnes sunt administratorij spíritus qui in minísterium emittuntur propter eos qui hæredes erunt salutis?

Propterea

MVLtifarie multísq; modis olim deloquens patrib⁹ in prophetis: nouíssime diebus ístis locutus est nobis in filio: quẽ cõstituit hæredẽ uniuersorũ: per quẽ fecit & secula. Qui cũ sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius: portansq; omnia uerbo uirtutis suæ, purgationem peccatorum faciẽs: sedet ad dexteram maiestatis eius in excelsis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquãdo angelorum: filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spíritus, & ministros suos flammã ignis. Ad filium autem: Thronus tuus deus in seculum seculi: uirga æquitatis uirga regni tui. Dilexísti iustíciam & odísti iniquitatẽ: propterea unxit te deus deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes ut uestimentum ueterascent. Et uelut amictum mutabis eos & mutabuntur: tu autẽ idem ipse es & anni tui non defícient. Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis: quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorij spíritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?

Propterea

Διὰ τοῦτο δεῖ περισσοτέρως ἡμᾶς προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι, μή ποτε παραῤῥυῶμεν. Εἰ γὰρ ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος ἐγένετο βέβαιος, καὶ πᾶσα παράβασις καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν, πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα, τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας; ἥτις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ κυρίου, ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη, συνεπιμαρτυροῦντος τοῦ θεοῦ σημείοις τε καὶ τέρασι, καὶ ποικίλαις δυνάμεσι, καὶ πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς, κατὰ τὴν αὐτοῦ θέλησιν. Οὐ γὰρ ἀγγέλοις ὑπέταξε τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν περὶ ἧς λαλοῦμεν. Διεμαρτύρατο δέ πού τις, λέγων, Τί ἐστιν ἄνθρωπος ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ, ἢ υἱὸς ἀνθρώπου, ὅτι ἐπισκέπτῃ αὐτόν; ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφάνωσας αὐτὸν, καὶ κατέστησας αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου. πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ. Ἐν γὰρ τῷ ὑποτάξαι αὐτῷ τὰ πάντα, οὐδὲν ἀφῆκεν αὐτῷ ἀνυπότακτον. Νῦν δὲ οὔπω ὁρῶμεν αὐτῷ τὰ πάντα ὑποτεταγμένα, τὸν δὲ βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον βλέπομεν Ἰησοῦν διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, ὅπως χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ, δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα, τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν, διὰ παθημάτων τελειῶσαι. Ὅτε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες. δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν, λέγων. Ἀπαγγελῶ τὸ ὄνομά σου τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἐν μέσῳ ἐκκλησίας ὑμνήσω σε. Καὶ πάλιν. ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ. καὶ πάλιν. ἰδοὺ ἐγὼ καὶ τὰ παιδία, ἃ μοι ἔδωκεν ὁ θεός. ἐπεὶ οὖν τὰ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχεν τῶν αὐτῶν, ἵνα διὰ τοῦ θανάτου καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος

Propterea oportet nos uehementius attendere, iis quæ dicta sunt nobis, ne quādo perfluamus. Etenim si is, qui per angelos dictus fuerat sermo, fuit firmus, et omnis transgressio & inobedientia iustā præmij repensationē accepit, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum primū enarrari cœperit per ipsum dominum, ab iis qui audierāt, in nos cōfirmata fuit, attestante deo & signis, & prodigijs simul, uarijs que uirtutibus, & spiritussancti distributionibus, iuxta ipsius uoluntatem. Non enim angelis subiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem alicubi quidam, dicens, Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quod inuisis illum? Fecisti eum paululo inferiorē angelis, gloria & honore coronasti eum, & cōstituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In hoc enim, quod ei subiecit omnia, nihil omisit illi nō subiectum. At nondum uidemus illi omnia esse subiecta. Eum uero qui pusillū quiddam diminutus fuerat infra angelos, cernimus Iesum, propter cruciatum mortis, gloria & honore coronatum, ut per gratiā dei pro omni gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem sunt omnia, & per quem sunt omnia, ut multis filijs in gloriam adductis, principem salutis illorum per afflictiōes perfectū redderet. Quādoquidē & qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Quam ob causam non erubescit fratres illos uocare, dicēs: Annunciabo nomen tuū fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Et rursum: Ego ero fidēs in illo. Et iterum: Ecce ego & pueri, quos mihi dedit deus. Posteaq; igit̄ pueri cōmerciū habent cū carne & sanguine, et ipse similiter particeps fact⁹ est eorūdē, ut per mortē aboleret

cum qui

Propterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus: ne forte pereffluamus. Si enim qui per angelos dict⁹ est sermo factus est firmus: & omnis præuaricatio & inobediētia accepit iustā mercedis retributionē: quomodo nos effugiem⁹ si tātā neglexerim⁹ salutē? Quæ cū initiū acce pisset enarrandi per dn̄m, ab eis qui audierunt in nos confirmata est, contestante deo signis & portentis & uarijs uirtutibus: & spiritussancti distributionibus secundum suam uoluntatē. Non enim angelis subiecit deus orbē terræ futurū de quo loquimur. Testatus est autē in quodam loco quis, dicens. Quid est homo qđ memor es eius: aut filius hominis qm̄ uisitas eū? Minuisti eum paulominus ab angelis: gloria & honore coronasti eum & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo em̄ quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectū ei. Nunc autem necdum uidemus omnia subiecta ei. Eū autem qui modico quam ab angelis minoratus est: uidemus Iesum ꝓpter passionem mortis gloria & honore coronatum: ut gratia dei pro omnibus gustaret mortē. Decebat enim eum propter quē omnia, & per quē omnia: qui multos filios in gloriā adduxerat auctorem salutis eorū per passionem cōsummare. Qui em̄ sanctificat & qui sanctificant̄ ex uno omnes. Propter quā causam nō cōfunditur fratres eos uocare, dicens. Nunciabo nomē tuū fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te. Et iterū; Ego ero fidēs in eū. Et iterū Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi deus. Quia ergo pueri cōmunicauerunt carni & sanguini: & ipse similiter participauit eisdē; ut per mortē destrueret eū

κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τοῦτ' ἔστι τὸν διάβολον, καὶ ἀπαλλάξῃ τούτους ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας. οὐ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. ὅθεν ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν θεόν, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ. ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθείς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι.

ὅθεν ἀδελφοὶ ἅγιοι, κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι, κατανοήσατε τὸν ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν Ἰησοῦν, πιστὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτόν, ὡς καὶ Μωϋσῆς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. πλείονος γὰρ δόξης οὗτος παρὰ Μωϋσῆν ἠξίωται, καθ' ὅσον πλείονα τιμὴν ἔχει τοῦ οἴκου ὁ κατασκευάσας αὐτόν. πᾶς γὰρ οἶκος κατασκευάζεται ὑπό τινος. ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας θεός. καὶ Μωϋσῆς μὲν πιστὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, ὡς θεράπων, εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων. Χριστὸς δὲ ὡς υἱὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ, οὗ οἶκός ἐσμεν ἡμεῖς, ἐάν τὴν παῤῥησίαν, καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος, μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν. διὸ καθὼς λέγει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, σήμερον ἐὰν τῆς φωνῆς αὐτοῦ
» ἀκούσητε, μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ
» κατὰ τὴν ἡμέραν τοῦ πειρασμοῦ ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὗ ἐπείρασάν με οἱ
» πατέρες ὑμῶν, ἐδοκίμασάν με, καὶ
» εἶδον τὰ ἔργα μου τεσσαράκοντα
» ἔτη. διὸ προσώχθισα τῇ γενεᾷ ἐκείνῃ
» καὶ εἶπον, ἀεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ,
» αὐτοὶ δὲ οὐκ ἔγνωσαν τὰς ὁδούς μου
» ὡς ὤμοσα ἐν τῇ ὀργῇ μου, εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου.
βλέπετε ἀδελφοί, μή ποτε ἔσται ἔν τινι ὑμῶν καρδία πονηρὰ ἀπιστίας ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ θεοῦ ζῶντος, ἀλλὰ παρακαλεῖτε ἑαυτοὺς καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἄχρις οὗ τὸ

eum qui mortis habebat imperiũ, hoc est, diabolũ, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. non enim uidelicet angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis pontifex, in his quæ apud deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc quod ipsi cõtigit tentatum esse, potest & ijs qui tentãtur succurrere. Vnde fratres sancti, uocationis cœlestis participes, considerate apostolum & pontificem confessionis nostræ Christum Iesum, quod fidelis sit ei qui ipsum constituit, quemadmodum & Moyses in tota domo ipsius. Tanto namque maiore gloria, quàm Moses, hic dignus est habitus, quanto maiorem habet honorem is qui construxit domum, quàm ipsa domus. Omnis enim domus construitur ab aliquo. Porrò qui cõdidit omnia, deus est. Et Moyses quidem fidelis fuit in tota domo illius, ueluti minister, in testimoniũ eorum, quæ post dicenda erant. At Christus tanquam filius administrauit domum ipsius, cuius domus sumus nos, si fiduciam & gloriationem spei, ad finem usque firmam tenuerimus. Quapropter sicut dicit spiritus sanctus: Hodie si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra, sicut in exacerbatione, in die tentationis in deserto, ubi tentauerunt me patres uestri, probauerunt me, & uiderũt opera mea quadraginta annis. Quapropter infensus eram generationi illi, & dicebam: Semper errant corde, ipsi uero non cognouerũt uias meas, sicut iuraui in ira mea, si ingressuri sunt in requiem meam. Videte fratres, ne quando sit in ullo uestrum cor prauum, obnoxium incredulitati, ut discisca à deo uiuẽte, sed exhortemini uosmetipsos per singulos dies inuicem quotidie, quoad appellatur

qui habebat mortis imperium, id est diabolum: & liberaret eos qui timore mortis per totam uitam obnoxij erant seruituti. Nusquã enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret & fidelis pontifex ad deum: & ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potẽs est & eis qui tentantur auxiliari.

Vnde fratres sancti uo- III.
catiõis cœlestis participes: considerate apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum: qui fidelis est ei qui fecit illum: sicut & Moyses in omni domo eius. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est: quãto ampliorẽ honorẽ habet domus qui fabricauit illam. Omnis nanque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creauit, deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquã famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant. Christus uero tãquam filius in domo sua. Quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. Quapropter sicut dicit spiritus sanctus: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra: sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: ubi tentauerũt me patres uestri: probauerunt & uiderunt opera mea, quadraginta annis. Propter quod infensus fui generatiõi huic: & dixi semper, hi errant corde. Ipsi autem non cognouerunt uias meas quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Videte fratres ne forte sit in aliquo uestrum cor malum incredulitatis discedendi a deo uiuo. Sed adhortamini uosmetipsos per singulos dies donec hodie cognominatur:

οὖν δ σήμερον καλεῖται, ἵνα μὴ σκληρυνθῇ τις ἐξ ὑμῶν ἀπάτῃ τῆς ἁμαρτίας. μέτοχοι γὰρ γεγόναμεν τοῦ Χριστοῦ, ἐάν περ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως, μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν, ἐν τῷ λέγεσθαι, σήμερον ἐὰν τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούσητε, μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ. Τινὲς γὰρ ἀκούσαντες παρεπίκραναν, ἀλλ' οὐ πάντες οἱ ἐξελθόντες ἐξ Αἰγύπτου διὰ Μωσέως. Τίσι δὲ προσώχθισε τεσσαράκοντα ἔτη; οὐχὶ τοῖς ἁμαρτήσασι; ὧν τὰ κῶλα ἔπεσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ; τίσι δὲ ὤμοσε, μὴ εἰσελεύσεσθαι εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ, εἰ μὴ τοῖς ἀπειθήσασι; Καὶ βλέπομεν, ὅτι οὐκ ἠδυνήθησαν εἰσελθεῖν διὰ ἀπιστίαν.

Φοβηθῶμεν οὖν, μή ποτε καταλειπομένης ἐπαγγελίας εἰσελθεῖν εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ, δοκῇ τις ἐξ ὑμῶν ὑστερηκέναι. Καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, καθάπερ κἀκεῖνοι. ἀλλ' οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος ἐκείνους, μὴ συγκεκραμένους τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν. εἰσερχόμεθα γὰρ εἰς τὴν κατάπαυσιν οἱ πιστεύσαντες, καθὼς εἴρηκεν, ὡς ὤμοσα ἐν τῇ ὀργῇ μου, εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου, καίτοι τῶν ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γενηθέντων. εἴρηκε γάρ που περὶ ἑβδόμης οὕτως. καὶ κατέπαυσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ. καὶ ἐν τούτῳ πάλιν. εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου. ἐπεὶ οὖν ἀπολείπεταί τινας εἰσελθεῖν εἰς αὐτήν, καὶ οἱ πρότερον εὐαγγελισθέντες, οὐκ εἰσῆλθον δι' ἀπείθειαν, πάλιν τινὰ ὁρίζει ἡμέραν σήμερον ἐν Δαυὶδ λέγων, μετὰ τοσοῦτον χρόνον καθὼς εἴρηται. σήμερον ἐὰν τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούσητε, μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν. Εἰ γὰρ αὐτοὺς Ἰησοῦς κατέπαυσεν, οὐκ ἂν περὶ ἄλλης ἐλάλει μετὰ ταῦτα ἡμέρας. ἄρα ἀπολείπεται σαββατισμὸς τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ. ὁ γὰρ εἰσελθὼν εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ,

tur dies hodiernus, ne quis ex uobis induretur seductione peccati. Christi participes facti sumus, si sanè initium substantiæ, usque ad finem firmum tenuerimus. In hoc quod dicitur: hodie si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra, sicut in exacerbatione. Nam quidam cum audissent, exacerbauerunt: at nō omnes qui profecti fuerant ex Aegypto per Mosen. Quibus autem infensus fuit quadraginta annis? Nōne ijs, qui peccauerant? quorum membra conciderunt in deserto? Quibus autē iurauit, non ingressuros in requiē suam, nisi ijs, qui non obedierant? Et uidemus, quod non potuerint ingredi propter incredulitatem.

Metuamus igitur, ne quando derelicta promissione introëundi in requiem eius, uideatur aliquis ex uobis fuisse frustratus. Etenim nobis annunciatum est, quemadmodum & illis. At non profuit illis audisse sermonem, quod is nō esset cum fide coniunctus, ijs qui audierant. Introimus enim in requiem, nos qui credidimus, quemadmodū dixit: *Sicut iurauí in ira mea, si ingressuri sint in requiem meam*, licet operibus à iactis fundamentis mundi perfectis. Dixit enim quodam in loco de septimo die sic: Et requieuit deus die septimo ab omnibus operibus suis. Et in hoc rursum: *Si introibunt in requiem meam.* Posteaquam igitur illud reliquū est, aliquos introire in eam, & quibus prius annunciatum fuit, non introierunt propter incredulitatē, rursum quendā præfinit diem, hodie, in Dauid dicens, post tantū temporis, quemadmodum dictum est: Hodie si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra. Nam si eis Iesus requiē præstitisset, nequaquā de alio posthac die locutus fuisset. Itaque relinquitur sabbatismus populo dei. Nam qui ingressus est in requiem illius, & ipse requieuit ab operibus suis,

tur: ut nō obdurēt quis ex uobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initiū substantiæ eius usque ad finem firmum retineamus dum dicitur: Hodie si uocē eius audieritis, nolite obdurare corda uestra: quemadmodū in illa exacerbatione. Quidā enim audiētes exacerbauerunt, sed nō uniuersi qui profecti sunt ab Aegypto per Moysen. Quibus aūt infensus est quadraginta annis? Nōne illis qui peccaūerunt: quorū cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit nō introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerūt? Et uidemus quia nō potuerunt introire in requiē ipsius propter incredulitatem. Timeamus IIII. ergo: ne forte relicta pollicitatione introeūdi in requiē eius: existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim & nobis nunciatum est quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus: nō admixtus fidei ex his quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem eius qui credidimus quēadmodum dixit: *Sicut iurauí in ira mea, si introibūt in requiem meam*, Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis: dixit enim in quodam locō de die septima sic: Et requieuit deus die septimo ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: *Si introibūt in requiē meā.* Quoniā ergo supereſt introire quosdā in illam & hi quibus prioribꝰ annūciatū est, nō introierūt propter incredulitatē: iterū terminat diem quendā hodie in Dauid dicēdo post tā tum temporis sicut supra dictum est: Hodie si uocē eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nūquam de alia loqueret̄ post hac die. Itaq; relinquit̄ sabbatismus populo dei. Qui enim ingressus est in requiē eiꝰ, etiā ipse requieuit ab opibꝰ

μάτων βλασφημίας, ἔχον κεφαλὰς ἑπτὰ καὶ κέρατα δέκα. καὶ ἡ γυνὴ ἦν περιβεβλημένη πορφύραν καὶ κοκκίνον καὶ κεχρυσωμένη χρυσῷ, καὶ λίθῳ τιμίῳ, καὶ μαργαρίταις, ἔχουσα χρυσοῦν ποτήριον ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς, γέμον βδελυγμάτων καὶ ἀκαθάρτητος πορνείας αὐτῆ, καὶ ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῆ ὄνομα γεγραμμένον μυστήριον, βαβυλὼν ἡ μεγάλη ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς. καὶ εἶδον τὴν γυναῖκα μεθύουσαν ἐκ τοῦ αἵματος τῶν ἁγίων καὶ ἐκ τοῦ αἵματος τῶν μαρτύρων ιησοῦ. καὶ ἐθαύμασα ἰδὼν αὐτὴν θαῦμα μέγα. καὶ εἶπέ μοι ὁ ἄγγελος. διὰ τί ἐθαύμασας; ἐγώ σοι ἐρῶ τὸ μυστήριον τῆς γυναικὸς, καὶ τοῦ θηρίου τοῦ βαστάζοντος αὐτὴν, τοῦ ἔχοντος τὰς ἑπτὰ κεφαλὰς, καὶ τὰ δέκα κέρατα. θηρίον ὃ εἶδες, ἦν καὶ οὐκ ἔστι, καὶ μέλλει ἀναβαίνειν ἐκ τῆς ἀβύσσου, καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγει. καὶ θαυμάσονται οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, βλεπόντων τὸ θηρίον, ὅτι ἦν καὶ οὐκ ἔστι, καὶ πάρεσται. ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν. αἱ ἑπτὰ κεφαλαί, ὄρη εἰσὶν ἑπτὰ, ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπ' αὐτῶν, καὶ βασιλεῖς ἑπτά εἰσιν. οἱ πέντε ἔπεσαν, καὶ ὁ εἷς ἔστι, ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθε, καὶ ὅταν ἔλθῃ, ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι. καὶ τὸ θηρίον ὃ ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι, καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐστι, καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγει. καὶ τὰ δέκα κέρατα, ἃ εἶδες, δέκα βασιλεῖς εἰσιν, οἵτινες βασιλείαν οὔπω ἔλαβον, ἀλλ' ἐξουσίαν ὡς βασιλεῖς μίαν ὥραν λαμβάνουσι μετὰ τοῦ θηρίου. οὗτοι μίαν γνώμην ἔχουσι, καὶ τὴν δύναμιν, καὶ τὴν ἐξουσίαν ἑαυτῶν τῷ θηρίῳ διδώσουσιν. οὗτοι μετὰ τοῦ ἀρνίου πολεμήσουσι, καὶ τὸ ἀρνίον νικήσει αὐτούς, ὅτι κύριος κυρίων ἐστὶ, καὶ βασιλεὺς βασιλέων, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ κλητοὶ, καὶ ἐκλεκτοὶ, καὶ πιστοί. καὶ λέγει μοι, τὰ ὕδατα ἃ εἶδες, οὗ ἡ πόρνη κάθηται, λαοὶ καὶ ὄχλοι εἰσὶ, καὶ ἔθνη, καὶ γλῶσσαι. καὶ τὰ δέκα κέρατα ἃ εἶδες ἐπὶ τὸ θηρίον, οὗτοι μισήσουσι τὴν πόρνην, καὶ ἠρημωμένην ποιήσουσι

minibus maledicentiæ, habentẽ capita ſeptem & cornua decẽ. Et mulier erat circũdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide precioſo, et margaritis, habens poculum aureũ in manu ſua, plenum abominationibus et immũditia libidinis ſuæ. Et in frõte eius nomen ſcriptum myſteriũ Babylon magna mater ſcortationũ, & abominationũ terræ. Et uidi mulierem ebriã de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrũ Ieſu Et miratus ſum, cum uiderem illam admiratione magna. Et dixit mihi angelus: quare miraris? Ego dicam tibi myſteriũ mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decẽ Beſtia quam uidiſti, fuit, & nõ eſt & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram, quorũ nomina ſcripta nõ ſunt in libro uitæ, à cõdito mundo, uidentes beſtiam, quæ erat & non eſt. Hic eſt mens quæ habet ſapientiam. Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptẽ ſunt. Quinque ceciderunt, unus eſt, & alius nõdum uenit. Et cum uenerit, oportet illum breue tempus manere. Et beſtia quæ erat, & non eſt, & ipſe octauus eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum uadit. Et decem cornua quæ uidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam reges una hora accipient cum beſtia. Hi unum conſilium habent, & uirtutem & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent. Hi cum agno pugnabunt, & agnus uincet illos, quoniam dominus dominorum eſt, & rex regum: & qui cum illo ſunt uocati, & electi & fideles. Et dicit mihi: Aquæ quas uidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt & turbæ, & gentes, & linguæ. Et decem cornua quæ uidiſti in beſtia, hi odio proſequentur meretricem, & deſolatam facient

minibus blaſphemiæ, habẽtem capita ſeptẽ, & cornua decem. Et mulier erat circũdata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide precioſo & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione & immundicia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen ſcriptum: myſterium Babylõ magna mater fornicationum & abominationũ terræ. Et uidi mulierẽ ebriã de ſanguine ſanctorũ: & de ſanguine martyrum Ieſu. Et miratus ſum cum uiderem illam admiratione magna. Et dixit mihi angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris: & beſtiæ quæ portat eã: quæ habet capita ſeptem, & cornua decem. Beſtia quam uidiſti fuit: & non eſt: & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit: & mirabunt in habitantes terrã, quorũ nomina ſcripta non ſunt in libro uitæ a cõſtitutione mũdi, uidẽtes beſtiã quæ erat & non eſt. Et hic eſt ſenſus qui habet ſapientiã. Septẽ capita, ſeptem mõtes ſunt, ſuper quos mulier ſedet: & reges ſeptem ſunt. Quinq; ceciderunt, unus eſt: & alius nondum uenit. Et cũ uenerit, oportet illum breue tempus manere. Et beſtia quæ erat & non eſt, & ipſa octaua eſt: & de ſeptem eſt. Et in interitum uadet. Et decẽ cornua quæ uidiſti, decẽ reges ſunt: qui regnũ nondum acceperunt. ſed poteſtatẽ tanquã reges una hora accipient poſt beſtiam. Hi unũ conſilium habent & uirtutẽ & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent. Hi cum agno pugnabunt, & agnus uincet illos: quoniam dominus dominorũ eſt, & rex regum: et qui cũ illo ſunt uocati & electi & fideles. Et dixit mihi: Aquæ quas uidiſti ubi meretrix ſedet, populi ſunt & gentes, & linguæ: & decem cornua quæ uidiſti in beſtia, hi odiẽt fornicariam & deſolatam facient

σασιμ αὐτὴν, καὶ γυμνὴν, καὶ τὰς σάρκας αὐτῆς φάγονται, & αὐτὴν κατακαύσουσιν ἐν πυρί. ὁ γὰρ θεὸς ἔδωκεν εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν ποιῆσαι μίαν γνώμην, & ποιῆσαι μίαν γνώμην, & δοῦναι τὴν βασιλείαν αὐτῶν τῷ θηρίῳ ἄχρι τελεσθῆ τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ. καὶ ἡ γυνὴ ἣν εἶδες, ἔστιν ἡ πόλις ἡ μεγάλη ἡ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς. Καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον ἄλλον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἔχοντα ἐξουσίαν μεγάλην καὶ ἡ γῆ ἐφωτίσθη ἐκ τῆς δόξης αὐτοῦ, καὶ ἔκραξεν ἐν ἰσχυρᾷ φωνῇ μεγάλῃ, λέγων. ἔπεσεν ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, & ἐγένετο κατοικητήριον δαιμόνων, & φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου, & φυλακὴ παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου καὶ μεμισημένου, ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πέπωκε πάντα τὰ ἔθνη. καὶ οἱ βασιλῆς τῆς γῆς μετ' αὐτῆς ἐπόρνευσαν, καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς, ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν. καὶ ἤκουσα ἄλλην φωνὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λέγουσαν, ἐξέλθετε ὁ λαός μου ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς, καὶ ἵνα μὴ λάβητε ἐκ τῶν πληγῶν αὐτῆς, ὅτι ἐκολλήθησαν αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ, & ἐμνημόνευσεν ὁ θεὸς τὰ ἀδικήματα αὐτῆς. Ἀπόδοτε αὐτῇ, ὡς καὶ αὐτὴ ἀπέδωκεν ὑμῖν. καὶ διπλώσατε αὐτῇ διπλᾶ κατὰ τὰ ἔργα αὐτῆς, ἐν τῷ ποτηρίῳ ᾧ ἐκέρασε, κεράσατε αὐτῇ διπλοῦν. ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν, καὶ ἐστρηνίασε, τοσοῦτον δότε αὐτῇ βασανισμὸν καὶ πένθος, ὅτι ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς λέγει, κάθημαι βασίλισσα, καὶ χήρα οὐκ εἰμὶ, καὶ πένθος οὐ μὴ ἴδω. διὰ τοῦτο ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἥξουσιν αἱ πληγαὶ αὐτῆς θάνατος, καὶ πένθος καὶ λιμὸς, καὶ ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται, ὅτι ἰσχυρὸς κύριος ὁ θεὸς ὁ κρινῶν αὐτήν. καὶ κλαύσονται αὐτὴν, καὶ κόψονται ἐπ' αὐτῆς οἱ βασιλῆς τῆς γῆς, οἱ μετ' αὐτῆς πορνεύσαντες, & στρηνιάσαντες, ὅταν βλέπωσι τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς, ἀπὸ μακρόθεν ἑστηκότες διὰ τὸν φόβον τοῦ βασάνου αὐτῆς, λέγοντες, οὐαὶ οὐαὶ ἡ πόλις ἡ μεγάλη Βαβυλὼν, ἡ πόλις ἡ ἰσχυρά ὅτι

cient illam & nudam, & carnes eius comedent, & ipsam igne cõcremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciãt quod placitum est illi, ut unam faciant uoluntatem, ut dent regnum suum bestiæ, donec cõsummentur uerba dei. Et mulier quã uidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnũ super reges terræ.

Et post hæc uidi alium angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius. Et exclamauit per fortitudinem uoce magna, dicens: Cecidit cecidit Babylõ magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis uolucris immundæ, & inuisæ: quia de uino iræ scortationis eius biberunt omnes gentes. Et reges terræ cũ illa scortati sunt, & mercatores terræ de uirtute delitiarũ eius diuites facti sunt. Et audiui aliam uocem de cœlo dicentẽ: Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. Quoniã peruenerũt peccata eius usq; ad cœlum, & recordatus est deus iniquitatum eius. Reddite illi sicut & ipsa reddidit uobis, & duplicate ei duplicia secundum opera eius. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quantũ glorificauit se & in delitijs fuit, tantũ misce illi tormentũ & luctũ, quia in corde suo dicit. Sedeo regina, & uidua nõ sum, & luctum nõ uidebo. Ideo in una die uenient plagæ eius, mors & luctus & fames, & igne cõburetur: quia fortis est dominus deus, qui iudicabit illã. Et flebunt illã & plangẽt se super illa reges terræ, qui cũ illa scortati sunt, & in delitijs uixerunt, cũ uiderint fumũ incendij eius, longe stantes propter timorẽ tormenti eius, dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna Babylõ, ciuitas illa fortis: quo

cient illam & nudam: & carnes eius manducabunt, & ipsam igne concremabunt. Deus em̃ dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi: ut dent regnum suum bestiæ, donec cõsummentur uerba dei. Et mulier quã uidisti, est ciuitas magna quæ habet regnũ super reges terræ.

Et post hæc uidi aliũ an- XVIII.
gelum descẽdentem de cœlo, habentẽ potestatem magnam, & terra illuminata est a gloria eius. Et exclamauit in fortitudine, dicens:. Cecidit cecidit Babylon magna: & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis uolucris immundæ: & odibilis quia de uino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes. Et reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de uirtute delitiarũ eius diuites facti sunt. Et audiui aliam uocẽ de cœlo dicentem: Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius: & de plagis eius non accipiatis. Quoniã peruenerunt peccata eius usq; ad cœlũ: & recordatus est dominus iniquitatum eius, Reddite illi sicut & ipsa reddidit uobis: & düplicate duplicia secũdum opera eius. In poculo quo miscuit uobis, miscete illi duplũ. Quã tum glorificauit se & in delitijs fuit: tantũ date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo ut regina & uidua nõ sum & luctum non uidebo. Ideo in una die uenient plagæ eius mors & luctus & fames, & igne comburet̃: quia fortis est deus qui iudicabit illam. Et flebunt & plangent se super illam reges terræ qui cũ illa fornicati sunt, & in delitijs uixerunt, cũ uiderint fumum incendij eius: longe stantes propter timorẽ tormentorum eius, dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna Babylon: ciuitas illa fortis: quo

Ecta Salamã.

ὅτι ἐν μίᾳ ὥρᾳ ἦλθεν ἡ κρίσις σου· καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς κλαίουσι, καὶ πενθοῦσιν ἐπ' αὐτῇ, ὅτι τὸν γόμον αὐτῶν οὐδεὶς ἀγοράζει οὐκέτι, γόμον χρυσοῦ καὶ ἀργυροῦ, καὶ λίθου τιμίου, καὶ μαργαρίτου καὶ βύσσου, καὶ πορφύρας, καὶ σηρικοῦ, καὶ κοκκίνου, καὶ πᾶν ξύλον θύϊνον, καὶ πᾶν σκεῦος ἐλεφάντινον, καὶ πᾶν σκεῦος ἐκ ξύλου τιμιωτάτου, καὶ χαλκοῦ, καὶ σιδήρου, καὶ μαρμάρου, καὶ κινάμωμον, καὶ θυμιάματα, καὶ μύρον, καὶ λίβανον, καὶ οἶνον, καὶ ἔλαιον, καὶ σεμίδαλιν, καὶ σῖτον, καὶ κτήνη, καὶ πρόβατα, καὶ ἵππων, καὶ ἐφεδρῶν, καὶ σωμάτων, καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων. καὶ ἡ ὀπώρα τῆς ἐπιθυμίας σου ἀπῆλθεν ἀπὸ σοῦ, καὶ πάντα τὰ λιπαρὰ, καὶ τὰ λαμπρὰ ἀπῆλθεν ἀπὸ σοῦ, καὶ οὐκέτι οὐ μὴ εὑρήσεις αὐτά. οἱ ἔμποροι τούτων οἱ πλουτήσαντες ἀπ' αὐτῆς ἀπὸ μακρόθεν στήσονται, διὰ τὸν φόβον τοῦ βασανισμοῦ αὐτῆς, κλαίοντες καὶ πενθοῦντες, καὶ λέγοντες, οὐαὶ οὐαὶ ἡ πόλις ἡ μεγάλη ἡ περιβεβλημένη βύσσινον καὶ πορφυροῦν, καὶ κόκκινον, καὶ κεχρυσωμένη χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ, καὶ μαργαρίταις· ὅτι μίᾳ ὥρᾳ ἠρημώθη ὁ τοσοῦτος πλοῦτος. καὶ πᾶς κυβερνήτης, καὶ πᾶς ἐπὶ τόπον πλοίων ὁ ὅμιλος καὶ ναῦται καὶ ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται ἀπὸ μακρόθεν ἔστησαν, καὶ ἔκραζον ὁρῶντες τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς, λέγοντες· τίς ὁμοία τῇ πόλει τῇ μεγάλῃ; καὶ ἔβαλον χοῦν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ ἔκραζον κλαίοντες καὶ πενθοῦντες, λέγοντες· οὐαὶ οὐαὶ ἡ πόλις ἡ μεγάλη ἐν ᾗ ἐπλουτήσαν πάντες οἱ ἔχοντες πλοῖα ἐν τῇ θαλάσσῃ ἐκ τῆς τιμιότητος αὐτῆς, ὅτι μίᾳ ὥρᾳ ἠρημώθη. εὐφραίνου ἐπ' αὐτῇ οὐρανέ, καὶ οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται, ὅτι ἔκρινεν ὁ θεὸς τὸ κρῖμα ὑμῶν ἐξ αὐτῆς. καὶ ἦρεν εἷς ἄγγελος ἰσχυρὸς λίθον ὡς μύλον μέγα, καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν θάλασσαν, λέγων, οὕτως ὁρμήματι βληθήσεται Βαβυλὼν ἡ μεγάλη πόλις, καὶ οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι. καὶ φωνὴ κιθαρῳδῶν καὶ μουσικῶν, καὶ αὐλητῶν, καὶ σαλπιστῶν, οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι. καὶ πᾶς τεχνίτης

Alias ἀπώλετο.

quoniam in una hora uenit iudicium tuũ. Et negociatores terræ flent & lugent ſuper illa: quòniã merces eorum nemo emit amplius, merces auri & argenti et lapidis precioſi, neq; margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & coccini, & omẽ lignũ thyinũ, & omẽ uas eburneum, & omne uas de ligno precioſiſſimo & ære, & ferro & marmore & cinnamomũ, & odoramentũ, & unguentũ, & thus, & uinũ, & oleũ, & ſimilã, & triticũ, et iumẽta, et oues, et equorum, & rhedarũ, & mancipiorũ, et animas hominũ. Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerũt à te, & omnia pinguia & præclara perierũt à te, & amplius illa iam nõ inueniẽs. Mercatores horũ qui diuites facti ſunt, ab ea longe ſtabunt propter timorem tormẽti eius, flentes ac lugẽtes, & dicẽtes Væ uæ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro & lapide precioſo & margaritis: quoniam una hora deſtitutæ ſũt tantæ diuitiæ, & omnis gubernator, & omis in nauibus uerſantiũ turba & nautæ, & qui in mari operantur, longe ſteterunt: & clamauerunt, uidentes fumũ incendij eius, dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Et miſerũt puluerem ſup capita ſua, et clamauerũt flentes & lugentes, dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt, omẽs qui habebant naues in mari de precijs eius, quoniam una hora deſolata eſt. Exulta ſuper eam cœlũ & ſancti apoſtoli & prophetæ, quoniam iudicauit deus iudicium ueſtrũ de illa. Et ſuſtulit unus angelus fortis lapidem quaſi molarem magnũ, et miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittet Babylon ciuitas illa magna, & ultra iam nõ inueniet. Et uox citharœdorũ & muſicorũ, & tibia canentium & tuba, non audietur in te amplius, & omnis artifex

quoniã una hora uenit iudicium tuum. Et negociatores terræ flebunt & lugebũt ſuper illam: quoniã merces eorũ nemo emet amplius: merces auri & argenti & lapidis precioſi & margaritæ & byſſi & purpuræ & ſerici & cocci: & omne lignum thynum: & omnia uaſa eboris, & omnia uaſa de lapide precioſo & æramẽto & ferro & marmore. Et cinnamomũ & amomum & odoramẽtorum & unguẽti & thuris & uini & olei & ſimilæ & tritici: & iumentorũ & ouiũ & eq̃rum & rhedarũ & mãcipiorum & animarũ hominũ. Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerũt a te: & omnia pinguia & præclara perierũt a te: & amplius illa iam nõ inueniẽt mercatores hominũ. Qui diuites facti ſũt ab ea, longe ſtabunt, ꝓpter timorẽ tormẽtorũ eius: flentes ac lugentes, & dicẽtes: Væ uæ ciuitas illa magna quæ amicta erat byſſo & purpura & cocco: & deaurata eſt auro & lapide precioſo & margaritis: quoniã una hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ: & omnis gubernator: & omnes qui in lacũ nauigãt & nautæ et qui in mari operantur lõge ſteterũt, & clamauerũt uidentes locũ incendij eius, dicẽtes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Et miſerunt puluerẽ ſuper capita ſua: & clamauerũt flẽtes & lugẽtes: dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna in qua diuites facti ſunt omẽs qui habebãt naues in mari de precijs eius: qm̃ una hora deſolata eſt. Exultate ſuper eam cœlũ & ſancti apoſtoli & prophetæ: quoniã iudicauit deus iudicium ueſtrũ de illa. Et ſuſtulit unus angelus fortis lapidẽ quaſi molarẽ magnũ & miſit in mare, dicẽs: Hoc impetu mittet Babylon ciuitas illa magna: & ultra iam nõ inuenietur. Et uox citharœdorum & muſicorum, & tibia canentiũ, & tuba nõ audiet in te amplius: & omnis artifex

χνίτης πάσης τέχνης οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι σοι ἔτι. καὶ φωνὴ μύλου οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἔτι σοι ἔτι. καὶ φῶς λύχνου οὐ μὴ φανῇ ἔτι σοι ἔτι. καὶ φωνὴ νυμφίου καὶ νύμφης οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἔτι σοι ἔτι. ὅτι οἱ ἔμποροί σου ἦσαν οἱ μεγιστάνες τῆς γῆς, ὅτι ἐν τῇ φαρμακείᾳ σου ἐπλανήθησαν πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἐν αὐτῇ αἷμα προφητῶν καὶ ἁγίων εὑρέθη, καὶ πάντων τῶν ἐσφαγμένων ἐπὶ τῆς γῆς.

Καὶ μετὰ ταῦτα ἤκουσα φωνὴν ὄχλου πολλοῦ μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ, λεγόντων τὸ ἀλληλούϊα. ἡ σωτηρία καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ αἴνεσις κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν, ὅτι ἀληθιναὶ καὶ δίκαιαι αἱ κρίσεις αὐτοῦ, ὅτι ἔκρινεν τὴν πόρνην τὴν μεγάλην, ἥτις ἔφθειρε τὴν γῆν ἐν τῇ πορνείᾳ αὐτῆς, καὶ ἐξεδίκησεν τὸ αἷμα τῶν δούλων αὐτοῦ, ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ δεύτερον εἰρήκαμεν, ἀλληλούϊα, καὶ ὁ καπνὸς αὐτῆς ἀναβαίνει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Καὶ ἔπεσαν οἱ πρεσβύτεροι οἱ κδ'. καὶ τὰ τέσσαρα ζῶα, καὶ προσεκύνησαν τῷ θεῷ τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου λέγοντες, ἀμὴν ἀλληλούϊα. καὶ φωνὴ ἐκ τοῦ θρόνου ἐξῆλθεν λέγουσα, αἰνεῖτε τὸν θεὸν ἡμῶν πάντες οἱ δοῦλοι αὐτοῦ, καὶ οἱ φοβούμενοι αὐτὸν, καὶ οἱ μικροὶ καὶ οἱ μεγάλοι. καὶ ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ, καὶ ὡς φωνὴν ὑδάτων πολλῶν, καὶ ὡς φωνὴν βροντῶν ἰσχυρῶν, λεγόντων ἀλληλούϊα, ὅτι ἐβασίλευσεν κύριος ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ. χαίρωμεν καὶ ἀγαλλιώμεθα, καὶ δῶμεν τὴν δόξαν αὐτῷ ὅτι ἦλθεν ὁ γάμος τοῦ ἀρνίου. καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἡτοίμασεν ἑαυτήν. καὶ ἐδόθη αὐτῇ ἵνα περιβάληται βύσσινον καθαρὸν καὶ λαμπρόν. τὸ γὰρ βύσσινον τὰ δικαιώματά ἐστιν τῶν ἁγίων. καὶ λέγει μοι γράψον. μακάριοι οἱ εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ γάμου τοῦ ἀρνίου κεκλημένοι. καὶ λέγει μοι, οὗτοι οἱ λόγοι ἀληθινοί εἰσιν τοῦ θεοῦ. καὶ ἔπεσον ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν αὐτοῦ, προσκυνῆσαι αὐτῷ. καὶ λέγει μοι, ὅρα μή, σύνδουλός σου εἰμὶ, καὶ τῶν ἀδελφῶν σου, τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ιησοῦ. τῷ θεῷ προσκύνησον.

ἡ γὰρ

tifex cuiuscunque artis non inuenietur in te amplius, & uox molæ non audietur in te amplius, & lux lucernæ non lucebit in te amplius, & uox sponsi & sponsæ nō audietur posthac in te: quia mercatores tui erant principes terræ: quia in ueneficijs tuis errauerunt omēs gentes, & in ea sanguis prophetarum & sanctorum inuētus est, et omnium qui interfecti sunt in terra. Post hæc audiui quasi uocem magnam turbæ multæ in cœlo dicētis: Alleluia. Salus & honor, & gloria, & uirtus domino deo nostro est: quia uera & iusta iudicia eius, quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram prostitutione sui, & uindicauit sanguinem seruorum suorum de eius manu. Et iterum dixerūt: Alleluia. Et fumus eius ascendit in secula seculorum. Et ceciderunt uiginti quatuor seniores, & quatuor animalia, & adorauerunt deum sedentem super thronum, dicentes: Amen alleluia. Et uox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite deo nostro omēs sancti eius, & qui timetis eum pusilli & magni. Et audiui sicut uocem turbæ multæ, & sicut uocem aquarum multarum, & sicut uocem tonitruorum magnorum, dicentium, Alleluia: quoniam regnauit dominus deus noster omnipotens. Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei: quia uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino puro & splendido. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum. Et dicit mihi: Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt. Et dicit mihi: Hæc uerba dei uera sunt. Et cecidi ante pedes eius, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris. Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu. Deum adora.

Testi

tifex, omnisq; ars non inuenietur in te amplius. Et uox molæ non audietur in te amplius. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius: & uox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ: quia in ueneficijs tuis errauerunt omnes gentes. Et in ea sanguis prophetarum & sanctorum inuentus est: & omnium qui interfecti sunt in terra.

Post hæc audiui quasi uocem magnam turbarū multarū in cœlo dicentium alleluia: Laus & gloria & uirtus deo nostro est: quia uera & iusta iudicia sunt eius qui iudicauit de meretrice magna quæ corrupit terram in prostitutione sua: & uindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius. Et iterum dixerunt, alleluia. Et fumus eius ascēdit in secula seculorū. Et ceciderūt uiginti quattuor seniores & quattuor animalia, & adorauerūt deum sedentē super thronū dicentes: Amen alleluia. Et uox de throno exiuit, dicēs: Laudē dicite deo nostro omnes sancti eius & qui timetis deum pusilli & magni. Et audiui quasi uocē tubæ magnæ, & sicut uocem aquarū multarum: & sicut uocē tonitruorum magnorum, dicentium, alleluia: quoniam regnauit dominus deus noster omnipotens. Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei: quia uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum. Et dixit mihi: Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt. Et dixit mihi: Hæc uerba dei uera sunt. Et cecidi ante pedes eius, ut adorarem eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris. Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habētium testimonium Iesu. Deum adora.

XIX.

Testi

ἡ γὰρ μαρτυρία τοῦ Ιησοῦ ἐστὶ τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας. καὶ εἶδον τὸν οὐρανὸν ἠνεῳγμένον. Καὶ ἰδοὺ ἵππος λευκός, καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτὸν καλούμενος πιστὸς Καὶ ἀληθινός, Καὶ ἐν δικαιοσύνῃ κρίνει Καὶ πολεμεῖ. οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρός, Καὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ διαδήματα πολλά, ἔχων ὄνομα γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτός. Καὶ περιβεβλημένος ἱμάτιον βεβαμμένον αἵματι. Καὶ κέκληται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Καὶ τὰ στρατεύματα ἃ ἐν τῷ οὐρανῷ ἠκολούθει αὐτῷ ἐφ' ἵπποις λευκοῖς, ἐνδεδυμένοι βύσσινον λευκὸν καθαρόν. Καὶ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ἐκπορεύεται ῥομφαία ὀξεῖα, ἵνα ἐν αὐτῇ πατάξῃ τὰ ἔθνη. καὶ αὐτὸς ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. καὶ αὐτὸς πατεῖ τὴν ληνὸν τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ, Καὶ ὀργῆς τοῦ θεοῦ παντοκράτορος. Καὶ ἔχει ἐπὶ τὸ ἱμάτιον, καὶ ἐπὶ τὸν μηρὸν αὐτοῦ, ὄνομα γεγραμμένον, βασιλεὺς βασιλέων, καὶ κύριος κυρίων. Καὶ εἶδον ἕνα ἄγγελον ἑστῶτα ἐν τῷ ἡλίῳ. καὶ ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ, λέγων πᾶσι τοῖς ὀρνέοις τοῖς πετομένοις ἐν μεσουρανήματι, δεῦτε Καὶ συνάγεσθε εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ μεγάλου θεοῦ, ἵνα φάγητε σάρκας βασιλέων, καὶ σάρκας χιλιάρχων, Καὶ σάρκας ἰσχυρῶν, Καὶ σάρκας ἵππων, Καὶ τῶν καθημένων ἐπ' αὐτοῖς Καὶ σάρκας πάντων ἐλευθέρων, καὶ δούλων, Καὶ μικρῶν, Καὶ μεγάλων. Καὶ εἶδον τὸ θηρίον, καὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ τὰ στρατεύματα αὐτῶν συνηγμένα ποιῆσαι πόλεμον μετὰ τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ ἵππου, Καὶ μετὰ τοῦ στρατεύματος αὐτοῦ. Καὶ ἐπιάσθη τὸ θηρίον, καὶ μετὰ τούτου ὁ ψευδοπροφήτης ὁ ποιήσας τὰ σημεῖα ἐνώπιον αὐτοῦ, ἐν οἷς ἐπλάνησε τοὺς λαβόντας τὸ χάραγμα τοῦ θηρίου, Καὶ τοὺς προσκυνοῦντας τῇ εἰκόνι αὐτοῦ. ζῶντες ἐβλήθησαν οἱ δύο εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην ἐν θείῳ. καὶ οἱ λοιποὶ ἀπεκτάνθησαν ἐν τῇ ῥομφαίᾳ τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ ἵππου, τῇ ἐκπορευομένῃ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ ὄρνεα ἐχορτάσθησαν ἐκ τῶν σαρκῶν αὐτῶν.

καὶ

Testimonium enim Iesu, est spi/ritus prophetiæ. Et uidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, uo/cabatur fidelis & uerax, & per iusticiam iudicat, & pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diadema/ta multa, habens nomen scri/ptum, quod nemo nouit nisi ipse. Et uestitus erat uestę tin/cta sanguine, & uocatur no/men eius, sermo dei. Et exerci/tus qui sunt in cœlo, sequeban/tur eum in equis albis, uestiti byssino albo & mundo. & ex ore eius procedit gladius ex u/traque parte acutus, ut eo per/cutiat gentes. Et ipse reget eas uirga ferrea. Et ipse calcat tor/cular uini furoris & iræ dei o/mnipotentis. Et habet in uesti/mento & in femore suo nomen scriptum: Rex regum & domi/nus dominātium. Et uidi unum angelum stantem in sole, & cla/mauit uoce magna, dicens o/mnibus auibus quæ uolabant per medium cœli: Venite & con/gregamini ad cœnā magni dei, ut edatis carnes regum, & car/nes tribunorum, & carnes for/tium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes o/mnium liberorum ac seruorum, & pusillorum ac magnorum. Et uidi bestiam & reges terræ, & exercitus eorum congrega/tos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo & cum exercitu eius. Et apprehensa est bestia, & cū illa pseudo prophe/ta, qui fecit signa coram ipso, in quibus seduxit eos qui accepe/runt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Vi ui coniecti sunt hi duo in sta/gnum ignis ardens sulphure: & cæteri occisi sunt gladio seden/tis super equū, qui procedit ex ore ipsius, et omnes aues satura/tæ sunt carnibus eorum.

Et

Testimoniū enim Iesu est spiritus prophetiæ. Et ui/di cœlum apertum: & ec/ce equus albus, & qui sede bat super eum uocabatur fidelis & uerax: & cum iu/stitia iudicat & pugnat. O/culi aūt eius sicut flamma ignis, et in capite eius dia/demata multa, habens no men scriptū, qđ nemo no/uit nisi ipse. Et uestitus erat uestę alspersa sanguine: & uocabatur nomē eius, uer bum dei. Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis uestiti byssino albo & mundo: & de ore eius procedit gladi/us ex utraq; parte acutus: ut in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in uirga ferrea: & ipse calcat torcu/lar uini furoris iræ dei o/mnipotentis. Et habet in uestimento & fœmore suo scriptum: Rex regū & do/minus dominantium. Et uidi unum angelum stan/tem in sole: & clamauit uo ce magna, dicēs omnibus auibus quæ uolabant per medium cœli: Venite & cō gregamini ad cœnam ma gnam dei, ut manducetis carnes regum, & carnes tri bunorum, & carnes forti/um, & carnes equorum: & sedētium in ipsis, & carnes omnium liberorum ac ser uorum & pusillorū ac ma/gnorum. Et uidi bestiā & reges terræ & exercitus eo/rum cōgregatos ad facien dum prælium cum illo qui sedebat in equo & cum ex/ercitu eius. Et apprehen/sa est bestia, et cū illa pseu/do propheta, & qui fecit si/gna coram ipso, quibus se/duxit eos qui acceperunt characterem bestiæ: et qui adorauerunt imaginem e/ius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis & sulphuris: & cæteri oc/cisi sunt in gladio sedentis super eqūum qui proce/dit de ore ipsius: & omnes aues saturatæ sunt carni/bus eorum.

Et

καὶ εἶδον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔχοντα τὴν κλεῖδα τῆς ἀβύσσου, καὶ ἅλυσιν μεγάλην ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ. καὶ ἐκράτησε τὸν δράκοντα τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον, ὅς ἐστι διάβολος καὶ σατανᾶς, καὶ ἔδησεν αὐτὸν χίλια ἔτη, καὶ ἔβαλεν αὐτὸν εἰς τὸν ἄβυσσον, καὶ ἔκλεισεν αὐτὸν, καὶ ἐσφράγισεν ἐπάνω αὐτοῦ, ἵνα μὴ πλανήσῃ τὰ ἔθνη ἄχρις τελεσθῇ χίλια ἔτη. καὶ μετὰ ταῦτα δεῖ αὐτὸν λυθῆναι μικρὸν χρόνον. καὶ εἶδον θρόνους καὶ ἐκάθισαν ἐπ' αὐτοὺς, καὶ κρῖμα ἐδόθη αὐτοῖς, καὶ τὰς ψυχὰς τῶν πεπελεκισμένων διὰ τὴν μαρτυρίαν Ιησοῦ, καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ οἵτινες οὐ προσεκύνησαν τὸ θηρίον, οὐδὲ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔλαβον τὸ χάραγμα ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτῶν, καὶ ἔζησαν, καὶ ἐβασίλευσαν μετὰ χριστοῦ χίλια ἔτη. οἱ δὲ λοιποὶ τῶν νεκρῶν οὐκ ἀνέζησαν ἕως τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη. αὕτη ἡ ἀνάστασις ἡ πρώτη. μακάριος καὶ ἅγιος ὁ ἔχων μέρος ἐν τῇ ἀναστάσει τῇ πρώτῃ. ἐπὶ τούτων ὁ θάνατος ὁ δεύτερος οὐκ ἔχει ἐξουσίαν, ἀλλ' ἔσονται ἱερεῖς τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ χριστοῦ, καὶ βασιλεύσουσι μετ' αὐτοῦ χίλια ἔτη. καὶ ὅταν τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη, λυθήσεται ὁ σατανᾶς ἐκ τῆς φυλακῆς αὐτοῦ, καὶ ἐξελεύσεται πλανῆσαι τὰ ἔθνη τὰ ἐν τέσσαρσιν γωνίαις τῆς γῆς τὸν γὼγ καὶ τὸν μαγὼγ συναγαγεῖν αὐτοὺς εἰς πόλεμον, ὧν ὁ ἀριθμὸς ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης. καὶ ἀνέβησαν ἐπὶ τὸ πλάτος τῆς γῆς, καὶ ἐκύκλωσαν τὴν παρεμβολὴν τῶν ἁγίων καὶ τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην. καὶ κατέβη πῦρ ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατέφαγεν αὐτούς, καὶ ὁ διάβολος ὁ πλανῶν αὐτοὺς ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς, καὶ θείου, ὅπου τό τε θηρίον, καὶ ὁ ψευδοπροφήτης, καὶ βασανισθήσονται ἡμέρας καὶ νυκτὸς εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. καὶ εἶδον θρόνον λευκὸν μέγαν καὶ τὸν καθήμενον ἐπ' αὐτοῦ, οὗ ἀπὸ τοῦ προσώπου ἔφυγεν ἡ γῆ καὶ ὁ οὐρανὸς, καὶ τόπος οὐκ εὑρέθη αὐτοῖς. καὶ εἶδον τοὺς νεκροὺς μικροὺς καὶ μεγάλους ἑστῶτας ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, καὶ βιβλία ἠνεῴχθησαν. καὶ βιβλίον

Aliàs ὅταν τελεσθῇ.

Aliàs θρόνους.

Et uidi angelum descendentẽ de cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconẽ serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit eum, & signauit super illum, ut nõ seducat amplius gentes, donec cõsummentur mille anni. Et post hoc oportet illum solui modico tempore. Et uidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis: & animas decollatorum propter testimoniũ Iesu, & propter sermonem dei, & qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus suis, aut in manibus suis: & uixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis. Cæteri uero mortuorũ non reuixerunt, donec cõsummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In ijs secunda mors nõ habet potestatem, sed erunt sacerdotes dei & Christi, & regnabũt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, soluetur satanas de carcere suo, & exibit ut seducat gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, ut congreget eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circũierunt castra sanctorum & ciuitatem dilectam. Et descendit ignis à deo de cœlo, & deuorauit eos: et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabitur die ac nocte in secula seculorum. Et uidi thronum magnum candidũ & sedentem super eum, à cuius cõspectu fugit terra & cœlum, & locus nõ est inuẽtus eis. Et uidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu dei, & libri aperti sunt: & alius

XX. Et uidi angelũ descendentem de cœlo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconẽ serpentẽ antiquũ qui est diabolus & sathanas: & ligauit eum per annos mille: & misit eũ in abyssum: et clausit & signauit super illum ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Et post hoc oportet illum solui modico tempore. Et uidi sedes: & sederũt super eas, & iudicium datũ est illis. Et animas decollatorũ propter testimoniũ Iesu: & propter uerbum dei, & qui nõ adorauerunt bestiam neq; imaginem eius: neq; acceperũt characterem eius in frontibus aut in manibus suis: & uixerunt & regnauerunt cũ Christo mille annis. Cæteri uero mortuorũ non uixerunt, donec consummẽtur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors nõ habet potestatem: sed erunt sacerdotes dei & Christi eius: & regnabunt cũ illo mille annis. Et cum cõsummati fuerint mille anni, soluetur sathanas de carcere suo: & exibit & seducet gẽtes quæ sunt sup quatuor angulos terræ Gog & Magog: & cõgregabit eos in prælium quorum numerũs est sicut arena maris. Et ascẽderunt super latitudinẽ terræ, & circũierunt castra sanctorũ & ciuitatẽ dilectã. Et descendit ignis a deo de cœlo & deuorauit eos: & diabol⁹ qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris: ubi & bestia & pseudo prophetæ cruciabũtur die ac nocte in secula seculorum. Et uidi thronum magnum candidũ et sedentem super eũ: a cuius cõspectu fugit terra & cœlũ, & locus nõ est inuentus ab eis. Et uidi mortuos magnos, et pusillos stantes in cõspectu throni: & libri aperti sunt: &

καὶ βιβλίον ἄλλο ἠνεῴχθη, ὅ ἐστιν τῆς ζωῆς, καὶ ἐκρίθησαν οἱ νεκροὶ ἐκ τῶν γεγραμμένων ἐν τοῖς βιβλίοις κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν. καὶ ἔδωκεν ἡ θάλασσα τοὺς ἐν αὐτῇ νεκρούς, καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ἅδης ἔδωκαν τοὺς ἐν αὐτοῖς νεκροὺς καὶ ἐκρίθησαν ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν. καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ἅδης ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρός. οὗτος ὁ θάνατος ὁ δεύτερος θάνατος. καὶ εἴ τις οὐχ εὑρέθη ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς γεγραμμένος, ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρός.

καὶ εἶδον οὐρανὸν καινὸν καὶ γῆν καινήν. ὁ γὰρ πρῶτος οὐρανὸς καὶ ἡ πρώτη γῆ ἀπῆλθεν, καὶ ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἔτι. καὶ ἐγὼ ἰωάννης εἶδον τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν ἰερουσαλὴμ καινὴν καταβαίνουσαν, ἀπὸ τοῦ θεοῦ, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἡτοιμασμένην, ὡς νύμφην κεκοσμημένην τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. καὶ ἤκουσα φωνῆς μεγάλης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, λεγούσης. ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν, καὶ αὐτοὶ λαοὶ αὐτοῦ ἔσονται, καὶ αὐτὸς ὁ θεὸς ἔσται μετ' αὐτῶν θεὸς αὐτῶν. καὶ ἐξαλείψει ὁ θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. καὶ ὁ θάνατος οὐκ ἔσται ἔτι οὔτε πένθος, οὔτε κραυγὴ, οὔτε πόνος οὐκ ἔσται ἔτι, ὅτι τὰ πρῶτα ἀπῆλθον. καὶ εἶπεν ὁ καθήμενος ἐπὶ τῷ θρόνῳ. ἰδοὺ καινὰ πάντα ποιῶ. καὶ λέγει μοι. γράψον, ὅτι οὗτοι οἱ λόγοι ἀληθινοὶ καὶ πιστοί εἰσι. καὶ εἶπέ μοι. γέγονε, ἐγώ εἰμι τὸ α. καὶ τὸ ω. ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος. ἐγὼ τῷ διψῶντι δώσω ἐκ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς δωρεάν. ὁ νικῶν κληρονομήσει πάντα, καὶ ἔσομαι αὐτῷ θεός, καὶ αὐτὸς ἔσται μοι υἱός. δειλοῖς δὲ καὶ ἀπίστοις ἐβδελυγμένοις καὶ φονεῦσι, καὶ πόρνοις, καὶ φαρμακεῦσι καὶ εἰδωλολάτραις, καὶ πᾶσι τοῖς ψευδέσι τὸ μέρος αὐτῶν ἐν τῇ λίμνῃ τῇ καιομένῃ πυρὶ καὶ θείῳ, ὅ ἐστι θάνατος δεύτερος. καὶ ἦλθε πρός με εἷς τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων τῶν ἐχόντων τὰς ἑπτὰ φιάλας τὰς γεμούσας τῶν ἑπτὰ πληγῶν τῶν ἐσχάτων. καὶ ἐλάλησε μετ' ἐμοῦ, λέγων. δεῦρο δείξω σοι τὴν νύμφην τὴν γυναῖκα. καὶ ἀπήνεγκέ με ἐν πνεύματι

ERASMVS.

et alius liber apertus est, qui est uitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorũ, & dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt eos, qui in ipsis erant mortuos, et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus & mors coniecti sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. Et qui non inuentus est in libro uitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis.

Et uidi cœlum nouum, & terrã nouam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit, & mare iam nõ est. Et ego Ioannes uidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cœlo, à deo paratam, sicut sponsam ornatam uiro suo. Et audiui uocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populi eius erũt, & ipse deus cum eis erit eorum deus. Et absterſurus est deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Et mors ultra non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc uerba fidelia sunt & uera. Et dixit mihi: Factum est. Ego sum alpha & ω, initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis. Qui uicerit, possidebit omnia, & ero illi deus, & ipse erit mihi filius. Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & scortatoribus, & ueneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda. Et uenit ad me unus de septem angelis habentibus septem phialas plenas septem plagis nouissimis, & locutus est mecum, dicens: Veni & ostendam tibi sponsam uxorem agni. Et sustulit me spiritu

VVLG. EDITIO.

alius liber apertus est qui est uitæ: & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundũ opera ipsorum. Et dedit mare mortuos suos qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant: & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus & mors missi sunt in stagnũ ignis. Hæc est mors secunda. Et qui non inuentus est in libro uitæ scriptus: missus est in stagnum ignis.

Et uidi cœlum nouum XXI.
& terram nouam. Primum enim cœlum & prima terra abiit: & mare iam non est. Et ego Iohãnes uidi sanctam ciuitatem Hierũsalem nouam descendentẽ de cœlo a deo paratã, sicut sponsam ornatam uiro suo. Et audiui uocem magnam de throno dicentem: Ecce taberna culum dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt: & ipse deus cũ eis erit eorũ deus. Et absterget deus omnẽ lachrymam ab oculis eorum. Et mors ultra non erit neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Et dixit: qui sedebat in throno: Ecce noua facio oñia. Et dixit mihi: Scribe quia hæc uerba fidelissima sunt & uera. Et dixit mihi: Factum est. Ego sum Alpha & o: initiũ & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis. Qui uicerit, possidebit hæc. Et ero illi deus: & ipse erit mihi filius. Timidis autem & incredulis & execratis & homicidis & fornicatoribus & uenefícis & idololatris & oñibus mendacibus pars illorũ erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Et uenit ad me unus de septẽ angelis habẽtibus phialas plenas septem plagis nouissimis: et locutus est mecum, dicens: Veni & ostẽdam tibi sponsam uxorem agni. Et sustulit me in spiritu

μαλῦ ἐπ' ὄρος μέγα Ⓒ ὑψηλόν, Ⓒ ἔδειξέ μοι τὴν πόλιν τὴν μεγάλην τὴν ἁγίαν Ἱερουσαλὴμ καταβαίνουσαν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ θεοῦ, ἔχουσαν τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ, καὶ ὁ φωστὴρ αὐτῆς ὅμοιος λίθῳ τιμιωτάτῳ ὡς λίθῳ ἰάσπιδι κρυσταλλίζοντι, ἔχουσά τε τεῖχος μέγα Ⓒ ὑψηλόν, ἔχουσα πυλῶνας δώδεκα, Ⓒ ἐπὶ τοῖς πυλῶσιν ἀγγέλους δώδεκα, Ⓒ ὀνόματα ἐπιγεγραμμένα, ἅ ἐστι τὰ δώδεκα φυλῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Ἀπ' ἀνατολῆς πυλῶνες τρεῖς· ἀπὸ βορρᾶ πυλῶνες τρεῖς· ἀπὸ νότου πυλῶνες τρεῖς, ἀπὸ δυσμῶν πυλῶνες τρεῖς, Ⓒ τὸ τεῖχος τῆς πόλεως ἔχον θεμελίους δώδεκα Ⓒ ἐν αὐτοῖς ὀνόματα τῶν δώδεκα ἀποστόλων τοῦ ἀρνίου. Καὶ ὁ λαλῶν μετ' ἐμοῦ εἶχε κάλαμον χρυσοῦν ἵνα μετρήσῃ τὴν πόλιν, Ⓒ τοὺς πυλῶνας αὐτῆς, Ⓒ τὸ τεῖχος αὐτῆς. καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται, καὶ τὸ μῆκος αὐτῆς τοσοῦτόν ἐστιν ὅσον καὶ τὸ πλάτος, Ⓒ ἐμέτρησε τὴν πόλιν ἐν τῷ καλάμῳ ἐπὶ σταδίων δώδεκα χιλιάδων, τὸ μῆκος, Ⓒ τὸ πλάτος, καὶ τὸ ὕψος αὐτῆς ἴσα ἐστίν. καὶ ἐμέτρησε τὸ τεῖχος αὐτῆς ἑκατὸν τεσσαράκοντα τεσσάρων πηχῶν, μέτρον ἀνθρώπου ὅ ἐστιν ἀγγέλου. Ⓒ ἦν ἡ ἐνδόμησις τοῦ τείχους αὐτῆς ἴασπις καὶ ἡ πόλις χρυσίον καθαρὸν ὁμοίον ὑάλῳ καθαρῷ. Ⓒ οἱ θεμέλιοι τοῦ τείχους τῆς πόλεως παντὶ λίθῳ τιμίῳ κεκοσμημένοι. ὁ θεμέλιος ὁ πρῶτος ἴασπις, ὁ δεύτερος σάπφειρος, ὁ τρίτος καλκηδών, ὁ τέταρτος σμάραγδος, ὁ πέμπτος σαρδόνυξ, ὁ ἕκτος σάρδιος, ὁ ἕβδομος χρυσόλιθος, ὁ ὄγδοος βήρυλλος, ὁ ἔνατος τοπάζιον, ὁ δέκατος χρυσόπρασος, ὁ ἑνδέκατος ὑάκινθος, ὁ δωδέκατος ἀμέθυστος. καὶ οἱ δώδεκα πυλῶνες, δώδεκα μαργαρῖται, ἀνὰ εἷς ἕκαστος τῶν πυλώνων ἦν ἐξ ἑνὸς μαργαρίτου, Ⓒ ἡ πλατεῖα τῆς πόλεως χρυσίον καθαρόν, ὡς ὕαλος διαφανής. καὶ ναὸν οὐκ εἶδον ἐν αὐτῇ. ὁ γὰρ κύριος ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ ναὸς αὐτῆς ἐστι, καὶ τὸ ἀρνίον. Ⓒ ἡ πόλις οὐ χρείαν ἔχει τοῦ ἡλίου, οὐδὲ τῆς σελήνης ἵνα φαίνωσιν ἐν αὐτῇ. ἡ γὰρ δόξα

ritu in montem magnũ & altum, & ostendit mihi ciuitatẽ magnã, sanctam Hierusalem descendentem de cœlo à deo, habentem claritatem dei. Et lumen eius simile lapidi preciosissimo tanq̃ lapidi iaspidi crystallizanti. Et habebat murum magnũ & altum, habentem portas duodecim, & in portis angelos duodecim, et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuũ filiorũ Israël. Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres. ab austro portæ tres, ab occasu portæ tres, et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomia duodecim apostolorũ agni. Et qui loquebatur mecũ, habebat mensuram arundineã auream, ut metiretur ciuitatem & portas eius, & murum eius. Et ciuitas in quadro posita est, et longitudo eius tanta est, quanta & latitudo, & mensus est ciuitatẽ de arundine aurea per stadia duodecim milia, & longitudo & altitudo & latitudo eius æqualia sunt. Et mensus est murũ eius centũ quadragintaquatuor cubitorũ, mensura hominis quæ est angeli. Et erat structura muri eius ex iaspide. Ipsa uero ciuitas aurũ mundũ, similis uitro mũdo, & fundamẽta muri ciuitatis oñi lapide precioso ornata. Fundamentum primũ, iaspis: secundũ, sapphirus: tertium, calcedonius: quartũ, smaragdus: quintũ, sardonyx: sextũ, sardius: septimũ, chrysolithus: octauũ, berillus: nonum topazius: decimũ, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimũ, amethystus. Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt, per singulas, & singulæ portæ singulis margaritis, & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam uitrum perlucidum. Et templũ nõ uidi in ea. Dominus enim deus omnipotẽs templum illius est & agnus. Et ciuitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas

ritu in mõtem magnũ & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctã Hierusalem descendentẽ de cœlo a deo, habentem claritatem dei. Et lumen eius simile lapidi præcioso tanquam lapidi iaspidis: sicut crystallũ. Et habebat murũ magnũ & altũ, habentẽ portas duodecim: & in portis angulos. xii. & nomina inscripta quæ sunt nomina duodecim tribuũ filiorum Israel. Ab oriẽte portæ tres: ab aquilone portæ tres ab austro portæ tres: & ab occasu portæ tres. Et murus ciuitatis habẽs fundamenta duodecim: & in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum & agni. Et qui loquebat mecũ, habebat mensurã arundineã aurea, ut metiret ciuitatẽ, & portas eius, & murũ. Et ciuitas in quadro posita est: et lõgitudo eius tanta est quãta & latitudo: & mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim milia: & lõgitudo & altitudo & latitudo eius æqualia sunt. Et mensus est muros eius centum quadragintaquattuor cubitorũ: mensura hominis quæ est angeli. Et erat structura muri ei⁹ ex lapide iaspide: ipsa uero ciuitas aurum mundum, simile uitro mundo: & fundamẽta muri ciuitatis omni lapide precioso ornata. Et fundamẽtũ primũ Iaspis: secũdũ Saphyrus: tertiũ Calcedonius: q̃rtum Smaragdus: quintum Sardonyx: sextũ Sardius: septimũ Chrysolithus: octauum Beryllus: nonũ Topazius. x. Chrysopassus: undecimũ Hyacinthus: duodecimũ Amethistus. Et duodecim portæ duodecim Margaritæ sunt per singulas: & singulæ portæ erãt ex singulis Margaritis: & platæa ciuitatis aurũ mũdũ tanq̃ uitrũ perlucidũ. Et tẽplũ nõ uidi in ea. Dñs eñ deus oñipotens tẽplũ illi⁹ est & agnus. Et ciuitas nõ eget sole neq̃ luna, ut luceãt in ea. Nam

δόξα τοῦ θεοῦ ἐφώτισεν αὐτήν, καὶ ὁ λύχνος αὐτῆς ἐστὶν ἀρνίον. καὶ τὰ ἔθνη τοῦ σωζομένου ἐν τῷ φωτὶ αὐτῆς περιπατήσουσι. καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς φέρουσι τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν αὐτῶν εἰς αὐτήν, καὶ πυλῶνες αὐτῆς οὐ μὴ κλεισθῶσιν ἡμέρας. νὺξ γὰρ οὐκ ἔσται ἐκεῖ, καὶ οἴσουσι τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τῶν ἐθνῶν εἰς αὐτήν, καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτὴν πᾶν κοινὸν καὶ ποιοῦν βδέλυγμα καὶ ψεῦδος, εἰ μὴ οἱ γεγραμμένοι ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου.

καὶ ἔδειξέ μοι καθαρὸν ποταμὸν ὕδατος ζωῆς λαμπρὸν ὡς κρύσταλλον, ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου. ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς, καὶ τοῦ ποταμοῦ ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν ξύλον ζωῆς, ποιοῦν καρποὺς δώδεκα, κατὰ μῆνα ἕνα ἕκαστον ἀποδιδοῦν τὸν καρπὸν αὐτοῦ. καὶ τὰ φύλλα τοῦ ξύλου εἰς θεραπείαν τῶν ἐθνῶν, καὶ πᾶν κατάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι. καὶ ὁ θρόνος τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου ἐν αὐτῇ ἔσται. καὶ οἱ δοῦλοι αὐτοῦ λατρεύσουσιν αὐτῷ, καὶ ὄψονται τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν. καὶ νὺξ οὐκ ἔσται ἐκεῖ, καὶ χρείαν οὐκ ἔχουσιν λύχνου, καὶ φωτὸς ἡλίου, ὅτι κύριος ὁ θεὸς φωτίζει αὐτούς, καὶ βασιλεύσουσιν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. καὶ εἶπέ μοι, οὗτοι οἱ λόγοι πιστοὶ καὶ ἀληθινοί. καὶ κύριος ὁ θεὸς τῶν ἁγίων προφητῶν ἀπέστειλε τὸν ἄγγελον αὐτοῦ δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει. ἰδοὺ ἔρχομαι ταχύ, μακάριος ὁ τηρῶν τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου. καὶ ἐγὼ ἰωάννης ὁ βλέπων ταῦτα, καὶ ἀκούων. καὶ ὅτε ἤκουσα καὶ ἔβλεψα, ἔπεσα προσκυνῆσαι ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν τοῦ ἀγγέλου τοῦ δεικνύοντός μοι ταῦτα, καὶ λέγει μοι. ὅρα μή, σύνδουλός σου γάρ εἰμι καὶ τῶν ἀδελφῶν σου προφητῶν, καὶ τῶν τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου. τῷ θεῷ προσκύνησον. καὶ λέγει μοι. μὴ σφραγίσῃς τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου. ὅτι ὁ καιρὸς ἐγγύς ἐστιν. ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι. καὶ ὁ ῥυπῶν ῥυπωσάτω ἔτι. καὶ ὁ δίκαιος δικαιωθήτω

Alias καταθεμα.

claritas dei illuminauit eam, & lucerna eius est agnus. Et ambulabunt gentes, quæ seruatæ fuerunt in lumine eius, & reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam, & portæ eius nō claudentur per diem. Nox enim non erit illic. Et afferent gloriam & honorem gentiū in illam. Nō intrabit in eam quinat, aut abominationem facit, & mendaciū, nisi qui scripti sunt in libro uitæ agni.

Et ostendit mihi purum fluuium, aquæ uiuæ, splendidū tanquam crystallum, procedentem de sede dei & agni. In medio platea eius, & ex utraq; parte fluminis lignum uitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius, sed sedes dei & agni in illa erit, et serui eius seruient illi. Et uidebunt faciē eius, & nomē eius in frontibus suis. Et nox ultra nō erit, & non egent lumine lucernæ, neq; lumine solis, quoniā dominus deus illuminat illos, & regnabunt in secula seculorū. Et dixit mihi: Hæc uerba fidelia sunt, et uera. Et dominus deus sanctorum prophetarū misit angelum suum ostendere seruis suis, quæ oportet fieri cito. Et ecce uenio uelociter. Beat⁹ qui custodit uerba prophetiæ libri huius. Et ego Ioannes qui audiui & uidi hæc. Et postq; audissem & uidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat Et dicit mihi. Vide ne feceris. Cōseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorū qui seruāt uerba prophetiæ libri huius. Deū adora. Et dicit mihi: Ne obsignaueris uerba, prophetiæ libri huius. Tempus eī propè est. Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur

claritas dei illuminabit eā: & lucerna eius est agnus. Et ambulabunt gētes in lumine eius: & reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illa. Et portæ eius nō claudentur per diem. Nox enim nō erit illic: & afferent gloriam & honorē gentium in illam. Nō intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationē faciēs & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro uitæ agni.

Et ostendit mihi fluuiū aquæ uiuæ, splendidum tanquam crystallum proceden tem de sede dei & agni. In medio plateæ eius: et ex utraq; parte fluminis lignum uitæ afferēs fructus duodecim, per mēses singulos reddens fructum suū: & folia ligni ad sanitatē gentium. Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes dei & agni in illa erunt: & serui eius seruient illi. Et uidebunt faciē eius & nomē eius in frōtibus eorū. Et nox ultra nō erit: & nō egebūt lumine lucernæ, neq; lumine solis: quoniam dominus deus illuminabit illos: & regnabunt in secula seculorū. Et dixit mihi: Hæc uerba fidelissima sunt & uera. Et dominus deus spiritum prophetarum misit angelum suum ostendere seruis suis quæ oportet fieri cito. Et ecce uenio uelociter. Beatus qui custodit uerba prophetiæ libri huius. Et ego Iohannes qui audiui & uidi hæc. Et postquam audissem & uidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli qui mihi hæc ostendebat. Et dixit mihi: Vide ne feceris: Conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum: & eorum qui seruant uerba prophetiæ libri huius. Deum adora. Et dixit mihi: Ne signaueris uerba prophetiæ libri huius. Tempus enim prope est. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Et qui iustus est, iustificetur

XXII.

θήτω ἔτι, ⊂ ὁ ἅγιος ἁγιασθήτω ἔτι. ⊂ ἰδοὺ ἔρχομαι ταχὺ, ⊂ ὁ μισθός μου μετ' ἐμοῦ, ἀποδοῦναι ἑκάστῳ ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται. Ἐγώ εἰμι τὸ α̅. ⊂ τὸ ω̅. ἀρχὴ, ⊂ τέλος, ὁ πρῶτος, καὶ ἔσχατος. Μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ἵνα ἔσται ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, ⊂ τοῖς πυλῶσιν εἰσέλθωσιν εἰς τὴν πόλιν. ἔξω δὲ οἱ κύνες ⊂ οἱ φαρμακοὶ, καὶ πόρνοι, ⊂ οἱ φονεῖς. ⊂ οἱ εἰδωλολάτραι, ⊂ πᾶς ὁ φιλῶν, καὶ ποιῶν ψεῦδος. ἐγὼ Ἰησοῦς ἔπεμψα τὸν ἄγγελόν μου μαρτυρῆσαι ὑμῖν ταῦτα, ἐπὶ ταῖς ἐκκλησίαις. ἐγώ εἰμι ἡ ῥίζα, καὶ τὸ γένος τοῦ δαβὶδ. ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς ⊂ ὀρθρινός. ⊂ τὸ πνεῦμα, ⊂ ἡ νύμφη λέγουσιν ἐλθέ. ⊂ ὁ ἀκούων εἰπάτω, ἐλθέ. καὶ ὁ διψῶν ἐλθέτω. ⊂ ὁ θέλων, λαμβανέτω τὸ ὕδωρ ζωῆς δωρεάν. συμμαρτυροῦμαι γὰρ παντὶ ἀκούοντι τοὺς λόγους προφητείας βιβλίου τούτου. ἐὰν εἴ τις ἐπιτιθῇ πρὸς ταῦτα, ἐπιθήσει ὁ θεὸς ἐπ' αὐτὸν τὰς πληγὰς τὰς γεγραμμένας ἐν βιβλίῳ τούτῳ. ⊂ ἐὰν εἴ τις ἀφαιρῇ ἀπὸ τῶν λόγων βίβλου τῆς προφητείας ταύτης, ἀφαιρήσει ὁ θεὸς τὸ μέρος αὐτοῦ ἀπὸ βίβλου τῆς ζωῆς, καὶ ἐκ τῆς πόλεως ἁγίας, ⊂ τῶν γεγραμμένων ἐν βιβλίῳ τούτῳ. λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα. Ναὶ ἔρχομαι ταχὺ, ἀμὴν, ναὶ, ἔρχου κύριε Ἰησοῦ. ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. ἀμήν.

ΤΕΛΟΣ.

ficetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc, & ecce uenio cito, & merces mea mecũ est, ut reddam unicuiq; ut opus illius erit. Ego sum alpha & Ω, primus & nouissimus, principium & finis. Beati qui seruant mandata illius, ut sit potestas eorũ in ligno uitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris autem canes & uenefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Ego Iesus misi angelum meum ut testificaretur uobis hæc in ecclesijs. Ego sum radix & genus Dauid, stella splendida & matutina. Et spiritus & sponsa dicũt, ueni. Et qui audit dicat, ueni. Et qui sitit, ueniat: & qui uult, accipiat aquam uitæ gratis. Contestor enim omni audienti uerba prophetiæ libri huius Si quis apposuerit ad hæc, apponet deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de uerbis libri prophetiæ huius, auferet deus partem eius è libro uitæ & à ciuitate sancta, & ex his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimoniũ perhibet istorum. Etiam uenio cito. Amen, etiam: ueni domine Iesu. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis, Amen.

FINIS,

ficet adhuc: & sanctus sanctificet adhuc. Ecce uenio cito: & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundum opera sua. Ego sum alpha & o: primus & nouissimus: principiũ & finis. Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas eorum in ligno uitæ & per portas intrent in ciuitatem. Foris autem canes & uenefici & impudici & homicidæ & idolis seruientes: & omis qui amat & facit mendacium. Ego Iesus misi angelũ meum testificari uobis hæc in ecclesijs. Ego sum genus & radix Dauid: stella splendida & matutina. Et spiritus & sponsa dicũt, ueni. Et qui audit dicat, ueni. Et qui sitit, ueniat: & qui uult, accipiat aquam uitæ gratis. Contestor enim omi audienti uerba prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc, apponet deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de uerbis libri ꝓphetiæ huius, auferet deus partem eius de libro uitæ, & de ciuitate sancta: & de his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimonium perhibet istorum. Etiam uenio cito. Amen. Veni domine Iesu. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis. Amen.

FINIS,

FINIS NOVI TESTAMENTI TOTIVS, AD GRAECAM VERITATEM, VETVSTISSIMORVMQVE CODICVM LATINORVM FIDEM, ET AD PROBATISSIMORVM AVTORVM CITATIONEM ET INTERPRETATIONEM IAM QVARTO ACCVRATE RECOGNITI, OPERA STVDIOQVE DES. ERASMI ROT. THEOLOGIAE PROFESSORIS. ANNO M. D. XXVII.

τῷ θεῷ δόξα.

INDEX TERNIONVM.

A B C D. a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z.
A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V
x Y Z. Omnes sunt terniones, præter Z duernionem.

BASILEAE IN AEDIBVS IO. FROBENII,
M. D. XXVII. MENSE MARTIO.





4556.



Einband repariert 1936
durch Buchbinder Edwin Suter.

D. T. 12

F. G. V. 43.a

Panzer, VI. 257. 649.

Nov. test. cum versione quartae edit. cfr. F.g. V 43.



DES. ERASMI ROTERODAMI IN NOVVM TESTAMENTVM

Annotationes, ab ipso autore iam quartum recognitæ, & ex Græcis codicibus quos postea nactus est auctario neutiq; pœnitendo locupletatæ.



BIBL. COLL. ALUMNORUM

APVD INCLYTAM RAVRACORVM
BASILEAM, AN. M. D. XXVII.

L. Fuchsij.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK BASEL

IN ANNOTATIO-

NES NOVI TESTAMENTI

præfatio, primæ æditionis quæ fuit An. M. D. XV. cui tamen post admixta sunt quædam, quæ ad tempus posterius pertinent usq; ad annum uigesimum primū. Hoc te lector nescire nolui, ne quid offendaris.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS

PIO LECTORI S. D.



VANQVAM id pro nostra uirili, in ipso statim huius operis uestibulo fecimus, tamen haud absre fuerit, denuo lectorem commonere paucis, & quid illum in hisce cōmentariolis oporteat expectare, & quid nobis uicissim ab ipso præstari conueniat. Primum annotatiunculas scribimus, non cōmentarios, & eas duntaxat, quæ ad lectionis synceritatem pertinent, ne quis ut improbus conuiua pro merenda cœnam efflagitet, & requirat à nobis, quod ab argumēti suscepti professione sit alienum. Hanc in præsentia fabulam agendam suscepimus. Proinde ut nobis argumento seruiendum fuit, ita par est, ut candidus & comis lector ceu cōmodus spectator, faueat agentibus & præsenti scenæ sese accommodet. Testamentum, quod uocant, nouum omni qua licuit diligentia quaq; decuit fide recognouimus, idq; primum ad Græcam ueritatem, ad quam ceu fontem si quid inciderit confugere, nō solum illustrium Theologorum exempla suadent, uerumetiam toties monent Hieronymus & Augustinus, & ipsa Romanorum Pontificum decreta iubent: Deinde ad uetustissimorum Latinæ linguæ codicū, quorū duos exhibuit eximius ille diuinæ Philosophiæ mystes Ioannes Coletus, Paulinæ apud Londinum ecclesiæ Decanus, adeo priscis literarū typis, ut mihi ab integro discenda lectio, & in noscitandis elementis fuerit repuerascendum. Tertium præbuit illustrissima uirago Margareta



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK BASEL
BIBL. COLL. ALUMNORUM

Caroli Cæsaris amita,cuius in hac æditione tertia frequenter adduximus testimonium aurei Codicis titulo, quod totus & auro sit conuestitus,& aureis literis pulchre descriptus. Mox aliquot miræ uetustatis exhibuit Brugis,ut antiquissimum, ita longe celeberrimum Collegium, diui Donatiani. Nam ante codicem belle castigatum præbuerat collegium Corsendonkense,præter eos quos nobis eruditissimi fratres Amorbachij communicarant. Non igitur ad animi nostri somnium emendauimus quædam, sed ad horum quos recensui codicum fidem,& aliorum his similium,quos nõ perinde refert memorare. Postremo ad probatissimorum omniũ suffragijs autorũ,uel citationẽ,uel emendationẽ,uel enarrationẽ, nempe Origenis,Chrysostomi,Cyrilli,Hieronymi,Ambrosij,Hilarij,Augustini,Theophylacti,Basilij,Bedæ,quorũ testimonia complusculis locis in hoc adduximus,ut cum prudens lector perspexerit certis in locis nostram emendationem cum illorum iudicio consentire, in cæteris item nobis habeat fidem, in quibus haud scio an casu factum sit,ut illi nihil annotarint, aut alioqui suffragati fuerint. Verum quoniam sciebam hominum more fieri, ut cum omnibus in rebus,tum præcipue in studijs semper offendat nouitas,& ueterem illum gustum ac familiarem notamq; ,sicut aiunt, saliuam plerique requirant,deinde perpendens quanto facilius sit, his præsertim temporibus,emendatos libros deprauare,quàm deprauatos emendare,sacris libris recognitis,hos uelut indices annexuimus, partim ut lectori faceremus satis reddita ratione,quid cur mutatum sit,aut certe placaremus, si quid forte offenderit,ut uaria sunt mortalium tum ingenia,tum iudicia, partim ut operis incolumitati consuleremus, ne posthac cuiuis in prodiui esset rursum uitiare,quod tantis sudoribus fuerat utcunq; restitutum. Primum igitur si quid librariorum uel incuria uel inscitia,si quid temporum iniuria uitiatum comperimus,id non temere,sed omnia quæ licuit, subodorati, germanæ reddidimus lectioni:si quid obscurius dictũ occurrit,illustrauimus: si quid ambigue dictum ac perplexius,id explicuimus:sicubi uarietas exemplariorum,aut diuersa distinctio,aut ipsa sermonis ambiguitas uarios gignit sensus,sic eos aperuimus,ut ostenderemus quid nobis magis probare tur,cæterum lectori iudicium deferentes. Et quanquàm ab interprete quisquis is fuit,ob inueteratam & receptam æditionem non libenter dissentimus,tamen sicubi res ipsa palàm clamitat illum,uel dormitasse, uel hallucinatum fuisse,nõ ueriti sumus & hoc indicare lectori,ita patrocinantes ueritati,ut in neminem simus contumelioſi. Solœcismos euidentes ac prodigiosos submouimus,& ita sermonis elegantiam ubique,quantum licuit,secuti sumus,ut nihilo minor esset simplicitas. Neque piguit, ubi Græci sermonis uel ἰδίωμα uel ἔμφασις aliquid habet,quod ad mysterij rationẽ pertinet,commonstrare & aperire. Deniq; testimonia ueteris instrumenti, quæ

Annotationes

Interpres uetus.

non

non pauca citantur,uel ex interpretatione ſeptuaginta,uel ex ipſis Hebræo rum fontibus,ſi quando illorum æditio,cum Hebraica diſſentit origine,cõ tulimus & excuſſimus:quanquàm id quidem οὐκ ἄνευ θησέως, ut Græcorum habet prouerbium. Nihil enim alienius ab ingenio moribuſq; meis,quàm ad exemplum Æſopicæ corniculæ alienis me uenditare plumis. Hac igitur in parte cum primum hoc opus æderemus, non nihil adiuti ſumus opera ſubſidiaria uiri non ſolum pietate,uerumetiam trium peritia linguarũ emi nentis,hoc eſt ueri Theologi Ioannis Oecolampadij Vinimontani, quod ipſe in literis Hebraicis nondũ eò proceſſeram,ut mihi iudicandi ſumerem autoritatem. Equidem haud neſciebam,has minutias & ceu ſpinas longe plus habere ſudoris quàm gloriæ,neque multum gratiæ ex hoc genere laboris ſolere redire ad autorem,tum lectori magis uſui eſſe quàm uoluptati. Verum ſi nos tantum tædij publicæ utilitatis reſpectu deuorauimus,par eſt nimirum,ut lector item,uel ſuæ utilitatis cauſa non nihil moleſtiæ decoquat,& eum animum quem nos iuuandis alijs præſtitimus,ipſe præſtet ſibi ſuoq; commodo. Sunt hæc quæ tractamus minutiſſima fateor,ſed eiuſmodi,ut minore propemodum negocio magna illa tractari potuerint,quæ ſublimes Theologi magno ſupercilio,buccis typho crepantibus ſolent ἐκτραγῳδίζειν. Ad hæc,eiuſmodi,ut ob has minutiſſimas minutias, & illa maxima fuerint aliquoties excutienda. Minima ſunt,uerum ob hæc minima, uidemus maximos etiam Theologos nonnunquam & labi turpiter & hallucinari. Quemadmodum & locis aliquot indicabimus,non uti quenquam inſectemur(qui morbus ab opere Chriſtiano, imò à tota uita Chriſtiana quàm longiſſime debet abeſſe)ſed ut paucis exemplis citra cuiuſquam contumeliam adductis,noſtram fidem lectori probemus,ne quis has ceu nugas contemnat,quandoquidem iuxta Flacci dictum,hæ nugæ ſeria ducũt. Cur in ciborum apparatu tam moroſi ſumus,in cultu minimis etiam offendimur,in re pecuniaria nihil eſt tam minutum, cuius non habeatur ratio, in ſolis literis diuinis diſplicet hæc diligentia,placet neglectus? Vt ne dicam interim eam eſſe rei maieſtatem,ut nulla pars tam humilis eſſe poſſit, quæ ſit homini pio faſtidienda, imò quæ non reuerenter ac religioſe tractanda. Humi reptat,inquiunt,in uerbulis ac ſyllabis diſcruciatur. Cur ullum eius uerbum contemnendum ducimus, quem uerbi titulo colimus & adoramus? Præſertim cum ipſe ne minutiſſimum quidem Iota, aut apiculum in uanum abiturum teſtatus ſit. Infima pars eſt, quam uocant literam, ſed huic ceu fundamento myſticus innititur ſenſus. Rudera ſunt,ſed his ruderibus admirandi illius ædificij moles auguſta fulcitur. Diuus Hieronymus eximios aliquot Græciæ ſcriptores taxat, quod hiſtorico contempto ſenſu,ſuo arbitratu maluerint in allegorijs ludere, ſeq; ipſum deplorat, quod calidus adhuc iuuenta,prophetam Abdiam allegorice fuiſſet interpretatus

Ioãnes Occolampadius à cõcionibus ecclesiæ Augustanæ.

Horatius.

Litera.

pretatus,cuius neſciret hiſtoriam. Vt in uiliſſima concha precioſum latet margaritum,ut ſub friuola ſiliqua nobile tegitur granum, ut ſub arida minutaq; tunicula,tam miranda ſeminis uis latet,ita in uerbis,ut apparet plebeis,in ſyllabis,in ipſis deniq; literarum apiculis, ingentia diuinæ ſapientiæ myſteria condita ſunt. Qui miratur,cur ſpiritus ille diuinus ſuas opes his inuolucris tegere uoluerit,idem miretur,cur æterna ſapientia pauperis,humilis, & contempti damnatiq; hominis perſonam aſſumpſerit. Vt hæc minuta ſciret diuus Hieronymus, nec Iudæum, eumq; nocturnum aſpernatus eſt doctorem,nec ullum fugit laborem. Ob has minutias diuus Auguſtinus,iam epiſcopus,iam ſenex, ad puero ſibi faſtiditas Græcas literas reuerſus eſt. Ob has Origenes,iam canus & ſenex ceu repueraſcens ad Hebrææ linguæ deſcendit elementa, Catonem etiam illum Romanum ſuperans. Ad has minutias libenter alludit Ambroſius, reſiſtit Hilarius. Has paſſim excutit,in his pia curioſitate philoſophatur,ille non ore tantum aureus Chryſoſtomus. Et Cyrillus hunc ſecutus,grande myſterium ex articulo Græco,id eſt unica literula ὁ, depromit,hinc uelut ineuitabile telum mutuatur,quod torqueat in hæreticos. Vt ne dicam interim,quod dum hæc ex profeſſo curamus,illa tamẽ aliquoties obiter aperiuntur,etenim quẽadmodum qui ſententias enarrant,coguntur aliquoties uerborum explicare rationem,ita nos dum in uerbis explicãdis uerſamur,cogimur interim & ſententiarum uim aperire. Deniq; hæc grauioribus orſis & cœptis iam olim in Paulum commentarijs præparamus. In quibus fortaſſis apparebit, utrum iudicio,an caſu ad has minutias deſcenderim. Sed age, fingat me qui uolet,nihil aliud præſtare potuiſſe, & uel ob ingenij tarditatem, & frigidum circum præcordia ſanguinem, uel ob eruditionis inopiam, infimam hanc ſumpſiſſe prouinciam,tamen Chriſtiani pectoris eſt, qualecunq; officium boni conſulere,quod pia ſedulitate præſtatur. CHRISTVS coniectum in gazophylacium à paupercula quadrantem laudauit, rem per ſe uiliſſimam,animo æſtimans offerentis. In re uehementer præclara, uel extrema functio ſplẽdida eſt. In regijs, & qui uerrunt,& qui coquunt habẽtur honeſti. Cæterum in domo dei,quæ tandem functio faſtidienda uideri poteſt? Nos rudera comportauimus,ſed ad ſtructuram templi dei. Alij locupletio res,ebur,aurum,marmor, & gemmas addituri ſunt. Nos uiam ante ſalebris ac lamis moleſtam, induſtria noſtra conſtrauimus, ſed in qua deinde magni Theologi cõmodius eſſedis ac mannis uectentur. Nos circi ſolum æquauimus,in quo iam inoffenſius præclaras illas ſuæ ſapientiæ pompas ædant. Nos noualem antehac ſpinis ac lappis incõmodum ſarculo repurgauimus,quo facilius illi felicẽ exerceant ſegetem. Nos campũ aperuimus, amoliti quæ obſtabant,in quo qui uolent poſthac arcanas explicare literas,uel colludant liberius,uel congrediantur expeditius. Quibus uetus illa

Hieronymus.
Auguſtinus.
Origenes.
Ambroſius.
Hilarius.
Io. Chryſoſtomus.
Cyrillus.

theologia

Theologia magis arridet,ij magnum habent adminiculum, quò nituntur eluctandi. Rursus qui iuxta parabolam Euangelicam dicit, uetus uinum melius est,& huius recentioris Theologiæ studio ueterem negligit,habet is quoq; quo sua quæ mauult,certius ac fidelius tractet. Et ut nihil hinc accedat commoditatis,nihil certe perditurus est de suo,si hæc accesserint,ijs qui malunt diuinas literas è purissimis fontibus,quàm ex qualibuscunq; riuulis ac lacunis haurire,toties aliunde aliò transfusis,ne dicam ungulis suum & asinorũ perturbatis. Vt gratius est pomum, quod tuis manibus ex ipsa matre decerpseris arbore,ut dulcior aqua, quã ex ipsa uena subscatentem hauseris,ut iucundius uinum,quod ex eo depromseris dolio in quo primũ fuerat conditum:ita diuinæ literæ,nescio quid habent natiuæ fragrantiæ,ne scio quid spirant suum ac genuinum,si eo sermone legantur,quo primũ scripserunt ij,qui partim è sacro illo ac cœlesti hauserũt ore,partim eiusdem afflati spiritu nobis tradiderunt. Si Christi sermones extarent Hebraicis,hoc est,ijsdem uerbis proditi quibus ille locutus est, cui non cordi foret in illis philosophari,& non solum uerborum uim ac proprietatem,uerum singulos etiam apices excutere? Certe quod huic est proximum habemus,& negligimus. Si quis ostentet Christi uestem,aut pedis uestigium, procumbimus,adoramus,exosculamur. Atqui ut uniuersas illius uestes,& totam maternæ domus supellectilem proferas,nihil est quod Christum expressius,efficacius,absolutius referat,exprimat,repræsentet, quàm Euangelistarum & Apostolorũ literæ. Proinde si cui aut nõ licet,aut nõ libet,in his sacris uersari delicijs,certe ne obstrepat,ne obturbet,ne inuideat meliora conantibus. Amplectant ipsi quod amant,habeant,fruãtur. Nemo uetat. Nos illis hæc nõ scripsimus. Sed erunt è diuerso quibus hæc admodũ pauca uideantur,& malint nihil cũ æditione uulgata cõuenire. Verũ non hoc egimus,ut sermo politior esset,sed ut emendatior,ac dilucidior:nec erat hic in scyrpo, quod aiunt,quærendus nodus. Quin illud potius optandũ est omnibus, ut nihil uspiam sit obuium in sacris literis,quod hanc operam postulet. In Euangelijs, quoniam per se dilucidus ac propè semet explicans historiæ tenor simplici & inaffectato sermone profluit,ne fieri quidem potuit, ut admodũ multa uitiare potuerit,uel interpres uel librarius. Quanquàm hæc ipsa,si quis ad summam expendat,nimium etiam multa sunt,illic ubi nullum oportebat subesse scrupulum. Cæterũ in epistolis Apostolicis ob sermonis pariter & sententiarum obscuritatẽ,plura necesse fuit immutare. Nos interim adnotandi diligentiam ita moderati sumus,ut nec superstitione molesti, nec in diligentia diminuti uideremur. Rem autem omnem quàm potuimus paucissimis uerbis indicauimus magis quàm explicuimus, ne negocio suapte natura parum amœno,loquacitatis quoque tædium adderemus. Pium est opus,Christianum est opus. Proinde te quæso lector optime, ut tu quoq;

uicissim

uicissim pias aures,& Christianũ pectus ad legendũ adferas. Ne quis hæc eo animo in manus sumat,quo fortassis sumit noctes Gellianas aut Angeli Politiani miscellanea,uidelicet quo neruos ingenij, uim eloquentiæ,& eruditionem rettusam,uelut ad Lydium exigat lapidem. In re sacra uersamur,& in ea re,quæ simplicitate puritateq; potissimum est orbi commendata.In qua ridiculum sit humanam eruditionem ostentare uelle,impium humanam iactare eloquentiam,quam etiam si forsan adesset,dissimulare conueniebat,ne quis merito possit obijcere τὸ ἐν φακῇ μύξον. Simplici puroq; studio tradidimus hæc Christianis auribus, quo posthac in sacrosancta hac philosophia,& plures uersarentur,& lubentius, deniq; ut minore cum negocio,ita maiore cum fructu.Christum ipsum,quo teste & adiutore molimur hæc,parum mihi propicium imprecor,nisi ex hisce laboribus adeo nihil uenamur emolumenti, ut magnam etiam certamq; rei pecuniariæ iacturam scientes ac uolentes acceperimus. Porrò famæ dulcedine tantum abest ut titillemur,ut ne nomen quidem nostrũ fuerimus asscripturi,ni ueriti fuissemus,ne hac ratione operis minueretur utilitas:quod apud omnes suspecta res sit liber ἀνώνυμος. Nos ad utrunq; iuxta parati sumus, ut uel rationem reddamus si quid recte monuimus,uel ingenue confiteamur errorem,sicubi lapsi deprehendimur.Homines sumus,& humani nihil alienum à nobis esse ducimus. Hoc igitur animo cum ego dederim hæc optime lector,fac ut tu quoque simili accipias.Ea res utrique nostrum commodo futura est.Nam & tu plus capies utilitatis,si libenter & candide quod donatur acceperis,& me mearum uigiliarum minus pœnitebit,si cognouero bonis usui fuisse. Quod si quis existet, uel adeo præfractus ac morosus, uel adeo durus & iniquus,ut nullis incantamentis deliniri queat, ab hoc certe uel precibus illud impetrare nitar, ut illud saltem æquitatis tribuat pijs studijs, quod tribunalia tribuunt parricidijs & sacrilegijs. Illic turpe iudicatur,si cognitionem anteuertant calculi,nec pronunciatur, nisi causa diligẽter excussa.Legat prius ac inspiciat, deinde si uideatur, damnet ac reijciat.Superbum est de libro ferre sententiam,quem non intelligas,superbius & de eo quẽ ne legeris quidem. Vale lector quisquis es, quẽ etiam atq; etiam rogo, ut si quid fructus è nostris excerpseris lucubrationibus,officij memor sicuti Christiano dignũ est,me uicissim pijs uotis Christo cõmẽdes,à quo uno solidũ laboris huius præmiũ expectamus.

Calculi ne cognitionem anteuertant.



IN NOVVM TE-

STAMENTVM, PRIMVM AD GRAECAM VE/ritatem,deinde ad uetuſtiſſimorum Latinæ linguæ codicum fi/dem,poſtremo ad probatiſſimorum ſcriptorum citationẽ & enar rationẽ quartũ iam diligenter recognitum,cumq; ſuis collatũ fon tibus,adnotationes ERASMI ROTERODAMI,in qui bus aperitur quibus locis noſtra uulgata æditio,cum Græcorum uoluminibus,uel congruat,uel diſſonet,ubi deprauatior,ubi caſti gatior. Quod deprauatum erat,emẽdatur:quod obſcurum, explanatur:quod anceps & impeditum,expeditur:quod intolerabili ſolœciſmo fœdum, reſtituit. Et non ſo/lum id agitur,ut caſtigata ſit lectio, ſed ne in po/ſterum quoq; facile deprauari poſſit.



EVANGELIVM ſecundum Mat/thæum) εὐαγγέλιον Græce ſonat bonũ nuncium. Quanq; Homerus in Odyſ/ſea hoc uerbo eſt uſus, p præmio quod dari ſolet lætum adferenti nuncium. Igi tur hiſtoriam euangelicam,nec prophe tiam uocauit, nec aliud ſimile:ſed rem nouam,nouo uocabulo ſignauit,quem admodum & Chriſtus apoſtolis uo/cabulum innouarat.

Liber generationis) Nominatiuus eſt abſolute poſitus,ceu ui/ce tituli. Nam Matthæus, & Marcus prophetico more ingreſſi ſunt euãgelicam hiſtoriam:ſiquidem prophetæ ſolent à titulo ex/ordiri: Viſio Eſaiæ filij Amos. Et, Verba Hieremiæ filij Helciæ. Ita & Marcus:Initium euangelij Ieſu Chriſti. Quanquam uideo Herodotum ad conſimilem modum ſuam exorſum hiſtoriam: Ἡροδότου ἁλικαρνασσέος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε:Et Lucianum libellum de Aſtrologia, Ἀμφί τε οὐρανῶν, ἀμφί τε τῶν ἀστέρων ἡ γραφή. Vt appa/reat gentis etiam fuiſſe conſuetudinem. Quanq; hic titulus non eſt uniuerſi argumenti:nec enim complectitur ſummam hiſtoriæ euangelicæ,ſed initium ac fontem duntaxat.

Filij Dauid,filij Abraham) υἱοῦ Δαβίδ, υἱοῦ Ἀβραάμ. Græcus ſermo non nihil habet ambiguitatis:poteſt enim hic eſſe ſenſus,filij Da/uid,qui Dauid fuit filius Abrahæ:Poteſt & ſic accipi,ut intelliga/tur Chriſtus eſſe filius utriuſq;. Porrò filium uocat nepotem:quẽ admodum fratres uocant Hebræi, non ſolum ijſdem prognatos parentibus ſed & aliâs ex eadem generis ſerie propagatos. Illud obiter adnotandum, Matthæum genealogiæ recenſionem accõ/

a modaſſe,







modaſſe,ijs quibus ſcripſit hoc euangeliũ. Scripſit enim Hebræis,nimirũ ut creditur Hebraice,quorum affectibus ſciebat fore gratiſſimum,ſi perſpexiſſent Chriſtum eſſe filium Abraham ac Dauid,quorum memoria apud illos erat ſacroſancta:& ad quos de Chriſto præceſſerat pollicitatio. Contra Lucas, quia gentibus ſcripſit euangelium, ab Adam ad ipſum uſq; deũ,porrigit genealogiæ ſeriem,ut intelligerent Chriſti gratiã,non ad Iudæos ſolũ,ſed ad uniuerſum quoq; mortaliũ genus pertinere. Indicauit hoc & Chryſoſtomus. Porrò Dauid priorem nominat:non ſolum ob id quo cõmodius citraq; repetitionem genealogiæ ſeries texeretur,quam cauſam reddidit diuus Hieronymus,uerũetiam quod huius eſſet apud Hebræos & reuerẽtior,& celebrior memoria,quod adfert Chryſoſtomus.

Chriſtus cur Abrahæ ac Dauid filius dictus.

Genuit Iſaac.) ἐγέννησε τὸν Ἰσαάκ. Græcus interpres,quiſquis is fuit. Nam autore Hieronymo,conſtabat olim hoc euangelium à Matthæo ſcriptum Hebraice fuiſſe,quod tamẽ Chryſoſtomus non audet aſſeuerare. Sed dicitur,inquit,quod quantumuis conſtet, ego tamen malim extare quàm conſtare. Etiam ſi ſunt qui putent à Ioanne uerſum in linguã Græcam. Etenim quantum ipſe memoria cõſequor,nuſq; Hieronymus euidenter indicat ſe uidiſſe Matthæi euangeliũ Hebraice ſcriptũ,maxime cũ profiteatur ſe quatuor euãgelia ad Græcam ueritatem emẽdaſſe,cumq; in hoc unũ ſcripſerit cõmentaria. Tum quod in hoc euangelio non pauca citentur ex libris ueteris teſtamenti,quæ uideantur ab ipſis fontibus diſſidere. Vt uel hæc occaſio compulſura fuerit Hieronymũ, ad archetypũ Matthæi confugere:maxime cum id alijs in locis frequenter,non admodum graui de cauſa ſoleat,gaudeatq; facere. Porrò quis ex Hebraico ſermone uerterit in Græcum, ne id quidẽ ullo modo cognitum. Adeo uacabat illa ætas omni ambitione. Sed ut cœperam,quiſquis fuit interpres,Hebraicis nominibus diligenter ſuos addidit articulos:ut,quoniam barbarica ſunt uocabula,nec ulla caſuum inflexione uariantur,lector hoc modo ſexum & caſum poſſet diſtinguere, τὸν Ἰσαὰκ,ἐκ τῆς Θάμαρ. Iam illud minutius uideri poterat,quàm ut admoneretur,niſi nunc potiſſimũ in eo negocio uerſaremur,uariare Græcos codices,in quibuſdam addi. μ.ἐφελκτικὸν, in pleriſq; non addi. ἐγέννησε non ἐγέννησεμ. Siquidẽ Attici perpetuo addunt, ſiue ſequatur conſonans, ſiue uocalis,Iones contra. Argumento eſt illud apud Ariſtophanẽ in Pluto, καὶ μάντις,ὥς φασιμ,σοφός. Etenim ſi φασὶ legas non conſtabit metri ratio. Poſterioris exemplum eſt illud Homericũ: ἠτίμησ' ἀρητῆρα, pro ἠτίμησεμ ἀρητῆρα. Et quod paſſim eſt apud Græcos ἔθ' ὅτι pro ἔσιμ ὅτι. Proinde nõ eſt quod ea res magnopere moueat lectorem,ſiue reperiat additũ μ,ſiue ſecus. Etiamſi nos cõmunem Græcorum linguam in hoc ſecuti ſumus,addito μ,quoties ſequitur uocalis,omiſſo quoties ſequit conſonans:præſertim cũ uideremus in hoc pleroſq; Græcorum codices conſentire.

N. epheltico

Euangelium Matthæi an Hebraice ſcriptum.

De Thamar.) ἐκ τῆς Θάμαρ. De Rahab ἐκ τῆς ῥαχάβ. Mirum cur interpreti Latino magis placuerit præpoſitio de quàm ex. Quis enim dicitur genuiſſe aut ſuſcepiſſe filium de illa,ac non potius ex illa? Non quod neſciam alicubi reperiri de,poſitũ pro ex apud probatos autores. Verum & uitandum arbitror,quod eſt inuſitatum:& ſtultum fuerit ſi quis putet hoc paſſim licere,quod uno aut altero loco ſibi permiſit ſcriptor aliquis. Quis enim ferat ſi quis dicat,Cognoui de literis tuis,cũ Latine dicamus,Cognoui ex literis tuis. Cæterum Græci,quoniam non habẽt quo aſpirent uocalẽ,niſi in principio dictionis,Hebraicam aſpirationem ה,quomodo poſſunt exprimunt per χ,ſic, רָחָב ῥαχάβ. Et ad eundẽ modum hodieq; ſonant Iudæi,ſicuti narrãt, Hiſpani eam literam. Certe Rachab ſcriptũ coperi in bibliotheca illuſtriſſimæ D. Margaretæ, fœminæ ſupra ſexus modum, omni uirtutum genere cumulatæ, planeq; dignæ & Maximiliano patre,& Philippo fratre, & Carolo Cæſare,Ferdinandoq; nepotibus:quorũ alterum eò felicitatis euexit fauor numinis, ut uix ab homine ſit optanda maior felicitas:alter ſic ornatus eſt omnibus heroicis,uereq; regijs dotibus,ut nulla poſſit accidere tam ingens fortuna,quæ ueris & propriis illius bonis non uideatur inferior. Atq; utinam exemplum Margaretæ uel uiri imitẽtur, malintq; quod datur uacui temporis à negocijs,lectione bonorum uoluminum cõſumere,q; luſibus aut inanibus fabulis terere. Codex eſt inſignis,totus aureis conſcriptus literis. Seruat Mechliniæ,ſi quis forte uolet fidei meæ periculum facere. Indicauit & hoc Hieronymus alicubi. Theophylactus dubitare uidetur,an hæc fuerit Rhaab quæ exceperit explaratores Hebræos Hierichonte, ſic enim loquitur,putant quidam.

Hebræã aſpirationẽ Græci exprimunt per χ.

Dauid

Dauid regem.) Interpres addidit articulum τὸν βασιλέα, ueluti diſcernens eum ab alio quopiam Dauid, qui nō fuerit rex: uel hoc agens, ut hic inſigniter rex intelligatur: cū alios multos reges commemoret, nulli tamen aſſcribens regij cognominis honorem. At mox cū Dauid repetit, inculcat ad eundem modum regis cognomen articulo præmiſſo, ut recentem illius ac celebrem apud Iudæos memoriā, tituli quoq; honore cōmendaret. Porrò ſi ideo addidit articulum, quod hic primus omnium rex fuerit eorum qui recenſentur in genealogia, ſufficiebat addere βασιλέα, ſine articulo. *Dauid cur ſolus cognominetur rex.*

Ex ea quæ fuit Vriæ.) ἐκ τῆς τοῦ οὐρίου, id eſt, Ex uxore Vriæ, ſiue ex ea quæ fuerat uxor Vriæ. Nam in huiuſmodi Græcus articulus fungitur uice nominis quod ſubauditur. Cū autem paulopoſt uertat τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, filium Zebedæi: quemadmodum ſcriptum comperi in nonnullis exemplaribus: quæ tandem erat religio hic uertere uxorem Vriæ? Illud adnotandum, cur maluerit hac nota ſignare Bethſabee, quàm proprio uocabulo, ſiue quod res ipſa notior eſſet ipſo mulieris nomine, ſiue quod ad myſterium Chriſti & eccleſiæ pertinebat, eius facti refricuiſſe memoriam. *Berſabeæ nomen cur non ponatur.*

In tranſmigratione Babylonis.) A nobis quidem ſatis percipitur ſenſus, ſed quibus ex Hebræorum annalibus cognitum eſt Iudæorum gentem per Nabuchodonoſor regem, Babylonem ductam fuiſſe captiuam, ac rurſus per Eſdram ſuis ſedibus reſtitutam. Cæterum ex his uerbis, nihil aliud intelligi poteſt, quàm uel Babylonē ipſam aliquò demigraſſe, uel Babylonem alios aliquò traduxiſſe, ſi tranſmigrationem uſurpes actiue. Atqui ſermonis uſus in hoc adhibetur, ut per eum cognoſcant, diſcantq; rem, ij quibus antea fuerat incognita, non ut agnoſcamus, ac diuinemus, quod prius noueramus. Recte monet Fabius amphibologias eſſe uitandas, quoad fieri poteſt, etiam ſi ſenſus nihil recipiat ambiguum: Veluti ſiquis dicat, Video ſtruthiocamelum deglutire ferrum. Nec enim periculum eſt, ne ferrum deglutiat ſtruthiocamelum. Id igitur multomagis cauendum, quoties aut anceps redditur ſententia, aut abſurda, aut nulla. De quo diligenter admonet Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana tertio. Verti poterat, Poſteaq; demigratum erat Babylonem, &, Cum demigraſſent Babylonē, aut, poſteaq; deducti fuerant Babylonem: ſi cui placet μετοικῆσαι uſurpare tranſitiue, aut, In demigratione Babylonica. Quāquam planius etiam erat in exilio ſeu captiuitate Babylonica, &, Poſt exilium aut captiuitatem Babylonicam. Siquidē euangeliſta, rei acerbitatē, uerbi lenitate tēperauit, captiuitatē & exiliū, de migrationē appellans μετοικεσίαμ, quod conuenit & in eos, qui ſua ſponte ſedes ac domicilia mutāt. Et hoc quoq; tēpus quod actū eſt apud Babylonios imputari in rationē genealogiæ putat Chryſoſtomus. Porrò trāſmigrādi uerbū eſt apud Suetoniū in Tiberio Cæſare: tametſi demigrare Latinius eſt, quemadmodū idem dixit, tranſportauit, p deportauit. *Omnis amphibologia uitanda.* *Tranſmigratio pro exilio.*

Iechonias genuit Salathiel.) Admonet diuus Hieronymus, ſi Iechonias ad finem ſuperioris τεσσαρεσδεκάδος referatur, in proxima non eſſe quatuordecim, ſed tredecim dūtaxat: Vnde putat hunc Iechoniam, qui eſt Salathiel non fuiſſe filium Ioſiæ, quem in proxima ſerie poſtremum recenſuit, ſed illius filium. Cæterum Iechoniam uocari, qui idem uocetur Iehoiachim: uerum patrem à filio diſtinguí duabus literulis. Nam illum יְהוֹיָקִים Iehoiakim dici per ק &, ם, id eſt, per k & m: hunc יְהוֹיָכִין Iehoiachin per כ ch & ן n. Tametſi fatetur, hanc ſcripturæ differentiam apud Græcos, pariter ac Latinos ſcriptorum uitio, & longitudine temporū prorſus eſſe confuſam: alioquin & בַּת־שֶׁבַע Bathſcheba, p Betſabee dicendum, unde ne nos quidem quicq; auſi ſumus immutare.

Virum Mariæ.) τὸν ἄνδρα μαρίας. Dicere poterat & æque Latine, & haud ſcio an uerecundius, maritum Mariæ. Etiam ſi non ſim neſcius, & apud Latinos inueniri uirum pro marito. Nam hæc affinitatis ſunt nomina, non coitus. Quod ſi quis abhorret à uocabulo mariti, audiat Auguſtinum ita loquētem lib. aduerſus Fauſtum xxiij. Primo, inquit, quia maritus eius fuerat, propter uirilem ſexum potius honoranda perſona. Neq; enim quia concubitu non permixtus, ideo non maritus. Porrò quæ Valla cauillatur hoc loco de Maria & Mariam, minutiora iudicaui, quàm ut his lectorem uoluerim onerari. Præſertim cū ſi qui forte requirant, ab illius commentarijs per nos olim æditis petere poſſint. *Vallæ annotationes.*

De qua natus eſt Ieſus.) ἐξ ἧς ἐγεννήθη. Ex qua genitus fuit Ieſus. Eſt enim paſſiuum eius uerbi, quod toties uertit genuit ἐγέννησεμ. Nihil enim eſt quod quenq; moueat ille ſcrupu-

Gignit & mulier.

lus,improprie dici gignere mulierem,cum idoneis argumentis declarauerit Valla, tum apud Græcos,tum apud Latinos gignere & gigni, tam mulieri competere, quàm uiro. Nec abs re ridet hoc in loco quorundam inscitiam,qui uelut oraculum pronunciant discrimen inter has duas præpositiones,de & ex:quasi sic loquendum sit perpetuo, conceptus de spiritu sancto,natus ex Maria uirgine,cum apud Græcos eadem sit præpositio ἐκ, quam interpres suo arbitratu nunc de uertit,nunc ex,utcunq; uisum fuerit. Certe hic locus palàm refellit friuolam & commentitiam illorum distinctionem.

Qui uocatur Christus.) ὁ λεγόμενος χριστός. Quoniam apud Hebræos plures fuerunt huius nominis,ut Iesus filius Naue,& Iesus sacerdos,idcirco cognomine addito discreuit à cæteris.Quanq; uideo doctos aliquot in hac esse sententia,ut existiment seruatoris nostri Iesu nomen nonnihil diuersum esse,à ducis Iesu & Iesu sacerdotis uocabulo,quod Hebræis scribitur יְהוֹשֻׁעַ Cæterum nostri Iesu nomen ijsdem scribi literis,quibus olim infabile dei nomen signabatur,interposita una duntaxat consonante Sin. Quod utinam tã doceri possit solidis argumentis,quàm dictu plausibile est & gratiosum auribus Christianorum.Optarim equidem uel hanc unam ob causam extare euangelium Matthæi uerbis & literis Hebraicis scriptum. Quod si esset, nihil negocij foret, hanc de nomine Iesu opinionem,uel refellere,uel astruere.Porrò Christus Græce unctum significat,quo uocabulo Hebræi signant regem:quod apud illos inungi soleant,qui regni susciperent honorem,atq; hoc nomine suũ illum nimiũ iam diu expectatum appellant מְשִׁיחַ Messiah Hebræi,uno uocabulo,simul & regis & sacerdotis dignitatem explicantes. Nam utriq; communis est unctio,& utraq; dignitas uni competit Christo.Illud tametsi leuiculum est, tamen obiter admonuisse,non abs re fuerit, clericorum uulgus in templis primam Christi syllabam exilem sonare,hoc est,per cappa,non per chi:ut quoties Christum uocandi causu compellant,cristas alloqui uideantur,non Christum.Atqui non offẽditur ille barbarismis,fateor,at idem non delinitur.Detur sanè uenia,ijs qui per inscitiam simpliciter erraue rint,At si iure optimo tantum honoris defert ecclesia huic nomini,ut eo pronunciato, corpus inflectat, caput aperiat,genua curuet,qui sit piæ mentis,non grauabitur,opinor,tantillum operæ sumere, ut uoces illas sacrosanctas, quantum in ipso est, integre,& emendate ꝓnunciet.Et sicuti Christianæ mansuetudinis est,non acerbius insectari, conuicijsue percellere simpliciter errãtium imperitiam,nec in huiusmodi leuiculis erratis atroces mouere tragœdias:ita rursus Christianæ simplicitatis est,eruditiorum monitis libenter obsequi.Alioqui siquis admonitus obstinate persistat in erratis,ac monitorem cui gratiam debebat,ultro rideat & incessat:atq; id denicq; postulet,ut illi secum errent potius,hoc est,ut uidentes cæcum sequantur errantem,citius q̃ ipse errorẽ mutet,quis non intelligit quantũ hic absit ab illa Christiana simplicitate,cui uenia debebatur? Et si deus odit fastuosam peritiam,quantopere tandem credimus illum auersari supercilioſam,& intractabilem inscitiam? Non ferant ipsi,si quis pro Petro Phetrum, aut pro Philippo Pilipphum appellet:nec aliam ob causam id non ferant,nisi quia sic ipsi non soleant loqui.Et tamẽ in ijs, in quibus fœdior est lapsus,admoneri se non patiuntur.

Christus Græce, Messiah Hebraice,unctus Latine.

Christe,non Criste ꝓnũciandum.

Omnes generationes.) πᾶσαι γενεαί. Græca uox πᾶς anceps est ad omne, ad quidlibet & ad uniuersum,unde hic magis quadrabat uniuerso, quãdoquidẽ significat rei summa.

Generationes quatuordecim.)Origenes in commẽtarijs quos scripsit in epistolam ad Rhomanos,& diuus Hilarius in expositione canonis in Matthæum, indicant à Dauid, usq; ad id temporis,quo deducti sunt Babylonem, non quatuordecim,sed septemdecim deprehendi generationes:idq; neq; mendacio,neq; negligentiæ uitio,sed consulto factũ, ut tres in medio generatiões præteritæ fuerint.Nam iuxta Matthæũ Ioras genuit Oziã, cum is quartus ab illo sit.Siquidem ut refertur libro Regum quarto, Ioras genuit Ozochiam,Ozochias Ioan, Ioas Amasiam,Amasias Oziam,quem eundem nonnunquam & Azariam uocant.Origenes contemnit literã,idq; facit suo more.Hilarius ideo putat præteritas,quod Ioras ex gentili fœmina suscepisset Ozochiam.Præterea quia per prophetam erat prædictum,non sessurum in throno regni Israëlis,usq; ad quartam generationẽ, labem ethnici generis,euangelista uoluit abolere silentio.Sed hæc ad institutum proprie non pertinent,præsertim cum cõsentiant omnium Græcorum & Latinorũ exemplaria.

Cur in genealogia prætermissi quidam.

Nam

Nam quod ſcribit Hilarius in quibuſdam inueniri codicibus,de Regum libris ſentit opinor. Verũ hac de re diligentius tractat diuus Hieronymus hunc enarrans locum.Illud expendat diligens lector,qui conueniat hic euangeliſtam offenſum fuiſſe quorũdam impietate,cum ante Ruth poſuerit & uxorem Vriæ,& Rahab ſcelere nobiles fœminas.

Chriſti autem generatio.) ἡ γένεσις. Mea ſententia rectius erat natiuitas quàm generatio,uel ob id quo uitaretur amphibologia:etiam ſi nobis non eſt ambiguum. Alioqui generatio non ſolum ad naſcentem,uerumetiam ad generantẽ pertinet.Et Latinius erat, Sic habebat quàm ſic erat,ſenſu nihil immutato.Leuiculũ eſt,quod in Græcis codicibus habetur Ieſu Chriſti, τοῦ κε ιησοῦ χριστοῦ. Suſpicor autem additum Ieſu,uel à ſcriba,uel ex conſuetudine recitationis eccleſiaſticæ.Nam neq; Chryſoſtomus quicquam attingit de nomine Ieſu,cum de Chriſto hoc eſt Meſſia,faciat mentionem. Et ad contextum ſermonis non perinde congruit additum Ieſu nomen.Sic enim habet:Et à tranſmigratione Babylonis uſq; ad Chriſtum generationes quatuordecim.Chriſti autem generatio ſic erat. Repetitur uox Chriſti è proximo.Eleganter autem hac ceu præfatiuncula excitauit auditoris animum,rem inauditam ac prodigioſam narraturus.

Cũ eſſet deſponſata.) Deeſt apud nos cõiunctio γάρ,id eſt,enim.μνηστευθείσης γάρ.Quanq; ea nihil habet momẽti,niſi quod narrationẽ cũ pollicitatione præcedẽti cõnectit. Eſt aũt apud Græcos uox ei rei quã declarat accõmodatior,magisq; peculiaris. Siquidẽ illi μνηστῆρας uocãt,q puellæ nuptias ambiũt,q Latinis dicũt proci.Et μνηστεύειν tradere ſpõſam proco.

Mater Ieſu Maria.)Mater eius eſt Græce.Nam Chriſti paulo ante meminit,ne uidea tur de alio quopiam ordiri ſermonem, τῆς μητρὸς αὐτοῦ. Atq; ita ſcriptum legitur in perue tuſtis Latinorum exemplaribus,nominatim in duobus,quæ mihi in ſecunda recognitione aderant,Paulino & Corſendoncenſi.Itidem in aureo codice Margaretæ,conſentientibus quatuor uetuſtiſſimis exemplaribus,quæ nobis præbuit collegium diui Donatiani Brugis.Et ad eum modum citat Origenes in homilia,quæ uulgo legitur in cultu eccleſiaſtico,uarijs nominibus explicans uim eius pronominis eius.Neq; ſecus legit Chryſoſtomus homilia in Matthæum quarta,cũq; hoc Theophylactus. *Exemplaria uetuſtiſſima.*

Priuſq; conuenirent.) πρὶν ἢ συνελθεῖν. Verecunde ſignificat coniunctionem uxoris & mariti. Alioqui conueniunt potius qui concordant,aut qui in eundem congregantur locum. Congredi tamen & congreſſum legimus pro conſuetudine mariti & uxoris. Quanq; & coire quondam uerbum uerecundum,poſtea factum eſt uſurpatione parum caſtũ. Eos uero qui ex hoc loco ſumunt anſam inſaniendi,ut dicant Mariam poſtea more uulgari fœminarũ peperiſſe filios,abunde refellit Hieronymus ſcribens aduerſus Heluidiũ, & Chryſoſtomus hunc ediſſerens locum.Denicq; ſuffragatur & Laurentius exemplis ali quot ex ethnicorũ quoq; libris in medium adductis.Nam id additum eſt ab euangeliſta, nõ ut quod ſecutũ eſſet ſignificaret,ſed ut inuſitatæ rei miraculũ aperiret. Perinde quaſi dicat aliquis,iudices de cauſa pronunciaſſe priuſq; cauſam cognoſcerent:cum iuxta ſolẽnem morem prius audiant iudices q; ferant ſententiam.Qui ſic loquitur,non hoc ſentit, iudices cognouiſſe cauſam, poſteaq; tulerint ſentẽtiã. Vt igit illic priuſq; cauſam cognoſcerent,nihil aliud eſt q; nõ cognita cauſa,& citra cauſæ cognitionẽ:ita hic priuſq; coirẽt, nihil aliud eſt,q; ſine congreſſu cõnubiali,ſiue abſq; coitu.Cæterũ ut res eſt geſta,ita narrat euangeliſta,non ut ipſe nouerat.Nondum intelligebat Ioſeph myſterium: grauidam uidet:congreſſum non interceſſiſſe nouit,& idcirco nondum euangeliſta pronunciat uirgineum eſſe conceptum,donec angelum id aperientem producit. Quis enim hominum ſuſpicaretur,mulierem è ſpiritu cœleſti concepiſſe fœtum humanum? Sed minus offendiculi habiturus erat ſermo,ſi uertiſſet per præteritum tempus,Priuſq; cõueniſſent, ſiue ut nos uertimus,priuſq; cõgreſſi fuiſſent.Siquidẽ mollius eſt,priuſq; cognouiſſent cauſam, damnauerunt reum,q; priusq; cognoſcerent.Iam enim magis uidet cognitio ſequutura. *Conuenire, pro coire.* *Error Heluidianorum.* *Priusq; quomodo accipiẽdum.*

Inuenta eſt in utero habens.) εὑρέθη. Cur non potius deprehenſa eſt,aut certe reperta? Nã inuenimus quod quærimus,Deprehendimus,quod latebat,præſertim in flagitijs.Reperimus,uel caſu obuia,uel præter ſpem oblata.Porrò participium ἔχουσα uice uerbi infiniti poſitum eſt.Deprehenſa eſt habens,pro eo quod eſt,Deprehenſa eſt habere.Annotauit ſup hoc uerbo nõnihil & Chryſoſtomus homilia quarta,ſignificans id reperiri, quod *Inuenire,reperire,deprehendere.*

nouum præter ſpem,ac præter expectationem compertum ſit. Mirum eſt autem quam ob cauſam interpretem Latinum,delectauerit ea περίφρασις, In utero habẽs,pro grauida, ſiue prægnante:cum hæc non ſolum idem ſignificent,ſed & uerecundius. Nam ferre uterum dicunt Latini. Quanꝯ enim in utero habere Græcis eleganter & uſitate dicitur,at Latinis non itidem. Proinde Matthæus,aut huius interpres Græcus eleganter dixit, ἐν γαστρὶ ἔχουσα. Quandoquidem Athenæus libro Dipnoſophiſtarum decimo ſcribit hũc in modũ de Iſchomacho mimo: καὶ πτωχῆς τινὸς τῆς γαστρὸς πονούσης, ἐπεὶ ὁ ἰατρὸς ἐπυνθάνετο, μὴ ἐν γαστρὶ ἔχῃ, πῶς γε εἶπεν, ἔτι αἱ μὴ βεβρωκυῖα; id eſt,Et cum pauperculæ cuidam doleret uterus,ac medicus interrogaſſet,num in utero haberet,qui poſſit, inquit, cum triduo nihil ederit. Cauillum in hoc eſt,quod cum medicus ſentiret,num grauida eſſet mulier, mimus ex ambiguo ſumpſit anſam iocandi. Verum de hoc mox paulo plura dicemus.

Iocus mimi ex Athenæo

De ſpiritu ſancto.) ἐκ πνεύματος ἁγίου, id eſt,è ſpiritu ſancto. Nihil eſt enim quod nos moueat factitia quorundam differentia, Quanquàm hic quoque,loco uiri poſitus eſt ſpiritus ſanctus. Siquidem lector audiens illam cum marito non fuiſſe cõgreſſam,& iam ferre uterum,ſtatim cogitaturus erat,ex quo igitur alio uiro? Proinde mox excludit hãc cogitationem,non ex uiro,inquiens,ſed ex ſpiritu ſancto. Illud perpendat uelim, prudens, ac uigilans lector,num hoc loco locus ſit diſtinctioni diui Auguſtini,quam tradidit libro de natura boni,quem ſcripſit aduerſus Manichæos capite uiceſimo ſexto. Ex aliquo recte dici,quicquid de illo ſit,at non retrorſum. Ex deo ſiquidem omnia ſunt,uelut ab autore,at non de deo,quod res conditæ,non ſint participes ſubſtantiæ diuinæ. Sed humanus ille fœtus,quatenus erat humanus,iuxta prædictam diſtinctionem accommodatius,opinor, dicetur è ſpiritu ſancto, quàm de ſpiritu ſancto. Certe apud Græcos eadẽ eſt præpoſitio,quam nos nunc de,uertimus,nunc ex.

Cum eſſet uir iuſtus.) δίκαιος ὤν. Quoniam Græcus ſentẽtiam extulit per participiũ, liberum nobis reliquit,addere coniunctionem,quæ cõmodiſſime faceret ad ſenſum. Sed hæc uox cum,magis aliquoties ſonat aduerſum quiddam. Vt cum ſis pauper, tamen faſtu turges. At hic ceu cauſam adducit,cur noluerit illã traducere,quod iuſtus eſſet. Quaſi dixiſſet,Ioſeph eo quod eſſet uir iuſtus noluit eam infamare. Mire uero iuſtum uocat, ob id,quod in ius trahere noluerit,neꝯ punire,quod lex punire iubet. Iuſtum autem uocat,non ob unam uirtutem,quæ prima eſt inter quatuor morales,ſed ob abſolutam omnibus numeris probitatem. Sic Ariſtoteles in Ethicis,Iuſticia,inquit,in ſeſe uirtutem amplectitur omnem,& ἀδικίαν pro quouis peccato uſurpãt ſacræ literæ. Subnotauit hoc Chryſoſtomus. Nam prorſus raræ cuiuſdam ac prodigioſæ probitatis erat,cum ſponſæ tumẽtem uterum,& indubitata conceptus ſigna uideret,nec expoſtulare cum uxore,nec queri apud affines,nec zelotypia diſcruciari,nec in ius ire,& ad pœnã rapere,ſed ſuos æſtus apud ſe duntaxat premere:tantum in animo ſecum de ſecreto diuortio cogitare. Grauidam uidebat & myſterium,ut dixi, nondum nouerat,quod mox ab angelo diſcit.

Iuſtus pro bono.

Nollet eam traducere.) παραδειγματίσαι, Illud demiror hoc loco,qui factum ſit,ut interpreti Latino,ſermonis politiem aliâs negligere ſolito,tam elegans uerbum in mentem uenerit. Nam ad uerbum uertendũ erat exemplificare,ſiue per periphraſim,exemplũ facere. Siquidem elegãtior uſus huius uerbi fuit in cauſa,ut celebres aliquot Theologi fœde lapſi ſint hoc loco. Quorum de numero eſt haud aſpernandus theologus Petrus Lombardus ἐπώνυμος eius operis,quod uocant Sententiarum:quem arbitror equidem & probum fuiſſe uirum,& ut illa ferebat ætas,eruditũ. Atꝯ utinã illius labor tam feliciter ceſſiſſet orbi Chriſtiano,ꝯ ab illo ſuſceptus eſt pio ſtudio. Siquidem apparet illum hoc egiſſe,ut ſemel collectis quæ ad rem pertinebant,quæſtiones omnes excluderet. Sed ea res in diuerſum exijt. Videmus enim ex eo opere,nunꝯ finiendarum quæſtionum,non examina,ſed maria prorupiſſe. Is in quarto ſentẽtiarum libro ſemel atꝯ iterum ſic uſurpat hoc uerbum,quaſi tum ſponſus traducat ſponſam,cum rem habuerit cum illa. Sic enim habet diſtinctione uigeſima ſeptima: Quidam tamen aſſerunt uerum coniugium non contrahi ante traductionem & carnalem copulam,nec uere eſſe cõiuges aliquos,niſi intercedat cõmixtio ſexus. Rurſum aliquanto poſt: Sed quia nondum traducta,nec res uxoria interceſſerat,id eſt,concubitus coniugalis. Neꝯ me fugit,quoſdam ſic hinc elabi uelle, ut dicant

Petrus Lombardus notatus.

traductionẽ

traductionem hic accipi pro consensu ad cohabitandum, quod aliquanto etiam est absurdius, Perinde quasi quis refellens eum qui diceret cucurbitam significare tergum asini, ne get significare tergũ ipsum, sed clitellas tergo impositas. Quod si traductio est consensus ad cohabitandum, cur is separatur à reliquis officijs coniugum: aut quod erit coniugium sine consensu domesticæ consuetudinis? Denicꝙ cum hic consensus sit mutuus, traductio tam sponsæ tribuetur ꝙ sponso. Quis autem unꝙ legit traduci sponsum? Iam ubi apud iurecõsultos de matrimonio tractantes fit mentio traductionis? Quod si contẽdant sponsam traduci, cũ in ædes sponsi deducitur, iam Ioseph us & Maria iunctim in unis ædibus habitabãt, imò Maria in ædibus Ioseph sponsi sui habitabat. Id quod clare testatur Chrysostomus homilia in Matthæum quarta, addens id ueteri cõsuetudine receptum, ut sponsæ in sponsorum ædibus haberentur. Et aliquanto inferius in eadem homilia: Neꝙ em̃, inquit, expellere de domo uoluit, sed à se tacite dimittere. Expellere de domo uocat traducere, quod id citra infamiã sponsæ fieri non posset, maxime cũ esset grauida. Proinde res satis indicat, Petrum Lombardum, aut alium quem is secutus est autorem, ex hoc loco sumpsisse occasionem erroris, qui intellexerit Ioseph ob suspicionem adulterij noluisse coitu confirmare matrimonium. Pudendus quidem lapsus, præsertim in ijs, qui se totius orbis doctores profiteantur, sed ætati magis imputandus ꝙ homini. Quid enim poterat eo seculo, quo prorsus extincta lingua Græca, maxima ex parte & Latina, Literis Hebraicis plusꝙ sepultis, obliteratis oĩbus fermè uetustis scriptoribus, si quid erat explicandum ad Isidorum uelut ad sacram ancorã cõfugiebatur: quẽ idem secutus μεξόπολιμ interpretatur à μέξορ mensura, & πόλις ciuitas, & Acolytos, siue ut ego sanè legendũ arbitror, acoluthos, sic enim Græci famulos à corpore uocant, interpretatur ceroferarios, aliaꝙ consimilia: nisi quod magis arbitror, hæc à recentioribus assuta, qui ferè mos est, præsertim in hoc scripti genere. Quin & illud demiror, qs indicauerit Nicolao Lyrensi, traducere idẽ esse quod propalare. Sic enim interpretatur. Et in glossa quã uocant ordinariã adiecit nescio quis, Pro traducere Græci habent propalare: perinde quasi propalare, Græca uox sit. Hugo Cardinalis traducere interpretatur in damnũ suum ducere. Quãꝙ multis argumẽtis colligere licet, temporũ illorũ plerosꝙ scriptores, Græcorum etiam cõmentarijs adiutos fuisse, qui tum ferè quomodocũꝙ uersi fuerãt in Latinũ sermonẽ, ut suis indicabimus locis. Alioqui qui potuit Thomas diuinare ex ea translatione quid sentiret Aristoteles, quã nec ipse fuerat Aristoteles intellecturus, etiã si Romane calluisset? Neꝙ uero dãno, quod aliorũ monumentis adiuti sint. Illud demiror, cur ceu data opera, cælent eorũ nomina per quos profecerant. Magis autem, cur libri quoꝙ suppressi sint, unde decerpserant. Verum hæc alias. Coaceruator sentẽtiarum uidetur hallucinatus ex uerbis Hieronymi, qui locum præsentem edisserens, scribit in hunc modum: Si quis fornicariæ coniungitur, unum corpus efficitur. Et in lege scriptum est, Non solũ reos, sed & cõscios criminum, ob noxios esse peccato. Quasi Ioseph ideo noluerit Mariam traducere, hoc est coniungi cũ ea, quod adulteram iudicaret, ne fieret unũ corpus cum ea. Atqui non illic agit Hieronymus de coniunctione cõnubiali, sed causam aperit, cur Ioseph uir iustus, noluerit illam accusare, & populi fabulam reddere, quod palàm testantur ea quæ mox cõsequũtur. Nempe hæc, Sed hoc testimonium Mariæ est, quod Ioseph sciens illius castitatem, & admirãs quod euenerat, cælat silentio, cuius mysterium nesciebat. Est autem uarius usus apud Latinos huius uerbi, traducere. Verum ut nullus elegantior, ita nec rarior alius, quàm cum significat promulgare quempiam, & in publicũ uulgi sermonẽ efferre. Sic em̃ Martialis:

Rideris, multoꝙ magis traduceris Afer,
Quàm nudus medio si spatiere foro.

Et Arbiter Petronius, Neue traducere uelitis tot amicorum cõsilia secreta, quæ uix mille homines nouerunt, hoc est ne uelitis in uulgus efferre. Apposite usus est hoc uerbo Seneca in epistola ad Lucilliũ centesima: Volo luxuriam obiurgari, libidinẽ traduci, impotentiam frangi. Quoniam enim libido latebris gaudet, ac lucem, hominumꝙ conspectũ fugitat, optat ut traducatur hic morbus, quo uel pudoris remedio sanetur. Translatum apparet ab ijs, qui quo cõspicui sint omnibus, per celeberrima urbis loca producũtur, id quod uictis, aut facinoris alicuius damnatis ignominiæ causa fieri solet. Ita Liuius libro ab urbe

Traductionẽ nõ recte accipi pro consensu ad cohabitandum.

Isidorus Metropolis Acoluthi.

Traducere quid sit Latinis.

condita ſecundo, Vos omnibus ciuibus, peregrinis populis ſpectaculo abeũtes fuiſſe, ueſtras coniuges, ueſtros liberos traductos per ora hominũ. Vtitur in eũdem ſenſum Tranquillus in Veſpaſiano. Diuus Chryſoſtomus hunc ediſſerens locum apertiſſime uim indicat huius uerbi cum ait: Nõ ſolum noluit eam damnare, ſed ne publicare quidẽ. Nam hoc uerbo uſus eſt interpres Chryſoſtomi, quum pro damnare ſit κολάσαι, pro publicare παραδειγματίσαι. Rurſum idẽ uerbũ traducere, in iudiciũ trahere: itẽ publicare, & in iudiciũ tradere interpretat̃. Nec ab hoc multũ abhorret Hilarius, qui παραδειγματίσαι, putat eſſe legũ exemplũ ædere in quẽpiã. Sic enim ait in expoſitione canonis, quem cõpoſuit in Matthæũ: Quia iuſtus ipſe nollet in eam lege decerni. Quin libro Numerorũ cap. xxv. quod noſtra habet ædítio: Tolle cunctos príncipes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patíbulis, Diuus Auguſtínus iuxta illius regionis ædítionẽ legit hunc in modũ: Oſtenta domíno duces populi cõtra ſolem. Cæterũ quod ille uertit, Oſtenta, Græcus uerterat παραδειγμάτισον, uelut in exemplũ æde, quo cæteri hoc exẽplo terreant̃. Idem hũc ipſum adducẽs locũ eplã liiij. p traducere legit, diuulgare. Quin & diuus Ambroſius, enarrans pſalmũ, Beati immaculati, ſermone ſeptimo palàm à nobis ſtat, ſcribens hunc in modum: Quia iuſtus ſeipſum accuſare malit, q̃ aliũ deformare. Denicq̃ de Ioſeph, cui deſponſata erat Maria mater domini ſcriptum eſt, Quod cũ eam grauem utero uidiſſet, cum eſſet iuſtus, noluit eam traducere: & utiq̃ nullũ adhuc audierat oraculum. Itaq̃ nõ ſolũ ab ultionis atrocitate, ſed etiã ab accuſationis ſeueritate iuſti aliena pſona eſt, potiusq̃ ducit, ſuã remiſſionẽ accuſari, quod nõ indicauerit, q̃ alienũ crimen arguere. Atq̃ his omnibus cõſentiens Theophylactus Bulgarienſis epiſcopus, Græcus interpres noui teſtamẽti, παραδειγματίσαι, inquit, τοῦτ' ἔστι φανερῶσαι καὶ κολάζεσθαι, id eſt, palàm facere ac punire. Denicq̃ eſt quidẽ anceps latina uox, ſiquidẽ nõnunq̃ traducit q in diuerſam ducit partẽ, ſic em̃ uſurpauit, tum Cicero, tum Suetonius. Atqui Græca uox nõ patit̃, ut huc confugiamus. Sed ob moroſos quoſdã diutius inmoror his euincendis, q̃ eruditus lector laturus ſit. Senſus igit̃ eſt, Cum Ioſeph eſſet uir probus, uideretq̃ ſponſam grauidam, nec tamen mores eius paterentur, ut poſſet adulteriũ credere, cælandũ eſſe duxit, quod admirabatur. Quãquàm reperio Theophylactum in hac eſſe ſententia, ut dicat Ioſeph ob id clanculũ uoluiſſe diuertere, quod ſe iudicaret indignum conſuetudine coniugis, quæ iam è ſpíritu cœleſti cõcepiſſet. Verũ hæc interpretatio coactior eſt. Nam ſi complexim legas, Reperta eſt, nimirum ab Ioſeph, in utero habens è ſpíritu ſancto, ut ſit ſenſus: Iam tum fuiſſe compertum Ioſeph, quod ſponſa conceperat non ex ullo uiro, ſed è ſpíritu, quorſum poſtea opus fuit angelo, qui moneret in ſomnis? Porrò cum hanc addit cauſam, cur timere nõ debeat, Quod enim in ea natum eſt, de ſpíritu ſancto eſt, ſatis indicat metum Ioſeph, non è reuerẽtia, ſed uel è ſuſpícione, quod non ueritus eſt dicere Chryſoſtomus: uel certe ex admiratione fuiſſe profectum. Alioqui ex ſermone angeli magis debuerat timere, certior factus de myſterio cœleſti. Quod ſi cui durius dictum uidetur Ioſeph quicquam addubitaſſe de caſtitate Mariæ, is audiat Auguſtinum durius etiam loquentem in epiſtola xlv. ad Macedonium: Vnde Ioſeph, inquiens, cui mater domini fuerat deſponſata, cum eam comperiſſet eſſe prægnantem, cui ſe non nouerat eſſe cõmixtum, & ob hoc nihil aliud q̃ adulteram credidiſſet, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit. Item Ambroſius de inſtitutione uirginis. Quid autem, inquit, præiudicat Mariæ, ſi cœleſtis conſilij myſteriũ Ioſeph non intellexit, & putauit uirginem non eſſe, quam prægnãtem uideret? Vſus eſt traducẽdi uerbo duobus in locis diuus Paulus apoſtolus, in epiſtola ad Coloſſenſes cap. ſecundo. Ἐκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, id eſt, Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter. Quod uicti ſoleant in triumphis circumduci, palamq̃ oſtendi populo. Et in epiſtola ad Hebræos capite ſexto: ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας. Interpres proximo loco uertit traduxit, hic uertit oſtentui habentes. Quanquàm mihi ſanè nonnihil intereſſe uidetur inter δειγματίζω & παραδειγματίζω, Siquidem δειγματίζειν eſt ſimpliciter, exempli cauſa oſtendere, παραδειγματίζω ob præpoſitionem additam, in malam partem ſonat. Etiam ſi utrumque deducitur à δεῖγμα, quod eſt exemplum, & δεῖγμα à δείκνυω ductum eſt, quod eſt oſtendo.

Cur Ioſeph uoluit Mariã dimittere.

Occulte

Occulte dimittere.) ἀπολύσαι Græcis ambiguum est uerbum. Dimittimus exercitum instructũ: dimittitur senatus: dimittitur concio, cum unicuiq; potestas fit quò uelit abeundi. Dimittimus & amicũ uolentem proficisci. At hoc loco Latinius simul & apertius erat amittere à se, siue repudiare, siue diuortiũ cũ ea facere (Id enim sensit euãgelista) idq; clanculum, quod palàm non posset citra periculũ simul & infamiam uxoris. Etiamsi me nõ fugit, apud Suetoniũ dimissam dici, quæ sit repudiata. Neq; par est quẽq; offendi, ceu durio re uerbo repudiãdi, cũ Hilarius eruditus iuxta ac pius autor, nõ ueritus sit uti duriore. Sic eĩ ait exponẽs canonẽ Matthæi: Volẽti eã abijcere. Id nimirũ atrocius est q; repudiare. *Dimittere pro repudiare.*

In somnis.) κατ' ὄναρ, id est, per somnium. Quanq; sensum eleganter expressit interpres. Nam quod in somnis apparet, per somnium appareat necesse est. Nec est apud Græcos, Apparuit Ioseph, sed apparuit illi. Certe ei legitur, in emendatioribus nostris, nominatim in aureo Codice. Nam liceat interim hac nota significare librum, quem diximus esse in aulica bibliotheca Mechliniæ.

Accipere Mariam coniugem.) παραλαβεῖν, id est, adiungere in consuetudinẽ uitæ. Iam enim acceperat, sed diuortium meditabatur. Rursus interpres abhorruit à uocabulo uxoris, cum euangelista non uereatur Ioseph patrem uocare Iesu. Certe diuus Hieronymus uxorem legit, non coniugem. Id quod & interpretatio illius declarat. Excusat enim uxores in diuinis literis aliquoties dici quæ sponsæ sint. Alioqui Græci sponsam appellãt νύμφην. Porrò γυνὴ Græcis nunc uxorem sonat, nunc quamcunq; mulierem. Chrysostomus homilia in Matthæum quinta, indicat nomen hoc parum competere in uirginem, sed tamen crebro tributum ab euangelistis quo mysteriũ cælarent, & arcerẽt stupri suspicionẽ. *Vxor Ioseph Maria.*

Quod enim in ea natum.) τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, id est, genitum. Sic enim appellat id quod conceptum est in utero, & nondum enatum. Natũ enim dicitur etiam id, quod quocunq; modo cœpit esse. Nos tamen conceptum uertere maluimus, ne quẽ torqueret sermo minus usitatus. Porrò natum hic positum pro conceptum fatetur & indicat diuus Augustinus libro primo quæstionum in Genesin. Et Tertullianus libro de carne Christi. Nam ex hoc loco insanus Valentinus dicebat Christum natum per uirginem non ex uirgine, quum paulo superius Matthæus nõ abhorruerit ab hac præpositione, Ioseph genuit Iacob uirum Mariæ, ex qua natus est Iesus. *Natũ pro conceptum.*

De spiritu sancto.) ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου, id est, è spiritu sancto est, siue ut nos uertimus, A spiritu sancto profectum est: ut autorem indicet præpositio. Iam diximus, quod recentiores aliquot Theologi, ingens mysterium subesse uolunt in hisce præpositionibus ex & de: cum apud Græcos eadem sit præpositio, apud nos diuersa, tantum quia libuit interpreti, qui frequenter affectat uarietatem, ubi nihil opus. *De & ex apũd Græcos eadẽ.*

Pariet autem filium.) Annotauit Chrysostomus, non esse dictum, Pariet tibi filiũ, quẽ admodum solet dici patribus: Et tamen dictum est, Vocabis nomen eius Iesum: quod autoritas imponendi nominis soleat esse penes maritũ. Id tametsi uideẽ à suscepto negocio alienius, tamẽ admonere uisum est, quod ad tuendã lectionis integritatẽ ptinere uideretẽ.

Et uocabis nomen eius Iesum.) Vel hinc refelli potest Iudæorum nostræ tempestatis uæsania, qui uolunt Christo diuersum fuisse nomen, à nomine ducis Iosue, & Iosue sacerdotis. Certum est enim יֵשַׁע, siue additis duabus literis Vau & He יְשׁוּעָה Hebræis sonare salutem. Et angelus uocabuli rationem exponens, Ipse enim, inquit, saluum faciet populum suum. Id quod annotauit & Hieronymus. Et diuus Chrysostomus homilia prima testatur in ipso statim euangelij frontispicio: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, studio ab euangelista additum Christi cognomen, ut eo discerneretur à duce Iosue. Rursum additum, Filij Dauid, quod ille Iosue de tribu Dauid non fuerit. Porrò si nomen erat diuersum, quorsum attinent hæ notæ, nomẽ à nomine secernẽtes? Cæterũ Latinius erat, A peccatis suis, q; eorum. Verum interpres, opinor, uitauit amphibologiam: sed dum uitat hoc incõmodum, in aliud incidit incommodũ. Neq; uero periculum erat ne quis acciperet Iesum liberasse suos Iudæos à suis ipsius peccatis. Medium erat à peccatis ipsorum. *Iesu seruatoris nomen idẽ esse cũ nomine Iosue.*

Per prophetam dicentem.) Sermo Græcus bifariam accipi potest. Altero modo sic, ut impleretur, quod dictum erat à domino, qui loquutus est per prophetam. Altero sic, Vt impleretur quod dictum erat à domino per os prophetæ, cuius hæc sunt uerba. Hæc amphibologia

phibologia Græcis hinc naſcitur,quod utracꝫ præpoſitio ὑπὸ & διὰ, id eſt,à & per,eun dem nominis caſum aſciſcunt. τὸ ἐρηθὲν ὑπὸ τοῦ κυρίου, διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος. Verum po/ſterior ſenſus mihi magis probat, quod uideam hanc ſermonis figurā ſolennē eſſe ſacris literis,quoties aliena uerba recitant. Id quod Latini faciunt per, inquit, & inquam. Iam, uerbum impleretur,pro perficeretur,ut ignotum eſt Latinis auribus: niſi cum ſentimus addi quod deerat rei cōſummandæ,ita ex Hebræi ſermonis proprietate relictū eſt. Quod genus permulta licebit in apoſtolorum literis animaduertere.

Implere, pro perficere.

Alma quid Hebræis.

Ecce uirgo.) ἰδοὺ ἡ παρθένος. Apud prophetam Hebræum nomen eſt, non בְּתוּלָה Be/thula,quod proprie uirginē ſignificat,& intactam uiro,ſed עַלְמָה alma ſiue alama,quod puellam ſiue adoleſcentulam ſignificat. Hoc ætatis eſt nomen,illud integritatis. Cæterū Hieronymus negat uſcꝫ inueniri in ueteri teſtamento uocabulum alma,niſi de uirgine. Certe Geneſis capite xxiiij.Rebeccam adhuc uirginem alma uocat.Et Deuteronomij ca pite xxij. lex punit raptorem alma,id eſt puellæ,haud dubium quin de uirgine ſentiens, quem locum adducit & Origenes aduerſus Celſum. Proinde Septuaginta uocem hanc interpretati ſunt ἡ παρθένος, id eſt, uirgo, cæteris licet omnibus puellam interpretanti/bus. Quanquàm apud Hebræos uox eſt anceps,ut quæ tum puellam ſignificet, tum ab/ſconditam,quod אַלַם alam Hebræis ſonet,abſcondit. Vnde quod in titulo noni pſalmi poſitum eſt עַלְמוּת pro quo cæteri interpretes tranſtulerunt pro adoleſcentia, Septua/ginta tranſtulerunt,Pro abſconditis:ut alma non ſolum uirginem ſignificet, ſed κατ' ἐπίτα σιμ uirginem abſconditam,& à uirorum conſpectu ſecluſam. Qui mos & hodie ferè ma/net Italis. Quin & punica lingua,quam nonnulli uolunt ab Hebræis ortam, alma uirgo dicitur. Nam quod adiecit Hieronymus,Latinis quoꝫ quod ſanctum ſit almum dici, io/co uerius ꝫ ſerio locutus uidetur. Neque enim ſi in tot milibus uocum una aut altera ca/ſu conueniat,continuo uideri debet linguarum commercio fuiſſe factum. Neque tamen alma uocabulum competit in quamuis uirginem,poteſt enim & anus eſſe, ſed in eam uir ginem duntaxat,quæ puella ſit,& iam nubilis,ac nondum nupta, hoc eſt cognita uiro. Verū ſi cū contentioſis agatur,quantumuis conſtet alma ſignificare uirginem, non tamē euincemus ex his uerbis uirginem fuiſſe quæ conceperit. Sic enim de infantula liceat lo/qui,Hæc pariet liberos, at non protinus pariet infantula. Verum cum ceu nouum ſi/gnum polliceatur deus,quid noui fuerat,ſi quæ prius erat uirgo, poſtea congreſſa uiro conciperet ac pareret,id quod eſt omnium commune? Poſtremo nec illud arbitror negli/gendum, non dictum eſſe ſimpliciter παρθένος, ſed ἡ παρθένος: Vt non de quauis uirgi/ne poſſit accipi,quod nihil erat monſtri,ſed certa quæpiam: ut inſignis uirgo denote/tur,quæ ſit paritura. Proinde uertendum erat: Ecce uirgo illa concipiet. Ad quem mo/dum nos locis aliquot articuli uim expreſſimus. Et ה apud Hebræos hoc loco præpo/ſitum articuli uim habet.

Virgo illa.

In utero habebit.) ἐν γαστρὶ ἕξει, pro eo quod eſt,Grauida ſiue prægnans erit. Nā apud Eſaiam cap.vij.unde locus hic citatus eſt, הָרָה habetur,quod diuus Hieronymus conci/piet uertit,cum tamē Hebræa uox hic uideatur eſſe præſentis temporis. Cæterum diuus Hieronymus hunc enarrans locum legiſſe uidetur ἔχει præſentis temporis, non ἕξει futu/ri:quaſi propheta ceu rem futuram prædixerit,& ob id ſcripſerit,accipiet, Euangeliſta re ſpexerit ad id quod iam erat factum.Eáque gratia ſcripſerit habet. Quod uerbum tamet ſi præſentis ſit temporis,tamen reſpondet uerbo præteriti temporis. Neque enim aliud pollet,habet in utero quàm concepit. Oſtendit Hieronymus ſimile quiddam factum à Paulo, qui cum adducat teſtimonium pſalmi ſexageſimi ſeptimi: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem,accipiet dona in hominibus,Accipiet futuri temporis uer/bū,uerterit in dedit. Atqui haud ſcio an hic locum habeat illa Hieronymi excuſatio, quod quæ propheta prædixerat futura,hic narrat facta,cum Matthæus ipſum prophe/tam adducat ſuis uerbis loquentem: Vt impleretur,inquit,quod dictum fuerat à domi/no per prophetam ita loquentem. Poſtremo ſi euangeliſta narrat id quod geſtum eſt, non dicendum erat habet in utero,ſed habuit. Iam enim Maria deſierat eſſe grauida. Hi nodi non uideo, qui poſſint explicari, niſi ſuccurrat Hebræi ſermonis proprietas,quem quiſquis ignorat,multis in locis aut hæreat, aut impingat neceſſe eſt. Hic quoque locus

Excuſſa Hie/ronymi an/notatio.

argumen

argumentum præbet,hanc æditionem qua uulgo utimur,tum nec in uſu fuiſſe Hieronymo,nec ab illo caſtigatam.Nam ſi uſus fuiſſet,legiſſet & hic habet:Si caſtigaſſet, habere/mus quod ille probat,ac ſequitur.Verum,ut pace Hieronymi dicam,cur magis reſpexit huc,in habebit quàm in pariet,ubi tempus futurum relinquitur? Aut quid peractum eſt Paulo,poſtea q̃ mutauit (accipiet) in dedit,cum duxit præteriti temporis uerbum maneat? Nam ſi prophetæ ſcribentis tempus reſpicias,nondum Chriſtus aſcenderat in altũ, neq; captiuam duxerat captiuitatem. Hæc attingere uiſum eſt, quo præberem eruditis, ac ſtudioſis qualemcunq; ueſtigandi occaſionem. Sed interim in mentẽ uenit,hunc quoque locum deprauate legi in commentarijs huius loci.Nam ſciolus aliquis,audiens fieri mentionem futuri,mutauit accepit in accipiet.Accipiet dona in hominibus, quum & iuxta Septuaginta ſit ἔλαβεμ, & iuxta ueritatẽ Hebraicam ſimiliter uerterit Hieronymus. Nec aliter citat hunc locum Epiſt.ad Epheſios,capite quarto. Non animaduertit autem rationem futuri tẽporis,non eſſe in uoce uerbi,ſed in re.Nam qui accepit elargienda non dum elargitus eſt,ut quæ concepit,nondum peperit. Similis error quendam impulit,ut hoc loco mihi grauem moueret tragœdiam.Non grauabor autem & hoc indicare lectori pio,locum hunc in cõmentarijs Hieronymi,in omnibus quæ uiderim exẽplaribus, haberi deprauatum,etiam in hac,quantum licuit elaboratiſſima æditione Baſilienſi. Lectio reſtituetur ad hunc modum.Sed propheta quia futura prædicit,ſignificat quid futurum ſit,& ſcribit accipiet.Euangeliſta quia non de futuro,ſed de præterito narrat hiſtoriã,mutauit accipiet,& poſuit habet.Qui enim habet,nequaq̃ accepturus eſt.Certe ex hac clauſula:Qui enim habet,nequaq̃ accepturus eſt,palàm eſt Hieronymũ legiſſe habet, non habebit.Idem mendũ eſſe uidetur in cõmentarijs quibus enarrat ſeptimum cap.Eſaiæ.

Emendatus in Hieronymo locus.

Et uocabitur nomen eius.) καλέσουσιν, id eſt, Vocabunt,nõ uocabitur.Atq; ita ſcriptũ comperitur in antiquiſſimis ſimul & emendatiſſimis Latinorum exemplaribus.Quin & Hieronymus commentariorum in Eſaiam libro tertio, & illud adnotauit, euangeliſtam nonnihil immutaſſe de uerbis huius prophetiæ: quippe qui pro וְקָרָאתָ, quod Hebræis ſonat & uocabis in maſculino,ſiue uocabit in fœminino,ut referatur ad ipſam quæ peperit uirginem,uocabunt mutarit.Nam uocabunt legit & Origenes,teſtimonio hoc utens aduerſus Celſum.Et Chryſoſtomus clariſſime teſtatur uocabunt eſſe legendum, homilia quinta.Sed uocabunt, inquit, ponens multitudinis numero Matthæus reſpexit populi perſonam,cuius illa uox eſt,Nobiſcum deus,nimirum ſibi gratulantis de tali partu. Qua de re nonnihil etiam meminit Theophylactus Bulgarienſis epiſcopus,Græcus interpres etiam ſi recentior,haud aſpernandus tamen. Emanuel autem Hebræis ſonat, nobiſcum deus.Nam עִמָּנוּ nobiſcum אֵל deus, עִמָּנוּאֵל nobiſcum deus.Cæterum,quod eſt interpretatum,quoniam inuſitatior eſt ſermo,nec amphibologia carens,nos periphraſi malui mus reddere,Quod ſi quis interpretetur,ſonat nobiſcum deus.

Vocabunt nõ uocabitur.

Theophylactus.

עִמָּנוּאֵל ab
Deus. אֵל nobiscum עִמָּנוּ

Exurgens autem Ioſeph.) διεγερθεὶς, id eſt,experrectus,ſiue expergefactus,aut excitatus. Quanquàm huius uerbi uſus ad tria ſolet accommodari, ad eum qui ſurgit,qui reuiuiſcit,& qui expergiſcitur.

Et accepit coniugem.) Hoc eſt adiunxit ſibi.Pugnat enim παραλαμβάνειμ cum eo quod eſt ἀπολύσαι, id eſt, reijcere. Sic enim uſus eſt & diuus Paulus ſcribens ad Romanos: τὸμ δὲ ἀσθενοῦντα πίστ, προσλαμβάνετε, id eſt, Eum qui infirmus eſt fide,ne reijcite,ſed admittite,& adiungite uobis.

Filium ſuum primogenitum.) Τὸμ πρωτότοκομ. Græcus articulus fauere uidetur Heluidianis,qui ſic additur,quaſi diſtinguat hunc filium à cæteris,ſed magis accipiendus interpretatiue, pro eo quod eſt, qui eſt primogenitus:ut intelligas eundem illum filium,de quo prius eſt locutus,& quem è ſpiritu dixit conceptum.Eadẽ de cauſa addit αὐτῆς,id eſt, ſuum.Alioqui quæ mulier parit alienum filium? ut interim ſileam de myſterio,quod ſubeſt in uocabulo primogeniti.Cæterũ quod ait:Donec peperit,Latinius erat,donec peperiſſet.Ex his quoq; uerbis Heluidiani uenantur erroris ſui patrocinium,haud animaduertentes Hebræi ſermonis proprietatem.Ad eundem modũ legis de coruo emiſſo Geneſis cap.viij.qui egrediebatur,& non reuertebatur donec ſiccarent aquæ ſuper terrã: cũ ſignificet auem nunq; fuiſſe reuerſam.Quanq; hac de re ſuperius item nonnihil attigimus.

Donec quõ accipiendum.

Ex capi

EX CAPITE SECVNDO.

CVm ergo natus esset) Græci codices, autē habent, non ergo. τοῦ δὲ Ἰησοῦ γενν/ηθέντος, id est, Nato autem Iesu, atq; ita legit Chrysostomus, quanq; refra/gantibus antiquis exemplaribus Latinis. Neq; magni refert ad sententiam.

In Bethlehem Iudæ) Iudææ legendum arbitror, non Iudæ, suffragantibus uetustissimis exemplaribus nostris. Siquidem Iuda hominis nomen est, Iu/dæa regionis. ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας. Cæterum obscuri uiculi nomen, quo magis agno/sceretur addito regionis uocabulo illustrauit. Est enim Bethlehē oppidulum situm in tri/bu Iuda, unde Iudæa dicta est, haud procul ab Hierosolymis. Solemus autem regionis no men addere, etiam discernendi gratia, uelut Antiochiam Palæstinæ, quod altera sit eiusdē nominis in Asia, id quod hic quoq; locum habet. Siquidem alteram esse Bethlehem in Ga lilæa, indicat liber Iosue, quemadmodū autor est Hieronymus in suis cōmentarijs, ac rur/sus enarrans quintum Michææ caput. Scribit enim hunc in modum: Pulchre autem dici/

Bethlehē duæ.

tur in Bethlehem Iuda, ad distinctionem eius Bethlehem, quæ in Galilæa sita est: sicut in eodem Iesu uolumine repperi. Consimiliter deprauatum est quod paulo post sequitur: In

Expensa opi/nio Hierony/mi.

Bethlehem Iudæ pro Iudææ. Hieronymus tamen arbitratur librariorum errore factum, quod scriptum sit Iudææ pro Iuda: cū in Michæa legatur Iuda, usus hoc argumēto, quod non sit altera Bethlehem aliarū gentium, sed in Iudæa duæ sint, altera in tribu Iuda, altera in Galilæa. Consentiunt quidem exemplaria, quæ uiderim, tum Græcorum tum Latino/rum cum opinione Hieronymi: licet argumentum illius refelli poterat, quod ille Iudæam pro uniuersa regione accipit, quæ duodecim tribus cōplectitur: cum Iudæa proprie dicen da sit pars Iuda & Leui. Quod si quis contendat, Iudæam non usurpari, nisi pro uniuersa Iudæorū regione, is protinus ex ipsius Matthæi refelletur autoritate, qui paulo post scri/bit in hūc modū: Cū audisset Archelaū regnare in Iudæa, loco Herodis patris sui, timuit illuc abire, sed oraculo admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Nā qui cōsistet, eū fugisse è Iudæa, & Galilææ adisse, si & Galilæa Iudææ pars est. Etem̄ si Hieronymo credi tur, gentiū Galilæa, erat in sorte tribus Neptalim, altera in tribu Zabulon. Cæterū quod Origenes libro περὶ ἀρχῶν quarto sic diuidit totam gentem à Roboam sectam in duas par tes, ut decem tribus quibus ipse imperabat, dicerentur Israël, cæteræ uero duæ, Leuitica, & ea quæ ex regio genere Dauid duxit originem sit Iuda, quicquid autem locorum hæc natio acceperat à deo, cōmuni uocabulo dici Iudæam, ut in genere uerum sit, certe nō ui/detur perpetuo uerum. Sed hæc ad sensum euangelistæ perpusillū habent momenti. Pro inde siue Iuda legamus, siue Iudææ, non est quod aliquis digladietur, cum sensus sit idem: & constet olim etiam Iudææ scriptum fuisse in uulgatis exemplaribus. Certe in uaticinio prophetæ, quod mox adducetur, Iuda legitur non Iudææ, magno consensu codicum, tum Græcorum, tum Latinorum. Ad hæc Hebræis peculiare est, hominis uocabulum usurpa re pro gente seu loco. Cæterum בֵּית־לֶחֶם Bethlehem Hebræis sonat domū panis, לֶחֶם le/hem panis, בֵּית domus. יְהוּדִי Iudæus confitens: quo nomine nunc indigni sunt, qui Chri stum pertinacissime pernegant. Bethlehem ab Hieronymo in locis Hebraicis, ciuitas di/citur Dauid, quæ eadem dicta est Ephrata. Abest ab Aelia sex M.P. ad plagam meridia nam. Idem enarrans v. Michææ caput, paruum uiculum appellat, sed ad reliquarum ci/uitatum comparationem. Nam & Lucæ capite secundo πόλις dicitur. Addam & illud: Si Hieronymus uidisset Hebraicum Euāgelium, ut creditur à Matthæo scriptum, nō opi naretur hic corrupte legi Iudææ pro Iudæ, sed ex illius autoritate planè pronunciaret.

בֵּית־לֶחֶם

Domus panis à

panis לֶחֶם

Domus בַּיִת

Magi qui.

Porrò quod magi nominātur: nemo maleficas artes, quas uulgo magicas dicimus so/mniet. Siquidem quos Græci sophos aut philosophos, Chaldæi magos uocant, ut testa/tur & diuus Hieronymus in Danielē. Illud minutius, quod παρεγένοντο, id est, accesserunt, uertit uenerunt: Venerunt Hierosolymam, dicentes. Nomē urbis apud Græcos ferè neu tro genere pronunciatur Ἱεροσόλυμα & σόλυμα: populus ipse Hierosolymi dicuntur, masculino genere, numero multitudinis, quemadmodū & Solymi. Semel duntaxat, quod equi/dem meminerim, Hierosolymam lego, idq; apud Cornelium Tacitum libro Augustæ hi/storiæ xxi. Solymos, inquit, carminibus Homeri celebratam gentē, conditā urbem Hiero/solymam nomine suo fecisse, plurimi autores consentiunt. Verum haud scio an hic ap/

Hierosolyma um, & Hie/rosolyma, so/lymæ.

positiue

positiue usurparit Hierosolymam, quemadmodum Iuuenalis in Satyris: Interpres legum Solymarum. Suetonius in Tito Vespasiano: Cuius breui compos, & ad perdomandam Iudæam relictus, nouissima Hierosolymorum oppugnatione,&c. Quanq; aũt hoc leuius esse duco,quàm ut ea gratia quisq; cum alio digladietur,tamẽ quoniam ita reperio scriptũ ab ipsis,ut opinor,euangelistis,quomodo sæpius obuium est apud probatos autores,præsertim apud Tacitum eo,quem modo citauimus, libro,nos sequi maluimus.Nonnũq; placuit periphrasis,utpote mollior,ac dilucidior,sicuti mox:Et tota Hierosolymorum urbs.

Qui natus est,) ὁ τεχθεὶς, non γεννηθείς. Participium est à uerbo pario, quasi dicas partus est.Nos uim articuli cupientes exprimere,uertimus: Vbi est ille qui natus fuit, rex Iudæorum? Et rursum in stella apposuit articulum, αὐτὸν τὸν ἀστέρα. Vt certam stellam intelligas,& non quamlibet, sed eximiam.

Et uenimus.) Venimus prima acuta pronunciandum est,utpote præteriti temporis ἤλθομεν. Quod ego minutius esse ducerẽ quàm ut admoneretur,nisi passim audirem multos in hoc & ambigere,& errare.Proinde nos uertimus accessimus.Ad hæc:

Venimus adorare.) Græcanice dixit magis q̃ Latine, uenimus ut adoremus, siue ad adorandum.Minutius & illud,quod ἀκούσας participiũ præteriti temporis, uertit audiens Rectius erat,Cum audisset, siue ut nos uertimus,auditis aũt his Herodes. Ad hæc, quod hic in pronominis casu uariant Græca exẽplaria,dum in nõnullis legitur προσκυνῆσαι αὐτῷ, in alijs προσκυνῆσαι αὐτὸν, non est quod quenq; moueat,quod uerbum προσκυνεῖν, apud Græcos autores utriq; casui iunctum reperiatur.Id exemplis quoq; docerem,ni per se clarum esset.Præterea quod omnis Hierosolyma poëtice magis quàm historice, pro tota dixerit Hierosolyma:nec id citra uitium amphibologiæ,quasi plures sint Hierosolymæ.Rursum quod fecit in ἀκούσας, idem fecit in συναγαγών. Verum hæc quoniam leuicula sunt,& ad sensum non ita multum habent momenti,non est animus passim admonere.

Principes sacerdotum.) ἀρχιερεῖς, id est, primarios sacerdotes,quos aliâs sæpe uertit, pontifices:& nos alicubi sequuti sumus,quod uereremur ne non ferrent aures Christianorum,si dixissem,pontifices maximos,more Latinorum.Alioqui princeps sacerdotum esse possit,qui ipse non sit sacerdos.

Et tu Bethlehem.) Testimonium hoc sumptum est ex Michææ capite quinto. Diuus Hieronymus ingenue fatetur,id quod refertur à Matthæo, neq; cum æditione Septuaginta,neque cum Hebraica ueritate per omnia conuenire:siue quia uoluerit Euangelista studiose referre,sicut ab illis fuit responsum,ut ostenderet scribarum & pharisæorum in diuina scriptura negligentiam:siue iuxta quorundam opinionem, quod ipsi Euangelistæ testimonia huiusmodi non è libris deprompserint, sed memoriæ fidentes, ita ut fit, lapsi sint: quandoquidem deprehenditur aliquoties in sensibus quoq; nonnulla diuersitas, ut uerba prudentes neglexerint.Atq; hic sanè ne quis offendi possit infirmior, aut etiam morosior; non grauabor ipsa Hieronymi uerba subscribere ex huius loci commentarijs. Quod,inquit,testimonium nec Hebraico, nec septuaginta interpretibus conuenire,me quoq; tacente perspicuum est,& arbitror Matthæum uolentem arguere,scribarum & sacerdotum erga diuinæ scripturæ lectionem, negligentiam,sic etiam posuisse,ut ab eis dictum est. Sunt autem qui asserunt, in omnibus penè testimonijs, quæ de ueteri testamento sumuntur, istiusmodi inesse errorem:ut aut ordo mutetur,aut uerba, & interdum sensus quoq; ipse diuersus sit,uel apostolis,uel euangelistis,non ex libro carpentibus testimonia,sed memoriæ credentibus,quæ nonnunq; fallitur.Hactenus Hieronymi uerba recẽsuimus.Apparet autem hoc loco uirum eruditissimum magnis fuisse constrictum angustijs,unde uix explicare sese potuerit.Nam prior illa ratio, quam suo nomine refert,ut cum sanctissimi uiri pace dixerim, coactior uidetur & affectatior.Primũ enim id quod sequitur, Sic enim scriptum est per prophetam, non minus commode potest ad Euangelistæ quàm ad pharisæorum personam referri.Deinde nusq; reperire licet,pharisæos & scribas in hoc notatos,quod legem ignorarent,sed quod ambitione,& auaricia corrupti, uidentes non uiderent. Etenim alio in loco rogati à Christo, quid legerent de magno mandato,responderunt incontanter:Diliges dominum deum tuum &c. & ille approbato illorum responso:Hoc fac,inquit, & uiues.Porrò Sadducæis dictũ est,Non intelligentes scripturas. Iam altera defensio,quã

Pensitata Hieronymi opinio.

An lapsi sint alicubi memoria cuãgeliſtæ

aliorum nomine recenſet Hieronymus, aliquanto etiam eſt durior, uidelicet memoria ipſos Euangeliſtas: ſæpenumero diſſentire uerbis ab Hebræo, nonnunquam & ſenſibus. Et hanc ſententiam ita refert aliorum titulo, ut tamen non inſectetur uelut impiam. Notauit hunc locum idem Hieronymus in libello ad Pammachium de optimo genere interpretandi, palàm oſtendens Euangeliſtam non ſolum uerbis diſſidere à prophetæ uerbis, uerumetiam ſenſum prorſus eſſe contrarium. Nam quod eſt in Hebræo. Paruulus es in milibus Iuda, & ſeptuaginta uerterunt: Modicus es ut ſis in milibus Iuda, Euangeliſta dixit: Nequaquam minima es in milibus Iuda. Et tamen prophetæ ſenſum magis approbare uidetur Hieronymus, oſtendens eum conſentire cum uerbis diui Pauli: Elegit infirma mundi deus, ut confundat fortia. Atq; hunc locum ita claudit Hieronymus: Hæc replico, non ut Euangeliſtas arguam falſitatis, hoc quippe impiorum eſt, Celſi, Porphyrij, Iuliani, ſed ut reprehenſores meos arguam imperitiæ, & impetrem ab eis ueniam, ut concedant mihi in ſimplici epiſtola, quod in ſcripturis ſanctis, uelint nolint, apoſtolis conceſſuri ſunt. Hactenus Hieronymus. Certe Hieronymus non id poſtulat ſibi concedi, ut ſenſum reddat contrarium, ſed ut alijs uerbis eandem efferat ſententiã. At in Euangeliſta fatetur ſenſum prorſus eſſe pugnantem cum ſenſu prophetæ. Quod ſi conceditur Euangeliſtæ, multo magis ignoſcendum ſit Hieronymo. At falſitatis crimen abominatur in Euangeliſtis, τὸ μνημικὸν ἁμάρτημα non item. Neq; enim continuo forte uacillet totius ſcripturæ ſacræ autoritas, ſi cubi uarient, uel in uerbis, uel in ſenſu, modo ſumma conſtet earum rerum de quibus agitur, & unde cardo pendet noſtræ ſalutis. Vt enim ſpiritus ille diuinus mentium apoſtolarum moderator, paſſus eſt ſuos ignorare quædam, & labi, errareq; alicubi iudicio ſiue affectu, non ſolum nullo incommodo Euangelij, ſed hunc etiam ipſum errorem uertit in adiumentum noſtræ fidei: ita fieri potuit, ut ſic temperarit organum apoſtolicæ memoriæ, ut etiam ſi quid humano more fugiſſet, id nõ ſolum nõ deroget fidei diuinæ ſcripturæ, uerũ etiam fidem arroget, apud eos, qui alioqui de compoſito ſcriptum calumniari poterant. Quod genus ſit, ſi nomen pro nomine ſit poſitum: id quod alicubi factum fatetur Hieronymus, aut ſi quid non ſuo narretur ordine, in quo ſæpenumero torquentur ueteres interpretes. Et Hieronymus in præfatione commentariorum, quos ſcripſit in Matthæum, teſtatur Marcum ea quæ audiuit à Petro, iuxta fidem geſtorum retuliſſe potius quàm ordine. Spiritus ille cœleſtis totum hoc ſalutis noſtræ myſterium arcanis conſilijs & abſtruſis humano ingenio rationibus moderatus eſt. Neq; noſtræ facultatis eſt, neq; Chriſtianæ modeſtiæ, quibus modis ſuum negocium temperarit præſcribere. Solus Chriſtus dictus eſt ueritas, unus ille caruit omni errore. Adfuit ſpiritus diuinus & diuo Cypriano, ut eſt probabile, & tamen quædam illius reijciuntur ab orthodoxis: adfuit & Hieronymo, reijciũtur & huius nonnulla: adfuit Auguſtino, atq; ipſe quædam ſua recantauit. Prima quidem autoritas debetur apoſtolis & Euangeliſtis: ſed fieri potuit, ut Chriſtus occulto nobis conſilio, quiddam humanum in his quoq; reſidere uoluerit, perſpiciẽs hoc ipſum ad humani generis reſtitutionem conducere. Poterat ſuos ſemel omni ignorantia, omni liberare errore, at iuxta Auguſtinum, & poſt acceptum ſpiritum ſanctum deliquit Petrus, & ita deliquit, ut à Paulo meruerit acriter obiurgari. Diſſenſit à Barnaba Paulus, quod fieri non potuit, niſi alterutro errante. Quod ſi prorſus exiſtimemus labefactari ſcripturæ totius autoritatem, ſi uel leuiſſimus error uſquam inſit, certe pluſq; probabile eſt, in omnibus exemplaribus, quibus nunc utitur eccleſia catholica, nullum eſſe tam emendatum, cui non uel caſus, uel ſtudium alicuius, mendi nonnihil aſperſerit. Iam ſi placet ſuperior ratiocinatio, aut hoc planè negandum eſt, aut labaſcet uniuerſa fides diuinæ ſcripturæ. Atq; hæc dixerim optime lector, nõ quod huius ſententiæ uelim uel autor eſſe, uel patronus, ſed ſi qui forte ſunt, qui putent huiuſmodi nodos, quos aliquot nectit Hieronymus, explicari non poſſe, ne protinus ſic interpretentur, ob unum aut alterum uerbulũ, labefactandam totius ſcripturæ ſacræ autoritatem, iniquiores erga ſacros libros, quàm erga prophanos. Grauis autor eſt Suetonius, etiam ſi in uno, aut altero loco lapſus eſſe comperiatur. Quod ſuffugium ſi non recipitur, equidem malo credere, uel apud Hebræos, uel apud nos locum eſſe deprauatum: aut ſi quid mutatum eſt diuino conſilio mutatum in melius: aut denique ſcripturam quidem eſſe ſynceram, ſed noſtram imbecillitatem non aſſequi myſterium. Illud repetam, ſi

Excuſſa quædam Hieronymi.

Errarũt & apoſtoli, ut homines, at non in ijs, quæ ad ſalutẽ noſtrã pertinebant.

Hie-

Hieronymo fuisset Euangelium Matthæi scriptum Hebraice, hoc sanè loco testimonium illius adduxisset. Quanq; aũt impudens uideri possit, si nos conemur explicare nodũ, quẽ Hieronymus ipse non explicat, explicaturus haud dubie, si potuisset: tamen illud secũ perpendat uelim lector pius ac diligens, num hac ratione possit ex his angustijs emergi, ut dicamus, subito in medio sermone personam cõmutatam, quod aliâs quoq; factũ animaduertimus in sacris libris. Imaginemurq; prophetæ uerba sic recitari, uel à pharisæis, uel ab Euangelista, ut de suo nonnihil admisceat, quod tamẽ haud quaq; aduersetur sensui prophetiæ. Siquidẽ cũ propheta sentiret antea Bethlehẽ humilẽ, contẽptamq; fuisse præ cæteris Iudæ ciuitatibus, tamen futurum, ut eiusmodi partu ædito, superet omnes felicitate, celebritateq;: quod à propheta dictũ erat, tacuit Euãgelista, quod sensit explicuit, non ad id tempus respiciẽs, quo hæc scripsit propheta, sed ad sua tempora, quibus ædito Iesu, desijt esse minima Bethlehem, ac maxima cœpit esse. Perinde quasi dixisset: Quod olim prædictum est à uate, fore ut ex omnium minima, fieres omniũ maxima, id iã contigit. Adijciam & illud, quo lectori copiosiorem commentandi materiam suppeditem. Haud scio an per hyperbolen dictum accipi possit: Nequaq; minima es in principibus Iuda, ut quam uehementer humilẽ intelligi uoluit, negaret uel minimam esse inter principes, perinde ac si extremæ notæ hominẽ, negemus esse in hominum numero: & quemadmodũ Paulus supra modũ contempta, uocat ea quæ non sunt. Subindicat & tale quiddam diuus Hieronymus Michææ locum enarrans: Et tantis, inquit, milibus cõparata, uix paruus es uiculus. Hæc usum est in mediũ afferre, partim quo liberum sit lectori sequi, quod maxime probandum existimarit, partim ut ex his aliquid forte succurrat melius, ut solent alia ex alijs in mentem uenire studiosis. Septuaginta uerterunt ad hunc modum: καὶ σὺ βηθλεέμ οἶκος εὐφραθᾶ ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ιούδα, ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται, τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ ἰσραήλ, id est, Et tu Bethlehem domus Ephratha, nequaq; minima es, ut sis in milibus Iuda. Ex te mihi egredietur, ut sit in principem Israël, etiamsi in Aldina æditione deest ἔκισα, aut οὐδαμῶς, si uera refert Hieronymus. Hebraica hunc in modum transtulit Hieronymus: Et tu Bethlehem Ephratha, paruulus in milibus es Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël. Cæterum quod Latine dicitur paruulus, Hebræis צָעִיר non simpliciter paruulum significat, sed adulescentulum & iuuenculum. Vnde & in psalmo: Adulescentulus sum ego, & contẽptus. Pro adolescentulo est צָעִיר. Ad hæc notat Hieronymus eandem ciuitatulam Bethlehem, quæ sita est in regione Ephrata, nunc uendicari sorti Iudæ, nunc Simeonis, nunc Beniamin. Porrò Ephrata אֶפְרָתָה Hebræis sonat furorem, siue καρποφόρον, id est, frugiferam, autore Hieronymo. Illa quoniam leuicula sunt, satis est indicasse, quod, In principibus dixit, pro inter principes, & exiet, pro exibit. Item pro Dux esse ἡγούμενον, participium eius uerbi, unde deductum est ἡγεμὼν, quod principem, ac ductorem significat, ac modo uerterat, principem. Vnde forte melius uertisset: Exibit qui dux sit populo meo

Nodus explicatus, quẽ Hieronymus non explicuit.

Hyperbole. Quomõ possit accipi, Bethlehem nõ esse minimam.

Paruula quid proprie sit Hebræis.

Qui regat populum meum.) ὅστις ποιμανεῖ, id est, Qui recturus est, siue reget futuri temporis, suffragãtibus & Latinis exemplaribus uetustis, nominatim eo quod exhibuit Ioannes Coletus. Id significat non simpliciter regere, sed pascere, ut aliquoties transtulit, & regere quomodo pastor gregem. Quanq; Græca uox non respondet Hebraicæ, quæ hoc loco dominatum magis significat. Cæterum in psalmo, Quare fremuerunt gentes: Reges eos in uirga, ποιμανεῖς, quod uerterunt Septuaginta, respondet Hebraicæ quæ est תִּרְעֵם, de quo nonnihil annotauit & Hilarius psalmum hunc enarrans.

Regere bifariam.

Interrogate diligenter.) ἀκριβῶς, id est, Exacte, quod absolutam quandam significat diligentiam. Inde uerbum ἀκριβόω, quo mox usus est: ἠκρίβωσεν παρ' αὐτῶν, id est, Diligenter didicit ab illis. Id significat accurate, exactaq; cura quippiam agere, ubi quis omnibus neruis incumbit. Nec est, interrogate, sed, exquirite, siue examinate, ἐξετάσατε. Quin & illud parum commode reddidit, Tempus stellæ quæ apparuit eis, τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος, quæ apparuisset, siue apparuerat. Nos quo dilucidior esset sermo, uertimus hunc in modum: Quo tempore stella apparuisset. Nec additur apud Græcos eis. Cæterum pronomen interpres addidit, quo dilucidior esset narratio.

Inuenerunt puerum.) Minutula sunt & illa, quod Græce non παῖς est, sed παιδίον diminutiuum, quasi dicas, puellum: quemadmodũ & superius, diligenter interrogate de pue-

ro, πρὸ τοῦ παιδίου. At paulo superius, Præcedebat eos, προῆγεν. Quod ita est præcedere quempiã, ut sit ceu dux uiæ. Præterea, Gaudio magno, χαρᾷ μεγάλῳ, id est, Gaudium magnum Atticorum more dictum est, quod tamen Latine uertit interpres. Etiam si Terentius dixit: Solidum gaudere gaudium. Et Vergilius: Furere furorem. Item quod Intrantes domum, pro ingressi domum, ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν. Nam quod πεσόντες, id est, prostrati, uertit procidentes, propè coactus fecit, & mollius est. Hæc & id genus minutula multa sciens prætereo, ne lectori sim fastidio.

Et responso accepto.) Dicat aliquis: Quid responsum est his, qui nihil interrogauerant? χρηματισθέντες dicuntur oracula, quæ redduntur à numine aliquo, sed petentibus aut consulentibus. Vnde commodius uertisset oracula moniti, siue oracula accepto. Nisi forte destituti ductu stellæ, desiderarunt aliquod signum diuinæ uoluntatis. Deinde, Ne redirent, Græce est, μὴ ἀνακάμψαι, id est, Ne reflecterent, si libeat superstitiose uertere. Verbum aptum, ac peculiare facientibus iter nauigio aut equis. Ac mox:

Responsum pro oraculo.

Apparuit in somnis. φαίνεται κατ' ὄναρ, id est, apparet per somnium, uerbo præsentis temporis: quãquã interpres Latine ac probe uertit. Rursus illud, Surge & accipe, ἐγερθεὶς παράλαβε, id est, Experrectus adiunge tibi, siue assume comitem. Ac mox, ὁ δὲ ἐγερθείς, At ille experrectus siue excitatus. Quanquam ante iam admonuimus hanc uocem communem esse expergi scenti, surgenti, & reuiuiscenti.

Dissentio Septuaginta ab Hebraica ueritate.

Ex Ægypto uocaui filium meum.) Ex hoc testimonio quod Matthæus adduxit ex Osee cap. undecimo, Iulianus ansam arripuit calumniandi Christianos, quod Euangelista uiolente detorserit ad Christum, quod dictum sit de Israële, nimirum sequutus æditionem Septuaginta, qui locum hunc transtulerunt in hunc modum. Quia paruulus Israël, & ego dilexi eum, & ex Ægypto uocaui filios eius. Sicut uocaui eos, ita abierunt à facie mea. Ipsi Baalim immolabant, & sculptilibus adolebant incensum. Cæterum iuxta fidem Hebraicã diuus Hieronymus ita transtulit: Quia puer Israël, & dilexi eum, & ex Ægypto uocaui filium meum. Vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorum. Baalim immolabant, & simulacris sacrificabant. Verum hisce de rebus, neq; enim nos in præsentia hoc agimus, Hieronymus copiose disserit, hunc enarrans locum: idemq; proprium super hac quæstione tractatum ædidit: nec prætermisit locum hunc in libro ad Pammachium, de optimo genere interpretandi. Idem indicat, posse uideri sumptum è libris Numerorum, capite uigesimoquarto, dicente Balaam: Deus ex Ægypto uocauit eum, gloria eius quasi gloria unicornis.

Et mittens.) καὶ ἀποστείλας, id est, Missis carnificibus, aut ministris, aut satellitibus. Neque enim alioqui recipit Latini sermonis cõsuetudo. Quanq; Græcis ἐπιστέλλειν dicitur absolute, qui mittit epistolam: & ἀποστέλλειν, qui mittit mandatum aut nuncium.

ἐπιστέλλω, ἀποστέλλω, absolute.

Et in omnibus finibus eius.) τοῖς ὁρίοις αὐτῆς. Eius, non refert Herodem, sed Bethlehem: id quod in Græcis indubitatum est. Eam ambiguitatem quo nos effugeremus, uertimus In omnibus finibus Bethlehemiticis.

A bimatu & infra.) ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, id est, omnes qui bimuli essent, aut minores. Nam διετὲς Græcis duorum annorum spatium est. Rursum, ἠκρίβωσε, quod supra uertit diligenter didicit, hic transtulit, Exquisierat.

Vox in Rama audita est.) Testimonium desumptum est ex Hieremiæ cap. trigesimo primo. Quanq; Euãgelista nec iuxta Hebræum retulit, nec iuxta Septuaginta æditionem. Quemadmodum clare fatetur Hieronymus, prophetiam edisserens, ne quis mihi succenseat. Siquidem iuxta Septuaginta sic legimus: φωνὴ ἐν ἁρμᾷ ἠκούσθη θρήνου, καὶ κλαυθμοῦ καὶ ὀδυρμοῦ, ῥαχὴλ ἀποκλαιομένη ἐπὶ τῶν υἱῶν αὐτῆς, καὶ οὐκ ἠθέλησε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσίν. Ad hunc quidem modum habet æditio Aldina, tametsi non omnino respondet ad ea quæ refert Hieronymus: nisi quod suspicor in Latinorum codicibus hæc pleraque fuisse depraua ta. Siquidem hic quæ tribuuntur Septuaginta, magis congruunt cum his quæ Hieronymus uertit ex Hebraica ueritate, nisi forte hæc librariorum incuria confusa fuerunt: Vox in Rama audita est, lamentatio, & fletus, & luctus, Rachel plorantis filios suos, & noluit conquiescere, quia non sunt. Iuxta Hebraicam ueritatem ita uertit Hieronymus: Vox in excelso audita est, lamentationis, & fletus, & luctus, Rachel plorantis filios suos, & noluit consolari super filijs suis, quia non sunt. Hieronymus admonet hic Rachel positum

non

nō pro muliere, ſed pro loco ipſo, quod Rachel enixa Beniamin, ſepulta fuerit iuxta Bethlehē. Itaq; propter corpuſculi hoſpitiū locus nomē accepit ſepultæ. Præterea Rama nō eſſe uocabulū loci, quēadmodū uidet: Sed רָמָה, Rama Hebræis excelſum ſonat, ut clarā ac longe lateq; ſonantē, plorantis uocē intelligas. Proinde mirū eſt interpretē, quiſquis fuit, Græcū: nā Matthæus Hebraice ſcripſiſſe creditur, reliquiſſe uocē Hebraicā רָמָה, niſi forte pro loci uocabulo tranſtulit. Nā eſt omnino huius nominis locus in tribu Aſſur, iuxta Gabaa.

Rama quid Hebræis ex Hieronymo.

Ploratus & ululatus.) Pro duobus quæ nos legimus, Græci codices habēt tria, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς, id eſt, Lamentatio, ac ploratus ac fletus. Ac totidem recenſet Hieronymus, idq; iuxta autoritatem tum Septuaginta tū Hebraicæ ueritatis. Sunt autem nominandi caſu poſita, cum per genitiuum uerterint & Septuaginta, & diuus Hieronymus. Cæterum quod ſequitur, Noluit conſolari, uel amphibologiæ uitandæ gratia potius uertendum erat, Noluit conſolationē admittere. Quia nō ſunt: Hoc ſubito uidetur ad Rachelis perſonā referri, Noluit hoc nomine conſolari, quaſi nō eſſent ij qui mortui ſunt, quū ad meliorē uitam profecerint. Tale quiddam admonet Hilarius in Canone. Simile quiddā & Theophylactus. Mihi ſimplicius uidetur, ut intelligamus nō eſſe dictos, qui perierūt. Siquidē his uerbis, non ſunt, propheta uoluit explicare dolorē Rachelis inconſolabilē: & Herodis immaniſſimā crudelitatē. Offendit Hilariū quod nō eſſe dicātur, qui pro Chriſto trucidantur. Illud leuiculū, quod ἰδοὺ φαίνεται, id eſt, Ecce apparet, uerterit, Ecce apparuit, mutato uerbi tēpore. Cū præſentis abuſus aptus ſit rem ceu iā gerat narrāti. Nā de hoc ἐγήθεις ἔλαβε ſuperius admonuimus. Rurſum Audiēs, ἀκούσας δὲ, pro, Cū audiſſet autē: id quod paſſim negligit interpres, nec id tamē perpetuo, ut intelligas ἐθυμίαν fuiſſe potius, q̄ iudiciū aut inſcitiā. Illud recte mutauit, Quod regnaret, ὅτι βασιλεύει: qd Græcus interpres Hebraice magis q̄ Græce dixit, Quod regnat. Cæterū Herodes hic pater fuit Archelai, quo Lugdunū relegato p Tiberiū Cæſarē, ſubſtitutus eſt in regnū frater huius Herodes à quo fuit irriſus Chrs, filius illius ſub quo fugit in Ægyptū. Iudæā hic, p parte regiōis Iudaicæ poſitū admonuimus antea.

Amphibologia ſemper uitanda.

Herodes quis

Timuit illò ire.) ἐκεῖ ἀπελθεῖν. Illò aduerbium eſt, etiamſi in uetuſtiſſimis codicibus ſcriptum eſt illuc. Nec eſt ire, ſed abire, ἀπελθεῖν.

Et admonitus.) χρηματισθεὶς δὲ κατ' ὄναρ. Miras huius interpretis delicias, quod modo uerterat, Reſpōſo accepto, nūc trāsfert, Admonitus. Diuus Hieronymus putat χρηματισμὸν dici, quoties deus per ſe reſpondet. Nec eſt, Et reſponſo accepto, ſed, Sed accepto reſponſo, licet reclamantibus exēplaribus Latinis. Quanq; minutius hoc, uelut & illud, ἐλθὼν κατῴκησεν, Profectus habitauit, ſiue, Venit & habitauit. Etiāſi in nōnullis codicibus eſt ἀπελθών.

Tacita inuerſio.

χρηματισμὸς quid proprie.

Per prophetas, quoniā Nazaræus.) διὰ τῶν προφητῶν. Solitus citare nominatim autorē prophetiæ, nūc in genere dixit, Per prophetas, quod נָזִיר Hebræis ſanctus ſiue conſecratus dicit iuxta Septuaginta. Et nō uno in loco, ſed paſſim Chriſtus ſanctus dicit, quādo de illo ſcriptū eſt, Cū uenerit ſanctus ſanctorū, ceſſabit unctio ueſtra. Symmachus ſeparatum uertit. Alij floridū exponūt נֵצֶר. Nezer eſt Hebræis flos uel germē, ut Septuaginta uertērūt, dicit: uerū hoc per ע, illud p ו ſcribit. Huc reſpiciētes aliqui, dū cōnatur hoc teſtimoniū ad certū referre locū, ſumptū putant ex Eſaiæ cap. xi. Et egrediet uirga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Porrò גֶּזַע, quod ſoli Septuaginta trāſtulerūt Radicē, Aquila Symmachus ac Theodocion uertērūt κορμὸν, id eſt, Stirpem ſiue truncū. In hanc fermè ſententiā Hieronymus, qui locū hunc annotauit, & in libello ad Pammachiū de optimo genere interpretādi. Chryſoſtomus homilia in Matthæum nona, exiſtimat hoc oraculū adductum ex aliquo uoluminū, quæ uel negligentia, uel impietate ludæorum, uel temporū, ac bellorū iniuria perierunt. Illud addam, ὅτι, id eſt, Quia, coniunctio hoc ſanè loco fuerat omittenda, niſi reddidiſſet hūc ad modum, Quod Nazaræus uocandus eſſet.

Nazaræus quid hebræis.

גֶּזַע, truncus eſt, non radix Hebræis.

EX CAPITE TERTIO.

Pœnitentiam agite.) μετανοεῖτε. Quod plerunq; uertit, Pœnitentiam agite. Opinor quod Pœnitete, ſiue Pœnitemini, parum Latinum uideretur: quanq; & ſic uertit alicubi. At noſtrum uulgus putat eſſe pœnitentiam agere, præſcripta pœna quapiam luere commiſſa: quod apud Chriſtianos, qui publice peccaſſent, eiecti è conſortio, propalàm affligerentur. Eaq; ſatiſfactio ſiue pœna, pœnitētia uocari cœpta. Qua quidē ex re, non mediocris error theologis quibuſdam, qui quod Auguſtinus de pœnitētia, hoc eſt, publica ſatiſfactione ſcripſit, ad animi dolorē, quā

contritionē uocāt detorquēt. Alioqui μετάνοια dicta est à μετανοῦμι, hoc est, à posterius intelligēdo: ubi quis lapsus, re peracta, tum demū animaduertit erratū suū. Quæ iuxta prouerbiū Homericū, prudētia stultorū est, ut & μεταμέλεια: quū socordes in re peragēda, sero incipimus esse attēti, iā admoniti nostris malis. Græcæ uocis elegantiā annotauit Tertullianus lib. aduersus Marcionē 2. Nam & in Græco, inquit, sono pœnitētiæ nomē nō ex delicti cōfessione, sed ex animi demutatione cōpositum est. Meo iudicio cōmode uerti poterat, Resipiscite, siue Ad mentē redite. Siquidē resipiscit, cui uita superior displicet. Cæterū, pœnitentiā agere, pro affici ducique pœnitudine, ut nolim pronūciare barbarū ac solœcū, ita non memini legere apud probos autores. Actus pœnitentia, pro ductus pœnitudine, semel est apud Suetonium. Et apud Plinium in epistolis, pœnitentiæ pœnitentiā egit, reperit, sed addito casu paterno. Sic enim dixisse uidet, Pœnitentiā agere, pro pœnitere: quēadmodū dicimus, Vitā agere, pro uiuere. Absolute posuit Valerius Max. ca. de sapienter dictis ac factis. Respondit, utrū horū feciſſet, pœnitentiā acturū, quod ex ijs quæ mox præcedunt, facile liquet, cuius rei sit pœnitudo. Veluti quū dicimus, Duxi uxorē, sed pœnitet. Cæterū nō admodū arrisit periphrasis, Vitæ prioris pœnitentiā agite. aut, Delictorū pœnitentiā agite. Et tamē erāt homines pij iuxta ac eruditi, quibus circūitio magis placuit, ne quis calūniaret, ut nūc sunt mores ac tpa, pœnitentiā ab Euāgelio profligatā. Quanq; non protinus ideo profligat salubris illa satisfactio, quæ comitat resipiscētiā, ac lachrymis, pijsq; officijs delet, & quodammodo pēsat delictum, si Græca uox, non à pœna, ut quibusdam uidetur ducta pœnitentia, quū probabilius sit ductam à ponē tenēdo, sed à resipiscendo, mutataq; sententia deducitur. Nos igitur utrunq; uertimus, ut omnibus quantum licet gratificemur.

Resipiscere, pro pœnitentiam agere.

Appropinquabit enim.) ἤγγικεν. Dubium nō est, quin errore librariorū acciderit, quod perpetuo penè legatur futurum pro præterito, in hoc sanè uerbo, cum sit appropinquauit. Atq; ita citat Chrysostomus homilia decimaquarta. Id eo frequētius accidit, quod nōnullæ nationes præpostere uice. b. pronūciant. u. & cōtra, ut uiuere pro bibere, bibere pro uiuere. Quanq; in huiusmodi uerbis Græci nonnunq; abutūtur præterito uice præsentis. Mollius erat, Instat, siue adest, siue In propinquo est regnum dei. Nam id est appropinquasse, in propinquo esse. Siquidem Iudæis adhuc in umbris & ceremonijs uersantibus, aduentabat quidem, sed eminus. Certe appropinquauit præteriti temporis scriptū reperi in uetustissimis exemplaribus Latinis in hoc consentientibus, atq; etiam in excusis plerisq; castigatioribus. Subindicauit & Origenes uerbum Appropinquauit, non ad tempus, sed ad actum referri, homilia in Matthæum prima. In uno Donatianico erat, appropinquat.

Appropinquabit, non recte.

Vox clamātis.) Ipse Ioānes Baptista, apud Ioānem Euangelistā testat hoc de se dictum. Est aūt apud Esaiam cap. quadragesimo cōsentiente Hebraica ueritate, cū æditione Septuaginta: nisi quod Septuaginta nō repetunt, In solitudine. Græca sic habent φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους τοῦ θεοῦ ἡμῶν. Porrò quod apud prophetam est, Dei nostri, Euāgelista sensum reddēs, nō uerba, posuit Eius. Cæterū Parate, Græce est, ἑτοιμάσατε, hoc est, Promptā, paratā, & expeditam reddite. Hebraica uox פַּנּוּ proprietatē habet, ut significet uiā apertā, & oculis intuentium conspicuam facere, à uerbo פָּנָה, quod est Respexit. Obstāt enim affectus mundani, quo minus homines uideāt Christum aduenientē: quibus sublatis, iā ceu præparata uia domini, cōspicitur aduenies salus.

Habebat uestimentum de pilis.) ἔνδυμα αὐτοῦ, id est, Indumentum suū, & è pilis magis q̄ de pilis: deinde cameli, non camelorum. Quanq; hæc non magnopere faciunt ad sententiam: tamen quo scripturæ seruaretur integritas, non ab re putauimus admonere. Et zonā Græce dixit, pro cingulo: tametsi zonæ uocabulum Latinis receptum scio.

Esca aūt.) τροφή, id est, Cibus, siue alimonia, à τρέφω, Nutrio. Cogor hoc loco desiderare prudentiā in nōnullis scriptoribus, quorū de numero est Nicolaus Perottus, qui nolunt locustas hoc loco animal esse, sed fruticem nescio quem, aut surculū delicatum, & ceu rem uehemēter impiā execrantur, si Ioannes uir tātus, tam uili cibo pastus dicatur. Atq; hic deum immortalem, q̄ insulse rhetoricatur Calepinus, rogās cur amicus dei non eadem opera mascas ederit, & cætera portenta, quibus deus afflixit inimicos suos Ægyptios. Primum constat, non Parthos solū, sed & alias nationes locustarum esu uictitasse. Siquidem Plinius lib. undecimo, cap. uigesimonono, testatur hoc istis tā abominandū animal. Parthis in delicijs etiā fuisse. Idem lib 6. cap. 30. refert quosdā Æthiopiæ populos non alio cibo uiuere, q̄ locustarū.

Notatus Perottus & Calepinus.

Locusta quid

ſtarũ,quas in hunc uſum fumo ſalecq; durarent. Nec id negat Perottus, tantum uilitate cibi offenditur. Atqui hoc ipſum Euangeliſta retulit in laudem Ioannis,quod uili parabiliq; cibo uixerit: nõ quod affectarit Ioãnes eũ cibum,quem opinor cum apud Herodem ageret, quibuſlibet cibis uſum fuiſſe,ſed quod eremus hunc cibum & hunc ueſtitum ultro ſuppeditaret.Deniq; quos cibi uilitas offendit,cur ĩdem nõ offenduntur pilis camelorum, & cingulo coriaceo? Quaſi uero magis conuenerit,ut præco pauperis Chriſti,& ad crucẽ deſtinati,placentis & Atticis bellarĩs ſaginaretur,& ſericis ac mileſĩs ornaretur ueſtibus. Verũ hæc non minus ethnice dicta ſunt,q̃ Platina crimen Gregorij pontificis Ro. huius nominis primi deprecatur,cuius cauſam ſic agit,quaſi ille prorſus uir impius ſit futurus, ac non ignoſcendi facinoris autor,ſi conſtet paganicæ uetuſtatis monumẽta ab eo ſubmota fuiſſe. *Notatum Platin.*

Et omnis regio circa Iordanem.) καὶ πᾶσα ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, id eſt, Et omnis regio undiq; finitima Iordani. Omitto leuicula illa, quod ἰδὼν uertit Videns,pro, Cum uidiſſet. Quod πολλοὺς τῶν φαρισαίων, id eſt, Multos Phariſæorum, Græce magis quàm Latine dixerit,pro Multos è phariſæis,ſiue Multos phariſæos.

Progenies uiperarum.) γεννήματα ἐχιδνῶν. Idem eſt, quod aliâs uertit, Genimina uiperarũ,ſed parũ Latine.Nam progenies dicuntur ab alio progeniti:atq; idem ſonat Græca uox. Poterat dicere,filios,ſiue germina Genimẽ enim haud arbitror uſq; cõperiri apud probatos autores.Nam geno pro gigno,quo uſus eſt Varro & Lucretius,ſed in poëmate, uerbũ eſt Obſoletius,quam ut hodie quiſq; uti uelit. Atq; ut hoc utcunq; reperitur, ita genimen nuſq; eſt inuenire.Ego ſanè quod ad me pertinet,uellẽ inueniri,ac receptum eſſe.

Quis demonſtrauit uos.)In uetuſtis & emẽdatioribus codicibus ſcriptũ eſt, Vobis,nõ Vos, ὑπέδειξεν ὑμῖν, & magis Subindicauit,ſiue ſubmõſtrauit,q̃ demonſtrauit:quaſi dicas, clanculum indicauit & admonuit,ut fugeretis imminens periculum.Nã quod ἀπὸ μελλούσης ὀργῆς, id eſt,A futura ira,uertit A uentura ira,recte mutauit:niſi quod apertius erat, Ab ira quæ futura eſt,ut certam intelligas iram iam inſtantẽ.Certe Futura legitur in aureo codice.

Fructum dignum pœnitentiæ.) καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας, id eſt, fructus dignos pœnitentia. Quanq; ambiguum eſt,utrum genitiuus pœnitentiæ,pertineat ad nomẽ fructus, an ad dignos,quod raro iungitur apud Latinos paterno caſui.Et ita poſitum eſt, ut magis uideatur referẽdum ad proximam uocem dignos,ut ſit ſenſus,Si uere uos pœnitet, ut præuobis fertis,ſic uiuite,ut appareat uos reſipuiſſe,& ex animo priſtinæ uitæ pœnitentia teneri.In eum fermè ſenſum Chryſoſtomus enarrat. Nos uertimus:Facite fructus qui deceant pœnitentiam,quo uitaremus amphibologiam,uel ſenſum potius abſurdum.Nam fructus digni pœnitentia ſunt,quorum merito aliquem pœnitere debeat.Nec mihi diſplicet ut Digitos accipiatur abſolute pro legitimos & idoneos,quomodo non infrequenter uſurpatur apud Græcos,apud Latinos quoque nonnunquam. *Dignus cui ea ſui adiũgatur*

Et ne uelitis dicere.) καὶ μὴ δόξητε λέγειν, id eſt, Ne uideamini dicere:ut ſit ſenſus, Ne ſic uiuatis ut uideamini totam fiduciam pietatis collocaſſe in affinitate patrũ. Quanquam poteſt & ſic accipi, Ne ſitis in hac opinione, ut dicatis uos eſſe filios Abrahæ:tanquam id ſufficiat ad iuſticiam,è ſanctis eſſe prognatos.Et mox, *Μὴ δόξητε*

Quoniam potens eſt.) ὅτι coniunctio aut omittenda erat aut uertenda in quod,non in quoniam,aut quia.

Filios Abrahæ.) τέκνα τῷ Ἀβραάμ. Articulus Græcus idicat Abrahæ,datiui caſus eſſe,nõ paterni.Quaſi dicat Abrahæ nõ defuturos filios,etiã ſi illi nõ ſint nati. Quidã in huiuſmodi uice articuli addunt pronomẽ ipſi,ſed amphibologia tolletur, ſi legas Abrahamo.

Iam enim ſecuris.) ἤδη γὰρ καὶ ἡ ἀξίνη, id eſt, Iam enim & ſecuris. Nec eſt ocioſa coniunctio:indicat enim cum epitaſi proximum inſtare periculum. Siquidem quamdiu ſpes eſt remediĳ,ſtercoratione,aut putatione ſubuenitur arborum uitĳs.Cæterum ultimæ deſperationis indiciũ eſt,quoties ſecuris admouetur radici.Diuus Hieronymus citat ſubinde ad radices,non ad radicem,licet reclamantibus Græcorum exemplaribus.

Excidet & in ignẽ mittet.) Vtrũq; uerbũ Græcis præſentis tẽporis eſt,Excidit,& mittit, ἐκκόπτεται,καὶ βάλλεται: Primũ ut ſententia ſit generalis:dcinde,qd abuſus tẽporis magis facit ad emphaſim periculi proxime imminentis: uelut admota radicibus ſecuri,iãiã futurũ ſit, ut funditus excidat arbor. Atq; ita legiſſe Cyprianũ,cõĳcere licet ex ipſius uerbis,quæ ſcribit in expoſitione orationis dominicæ.Nã cũ omis,inquit,arbor nõ faciẽs fructũ, excidat, *Excidĭtur,mittitur.*

& in ignē mittat, utiq; & sermo &c. Alioqui dicturus erat: Cū omnis arbor sit excidēda, & in ignē mittenda. Illud leuius, quod εἰς μετάνοιαμ, uertit in pœnitentiā, pro Ad pœnitentiā.

Qui aūt post me uēturus est.) ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, Qui uenit, præsentis tēporis, aut Qui uēturus est. Est ēm hoc participiū, quē admodū & illius uerbū anceps, ut intelligas uel ætate iuniorem Christum, uel succeſſurū in munus prædicandi. Illud minutulum,

Non sum dignus) οὐκ εἰμὶ ἱκανός, id est, Non sum idoneus. Et fortior ad uires refertur, non ad animi magnitudinem, ἰσχυρότερος, id est, Valētior, siue plus potens quàm ego, quū iuxta Latini sermonis elegantiam fortitudo magis sit animi q̄ corporis. Et ὑποδήματα soleas sonat, magis q̄ calceamenta: hinc dicta Græcis, quod pedibus subligentur.

In spiritu & igni baptizabit.

In spiritu sancto.) Quod in nostris additū est, Et igni, in nōnullis Græcorū exēplaribus erasum est, fortassis odio quorundā hæreticorū. Certe Hieronymus legit, In spiritu & igni: atq; item Hilarius, cūq; his Cyprianus: & in nōnullis Græcorū codicibus additū cōspicit. Atqui Chrysostomus homilia in Matthæū undecima, legit & interpretat, In spiritu & igni. Quanq; secus legit Theophylactus. Porrò ne quis in nostris codicibus arbitretur casu additū, sic legit & interpretat Hieronymus. Tametsi In præpositio, iuxta idioma Hebræi sermonis addita est. Quod genus est illud apud Ioannē, In spiritu dei ejicio dæmonia, quod perinde ualet, quasi diceret, Spiritu dei ejicio. Annotat hoc ut rem seriā Augustinus in homilia de uerbis domini ex Matthæo undecima, proferēs similes formas, percusserūt in gladio, Succenderunt in igni, & accepit cultros petrinos in quibus circunciderat filios Israel.

Cuius uētilabrū.) πτύον Græcis instrumentū quo grana repurgant à paleis. Augustinus edisserens psalmū 92. legit palam pro uentilabro, quod idem pala quoq; fieri cōsueuerit.

Triticū in horreū suū.) τὸ σῖτον αὐτοῦ. i. Triticū suū: Vt Suū pertineat ad triticū nō ad horreū. Atq; ita scriptū est, nō solū in oibus Græcis exēplaribus, uerūetiā emēdatis, ac uetustis Latinorū codicibus, nō solū calamo descriptis uerūetiā formulis excusis. Deinde paleā est, nō paleas. τὸ δὲ ἄχυρον, licet reclamantibus nostris exēplaribus. Verū hoc nihil ad sensum.

Debeo pro opus habeo.

A te debeo baptizari.) Nō est Debeo, sed χρείαν ἔχω, id est, Opus habeo ut abs te baptizer. Porrò uerbo baptizandi, tametsi Græco, tamen quoniam res ipsa noua eo ad nos permanauit, placuit cōstanter uti. Quanq; Cyprianus in epistola ad Cæciliū ausus est ita legere: Docete omnes gentes, tingentes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti.

Sine modo.) ἄφες ἄρτι. Quod hic uertit, Sine, mox transfert, Dimisit, cum utrobiq; sit idē uerbum. Quanq; non est idem, sinere, & dimittere. Rogo quis est hic lusus in literis diuinis? Aut dicendū erat, Omitte nunc, ut intelligas id, quod est consentaneū, Ioannem injecta manu, conatum uetare Iesum. Ac mox, Tunc omisit illū. aut, Sine nūc, & tunc sinit illū. Nam ἀφίκαμεν, præsentis temporis est, non præteriti.

Baptizatus aūt Iesus.) Iesus in aureo codice nō addebat, nec in uno Donatianico. Siquidē quū essemus proxime Brugis, qua nō alia ciuitas hodie florētior, aut bonorū ingeniorū feracior, in omniū celeberrimo cōgressu, quū aliorū principū innumerabiliū, tum præcipue Caroli Cæsaris semp Augusti, & R.D. Thomæ cardinalis Eboracēsis, scrutati sumus bibliothecā uetutissimi collegij, uulgo dicti, sancti Donatiani: quod hodieq; ueteris eruditiōis ac disciplinæ nō pauca tenet uestigia. Ibi reperimus Euangeliorū codices cōplures, quorū aliquot inscriptiōe etiā testabant se descriptos ante annos octingētos. Vnū, in quo testamētū nouū totū habebat: alterū oim uetustissimū, & usu tritissimū, sed mutilū & accisum: in quo nihil erat noui testamēti, præter epistolam Pauli ad Romanos, epistolas Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ. Horū nobis copia facta est, per omni uirtutū genere præcellentē Marcū Laurinum, eius collegij decanū. Habebat ea bibliotheca cōplures alios libros antiquitatis uenerandæ, quæ neglectu quorundā perierunt, ut nūc fermè sunt sacerdotū mores, magis incumbere patinis quàm paginis, & potiorē habere curam nummorū quàm uoluminū. Hoc te nescire nolui lector, quod horum codicum testimonio sum frequenter usurus in hoc opere. Et εὐθὺς quod hic est apud Græcos, in plerisq; Latinis codicibus non additur.

Sicut colūba.

Sicut columbā.) ὡσεὶ περιστεράν. Obscurius reddidit interpres. Videtur enim dicere, more columbæ descendisse spiritum sanctum, cum sentiat eum specie columbæ descendisse.

Et uenientem super se.) Ex Græco sermone nō liquet utri sint aperti cœli, Christo, an Ioanni, tum uter uiderit columbam descendentē. Atq; ex Euangelistæ uerbis magis uidetur ad Christū referri, quàm ad Ioannē, nisi quod sequitur, εἰς αὐτόν, quod interpres uertere debuisset

debuisset ,Super eũ,siue super ipsum.Alioqui si Super se sentiendũ erat, dixisset , ἐφ' αὐτὸμ Ad hæc, non referebat ut Christus hæc uideret,quæ fiebant propter Iudæos, quo euidenti signo intelligerent eum esse Messiam, non Ioannem ,ad quem alioqui uox patris missa uideri poterat , nisi columba palàm designasset Iesum . At Marcus, qui Matthæum redegit in compendium,aliquanto etiam obscurius facit ,& nisi res ipsa loqueretur,& obstarẽt hæc duo uerba, ἐπ' αὐτὸμ, prorsus intelligeremus Christum uidisse,non Ioannem . Lucas ita re censet,ut quis uiderit,non aperiat. Solus Ioannes palàm explicat,Ioannem Baptistã uidisse. *Marcus Matthæi abbreuiator, autore Augustino.*

In quo mihi complacui.) ἐν ᾧ εὐδόκησα. Verbum est peculiare diuinis literis, quo propensum animum,ac præcipuũ quendam affectum significant. Perinde sonat quasi dicas,In quo bonam de meipso habeo opinionem:&,ut ita loquar, Ipse mihi placeo:siue,In quo mihi complacitum est . Augustinus sermone sexagesimotertio legit , In quo bene sensi,sequutus Cyprianum suum , qui itidem legit libro aduersus Iudæos primo , cap.decimoquarto. Vterque sequutus uidetur Tertullianum qui libro cõtra Praxean legit, in quẽ bene sensi,& hic sequutus ut opinor Irenæum,qui frequenter hoc modo loquitur. Nam εὐδοκεῖμ id Græcis sonat . Vnde illis εὐδόκιμοι dicuntur , celebres & de quibus magnifica est opinio. Cæterum illud Dilectus,quod mox præcesserat, ἀγαπητὸς est Græcis,quod plerunq; uertere solet, Charissimus.Est enim nomen,non participium,& omnino plus quiddam indicat,q̃ dilectus.Atqui si usquam erat charissimus dicendum,hic certe dicendum fuerat, cum de filio Christo loquatur. Et ita citat aliquoties Hieronymus.

EX CAPITE QVARTO.



Vnc ductus.) ἀνήχθη, id est, subductus , siue sublatus,uelut è medio abductus. Nec enim protinus cœpit prædicare , sed abdidit sese dies aliquot. Porrò quod simpliciter dixit, à spiritu, solitus addere sanctum,palàm est eum loqui de spiritu , cuius modo meminerat, & ob id addidit articulum , ὑπὸ τοῦ πνεύματος. Nam quoties is accedit,ferè de spiritu sancto sentiendum esse docet Didymus in opere de spiritu sancto. Etiamsi πνεῦμα pro quocunq; spiritu , nõnunq̃ & pro mentis impetu usurpetur:cum πνοὴ non aliter q̃ pro flatu positũ reperiatur in arcanis literis, subnotante Augustino libro de ciuitate dei decimo tertio. Rursum diaboli nomen ubiq; reliquit interpres, & in Paulinis epistolis aliquoties,ubi non spiritũ impiũ,sed simpliciter delatorẽ aut calũniatorẽ significare uidet. Id em̃ Græcis sonat διάβολος, à uerbo διαβάλλω,qd' est deferre,traducere,siue infamẽ reddere. Cæterũ quod in Hilario pro à diabolo legit ,à Zabulo,fortassis errori librariorũ est asscribẽdũ. Tametsi eadẽ uox & aliãs apud hũc legit:nec tamẽ apud hũc solũ. Verũ undecũq; hoc inoleuit,certe cõstat ab Euãgelistis diabolũ appellari,nõ zabulũ siue zabolũ ut scriptũ reperi in emẽdatioribus codicibus. Sũt qui za positũ existimãt,pro διὰ, quod à uetustis Græcis in aliquot dictionibus factũ esse uerissimũ est,nimirũ iuxta proprietatẽ Aeolicã. Sed mirũ unde recẽtiores Latini , affectarint eã antiquitatẽ. Ad hæc quod hic uertit postea , ὕστερον, sæpe uertit nouissime,uerti poterat, Tandem esurijt , siue deniq; esurijt , ut intelligas eum tum demum sensisse famem. *πνεῦμα, πνοὴ,quid differant.* *Zabulus,pro diabolo.*

Accedẽs tentator.) ὁ πειράζων, id est. Is qui tentat. Ad eundẽ modũ Paulus apostolus, μή πως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων, id est , Ne quo modo tentasset uos,ille qui tentat, hoc est, ille qui solitus est tẽtare. Quãq̃ nomẽ uideri poterat πειράζων,uelut, εἰρωνὰ, p dissimulatore.

Nõ in solo pane.) Testimoniũ est Deut.cap.octauo,quod ad uerbum penè retulit Christus. Vt ostenderet tibi,quod non in solo pane uiuat homo,sed in omni uerbo,quod egreditur de ore domini. Cæterũ tã Græce q̃ Hebraice,uiuet est futuri tẽporis , ζήσεται, יִחְיֶה.

Tunc assumpsit.) παραλαμβάνει, id est, Assumit , hoc est , comitem abducit. Ac rursum paulo inferius , παραλαμβάνει est præsentis temporis . Cæterum pinnaculũ, πτερύγιον est, diminutiuum ab ala,quod in alarum morem motetur.

Angelis suis mãdauit.) ἐντελεῖται, id est , Mãdabit,futuri tẽporis. Atq; ita scriptũ cõperi in exẽplari Corsendoncẽsi,cõsentiẽtibus tribus Donatianicis. Similiter & apud Hebræos, יְצַוֶּה. Atque ita legitur in psalmo nonagesimo , unde locus hic desumptus est , consentientibus & Septuaginta ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περί σου. Calumniatur autem Hieronymus hoc in loco calũniatorẽ,quod perperã citarit scripturæ testimoniũ , decerpẽs quod erat cõmodum,& prætermittens quod offendebat . Omisit enim illud, Vt custodiant te in omnibus *Vetustũ exẽplar Corsendoncense.*

omnibus uijs tuis. Deinde tacuit quod ibidem sequitur, Super aspidem & basiliscum ambulabis. Postremo quod de quouis uiro bono dictum est, id detorsit ad Christum, cum ei totus psalmus non queat accommodari. Verum opinor diabolum non ob hoc uocandum in ius, quod inerudite citarit scripturam, sed quod maliciose & impie. Ad hæc, μή ποτε, qđ suo more uertit, Ne forte: rectius erat, Ne quando.

Πάλιν Græcis bifariam accipitur.

Dixit illi Iesus rursum.) πάλιν ita positum est, ut utróuis referri possit. Dixit rursum, aut, Rursum scriptum est. Deinde uox ea nõnunq̃ sonat iterationem, nonnunq̃ contrarietatẽ. Si ad, dixit, referatur, iterationem significat: nam semel ante responderat. Si ad sequens uerbũ, contrarietatẽ, quasi dicas, è diuerso scriptũ est, ut opponat scripturam illius scripturæ. At mox haud dubie significat iterationẽ, πάλιν παραλαμβάνει.

Non tentabis.) Locus est Deuteronomij cap. sexto. Apud Hebræos pluratiuo numero legit̃, Ne tentetis dn̄m deum uestrũ, secundũ quod tentastis in loco tẽtationis. Et hic Christus tantũ decerpit, quantũ erat cõmodũ. Reliquit enim quod sequitur: Sicut tentasti eũ in loco tentationis, quod ea pars non competebat, nisi in populũ Israeliticum.

Si cadens.) εἰ πεσὼν, id est, Si prostratus, siue pronus, Qui gestus est adorantis. Eodem uerbo usus est de Magis.

Vade & uade post me.

Vade satana.) Quid est uade? Num eum aliquò mittit Christus, ut dicat uade? Græce est ὕπαγε, id est, Abi, siue discede. Et additum est in Græcorum codicibus uulgatis, ὀπίσω μου σατανᾶς, id est, Post me satanas, at perperã siquidem Origeni credimus. Is enim annotat hanc differentiã homilia prima, Petro dictum esse, uade post me, satanæ tãtum dictũ, abi: quod prius illud competat in discipulum, iuxta illud: Venite post me, faciam uos fieri piscatores hominum. Posterius conueniat in eum, qui tantum reijciendus esset, non etiam ad morem gerendum inuitandus. Nec addit hæc uerba, Post me, Chrysostomus hũc enarrans locum homilia xiij. Contra apud Theophylactum adduntur. Proinde nostris exemplaribus hac in parte assentiendum puto, quod conijciam eas uoces ex altero Matthæi loco huc additas à scriptore memori scioloq̃, quod locis aliquot factum ostendemus. Augustinus enarrans psalmum nonum, legit: Redi retro satana. Atq; ita legitur non solum in plerisq; codicibus per typographos excusis, uerumetiam in uetustissimo codice ex bibliotheca Paulina apud Londinum, sed dissentiente exemplari Corsendoncensi. Apparet Retro positum pro ὀπίσω μου, sed mihi, ut dixi, probatur Origenis annotatio, præsertim cũ uideam Ambrosium aliquoties hoc citato loco, suffragari. Porrò שָׂטָן Hebræis sonat, aduersarium, & qui obsistit, atq; obturbat. At qui à tergo est, non obsistit. Proinde Petro, quia iã præire domino conabatur, increpans ne subiret mortem, dictum est, Sequere me, discipulũ agens, non aduersarium.

Satan Hebræis quid.

Dominũ deum tuũ.) Locus est Deuteronomij cap. sexto. Nisi quod illic pro Adorabis scriptũ est, Timebis, in æditione uulgata. Cæterũ qui adorat, is reueretur ac timet quem adorat. Præterea quod additũ est soli μόνῳ, Hebræus expressit per articulum, אֶת יהוה. אֶת, id est, Ipsum dominum. וְאֹתוֹ, Et illi ipsi seruies, ut intelligamus nullũ præterea adorandum, ac nulli præterea seruiendum, Cæterum quæ de λατρεία Laurentius disserit aduersus theologos, qui uolet ab ipso petat: nos breuitati studemus.

Laurẽtius aduersus theologos de latria.

Tũc reliquit.) ἀφίκσιν. i. Relinquit, p̃sentis tp̃is. Idẽ uerbũ quod superius uertit, Dimisit.

In ciuitate Capharnaum.) εἰς καπερναούμ. Ita scriptũ conspicimus in aureo codice, cõsentientibus aliquod Donatianicis. Ciuitatem interpres Latinus addidit de suo. At id magis factum oportebat in Nazareth, ob Græcum articulum appositum, τὴν ναζωρέθ.

Præpositio Græca sub audita.

Via maris.) Græcis accusandi casus est, ὁδὸν θαλάσσης, id est, Viam maris. Theophylactus Græcus interpres subaudiendam putat præpositionem κατὰ, aut παρά, hoc est, Iuxta uiam maris. Nam hic mare uocat lacum Genezareth, in cuius litore sitæ sint Capernaum, Tyberias, Bethsaida, & Chorozaim.

Galilæa gentiũ.) τῶν ἐθνῶν. Expressius erat, ἡ τῶν ἐθνῶν, articulo apposito. Sunt enim duæ Galilææ, altera cognomento gentiũ, in sorte Tribus Neptalim, finitima Tyrijs, in qua Solomon xx. ciuitates donauit Chirã regi Tyriorũ. Altera est in tribu Zabulon è regione Tyberiadis ac stagni Genezareth, autore Hieronymo. Tametsi quidã sic distinguũt, ut gentiũ referatur, non ad Galilæam, sed ad populum. Gentium populus qui sedebat in tenebris.

In regio-

In regione umbræ mortis.) Græci secus legunt, ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, id est, In regione & umbra mortis. Etiamsi iuxta Hebraicam ueritatē ita uertit Hieronymus, Habitantibus in regione umbræ mortis. Et Hebræis unica dictio est צַלְמָוֶת, composita ex umbra & morte, ut intelligas altissimam caliginem, qualis est apud inferos. Illud annotādum, Habitantibus mutatum esse in Sedentibus, etiam si sedes habitacula dicūtur. Alioqui qui sedent, ijdem qui modo ambulare dicebantur? Quanq; etiam pro illo ambulabat, positum est, καθήμενος, sedens, quēadmodū habebat unus codex Donatiani. Vnde liquet seu Matthæum, seu huius interpretē, sententiam reddere uoluisse, potius q; annumerare uerba prophetæ. Hieronymus enarrans hunc locū apud Esaiam, testatur à Matthæo iuxta Hebraicā ueritatē citari, etiāsi uerbis nōnullis præteritis. Omittit enim Euangelista: Primo tēpore alleuiata est, & nouissimo aggrauata est. Quod tñ mire dissidet apud septuaginta. Siquidē, p eo quod Hieronymus uertit ex Hebraica ueritate, Primo tpe alleuiata est terra, Septuaginta uerterunt, τὸ πρῶτον ταχὺ πίε, ταχὺ ποίει, id est, Hoc primū bibe, uelociter fac. Nam itidē citat Tertullianus libro aduersus Marcionē 4. Hoc primū bibito, cito facito. Nec hāc interpretationē, quæ nihil habet affine cum Hebræis, reiecit aut insectatur Hieronymus.

Sedere pro habitare.

Sedes pro habitatione.

Pœnitentiam agite.) μετανοεῖτε, Resipiscite. De quo superius dictum est. Et ἤγγικεν, Appropinquauit, siue instat & adest, aut in propinquo est.

Ambulans autem Iesus.) Iesus non erat in aureo codice. Quanq; arbitror & apud Græcos hæc nonnunquam addi, ob sermonis consequentiam, præsertim si quando decerpta recitantur è codicibus Euangelicis.

Mittentes rete.) βάλλοντας ἀμφίβληστρον. Est retis genus, quemadmodum & sagena, hinc dictum, quod undiq; complectatur. Nam rete Græcis, δίκτυον est.

Vos fieri piscatores.) Fieri, redundat. Græce est, Faciam uos piscatores. Porrò piscatores hominū, mollius est apud Græcos, ἁλιεῖς ἀνθρώπων. Nam piscator à piscibus dictus est, ἁλὶ τοῦ à mari, quasi iuxta Gallorū linguā dicas, marinatores, qđ in mari uenent. Quanq; hoc minutulū uelut & illud aliquanto post, Relictis retibus & patre, Græci addunt, suo, αὐτῶν.

Et sanans omnem languorem.) θεραπεύων. Quod sæpe uertit, curans: & omnino θεραπεύειν est mederi pharmacis. Vnde Galenus opus suum de morborum remedijs, θεραπευτικὸν appellat. Proinde miror Euangelistæ interpretem hoc uerbo abusum, quod magis uidebatur fugiendum. Quanquam eodem uerbo abusus est Marcus capite primo: καὶ ἐθεράπευσε πολλούς. Item Lucas capite quarto: ἐθεράπευσεν αὐτούς. Eadem ratio in uerbo Latino curare, quæ in Græco. Hoc loco fugit interpres Latinus, ac uertit sanans pro θεραπεύων. Cæterum in Marco ac Luca nō uitauit. Non enim statim sanantur qui curantur: & multi sanantur non curati. Deinde νόσον, quod planè morbum significat, hic plerunq; uertit languorem. Rursum μαλακίαν, quod ad uerbum sonat molliciem, non male uertit, infirmitatem, rectius tamen uersurus, languorem. Est enim languor, leuis ac lentus morbus, qui non affigit quidem lecto, sed tamen facit, quo minus firma simus ualetudine. Deniq; fortasse melius erat, Quemuis morbum, quàm omnem. Neq; enim sanauit omnes ægrotos, sed quemuis morbum: quosdam enim morbos medici putant immedicabiles. Nisi quod omnis pro quiuis abutuntur nonnulli Latinorum.

Apostoli non sanabāt pharmacis.

Abijt opinio.) ἀπῆλθεν ἡ ἀκοή, id est, Abijt auditus, ut uerbum uerbo reddam. Nec insicior opinionem inueniri pro fama: uerum non omnia quouis loco quadrant. Nos uertere maluimus, Dimanauit fama eius, uel ob hoc, quo uitaremus amphibologiam.

Opinio pro fama.

Tormentis comprehensos.) βασάνοις συνεχομένους, id est, Qui cruciatibus siue tormentis coarctabantur, siue contrahebantur. A morbis separauit tormina, quorum uiolentia corpus omne contrahitur. Torminibus ego malim, ob uitandā amphibologiam: sunt enim & quæstionum tormenta.

Tormina & tormenta.

Qui dæmonia habebant.) δαιμονιζομένους. Vnica uox est, qui à dæmonibus agebantur. Simile est quod sequitur, σεληνιαζομένους, quod interpres uertit, Lunaticos: quod certis in teruallis furor illos repeteret. Diuus Hieronymus negat hos uere affectos fuisse ui syderis Lunæ, cum essent dæmoniaci, sed arte dæmonū factū, quo creaturā dei infamarēt. Arbitror ob id Lunaticos dictos, qđ furor nō esset perpetuus, sed certis recurreret interuallis.

Lunatici qui.

De trans Iordanem.) καὶ πέραν Ἰορδάνου, Trans Iordanem. Interpres addidit, De. Repe-

riuntur

riuntur enim huiuſmodi ſic poſita, ut motū à loco ſignificent. Vt Quintilianus: Salutē publicam trans mare petēdam, id eſt, E tranſmarinis regionibus. Et peregre rediit, id eſt, ex peregrinatione. Et, foris acceſſit, id eſt aliunde. Nam, De ſub pede, de poſt fœtātes, orationes ſunt inauditæ Latinis. Poterat explicare periphraſi, à regionibus ultra Iordanem ſitis.

EX CAPITE QVINTO.



Videns autem Ieſus.) Ieſus, hoc loco non additur, nec in Græcis, nec in uetuſtis Latinorum codicibus. ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους id eſt, Cum uidiſſet autem turbas.

Pauperes ſpiritu qui Chriſto dicti.

Beati pauperes ſpiritu.) Video theologorum uulgus, inter quos eſt & Beda, id interpretari de tenuitate facultatum, cum potius referendum ſit ad animi celſitudinem ac ferociam. Si quidē Græci μέγα πνεῖειν dicunt elato eſſe animo, ac præferoci, cuiuſmodi ferè ſunt principes, aut qui regnum ambiunt. Atq; hic eſt fermè malorum omnium fons. Ad hunc ſenſum facit & id, quod annectitur, Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Porrò pauperes ſpiritu dixit, quod diuitum familiaris ſit ferocia. Certe diuus Auguſtinus palàm in hanc ſententiam interpretatur, cōmentariorū, quos in hunc domini ſermonem ædidit, libro primo, ac rurſum enarrans pſalmū ſeptuageſimū tertium. Neq; diſſentit Hieronymus, ita ſcribens: Adiunxit ſpiritu, ut humilitatem intelligeres, non penuriam. Itidem interpretatur & Chryſoſtomus homilia in Matthæum decimaquinta. Et huic cōſentiēs Theophylactus. Neq; ſecus, diuus Hilarius in Canone Matthæi.

Beati qui lugent.) In Græcis codicibus prius eſt, Qui lugent: poſtea Beati mites. Id opinor caſu factum, quod in huiuſmodi recenſionibus ſubinde labi ſoleant librarij.

Miſericordiam conſequentur.) ἐλεηθήσονται. Cur non eſt auſus uti periphraſi in conſolabuntur, cum hic non uereatur facere. Hilarius longiore, ſed dilucidiore circumitione eſt uſus; Quia ipſis, inquiens, miſericordiam præſtabit deus. Et Auguſtinus, Quoniam ipſorum miſerebitur deus.

Beati mundi corde.) καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, id eſt, mundi corde. Pro quo Auguſtinus dictione compoſita legit, mūdicordes, cum Græcis duæ ſint dictiones. Fortaſſis hic non parum quadraſſet, Puri corde, quod mundicies ſordibus magis opponatur, purum autem proprie dicatur, quod nullius admixtione ſit uitiatum: nam oculorū uice poſuit cor. Et aliâs oculum ſimplicem uocat.

Pacifici, qui pacē cōciliant

Beati pacifici.) εἰρηνοποιοί. Vt intelligas haud ſatis eſſe Chriſtianis, ipſos eſſe pacatos, niſi acceſſerit & inter alios pacis conciliandæ ſtudium. Annotauit hoc diligenter Chryſoſtomus. Sed hæc, ut nunc ferè ſunt mores, ſurdis canuntur.

Cum maledixerint uobis homines.) Homines non eſt in Græcis libris, ſed hoc uel interpres, uel quod probabilius eſt, librarius addidit de ſuo: quanq; non erat admodū opus. Id eò uiſum eſt admonere, ne quis fruſtra philoſophetur hic in dictione homines. Quod genus eſt apud Paulum, ſi adhuc hominibus placerem.

Et perſequuti uos fuerint.) Haud perperam interpres de ſuo repetit, Vos, quod apud Latinos maledicere & perſequi, non recipiant eundem caſum quem apud Græcos. Addidit iterum, homines, quod nec apud Græcos eſt, nec in aureo codice.

Omne malum.) Græci codices addunt uerbum, πᾶν πονηρὸν ῥῆμα, id eſt, Quoduis malū uerbū. Cōſentit exemplar quod Leone pontifice miſſum ſequuti ſunt Hiſpani. Nā quod mox πολὺς, id eſt, multa, uertit copioſa, probe fecit. Atq; hæc ſunt illius ſacroſanctæ phi-

Peculiaris Chriſti philoſophia.

loſophiæ dogmata, quæ Chriſtus tanta cura, tantaq; autoritate tradidit: neq; id promiſcuæ turbæ, ſed peculiariter ſuis, hoc eſt, ſacerdotibus & epiſcopis, imò omnibus ingenue Chriſtianis: neq; quouis loco, ſed in monte. Nec fruſtra addidit Matthæus, aperiens os ſuum. His nominibus ipſa ueritas, quæ neq; fallit, neq; fallitur, nobis felicitatem promiſit. Et tamen mirum quàm ad hæc frigemus omnes. Imò non pudet quoſdam abſolutam profitentes religionē, hæc eludere, uelut antiqua iam & obſoleta. Impium ferè habetur, non conſtabiliſſe rem, quocunq; modo. Bellum etiam in templis laudatur ab epiſcopis, à theologis, à monachis. Nam ipſe noui quoſdam, qui decantandis belli laudibus, ad epiſcopi dignitatem emerſerunt. Ariſtotelis decreta nos magis commouent quàm Chriſti. Atqui hæc eſt illius cœleſtis doctoris propria peculiariſq; doctrina, quam nemo philoſophorum unq; efficaciter tradidit. Audiui quoſdā qui ſibi uehemēter theologi uiderentur, ad hæc adorā-

da

da nobis,si modo uere Christiani sumus,nasum sanna corrugãtes, & ea modis omnibus abominantes,quæ Christus æterna felicitate pensat.Neq; ueritus est optimus ille Chrysostomus ad singulos beatitudinis gradus interpretari,quod Christus pronunciauit beatum,etiam in hac qualicunq; uita beatius esse,quàm illud quod mundus beatissimũ esse iudicat.Nos qui nobis uidemur plusquàm sesquichristiani,ne id quidem æquis auribus accipimus,si quis simpliciter accipiat eorum, quæ Christus docuit hic præstanda, præmium ab ipso reponendum in futuro.Et cum nobis permittamus,ut in his, in quibus totius religionis nostræ cardo est,impune simus impij,blasphemiq;,dictu mirum quas tragœdias excitemus,si quis ad commenticias quorũdam propositiones audeat hiscere.Sed his deplorandis alius fortasse commodior dabitur locus.

Sal euanuerit.) μωρανθῇ. Vt nihil causer de genere salis,quid est euanescere? Qua uoce reddidit in Paulo, ἐματαιώθησαν. Hic cum de sale loquatur,dicere debuit:Infatuatus fuerit,siue insipidus factus fuerit,aut certe, ut Vallæ placet, desipuerit. Quandoquidem Martialis & betas,quod insipidæ sint,fatuas uocat.Porrò quod taxat Valla,πόλιν nõ urbem,sed ciuitatem,esse uersum,non solum minutius est,uerumetiam iniquius,Quod genus est & illud, ὑπὸ μόδιον, id est,Sub modium,siue subter modium: cũ alioqui Græcis μέδιμνος modius sit.Annotandum autem interpretem,aut fortassis Euãgelistam ipsum Romana usum uoce,quod & aliâs sæpicule facit,uelut indicabimus suis locis.

Sal fatuus.

Romana uoce usus euangelista.

Vt luceat.) Θλάμπει, id est,Et lucet.Ostendit enim quid consequatur, non quid affectandum sit.In exemplari Paulino scriptum erat, Et luceat. Refertur enim ad lucernam quæ sic lucet,si fuerit imposita candelabro.

Quoniam ueni soluere.) ὅτι ἦλθον, id est,Quod ueni,siue quod uenerim. Siue, quod Latinius est,Ne putetis me uenisse.&,Ad soluendum potius quàm soluere.Quanq; hoc ipsum καταλύσαι potius significat destruere ac demoliri uel abrogare, quàm soluere, aliter enim soluitur lex,aliter pecunia debita,aliter zona siue nodus.

Amen dico uobis.) אָמֵן, quod apud Hebræos sonat fiat,siue uere,ceu uocem Hebræis peculiarem nemo uertit.Est autem uox confirmantis & asseuerantis.

Iota unum aut apex.) Cum probabile sit Iesum Hebraice fuisse loquutum,dubiũ non est quin quod hic Iota uocat,ea sit litera,quam Hebræi iod appellant,omnium minutissima,quæ sic nõnunq; adijcitur,ut propemodum superuacanea uideri queat.Sed quid apicem dixit? Cum ne Græcorum quidẽ uetustissimis mos fuerit apicibus uti, & sero apud Hebræos receptum sit,accentiuncularum notas ascribere,quibus tamen hodie non utuntur,nisi forte summũ elementi fastigium apicem uocauit,aut eam notam quæ nonnullis addita facit o לא. Mihi uidetur hic sermo καθ' ὑπερβολὴν dictus.Neq; enim laboratur de literarum apiculis:cum constet non pauca etiam uolumina ueteris instrumenti intercidisse,quorum nomenclaturam adhuc uidemus in canonicis uoluminibus,sed asseueratur nihil omnino promissum aut proditum in lege Mosaica,quod euangelium non absoluat. Ab hac sententia non abhorret Augustinus exponẽs sermonẽ domini in monte habitũ.

Iota & apex quid sit in euãgelio.

Hyperbole.

Nõ intrabitis.) οὐ μὴ εἰσέλθητε. Apparet positũ esse δυνητικῶς, ob geminatã negationẽ. Etiã si nõ negarim hæc aliquãdo significare tẽpus futurũ,p̃sertim cõduplicata negatiõe.

Reus erit.) ἔνοχος ἔσται, id est, Obnoxius erit.Quanq; & rei dicuntur obnoxij:ueluti reus uoti,qui uoto sese astrinxit,ac debitorem constituit.

Qui irascitur fratri suo.) In nonnullis Græcorum codicibus asscriptum est εἰκῇ, id est, Temere,aut sine causa.Verum Hieronymus edisserens hunc locũ,itemq; secundo dialogo aduersus Pelagium,negat id in uetustis, ac bonæ fidei exemplaribus repertũ.Et additum uidetur ab audaculo quopiam,qui ceu mitigare uoluerit,quod alioqui durius dictũ uidebatur.At quin eadem opera in cæteris idem adiecit,εἰκῇ? Qui dixerit racha sine causa,qui dixerit fatue sine causa.Proinde diuus Hieronymus duas has uoces,Sine causa, iubet eradi.Quanq; prior lectio magis probatur Laurentio. Et Chrysostomus homilia in Matthæum decimasexta,legere uidetur εἰκῇ,distinguens iram opportunam ab intempestiua,& negans affectum penitus eximi nobis,sed cohiberi duntaxat ac regi. His consentanea scribit Theophylactus.Non erat opus hic distinguere iram iustam ab iniusta, aut iram carnis ab ira animæ,aut iram qua irascimur homini & qua irascimur hominis uitio,

Sine causa additum autore Hieronymo.

si sentiamus dominũ hic loqui de ira uulgari, qui est motus animi tendens ad ultionẽ doloris, nimirũ primus ad homicidiũ gradus. Alioqui & iudex qui cũ ira punit nocentem, peccat aut certe imperfectus est, quũ hic Christus doceat perfecta. Verũ ut redeamus ad particulam εἰκῆ, id est, sine causa, quã diuus Hieronymus negat esse in ueris exẽplaribus, quid hic adferent qui contendunt hanc translationem ab Hieronymo fuisse castigatam? Quod damnat relictũ est, & quod relictũ est ad sensum pertinet nõ ad uerba, quæ uidet alicubi neglexisse. Augustinus lib. retract. 1. cap. 19. testatur in Græcis codicibus nõ addi sine causa, Nã in sermone habito in monte, uult etiam in cæteris duabus partibus subaudiri, qui dixerit, racha, sine causa, qui dixerit, fatue, sine causa.

Racha quid iuxta diuersos interpretes.

Qui dixerit fratri suo racha.) Apud Hebræos contumeliæ uox est, quasi Latine dicas cerebrosum, aut cerebro carentem siue uacuũ. In psalmo quarto exponitur, ריק per uanitatem: Decidam merito ab inimicis meis inanis. Atq; in hac quidẽ sententia est Hieronymus, qui perinde ualere putat racha, ac si Græce dicas κενός. Quin & Græci hominẽ nihili, ῥάκος appellant, à ueste detrita, reiiculaq; sumpto conuicio. Quod indicat & diuus Augustinus cõmentariorum, quos in hũc ædidit locũ, libro primo. At uidetur racha, magis esse uox indignantis, uelut interiectio. Alioqui quid intererit, inter racha & fatuũ? Con-

Excussa Hieronymi opinio.

sentaneum est enim Christum gradus quosdam ostendere, quorum primus sit irasci, secũdus sono aliquo incerto motum animi significare, tertius in manifestum conuicium prorumpere. Atq; ita sentit Augustinus eo loco quem paulo ante adduxi, Addens se id à Iudæo quopiam accepisse, Racha Hebræis interiectionis instar esse, eaq; uoce nihil certi, sed tantũ animi indignationẽ significari. Chrysostomus homilia decimasexta, tradit racha, non esse uocẽ grauioris aut atrocis cõuicij, sed ab impatientia, stomachoq; loquentis proficisci: quomodo seruis nõnunq; stomachosius loquẽtes dicimus: Abi tu, dic illi tu. Quin & Syriacæ linguæ testimonium adducit, in qua racha ponatur ꝑ eo quod est, tu. Sic em̃ seruis loquimur, & his quos contemnimus. Cum Chrysostomo concordat Theophylactus. Nõnulli sic distinguũt inter racha & fatuũ, ut differẽtia peccati nõ sit in dictis, sed in animo dicentis. Nam dominus suo more doctrinã suam attemperãs ad captũ simpliciũ, hoc modo proposuit exemplũ iræ leuis, quæ nõdum decreuit ultionem, & iræ grauioris per racha, & iræ grauissimæ quæ proxima sit homicidio per fatue. Alioqui plerũq; grauius peccat, qui tacitus irascitur, q̃ qui conuicijs debacchat. Nec desunt qui recha doceant esse legendum, non racha, quod Chaldæis sonet rocho. Eam uocem nolũt esse interiectionem, sed simpliciter significare uacuum. Nec esse conuicium, aut si est, leuius esse cõuiciũ, quod cõpetat in eũ qui careat eruditione, aut alia re, quã sibi quisq; parare ualeat sua industria, cũ fatui conuiciũ ptineat ad impietatẽ. Qd attinet ad dictionẽ racha, si recha legẽdũ est, quũ in codicibus Græcis ac Latinis sũmus sit cõsensus, aut Euãgelista reprehendit si Græce scripsit, aut interpres quẽ oportet antiqssimũ fuisse, quisquis fuit, nã quidã autumãt fuisse Ioannẽ Euangelistam. Deinde quũ dñs sit usus uulgari lingua, quæ Syro Chaldæoq; sermone corrupta fuit, si Chaldæi ꝑ racha dicũt rocho, quid mirũ, si dñs ꝑ recha dixit racha. Neq; em̃ cõsequit, sic scribitur in ueteris testamẽti uoluminibus, igit̃ sic pnũciauit Christ⁹, tametsi Græci codices rhaca habẽt nõ racha. Qd attinet ad distinctionẽ fatui cõstat Græce scriptũ μωρέ, quid Hebraice scripserit Matthæus nobis incertũ, q̃ uoce Paulus usus est de discipulis dñi, quæ stulta sunt mũdi elegit deus, nõ utiq; significãs impios, sed hũiles & imperitos iuxta mũdũ, & ipse Paulus agnoscit stulti uocabulũ, non qd uere stultus esset, sed qd stultorũ sit de se ipsis magnifice prædicare, quod tñ nõ est impietatis, sed ineptũ potius, si mõ uera prædicẽt. Iã ut nõ est cõuiciũ, si qs hominẽ tardũ obiurgans appellet tardũ, ita nõ sit cõuiciũ, si quis hominẽ impiũ emẽdare cupiẽs, appellet stultũ. In singulis igit̃ subaudiẽdũ est, si quis iratus dixerit, racha, si quis iratus dixerit, fatue. Quidã philosophãtur in dictiõe fratris q̃si fratres nõ sint nisi q cõmunẽ agnoscũt patrẽ. Ego arbitror hic noñe fratris oẽs hoñes intelligi. Etenim quũ dñs præcipiat, ut maledicẽtibus impijs bñdicamus, cui cõcedit dicere fatue, dũtaxat iuxta sensum quẽ indicauimus.

Concilio.) Non est βουλῇ, quod & ipsum significat conciliũ, sed συνεδρίῳ, quod cõsessum iudicum significat, id quod indicatum est & à Chrysostomo. In huiusmodi consessibus, uelut Athenis in curia Martis, grauiores causæ solent agitari. Nam in iudicio quod

interdũ

interdum ab uno peragitur multa ſpes eſt elabendi,ad ſynedrion non niſi grauis cauſa de fertur,iamq; non tā de damnando reo q̄ de ſupplicij modo deliberatur.

Gehēnæ ignis.) εἰς γέενναν τοῦ πυρός, id eſt,ad gehennam ignis.Sed Hebraice magis q̄ Græce aut Latine dictū eſt,gehennæ ignis,p̄ gehēnæ incēdio,ſiue gehēna ardēte. Porrò apud Hebræos gehēna גֵּי־הִנֹּם ſonat, Vallis ennō,de quo inferius plura dicemus ca.10. *Gehēna quid.*

Recōciliari fratri tuo.) Palā eſt hic uerbi modū errore librariorū fuiſſe mutatū, recōciliari,pro recōciliare,imperatiui modi, διαλλάγηθι. Vñ nos uertimus recōcilieris,ne perinde facilis eſſet deprauatio.Certe recōciliare legitur & in uetuſtis Latinorū exēplaribus, uelut in Paulino.Et in Corſendoncēſi manifeſtū raſuræ ueſtigiū indicabat,& illic ſcriptū fuiſſe,recōciliare.Omittā ὕπαγε,abi potius uertendū fuiſſe,q̄ uade.Nec eſſe,Offeres,ſed πρόσφερε, id eſt,offer,ſiue adfer. Eſto cōſentiens.) ἴσθι εὐνοῶν, id eſt,Eſto beneuolus,ſiue qd addit Hieronymus,benignus,etiā ſi non uideā quid benignus reſpōdeat ad εὐνοῶν. Nonnulli uerterunt concors quemadmodum indicat Auguſtinus.

Et aduerſario.) ἀντιδίκῳ. Nō abſolute ſonat aduerſariū,ſed aduerſariū cauſæ, ſiue litis. Siquidē actorē ſentit,qui reū facit,& in ius trahit.Rurſus aūt μήποτε,Ne forte uertit,cū rectius ſit,Ne quando,aut ſimpliciter,Ne.Præterea ὑπηρέτῃ,quod hic uertit miniſtro,nōnū q̄ carnificem tranſtulit,aliās exactorem. Eſt autem is qui exequitur iudicis ſententiā.

Nouiſſimum quadrantem.) ἔσχατον κοδράντην. Cur non potius extremum quàm nouiſſimum? Nec enim de temporis agitur ordine,ſed de ſumma.Deinde apparet hic quoque Rhomanam uocem uſurpatam ab exteris,id quod in pleriſq; fit,ſed deprauate. Eſt autem quadrans nummulus,quarta pars aſſis,quam à tribus uncijs Plinius triuncium uocat.Gulielmus Budæus immortale ſuæ gentis decus:utpote uir nō ſolum omnium quos unquam Gallia genuit eruditiſſimus,uerumetiam diligētiſſimus,eundem eſſe putat,qui Ciceroni dicitur teruncius.Atq; eum nummum uulgo ceu minutum contemptui fuiſſe, prouerbio quoq; teſtatum eſt,id quod in Chiliadibus noſtris adnotauimus. *Latina dictio uſurpata à Græco ſcriptore. Triuncius & teruncius.*

Mœchatus eſt eam.) Vt diſſimulem interim,quod toties iam uertit quia pro quod:ut demus mœchari Latinis eſſe receptum:Nam & Catullus mœchari dixit,& Terentius mœchum,Quis unq̄ Latinus dixit,mœchatur illam? Proinde ſi mœchari hoc loco ſignificat adulterium committere,uertendum erat ad hunc modum,Qui uiderit uxorem ſiue matronam ad concupiſcendum eam,iam adulterium cum illa cōmiſit.Sin mœchari poſitum eſt pro quouis illicito concubitu,quemadmodum aliquoties inuenitur,pro Mœchatus eſt dicendum erat,Stuprauit eam,ſiue ut Suetonius loquitur, adulterauit eam. *Adulterat eā.*

Scandalizat te.) Mirum eſt Græcam uocē uſq; adeo placuiſſe,cum dicere licuerit,Offenderit,ſiue obſtaculo, aut offendiculo fuerit. Nam quod ἔξελε, id eſt,Exime,ſiue extrahe uertit, Erue, reprehendi non poteſt.

Quàm totū corpus tuum.) Huiuſmodi ſermonis character apud Græcos inuenitur, & apud nōnullos Latinos,ſed græciſſantes. Verū id,cum additur ἤ,ut ſubaudias μᾶλλον. At hic ſecus habetur,ἢ μὴ ὅλον,& non totum &c. Atq; itidē in parte proxima.Proinde mirum eſt interpretem affectaſſe græcanicum ſchema,quod ſermo Græcus nō habebat. Nec eſt,Eat in gehēnam,ſed βληθῇ, id eſt,conijciat. Etiamſi ſic loquunt Græci βάλλ' εἰς κόρακας, Abi ad coruos,ſed ſubaudientes σεαυτόν.quaſi dicas,abijce teipſum,ſiue aufer te. *Quàm, Græcis ſubauditur*

Libellū repudij.) Quod Græce unico uerbo dicitur ἀποστάσιον, quaſi dicas diuortionale,hoc eſt,libellū diuortij.Annotauit hoc loco Chryſoſtomus, quod præcipit de uxore non relinquenda,pendere ex ſuperioribus:Inter tales enim, quales pauloante deſcripſit, neq; quiſq; ejiciet uxorem niſi adulteram,neq; quiſq; recipiet alienam cum iniuria prioris mariti.Moxq; ſubiungit de non iurando,quod ita uetuit, ut nihil omnino exceperit. Et tamen quaſi non ſit hoc à Chriſto ſerio dictum paſſim iuramus.Certe uotis omnibus optandum,ut tales ſint Chriſtiani, ut neq; diuortio ſit opus,neq; iureiurando. *Ἀποστάσιον.*

Qui dimiſſam duxerit,adulterat.) μοιχᾶται. Quod uerterat mœchatur,tandem tranſfert adulterat.Quanquam aliud eſt adulterare,quàm adulterium committere,quoties abſolute ponitur. Auguſtinus de adulterinis coniugijs ad Pollentium, indicat hanc clauſulam,Et quicunq; dimiſſam duxerit,mœchatur,in nonnullis codicibus Græcis ac Latinis non aſcriptam fuiſſe:quod ex ſuperiore ſermone ſatis conſequatur.Quod tamē apud neminem alium reperi,uel ſcriptum,uel annotatum.

Iterũ audiſtis.) πάλιν ἠκούσατε, Rurſum audiſtis. Nec em̃ iteratione ſignificat, ſed ordine.

Neq; per cœlum.) μήτε ἐν οὐρανῷ, id eſt, Neq; in cœlo, quã tamẽ præpoſitionẽ, opinor iuxta proprietatem Hebræi ſermonis, apoſtoli ſubinde uſurpant pro per, ut in digito dei, & In nomine tuo prophetauimus, quemadmodum ſuis indicabimus locis.

Nai. Eſt, eſt: non, non.) ναὶ, ναί. οὒ, οὔ. Quod hic uertit eſt, Græcis eſt aduerbium affirmandi, ναί, ſed quod uſurpetur & à Latinis. Interpres aliquoties uertit, Etiam, quod uulgo, parum eruditi dicunt Ita: quaſi ita reſpondeat negationi, Nõ. Ac reperitur quidem apud Terentium ita, ſed dictum ab improbius reſpondente, Quod genus eſt illud, Sic erit. Cæterum nemo putet conduplicationem ad eundem pertinere, ſed prior pars ad interrogantem pertinet, poſterior ad reſpondentem. Niſi ſic accipias, Si ſermo ueſter affirmat, uere affirmet, ſin negat, uere neget. Quod ſecus habet apud iſtos, qui quod pollicentur non præſtant, & quod ſe negant facturos, faciunt.

Ita quomodo affirmat.

His abũdantius eſt.) τὸ δὲ περισσὸν τοῦτο, id eſt, Quod præter hæc acceſſerit. Mire torquent hunc locũ Theologi quidam, A malo eſt, alij interpretantur, à malo diffidentis, nõ à malo iurantis, alij à malo pœnæ, non à malo culpæ. Verum opinor Chriſtũ ſimpliciter ſenſiſſe, pfectis (Nã de his loquit) omnino nõ eſſe iurãdũ, p rebus hiſce, p quibus uulgus deierat. Alioqui in cauſa fidei, aut pietatis, etiã Chriſtus & apoſtoli iurant. Vult em̃ ſuos eſſe tales, ut non ſit opus ullo iureiurando. Quorſum enim attineat iurare, ſi nemo ſit, qui quenq; uelit circũuenire, etiam ſi id poſſit impune, ſed è ſuo quiſq; alterũ æſtimãs animo nemini diffidat? Nam qui uere ſit Chriſtianus, etiã ſuo incõmodo conſulit cõmodis alienis: tantũ abeſt, ut ullũ uelit fallere. Et charitas adeo credit omnia, adeoq; nõ diffidit, ut parũ etiam honeſta, quoad poteſt, interpretetur in bonũ. Hac aũt ratione multarũ quæſtionum nodi diſſolui poterunt, ſi intelligamus Chriſtũ non ſimpliciter hæc uetuiſſe, ſed uetuiſſe eo more fieri, quo uulgato more hominũ fiebant. Sic uetuit iraſci, ſic uetuit ſalutare quenq; in uia, ſic uetuit diteſcere, ſic uetuit reſiſtere malo, ſic uetuit appellari magiſtros, ſic uetuit uocare patrem in terris. Verũ hæc ad hoc inſtitutũ proprie non pertinent.

Excuſſum præter ueterũ expoſitionẽ, quomodo uetemur iurare.

Dentem pro dente.) Græci addunt coniunctionẽ, &, ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος. Eadem additur in uetuſtis exẽplaribus Latinis. Illud obiter adnotandũ, in huiuſmodi orationibus ne poſſe quidẽ apponi Græcũ articulũ: quod quilibet oculus, & quilibet dens ſignificetur.

Quõ prohibemur reſiſtere malo. Non reſiſtere malo.) μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ. Malũ uel ad rem referri poteſt, uel ad hominẽ. Præterea poteſt ablatiuus eſſe inſtrumenti. Nolite reſiſtere cuiquam, malo, hoc eſt, iniuria, ſiue uerſutia. Hic ſenſus placuit Chryſoſtomo, quũ ait reſiſtendũ homini malo, ſed patientia, nõ enim ignẽ igni extingui, ſed aqua. Mirũ eſt aũt hic additus articulus quam uim habeat, τῷ πονηρῷ, quaſi certũ malum ſignificet. Niſi forte uoci appoſitiuæ adiũctus eſt: quaſi dicas ei qui malus eſt. Quidã interpretantur nomine mali ſignificatũ diabolum, quorũ eſt Theophylactus. Quis autẽ ſic loquitur? Dico tibi non abire, p eo quod eſt, iubeo ne uſq; abeas? Deinde quid faciẽt huic loco, qui lites, qui bella calculis oĩbus approbãt inter Chriſtianos? Chriſtus abſolute uetuit reſiſti malo, nimirũ uulgari uia, ut malum malo repellatur, hoc eſt, conuiciũ cõuicio, uulnus uulnere, bellum bello, cædes cæde. Imò quid prætexent ij, qui beneficium maleficio repenſant. Illud leuiculum, quod ὅσις uertit, Si quis, pro quiſquis: niſi forte legit, ἔτις. Item quod στρέψον, id eſt, Verte, ſiue obuerte, trãſtulit præbe. Auguſtinus alicubi legit Para.

Præbe ei & alteram.) Hæc Chriſti hyperbole mea ſententia nihil aliud docet, quàm ſummam patientiam, animiq; moderationem, utq; tantũ abſimus à cupiditate uindictæ, ut ultro parati ſimus alteram potius iniuriam admittere, quàm malum malo penſemus. Atq; hoc fortaſſe ſenſit Auguſtinus, cum aliâs, tum in libello de mendacio, & libro uigeſimo ſecundo contra Fauſtum, ſcribit illam præparationem alterius maxillæ in corde faciendam, non in corpore. Nec enim hoc ſenſit Chriſtus obuertendam ſiniſtram malam, ei qui dextram percuſſerit, ſed ea nos uoluit eſſe lenitate, ut ad alteram iniuriam accipiendam ſimus paratiores, quàm ad retaliandam priorem. Neq; uero continuo cum mendacio coniunctum uideri debet, quicquid habet hyperbolen. Quam & aliâs annotauit præter Origenẽ, Hieronymum, & Chryſoſtomũ, diuus Auguſtinus in diuinis literis. Quod genus illud in libro Iudicum: Camelis eorum non erat numerus, & erant ſicut arena, quæ eſt in litore maris. Rurſum illud in Pſalmis: Aſcẽdunt in cœlos, & deſcendũt uſq; in abyſ-

Præbere maxillã, quomõ intelligẽdum.

Hyperbole Eraſmi

ſum

ſum: nempe de undis maris uiciſſim attollentibus ſeſe, ac ſubſidentibus. Certè ſchema hoc palàm annotauit Auguſtinus in epiſtola ad Marcellinam v. oſtendens, ſi quis tropũ ſermonis reiſciat, magis conuenire, ut in ſiniſtram primus ictus dicatur exceptus, quod in hanc magis, quàm in dextram fertur impetus ferientis. Idem admonet in Luca non fieri ullam ſiniſtræ, dextræue mentionem: ut intelligamus hoc loco ſiniſtram ac dextram nihil aliud eſſe, quàm unam & alteram. Quemadmodũ in alia quadam parabola, quinq; talenta poſuit pro plurimis dotibus, duo pro mediocribus, unum pro minimis. Cæterũ animaduertendum eſt, ut ſubito mutarit numerũ. Ego autem dico uobis: Sed quiſquis percuſſerit te in maxillam &c. Non ob aliud, niſi quod hic numerus accõmodatior eſt ad infigẽdum animo quod dicitur, dum quiſq; ſibi dici putat, quod dicitur.

Dextra ac ſiniſtra p una, aut altera.

Numerus cur aliquando mutatur.

Et palliũ.) Καὶ τὸ ἱμάτιον. Hic recte diſtinxit ueſtimẽti genus. Siquidẽ χιτὼν, tunica, ueſtis eſt interior, ἱμάτιον exterior, quæ Rhomanis eſt toga, Græcis palliũ. Niſi quod ἱμάτιον apud Græcos interdum pro quouis ueſtimẽti genere ponitur. Vnde recte monet Auguſtinus hunc eſſe ſenſum, ſi quis tollat unam aliquã ueſtẽ, cõcede illi potius ſi quid aliud habes ueſtium q̃ cõtendas. Alioqui præpoſterus eſſet ſermo. Pallium em̃ quæ ſumma ueſtis eſt primum detrahitur, deinde tunica.

χιτὼν ἱμάτιον

Mille paſſus.) μίλιον ἕν, id eſt, Miliarium unum. Alioqui nõ reſpõdet quod ſequitur:

Alia duo.) Ne illud quidem, alios duos. Atq; hic rurſus Græcus uſurpauit uocem Latinã: Etiãſi huius uocis mentionẽ fecit Heſychius. Nec eſt Alia duo Græcis, ſed ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. ut intelligas duplũ oportere cõcedi, ſimplũ extorqueri: quẽadmodũ docuit de maxilla, & ueſte. Etiãſi diuus Auguſtinus philoſophat hic in nũero ternario, Theophylact9 & Chryſoſtom9 nõ attingũt. Nã qđ αἴτοῦντί σε. i. Poſcẽti te, uertit, petẽti abs te, recte fecit.

Lapſus interpretis.

Ne auertaris.) μὴ ἀποστραφῇς, Ne auerſeris, ut legit Auguſtinus, hoc eſt, ne reiſcias. Quã q̃ & auertor reperitur, ut ſit uerbũ depoſititiũ, ſed in carmine uſitatius, ut apud Bœotiũ:

Eheu quàm ſurda miſeros auertitur aure. Sicut præuertitur.

Maxillã dextrã.) Auguſtinus indicauit in multis exẽplaribus latinis nõ addi dextrã.

Diliges, pximũ tuũ.) Græci τοὺς πλησίον appellãt familiares, & qbuſcũ habemus arctã, ac domeſticã conſuetudinẽ, nõ ſolũ cognatos. Neq; em̃ eſt ſuplatiuus gradus apud illos.

Et odio habebis inimicum.) Hoc quoniã nõ legitur in ueteris inſtrumẽti literis quidã interpretantur hanc eſſe additionem phariſæorũ, nõ ſcripturã. Idẽ prædicant de cæteris articulis, quaſi Chriſtus nihil addiderit præceptis legalibus, ſed tãtum explanauerit. Certe diuus Auguſtinus in priore libro quo enarrat hũc locũ, ſic refert, q̃ſi reperiat in ſacris libris, Sic em̃ ait: Nec quod in lege dictũ eſt, oderis inimicũ tuũ, uox iubẽtis iuſto accipiẽda eſt, ſed permittẽtis infirmo. Tale nimirũ erat Iudæorũ uulgus. Quẽadmodũ aũt in ira ſcẽdo accipimus tropũ, itidẽ & in odio receptus nodũ explicat. Certe Chryſoſtomus fatetur dn̄m, olim nõ exegiſſe ab infirmis, quod ſuo tẽpore præcepit iam inſtructioribus.

Diligite inimicos ueſtros.) Poſt hæc uerba, particulã addũt Græci codices, inter quos, & Theophylactus, quã in noſtra æditione nõ reperio. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, id eſt: Bene p̃cemini deuouẽtibus uos. Quã ſanè nec Hieronym9 addit, nec Chryſoſtomus. Proinde haud ſcio, an eam ſtudioſus aliquis ob affinitatem ſententiæ, ex epiſtola Pauli ad Rhomanos huc aſcripſerit. Nam hac occaſione comperimus locos aliquot immutatos.

Additum aliunde.

Pro perſequẽtibus & calumniãtibus.) ἐπηρεαζόντων Καὶ διωκόντων: quorũ utrunq; penè idẽ ualet. Nã ἐπήρεια Græcis dicit̃ inſultus proprie in bello, quaſi dicas, ἐπάρσια, à Marte. Hinc dictũ apparet uerbũ, ἐπηρεάζω, quod eſt uexo, ſiue uim facio, & impeto. Sed quoniã Græci docent ἐπηρεᾶσαι nonnunq; idem ualere quod βλάψαι, nos uertimus lædunt.

Qui ſolem ſuum.) ὅτι τὸν ἥλιον, id eſt, Quia ſolem ſuum. Licet refragantibus exemplaribus Latinis, Et fieri poteſt, ut interpres pro ὅτι legerit ὃς, ſiue ὅσις. Quanquàm hoc nihil refert ad ſenſum. Et ἀνατέλλει, recte circumlocutus eſt, Oriri facit, ſiue expromit. Item, Pluit, Græcis eſt βρέχει, rigat. Rurſum:

Quam mercedem habebitis.) Græce eſt, ἔχετε. id eſt, Habetis, præſentis temporis, ut rei ſignificatio ſit, non temporis. Porrò mercedem pro gratia poſuit.

Et publicani.) τελῶναι, id eſt, qui uectigalia redimunt, unde & redemptores dicuntur. Genus hominũ olim infame apud Iudæos, nunc apud Chriſtianos, cũ primis honeſtum. Nec id ſanè mirũ, cũ inſtitores, ac menſarij omnibus penè anteponãtur apud utriuſq; rei pub.

Publicani olim infames, nũc in primis honeſti habiti

pub.ſummates,quos nec Ariſtoteles,nec Tullius inter honeſtos ciues haberi uult. Nec eſt,Hoc faciũt,ſed τὸ αὐτὸ, id eſt,Idẽ faciũt.Et ſalutaueritis,eſt ἀσπάσησθε,qđ nõ eſt ſimpliciter ſalutare,ſed oſculo & cõplexu ſalutare,quod olim ex more fiebat inter amicos,non ſolũ apud Iudæos,uerũ etiam apud Græcos & Rhomanos.Alioquí uulgare eſt officiũ obuio dicere ſalue. Fratres ueſtros.)Plericꝫ Græci codices habẽt, τοὺς φίλους ὑμῶν, id eſt, Amicos ueſtros.Verũ Iudæi fratres appellãt quomodolibet cognatos.atcꝫ ita legitHier.

Quid amplius facitis.) τί περισσὸν, id eſt,Quid eximium,aut quid ſupra cæteros.

Nonne & ethnici?) Rurſus hoc loco nõnulli codices Græci habent τελῶναι, id eſt,Publicani.Cæterum ex interpretatione Chryſoſtomi,deprehendere licet illum ethnici legiſſe,cũ ait:Propter quod etiam hic Gentiles & publicanos producit in mediũ,ut talibus diſcipulos cõparando perſonis, etiam pudore ad uirtutẽ accendat. Certe Theophylactus repetit hic τελῶναι, id eſt,publicani.Nã ethnicus gentilẽ ſonat,qua Græca uoce uidet̃ interpres delectatus,ob id,opinor,quod gẽtilis aliud quiddã ſignificet Latinis auribus,nempe gẽtis affinitate cõiunctũ. Ac rurſum,nõ eſt hic,Hoc faciũt,ſed Sic faciũt,οὕτως ποιοῦσιν.

Gentilis quid proprie Latinis.

Eſtote igitur uos.) ἔσεσθε, id eſt,Eritis.Interpres legiſſe uidetur, ἔσε. Omitto,quod ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, quod uertere ſolet,Qui eſt in cœlis,nunc mutauit, cœleſtis .Cæterum cõiunctio &,ſicut Et pater,non additur apud Græcos.Tãtum eſt,Sicut pater ueſter cœleſtis.

EX CAPITE SEXTO.

NE iuſtitiã ueſtrã.) Græcis eſt, ἐλεημοσύνην, id eſt,Eleemoſynã,nõ iuſtitiã,ut reſpondeat quod ſequit̃:Cũ ergo facis eleemoſynã.Ita legit, & interpretat̃ Chryſoſtomus & Theophylactus.Tametſi Hieronymus iuſtitiã legit,ſed interpretans eleemoſynã.Atcꝫ itẽ Auguſtinus ſermone ſecundo de uerbis dñi ex Matthæo,ſimiliter interpretãs ut legit.Illud obiter admonendũ, Latinos uſurpãtes Græcã eleemoſynæ uocẽ,fraudare illã una ſyllaba,cũ Græcis habeat ſex ſyllabas. Vt uideamini ab eis.) Auguſtinus eo quẽ modo citauimus loco,indicat hãc particulã ſic addendam orationi ſuperiori,ut finẽ ſignificet coniunctio Vt,non ſequelã. Necꝫ emẽ uetat cõſpici recte facta,ſed nõ uult hoc animo fieri.Apud latinos enim hic ſermo anceps eſt,ut uideamini,id eſt,ſic ut uideamini,aut hoc animo ut uideamini. Cæterũ in Græcis nulla eſt amphibologia,πρὸς τὸ θεαθῆναι. Rurſum in eo quod ſequitur:

Eleemoſyna ſex ſyllabis.

Vt, aliquoties ſequelã ſignificat,nõ finẽ.

Mercedem non habebitis.) Verbi tempus mutauit, οὐκ ἔχετε, id eſt,Non habetis.

Hypocrita Græcis hiſtrio.

Sicut hypocritæ.) Hæc quoꝫ de uocũ eſt numero,quibus interpres uidetur delectatus.Alioquí ὑποκριτὴς Græcis hiſtrionem ſignificat:hoc eſt, qui ficta perſona fabulã agit apud populum,quos eoſdẽ actores uocamus.Vnde quã nos pronunciationẽ, aut actionem dicimus,illí ὑπόκρισιν appellant.Quanquã quiſquis quouis modo ſimulat,ac fingit, hypocrites uocari poteſt.Vnde Paulus, ἀγάπη ἀνυπόκριτος, id eſt,Charitas non ficta,ſimulandi neſcia.Cæterũ quod ad hiſtrionicã geſticulationem attinet, belle quadrat quod modo dixerat, πρὸς τὸ θεαθῆναι, id eſt, Vt ſpectentur,quod actorum eſt,& hinc theatrũ. Quis enim mimus,quis hiſtrio minus eſt id quod uidetur,cꝫ iſti,qui inani labiorum motu,& uocũ ſtrepitu uideri uolũt precari deũ,cũcꝫ illo colloquí? Aut qui Iudaicis ceremoniis ſanctimoniã mentiuntur? Rurſum quod hic uertit,In ſynagogis,apertius erat,In conciliabulis.Significat enim cõuenticula,quæ ſolẽt fieri in plateis,ac foro,ſeu triuijs. Et uicos hoc loco intellige,non eos qui non ſunt oppida,ſed in quos diuidit̃ urbs.Nam paulo poſt meminit platearũ,quæ proprie dicuntur uiæ latiores,in quibus ſolent fieri plebis cõuenticula,in qua dictione philoſophantur quidã,quod impiorũ ciuitates plateas habent, quũ uia uirtutis ſit arcta.Ad hæc: Neſciat ſiniſtra tua.) Græce duæ ſunt dictiones. μὴ γνώτω, ne ſciat. Receperunt mercedem.) ἀπέχουσιν, id eſt, Habent,ſiue tulerunt.Nã ἀπέχουσι, ſonat quod alicunde ſit acceptum.

Synagoga cõciliabulum.

Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera.) Nõ abſcꝫ figura dictũ eſt,ſed ὑπερβολικῶς, qua ſi dicas,Ipſe neſcias,quod facis,ſi fieri poteſt,tantũ abſit,ut alijs oſtentes.Figuram annotauit & Chryſoſtomus homilia xix.& hunc ſequutus Theophylactus,Cæterum addunt Græci, ἐν τῷ φανερῷ, id eſt,in propatulo,ſiue in aperto.Quod tamẽ Auguſtinus negat ſe comperiſſe in Græcis codicibus,& ideo nec exponendũ arbitratur. Theophylactus interpretatur etiam, ἐν φανερῷ, quũ manifeſtabũtur omia bona malacꝫ opera.Mihi germana lectio uidetur quam probat Auguſtinus.

Reddet

Reddet tibi.) Græce eſt, ἀνταποδώσει σοι, id eſt, Ipſe, ſiue idem reddet tibi, quo diluci dius diſtinguat perſonam patris, ab eorum perſona quibus confertur beneficiū.

Et cū oratis.) καὶ ὅταν προσεύχῃ, id eſt, Cum oras. Nam & paulo ante uſus eſt nume/ro ſingulari, Cum facis eleemoſynam. Etiamſi mox uariat. Nec eſt:

Nō eritis, ſed οὐκ ἔσῃ, id eſt, nō eris.) Et in nōnullis Latinorū codicib⁹ aſſcriptū eſt, ſicut hypocritæ triſtes, quū hæc dictio triſtes nec apud Græcos ſit, nec in noſtris emēdatioribꝰ

Qui amāt.) φιλοῦσιν. Quod licet ſignificet, amāt, tamen Græcis frequenter uſurpatur, p ſolent. Hoc certe loco magis quadrabat, ſolēt. Rurſum eſt: Synagogis.) Quod nos uer timus, cōciliabulis. Et anguli uocant nō receſſus, ut uulgus accipit, ſed flexus uiarū, uelu/ti iuxta cōpita, ac triuia. Vt uideant ab hoībus.) ὅπως φανῶσιν τοῖς ἀνθρώποις, id eſt, Conſpicui ſint hoībus, ſeu potius ut conſpicui poſſint eſſe. Cæterum: *Amāt Græce pro ſolent.*

In cubiculū.) Eſt ταμεῖον, qd Latine penu, ſiue cellam appellant, ubi reconduntur, quæ ad uſum domeſticum pertinent, nos cōclaue uertimus. Interpres Origenis quiſquis fuit, Nam Hieronymum non eſſe ſtilus arguit, homília in Matthæum uigeſima tertia, uertit promptuariū: quod tamiæ Græcis dicantur, quos nos promos cōdos appellamus. ταμεῖον, tū utrūq; ſignificare uel cellā prōptuariā, uel cōclaue, ſeu cubiculū, teſtis eſt Heſychius. *Tamias, promus cōdus.*

Clauſo oſtio.) Græci addūt, tuo, σου. Atq; ite uetuſti Latinorū codices, qd ſuæ q ſq; do mi maxime in occulto ſit. Præterea: Patrē tuū in abſcōdito.) Nōnulli codices habebāt, τῷ σῷ τῷ κρυπτῷ, id eſt, Patrē tuū qui eſt in abſcondito, ut certū intelligas patrē, diuerſum à corporali, & arcanū ſingulare, quo pater occultat cœleſtis qui nuſq; nō adeſt, ſed nobis occultus. Ac rurſum addit: In manifeſto.) ἐν τῷ φανερῷ. Atq; ita legit Chryſoſtomus homília decima ſexta. Annotauit & hoc loco tropū ſermonis Chryſoſtomus. Neq; em̄ hoc ſenſit Chriſtus, nō eſſe Chriſtianis precandū, niſi in penuario domus, ſed non magis affectandū, ut hoīes laudent precantē, q; ſi abditi in retruſiſſima ædiū parte ſoli precent.

Nolite multum loqui.) μὴ βαττολογήσητε. Græcis eſt dictio compoſita, puerbialis, à Bat to quodā poëta, qui cōſcripſit hymnos, in quibus eadem ſubinde inculcauit: quēadmodū copioſius explicatū eſt in Chiliadibus noſtris. Huc alluſit Ouidius cū Battum indicē ea/dem facit iterantem. In illis Montibus, inquit, erant, & erant in montibus illis. *Battologia, ex prouerbijs.*

Cuius βαττολογισμὸν ridicule imitatus Mercurius, Et me mihi perfide prodis,

Me mihi prodis, ait. Sunt qui malint Battū fuiſſe quēpiā balbū, & hæſitanti ore, impe/ditaq; lingua: cui uidelicet hominū generi, peculiare uidemus, cū ne ſemel quidē, quod cu piūt, poſſint effari, uoces eaſdē iterū atq; iterū repetere. Vnde qd hic docet Chriſtus, non ſolū ptinet ad īmodice plixas preces: cū alioquī Paulus iubeat nos citra intermiſſionē ora re, & ipſe Chriſtus legat oraſſe prolixius, uerūetiā ad illos, qui ſupſtitioſe preculas eaſdē ſine fine iterāt. Quo quidē morbo uſq; adeo nō uacant Chriſtiani quidā, ut in his ſummū pietatis faſtigiū collocent. Porrò quod hodie uidemus ſacerdotes, nihil dicā qualibus, ſed certe nimiū prolixis precibus, hisq; præſcriptis, aliquoties ineptis, ac ridiculis, ne dicā im/pijs, oneratos, quid ſup hac re ſentiam, ſatius eſt nō attingere: partim quod res paucis ex/plicari nō poſſit, partim quod fortaſſis nec citra periculū. Ne dū huic malo mederi cona/mur, alterū inuitemus grauius: ut ſunt, qui uitijs ſuis patrociniū undelibet aucupent. Illud dicā, nō eſſe prudentis cū ſuo ſeculo pugnare. Et bonæ mentis eſt, maiorū decretis libēter ac ſimpliciter obſequi. At rurſus illorū eſt, ut ſumma uigilātia, qd ſit optimū, & cū Chri/ſti dogmatis maxime cōſentiēs ſtatuāt. Hieronymus admonet, ex hoc loco natā hæreſim quorundā, qui Chriſtianorū precationes ueluti ſupuacaneas in totū aſpernabātur. Fuit his diuerſa factio Pſallianorū, ſiue Euchitarum, nomē inditū ab orādo, qui totos dies ocio ſi, tantū precularū emurmurabāt, mira linguæ uolubilitate, ut Auguſtinus id ſcripſerit in/credibile. Monachos uetabāt ſuſtentādæ uitæ cauſa manibus opari, ne quādo cogerētur precationes interrumpere. Vtinā quicunq; Chriſti philoſophiam profitētur, ſic abhorre/ant ab hac ſuperſtitione, ut precū puram, & illibatam uictimā, Chriſtoq; gratā offerant. Nam cantiuncularū, clamorū, murmurum, ac bomborū ubiq; plus ſatis eſt, ſiquid iſta de/lectant ſuperos. Abunde ſatis erat hoc indulgere idiotarum, ac ſtultorum affectibus, ut cuiq; liberum eſſet priuatim quæ uellet, aut quantum uellet precari. Cæterum publicas preces optarim eſſe moderatas: nec in his quicq; admiſceri, nō depromptū ex ſacris libris aut certe ab his uiris, pfectū, quorū ſcripta ſpiritū apoſtolicū reſipiunt. Nunc cuiuſmodi *Euchitæ. Pſalliani.* *Publicas preces conuenit moderatas eſſe, & ſanctas.*

est,cõpelli tanta censura sacerdotes, ut deliri senis,aut mulierculæ nænias legãt sacris admixtas? Leuius uideri poterat & ut operæ ptiũ esset admonere apud Græcos nõ esse uerbũ nolite,etiãsi latine uertit interpres,nisi uiderem Augustinũ in hac uoce frustra philosophari,quũ aliâs,tũ in libro de gratia & lib.arb.ad Valentinũ cap.ij.Ratiocinãs em̃ hominẽ sua uolũtate in lege dei cõsistere subijcit hæc uerba.Deinde tam multa mandata, quæ ipsam quodammodo nominatim conueniunt uoluntatem,sicut est,noli uinci à malo. Et huius formæ multa refert è sacris uoluminibus.Hoc semel admonitum uolui, ne quis imprudens ad eundem impingeret lapidem.

Sicut Ethnici faciũt.)Faciunt nõ additur nec apud Græcos,nec in aureo codice,nec in Donatianicis. In multiloquio.)Hic non est βαπολογία, sed proprio usus est uerbo πλυλογία: uelut exponens quid dixerit, βαπολογẽμ.

Petatis eũ.) πρὸ τ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόμ. Et Latinius & apertius dixisset, Priusq; petatis ab eo.Deinde, προσεύχεσθε ὑμεῖς, id est,Orate uos,non Vos orabitis.Maior enim est pronominis emphasis in fine appositi,quo discernat illos ab ethnicis.

Qui es in cœlis.) Articulus Græcus ueluti distinguit illum patrem à patre terrestri, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Perinde quasi dicant.Nos in terris patrẽ nescimus,ex te uno pendemus pater cœlestis:à quo nobis petenda sunt omnia, quibus opus est ad ueram uitam.

Sanctificare pro illustrare.

Sanctificetur nomen tuum. ἁγιασθήτω. Sanctum dicitur non solum purũ, & impolluta,uerumetiam uenerandum,& inuiolatum. Et Augustinus explicans tropos ueteris instrumenti libro quarto,ostendit hic Sanctificetur dictum,non pro eo quod est fiat sanctum,sed pro,declaretur sanctum. Quanquàm apud Hieremiam queritur deus nomen suum polluí inter gentes culpa suorum.Nullum autem probri genus intolerabilius ingenuis animis,q̃ parentũ ignominia.Siquidẽ ueríssime dictum est apud Græcũ tragicum:

Δυλοῖ γὰρ ἀνδρα κἂμ θρασύστολαγχνός τις ᾖ ὁταμ σωσειδῆ μητρὸς ἢ πατρὸς κακά.

Rursum nulla res æque fulcit,& exhilarat filiorũ animos,ac parentũ gl'ia. Nã hos affectus quos hominũ uulgus habet erga corporeos parẽtes trãsfert in deũ.Quod genus est & illud quod sequtur, Adueniat regnũ tuũ.Si patres ad amplos honores prouehãtur,sub eorũ umbra regnãt & filij,& sibi putãt accrescere,quicquid dignitatis,aut autoritatis accreuit patri.Iã ut regni,ita et familiæ in hoc sita est felicitas,ut autoritati patris,aut regis morigeri sint oẽs,nec ulla sit factio,dissidiũue,sed ab unius uoluntate pendeant om̃ia.

Fiat uolũtas tua.) Tropi nouitatẽ ãnotauit & Augustinus.Nõ em̃ fiũt uerba nostra, quũ p̃ficitur quod iussimus,sed quũ iubemus.Nec facit sermonẽ,q re præstat quod dictũ est,sed qui loquit̃.Nec fiũt uota nostra quũ cõtingit quod optamus, sed optando fiunt. Ita fit uolũtas nostra,quũ dat̃ uolẽdi facultas. Verũ hæc sermonis forma sũpta ab Hebræis,adeo frequẽs est in literis sacris,ut mutãda nõ fuerit. Alioqui latinius erat,fiat quod uis etiã in terra,quẽadmodũ fit in cœlis.

Sicut &.

Sicut in cœlo & in terra.) ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, id est,Quemadmodũ in cœlo,sic etiã in terra.Interpres dum exprimit Græcã figuram,obscurius extulit sententiã. Sensus aũt est:Sic fiat,quod tu uis in terris,hoc est,in tuo populo cœlesti,qui adhuc corpore uersatur in terris,quemadmodum fit in cœlo,ubi nemo repugnat uoluntati tuæ.

Cotidianum quid Græcis

Panem nostrum cotidianum.) τὸμ ἄρτομ ἡμῶμ τὸμ ἐπιούσιομ. Quod hic uertit supersubstantialem,ad uerbum supereссentialẽ sonat.Id autore Hieronymo Septuaginta plerũq; transferunt περιούσιομ, pro quo apud Hebræos reperitur סְגֻלָּה, quod Symmachus ἐξαίρετομ, id est,eximium,siue egregium uertit:q̃q̃ idem alicubi uerterit peculiare.In Euangelio,quod appellatur Hebræorũ, pro supsubstãtiali pane reperit Hieronymus מָחָר, quod dicitur crastinum.Equidẽ ut nihil horum improbo,ita quod postremo loco positum est, mihi maxime probatur.Nec enim in precatione tam cœlesti Christus de hoc,opinor,loquitur pane,quẽ à suis parentibus accipiunt, & gentes. Et apud Græcos ἐπιοῦσα crastinus dicitur dies.Sic enim usus est & Lucas in actibus apostolorum capite septimo. τῇ π ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ, id est,postero die.Et indicat Augustinus nonnihil tale,sermone uicesimo octauo,ut hic sit sensus:Quemadmodum patres terreni prospiciunt liberis suis panẽ,quo corpus alatur,etiã in posterum diẽ,ita tu nobis prospice panẽ cœlestem animi cibum,qui pater es cœlestis,& pater spirituum. Verum hac de re nonnihil dicemus & aliâs.

Dimitto pro remitto.

Et dimitte.) ἄφες. Cur nõ potius remitte? Nã Græca uox polysemos est. Audio quosdam

dam offensos,quod pro dimittite uerterim,remittite. Cur isti nō item offendunt,quod in symbolo apostolorū,ut uocatur,credamus remissionē peccatorum potius,q̄ dimissionē? Quod si primus omniū,p dimitte dixissem remitte,quid erat flagitij? Nūc diuus Cyprianus enarrās hūc locū toties iterat remitte pro dimitte,idq̄ in uoluminibus à me non ædi/tis:ut qd' aliquoties relictū est,Dimitte,ꝓbabile sit à scriba positū. Ad eundē modū citat, lib.ad Quirin.iij.ca.xxij.referēs ex Marco,Remittite,si quid habetis,ut & pater uester q̄ in cœlis est,remittat uobis,Item eiusdē operis ca.xxviij.Quin & Aug.lib. ad Catechumenos ij.ca.x.quoties utitur remittēdi uerbo:Tibi cōfide,q̄m remissa sunt tibi pctā tua. Rursum:Et hāc professionē fidei suæ,in qua remittūtur oīa pctā &c.Quod si apud hunc frequēter inuenimus dimittere pro remittere,aut datū est uulgatæ cōsuetudini sermonis popularis,aut à librarijs deprauatū est.Quorsum aūt attinet excutere quoties hoc uerbū sit obuiū apud alios scriptores ecclīasticos? Q d'si usq̄ adeo sctm̄ existimant male Latine loqui,nō obstamus,quo minus isti fruātur suo Dimittite.Quod quæso est istud hominū genus? Nos modestissime duobus uerbis ānotauimus,quod rectū est:neq̄ cuiquā unq̄ uel uerbo molesti fuimus,si cui magis arrideat,dimitte.Isti recte admoniti,quiritantur in cōcionibus apud indoctā plebeculā,ad lapides,ꝓuocantes:debacchātur in cōuiuijs: latrāt in gynæceis,in nauibus,in uehiculis,& ubi nō? Clamāt actū esse de religione Christiana, se frustra theologos esse,repertū qui non ueritus sit precationē dñicam corrūpere.O linguas execādas,& indignas,quibus Euāgeliū Christi prædicetur.Ad hoc explicandū infantes,& insulsi,ad lacerandā hois benemerētis famam, & diserti sunt,& uenusti scilicet, Sycophantas præstant,hierophantas professi.Quid aūt arrogantius? Per nos illis licet, quantū libitū fuerit σολοικίζαμ, nullus obstrepit,nullus reclamat,nobis per illos emēdate loqui nō licebit? Sed præstat id quod erat institutū ꝓsequi. Debita nostra.)ὀφφλήματα. Quidā hic argutātur debiti uocē plura cōplecti q̄ peccati,uidelicet pœnā culpæ debitā, quod an uerū sit nunc nō excutio. Certe diuus Augustinus simpliciter interpretatur debita pctā, & Lucas xi.,p ὀφελήματα ponit ἁμαρτίας, & interpres uertit peccata nostra.

Sycophātæ ꝓ hierophantis.

Sicut & nos.) ὡς κ̄ ἡμεῖς. Hoc loco nō conditio,sed similitudo significatur:id quod euidentius explicat Lucas.Sentit enim alterum fieri inter filios cœlestis patris, alterū rogat ut fiat.Neq̄ enim rogant,ut uicissim inter sese sibi dent ueniā,quod in ipsis situm est, sed quemadmodum ipsi inter sese mutuis erratis ignoscunt,ut facere par est eiusdē familiæ filios,ita sit & ille propitius pater,nec ulcisci uelit,si quid forte aduersus ipsum deliquerūt.

Et ne nos inducas.)εἰσενέγκῃς. Augustin⁹ indicat in nōnullis codicibus fuisse scriptū ne inferas,ad sensum tñ arbitratur nihil referre.Nec refert,nisi quod εἰσενέγκῃ, magis sonat impingere ac ui inducere,quū inducat & uolēs amicus.Hoc indicasse satis est huic,ꝓposito:Cætera petātur ab alijs. A malo.)ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.Potest & ad rem referri,quasi dicas, ā malitia.Verū articulus additus suadet,ut magis referatur ad diabolū.Nam huius est tētare.Et hūc opponit patri,unde cœpit ꝑcatio.Ita docet Chrysostom⁹,hūc edisserēs locū.

A malo, quō accipiendum.

Quia tuū est regnū.) Hāc coronidē in oīmbus Græcorū exēplaribus adiectā cōperio, ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία, κ̄ ἡ δύναμις, κ̄ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν,id est,Quoniā tuū est regnū,& potestas,& gloria in secula amen.Verū quando nec in ullis Latinorum exemplaribus adscriptū uisitur,nec exponitur ab Hieronymo,aut ullo prorsus interpretum,præter Chrysostomum,& huius abbreuiatorem recentem Theophylactū,apparet ex solenni cōsuetudine sic additum,ut angelicæ salutationi quædā adiecerūt,nec ab angelo dicta,nec à quopiam alio.Nam,benedicta tu in mulieribus,Elizabeth uerba sunt,Et:Quia peperisti seruatorem animarū nostrarum,à nemine dictum est. Cōsimili studio adiectum est in fine Psalmorū,Gloria patri.Proinde nō est cur Laurentius Valla stomachetur bonam precationis dñicæ partem fuisse decurtatam.Magis taxanda fuerat illorū temeritas,qui nō ueriti sint,tam diuinæ precationi suas nugas assuere.Nugas enim iure dixerim ad diuinam doctrinā,quicquid ab hominibus profectū fuerit:præsertim si quod ab hominibus annexum sit,ad Christū autorē conferatur.Quod si quis contendat,hoc ab ipso Christo fuisse additum,necesse est,ut fateatur omnes nostros,ac totam Rhomanā ecclesiā hactenus fugisse bonam partem dominicæ precationis.Ac ne Africanam quidem recte legisse. Nam Cyprianus enarrans peculiari libello locum hunc Euangelij, ne uerbo quidem agnoscit hanc coronidem.Porrò qui ideo putant ab euangelista fuisse additam,quod

Adiecta pars precationi dominicæ apud Græcos.

Chrysostomus

Chryſoſtomus interpretetur,leui nituntur argumento.Siquidē interpretatur ille, quod ſolennis uſus eccleſiæ Græcanicæ quotidie ſonabat:perinde quaſi quis enarrās Pſalmos, interpretaretur ſolennē illā Coronidē,Gloria patri & filio. Nec mirū ſi hoc dignatus eſt facere Chryſoſtomus,cū in homilijs diligenter exponat hymnū quo Monachi quidā ſoliti ſunt conſecrare cōuiuiū ſuū.In aurea Catena hoc modo citatur Chryſoſtomus, Quia uero ſollicitos nos fecerat inimici memoria,in hoc quod dixerat libera nos à malo,rurſus audaciam præbet per hoc,quod in quibuſdam libris ſubdit,quia tuū eſt regnū &c. quod unde ſumptū ſit neſcio. Qui cōtendunt hanc Coronidem aſſcriptam fuiſſe ab Euangeliſta,ijdemq; cōfirmant hanc æditionem,aut eſſe Hieronymi, aut certe ab illo caſtigatam, uelim ut explicent nobis,cur ille tantam ſacræ precationis partem auſus ſit omittere, qui ne in cōmentarijs quidē ullam huius fecerit mentionem. Hæc cum ſint dilucidiora, q; ut argumentis egeant,tamen non defuerunt,qui mihi ex hoc quoq; loco grauem ſtruerent calumniam. Cæterū Amen,quod Aquila interpretatur fideliter,& hic ſimili modo uideri poterat adiectum,Hieronymus admonet orationis dominicæ eſſe ſignaculum.

Amen,quid

Peccata eorum.) παραπτώματα, id eſt,Delicta,ut mox uertit,ſiue errata, ſiue lapſus. Siquidem à labendo uox dicta eſt.Et Latinius,Sua,quàm Eorum,id quod conſtanter contemnit interpres.Ac rurſum,Dimittet, pro remittet.

Hypocritæ triſtes.) σκυθρωποί, id eſt, Tetrici, parū q; alacres. Latine uertit interpres, modo intelligat, Triſtis,nō q doleat,ſed q uultu ſit inamœno,ac ſeuero.Nā aliās Triſtis eſt anima mea,pro dolente uertit,& cōtriſtare,p dolore afficere, λυπᾶσθαι. Miror hypocritæ Græcā uocē uſq; adeo placuiſſe Chriſtianis Latinis,cū ſimulator dicat Latine.Nō mihi tēpero,quin animi gratia recenſeam quod adiectum eſt in Lyrani cōmentarijs. Neq; enim ſuſpicari libet,illū uſq; adeo ineptiſſe,Hypocrita,inquit,dicitur ab hypos,quod eſt ſub,& criſis aurū:quia ſub auro uel ſub honeſtate exterioris cōuerſationis habet abſconditū plumbū falſitatis. Eant nūc & negent referre,utrū Græce norit aliquis, an ſecus.

Exterminant enim.) ἀφανίζουσιν. Quod Chryſoſtomus interpretatur, διαφθείρουσι καὶ ἀπολλύουσιν, id eſt,corrūpunt ac perdūt.Quod uidelicet odioſius putat perſonis hiſtrionū.Siquidē illi natiuā faciem perſona tegunt dūtaxat,iſti uero corrūpunt ac perdunt propriā faciē,& citra perſonā agūt fabulā.Qui ſic interpretant hoc mihi uident ſecuti,quod qui perit è medio ſublatus dicit etiā Græcis.Diuus Hieronymus uertendū putat,demoliunt,addens exterminandi uerbū inſcitia interpretū frequēter obuiū eſſe in ſacra ſcriptura:cū aliud quiddā ſignificet,q; illi ſentiri uolunt.Siquidē exterminare,eſt è terminis, ac ſinibus,p fligare,quemadmodū eliminare,extra limen,ac foras efferre. Sic uſus eſt Cic.lib. off.3.& alijs præterea locis.Hilarius hoc loco ἀφανίζειν interpretat cōficere,nec id ſanè ineleganter.Eſt em obſcurare,ac uelut è cōſpectu tollere, uelut qui fucis utūtur, cælant ſuā faciē,ac ceu perſona tegunt,ita qui ficta macie,triſtiq; pallore ſanctimoniam ſimulant.Nā & pietas ſuam habet tenuitatem,ſuum pallorem,ſed in quo Chriſti reluceat alacritas.

Exterminare quid Græcis.

Exterminare uerbum interpretis damnatū ab Hiero.

Vt pareant hominibus.) ὅπως φανῶσιν. Quod modo uertit, Vt uideantur,nunc uertit Vt pareant,mire laſciuiens ſua copia. Cæterū, νηστεύοντες participiū uerbi infiniti uice poſitū uidet,more Græcorū,unde nos ita uertimus,Quo perſpicuū ſit hominibus ipſos ieiunare.Nec em in hoc reprehendūtur,quod ſtuderent uideri ieiunare,cū non ieiunarent, ſed quod ieiuniū omnibus conſpicuū eſſe uellent,quod potius erat diſſimulandum. Itidē mox.Ne uidearis hominibus ieiunans,ne conſpicuum ſit hominibus te ieiunare.

Parere,p apparere.

Receperūt mercedem.)Rurſus eſt ἀπέχουσι, id eſt, Habent, ut ante cōmonſtrauimus.

Reddet tibi.)Et hic addūt Græci codices, ἐν τῷ φανερῷ, id eſt,In propatulo, ut opponatur ei,quod eſt,In occulto.Cæterū,hic quod ἀφανίζει uertit,demolitur,ex ſententia Hieronymi facit.Quanq; ego malim Corrumpi,quū de tineis loquatur & blattis.Nam Demoliri potius eſt parietem,aut murum deſtruere.Verbum à mole dictum.

Theſaurizate.) Mirum cur Græca uox uſq; adeo delectarit θησαυρίζετε,cum dicere potuerit,Reponite,recōdite,colligite,coaceruate.Theſaurus enim proprie diuitiæ ſunt ſepoſitæ,& in longū tempus reconditæ,quam Perſæ gazam appellant.Neq; tam eſt effoditū,q; perfodiunt, διορύσσουσι.Siquidē perfoſſo pariete,fures ad ſcrinia penetrāt. Nec eſt:

Theſaurus tuus.)ſed ueſter ὑμῶν.Etiamſi mox numerum mutat, Si oculus tuus ſimplex.Nec eſt,Eſt cor tuum,ſed ἔσται, erit.

Nec

Nec erugo nec tinea.) οὔτε σὴς οὔτε βρῶσις. Cyprianus libro tertio ad Quirinum legit, Neque tinea, neque comestura exterminabit.

Lucerna corporis tui.) Nec additur in Græcis exemplaribus, tui, sed tãtum corporis, & sententia plusculum habet dignitatis, si omittatur, ut sit absoluta. Quod lucerna est in domo, id est oculus in corpore, non in tuo solum, aut meo, sed in quouis hominis, aut animantis corpore. Atq; ita legit diuus Chrysostomus in his homilijs, quas Basileæ uidimus Græce scriptas, consentiente Theophylacto & æditione Hispaniensi, atq; ita citat Hieronymus scribens aduersus Luciferianos. Deniq; sic scriptum comperimus, & in peruetustis Latinorũ codicibus. Sumit ẽm similitudo ab oculo corporis ad oculũ mentis. Quod est oculus in corpore animãtis, id est affectus in animo, qui si purus fuerit, totus animus erit syncerus. Proinde prior illa pars, Lucerna corporis est oculus, pertinet ad id, unde ducitur collatio. Posterior, Si oculus tuus fuerit simplex &c. pertinet ad ea, ad quæ accõmodat similitudo: unde addit, tuus, qui spiritualis es, & cuius oculos synceros requiro. *Tui redundat*

Si oculus tuus nequam.) πονηρὸς, id est, malus, siue peruersus. Nã Græca uox magis sonat uersutũ, ac malicioſum, ut opponat simplici. Simplex oculus est nulla re uitiatus, puta lemis, aut pituita, aut morbo. Cæterũ lippus, aut strabus, aut luscioſus, deprauatus est. Alioqui nequã oculus emendate loquentibus magis sonat libidinoſum, q̃ uitiatum. *Nequam, pro malus.*

Ipsæ tenebræ quantæ.) τὸ σκότος πόσον; Quod addidit ipsæ, recte explicuit uim articuli Græci. Cæterum festiuior erat oratio, si non addidisset, Erunt, quod apud Græcos non additur. Tantum est, tenebræ quantæ!

Vnum odio habebit.) τὸν ἕνα μισήσει. Sermo nõnihil habet obscuritatis, etiamsi sensus liquet. Duos enim ponit, puta, Demeam, ac Mitionẽ, quorum alterutri sit adhærendum, nam utriq; simul nõ potest. Aut Demea diligendus est, ut oderis Mitionẽ, aut Mitio diligendus, ut oderis Demeam. Proinde mea sententia rectius uertisset per Hũc & hunc, q̃ p unum & unum. Deinde nõ est ociosus Græcus articulus, certum enim significat, perinde quasi demonstret aliquẽ, τὸν ἕνα, τὸν ἕτερον. Quanq̃ illud, τὸν ἕνα, nõ sic accipiendum est, ut prius referatur ad deũ, alterũ ad Mãmona: Alioqui bis idẽ diceret, sed ut utrũq; τὸν ἕνα, ad utrãlibet personã pertineat: quã utrãcunq; delegeris, ei opponitur, τὸν ἕτερον. Quod si hic accipias, ut iuxta consuetũ distribuendi morẽ, prius ἕνα notet Demeam, posterius Mitionem, iam hic erit sensus, Demeam odio habebit, ac Mitionem diliget: aut Mitioni adhærebit, & contemnet Demeam. Itaq; uides idem bis dici, quum, aut coniunctio significare soleat diuersitatẽ. Sed tota oratio ad utrãlibet personam pertinet, nec, aut, mutat personam, sed rem. Annotauit super ea re nonnihil & Chrysostomus homilia uigesima secunda. *Vnũ & unã obscure.*

Et mammonæ.) Mammona neq; Græca uox est, nec Hebraica, sed Syriaca, ut ostendit diuus Hieronymus, idem apud eos significans, quod apud Græcos πλοῦτον, quẽ poëtæ deum faciunt. Est enim uox singularis numeri, generis masculini. Diuus Augustinus indicat linguam Pœnorum affinitatem habere cum Hebræorum lingua: id quod alicubi fatetur & Hieronymus: Porrò Pœnorum lingua Mammon uocari lucrum. Cæterum quod idem Mammona uocem putauit Hebraicam, cum Syra sit, mirum non est: cum inter Hebræam quoque & Syram nonnulla sit cognatio. *Afrorum lingua finitima Hebraicæ.*

Animæ uestræ.) τῇ ψυχῇ. Animam pro uita posuit, uelut & alibi: Qui perdiderit animam suam. Cæterum: *Anima p uita*

Quid bibatis.) Etiamsi reperitur additũ in nonnullis codicibus, superfluum est, quod cibi nomine potus contineatur, & aquæ potus nemini nõ pateat. Certe nec apud Chrysostomum additur, nec apud Hilarium. Hieronymus indicat in nonnullis codicibus asscriptũ fuisse, uerum edisserens negligit. Nos passi sumus adijci, ne Latina non responderent Græcis. Certe in peruetustis exemplaribus non asscribitur, licet paulo inferius etiã potus fiat mẽtio. Nolite esse solliciti dicẽtes, quid mãducabimus, aut quid bibemus. Ac rursum:

Nónne anima.) Apertius erat, nónne uita.

Quàm esca.) τῆς τροφῆς, id est, Cibo, siue alimonia, ut potum quoq; cõplectatur. Etiãsi Aristoteles potum esse neget, qui nutriat, ut cuius uis sit cibũ in membra digerere. Cæterũ pro πλεῖον, qd' Græcis sonat plus, recte mutatũ est pluris, & Latinitatis habita ratio.

Respicite uolatilia.) ἐμβλέψατε τὰ πετεινὰ, id est, Intuemini ad uolatilia, ut uerbum uerbo red

bo reddam. Certe respicit qui in tergum deflectit oculos. Vnde maluimus circumloqui, Vertite oculos ad uolatilia cœli.

Quæ non serunt.) Sic enim legitur in plerisq; codicibus, ὅτι, id est, Quia non serunt. Et diuus Hieronymus legit quoniam. Ego malim Quod, ut accipiatur εἰδικῶς. Siquidem idipsum est, quod nos uult intueri, aues non facere sementem, cum tamen hominum more uiuant, nec interim ulla distringantur sollicitudine parandi uictus.

Magis pluris.

Magis pluris estis.) μᾶλλον διαφέρετε, id est, Magis antecellitis siue præstatis illis. Siquidem διαφέρω Græcis non solum est differre, sed & præcellere. Quoniam in ipso uerbo uis est comparatiui: aut congeminatio epitasin habet eminentiæ, aut μᾶλλον positum est pro potius. Proinde nos uertimus, Nonne uos longe præcellitis illa? Nam interpres uidetur etiam affectasse sermonis absurditatem. Augustinus de tropis ueteris testamenti demonstrat apud Hebræos aduerbium comparandi nonnunquam adijci ex superfluo. Et fieri potest, ut hanc quoq; sermonis formam expresserit Græcus interpres.

Quis ex uobis cogitans.) μεριμνῶν. Plus est q̃ cogitans, sed anxie ac sollicite cogitans. Participium eius uerbi quod sæpe uertit, Sollicitum esse. Porrò, quod sequitur:

Ad staturam suam.) Græcis est ἡλικίαν, quæ & ætatem significat, quasi dicas grandi tatem. Vnde & maior & minor, & grandis ad ætatem referuntur: quod ex auctu corporis ætas deprehenditur in adolescentibus.

Lilia agri.) τοῦ ἀγροῦ. Non ociose addidit, ἀγροῦ, quod hortensia lilia nonnihil debere uideri poterant curæ humanæ: quemadmodum ante dixerat, uolucres cœli, ut distingueret ab altilibus. Nec est considerate, sed καταμάθετε, id est, Cognoscite, siue cognoscitis. Nam Græca uox anceps est. Vt omittam, quod ὅτι rursum uertit: Quoniam pro quod, tametsi præstabat omitti. Ac rursus: Coopertus est, pro amictus fuit, siue indutus, περιεβάλετο. Ad hæc: Pro Vnum, rectius uertisset, unumquodlibet horum.

Quanto magis.) οὐ πολλῷ μᾶλλον, id est, An non multo magis. Vbi quæso quid erat causæ, cur interpres uariaret Græcum sermonem? Porrò,

Quædam uocabula sic recepta, ut tolli non possint.

Modicæ fidei.) Græcis est dictione cõposita ὀλιγόπιστε, quod in Luca uertit, Pusillæ fidei. ἀξιόπιστος est grauis & idoneus cui fides habeat̃. ὀλιγόπιστος, siue cui parum fidendum, siue qui parũ fidit. Sunt em̃ in sacris literis uoces aliquot, receptiores, quàm ut possint loco moueri, quarũ est, Fides, quæ Latinis magis pertinet ad eũ qui pollicet̃ aut præstat, quàm ad eum qui fidit: nisi cum dicimus fidem habere, pro credere. Proinde magis hic quadrabat, exiguæ fiduciæ, q̃ modicæ fidei. Siue ut nos uertimus, Parum fidentes.

Scit enim pater uester.) Hoc loco Græci addunt, ὁ οὐράνιος, id est, cœlestis. Nec est in plerisq;, Sollicitus erit sibi, sed curam habebit suijpsius, μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς, id est, curabit sua. Augustinus in libro aduersus Adimantum legit: Nolite cogitare de crastino, nam crastinus dies ipse cogitabit sibi. Eundem ad modum legit Cyprianus, enarrans precationẽ dominicam. Et nonnulla exemplaria habent, μεριμνήσει ἑαυτῆς.

Κακία & κάκωσις quid differunt.

Sufficit diei malicia sua.) ἡ κακία, Malum. Vt apud Græcos κακὸν, itidem apud Latinos anceps est, ad afflictionem, & improbitatem. At κακία uirtuti opponitur, quã Latini nõnulli malitiam uocant, alij uitium. Cæterum κάκωσις afflictionem sonat, à uerbo κακόω, quod est malis afficio. Abusus est igitur κακία, pro κάκωσις, ut indicat Hieronymus, edisserens hunc locum. Præterea in commentarijs Ecclesiastæ: Rursus in cõmentarijs Amos, & Chrysostomus homilia uigesima tertia. Satis malorum adfert ipsum tempus, ut non affligamus nosmetipsos sollicitudine futurorum malorum. In hanc sententiã adducit hunc Euangelistæ locum Augustinus in secundo commentario sermonis Christi in monte dicti, Malitiam interpretans malum pœnale. Docuit hoc primus omnium Tertullianus libro aduersus Marcionem secundo.

EX CAPITE SEPTIMO.

Nolite condemnare, & non condemnabimini.) Hæc uerba nec in ullis Græcorum exemplaribus reperi, nec apud Hieronymum referuntur, nec apud Chrysostomum, nec apud Hilariũ, denicq; nec in uetustissimis codicibus Latinis. Vnde uidentur è spatio marginali delata in contextum. Interpretatus est aliquis, quod dixit, Iudicare, hoc loco nihil aliud esse q̃ damnare: sicut & apud

apud Paulum ſubinde iudicium pro condemnatione ponitur. Nec eſt paulo ante:

Et non iudicabimini) ſed Ne iudicemini, ἵνα μὴ κριθῆτε. Atq; ad eum modũ legit Hilarius, cõſentientibus exemplaribus diui Donatiani. Vt diſſimulẽ, quod pro κρίνετε & μετρεῖτε, id eſt, Iudicatis & metimini, uerterit, iudicaueritis, & menſi fueritis, quodq; pro μετρηθήσεται uerterit remetietur uobis, reclamante latinitate. Nam addito nomĩe dicere poterat, alij metientur uobis. Verum haud ſcio an ſatis latine dici poſſit, iudicabimini. Neq; enim opinor, iudicatus dicitur, de quo pronuntiatũ eſt, ſed res iudicata, & iudicata cauſa, de homine iudicatũ, niſi addas iudicatur inſanus, pro habetur. Proinde mea ſententia tolerabilior eſt Auguſt. lectio: Nolite iudicare, ne iudicetur de uobis: quo enĩ iudicio iudicaueritis, iudicabitur de uobis. Optimũ aũt fuerit ſi legamus: Nolite cõdemnare, ne cõdemnemini. *Iudicare Hebraeis pro condemnare.*

Et trabem in oculo tuo.) πῶς δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς. id eſt, Quæ uero eſt in oculo tuo trabem, non animaduertis. Præterea, frater ſine. Frater, nec aſſcriptum eſt in Græcis, nec in Latinis antiquis, ſed tantum, ἄφες ἐκβαλῶ, id eſt, Sine eijciam, conſentit & codex aureus. Rurſum:

Et ecce trabes eſt in oculo tuo.) Græce feſtiuius eſt, ſubaudito uerbo ſubſtantiuo, καὶ ἰδοὺ ἡ δοκὸς ἐν ὀφθαλμῷ σου, id eſt, Et ecce trabes in oculo tuo. Ad hæc:

Videbis eijcere.) Nimiũ græcanice dixit, διαβλέψεις ἐκβαλεῖν, id eſt, Diſpicies ut eijcias. *Videbis eijcere græce.*

Nolite ſanctum dare.) μὴ δῶτε, id eſt, Ne detis. Id quod ad eundem modum perpetuo uariat. Id indico, non quod male uertat interpres, ſed ne quis in uerbis fruſtra philoſophetur: quaſi uoluntas etiam ſit hic uetita. Et rectius erat proijciatis, quàm mittatis, βάλλετε. Vt ne dicam, quod μή ποτε, id eſt, Ne quando, uertit, ne forte, parum tempeſtiuiter, extenuans periculum, quod auctum magis oportuit. Nec eſt, Pedibus ſuis, ſed ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, id eſt, Inter pedes ſuos: niſi placet, ἐν, uſurpatum pro per, more Hebræorum.

Et canes conuerſi.) Canes apud Græcos nõ additur, nec attingitur ab interprete Chryſoſtomo, neq; in emendationibus Latinorũ exemplaribus, ac ne in aureo quidem. Poteſt autem conculcatio & laceratio ad canes pariter & porcos referri. Sæuiunt enim & apri. Canis prophanum animal, & ſus immundum, quod ab unguentis peculiariter abhorret. Cæterum margaritis ſiue unionibus olim ſummum fuiſſe precium, abunde teſtis eſt Plinius. Denicq; quod dixit Conuerſi, ῥαφέντες, apertius erat, Verſi in uos. Nec eſt Dirumpant, ſed ῥήξωσιν, id eſt, Lacerent, ſiue lanient.

Nunquid lapidem porriget ei.) Hanc locutionis duriciem molliuimus interpretatione ſenſu tamen manente, ne quis calumnietur, quod à uerbis diſceſſimus.

Bona data.) δόματα ἀγαθὰ, id eſt, Donationes bonas, ſiue bona dona. Eſt autem hic tropus ex idiomate ſermonis Hebræi: quod genus eſt illud in numeris: Ego accepi fratres ueſtros leuitas, de medio filiorum Iſrael, dationem datam domino. Sic enim legit Auguſtinus, indicans tropos huius uoluminis, cum Græci legant, δόμα δεδομένον. Nec enim hic data participiũ eſt, ſed nomen. Alioqui qui datur, quod iam datum ſit? Ac malueram dona quàm data: niſi quod δόμα recte dici poſſit, quocunq; modo datũ, ut medici ſua pharmaca δόσεις uocant, cum donum ſit gratuitum, quod Græci ſua uoce δῶρον appellant. Rurſus & illud: *Data: δόματα.*

Dare petentibus ſe.) Quod nos explicuimus, ſi petatis ab illo, quemadmodum & ſuperius fecit interpres. Item Et uos facite illis, omiſit uoculam οὕτως καὶ ὑμεῖς, id eſt, ſic & uos facite. Atq; ita legit Chryſoſtomus, Auguſtinus item cõmentario ſecundo in hunc locũ. Idem ait in uulgatis codicibus ſcriptum fuiſſe: Omnia quæ uultis ut faciant uobis homines bona, ita & uos facite illis. Putatq; bona additũ ab interprete Latino explicandæ rei gratia, cum in Græcorum exemplaribus non habeatur. Quanquàm ea dictio additur & apud Cyprianum in expoſitione precationis dominicæ. Rurſum: *Varietàs exemplariorum*

Quæ ducit.) ἀπάγουσα, id eſt, Quæ abducit. Ac mox:

Quàm anguſta porta.) ὅτι στενή, id eſt, quia anguſta porta, Quanquàm diſſentientibus exemplaribus pleriſq; Latinis. Interpres legiſſe uidetur, ὡς στενή. Certe in Paulino codice utrobiq; ſcriptum erat, quia.

A falſis prophetis.) ψευδοπροφητῶν. Græcis una eſt dictio, ſicut pſeudochriſti, & pſeudapoſtoli. ψεῦδος Græce mendacium eſt. Ac magis ſonat falſò prophetas, quàm falſos. Et *Pſeudoprophetæ qui.*

mox, ἐπίγνωσεσθε, agnoſcetis eſt potius quàm cognoſcetis. Et:

Nunquid colligunt.) Quidam habent, μή τινες, id eſt, num qui. Rurſus:

Arbor mala.) σαπρὸν eſt, non πονηρὸν, quod magis putrem ſonat & carie uitiatam, aut marcidam, quàm malam, ſi quid Suidæ credimus. Vt ne cõmemorem, quod utrunq; uerbum præſentis temporis uertit per futurũ, ἐκκόπτεται καὶ βάλλεται, id eſt, excidítur & mittitur. Atque ita ſcriptum eſt in peruetuſtis exemplaribus. Nec enim Chriſtus prædicit, quid ſit futurum malis arboribus, ſed quod uulgo fit uitioſis arboribus, idem oſtendit euenturum infrugiferis hominibus.

Cõduplicatio apud Hebræ.

Domine domine.) κύριε κύριε. Non ſolum retulit βαττολογίαν precantiũ, quàm ante taxauit, uerum etiam expreſſit ſermonis Hebraici proprietatem: quæ quod exaggerat, con geminatione auget: quod genus illud apud Hieremiam capite ſeptimo: Templum domini, templum domini, templum domini. Cæterum hæc uerba:

Ipſe intrabit in regnum cœlorum.) In Græcis codicibus non adduntur nec repetũtur ab Hieronymo, refragantibus licet exemplaribus Latinis. Nec eſt:

In nomine tuo) ſed per tuum nomen, τῷ σῷ ὀνόματι, abſq; præpoſitione ἐν, quam ſolet apponere, quanquam id nihil refert ad ſenſum.

Virtutes Hebræi uocãt potenter facta.

Virtutes multas.) δυνάμεις, ut intelligas potẽter facta, quæ uim diuinã demõſtrarẽt. Itẽ

Omnes qui operamini.) Omnes nec eſt in Græcis codicibus, nec in antiquis Latinis, ſed tantum, οἱ ἐργαζόμενοι, id eſt, Qui operamini. Rurſus:

Et irruerũt.) καὶ προσέκοψαν, id eſt, impegerũt, diuerſũ eſt ab eo qđ mox præceſſit, προσέπεσαν

Et admirabantur.) Græcis eſt uehementius, ἐξεπλήσσοντο, id eſt, Stupuerunt, ſiue attoniti facti ſunt: ſiue ſtupore perculſi ſunt.

Ἐξουσία et δύναμις differunt.

Sicut poteſtatem habens.) ὡς ἐξουσίαν ἔχων. Vt condonem quod pro tanq; uertit, ſicut,

Poteſtatem.) Non eſt hic δύναμιν, ſed ἐξουσίαν, quod magis ſonat autoritatem, hoc eſt poteſtatem & ius aliquid faciendi. Non ut ſcribæ qui ſibi uindicabant autoritatem. Non enim dicit, hæc ait dominus, ſed ego dico uobis: & in ædendis miraculis, non implorat opem patris, ſed ait, adoleſcens tibi dico ſurge. Rurſus in

Scribæ.) Eorũ additur apud Græcos γραμματεῖς αὐτῶν, Et de Phariſæis hoc loco nulla mentio, in Græcis quæ quidem uiderim exemplaribus.

EX CAPITE OCTAVO

CVm autem deſcendiſſet.) Ieſus hic apud Græcos nõ additur, ut illa diſſimulem, ἐὰν θέλῃς, Si uelis, quod tranſtulit, ſi uis. Et:

Extendens manum.) Pro extenſa manu, ἐκτείνας τὴν χεῖρα.

Volo mundare.) καθαρίσθητι. Mundare paſſiuũ uerbum eſt, imperandi modo. Proinde uertimus, uolo, mũdus eſto. Cæterũ ἑκατόνταρχος, quẽ hic centurionẽ uocat, ſic enĩ græce ſonat, qui decem decurijs præſit, Hilario tribunus dicitur, Et:

Ἑκατόνταρχος Hilario tribunus dictus.

Rogans eũ.) παρακαλῶν, id eſt, obſecrans. Eſt eñ uehemẽtius hoc, illud δεόμενος abiectius

Puer meus.) παῖς μου. Ea uox & ætatem ſignificat, & filium & miniſtrum. Tametſi Lucas δοῦλον, id eſt, ſeruum, appellat uoce non ambigua. Nec eſt ſimpliciter, lacet, ſed βέβληται, & aliquanto poſt, βεβλημένον, ubi quis toto corpore proſtratus iacet, id quod in grauibus accidit morbis. Nec eſt:

Male torquetur.) ſed δεινῶς βασανίζομενος, id eſt, Grauiter, ſiue acerbe diſcruciatus. Vt ne dicam, quod ἄλλῳ, pro Alteri uertit alio, contempta grammatica.

Sub poteſtate conſtitutus.) Conſtitutus aliquis addidit de ſuo, nec reperitur in exemplaribus emendatioribus, nec in aureo.

Non inueni tantam fidem.) οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ, id eſt, Ne in Iſraël quidem. Vt intelligas

Centurio an idem fuerit.

Centurionem non fuiſſe Iſraëliten, id quod indicant Hilarius & Hieron. Atq; item Chryſoſtomus homilia uigeſimaſeptima. Putatq; eundem hunc eſſe Centurionem cum eo de quo meminit Lucas, licet in nonnullis à Matthæi narratione uideatur diſcrepare.

In tenebras exteriores.) Græci ſubinde uſurpant comparatiua uice ſuperlatiuorum. Vnde nos uertimus, Tenebras extremas. Neq; tamen eſt, ἐσχάτας, ſed ἐξωτέρας, quaſi dicas extimas, ut intelligas in regno lumen eſſe, à quo quo longius abſit aliquis, hoc magis uerſari in tenebris.

In illa

In illa hora.) Post hæc in nonnullis exemplaribus ascripta reperi, καὶ ὑποστρέψας ὁ ἑκατόνταρχος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, εὗρεν τὸν παῖδα αὐτοῦ ὑγιαίνοντα, id est, Et reuersus centurio in domum suam, in illa hora offendit famulum suum sanum. Nos ea sequi maluimus, quæ cum nostris consentiunt.

Dæmonia habentes.) δαιμονιζομένους, id est, Dæmoniacos, siue qui à dæmonibus agebantur. Sed addunt Græci codices, similiter & uetusti Latini πολλούς, id est, multos.

Ipse infirmitates nostras.) Adduxit hoc testimonium Matthæus ex Esaiæ capite quinquagesimotertio, nonnihil ad suum deflectens negocium. Etenim quod illic dictum est de passione Christi, & sublatis hominũ peccatis, hic accommodat ad ægrotos sanatos: quanquam hæc sanatio, illius typum habebat. Ad hunc modum excusat Euangelistam Chrysostomus homilia uicesimaoctaua. Septuaginta ita reddiderunt Τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν αὗτος ἀνοίσει. Cæterum quod in nostris legimus, Et ægrotationes nostras portauit, sciat lector, nostras hoc sanè loco, nec esse apud Græcos, nec in aureo codice, nec in alijs emendatioribus, sed repetitur, è proxima particula. Ita mox: Et dicit eis Iesus. Iesus additũ est, nec est in Græcis, nec in aureo codice. Hebræa Hieron. ita reddidit, Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit. Pro languoribus Septuaginta uerterunt peccata. *Vaticinium nonnihil deflexum.*

Iussit discipulos suos ire.) Discipulos suos addidit interpres explicandæ rei gratia, ἵνα ἐλθόντες ἀπέλθωμεν. Nec additum comperi in aureo codice. Cum enim turbam cuperet effugere, dubium non est, quin discipulos uoluerit comites, certè è turba pauciores. Verti poterat per impersonale uerbum, Iussit abiri siue discedi. Et quod sequitur, Trans fretum, εἰς τὸ πέραν, etiam ad montem referri poterat, aut simile quippiam, nisi mox fieret mentio nauiculæ. Significat enim ulteriorem stagni ripam. *Addita quædam.*

Vulpes foueas habent.) φωλεούς. Fortassis aptius erat cauernas. Et quod hic uertit nidos Græce est κατασκηνώσεις, quod magis sonat obumbracula. Augustinus aduersus Faustũ lib. xxij. cap. xlviij. legit diuersoria. Eodem modo refert Cyprianus libro ad Quirinũ tertio: Habent enim aues in tempestate præter nidos receptacula sua, uelut cauos arborum truncos, aut densa dumeta, aut arborum frondes.

Filius hominis.) τοῦ ἀνθρώπου. Vt nihil ex his uerbis agat Augustinus, qui putat Christũ non dici filium Adæ. Atq; huc torquet, quod dictum est in psalmis: Ego sum uermis et nõ homo: cum aliâs, tum epistola centesima uigesima. Rursus agens cõtra Faustum lib. quinto, locum hunc adducit, probans Christum natum ex fœmina. Verum haud difficilis est huius noduli solutio. Siquidem Christus se filium Adæ uocat, quod ex eius posteris prognatus esset, ex quo prodissent & cæteri mortales uniuersi. Diuus Hieronymus edisserẽs caput Ecclesiastæ nonum, admonet iuxta sermonis Hebraici proprietatem, uulgus hominum, filios hominis dici. Nam ijs quoq; locis ubi nos legimus, filij hominũ, apud Hebræos haberi, בְּנֵי הָאָדָם hoc est filij hominis, uidelicet Adam. *Filius hominis pro filio Adæ.*

Vbi caput suũ reclinet.) Suum pronomen, nec additur in Græcis codicibus, nec apud Chrysostomũ aut Theophylactum, nec in antiquis Latinis, ne in aureo quidem ac Donatianicis. Et absolutior est sermo, ut intelligas adeo nõ esse ubi totum corpus acquiescat, ut nec sit, ubi uel caput acclinet. Vt dissimulem, quod paulo post ἄφες pro sine uertit, dimitte. Nec est simpliciter Suos, sed τοὺς ἑαυτῶν νεκροὺς, id est, Suos ipsorum mortuos.

Et ascendente eo.) ἐμβάντι αὐτῷ, id est, Ingressum eum, siue cũ inscendisset nauim. Nec est nauiculam, sed nauim πλοῖον. Ne quis hic ingens somniet subesse mysterium, quod nauiculam dixerit non nauim. Sanè nauiculam dixit non Euangelista, sed interpres haud scio quis, & incertum quid secutus. Certe τὸ πλοῖον, id est, nauigium siue nauim scribunt Euangelistæ cæteri, quos Græce scripsisse consensus est omnium, ut donemus Matthæo Hebraice scriptum Euangeliũ, quod ipsum mihi non sit uerisimile, cum nemo satis idoneis argumentis testetur se uidisse ullum illius Hebraici uoluminis uestigium. Siquidem illud quod Nazarenorũ uocant, nec Hebraice scriptum testatur Hieronymus, sed Chaldaice, formulis duntaxat Hebraicis, inter apocrypha censetur. Deinde stilus Matthæi cum stilo Marci planè consentit, haud admodum dissentiens à dictione Ioannis. Proinde mihi uidetur probabilius hoc Euangelium eadem scriptum fuisse lingua, qua cæteri scripserunt Euangelistæ. Idem sentio de epistola ad Hebræos, quæ non ob aliud uisa est quibusdã primum *Euangelium Nazarenorũ.*

Nō ſtatim hebraice ſcribit, qui ſcribit Hebræis.

mum Hebraico ſermone conſcripta, niſi quod ad Hebræos ſit inſcripta. Quaſi uero neceſſe ſit, ſi ipſe nunc librū ædidero aduerſus Iudæos, me Iudaice fuiſſe locutum, aut ſi ad Scotos, Scotice. Verum demus, ut dixi, Matthæum Hebraice ſcripſiſſe, non Græce, Certe apud alios item Euangeliſtas πλοῖον legimus hoc loco, non πλοιάριον, id eſt, nauim, non nauiculam. Et tamen hinc ortum arbitror, quod paſſim iam nauiculam appellent Petri, quoties eccleſiam ſignificant. At magis conueniebat ingentem eſſe nauim, quæ uniuerſum hominum genus reciperet, magisq; reſponderet ad typum arcæ, quæ capaciſſima fuiſſe deſcribitur. Ad conſimilem modum concilium diſtinguunt à conciliabulo, exiſtimantes conciliabulum eſſe diminutiuum, aut compoſitum, quaſi dicas cōcilium diaboli: cum apud Hieronymum in partem bonam pro concilio poſitum reperiatur, uelut in epiſtola ad Gerontiam uocat conciliabula Chriſti. At hæc pluribus fortaſſis admonemus quàm res ipſa poſtulat, niſi quod uideo quoſdam in huiuſmodi nugis, uelut in re ſeria mire philoſophari, uel ſomniare potius. Nec mirum ſi labuntur in his ignari ſermonis Græcanici. Quis enim ſuſpicaretur hunc toties fruſtra dicere nauiculam pro nauí? Et tamen ſi quis interpretem percontetur cur toties nauiculā dixerit, non habiturus ſit quod reſpondeat, niſi forte quod apud Lucianum in inſulis fortunatis reſpondet Homerus rogatus cur Iliadem exorſus eſſet à μῆνιν, Sic mihi tum libuit. Rurſus paulo poſt pro nauí nauiculam uertit parum tempeſtiuiter ὑποκορίζωμ. Item pro fluctibus, à fluctibus, eſt ὑπὸ κυμάτωμ. atque ita legit Chryſoſtomus: ut omittam quod hic de ſuo addidit aliquot uoces, ut & mox addidit Ieſus, utique de ſuo.

Nauicula Petri, cuius typus arca Noë

Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.) Diſcipuli eius non additur in aureo codice. In Græcis tamen reperio diſcipulos.

Impauit pro increpauit.

Imperauit uentis.) ἐπετίμησεμ, id eſt, increpauit. Atq; ita primitus fuiſſe ſcriptum opinor. Cæterum aliquis offenſus dandi caſu, uentis, quem tamen hic more Græcanico ſolet addere, mutauit, imperauit. Hieronymus hunc explanans locum, utriuſq; uerbi meminit Creaturæ, inquiens, quas increpauit, & quibus imperauit, ſentiunt imperantem. Quod quiſquis ἐπιτιμᾷ imperat quidem, ſed pœnam comminans, ni pareatur. Atq; illud Qualis, non eſt ποῖος quo ſimpliciter interrogamus, ſed ποταπὸς, quod admirationis habet ἔμφασιμ. Mox autem perperam omiſit Græcam coniunctionem: quia uenti & mare, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι & ἡ θάλασσα, quia & uenti & mare. Conſentit Græcis codex aureus. Etiam ſi prior coniunctio, non tantum connectit, uerum etiam auget. Quia mare quoque & uenti obediunt ei, quæ nulli ſolent obedire. Rurſus: Et cum ueniſſet Ieſus.) καὶ ἐλθόντι αὐτῷ, id eſt, cum ueniſſet, nec additur Ieſus.

ποῖος & ποταπὸς differūt

Modicæ fidei.) Græcis unica dictio eſt, ὀλιγόπιστοι. Cogimur autem frequenter abuti hoc nomine fidei, ſic recepto à Chriſtianis ut mutari nō poſſit. Nam Latinis fides, eſt præſtantis, non confidentis, quæ fiducia magis dicitur. Nos igitur uarie circumlocuti ſumus, quo ſenſus eſſet dilucidior, etiam ijs qui tantum Latine ſciunt.

Geraſenorum.) Græci legunt γεργεσλωῶμ, id eſt, Gergeſenorum. Hieronymus in locis Hebraicis prodidit, ſua etiamnū ætate uiculum extitiſſe in monte ſitum, haud procul à lacu Tiberiadis, ubi porcos in mare præcipites iſſe memorabant. Quanquā apud Marcum hic ipſe locus Gadarenorum uocatur, & eodem nomine apud Lucam. unde colligere licet, eidem urbi, quæ regioni dedit nomen, diuerſa fuiſſe nomina, & eandem dictā Geraſam, ac Gadaram. Id quod indicat & diuus Hieronymus in locis Hebraicis, addens Geraſenorum mentionem fieri in Euangelio. At idem mox in Gergeſſa refert illic porcos præcipites iſſe in mare: ut cōſequatur, aut Gergeſſam uiculum eſſe in regione Gadarenorum, aut eandem eſſe Gergeſſam & Gadaram. Quam Græci uocant Gergeſam opinor Hieronymo dici Gargaſi, quam ait eſſe ciuitatem trans Iordanem, iunctam monti Galaad, quæ ipſius ætate dicta ſit Geraſa, urbs inſignis Arabiæ. Hanc ut refert, quidam exiſtimabant eandem eſſe cum Gadara.

Gergeſſa eadem quæ Gadara.

Sæui nimis.) χαλεποὶ λίαμ. Hilarius legit periculoſi pro ſæui. Nam Græcis χαλεπὸς uox eſt πολύσημος, nunc ſæuum, nunc moleſtum, ac difficilem, nunc atrocem, nonnunquam & periculoſum ſignificans.

Quid nobis & tibi.) Imò quid hic interpreti cum Græca figura? Vertendum erat, ſi latine

latine loqui uoluisset,Quid tibi rei nobiscum est? Ac mox:

Erat autem nō longe.) Græci habent longe, ἦν δὲ μακρὰν, magno quidem consensu codicum quos ego uiderim,sed reclamantibus item magno consensu nostris.Ex Chrysostomo non potest certum colligi quid legerit,ne ex Hieronymo quidem, ex Hilario tantundem. Apud Theophylactum reperio ἦν δὲ μακρὰν scriptum:licet ex interpretatione parū liqueat, quid legerit. Probabilius autem est dæmones procul à Christo fuisse relegatos. Cum codicibus quos uidimus consentit etiam æditio Hispaniensis. Nec est, *Diuersa lectio.*

Si eijcis nos hinc.) sed εἰ ἐκβάλλεις ἡμᾶς, id est,Si eijcis nos,consentientibus & Latinis exemplaribus peruetustis,cumq; his aureo codice & Donatianicis.Nec uideo quid efficiat aduerbium hinc. Rursus ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν εἰς τοὺς ἀγέλας, id est, Permitte nobis, ut abeamus in gregem porcorum,ille uertit,Mitte nos in porcos.

Magno impetu abijt.) Vnicum uerbū Græcū,tribus est circumlocutus, ὥρμησεν, id est,Ferebatur,siue ruebat.Nam omnino ὁρμὴ impetum significat.Et in aureo codice,Impetu tantum legitur,magno non additur,consentientibus & Donatianicis.Ac rursum: *ὁρμάω, quid*

In aquis.) Hilarius in canone quem ædidit in Euangeliū Matthæi,admonet fuisse scriptum,In aquis multis, quum nihil huiusmodi reperiam apud Latinos aut Græcos, quos ego sanè uiderim.

Hæc omnia.) Hæc pronomen addidit aliquis de suo,quod nec in Græcis extat codicibus,nec in uetustioribus Latinis, nec in aureo. At mox, καὶ τὰ τῶν δαιμονιζομένων, quod commode uerti poterat,Et quæ accidissent dæmoniacis.Ac mox:

Et rogabant eum.) Eum addidit aliquis. Nec additur in aureo codice. Et aliquanto post, A finibus eorum,dixit pro à finibus suis,uel à finibus ipsorum.

EX CAPITE NONO.

ET ascendens Iesus.) Iesus hoc loco non reperitur,nec in Græcis,nec in antiquis Latinorum codicibus. Etiamsi in prima æditione, haud scio quo casu fuerat additum.Facit enim iteratio mox positi nominis,ut de altero quopiam Iesu loqui uideatur. Nec est,Ascendens,sed ἐμβάς, id est,Ingressus, siue conscensa aut inscensa naui,pro quo hic rursus nauiculam, quasi nauis non sit latinum. Præterea διεπέρασεν, id est,traiecit,rectius quàm transfretauit.Nam ut lacus mare dicatur,fretum haud uideo quomodo dici possit. Non enim quod mare est, statim & fretum,Nam mare inclusum angustijs fretum dicitur, quanquam poëtæ suo iure uocibus his abutuntur interdum. Ac mox:

Iacentem.) βεβλημένον, de quo superius admonuimus.

Dimittuntur tibi peccata tua.) Tua non additur in uetustis Latinorum codicibus,nec in Græcis aliquot habetur,ne in aureo quidem. Idem accidit paulo post in repetendo.

Videns autem Iesus.) καὶ ἰδών, id est, Cum uidisset autem. Et mox suo more, dimittuntur, pro remittuntur.

Dixerunt intra se.) Sermo Græcus anceps est:potest enim accipi ut intelligamus illos inter se murmurasse. Sed satius est ut accipiamus,illos tacitos sic in animo fuisse locutos, propter id quod sequitur,Iesus sciens cogitationes illorum.Ac paulo post, *Amphibologia in Græcis.*

Et cum uidisset Iesus.) καὶ ἰδών. Chrysostomus legit, Ὁ εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς, id est,cum sciret Iesus.Theophylactus legit ἰδὼν, Ad sensum minimum refert. Præterea,

Vt quid cogitatis) omisit uos, ἵνα τί ὑμεῖς, id est, Vt quid uos.Et,

Quid est facilius.) τί γάρ ἐστιν, id est, Vtrum enim est, Consentientibus & Latinis uetustis,quod ad coniunctionem pertinet.

Vt autem sciatis) Subito mutata persona,duriusculam facit orationem:sequitur enim Tunc dicit paralytico.

Turbæ timuerunt.) Græcis est ἐθαύμασαν, id est,admiratæ sunt. Ita legit Chrysostomus homilia xxx.& huic cōcinens Theophylactus.Etiamsi Hilarius legit timuerūt.Addit enim: Opus istud admiratio consequi nō metus debuit. Vnde apparet in quibusdam scriptum fuisse pro ἐθαύμασαν, ἐθάμβησαν. Quarū uocum magna inter ipsas affinitas est. *Duplex lectio.*

In Telonio.) ἐπὶ τὸ τελώνιον, id est,Ad teloneum.Locus est in quo sedet Telones,id est publicanus exigens tributum,quod Græcis τέλος dicitur. Vt ne recensеam illa minutula

quod Matthæum nomine pro ματθαῖον λεγόμενον. Quod in,

Ecce multi) coniunctionē &,omiserit.Quod ἀκούσας uerterit uidens.Quod non uiderit amphibologiā, Non est opus medico ualentibus, cū licuerit dicere,Nō egent qui recte ualent medico. Cum publicanis) Notatus est ab Hieron. Tertullianus,quod hos dictos publicanos putarit ethnicos fuisse. Vide libellū ad Damasum de filio prodigo

Misericordiam uolo.) Locus est Osee capite sexto. Hebraica Hieronymus uertit ad hunc modum: Quia misericordiam uolui,& non sacrificium,consentientibus per omnia Septuaginta, ὅτι ἔλεος θέλω ἢ θυσίαν. Offenditur hic nonnihil Laurentius Valla,quod θυσίαν uerterit sacrificium,quum eandem uocem in Luca uerterit hostiam.Nam sacrificium dici potest & suffitus & deprecatio, Hostia proprie est mactatæ pecudis, quæ tamen & ipsa dicitur θυσία ob nidorem quem reddit quum incenditur.Ac paulo post,

Misericordia pro beneficentia.

Sed peccatores.) Græci addunt ad pœnitentiam εἰς μετάνοιαν, etiamsi non addit Hieronymus:apud Chrysostomum tamen reperio.Nam leuiculum est,quod mox προσέχουται, id est,Accedunt,uertit accesserunt.

Filij sponsi.) υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, id est,Filij thalami nuptialis,id quod plus est quàm sponsi,hoc est,filij sponsi domestici ac proximi. νυμφῶνα uocat ecclesiam quam opponit synagogæ quæ seruorum est,non filiorum. Ac aliquanto post:Immittit cōmissuram ἐπιβάλλει ἐπίβλημα,id est,ut ad uerbū reddam,Immittit immissurā,siue ut alibi uertit,assuit assumentum.Horatius pannū uocat:Assuitur,inquiens,pannus. Vulgus petiam uocat.Ac mox:

Et peior scissura fit.) χίσμα, quod rupturā uertere poterat.Nonnunq; uocem Græcā relinquit,ut apud Ioannem:Et erat schisma inter eos,cum potuerit dicere dissensio.

ῥάκος & rudis quid.

Panni rudis.) ῥάκους ἀγνάφου, quod modo dixit ἐπίβλημα, hic uocat ῥάκος, quæ est particula panni. ἄγναφον, quod nondū est à fullonibus apparatū,ueluti cum pannus à textore uenit.Quanquā γναφεῖς, id est,fullones, ueteres etiam uestes, aut sordidatas renouant ac repurgant. Et rude dicitur,quod recens est.Sic enim uocat animos nondum humanis traditiunculis infectos. Operæpreciū est uidere ac ridere, quantum hic tumultuetur Hugo Cardinalis disputans,num hinc colligi possit,neophytis non esse indicendum ieiuniū Imò putat hæc ipsa ad monachos quosdā pertinere, qui quoslibet illectant in nassam sui instituti. Deniq; notari & istos,qui uersicolori amictu utuntur. O scriptorem copiosum, sic nascuntur ingentia uolumina.

Plenitudinem eius.) τὸ πλήρωμα, id est,supplementum.Sic enim appellant pannū additum uesti,ad sarciendam rupturam. Offensus enim dissimilitudine noui panni, postea detrahit,& maior ac deformior fit ruptura. Item,

Nouus νέος. Nouus καινός

Vinū nouū in utres nouos.) Nouū & nouos nō respondent eidem uoci apud Græcos Nouū enim dicitur νέον, qđ proprie respondet senio,& cōpetit ijs quæ sentiūt ætatē: καινοὺς opponit uetustati.Est aūt & uinis sua quædā ætas,utribus aut panno nō item.Porrò

Quæ sanguinis fluxū patiebatur.) Græcis unica dictio est, αἱμοῤῥοοῦσα, id est,sanguinis profluuio laborans,ab αἷμα sanguis,& ῥόος fluxus. Omitto minutiora illa,qđ ἐν ἑαυτῇ, Intra se uerterit,pro Intra sese:quod λέγει, Dicit,dicebat:quod ὄπισθεν, id est,à tergo,transtulit,retro.Cæterū θάῤῥει, qđ hic male uertit confide,quodq; nos aliquoties uertimus,Bono animo esto,Ambrosius enarrās psalmū,Beati immacul.sermo.iij.legit:Cōstans esto filia.

Impone manum tuam.) Tuam non addebatur in aureo codice cum sit apud Græcos.

Et dixit,puella surge.) Hæc quatuor uerba, nec habentur in græcis exemplaribus,nec in uetustis Latinis,nec adduntur ab Hieronymo.Postremo nec in aureo codice comperi, nec in Donatianicis. Ac paulo post:

Et dixit eis Iesus.) ἢ λέγει, id est, Dicit,cōsentientibus & uetustis codicibus Latinorū.

Quia possum hoc facere uobis.) Vobis non additur apud Græcos. Et ὅτι perperam uertit,Quia,pro,quod possim, siue,Creditis me posse.Ac mox,Vtiq;,Græcis est ναὶ, qđ aliâs uertit etiam. Est enim aduerbium affirmantis. Ac paulo post:

Cōminari uarie Græcis.

Et comminatus est eis.) Non est ἐπετίμησεν, quod aliquando uertit Increpare,aliquando Comminari,sed ἐνεβριμήσατο, quod proprie significat acriter, ac uelut iracunde comminari cum austeritate,uox à fremitu dicta. Vt euidentius sit,quod sequitur,illos omnia diuulgasse.Sic enim rectius opinor transtulisset διεφήμησαν,quàm diffamauerunt.Certe circumloqui

cumloqui poterat,Sparserunt famam eius. Item:

Nunquam apparuit.) Recte omisit ὅτι, quod tamen libenter solet addere. Vt dissimulem quod hic κώμας uertit castella,cum alibi frequenter transferat uicos. Cum uici mœnibus careant,castella minuta sint oppida,sed mœnibus cincta.Et quod νόσον languorem pro morbo.Nam quod μαλακίαν infirmitatē transtulit tolerabile est. Siquidem & Græci dicunt μαλακῶς ἔχειν, pro parum commode habere.

Misertus est eis.) Plusculum emphaseos habet græca uox ἐσπλαγχνίσθη, id est,Affectu tractus est. Siquidem Hebræi uehementem ac pium affectum uiscera uocant. Et rectius erat erga eos,quàm eis. Ac mox:

Quoniā erant uexati.) Ad eum modum legit & interpretatur diuus Hieronymus,& item Hilarius. Chrysostomus quoq; legit ἐσκυλμένοι, quod sonat diuulsos & diuexatos. Quandoquidem grāmatici uexare dictū uolunt à ueho.Nonnulli codices habebant ἐκλελυμένοι, id est,dissipati seu dissoluti. Alterū uenit à λύω, alterū à σκύλλω. Iam quod protinus sequitur, ἐῤῥιμμένοι, quod hic uertit lacentes, rectius uertisset disiectos siue sparsos, à uerbo ῥίπτω, quo participio usus est & Lucianus,agens de stellis toto cœlo passim,temere,nulloq; ordine sparsis. Quanquā potest ἐσκυλμένοι, pertinere ad ouiū uellera sentibus lacerata, & hoc posterius ἐῤῥιμμένοι, ad oues huc & illuc dispersas:idquod accidere solet, cum abest pastor.Nec enim aliud est animal destitutius,magisq; pendens de præsidio pastoris,quàm oues:id quod etiam prouerbio testatū est, προβάτειον ἦθος, id est, ouilli mores.

Εσκυλμένοι.
Εκλελυμένοι

Ouilli mores.

Vt mittat operarios.) ὅπως ἐκβάλῃ, id est,ut eijciat. Ita scriptum reperi in peruetustis codicibus,nominatim in aureo,ac Donatianicis,atque ita uertit paulo superius interpres Nos maluimus Extrudat,ut intelligamus uel celeriter mittendos,ac uel inuitos & cōtantes extrudendos in opus dei:id quod alicubi notauit Hieronymus hunc citans locum.Hilarius pro mittat legit eijciat.

EX CAPITE DECIMO.

ET conuocatis duodecim.) καὶ προσκαλεσάμενος. Ita fermè uertit, nec omnino perperam,nec apte tamen,cum Græca uox sonet Ad se uocatis. Proinde nos uertimus,Accersitis duodecim.Et Græcus articulus additus τοὺς, indicat non posse accipi, de quibuslibet duodecim, sed de certis, nempe illis quos delegerat Iesus.

Potestatem spirituum immundorū.) Pleriq; Græci codices habent, ἐξουσίαν κατὰ πνευμάτων ἀκαθάρτων, id est,Potestatem aduersus spiritus immundos.Quanquam apud Chrysostomū,si modo liber mendo uacat,non reperio additam præpositionē, nec apud Theophylactum. Alioqui potestas spirituum intelligi poterat potestas,quam habent illi. Nisi quod Græcis potestas est, ἐξουσία, id est,ius in aliquem & autoritas.Proinde Hilarius offensus amphibologia legit, Potestatem eijciendorum spirituum immundorū. Quanquā & hoc mox addidit euangelista.Subinde rursum,Omnem languorem.Languorem uertit νόσον, de quo iam dictum est.

Potestas spirituū,sicut potestas maris an recte.

Primus Simon.) Indicat diuus Hieronymus non eodem ordine recenseri Apostolos ab alijs Euangelistis quo à Matthæo: ne quis ob hoc omnium primum faciat Petrum, quod hic primo loco ponitur. Nam cæteri in iugis Matthæum præponunt Thomæ, Matthæus ipse Thomam præfert modestiæ causa. At in epistola ad Galatas Paulus primo loco recenset Iacobū, Iacobus & Cephas & Ioannes,qui uidebantur esse columnæ. Et Hieronymus existimat eius esse, ordinem ac merita singulorum Apostolorum distribuere, qui illos delegit, innuens, ut uidetur, autoritatem Apostolis omnibus parem fuisse, quod ad apostolici muneris functionem attinet. Cæterum ordo qui extat in nostris uoluminibus,nonnihil dissidet à Græcis: at Græci consentiunt cum Hieronymo,qui per iuga digerit Apostolorum numerum, sic ut primo loco iungat Petrum & Andream,Proximo Iacobum Zebedæi & Ioannem fratres:Tertio Philippum ac Bartholomæū:Quarto Thomam & Matthæū,Quinto Iacobum Alphæi,& Lebbæum cognomento Thaddæum: Sexto Simonem Cananæum, & Iudam Iscariotem. Simonem Petri cognomine distinguit à Simone Cananæo: & Iacobum Zebedæi filium, ab Iacobo Alphæi filio. In quo obiter illud admonendum ὁ τοῦ ζεβεδαίου, articulum Græcum uertendum fu-

Ordo apostolorum.

ísse in id nomen,quod in articulo subauditur,uidelicet filius,quemadmodum in ὁ τοῦ Ἀλφέυ. Cæterum cum unus fuerit Matthæus,ut opus non esset nota,qua discerneretur:& si fuisset opus,habebat & alterum nomen,nempe Leui, tamen addidit ὁ τελώνης, siue ut se deiceret, siue ut ostenderet omnibus aditum patere ad Christum. Etiam si Græcus artículus patitur,ut uertatur, Qui fuerat publicanus,aut, Ille quondam publicanus. Cæterũ

Iudas trinominis. Iudæ proditori,cognomen addidit,siue ut discerneret ab Iuda Iacobi filio,qui idem Thaddæus ac Lebbæus dictus est,ut sit trinominis,siue ut ex cognomine significaret eum ei faciuori natum.quod Isachar יִשָּׂשכָר Hebræis sonat mercedem:atque à tribu unde fuit oriundus nomen sortitus uidetur. Quanquam non desunt, qui à uiculo cognomen deductum malint. Nec est Schariotes, quemadmodũ habetur in nostris codicibus,sed Iscariotes.Nam idem facimus Latini cognomento Iudæ,quod Græci scriptores ecclesiastici faciunt Hispaniæ, σπανίαμ pronunciantes, cum teste Plinio terra sit insigni fertilitate. Opinor id à Prænestinis natum,quibus,ut ait Plautus,Conia est Ciconia. Apud Chrysostomum Iscariotes legitur. Ad hæc:

Iscariotes.

Lebbæus cognominatus.) In Latinis exemplaribus non legitur,sed tantum Thaddæus.Hieronymum autem ita legisse declarat quod in nominibus Hebræis apud Matthæũ meminit Lebbæi,corculum interpretans.

Misit Iesus.) ἀπέστειλεμ, id est,Emisit,siue potius emandauit.Siquidem id est proprie ἀποστέλλειμ, cum mandatis emittere,à quo uerbo dicti sunt apostoli.

Nec est, In ciuitates Samaritanorum.) sed in ciuitatem, εἰς πόλιμ. quod efficacius est: ut intelligas in nullam ciuitatem illorum eundum.Quanquam non inconuenienter accipi potest de ciuitate quæ regionis nomen obtinet,tanquam metropolis.Rursus:

Ad oues quæ perierũt.) πρὸς τὰ πρόβατα ἀπολωλότα, id est, Ad oues perditas:ut frequenter citat hunc locum Hieronymus. Vt ne dicam,quod οὔπω ἤγγικεμ, primum omittenda fuerit coniunctio Græca:deinde appropinquabit,Græcis,non esse futuri temporis,sed præteriti,uertendum,Adest,siue instat,siue in propinquo est.Qua de re iam admonuimus.

Nolite possidere.) μὴ κτήσασθε. Quod magis significat parare,ꝙ possidere. Vt hæc tria simul referantur ad id quod sequitur,In zonas.Siquidem ex hisce tribus rebus solet cudi moneta:quæ primũ ærea fuit ac ferrea, nam utrunꝙ significat χαλκός, deinde argentea, postremo aurea. Vt contra acciderit pecuniæ,ac moribus hominum, qui ex aureis degenerarunt in plusquam ferreos. χαλκὸμ interpres uertit pecuniam,quasi aurum & argentum non sit pecunia, Certe Marci sexto χαλκὸμ uertit æs, quum illic tolerabilius uersurus fuerit pecuniam,ut generali nomine complecteretur omnem monetam,hic post commemoratas omnes species dure subiecit genus cõplectens & alia,præter monetam. Porrò quod dixit εἰς τὰς ζώνας, id est,In cingulos,iuxta ueterũ morem locutus est:iuxta quem milites, si quid erat æris,id in zonis gestabant. Vnde prouerbium illud apud Flaccum, Zonam perdidit.De eo cui nihil erat pecuniæ,quemadmodum in Chiliadibus nostris copiosius explicatum est. Nos uertimus,In crumenis, non quod esset elegantius, sed quod

Zona pro crumena. apertius idem significaret.

Neꝙ duas tunicas.) δύο χιτῶνας. Latinius erat,neꝙ binas tunicas. Nam Græci nescíunt hanc elegantiam,quæ tamen non erat negligenda Latino interpreti.

Interrogate.) ἐξετάσατε, id est,Exquirite. Et ἄξιος, dignus posuit absolute pro idoneus,quod nonnulli Latini perperam imitantur.

Donec exeatis.) ἕως ἐξέλθητε. Id pertinet ad illud quod proxime præcessit εἰσέλθητε, & utrunꝙ refertur ad ciuitatem.Nam præceptum eò spectat,ne crebro mutent hospitium, néue ambiant apud quem diuersentur:Neque rursus temere in quamuis irruant domum quæ paulo post sit mutanda.Sic Ambrosius & Chrysostomus.

Dicentes pax huic domui.) Horum uerborũ nihil est in Græcis exemplaribus, nec addúntur ab Hieronymo. Tantum est salutate eam. Imò cum ait Hieron.Occulte salutationem Hebraici,ac Syri sermonis expressit,indicat salutationem non fuisse explicatam, sed ex hoc colligi,quod sequitur, Veniet pax uestra super eam.In uetustissimo quodã exemplari Latino asscriptũ reperi,sed in margine:Primum dicite,pax huic domui. Vnde conijcio,quod ferè fit,hoc ex alijs Euangelistis huc additum fuisse. Quanquam ne quid dissímulem

mulem,additur apud Hilarium in canone,& apud Chryſoſtomum homilia triceſimater tia,ſed latine uerſa,quum in Græcis commentarijs non addatur.Rurſus apud Theophy/ lactum non additur. Porrò ne quis exiſtimet nouum hoc ſalutationis genus primum à Chriſto fuiſſe repertum:qui ſic uſus eſt omnibus rebus uulgatiſſimis,ut eas longe aliò tra heret,quemadmodum Græci ſolenni more dicunt χαῖρε, Latini ſalue, ſic Hebræi Syriq; שָׁלוֹם לָךְ Scholom lecho, id eſt, pax tibi. Eam ſalutationem nunc ſibi, ceu peculiarem uendicant epiſcopi, parum decoram ijs, qui non ſolum ipſi belligerantur,uerum etiam a/ lios ad bella concitant. Cæterum in, *Pax tibi, ſalutatio uulgaris apud Hebræos.*

Domus illa.) Illa addidit interpres de ſuo, cum non ſit nec in Græcis codicibus, nec in antiquis Latinis.

Veniet pax ueſtra.) ἐλθέτω, id eſt, Veniat.Nec eſt reuertetur,ſed reuertatur, ἐπιστραφήτω. Suffragantibus & uetuſtiſſimis Latinorum codicibus.Ac paulo poſt,

De domo uel ciuitate.) Græci addunt ἐκείνης, id eſt,Illa.

Et ſimplices.) Non eſt ἁπλοῖ, ſed ἀκέραιοι, quod aliâs uertit ſynceri.Mire uero pinxit Chriſtus hac ſimilitudine ſimplicem prudentiam, ac prudentem ſimplicitatem, hominũ uere Chriſtianorum.Innoxium animal columba,& cui totum ſalutis præſidium in alarũ pernicitate ſitum eſt.Eſt enim hæc auis perniciſſimi uolatus.Et arte magis quàm uiribus ſuam incolumitatem tuetur ſerpens. Nam hactenus conſiſtit collatio. *Simplex biſariam dicitur Græcis.*

Cauete autem ab hominibus.) ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, id eſt, Ab illis hominibus,id indican/ te articulo.Neque enim monet omnes homines obſeruare, ſed malos,de quibus mox di/ xerat,ac paulo poſt loquitur.

In conſilijs.) εἰς συνέδρια, id eſt, In concilia, hoc eſt, conſeſſus ſenatorum, ac iudicum. Ac rurſus Synagogas, rectius uertiſſet conciliabula,ſiue conciones.Nec enim tantum lo quitur de templis Iudæorum,

Ad præſides autem.) Græce eſt ἡγεμόνας. Quod omnino præſidem,ſeu præfectũ pro uinciæ ſignificat aliquoties. Cæterum illud,

Nolite cogitare.) Græce eſt, μὴ μεριμνήσητε, id eſt, Ne ſitis anxij,ſiue ſolliciti. Non co/ gitationem dominus iubet abijcere,ſed ſollicitudinem. Et rurſum:

Odio omnibus,) μισούμενοι ὑπὸ πάντων, id eſt,Odio habiti ab omnibus,uariauit,ſed re cte.Nec additur apud Græcos hominibus,ac ne in aureo quidem codice.

Non conſummabitis ciuitates.) οὐ πλήσητε. Quid eſt nõ conſummabitis? Num illi æ/ dificabunt ciuitates? Cur autem hic ueritus eſt à uerbis aliquantum recedere, cum idem ſæpenumero faciat ſine cauſa? Nam ſenſus eſt, Filium hominis cito uenturum, & priuſ/ quàm illi poſſint peragrare omnes ciuitates Iſraëliticas. Proinde nos periphraſi explica/ uimus,Nõ perambulaueritis omnes ciuitates &c.quo redderemus emphaſim græcæ uo cis τελέσητε. Itáque ſcriptum eſt in aureo codice. Ac rurſum Donec, ἕως durius poſitum quàm in initio huius Euangelij. Ad hæc, ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, ὑπὲρ τὸν κύριον, Super magi ſtrum, ſuper dominum. Cur non potius Supra præceptorem, ſupra dominum, ſiue ſupe rior aut potior domino? *Conſummabitis obſcure uerſum.*

Beelzebub.) Mirum cur Græci perpetuo mutent b in l in hac dictione, beelzebul, ſcribentes pro beelzebub,cum neutrum elementum apud illos finale ſit β & λ. Alioqui hæc uideri poterat cauſa:præſertim cum neq; uocum,neq; figurarum ulla ſit affinitas, ut aurium,aut ſcribarũ errore factum uideri poſſit. Diuus Hieron.indicat,idem eſſe Beel,& Baal,& ſonare Hebræis idolum,à Sidonijs ad Iudæos profectum,ſiue à Babylonijs. בַּעַל & zebub, זְבוּב muſcam,quaſi dicas idolum muſcæ,atque hoc nomine ſpurciſſimũ ído/ lum fuiſſe Accaronitis,qui ſunt quidẽ in regione Iudææ,ſed impij. Ab hoc Hebræi prin/ cipem dæmoniorum Beelzebub appellaſſe. *Beelzebub quid ſonet Hebræis.*

Quod non reueletur.) ἀποκαλυφθήσεται, id eſt,Reuelabitur,atque ita legit Hilarius. Eti/ amſi nondum redditur Græcarũ uocum inter ſeſe affinitas κεκαλυμμένον & ἀποκαλυφθήσε ται, id eſt,Tectum & retegetur. Ac rurſum γνωσθήσεται, id eſt,Scietur,non,ſciatur.

Prædicate.) κηρύξατε. Quod proprium eſt præconum,et publicitus apud populum ſua uoce promulgantiũ aliquid. Gehenna uero uocabulum negat Hieronymus in antiquis inueniri libris, ſed primum à Chriſto proditum. Locus eſt in ſorte tribus Beniamin, ſed ab impijs *Gehẽna quid & unde dicta*

ab impijs possessus, in quo filios exustos igni deuouebant & immolabant dæmonio Moloch, quemadmodum ethnici nonnulli Saturno. Is uocabatur Tophet, situs in ualle filij Ennon, quemadmodum legis quarto Regum, capite uicesimotertio. Vbi legis hunc in modum: Contaminauit quoq; tophet quod est in conualle filij Ennon, ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem moloch. Item Paralip. 28. de Achas ita legimus: Qui adoleuit incensum in ualle Ennon, & lustrauit filios suos in igni iuxta ritum gentiũ quas interfecit dominus. Cæterum גיא Hebræis uallem significat. Et dominus apud Hieremiã cap. septimo, cõminatur se cõmutaturum nomen loco: ut non amplius dicatur uallis Tophet aut Baal, neq; uallis Ennon, sed πολυάνδριον, id est, tumulus multorum cadauerum. Vnde locus apud Iudæos execrabilis habebatur, quemadmodum apud Græcos κακόσαρ γες, de quo dictum est à nobis in Chiliadibus. Apud euangelistas usurpatur, pro loco, in quo cruciãtur impij. Apud Hieremiã aũt ita legis cap. 7. Aedificauerũt excelsa, siue aram Tophet, quæ est in ualle filij Ennon, ut incenderent filios suos, & filias suas igne &c. Ac mox: Et nõ dicetur amplius Tophet, & uallis filij Ennon, sed uallis interfectionis, & sepelientur in Tophet, eo quod non sit locus &c. Rursus cap. 19. Non uocabitur amplius locus iste Tophet, & uallis filij Ennon, sed uallis occisionis. Pro Tophet septuaginta uerterunt πολυάνδριον. Rursum 32. Et ædificauerunt excelsa Baal, quæ sunt in ualle filij Ennon ut initiarent filios suos & filias suas Moloch &c. Hæc ideo lector retuli, ut obiter indicem cuiusdam calumniatoris rabiosam insectationem, qui tamen plurimorũ iudicio doctissimus habetur, suoipsius planè deus est, nisi quod doctis etiam omne iudiciũ eripit liuor & odium. Scribit enim me hoc loco tot ferè mendacia assuisse quot sunt uerba. Primũ mendacium facit, quod in locis quos cito, ex libro Reg. 4. cap. 23. & Hierem. 7. hæ duæ dictiones, ge & ennon, nõ legantur cõiunctim, sed alter habeat gia hennon, id est, uallis Ennon, alter gia ben hennon, id est, uallis filiorũ Hennon. Quæso quod hic mendacium est, quum ego de iunctis aut disiunctis dictionibus non loquar, sed indicem quibus in locis fiat mentio rei unde nomen hoc sumptũ est quo significamus inferos. Si illic nulla fit mentio Tophet, ubi initiabant atq; etiã occidebant filios suos idolo Moloch, iure mihi obijciet mendacium. Nihil enim aliud professus sum. Audi nunc alterum mendacium non à me positum, sed in me scriptũ, Aio Tophet esse in tribu Beniamin. Hoc inquit in locis quæ commemorat non habetur. Quid? An istuc promiseram haberi in locis quæ cito? Hieronymus in locis indicat Tophet esse in suburbanis Hierusalem, & Hierosolyma erat in sorte Beniamin, quemadmodum in ijsdem locis testatur Hieronymus. Iste profert nobis caput Iosue 18. Ibi, inquit, inuenies utrũq;. Quod utrunq;? gehennon unica dictione. Quis hoc negabat? & in Beniamin sorte locum esse, Hoc ego docui quanquam non citato loco, nisi quod autorem profiteor Hieronymũ. Atqui hoc ipsum iste magno cõuicio obijcit, quod hoc autore nitor in Hebraicis. Me uero non pudet illum uirum alicubi sequi autorem, cuius interpretationem amplexa est, & quem inter præcipuos doctores habet ecclesia. Obijcit & Hieronymo mendacium, quod dixerit gehennæ uerbum in ueteribus libris non inueniri, sed primum à Christo proditum pro inferis, quum reperiatur in libro Abot, quasi diuus Hieronymus illic somniarit de apocryphis Iudæorum libris, ac non potius de ueteris testamenti uoluminibus. Rursus impingit mihi quod scripserim illic liberos à parentibus immolari solere, quum Hieronymus tantum dixerit, initiari, imò Hieronymus hũc enarrans locum, dicit: filiosq; suos incenderent uel initiarent. Idem enarrans locum apud Hieremiam, ita loquitur: Filios suos in igne idolis consecrarint, siue holocaustum obtulerint. Arrodit & illud, quod quum Hieronymus scripserit Tophet locum fuisse delitiarũ, ego dixerim Iudæis fuisse nomen abominabile, quemadmodum apud Græcos est cynosarges. Miræ uero delitiæ, idolo incendere filios. Atqui locus qui prius alliciebat amœnitate, postea factus est abominandus, uidelicet impletus hominum cadaueribus, quemadmodum docet scriptura sacra. Et ideo manebat abominabile nomen Iudæis, quod illic de testabili superstitione perierint animæ plurimorũ, filiorũ etiam corpora. Impingit quod negem me uidere quid interfit inter racha & fatuũ, & hinc colligit homo dialecticus me Christo tribuere iniustitiã. Imo sic loquor: Si uerum est, quod scribit Hieronymus racha sonare cerebro uacuum, non uideo quid interfit inter racha & fatuum. Atrocius est care-

re cere

re cerebro quàm appellari fatuũ. Obiícit quod unum tantum locum citarim ex pſalmis, ubi racha ponitur pro uacuo, hinc ratiocinans me non legiſſe, niſi unum aut alterum pſalmum, quaſi quod ipſe fecit difficile fuerit uel ex lexico facere, ſi ad id quod inſtituerã pertinuiſſet. Obiícit, quod quum cæteri dubitent de racha, ego ſolus affirmem. Imò Hieronymus affirmat, & item Chryſoſtomus, ego ſolus dubito, negans me uidere diſcrimen, inter racha & fatuum, ſi uera eſt Hieronymi ſententia. Et Hieronymi ſententiam ipſe reiícit mecum faciens. Atque obiter admiſcet me detraxiſſe uirgini matri perpetuam integritatem, Chriſto ſuam diuinitatem, perfricta fronte mentiens: ad hæc Germanos docuiſſe ſedis Romanæ contemptũ. Et his alia multa ſimília blaterat homo qui ſibi uidetur fato ſeruatus fulciendæ Eccleſiæ dei, uociferans impudentiſſimũ eſſe quenquam hoc ſeculo ſcribere libros quo uiuit tale ingenium. Quid autem poſt tot fumos, tot glorias, tot conuitia docet nos? recha legendum non racha, & rheca poſſe dici, qui tamen abundet diuinis dotibus: & unde hæc docet? Ex libris Iudæorum quos non agnoſcit eccleſia Chriſtianorũ. Deinde gehennon compoſitum legi in libro Iudicum, & gehennam pro inferis inueniri in libris Abot, ſimília prolaturus myſteria, niſi uereretur, ne ſanctum canibus, & margaritas obiíciat porcis. Nimirum huiuſmodi ſcriptores ſi nobis Eccleſia Romana miſerit, facient illam apud omnes gratioſam. Imò niſi tales aluiſſet euexiſſetq; Romana ſedes, non ueniſſet in publicum orbis odium. Nos humília tractamus, nimirũ pro natura argumenti quod ſuſcepimus, nulli obſtantes, quo minus adferat ſublimiora. Imò niſi hæc humília præceſſiſſent, fortaſſis non eſſent qui iſta ſublimia diſcere, uel cuperent, uel poſſent.

Duo paſſeres.) δύο στρουθία, id eſt, Duo paſſerculi, & diminutio facit ad emphaſin. Ac mox rurſum ἀσσαρίου, Aſſe diminutiuum eſt, quaſi dicas terunciolo. Quanquam Romanam uocem effinxit, ſiue interpres, ſiue Euangeliſta. As enim ſiue aſſis, qui & libella dicitur, nummulus erat, cuius uilitas etiam prouerbijs teſtata eſt. Catullus, Omnes unius æſtimemus aſſis. Illud mirum, Hilarium ſubinde repetiſſe unum pro unus, quod στρουθίον apud Græcos neutri generis ſit, niſi forte malumus hoc imputare librarijs. Cyprianus citat, neuter, quod duorum eſſet facta mentio. Mirum autem quid ſecutus Chryſoſtomus legat, & unus ex illis non cadet in laqueum ſine patre ueſtro. Et ad eundem ſanè modum legit Origenes homília in Lucam trigeſimaſecunda. Nam ut Origenis non ſit hoc opus, tamen hominis eſt eruditi. Theophylactus nobiſcum legit, Super terram.

Paſſerculi.

Ασσάριον.

Cadet in laqueũ pro cadet in terrã.

Veſtri autem.) Veſtri hoc loco primitiuũ pronomen eſt potius quàm deriuatiuum, quaſi dicat, de uobis. Nam Græci carent hac diſtinctione. Significat autem uiliſſimã hominis partem. Interpres, aut certe ſcriba omiſit Græcam coniunctionem, καὶ, &: Et capilli, ſeu magis pili, quæ tamen ad emphaſin facit, cum ſentiat, adeo nos nõ eſſe neglectui patri cœleſti, ut is capillos etiam noſtros habeat numeratos. Paulo q; poſt,

Et pro etiam.

Meliores eſtis.) διαφέρετε, id eſt, Præſtatis, quod alibi uertit, pluris eſtis. Nec eſt,

Confitebitur me.) ſed in me ἐν ἐμοί. Hoc eſt in nomine meo. Item cõfitebor in eo ἐν αὐτῷ. Sic legit & Chryſoſtomus. Quanq; hunc ſermonẽ ſuſpicor eſſe idiomatis Hebraici.

Separare hominem aduerſus &c.) διχάσαι, quod ſignificat in duo diducere quæ prius erant coniuncta, quod ſubnotaſſe uidetur & Chryſoſtomus hunc ediſſerens locum. Vnde Græci διχοστασίαν, uocant per ſeditionem inter ſe cõtendere, & ſeditionem διχοστασίαν, quoties Scinditur incertum ſtudia in cõtraria uulgus. Locus autem eſt apud Michæam cap. ſeptimo, iuxta ueritatem Hebraicam: Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui, quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, nurus aduerſus ſocrum ſuam, inimici hominis domeſtici eius. Græca uox eſt anceps νύμφη quæ ſi referatur ad maritum, ſponſam ſonat, ſi ad parentes ſponſi, nurum.

Διχάσαι.

Qui inuenit.) ὁ εὑρών, id eſt, Qui inuenerit. Eſt enim præteriti temporis, ut & illud ὁ δὲ ἀπολέσας, qui perdiderit, ſic paulo poſt:

In nomine prophetæ.) Scio quoſdam has particulas, in nomine iuſti, & in nomine prophetæ referre ad Chriſtum, qui uere iuſtus ſit & propheta. Quanquam mihi uidetur hic eſſe ſenſus, Qui recipit iuſtum, non quia cognatus ſit, aut affinis, aut diues, aut potens, ſed quia iuſtus, erit & ipſe iuſtus accepturus mercedem ſuæ iuſtitiæ. Et in nomine reliquimus, quod aliquoties nec ſub nomine, nec per nomen, nec nomine omiſſa

præpo

præpoſitione ſatis explicat idioma ſermonis Hebraici. Ac mihi ſanè nimiũ moroſi uidentur, qui nuſquã concedunt euangelicis literis ſua peculiaria uocabula, quũ in rhetoricis ferant ſtatũ & conſtitutionẽ uoces longe aliud ſignificãtes latinis auribus, & finẽ pro definitione, & ſuperlationem, uocem Latinis inauditã, pro eo quod Græci uocant hyperbolen.

Mercedem prophetæ accipiet.) Neq; prophetæ, neq; iuſti apud Græcos additur articulus τοῦ, unde non poteſt accipi de certo propheta ſeu iuſto, ſed de quocunq;, non de eo qui recipitur. ut ſenſus ſit, ipſum quoq; qui prophetam receperit, fieri prophetam, qui iuſtum receperit fieri iuſtum.

Ex minimis his.) τῶν μικρῶν τούτων, id eſt, E puſillis his, ſiue è paruis. ne fruſtra ſibi placeant quidam qui ſe minimos uocant, cum alij minorum occuparint cognomen. Quanquã minimis legit & interpretatur Hilarius. Ex Hieronymi, Chryſoſtomiq; interpretatione, non ſatis liquet quid legerint. Et huius ipſius euangeliſtæ capite uiceſimo quinto, ἐλαχίστων legitur, Quamdiu feciſtis uni ex minimis iſtis &c. At mox:

Frigidam poposcit.

Calicem aquæ frigidæ.) Græce eſt ποτήριον ψυχροῦ, id eſt, Poculum frigidæ, ut ſubaudiendum ſit ὕδατος. Sic enim loquuntur & Latini, frigida lauat: Et, frigidam popoſcit. Porrò μόνον, id eſt, tantũ, quod proxime ſequitur, referri poteſt, uel ad ſuperiora: ut ſit ſenſus, ſufficere ſi quis uel frigidam duntaxat aquam exhibeat, uel ad ſequentia: ut intelligas ſatis eſſe quiduis, modo id fiat tanquam diſcipulo Chriſti.

EX CAPITE VNDECIMO.

Cõſummauit præcipiens.

CVm conſummaſſet præcipiens.) Græcanicam figuram male reddidit interpres. Eſt enim iuxta ſermonis proprietatem participium poſitum uice uerbi infiniti, ἐτέλεσε διατάσσων, pro διατάσσειν. Quemadmodum μέμνημαι ἐλθών, id eſt, Memini ueniens, pro memini ueniſſe. Proinde nos uertimus, Cũ finem feciſſet Ieſus mandandi, ſiue præcipiendi.

In uinculis.) ἐν δεσμωτηρίῳ, id eſt, In carcere. Nomen eſt à uinculis dictũ. Nam eſt aliud φυλακὴ à cuſtodia dictum. Et mox τὰ ἔργα, cur nõ potius facta quàm opera? Nam opus eſt quod extat, ueluti domus. Quanquã in his minutulis ſæpe conniuemus. Vt ne dicam quod in πέμψας, Mittens uertit, pro miſſis duobus, non obſeruata temporis ratione.

Tu es qui uenturus es.) σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, id eſt, Tu es ille ueniens ſiue uenturus. Eſt enim græca uox ad utrumlibet tempus anceps. Illud maioris eſt momenti, quod ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε, id eſt, Auditis & uidetis uertit, Quæ audiſtis & uidiſtis. Eſt enim plenior ſenſus ut de omnibus, quæ faciebat Ieſus, intelligatur.

Et cæci uidẽt.) ἀναβλέπουσι. Græcis expreſſius eſt, quaſi dicas reuidẽt, ſeu recipiũt uiſũ.

Pauperes euangelizantur.) εὐαγγελίζονται. Planè Græcorũ more locutus eſt interpres, qui cum dicant bene facio te, & benedico te: proinde & paſſiuis horum ἀναλόγως utũtur,

Euãgelizo te Græce duntaxat.

bene patitur abs te, benedicitur abs te. Nam utroq; modo loquuntur, εὐαγγελίζω σοι & εὐαγγελίζω σε, ut indicat Theodulus de dictionibus rhetoricis. Proinde nos uertimus, Pauperes lætum accipiunt Euangelij nunciũ. Alluſit enim ad uerba prophetæ: Euangelizare pauperibus miſit me. Illa leuicula ſunt, quod σαλευόμενον uertit, Agitatã, pro eo quod eſt, quæ agitatur ſiue mouetur, ſed huc & huc undarũ more. Vnde Hilarius, ut temporis etiam rationem obſeruet, uertit, Arundinem uento moueri. Et quod οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες, uertit, Qui mollibus ueſtiuntur, pro mollia geſtantes, ut ſubaudias, ueſtimenta.

Etiam dico uobis.) ναὶ, id eſt, Certe. Aduerbiũ confirmantis, quod paulo ſuperius uertit utiq;. Cæteris enim abnegatis, poſtremum hoc confirmat.

Et pluſquã prophetam.) Bene uertit, ſi περισσότερον legas genere neutro, ſin maſculino, ſonat præſtantiorem propheta. Nec hic liceret articulũ apponi, τοῦ προφήτου: quod ad nullum certum prophetam poſſit accommodari, cum illum omnibus anteponat.

Nati mulierũ qui, cõtra opinionem Hieronymi.

Inter natos mulierũ.) ἐν γεννητοῖς γυναικῶν. Abſolute dixit, ut ad omnia pertineat, quæ poſſint è mulieribus naſci. Opinor enim γεννητοῖς neutro genere poſitum eſſe. Non quod alios ſentiat quàm homines, ſed quod ſchema ſermonis habeat epitaſin. Vehementius enim eſt, nullum animal hoc ſceleratius, quàm nullus homo ſceleratior. Iam tametſi pie ratiocinatur Hieronymus, Chriſtum non teneri hac formula, quod ex uirgine ſit natus, tamen ad reuincendũ contentioſum non ſatis haberet ponderis; cum alibi Chriſtus ipſe matri lo

tri loquẽs dicat, γύναι, id eſt, mulier. Præterea qua fronte Paulus Galatis ſcribit, factum ex muliere, ſi Chriſtus ex muliere natus non eſt? Verum eſt mulierem apud Latinos aliquando ſignificare corruptam, & tamen hoc non obſtitit interpreti, quo minus uirginem Mariam mulieris nomine compellarit. Deinde quorſum opus erat mox excipere ſeipſum, ſi nõ tenebat hac formula? Ait emĩ de ſe, ſed qui minor eſt in regno cœlorũ, maior eſt illo. Auguſtinus argutatur de diſtinctione, quod hæc particula, in regno cœlorũ, poſſit utrolibet referri. Qui minor eſt, uidelicet tẽpore, is in regno cœlorũ maior eſt. Aut qui minor eſt in regno cœlorum, is illo maior eſt. Hæc uidebuntur puerilia, ſed ad præſens inſtitutum pertinent.

Non ſurrexit maior.) Annotauit hoc Hieronymus Ioannẽ nõ præferri prophetis ac patriarchis omnibus, ſed æquari, Non enim ſi Petrus non eſt maior Ioanne, ſtatim Ioannes erit maior Petro.

Vim patitur.) βιάζεται, id eſt, Vi inuaditur, ſiue occupatur, uel ob turbam irruentium, ac ui conantiũ irrumpere, adeo iam urgebat tẽpus Euangelij. Etiãſi me nõ fugit Hieronymum, Auguſtinum, cumq; his pleroſq;, ſecus hunc locum interpretari. Verum liceat & à probatiſſimis autoribus alicubi diſſentire: quãdoquidem illi non ſolum fuerunt homines, uerũ permiſere ſibi in tropologia nonnunq; abuti ſcripturæ teſtimonijs. Primũ illud liquet opinor, hoc loco regnum cœlorum dici, nouam Euangelij doctrinã, ad quam iam ultro cõfluebat turba, ceu perteſa Moſen. Nec enim in hoc uim patitur doctrina Chriſti, neq; ui rapitur, ſi nos uim admouemus affectibus noſtris, ſed magis uim facit. Ad hæc quid hic ſenſerit ipſe mox explicat: Omnes enim prophetæ & lex uſq; ad Ioannem, uidelicet cauſam reddens, cur ita cupiant irrumpere, cum Moſaicæ legis tempus iam præteriſſet. Ita connectit ſermonis conſequentiã & Chryſoſtomus homilia trigeſimaoctaua, Huic ſuccinit Theophylactus. Nec Hilarius ab hac noſtra ſententia ad modum diſcrepat, interpretans cœlorũ regnum Iudæis ueluti debitum ex pacto, uiolentia fidei occupandũ à gentibus. Eius uerba ſi quis requiret, ſubſcribam. Vt rerum, inquit, natura exigit, uim potẽtior affert minorq; erit cui uis affertur. Quid eſt ergo, quod diripiens eſt, quodq; uim patitur, cõtuendum eſt. Infidelitatem diſcipulorum Ioannis dominus animaduerterat: turbæ etiam opinionem de eius nuncio intellexerat, in cuius ſcandalo ingens fidei periculum ſentiebat, ire potius apoſtolos ad oues perditas Iſraël iuſſerat. Ipſos inſtitui oportebat in regno, & in Abrahæ, ac Iſaac & Iacob familia retineri. Sed omnis hæc prædicatio profectum publicanis & peccatoribus afferebat. Ex his enim iam credentes, ex his iam apoſtoli, ex his iam regnum cœlorũ. Cæterum Ioanni à plebe non creditur, autoritatem Chriſti opera nõ merẽtur. Crux futura erat ſcandalo, iam prophetia ceſſat, iam lex expletur, iã prædicatio omnis includitur, iã Heliæ ſpiritus in Ioãnis uoce præmittit. Alijs Chriſtus prædicatur, & ab alijs agnoſcitur. Alijs naſcitur, & ab alijs diligitur. Sua eum reſpuunt, aliena ſuſcipiunt. Proprij inſectantur, complectuntur inimici. Hæreditatem adoptio expetit, familia reijcit. Teſtamentum filij repudiant, ſerui recognoſcunt. Itaq; uim regnũ cœlorũ patitur, inferẽtes diripiunt illud. Quia gloria Iſraël patribus debita, à prophetis nũciata, à Chriſto oblata, fide gentiũ occupatur & rapitur. Hactenus Hilarij uerba retulimus. Hoc ſermone dominus excludit murmur Iudæorum, qui indignabantur, quod ad ipſis promiſſam Euangelij gratiam, reciperet quoſcunq;, Imò, inquit, non illos recipio, ſed ipſi uobis contantibus irrumpunt.

Regnum cœlorũ uim patitur, ſecus interpretatũ & pleriq; accipiunt

Hilarius unus nobiſcũ faciẽs

Rapiunt illud.) Aptius eſt quod legitur cum in alijs uetuſtis tum in aureo codice: Et ui olenti diripiunt illud. Sumpta metaphora ab arce quæ irrumpẽtibus hoſtibus diripitur.

Ipſe eſt Helias.) Locus eſt in calce Michææ prophetæ, Ecce ego mittam Heliam prophetam, antequàm ueniat dies domini magnus & horribilis.

Helias apud Michæam.

Helias qui uenturus eſt.) Mollius erat, qui uenturus erat. Nam quo pacto uenturus eſt, qui iam prædicationem ſuam peregerat? Notum eſt autem participia præſentis temporis, etiam ad præteriti imperfecti ſignificationem pertinere.

Simile æſtimabo.) ὁμοιώσω, id eſt, Aſſimilabo, ſiue quod Latinius eſt, ſimilem eſſe dicã. Hieronymus annotauit hic Græce eſſe, ἐν ἀγορᾷς, id eſt, In mercatibus ſiue foris. Nam Latinis forum eſt etiam in quo aguntur cauſæ. Cæterum ἀγορὰ Græcis propriè forum eſt rerum uenaliũ. Vnde uerbum ἀγοράζομαι, id eſt, emo. Nec eſt, Clamãtes, ſed προσφωνοῦντες, id eſt, acclamantes, ſiue alloquentes. Rurſum, non eſt, Coæqualibus, ſed ἑταίροις, id eſt, ſo-

Forũ duplex.

Prouerbium euangelicum. dalibus. Hilarius habet, & clamantibus inuicem, ex quo coniicio illum legisse ἑτέροις pro ἑταίροις. Nec est simpliciter cecinimus, sed ἠυλίσαμεν. id est, cecinimus tibijs. Ita sanè citat diuus Augustinus libro quæstionum Euangelicarum secundo, capite undecimo, Cantauimus tibijs & non saltastis. Itaq; uocem hanc eandem uertit Lucæ cap. septimo. Quis autem unquam dixit lamentauimus? ἐθρηνήσαμεν, id est, lamentati sumus, siue luximus, aut, ut sensum magis exprimam, lugubria cecinimus. Siquidem ueteres uarijs harmoniarum modis, quos appellant Phrygium, Dorium, Lydium, uarios mouebant affectus. tibijs ad alacritatem incitabant. Et legimus ἀδμήτου μέλος, pro lugubri cancione. Sensus igitur est, diuersis rationibus tentauimus uos excitare, nec ullo pacto potuistis commoueri. Porrò planxistis, Græcis est ἐκόψασθε, quod inde dictum est, quod olim in luctu seipsos cæderēt manibus, qui proprie planctus dicitur. Apparet autem uulgarem fuisse cantiunculam, quā pueri inter se canerent. Quēadmodum & Pittacus cōsultorē suū ad pueros trocho lusitātes mittit, ut audiat τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. Sicut copiosius dictū est in Chiliadibus nostris.

Dæmonium habet.) In nonnullis scriptum erat, ὅτι πνεῦμά ἐστιν, id est, Spiritus est. Sed dissentiētibus cæteris omnibus. Erat autem & hoc unum è criminibus Socratis, quod Genium haberet peculiarem, qui uocabatur Socratis dæmonium.

Filius hoīs, id est, Adæ. Venit filius hominis.) τοῦ ἀνθρώπου, ut ad Mariam referri non possit, cū articulus sit generis masculini, ne qs hic frustra philosophet̄ in filio hominis, quod alicubi facit Augustinus.

Homo uorax) Græcis est φάγος, qd' magis sonat edacē siue comedonē. Deīde qd' sequit̄.

Vini potator.) Apud Græcos iucundius est ob dictionem compositam οἰνοπότης quasi dicas uinibibus, cui pugnat ὑδροπότης, aquæbibus. Augustinus libro aduersus Faustum xvi. cap. xxxi. pro οἰνοπότης refert uinaria, uoce ni fallor deprauata ex uinauria, ab hauriendo uino. Atq; hinc uerba composita, οἰνοποτεῖν, ὑδροποτεῖν. Horatius: Quæ scribuntur aquæ potoribus. Ac rursum. Plurimæ uirtutes δυνάμεις est, uox diuinam potentiam significans, de quo iam admonuimus. Nec est, Corazam apud Græcos, sed χωραζεὶν, id est, Chorazin. Sunt autem castella Galilææ Bethsaida & Chorazin. Item ἀνεκτότερον, Remissius, quod ante uerterat Tolerabilius.

Nunquid usq; in cœlum.) Interpres legisse uidetur ἢ pro ἡ, hoc est coniunctionē pro articulo, & diuus Hieronymus admonet hunc locum bifariam haberi in exemplaribus. In his quæ nos uidimus sic est scriptum, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα. ἕως τοῦ ἅδου καταβιβασθήσῃ, id est, Quæ ad cœlum usque exaltata es, siue elata, usq; ad inferos deduceris. Et sic adducit Chrysostomus homilia in Ioannem uicesima secunda, ac rursus in Matthæum tricesimaoctaua, & huic concordat Theophylactus.

Quia pœnitentiam egerunt:) Quod hic est semel atq; iterum μετενόησαν, non poterat æque commode reddi per resipuissent: itaq; periphrasi rem expressimus.

Forte pro utique nō recte. Forte mansissent.), ἔμειναν ἄν. Quorsum opus erat hic Forte, nisi quod interpres omnino abusus uidetur passim, Forte, uice coniunctionis expletiuæ. Paulo superius eandē prætermisit: In cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Et quam nunc dubitantis esse uult, alibi facit confirmantis, ut in epistola ad Hebræos, Si illud prius culpa uacasset, non utiq; secundi locus quæreretur. Valla pluribus locis in medium adductis, arguit interpretis inconstātiam. Obsecro quid sibi uult hæc tam auida uarietatis affectatio, uel cum ipsius incōmodo sensus. Nam hic confirmationem res ipsa desiderabat potius, q̄ addubitationem. Quin & illud excutiendum, quomodo Iesus scribatur respondisse, cum nulllus quicq̄ interrogarit: nisi forte ideo responsum dicit̄, quod superiori sermoni subijciat̄. Ac Paulo post.

Stulti cognomen in literis diuinis Quia abscondisti.) Rectius erat, quod absconderis. Et confiteor dixit, iuxta sermonis Hebræi ꝓprietatē, pro laudo, seu gratias ago. unde & nos ita uertimus, quo sensus esset dilucidior. Cōfitetur enim & agnoscit beneficiū, qui gratias agit. Ac mox Paruulis, est νηπίοις, quod & stultum significat & infantem, hoc est, qui ætatis uitio nondū sapiat. Non enim dixit μωροῖς, quod annotauit & Chrysostomus. At hic magis quadrabat stultis, ut opponatur sapientibus. Nec est quod quenquam offendat stulti cognomen, cum palàm dicat Paulus: Quæ μωρὰ id est, stulta sunt mundi elegit deus. Nec enim hic sapientes uocat, qui uere sapiūt, sed qui mūdo uident̄ sapere. Sic stultos uocat, nō qui uere stulti sint, sed qui mundo stulti sint. Et tamen nos hac in re quorundam sensum nostro iudicio prætulimus.

Sapientibus

Sapientibus & prudentibus.) σοφῶν, qui Græcis interdum eruditi uocantur, & συνετῶν, quod magis sonat intelligentes. Non enim est φρόνιμοι: his duabus uocibus opponit unam, νηπίοις, quasi dicas simplices infantes, qui propter ætatem, nec eruditione pollent, nec usu rerum sapiant.

Ita pater.) ναὶ ὁ πατήρ. Quod aliâs uertit etiam, aliâs utique, nunc uertit Ita. Præterea pater nominandi casus est, non uocandi: quo tamen, haud scio quam ob rem, in diuinis literis abutuntur, ut deus meus, ὁ θεός μου. Porrò, Sic fuit, recte omisit coniunctionē ὅτι. Etiam si quidam habent, Quoniam sic fuit.

Et placitum fuit.) ἐγένετο εὐδοκία, id est, Fuit bona uoluntas, siue beneplacitum.

Et ante te.) ἔμπροσθέν σου, id est, Coram te, siue in oculis tuis. Hoc peculiari uerbo sacræ literæ significant fauorem ac beneuolentiam numinis, non tributam nostris meritis, sed ab ipsius gratuita bonitate profectam. Rursus illud, Reficiam uos est, ἀναπαύσω, id est, refocillabo siue recreabo. Nec enim, ad cibum est referendum, sed ad remedium lassitudinis: cum ab hoc uerbo deductum sit nomen, quod mox uertit requiem ἀνάπαυσιν, quod in psalmis uertit refectionem, Super aquas refectionis ἀναπαύσεως. Cæterum,

Iugum meum suaue.) χρηστὸν magis sonat facile, commodum, aut humanum, siue blandum quàm suaue, quod aliâs uertit bonum, siue bonitas, ut suo demonstrabimus loco. Nā iugum appellat imperium, quod mite, blandum, ac minime asperum, minimeq; seuerū uult intelligi. Mirum quid secutus Augustinus, locum hunc sic adduxit libro quæstionum ad Simplicianum primo: Iugum enim meum leue est, & sarcina mea suauis est: nisi forte id librariorum incuria fuit inuersum. Ambrosius explanans psalmum, Beati immaculati, uocis huius proprietatem annotauit, uertens χρηστὸν suaue. Sed in psalmo pro eo quod nos legimus bonitatem, ille iucunditatem legit. Cyprianus libro aduersus Iudæos ij cap. xiij. legit iugum meum bonum est. Mouet hoc loco diuus Hieronymus quæstionem, quomodo iugū Euangelicæ legis leuius ac mollius dicatur lege Mosaica, cum hæc factum dūtaxat puniat, nostra uoluntatem quoq; neq; soluit quod proposuit. Certe Mosaicam legem superstitioso, ac rebelli populo pro tempore impositam, Petrus in actis apostolorum aperte uocat onerus durum, & graue, quod nec ipsi, nec maiores ipsorum portare ualuerint. Neq; dubitari potest, quin uerum sit quod ueritas ipsa pronunciauit. Vere blādum est iugum Christi, & leuis sarcina, si præter id quod ille nobis imposuit, nihil imponeretur ab humanis constitutiunculis. Præter mutuam charitatem nihil ille præcipit: neq; quicq; tam amarum est, quod non condiat, condulcetq; charitas. Facile toleratur, quicquid est secundū naturam. Nihil autem magis congruit cum hominis natura, quàm Christi philosophia, quæ penè nihil aliud agit, quàm ut naturam collapsam suæ restituat innocentiæ, synceritatiq;. Sed quēadmodū apud Iudæos legem per se molestam aggrauabant hominū constitutiones, ita cauendum est etiam atq; etiam, ne Christi legem per se blandam ac leuem, grauem & asperam reddāt humanarum constitutionum, ac dogmatum accessiones. Quæ sic primum obrepunt, ut uel tanq; pusilla negligantur, uel pietatis specie commendata libenter amplectantur etiam, homines probi magis quàm prouidi. Semel recepta paulatim glisscunt, augescuntq;, donec in immensum aucta, iam nolentes premant, & obruant: seu consuetudinis, cuius uiolenta tyrannis est, præsidio, seu principum autoritate, quod temere receptum est in suum emolumentum abutentium, mordicusq; retinētium. Quàm pura, quàm simplex fides à Christo nobis tradita, quàm huic simile symbolū, siue ab apostolis ipsis, siue à uiris apostolicis proditū: huic deinde multum adiunxit ecclesia, dissidijs hæreticorum dissecta, uexataq;: quorū & si quædam sunt, quæ citra fidei dispendium poterant omitti, tamen pleraq; uidebantur etiamnum ad rem pertinere. Tot iam erant symbola, quot homines, nihilo melius bonæ fidei signum, quàm cum in contractibus res multis, ac uerbosis syngraphis agitur, quæ cum ad excludendas captiones adhibeantur, quo circumspectius scriptæ sunt, hoc plus captionum solent ferè gignere. Postremo res eò paulatim deducta est, ut scholasticorum aliquot placita, quos articulos uocant, ut homunculorum quorundam noua quædam ad fastū cōminiscentium, uel opiniones, uel somnia, propemodum æquentur articulis fidei apostolicæ. Atq; in his nec scholæ diuersæ, nec eiusdem scholæ mystæ inter se consentiunt: neq; apud ipsos perpetua sunt, sed pro tempore mutantur. Et tamen ita primum irrepserunt, ut

Iugum suaue.

Christi iugum per se leue, quomodo aggrauatū à nobis.

Obrepunt onera.

Fides quomō aggrauata.

in scholis tantum haberẽtur probabiles opiniones. Mox scholæ parietes egressæ in libros, & in publicas adeo conciones eruperunt. Ac sæpenumero fit, ut quod semel utcunq; prodidit definiendi temeritas, confirmet & augeat tuendi pertinacia. Sunt autem pleraq; huius generis, ut impiũ sit homini de his definire. Qualia ferè sunt, quæ de ratione essentiæ diuinæ, deq; distinctione personarum, philosophamur. Ea si tantum in hoc adhibeantur, ut animos nostros abducant ab his sordidis cogitationibus ad sublimiora, non est improbandum studium. Sin, ut hæc quæ longe superant humani ingenij captum, cũ supercilio pronunciemus: & earum rerum scientia, quas nec angeli satis intelligũt nos iactemus apud populum, mihi nec pium uidetur, nec utile. His proxima sunt, quæ de ratione mysteriorum, uelut è cœlo petita pronunciamus Cum magis ad pietatem faciat ex his excerpere, quæ ad uitæ sanctimoniam conducant. Verum hæc pronunciandi temeritas à ueteribus orta nunc longius progressa est, quàm ut ferri possit. Sunt qui nectant nobis frigidum syllogismum, & ex loco parum intellecto, aut ex hominis constitutiuncula pariunt articulum fidei. Atq; ex his Christiani aut non Christiani censemur, quæ ne tantulum quidem ad Christianam attinent pietatem. Iam q̃ popularis, q̃ expedita est doctrina Christi, apostolica, & patrum apostolicorum, quàm nunc impedita, spinosa, ne dicam tenebricosa facta, partim admixtu legum, ac disciplinarum humanarum, partim somnijs, & inuentiunculis ambitiosorum hominum, posteaq̃ sacræ theologiæ professio scenica quædã ac theatrica res esse cœpit. Tota hominis ætas non sufficit quæstiunculis, & inutilium argutiarum labyrinthis. Inter hæc quando Christianæ uitæ studium, si iam octogenarij tantum dubitare didicimus? Nam de humanarum constitutionum onere, quid attinet dicere, cum iam olim diuus Augustinus in epistola ad Ianuarium, stomachetur ac deploret ecclesiam Christi sic premi, ut tolerabilior propè fuerit Iudæorum q̃ Christianorum conditio? Et tamen ille ob friuola quædam nudipedalia nescio quæ destomachatur. Quid si uideret liberum illum Christi populum, tot legibus, tot ceremonijs, tot laqueis irretitum? neq; simplici hominum tyrannide oppressum? principum prophanorum, episcoporum, cardinalium, pontificũ? multoq; maxime, horum satellitum, qui religionis imagine personati, uentris agunt negocium? Ipsis sacramentis ad hominum salutem institutis, ad quæstum nostrum, ad fastum, ad tyrãnidem, ad opprimendum plebeculam abutimur quidam. Iudæis nullum uestis genus erat interdictum, præter id quod esset è lino, lanaq; contextum. Nunc quot de cultu constitutiones, quanta uestium, colorumq; superstitio? Quàm ex huiusmodi nugis, quæ per se nec honestatem habent, nec turpitudinem, sed pro temporum ratione, pro mortalium opinione mutantur, censentur Christiani, de quibus nihil unq̃ meminit Christus? Pauca erant Iudæorum ieiunia, & tamen nemo capitale esse dixit, si quis illis ipsis statis diebus non ieiunasset. Nos quot grauamur inedijs? ad quas non inuitamur, sed cogimur sub pœna, ut aiunt, æternæ damnationis. Iudæis certa piscium & animantium genera sunt interdicta, sed ad esum non admodũ expetenda. Nos bonã anni partẽ pisciũ esu contabescimus, inedia disrũpimur. Nec ætati subuenitur, nec morbo, nisi legis relaxatio nummis redimatur. Quin & festorum apud Hebræos mediocris erat numerus. Ætas Hieronymi præter diem domini cum pauciss̃ima nouerat festa. Nunc feriarum, neq; finis, neq; modus, quæ cum primitus ad pietatis uocationem paucæ sint institutæ, nunc ad scelerum exclusionem tolli debebant: nisi sacerdotum auaricia suis rebus cõsuleret potius, quàm ueræ religioni. Quid loquar de perplexis & inextricabilibus uotorũ uinculis, quorũ alia redimi possunt, sed immensa pecunia, alia nullo modo possunt. Atq; hæc in dies magis ac magis urgemus, ne quæstus nobis pereat. Iam matrimonij conditio quanto commodior Iudæis, quàm nobis? Quot laqueis, quot tricis coniugium inuoluimus? ne scholasticum dogma nobis pereat. Pœnitentiæ & confessionis sacramentum quibus modis arctauimus, quot hominum decretis impeditũ reddidimus? ut ne quid dicam interim de onere precum, quæ quotidianis etiam accessionibus aggrauantur. Ad hæc quasi parum sit legum, & constitutionum decretalium, indies nouarum constitutionum examina prorumpunt. Imò uelut hoc quoq; parum sit, grauari nos uolunt iure nescio quo consuetudinis, quæ primum à duobus deliris profecta paulatim inualuerit. Excommunicationis fulmen ubiq; promptum & intentatum, irregularitates, anathematizationes occurs̃ant undiq;. Pontificis Romani sacrosancta autoritate, quæ

Doctrina aggrauata.

Constitutionũ onus.

Vestitus

Ieiunia. Ciborũ discrimina

Festa.

Vota.

Matrimoniũ. Confessio.

Constitutiones humanæ.

non

non,niſi ſubleuandis eccleſiæ rebus ualere debet,ſic abutuntur quídam in abſolutionibus, in diſpẽſationibus,in cõdonationibus,in executionibus,ut permulta ſint,quæ uere pij ſine gemitu ſpectare non poſſint. Sacerdotiorum adeo perplexa res eſt,ut Ariſtotelícam philoſophiam omnem perdíſcas citius,quàm praxin ſacerdotiorum. In templis uix uacat Euangelium interpretari. Concionis bona pars ad commiſſariorum arbitrium conſumenda eſt. Nonnunq; & ſacroſancta Chriſti doctrina,aut ſupprimenda,aut ad illorum rem detorquẽda. Ad hæc qui modeſte pij ſunt,taciti ſecum ingemíſcunt. Qui populi malis alũtur,& quorum intereſt Chriſti gregem, quẽ ille ſuo ſanguine liberum reddídit,quàm maxime ſeruum eſſe,& obnoxium, adeo non reclamant,ut modis omnibus exaggerent. Accedunt ijs, qui uel ambiunt præmium aliquod obſequij,uel timẽt pœnam libertatis. Ita dum nemo ſuccurrit,res paulatim eò prolabitur, ut penè nihil iam pudeat. Et charitas quidem iuxta Paulũ omnia ſuſtinet. Fateor. Sed hæc mala multo mitiora ſunt, quoties ab hoſtibus gregis Chriſtiani ingeruntur. Olim ſæuiebat tyrannus impius,ſæuiebat hæreticus. Epiſcopi conſolabãtur. Ipſi mutuis hortatibus animabant ſeſe. Titulus honeſtus ſolatij pars erat. Deniq; graue non erat,quod Chriſti nomine perpetiebantur. Verum intolerabile eſt,ut inquit Auguſtinus,cum eadem hæc à membris, imò à moderatoribus eccleſiæ,corpus eccleſiæ patitur. Ab ijs potiſſimum inijciuntur laquei,unde par erat impeditis ſubueníri. His malis medicãdis una ſupereſſe ſolet ancora ſacra, generale concilium. At nunc hæc ipſa uertuntur in reipub.caput. Nec ulla ſupereſt medendi ſpes, niſi ſi Chriſtus ipſe uertat,aut certe excitet pontificum, ac principum animos,ad ea quæ ueræ ſunt pietatis,Aut Theologi,& concionatores,non ſeditioſis clamoribus,ſed ſobrie placideq; quæ Chriſto digna ſint magno conſenſu doceant & inculcent. Nam ut Turcus,aut Tyrannus quiſpiam per tumultũ ſubuerſo rerũ ordine,per occaſionẽ reſtituat rem Chriſtianã, non opinor ullis pijs optandum. Ego certe abominor etiam. Vnum illud etiam atq; etiã admonẽdi ſumus omnes, ut iuxta Pauli doctrinam ſic libertatem à Chriſto datam amplectamur,ne eam occaſionem demus carni, & ſub libertatis prætextu,turpius ſeruíamus uitijs. Sed ſic excutiamus iugũ hominũ graue,ut uere blãdo Chriſti iugo premamur. Minus imperat Euangelica charitas,ſed plus impetrat. Tumultus ubiq; uitandus:& præſtat ferre principes impios,q; nouatis rebus grauius malum accerſere. Sed tamen ardentibus uotis aſſidue pulſandus Chriſtus,ut ſuis uicarijs mentem inſpiret loco dignam,ut omiſſo ſuæ gloriæ,ſuæ uoluptatis,ſui lucri ſtudio,ſtudeant gloriæ lucroq; Chriſti:Malintq; Chriſtum late regnare legibus euangelicis, quàm ſe in angu/ſto tyrãnidem obtinere decretis humanis. Verum hæc pluribus à me diſſerta uideo, quàm uel propoſueram,uel annotationes profeſſo conueniebat.

Suppreſſa Chriſti doctrina.

Perſecutrix eccleſia non perſecutionẽ patiens.

EX CAPITE DVODECIMO

ABijt Ieſus.) ἐπορεύθη. Cur non potius Ambulauit, ſiue Iuit? Itidem uertit & in primo pſalmo:Abijt in conſilio impiorum. Nec eſt Sabbato,ſed Sabbatis, σάββασιν. ut legit & Hilarius. Siquidem & totum illud tempus ſeptem dierum, ſabbatum appellabatur, & ſinguli ſabbata. Ac mox inuertit, ἐν σαββάτῳ, id eſt, in ſabbato,uertens ſabbatis: tametſi multa huiuſmodi ſolet admiſcere caſus. Chryſoſtomus admonet hoc eſſet ſabbatum, quod Lucas appellat δευτερόπρωτον, id eſt,Secundo primum:de quo ſuo dicetur loco. Deinde,

Quod nõ licet eis.) Eis,addidit de ſuo,uel interpres,uel librarius. Nã abſolutius eſt, Nõ licet. Ac mox paria fecit,Eſurijt Dauid,omiſſo αὐτὸς, id eſt,ipſe: Ipſe & qui cũ eo erant. Et

Sabbatum uiolant.) βεβηλοῦσιν, id eſt, Prophanant. Siquidẽ βέβηλοι prophani dicunt.

Sacerdotes in templo.) Periit apud nos iucunda uocum inter ſe redditio, ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ: quaſi dicas, Sacrifici in ſacro, quæ ſeruata eſt in ſabbatis & ſabbato. Item,

Et ſine crimine ſunt. ἀναίτιοί εἰσιν, id eſt, Inculpati ſunt, ſiue Nihil eis imputatur:aut ut nos uertimus,Crimine uacant. Quanq; aptius eſt quod hic uertit interpres, Sine crimine, quàm quod alicubi citat Hieronymus, Sine culpa ſunt, Siquidem αἰτία crimen eſt potius quàm culpa. Etiamſi non ſum neſcius, apud Græcos ἀναίτιον aliquoties accipi pro innoxio, ſiue inſonte, quemadmodum mox uertit: Nequaquam condemnaſſetis innocentes, ἀναιτίους.

Quia templo maior eſt hic.) ὧδε. Hic,hoc loco aduerbium eſt demonſtrãdi, non pro/

Hic, aduerbiũ nomen: quod admonuit & Hieronymus, ut intelligas eum locum esse sanctiorem templo, qui templi dominum teneret. Quidam Græci codices habebant pro μείζων, μεῖζον, id est, Maius, quod plenius esset: ut sit sensus, Est hoc loco, quod sit maius templo.

Et si ceciderit.) ἐμπέσῃ, id est, Inciderit. Nec est Habeat, sed Habebit, ἕξῃ.

Nónne tenebit & leuabit eam.) κρατήσῃ καὶ ἐγερεῖ, id est, Apprehendet & eriget. Habet enim hoc ouillum genus, ut fulmine aut ictu alioqui prostratum, nisi erigatur à pastore, pereat. Et mox,

Quanto magis melior.) πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος. i. Quãto igitur præstat homo, siue præstantior est. Quorsum opus erat hic affectare sermonis absurditatem? διαφέρει dictum pro antecellit. Et aliquanto post,

Restituta est sanitati.) ὑγιὴς, id est, Sana. Quanquam interpres hoc sanè bene uertit.

Euãgeliũ Nazarenorum. Tunc dicit homini.) In Euangelio quo quondam utebantur Nazareni, & Ebionitæ, quodq; locis aliquot citatur ab Hieronymo, testaturq; à se ex Hebræo sermone uersum in Græcum: neq; defuerunt qui putarint ipsius Matthæi authenticum esse, scriptum fuit, hunc hominem fuisse cæmentarium, atque huiusmodi uocibus Iesu opem imploràsse: Cæmentarius eram, manibus uictum quæritans. Precor te Iesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.

Faciebant consilium. ἔλαβον, id est, Ceperunt: & συμβούλιον concilium, hoc est, consultationem inter se. Et,

Recessit.) ἀνεχώρησεν. Laurentius mauult, Secessit, quod aptius sit subducenti se. Vnde & à secessu dicti anachoritæ. Et,

Sequuti sunt eum multi.) Græci addunt, ὄχλοι, id est, Turbæ multæ.

Notatus Laurentius. Ne manifestum eum.) Latinius erat, Ne se aut ne ipsum manifestum facerent. Arguta-tur hic nescio quid Laurentius, nimirum ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶν, Christum ob id interminatum ne se proderent, quod profugisset à pharisæis, quasi metueret, ne ab illis deprehenderetur. Aliud in hisce rebus mysterium. Nam non semel hoc à Christo factum legimus, quo fugeret gloriæ captatæ suspitionem, quoq; nobis præberet exemplum modestiæ. Rursum legimus eum mandasse, ut narrarent omnibus quod accidisset, ut nos doceret, dei gloriam non esse celandam.

Ecce puer meus.) Testimonium est apud Esaiam capite quadragesimo secundo. Quanquam Matthæus aliquanto diuersius citat, quàm uel apud Septuaginta legatur, uel apud Hebræos. Nam Hebræa diuus Hieronymus reddidit ad hunc modum: Ecce seruus meus, suscipiam eum. Electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum. Iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur foris uox eius. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. In ueritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponet in terra iudicium, & legem eius insulæ expectabunt. Ea Septuaginta uertunt hunc in modum: Ecce Iacob puer meus, assumam eum. Israël electus meus, suscepit illum anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus educet. Non clamabit, neque dimittet, neque audietur foris uox eius. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans nõ extinguet, sed in ueritate reducet iudicium. Splendebit & non conteretur, donec ponat super terram iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt. Cæterum quod una uaticinij pars in medio prætermissa sit, Nõ erit tristis, neque turbulẽtus, donec ponat in terra iudicium, Siue iuxta Septuaginta, Splendebit & non conteretur, donec ponat super terram iudicium, Id Hieronymus putat scriptoris errore factum, qui, quod sæpenumero fit, ea uerba, quæ interceserant inter iudicium & iudicium, oblitus omiserit. Verum hac de re qui cupiet edoceri copiosius, legat enarrationem Hieronymi, in hũc prophetæ locum: ad hæc, libellum eiusdem ad Algasiam quæstione secunda. Illud admiror, quid Lyrano uenerit in mentem, ut scriberet hoc testimonium à Matthæo adductum, iuxta interpretationem Septuaginta, cum longe magis consentiat cum Hebraica ueritate, etiamsi ab hac quoque nõ nihil discrepans, sed uerbis potius, quàm sensu. Annotandum obiter & illud, cum Hieronymus ediserens præsentem prophetæ locum, releget nos ad suos in Matthæũ commentarios, in quibus plenius super hac re disseruerit, atq; in ipsis cõmentarijs, uix summis, ut aiunt

Omissum aliquid in Euangelio.

Cõmẽtaria in Matthæũ Hieronymi uidẽri decurtata

aiunt, digitis rem attingat, in coniecturam uocor, id quod sæpenumero sum suspicatus, eos cõmentarios, à fastidioso quopiam lectore decurtatos, prætermissis in medio quæ non intellexerit. Quos tametsi fatetur ipse neque iustos esse, neque plenos, tamen ad alios quos ille in prophetas & aliquot epistolas Pauli plenos scripsit, uix commentarioli dici merentur. Idem factum arbitror in commentarijs, quos idem scripsit in psalmos: quanquam in hos quisquis is fuit, gemina debacchatus est iniuria. Primum, quod quæ libuit, prætermiserit. Deinde, quod compluribus locis, suas nugas, ceu purpuræ pannum assuerit. Nam quod in Marcum habemus commentum, præter titulum nihil habet Hieronymi. Cæterum cõmentarij in Lucam, quos ipse locis aliquot citat, prorsus interciderunt. Visum est obiter ostendere lectori, quomodo Cyprianus adducat hunc locum in libello, quem scripsit aduersus Iudæos: Ecce puer meus, filius meus dilectissimus. Super eum ponam spiritum meum, & iudicium gentibus nunciabit. Non clamabit, neque contendet. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non collocabit, quoadusq; expellat in contẽtione iudicium, & in nomine eius gentes credant. Etiamsi hunc ipsum locum aliquanto secus adducit libro aduersus Iudæos secundo, capite duodecimo. Porrò quod nos pro puero uertimus Filium, Septuaginta παῖδα, id est, Seruum, ut Græcis ac Latinis παῖς & puer ambigua uox est, itidem & Hebræis עבר. Quod si usquam conueniebat παῖδα uertere Filium, certe hic quadrabat, cum de Christo loquatur. Neq; defuerunt apud Græcos, qui serui uocabulum uererentur tribuere filio dei. Quorum est Chrysostomus, si modo illius sunt cõmentarij, quos habemus in epistolam ad Hebræos.

Cæcus & mutus. τυφλὸς καὶ κωφὸς, id est, Cæcus & mutus. Quanq; κωφὸς Græcis surdũ significat, ob id opinor, quod qui natura surdi sunt, ijdem & muti sint oportet. Ac mox, *κωφὸς Græcis & surdus est, & mutus.*

Ita ut loqueretur, & uideret.) Hic repetunt Græci codices Cæcus & mutus. In nonnullis etiã congeminatur coniunctio, καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν, in nonnullis non geminatur. Quod erat reddendum, ut is qui cæcus erat ac mutus, & loqueretur & uideret.

Nunquid hic est.) Hic nonnulli Græci codices addunt, ὁ χριστὸς, id est, Num hic est ille Christus filius Dauid? Quanquam hic quoque ὁ υἱὸς articulus appositus facit, ut non possit de quouis filio Dauid intelligi, sed de certo quodam, nempe qui prophetarum oraculis promissus expectabatur. Et,

In se diuisum.) καθ' ἑαυτῆς. Et fidelius & apertius reddidisset, Diuisum aduersus semet ipsum, ut mox uertit, Contra se.

Spiritus autem blasphemiæ.) Id certe palàm est librariorũ uitio corruptum esse, quod tamen in omnibus fermè codicibus inoleuit. Nam apud Græcos est, ἡ τοῦ πνεύματος βλασφημία, id est, Sed spiritus blasphemia: ut intelligas maledictum, quod fiat aduersus spiritum. Iuxta synceram ac germanam lectionem adducit hũc locum diuus Hilarius in Canone quo explicat Matthæum. Item Augustinus sermone de uerbis domini ex Euangelio Matthæi undecimo: idq; iterum atq; iterum, ne quis casum esse causetur, hoc tantum disputans, blasphemiam non pro quouis accipi maledicto, nec spiritus, pro quouis spiritu. Sed quod hic confusius dixit Spiritus blasphemia, alibi clarius expressum est, Qui blasphemauerit in spiritum sanctum. Etiamsi non negem in Græcis uerbis amphibologiam esse: quod intelligi possit, conuicium ab ipso spiritu profectum. Carrensis hunc enarrãs locum, Quid ergo, inquit, aliud est spiritus blasphemiæ, quàm affectatio & desiderium uituperationis diuinæ? Spiritus blasphemiæ spirat ad odiũ dei: Spiritus sanctus spirat ad amorem dei. Atqui ne quis Græcorum codicum autoritatem impudenter contemnat, consentiunt cũ Græcis uetusta Latinorũ exemplaria: cum primis autẽ & codex aureus, & inter excusa typis suffragatur & glossæ, quam uocant ordinariã, æditio Mogontinensis. *Erratum inexcusabile ĩ uulgatis codicibus.*

Qui aũt dixerit uerbũ contra spiritũ,) Verbũ, hoc quidẽ loco nõ ponitur, sed subaudiẽ è proximo. Græcis suffragat & codex aureus. Rursum est σαπρὸν, de quo diximus. Et γεννήματα, quod aliàs uertit Genimina, hic recte uertit Progenies. Et ἐκβάλλω, quod hic uertit Profert, aliàs uertit eijcit, aliàs Emittit. Nos expromit ac Depromit transtulimus.

Tribus diebus, & tribus noctibus.) Licet Latinus extulerit per ablatiuum casum, tamen Græcis est accusatiuus: ut iam non possit accipi species temporis, sed spacium, τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας. Proinde diuus Hieronymus quæstionem explicat per tropum

De triduo qđ Christus egit in sepulchro.

qui grammaticis Synecdoche dicitur. Siquidem cum unus duntaxat dies huius triduí fuerit integer, nempe Sabbati cum nocte adiuncta, nec Christus in sepulchro fuerit, nisi ue spera paralceues, ac diluculo dominicæ quo surrexit, tres tamen dies in sepulchro scribi/ tur egisse. Ad eandem rationem explicat diuus Augustinus libro de quæstione Euangeli/ orum primo, quæstione septima. Etiamsi Faber usq; adeo fastidit Synecdochen libello de triduo Christi, odio opinor grammatices, cum qua illi parum conuenit, ut ipsa indicat res, ne cui parum philosophus uideatur.

Plusquam Ionas hic.) Item.

Hic nomẽ hic aduerbium.

Plusquam Solomon hic.) Vtrobiq; est ὧδε aduerbiũ, non pronomen, ut ante monstra/ uimus. Quod ueteres orthographi solent distinguere, Hic pronomen scribentes per i sim/ plex, Hic aduerbium per Græcam diphthongum ε, heic. Id quod Valla testatur sibi com/ pertum, in aliquot peruetustis marmorum inscriptionibus.

Per loca arida.) Non est ξηρῶμ, sed ἀνύδρωμ, id est, Aquis carentia, & sticulosa. Nam hu iusmodi ferè sterilia sunt, & ob id desolata. Vnde filia Calep, agrum irriguum superne atq; inferne petit. Vt omittam, quod πονηρότερα uertit Nequiores, pro Sceleratiores: quod ex generatione mala fecit pessimam, cum sit πονηρᾶ.

Et intrantes habitant ibi.) In exemplari quodam scriptum erat, καὶ εἰσελθόμ, Et ingressus ut referat ad spiritũ qui collegit socios. Verũ hoc ad sensum minimũ refert. Ac paulo post,

Quærentes eũ.) Græci addunt, Quærentes ei loqui, ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι. Neq; enim perierat, sed expetebatur ad colloquium. Item paulo post,

Quærentes te.) ζητοῦντές σοι λαλῆσαι, id est, Quærentes tibi loqui. Vtinam autem po/ pulus Christianorum uniuersus, sic esset deditus cultui beatissimæ Mariæ, ut totis stu/ diis illius uirtutes æmularetur. Cæterum aut hodie uulgus pio quodam fauore plus satis illi tribuit, aut parum tribuit Chrysostomus, hunc explanans locum homilia duodeci/

Chrysostomus aliquid imperfectum tribuit Mariæ uirgini.

ma. Nam ipsius uerba ex interprete subscribam: Quamuis, inquit, ex facto matris non/ nihil importunitatis quoque accessit. Considera igitur tam matris quàm fratrum impor/ tunitatem. Nam cum debuissent intrare, atque cum turbis simul audire, aut saltem expe/ ctare foris sermonis finem, ac demum accedere, ambitione quadam, ac ostentatione com moti, foras eum in præsentia omnium euocauerunt. Cæteraq; quæ sequuntur in hanc sen tentiam. Rursus in altera æditione, nam uariant codices, eiusdem numeri homilia, hanc im periosam importunitatem in fratres potissimum refert, matri parcens. At idem enarrans Euangelium Ioannis de nuptiali miraculo agens, clarius etiam tribuit Mariæ affectum ali quem ambitionis, gloriæq; humanæ, Optabat enim, inquit, ut iam hominũ gratiam con ciliaret, & ipsa clarior filij gratia efficeretur: & fortasse aliquo humano afficiebatur affe/ ctu: quemadmodum & fratres eius, cum dixerunt, Ostende teipsum mundo, cupidi e/ ius miraculis sibi famam comparare. Ac paulo post idem agens: Siquidem non adhuc debitam de ipso opinionem habebant, sed more matrum Maria iure omnia se filio præ/ cepturam censebat, cum tanquam dominum colere & reuereri fas esset. Hactenus Chry sostomi uerba recensuimus. Augustinus uidetur illi tribuere nonnihil diffidentiæ. Nos eam prorsus à peccato originali facimus immunem, at hic uidetur aliquod actuale, ut uo cant, peccatum tribuere: nisi forte is affectus omni culpa uacat, quem illi tribuit. Atque ita potius arbitror sentiendum. Nam ut ignorantia quædam esse potest absque culpa, ita

Christus parũ blandus matri

& dubitatio & affectus maternus culpa uacare potest. Christus apud Lucam quoque pa/ rum blande respondet parentibus: Quid est quod me quærebatis? An nesciebatis quod in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Mox subijcit Euangelista: Et ipsi non intelle/ xerunt uerbum. Rursus prædicanti beatum uentrem matris, & ubera lactatricis: Quin/ imò, inquit, Beati qui audiunt uerbum dei. Rursus in cruce mulierem uocat, & Ioanni transcribit. Quibus ex rebus stultissime collegerant Manichæi, Mariam non fuisse matrem

In negocio rei publicæ & fidei nõ multũ tribuendũ affectibus cognationis.

Iesu, nisi uulgi opinione, uidelicet negantes eum fuisse hominem. Nos id sanè possumus pie colligere, quoties agitur negocium reipublicæ, quoties agitur negocium religionis, nõ multum apud nos ualere oportere corporalis affinitatis affectum. Hieronymus sic elabi co natur, ut dicat hunc qui renunciauit Christo, insidiose fecisse, tentantem, num ob suorum affectum intermissurus esset prædicandi munus. Atq; ob id acrius à Christo responsum.

Ego

Ego hac in re meam non interpono sententiam: tantum optarim, sedulitatem quorundam omnia in sanctis in immensum exaggerandi, uerti potius ad studium æmulandi, quod illos uere beatos reddidit. Verum hæc leuiculi sunt momenti. Quod genus & illa, quod pro

Extendens manum.) Græci legunt, Manum suam. Deinde, quod in his

Ipse meus frater.) Nonnulli codices habent αὐτὸς, nonnulli οὗτος, id est, Hic.

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

Sedebat secus mare.) Eruditi quidam uehementer hanc uocē *Secus*, execrant ut Gotticā, & Sarmaticā, aut siquid his quoq; barbarius: cū tamē recēseat à Donato operis exigui, nō exiguo autore: Neq; uideri potest uox ab interprete cō ficta, qua tā frequēter utit. Vsus est ea Plinius lib. 24. cap. 15. Chamæleucen, inquit, apud nos farranū siue farfugiū uocant: nascit secus fluuios, folio populi. Nec dubito quin alijs compluribus locis inueniri possit. Si quis uelit esse morosior, fortasse causabit aliquis, nō perinde apte dici, Sedet secus uiā, ac Nascit secus fluuios, aut Pascitur secus ripā, quod in his imaginemur ceu motū quendā rei sequentis. Nā apparet, secus & secūdū habere cognationē cū uerbo, sequor. Itaq; de herba rectius dici, nascit secus fluuios, quē admodū salices secus ripā, quod in his intelligat series quædā, De uno hoie sedente nō itē.

Exijt qui seminat.) ἐξῆλθεν ὁ σπείρων, id est, Exibat qui seminabat, siue seminator. Siquidē huiusmodi participia accōmodant se uerbis, quibus adiunguntur.

Seminare semē suū.) Semē suū, nec est apud Græcos, nec in aureo codice. Nā illud recte, Et dū seminat, ἐν τῷ σπείρειν, id est, Inter seminandū. Ac mox, βάθος uertit Altitudinem, pro Profunditate. Et, ἐκαυματίσθη, Aestuauerunt, pro Exusta sunt, siue Æstu perierunt. Ac rursum, ἐξηράνθη Exaruerunt, uertit Aruerunt. Item ἀνέβησαν, Surrexerunt, quod aliās uertit, Ascenderunt. Mollius Succreuerunt, aut Increuerunt, siue Emerserunt spinæ.

Et dederunt fructum.) Hic interpres maluit Latinitati consulere, quàm uoces reddere Græcas. Alioquin ad uerbum ita uertendum erat: Et dederunt fructum, hoc quidem centum, illud uero sexaginta, illud uero triginta, καὶ ἐδίδου καρπὸν, ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα. Tametsi uerti poterat, Hoc quidem centuplum, illud uero sexagecuplum, aliud uero trigecuplum. Siue. Aliud centena, aliud autem sexagena, aliud autem tricena, ut subaudias, grana. Nam Græci carent huiusmodi distributiuis. Abusus est hoc loco articulis postpositiuis uice præpositiuorum, quod tamen & aliās sæpe fit. *Centesimum, pro centuplū.*

Vt adimpleatur in eis.) Nōnulli codices habebant, καὶ ἀναπληροῦται ἐν αὐτοῖς, Et implet. Ita legit diuus Chrysostomus: itaq; scriptum comperi in exemplari Corsendoncensi. Cæterū In eis, in plerisq; Græcis exemplaribus non habebatur, nec in Latinis uetustioribus, sed Eis duntaxat. Nec est Dicentis, sed λέγουσα, id est, Dicens. Consentiente & aureo codice, ac Donatianicis, siue Quæ dicit. Facit enim ipsam scripturam loquentem.

Auditu audietis.) Testimonium quod adducit, extat apud Esaiam capite sexto. Dissentit autē hoc quoq; loco ueritas Hebraica ab æditione Septuaginta. Nam Septuaginta sic tradunt hunc locum, quasi deus prædixerit futurum, ut audientes non audirent, & uidentes non uiderent. At Hebraica ueritas indicat hoc iussum à domino, ut uidentes non uiderent, & audientes non audirent. Iuxta Septuaginta citat Lucas, utpote Græce doctus magis quàm Hebraice, in Actis apostolicis capite uigesimooctauo, πορεύθητι καὶ εἰπὲ τῷ λαῷ τούτῳ. ἀκοῇ ἀκούσετε καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε. ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶν αὐτῶν βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς & ὠσὶ ἀκούσωσι, & τῇ καρδίᾳ συνῶσι καὶ ἐπιστρέψωσι καὶ ἰάσωμαι αὐτούς: id est, Vade ad populum istum, & dic, Aure audietis, & non intelligetis, & uidentes uidebitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne forte uideant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant, & cōuertant se, & sanem eos. Cæterum Hebræa ita reddidit Hieronymus: Auditu audite, & nolite intelligere, & uidete uisu, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus audiat, & corde intelligat, & conuertatur & sanetur. Apparet igitur Septuaginta consulto mutasse scripturam Hebraicam, ne impijs daretur ansa blasphemiæ, quasi deus esset nobis autor malorum. Verum cum huiusmodi com- *Hebraica ueritas.*

plura

plura sint loca in diuinis literis, uelut illa: Indurauit deus cor Pharaonis 'Et, Fiat mensa eorum in laqueum &c: Non oportuit offendi hoc uno, sed agnoscere potius idioma sermonis diuini, qui hac figura comminatur, ac terret impios, ceu iubens eos id facere, quod suapte malicia facturi sunt: sicut dictum est Iudæ. Quod facis, fac citius. Illud admirandum cum Hieronymus non uno in loco dicat apostolos iuxta ueritatem Hebraicam citare solitos testimonia ueteris instrumenti, & non iuxta Septuaginta, Matthæum hoc loco non idem facere, præsertim cum ipse Hebræo sermone scripsisse credatur Euangelium. Nam Lucam excusat haud scio quàm commode, quod magis calluerit Græcas literas, quàm Hebraicas. Alioqui uerisimilimum esse Paulum Hebræum cum Hebræis agentem, adducturum fuisse testimonium Esaiæ iuxta ueritatem Hebraicam. Hanc excusationem non admittent opinor, qui quicquid in apostolis fuit diuini spiritus, peculiare donum esse uolunt, præcipue donum linguarum. Et epistolam ad Hebræos, testatur ob id non fuisse receptam à quibusdam, quod quædam adducat testimonia ueteris instrumenti, quæ in Hebræorum uoluminibus non habeantur. Quin hunc ipsum edisserens locum, super hac re nullam facit mentionem, ceu dissimulans opinor, quod explicari non poterat. Nisi forte mutarunt hunc locum, quos offendit, hoc ipsum quod offendit Septuaginta, maxime cum sic adducatur in Actis apostolorũ. Et sæpenumero comperimus locum ex altero loco mutatum: dum lector uel melius esse putat, quod alibi legisse meminit, uel deprauatum suspicatur, quod diuersum est. Cæterum quod Valla legendum putat, Audietis & non intelligatis, uidebitis & non perspiciatis, ut sit imprecantis, non assentitor homini: quod compertum sit hæc uerba sæpenumero pro futuris usurpari, certe apud Euangelistas, præsertim addita duplici negatione, οὐ μή.

Lucas Græcis literis magis quàm Hebraicis eruditus.

Vobis datum est nosse mysteria.) μυστήριον, id est, Arcanum, tametsi de rebus sacris plerunque usurpatur.

Aliud centesimum aliud sexagesimum.) Græce quidem habetur, ἑκατόν, ἑξήκοντα, τριάκοντα, id est, Centum, sexaginta, & triginta, atq; itidem codex aureus. Quod ea, ut dixi, lingua careat nominibus numerorum distributiuis. Sentit enim ex singulis granis plura prouenisse, ex hoc centena, ex alio sexagena, ex alio rursum tricena. Mihi nondum liquet centesimum pro centenum, aut centuplũ apud probos autores reperiri. Porrò quod torquetur hic Hieronymus, centuplum prouentum referens ad uirgines, sexagecuplum ad uiduas & continentes, trigecuplum ad coniugatos, cum alij primum prouentum tribuerint martyrio, secundum uirginibus, tertium uiduis & continentibus, nullum locum relinquẽtes honorabili connubio: Augustinus in quæstionibus Euangeliorum, quæstione nona, primas tribuit maryribus, secundas uiduis, tertias coniugatis: Theophylactus centesimũ refert ad anachoritas ut apparet, hoc est, paupertatem perfectam assequutos, tantũq; uacantes rebus diuinis, sexagesimum ad cœnobitas, qui laborent adhuc unde uiuant, trigesimũ ad coniugatos. Ego ut hanc piam diligentiam, sanctamq; curiositatem non improbo in literis diuinis, ita simplicius arbitror accipere, ut Christus docendi gratia, posuerit centuplũ pro summo, trigecuplum pro infimo, sexagecuplum pro mediocri: quemadmodũ fecit in talentis decem, quinq;, & uno. Atq; id sanè sic admonitum esse uelim, ut nullius sententiæ sit præiudicatum à nobis. Apud Lucam nulla graduum mentio, tantum cẽteni fructus meminit. Augustinus libro de ciuitate dei uigesimoprimo, testatur quosdam hunc locum stultissime huc detorsisse, ut dicerent, impios à sanctis liberandos ab æterno supplicio, ab alijs trigenos, ab alijs sexagenos, ab alijs centenos, pro portione meritorum. Verum quoniam certus sit præscriptus numerus, si hac fiducia negligamus fieri meliores, periculum esse, ne sanctorum numerus non respondeat tãtæ multitudini malorum.

Certi numeri positi ad crassius designandos certos gradus.

Stulta opinio de fructuum gradibus.

Qui iuxta uiam seminatus est.) ὁ σπειρεὶς. Seminatur semen, & seminatur terra. Sicut aspergitur humor, & aspergitur humore uestis. Sic igitur hic dicit hominem seminari, ut terram satam dicimus, & agrum consitũ. Quanq; effugere poterat hanc sermonis duriciem, si dixisset, In quem iuxta uiam incidit semen.

Hic est qui uerbum dei audit.) dei nec additur apud Græcos, nec in aureo codice, nec in Donatianicis, sed articulus additus, τὸν λόγον, indicat de quo uerbo loquatur. Iam hoc interim dissimulandum, quod uerbum uice sermonis usurpat.

Sed

Sed temporalis est.) ἀλλὰ πρόσκαιρος. Expressius Græce, quasi dicas, Ad tempus, & nō perpetuus, nec sibi constans, sed ad exortam occasionem mutabilis. Ac mox,

Et fallacia diuitiarum.) ἀπάτη τοῦ πλούτου. Græca uox indicat fallaces dici, non quod fallant, hoc est, frustrentur hominem, sed quod à uia deducant: id enim est proprie ἀπατᾶν. Siquidem πάτος, uia trita. Απατᾶν à uia deducere.

Hic est qui audit uerbū &c. Nō est simpliciter, Et fructū adfert, sed καὶ, id est, Quod denique; ut intelligas cæteros omnes infrugiferos, hunc demū reddere fructū. Cæterū articulus Græcus ὁ μέν, ὁ δέ, potest uel ad uerbū referri, uel ad hominē: quod λόγος uerbum apud Græcos generis sit masculini. Quanq; Ad uerbum esse referendum arguit, quod superius idem tribuit semini iacto, quod hic uerbo, nam uerbum semen est.

Superseminauit.) κατὰ ἔσπειρε, id est, Seminauit. Apparet interpretem legisse, ἐπέσπειρε. Ac Paulo post.

Cum autem creuisset herba) ὅτε δὲ ἐβλάστησεν ὁ χόρτος, id est, Cum autem germinasset, siue pullulasset herba. Nam χόρτον aliquando uertit Herbam, aliquando fœnum, nonnunquam gramen. Item,

Vis imus & colligimus.) θέλεις οὖν ἀπελθόντες συλλέξωμεν, Vis igitur abeamus & colligamus ea? Ac rursum μή ποτε uertit, Ne forte, pro nequando.

Sinite utraq; crescere.) ἄφετε συναυξάνεσθαι ἀμφότερα, Sinite pariter crescere ambo. Rursus,

Ad comburendum.) Græci codices addunt αὐτά, id est, Ea: consentientibus & uetustis exemplaribus Latinis: quod tamen recte omissum est ab interprete. Nam quod μικρότερον, id est, Minus, uertit Minimum, recte fecit. Atqui cur quod hic fecit in Minus, non idem fecit in maius est omnibus, ut diceret, Maximum est omnium. Ac mox,

Et habitarēt.) καὶ κατασκηνοῦν, id est, Nidulentur. Quandoquidem & ante κατασκηνώσεως uertit Nidos. Rursus.

Quod acceptum.) ἣν λαβοῦσα. Recte mutauit genus uerbi: modo intelligamus ipsam mulierem cepisse fermentum.

In farinæ satis tribus.) σάτα τρία. Sata non est hic participium à serendo, sed Hebræa, aut certe Syra uox est, significans mensuræ genus, quæ capit sesquimodium, iuxta morem prouinciæ Palæstinæ, autore Hieronymo. Cuiusmodi sunt & illa, Cabus, & Batus. Geneseos capite decimooctauo, quod Hebraice legitur, שְׁלֹשׁ סְאִים קֶמַח. Nostra æditio habet Sata, quod ipsum nomen aliàs uertit Mensuras. Atq; ita legit hoc quoq; loco diuus Hilarius: Abscondit in farinæ mensuris tribus. Quanquam hæc uox mensura, communis est Hebræis cū Latinis, quemadmodū nugæ & aliæ nonnullæ, ut testis est Hieronymus in cōmentarijs quos ædidit in Esaiā. Porrò tribus addidit, ut ostēderet ingentē farinæ magnitudinē, quæ tamē tota paululo fermēto afficiat. Et Chrysostomus putat Tria positum pro multis. Hieronymus magis ad mysteriū trinitatis refert, gaudēs in numero philosophari. Sata, Cabus, Batus, mēsuræ

Aperiam in parabolis os meum.) Admonet hoc loco diuus Hieronymus, in plerisq; codicibus scriptum fuisse, Per Esaiam prophetam. Deinde cum id nusquam reperiretur apud Esaiam, à prudentibus sublatum fuisse nomen prophetæ. Coniectat autem primū ab Euāgelista scriptum fuisse, Non Esaiam, sed Asaph: deinde factum, ut scriba, cum non agnosceret nomē Asaph, putans librarij uitio uocem inductā, mutauerit Asaph in Esaiam: ut cuius nomen & notius esset, & subinde citaretur à Matthæo. Nam psalmus septuagesimusse xtus, unde mutuo sumptum est hoc testimonium, inscribitur Asaph. Cæterū non solū Dauid, sed & cæteros omnes qui psalmos scripsere, prophetas uocari, ne in solos duodecim hoc cognominis putemus competere. Quanq; nec hic Euāgelista superstitiose curauit Hebræa uerba reddere, contentus explicuisse sententiam. Nam quod Septuaginta uerterunt φθέγξομαι, id est, Loquar, hic reddit ἐρεύξομαι, id est, Ructabo: quod illi προβλήματα, id est, Problemata: siue ut nos legimus, Propositiones: hic κεκρυμμένα, id est, abscondita. Nā Hebræa sic uertit Hieronymus: Aperiam in parabola os meum, loquar ænigmata antiqua. Nomē pro nomine in Euangelio.

A constitutione mundi.) καταβολῆς, quod à deijciendo nomen habet, uidelicet cum in imo iacitur fundamentum, quasi dicas, A fundatione mundi, siue A iactis mundi fundamentis. Et aliquanto inferius. Constitutio, καταβολή.

Edissere nobis, φράσον ἡμῖν, id est, Dic nobis. Quanquam antiquissimi codices habent

bent dissere, non Edissere. Est autem φράσον, omnino plus quiddam quàm loquere. Hoc loco succurrit illud admonere, impostorem nescio quem, non solum ædidisse permulta sua, nomine Hieronymi, uerumetiam medijs illius commentarijs suas nænias intermiscuisse: id quod haud dubie fecit in hoc psalmo, quem modo citaui. Rem ex Hieronymo subligit: Cæterum ineptia sermonis, ridiculi διαλογισμοὶ, βαττολογία, solœcismi, cæteraq; id genus deliciæ ipsius sunt, ut alias euidentius aperiemus.

Impostor qui sua miscuit commentarijs Hieronymi in psalmos.

Filij nequam.) εἰσὶν υἱοὶ τοῦ πονηροῦ. Obsecro, quis ex his Latinis possit percipere, quid sibi uelint Græca? Nam Nequam genitiuus casus est Græcis: & uidetur ad diabolum pertinere, propter additum articulum τοῦ. ut impij dicantur filij diaboli: quem & in precatione signat hoc nomine. Nisi mauis πονηρὸ sumi pro substantiuo nomine neutri generis, ut intelligas filios maliciæ.

Quem qui inuenit.) ὃ εὑρών. Præteriti temporis est, Qui inuenerat.

Abscondit.) Item præteriti temporis ἔκρυψε. Multa minutula sciens ac prudens prætereo, ne nimium molestus sim lectori.

Bonas margaritas.) καλούς. Quod non solum Bonas significat, sed frequentius Pulchras. Siquidem in his pulchritudo precium auget.

Sagenæ missæ.) Græcã uocẽ reliquit, cũ ante speciẽ genere reddiderit in ἀμφίβληστρον. Retis est genus, quod Laurentius Latine dici putat uerriculum, à uerrendo mari dictũ, quod ingens longissimis funibus circũducitur. βληθεῖσα rectius uertisset iactæ, quàm missæ.

Sagena, quod alibi uertit Rete.

Ex omni genere.) Piscium, non additur apud Græcos. Tantum est, ἐκ παντὸς γένους, etiãsi Piscium subauditur. Ex Hieronymi Chrysostomiq; interpretatione nõ satis liquet, addiderint nec ne, Deinde συναγαγόσῃ, rectius erat Contrahenti, cõgreganti. Ac mox.

Educentes, & secus litus sedentes &c. Græca aliquanto secus habent, ἀναβιβάσαντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν, καθίσαντες συνέλεξαν τὰ καλὰ εἰς ἀγγεῖα, id est, Cum subduxissent in litus, sedẽtes collegerũt quæ bona erant in uasa. Nec enim addit Sua, ne in aureo quidẽ codice. Etiãsi in nõnullis exẽplaribus scriptum deprehenditur, καὶ καθίσαντες, id est, Et cum sedissent. Indicat enim id per ocium fieri. Nec est Bonos, sed absolute Bona, ut ad genera referatur piscium, quod ante dixerit Ex omni genere. Neq; enim hic cõmemorandum arbitror, & aliud nonnunq; retibus attrahi: quod Plautino illi euenit, qui iacto reti, Vidulum cepit. Ac mox:

Malos) σαπρὰ, id est, Mala, quod supius indicauimus magis sonare Putria, siue Vitiosa.

Intellexistis hæc.) Hunc sermonem apud Græcos præcessit proxime,

Dicit illis Iesus.) λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. Et,

Etiam.) Rursus est, ναὶ, confirmantis aduerbium. Paulóq; post:

Paterfamilias.) οἰκοδεσπότης, id est, Dominus domus: ut accipiamus, non cui sint liberi, sed qui familiæ suæ ius habeat. Ac mox,

Doctus in regno dei.) Non est πεπαιδευμένος, sed μαθητευθεὶς, ut intelligas ex discipulo factum doctorem. Nam ut nemo recte imperat, nisi qui prius ipse paruerit imperio, iuxta prouerbium, ita nemo bene agit magistrum, nisi prius egerit bonum discipulum. Nec est In regno, sed Ad regnũ εἰς τὴν βασιλείαν, ut intelligas longe diuersum doctrinæ, & institutionis genus. Rursum quod sequitur Virtutes, est δυνάμεις, de quo iam sæpe diximus.

παιδεύω. μαθητεύω.

Fabri filius.) τέκτονος. Valla putat Græce τέκτονα fabrum esse lignarium: cum Suidas palàm indicet uocabulum lapidarijs ac lignarijs esse commune. Apparet enim dictionem à τεύχω ductam. Ac nos cum Puteolis essemus, in antiquissimis saxis templi, uidimus nomina tectonum esse inscripta, nimirum Græcam uocem Latinis literis, quod ea pars Italiæ quondam Græcissauerit: id quod indicant antiqua monumenta. Porrò apud alium Euangelistam, ipse Christus faber appellatur, ut cõsentaneum sit eum aliquamdiu manibus laborasse. Cæterum mater Iesu, Mariam est hoc loco iuxta sermonem Hebraicum.

Faber etiã lapidarius Græcis.

Et fratres eius.) Iuxta morem Hebræorum, fratres uocat, non quibus communes essent parentes, sed quibus stirps, ac genus esset commune: qua de re doctissime simul & copiosissime disseruit Hieronymus in libro aduersus Heluidium. Cæterum illud obiter demiror, cur idem hunc enarrans locum scripserit: Miraris si errant in fratribus, cum errent in patre? Nam in patre uere errabant, existimantes Iesum filium esse Ioseph, cui nupserit Maria. At in fratribus, qui nam errabant, nisi forte isti cognati erant Ioseph, non

Excussa Hieronymi sẽia.

Mariæ

Mariæ, ut illorum affinitas nihil attinuerit ad Christum: ad hoc sanè ut illius cognati huius fratres dici possent. Licet eodem in opere, quo refellit Heluidium diuus Hieronymus, fateatur illos non aliter dictos fratres Iesu, quàm Iesus ipse dictus sit filius Ioseph. Atqui si falsò creditì sunt fratres, quemadmodum Ioseph falsò creditus est pater, qui confistit, quod paulo ante scripsit illos cognatione dictos fratres, Verum hæc ad uiuum exigere non est huius instituti proprium.

Et Ioseph.) Ἰωσῆς, id est, Ioses, quod quidam inflectunt Iosetis. Id nomen quoties occurrit deprauant in Ioseph. Atqui Hieronymus citans hunc locum aduersus Heluidium, Ioses legit & Iosetis, non Ioseph. Item, *Ioses non Ioseph.*

Sine honore.) Ἄτιμος, Vilis, siue neglectus, aut contemptus. Cui diuersum est Ἔντιμος, Charus, siue in precio habitus. Nam de uirtutibus sæpius iam admonui.

EX CAPITE DECIMO QVARTO.

Veris suis.) παισὶν, id est, Ministris, seu famulis, Quanquam Græca uox, & seruos, & ancillas, & liberos, & omnes denique domesticos complectitur, præter patrẽfamiliâs, & matrẽfamiliâs. Ac subinde,

Virtutes operãtur.) δυνάμεις ἐνεργοῦσιν, Non est, ἐργάζονται, quod significat operari: uerum hac uoce ἐνεργοῦσιν uis quædam efficax significatur, ut & aliâs indicauimus. Neque enim est idẽ uerbum, quod alibi: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Quẽ locum hic citat Laurẽtius, at parũ in loco. Nec enim est idem uerbũ, illic, quod hic. Et κρατήσας, magis est Cepit, quàm Tenuit, aut iniecta manu. Et in nonnullis exemplaribus habebatur, ἐν φυλακῇ, in alijs rursum, εἰς φυλακὴν.

Herodiadem.) Patronymici speciem habet, aut certe diminutiui nominis. Hieronymus tradit hanc fuisse filiam Arethæ regis, haud scio an eius cuius meminit Paulus. Eam Philippo Tetrarchæ Galilææ, ac Trachonitidis locarat. Post orta inter se, & generum simultate, filiam ab illo abductam, Herodi fratri, sed inimico copulauit, quo magis illum ureret. Cæterum hic Herodes filius esse traditur illius sub quo Christus fugit in Ægyptum, frater illius sub quo passus est. Plurimum autem obscuritatis attulit historiæ rerum, quorũdam ambitio, qui locis innouarunt uocabula, & uel tradito suo nomine uolebant in posteris esse superstitem sui memoriã, quod accidit in Ptolemæis, aut celebriũ principũ nomina sibi usurpabãt, uel modica deflexiõe distinguebãt successorẽ, ut Cõstãs, Cõstãtinus, Cõstãtinian⁹. *Herodes quis*

Die autem natalis.) γενεσίοις δὲ ἀγομένοις, id est, Cum agerentur autem natalicia. Atque ita legit Chrysostomi interpres. Ac mox.

Saltauit filia.) ὠρχήσατο. Non subsilijt, ut uulgus putat, sed quemadmodum gesticulantur in choreis. Nam id proprie sonat Latinis saltare, Græcis ὀρχεῖσθαι. Et paulo post,

Postulasset ab eo.) Ab eo, præterquàm quod barbare additũ est, nec in Græcis habetur exemplaribus. Ab ipso dicendum erat. Et rursum:

Præmonita à matre.) προβιβασθεῖσα. i. Prius instructa: quod uulgo dicunt informata.

In disco.) ἐν πίνακι, quod alibi uertit, Catinum: etiamsi Græce magis sonat Tabulã. Quã doquidem quadris tabellis cibus apponitur. Apparet enim hoc ludibrij causa factum, quasi & hic missus quidam esset, genialis illius ac natalicij conuiuij. Paulòque post,

Et misit.) ἠθέλησε πέμψας. Commodius suppleret, Misso carnifice, aut ministro: id quod alibi facit, Certe Marcus expressit, quod hic erat subaudiendum, καὶ ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα. Porrò quod hic uertit Decollauit, Græce est, ἀπεκεφάλισεν, quod ad uerbum sonat Decapitauit. Quanquã decollandi uerbo usus est Seneca in ludo de morte Claudij: uerum poterat eo usus uideri ludibrij causa, nisi idem uerbum esset apud Suetonium in Caligula Cæsare. Imò apud eundem Senecam libro de Ira ad Nouatum. Illud annotandum, cur dixerit, Missos ab Herode, qui Ioanni caput præciderent, tamen mox subijcit, ipsum amputasse. Facit enim qui iubet. *Decollare apud Suetonium.*

Et illa attulit matri.) Illa, additum est explicandi gratia, alioqui nec in Græcis, nec in Latinis uetustioribus codicibus habetur: postremo nec in aureo, nec in Constantiensi, & tamen additum probo. Ac rursum,

Misertus est.) ἐσπλαγχνίσθη, de quo iam admonuimus. Ac mox,

Et curauit languidos.) ἐθεράπευσε τοὺς ἀῤῥώστους, id est, Sanauit male ualentes, siue Qui ma-

la erant ualetudine. Mirum enim quàm interpres hoc uocabulo languoris sit delectatus. Vt interim præteream illa minutiora, quod ἀπελθῆμ pro abire, uerterit Ire. Quod ὁ δὲ εἶπεμ, id est, Ille autē dixit, uertit, Qui dixit: quod & alias facit. Quod ὄχλους Turbam pro turbas. Quod ἐπὶ χόρτους, id est, Super herbas, siue gramina transtulerit, Super fœnum, cum ante uerterit herbam. Quod ἀναβλέψας, Aspiciens pro Suspiciens: siue ut temporis etiam habeatur ratio, Sublatis in cœlum oculis. Nam κλάσας ἔδωκε, id est, Fregit ac dedit, tolerabilius est: quanq; apertius erat, Cum fregisset, dedit. Deniq; quod

Dederunt additum. Discipuli dederunt turbis.) Dederunt uerbum de suo addiderit, quod nec additum est à Græcis, nec in uetustis Latinorum codicibus inuenitur. Nec erat opus addere.

Et tulerunt reliquias.) Græca sic habent, καὶ ἦραμ τὸ περισσεῦομ τῶν κλασμάτωμ δώδεκα κοφίνους πλήρεις, Et sustulerunt quod superfuerat fragmentorum duodecim cophinos plenos.

Cophinus mē sure genus. Cophinus autem ueteribus mensuræ genus fuit, autore Iulio Polluce: quanquam hic pro sportis positum apparet, quod Lucas σπυρίδας appellet, hoc est, sportulas.

Manducantium autem &c.) οἱ ἐσθίοντες ἦσαμ ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, χωρὶς γυναικῶμ καὶ παιδίωμ, id est, Erant autem qui comederant uiri, fermè quinquies mille, præter mulieres ac pueros. Verum hic Latinitatis duntaxat iniuria est. Cæterū quod iussit posuit pro Cōpulit, siue id factum est ab interprete, siue à librario, cum sensus etiam iniuria coniunctum est. Nam Græce plus est quàm Compulit ἠνάγκασεμ. Vt intelligamus eos inuitos à præceptore discessisse, quem sic amabant, ut nec punctum temporis possent abesse. Quemadmodum annotauit & diuus Hieronymus, qui Compulit legit, non iussit. Annotauit idē Theophylactus. Certe compulit habet etiā codex aureus. Offendit aliquem inepte misericordem, uox compellendi durior, Atqui non coegit dominus, nisi iubēdo. Verum ea uox dura commendat nobis & amorem discipulorum erga dominum, & obedientiā. Quū enim illis dulcissimum esset semper adesse præceptori, tamen quod iubentur faciunt, non respōsantes, secus q; uulgus discipulorū solet, qui & libenter absunt ab oculis magistri, & si quid imperatur aduersum affectibus ipsorum, excusant responsantq;. Vt illa dissimulē, quod

Præcedere præire. Præcederent eum.) Dixit pro præcederent se, aut præcederent ipsum. Nam quod Valla mauult Præirent, quàm Præcederent, non uideo quid illum debuerit offendere. Et,

Dimitteret turbas,) Eleganter uertit, si modo intelligamus eū non fugisse simpliciter turbas, sed ab se dimisisse, quo modo solemus amicos abeūtes dimittere. Quanquam ἀπολύω Græca uox anceps est ad multa, ad absoluere, repudiare, dimittere quomodocunq;.

Solus orare.) κατιδίαμ, id est, Seorsim, siue priuatim, aut secretò, quemadmodum alibi uertit. Porrò aduerbium utrólibet referri potest, ad uerbum superius, Ascendit, aut ad Adorare: quanquam rectius ad posterius. Ac mox,

Nauicula autem.) τὸ δὲ πλοῖομ ἤδη μέσομ ἦν θαλάσσης, id est, Nauis autem iam medio mari. Mirum enim quàm hoc diminutiuo delectetur. Deinde,

Βασανίζεσθαι. afflictari. Iactabatur.) Græce est, ἦμ βασανιζόμμομ. Quod ante uertit Torqueri, nos uertimus, Afflictabatur. Ac rursum,

Venit ad eos.) ἀπῆλθεμ, Abijt. Quanquam apparet eum sic abusum hoc uerbo ἀπελθεῖμ, quemadmodum Græci ἀφικνεῖσθαι, id est, Peruenire.

Phantasma est.) Græcam dictionem reliquit, Latine poterat Spectrum dicere: qua uoce usus est Tullius, ac Plinius. Græcis etiam φάσμα dicitur. Nam illa leuicula sunt, quod εὐθέως δέ, id est, Statim autem, uertit, Statimq;. Quod θαρσεῖτε, id est, Bono animo sitis, siue Fidite, uertit, Habete fiduciam, ociosa periphrasi. Quod

Super aquam. ἐφ' ὕδατα, pro Super aquas. Porrò quod hic uertit Mergi, Græcis est καταποντίζεσθαι, id est, Inuolui undis marinis. De modicæ fidei, ὀλιγόπιστε, iam diximus. Ad hæc,

Vacillare. Quare dubitasti?) εἰς τί ἐδίσασας; id est, ad quid uacillasti? Id enim Græca uox sonat, cum animus nunc huc, nunc illuc impellitur. Donec nihil spectabat, nisi Christum, in tuto erat Petrus: at dum fluctuat animo, protinus periclitatur in fluctibus.

Et cum ascendissent.) καὶ ἐμβάντωμ αὐτῶν, id est, Et ingressis illis. Loquitur enim de Iesu & Petro simul ingressis. Ac mox, αὖθις αὖ, Nauiculam pro naui, cum sit πλοῖομ. Nec est,

In terram Genezar.) Sed Genezareth. Quanquam apparet apud illos utrunq; nomen esse

esse eiusdem lacus. Nam sentit regionem ei lacui finitimam. Magno autem consensu Genezar legunt Chrysostomus & Hilarius, suffragantibus & uetustis exemplaribus. Cæterum Hieronymus hoc loco scribit in hunc modũ: Si sciremus quid in nostra lingua resonaret Genezareth, intelligeremus quomodo Iesus per typum apostolorum, & nauis, ecclesiam de persequutionum naufragio liberatam, transducat ad litus, & in tranquillissimo portu faciat requiescere. Hæc Hieronymus. Primum, quid suam dicit linguam? non opinor Syrorum, inter quos habitabat id temporis: quam si callebat, non defuisset Latina uox qua Syram expressisset. Dein cum ait, Si sciremus, uidetur confiteri incompertam eius nominis interpretationem. In uulgatis Hebraicorum nominum collectaneis, legimus Genesar significare ortus principium, siue initium natiuitatis, nec aliud significare Genezareth, quàm Genesar. Quanquam ad hanc interpretationem non uideo quid faciant uerba Hieronymi. *Genezareth quid Hebræis*

Cum cognouissent.) ἐπιγνόντες, id est, Cum agnouissent. Est enim consentaneum multos illic fuisse, qui Iesum antea uiderãt: à qua sententia nõ abhorret Hieronymus. Ac mox, *Agnoscimus ante uisum.*

Miserunt.) ἀπέσειλαν. Cur non est ausus addere Nũcios. Nec est, In uniuersam regionẽ, sed εἰς πλὴν ὅλην περίχωρον, In totam undiq; finitimam regionem. Nam illud,

Vt uel fimbriam.) Eleganter uertit, cum sit Græce, κἂν μόνον ἅψωνται. id est, Vt uel tangerent duntaxat. Et quod est, Vestimenti, Græcis est ἱματίου. quod aliquando pallium uertit. Significat enim summam uestem, id quod ad ἔμφασιν facit.

EX CAPITE DECIMO QVINTO.



Vnc accesserunt.) τότε προσέρχονται, id est, Tunc accedunt. Ac mox,

Ab Hierosolymis scribæ.) οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς. Articulus facit, ut uertendum fuerit, Qui ab Hierosolymis uenerant scribæ, siue Hierosolymitani scribæ. Idem indicat Chrysostomus, hunc enarrans locum: Nam erant & aliarum urbium scribæ. Nec est, Traditiones, sed παράδωσιν, id est, Traditionem, consentiente uetustissimo codice Latino, atq; etiam Constantiensi. Nos institutũ, siue constitutionem uertere possumus. Nec enim querũtur de omnibus traditionibus, sed de una duntaxat: nempe de non lauando manus. *Scribæ ab Hierosolymis* *Traditio, institutum à maioribus pfectũ.*

Nam deus dixit.) Græce est, ἐνετείλατο λέγων, id est, Præcepit dicens. Vt respondeat ad id quod præcesserit, ἐντολὴν Mandatum, siue quod malim, Præceptum. Cæterum

Honora.) Græce est, τίμα, quod significat, Honorem habe. Verum secundum consuetudinem sermonis Hebraici, magis pertinet ad subsidium, quàm ad honorem. Præcepit enim deus id quod gentilium quoque legibus cautum est, ut liberi parentibus, uel ætate defectis, uel inopia laborantibus, uel alioquin afflictis, opitulentur, & ut Græci loquuntur, ἀνθυπερασπίζωσι. Id hodie quidam non intelligentes, parentes suos tantum non adorant, eumq; honorem parentes à liberis exigunt, atque ita totum pietatis officium abunde persolutum arbitrantur. Ad eundem modum usus est Paulus scribens Timotheo: Honora uiduas, quæ uere uiduæ sunt. Ac rursus: Presbyteri duplici honore digni sunt. Quin & apud Latinos, honor pro præmio gratiaq; usurpatur, quæ pro merito refertur. Et apud Græcos τιμὴ, à τίω deductum est, quod quoties in bonam accipitur partem, significat dependo, siue persoluo. *Honorare parentes, quid.*

Munus quodcunq; est.) δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, id est, Donum quodcunque ex me profectum fuerit adiuueris. Cæterum sensus uerborum est aliquanto obscurior, unde ab omnibus multifariam exponitur. Quidam enim hæc uerba tribuunt filio, qui sic loquatur patri: Donarium quod ex me uenturum erat in corban, nam Syram uocem posuit Marcus, hoc est, in gazophylacium templi, id totum consumitur in tuos usus, tibiq; iuuando impenditur, nimirum fraudato templo. Atque ita prætextu pietatis bis uiolabant pietatem: primum desertis parentibus, uelut in gratiam dei: deinde deum ridebant, non immolantes, quod immolatum fingebant, ut ait Chrysostomus. Velut si pater ouem, aut simile quippiam petijsset à filio, ne deesset negandi prætextus, fingebat filius eam ouem templo destinatam. Idq; scribæ nefas uideri uolebant, in priuatos usus asserere, quod templo dicatum esset: perinde quasi deus suo iure fraudaretur. Atq; utinam hic pharisæorum morbus à Christianorum moribus abesset. Huiusmodi captionum plena sunt omnia. Et *Munus quodcunq;, locus uarie expositus.*

Christi aut Mariæ peculium dicitur, quod uel in luxum sacerdotum ac monachorum seruatur, uel in principis alicuius prædam. Sacrilegium habetur hinc egenis subuenire. Horũ laqueis testamenta transferuntur ad alendum ocium, & luxum quorũdam religionem cultu titulóq; professentiũ, fraudatis, & exclusis aliquoties & liberis: quasi quod datur alendis liberis aut cognatis, consecretur diabolo. Cæterum ideo dixit pharisæis, Vos autem dicitis, non quod hæc illorum sint uerba, sed quod illi docerent liberos ad eũ modum loqui patri: quo parentes, dum metu sacrilegij abstinebant ab his, quæ uidebãtur destinata templo, penuria conficerentur: atq; ita quod deus iusserat impendi cõfouendis parentibus, id in lucrum cedebat sacerdotum. Alij referunt hæc ad pharisæos, qui uerbis huiusmodi terrerent debitorem, grauantem reddere quod debebat. Nam arte id agebant pharisæi, ut si quis debitor esset, unde uel ob inopiã, uel ob potẽtiam nihil posset extorqueri, creditor pecuniam eam consecraret corbonæ. Iamq; ius exigẽdi transierat ad istos qui debitorẽ territabant, ad hunc modũ: Tu pecuniam deo dicatam, apud te detines, & in prophanos consumis usus, quod templo consecratum est: Atq; ita fraudabatur creditor sua pecunia. Verum hæc non uideo quid ad parentes honorandos pertineant, etiamsi hunc quoq; sensum recensent Hieronymus, ac Theophylactus. Magis ad rem facit, ut filius dicat, quicquid tẽplo dicauero, id patri impensum est, nempe deo, atq; ita irrisum patrem destituat. Sic enim interpretabãtur legem diuinam, quæ prouiderat ne parentibus, morbo, ætate, inopiáue laborãtibus deesset subsidiũ, Honora patrem & matrem, Patrem honora, id est, deũ patrem omnium, & Synagogam matrem. Nam illam interpretationẽ reiicit etiam Chrysostomus, si modo nõ fallit interpres, (siquidem hactenus suppeditabat Græcum exemplar,) ut filius dicat patri, nullum honorem tibi debeo, sed si quid impendero est donũ. Siquidem nec hoc ad pharisæos pertinet, quo titulo filius officium præstet patri. Loci obscuritas fuit in causa, ut interpretes alia atq; alia diuinarent. Quod autem adfert Aurelius Augustinus in libro quæstionum Euangelicarum primo, quæstione decimasexta, hisce uerbis filios adultos negare sibi gratum esse, quod parentes pro ipsis offerrent munera, posteaq; ad eam ætatem peruenissent, ut ipsi pro se possent offerre donaria, an Euangelico congruat sensui, alijs expendendũ relinquo. Mihi sanè non admodum probatur. Cæterum in ὃ ἐὰν ὠφεληθῇς ἐμοῦ, omnino subaudiẽdum est aliquid, ut exprimas articuli Græci uim: & liberum est subaudire, quod sententiæ sit accõmodum, est, aut erit, aut aliud simile. Deinde ὠφεληθῇς, magis legendum uidetur ὠφεληθῇ, ut sit Iuuaris. Tu iuuaris omni dono, quod daturus eram templo. Quandoquidem Christus hoc uelut exemplum contumeliæ commemorat, qua liberi edocti à pharisæis, afficiant suos parentes, nisi coniunctio ἐὰν referatur etiam ad uerbũ ὠφεληθῇς, ut accipiatur δυνατικῶς, id est, iuuaberis siue iuuari poteris. Deinde τιμήσῃ, si per η scribatur, sonat, Honorabis, si per ι, Honorabit. Nostra uero translatio, neque cum Græcis satis quadrat, neque sententiam ullam explicat. Proinde quãtum licuit in tanta sententiarum uarietate, id quod optimum iudicauimus sequuti, uertimus ad hunc modum: Quicquid doni à me profectum erat, id in tuum uertitur commodum, & non honorabit patrem suum, aut matrẽ suã, nempe filius sic edoctus à uobis. Et tamen quicunq; sensus erit, durior est sermonis compositio, quod hæc particula,

Excussa Augustini sententia.

Subaudiendũ aliquid.

Quicunq; dixerit patri & matri.) non habet quod respondeat, nisi subaudiamus, Bene facit, aut aliud simile, quod nullus admonuit praeter glossam, quam adducit Catena aurea. Mirum est Lyranum sic scribere in hunc locum, quasi non legerit quenquam ueterum interpretum. Nec enim admodum refert attingere, quæ hoc loco aduersus Lyranum disserit quidam, & rursus in hunc alius quispiam.

Labijs me honorat) Apud Græcos plusculum est uerborum, ἐγγίζαμοι ὁλαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, id est, Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat. Verum adiecit nonnihil aliquis, qui uoluerit absolutum reddere prophetæ testimonium, cum Hieronymus enarrans hunc prophetæ locum, indicet Euangelistam decerpsisse, quod sibi cõmodum iudicabat: & neq; retulisse per omia, ut in Hebræo scriptũ est, neq; ut à Septuaginta uersum. Est autem locus apud Esaiam cap. uigesimonono. Hebraica sic reddit Hieronymus: Pro eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est à me, & timuerunt me mandato hominum,

&

& doctrinis. Septuaginta uerterunt in hunc modum: ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς χείλεσιμ αὐτῶν τιμῶσί με. ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόῤῥω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ. μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας, id est, Appropinquat mihi populus iste ore suo, & labijs suis honorat me, cor autem eius longe est à me, frustra colunt me, docentes hominum præcepta, atq; doctrinas. Ipsa igitur res indicat hoc testimonium non ita legi à Græcis, ut est adductum ab Euangelista, sed ut est restitutũ à studioso quopiam: qui cum deprehendisset locum apud prophetam, quod mutilatum esse putabat, expleuit: Idq; non ex Hebræorum libris, quos ignorabat, sed ex æditione Septuaginta, quam Græci sequuntur. Porrò quod hoc loco interpres, haud scio quis, uertit,

Deprauatus locus apud Euãgelistam

Sine causa.) Græce est, μάτην id est, Frustra, & sine fructu potius quàm sine causa. Atque ita legitur in translatione Septuaginta. Denique Longe est, Græce est, ἀπέχει, id est. Abest, Nec est,

Doctrinas & mandata hominum.) Apud Græcos enim hoc loco non additur coniunctio. Verum διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων, id est, Doctrinas, mandata hominum, ut appositiue legatur Doctrinas, quæ sunt mandata hominum non dei. Atq; ita comperi in uetustissimis illis, quæ iam complusculis locis adduxi, Latinis exemplaribus: postremo in aureo codice & in exemplari quod erat ad manum quũ hanc æditionem quartam adornaremus Constantiensi. Et consentiunt Hebraica, מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה, quod ad uerbũ ita reddere liceat, Mandata hominum doctrinas. Nec tam est Colunt, quàm Reuerentur, σέβονται, quod propius etiam accedit ad Hebraicam ueritatem, בְּרוּגִי.

Præcepta hominum

Conuocatis turbis.) προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον, id est, Aduocata, siue uocata ad se turba, aut accersita. Quod tamen ita fermè perpetuo transfert. Cæterum Coinquinat, Græcis est, κοινοῖ, id est, Commune facit: siue ut Augustinus legit, Communicat, libro aduersus Faustum decimosexto, capite trigesimoprimo. Nam Iudæi quod sanctum purumq; non sit, id commune uocant, quod Latini prophanum, impurum, aut nefastum. Nam pura, sancta, minimeq; prophana uocantur, Vnde nos uertimus, Impurum reddunt. Ac mox, Impurum reddet hominem. Annotauit hoc Origenes, seu potius Origenis interpres, ediserens caput epistolæ ad Romanos decimumquartum, indicans in nonnullis exemplaribus Latinis fuisse scriptum, Communicant, in nonnullis Coinquinant.

Κοινῶμ, prophanare.

Sed quod procedit.) Perdidit interpres gratiam προσονομασίας, atq; item ἀναντιῴσεως in his uocibus τὸ εἰσερχόμενον, & τὸ ἐκπορευόμενον, id est, Quod ingreditur, & quod egreditur. Ac paulo post, οἶδας ὅτι, id est, Nosti, & Quia uertendum erat in Quod: aut certe per infinitum uerbum reddendus sensus. Ad hæc, ἀκούσαντες τὸν λόγον τοῦτον, Pro uerbum, rectius uertisset, Sermonem: cum Græca uox sermonem significet magis, quàm uerbum, aut certe dictum. Vt ne dicam, Scandalizatos positum pro offensos.

Verbum pro dicto.

Cæci sunt duces cæcorum.) Græcus sermo festiuior est, ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν, id est, Duces sunt cæci cæcorum. Nam ὁδηγοὶ proprie dicuntur, qui commonstrant uiam, ab ὁδὸς uia, & ἄγω duco, siue ἡγοῦμαι præcedo. Ac mox φράσον, edissere, de quo superius admonuimus, etiam si mihi non improbatur. Nec est,

Non intelligitis.) Sed οὔπω, id est, Nondum, ut respondeat ad ἀκμὴν, id est, Adhuc, quod tamen uehementius quiddam est, quàm ἔτι.

Non, pro nondum.

Cogitationes malæ, homicidia.) In Græcis aliquot exẽplaribus scriptũ erat, φθόνοι, id est, Inuidiæ. Atq; ita sanè habet æditio Aldina. Huic simillima uox est. φόνοι. id est, Cædes siue homicidia. Nec ex Chrysostomo nec ex Hieronymo liquet quid legerint.

Male uexatur.) κακῶς δαιμονίζεται, id est, Misere. Quanq; & Male Latinis usurpat pro Misere. Ac rursum ὁ δὲ, id est, At ille ait, uertit, Qui ait, uelut affectata dissonantia, tametsi id non magni refert. Item,

Male, pro misere.

Non respondit ei uerbũ.) λόγον. Rursus cur potius uerbum quàm sermonem? Nam sensus est, non respondit illi quicquam. Nec enim est idem tropus in sermone Græco, qui est in Latino: quemadmodum dicimus non rescripsit literam pro eo, quod erat nihil omnino rescripsit. Præterea ἠρώτησαν, id est, Interrogabant, quo tamen uerbo nonnunq; abusus uidetur pro rogo. Nam hæc uox Latinis est anceps. Item,

Dimitte illam.) ἀπόλυσον, id est, Absolue illam: siue ut impetrato quod petit abeat, siue

ut aliquo pacto illi satisfiat. Nos uertimus Amitte pro eo quod est ablegato. Sic em̃ Terentius usus est amittẽdi uerbo, ut opponat̃ retinẽdi uerbo. Neq; enim semp amittere idem est quod pdere. Ad oues quæ perierũt.) τὰ ἀπολωλότα, id est, perditas ut sæpe citat Hieronymus. Cæterũ articulus indicat non omnes oues intelligi, sed eas quæ perissent. Et, Adiuua, βοήθει rectius, Succurre. Nam adiuuamus laborantem, & βοηθῶμεν, inde dictũ, quod ad uocem periclitantis & quiritantis accurritur, id quod & βοηδρομεῖν uocant.

Adiuuare. *Βοηθῶμεν*

Non est bonum.) Græce est, καλὸν, quod magis honestum & pulchrum significat, q̃ bonum, ἀγαθόν. Nam indecorum est, cibum filiorum obijcere canibus. Hæc enim Iesus ex publico Iudæorum affectu dixit, qui se solos deo charos & sanctos iudicabant, cæteros omneis canum habebant loco. & liberorum est magis quàm filiorum, τέκνων: ut ea uox filias quoq; complectatur, præsertim cum mulieri loquatur.

Mittere canibus.) βαλεῖν τοῖς κυναρίοις, id est, Abijcere catellis. Eadẽ est uox, quã mox uertit diminutiue. Nam & catelli edunt.) ἔσθιτα κυνάρια. Ne quis in huius mutatione uocis somniet subesse mysterium, cum apud Græcos utrobiq; sit eadem. Præterea,

Abijcere potius q̃ mittere.

Etiam domine.) ναὶ κύριε. Confirmantis est aduerbium, non refellentis. Verum est quod dicis, Turpe est panes filiorum abijci catellis, ego licet sim canis, micas peto non panes.

Habentes secum.) ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν, id est, Adducentes secum. Nam id quoq; significat ἔχω. Hieronymus interpretatur deducentes, siue portantes. Ac subinde,

Mutos, cæcos, claudos, debiles.) χωλούς, τυφλούς, κωφούς, κυλλούς, id est, Claudos, cæcos, mutos, mutilos, siue mãcos. Hieronymus admonet, qd' hic uertit debiles, Græcis esse κυλλούς: quod ita refert ad manũ, quemadmodũ χωλὸς ad pedem: ut sicut qui uno pede claudicat, claudus dicit, ita cui altera manus manca aut trũcata sit, κυλλὸς dicat̃. Nam debilitas generale malũ est totius corporis. Vnde cũ paulo post, sanatos referens, dixisset mutos loquẽtes, cæcos uidentes, claudos ambulantes, nõ repetit κυλλούς, quod nihil haberet, quod huic nomini responderet. Ex quibus Hieronymi uerbis cõstat, id quod reperit in Græcis exemplaribus κυλλοὺς ὑγιεῖς, id est, Debiles sanos, additum à quopiã, qui id putauerit librarij uitio prætermissum. Vt dissimulem, quod ἐδόξασαν uerterit, magnificabant pro glorificabant. Nam de illis προσκαλεσάμενοι, & πλαγχνίσομαι, non semel iam admonuimus.

κυλλοὶ qui Græcis

Ne forte deficiant.) μήποτε, id est, Ne, aut nequando. Ac paulo post,

Vnde ergo nobis.) Ergo redundat, πόθεν ἡμῖν, id est, Vnde nobis.

Panes tantos.) ἄρτοι τοσοῦτοι, id est, Tot panes, siue tam multi panes, aut certe tantũ panum. Nam Græca uox numerum significat, non magnitudinem, hoc est, quantitatem discretam, non continuam, ut loquuntur Dialectici. Porrò,

Tanti pro tot non recte.

Vt discumberent, Græcis est ἀναπεσεῖν, quod significat humi cõsidere, non in lectis. Et,

Gratias agens fregit.) εὐχαριστήσας ἔκλασεν, id est, Cum gratias egisset, siue gratijs actis fregit. Ac rursum,

Discipuli dederunt populo.) Dederunt interpres Latinus addidit de suo. Nec est,

Quatuor milia hominum.) sed τετρακισχίλιοι ἄνδρες, id est. Quater mille uiri. Nam quod χωρὶς uertit Extra pro præter, laudo copiam, etiam si nihil opus. Deinde παιδίων Pueros uertit paruulos, ita solet reddere νηπίους.

In fines Magedan.) εἰς τὰ ὅρια μαγδαλὰ, id est, In fines Magdala. Atq; ita legit diuus Chrysostomus, addens Iesum abisse in fines Magdalorum. Sic enim uertit interpres. Nam hic ut ante dixi, destituit nos Græcum exemplar truncum. Ac meminit quidem Hieronymus Magdali in descriptione locorum. Cæterum hoc loco Magedam legit, non Magdalã, his quidem uerbis: Magedã, ad cuius fines Matthæus euangelista scripsit dñm peruenisse, sed & Marcus eiusdem recordatur. Nunc autem regio dicitur Macera, cõtra Iesuram. Rursus interpretans uoces Hebraicas apud Matthæum meminit Mageda. In uetustissimo codice qui habebat cõmẽtarios Theophylacti, scriptũ erat, ὄρη nõ ὅρια, id est, montes non fines. Sed uni testi, ut aiunt, ne Catoni quidem creditur.

Mageda Magdala

EX CAPITE DECIMOSEXTO.

Serenum erit.) εὐδία, id est, Serenitas, ut subaudias erit, sicut & in proximo,

Hodie tempestas,) subauditur erit, σήμερον χειμών. Ac magis exprimit certum prognostæ iudicium hoc schema sermonis. Porrò,

Prognostæ.

Rutilat

Rutilat.) Idem uerbum est,quod modo uerterat,rubicundū est, πυῤῥάζει. Et,

Non potestis scire.) Scire non additur nec in plerisq; Græcis exēplaribus,nec in antiquis Latinis.Quanquam in nonnullis reperi scriptum, οὐ δύναδε, Non potestis, in quibusdam, οὐ σωίετε, id est,Non intelligitis.Item,

Intuemini & cauete.) ὁρᾶτε καὶ προσέχετε, id est, Videte & cauete,siue ut alibi uertit,Attendite.Quis enim unq; dixit,Intuemini pro Cauete? Nam hæc uerborum idem significantiū conduplicatio,nihil aliud quàm epitasin cautionis habet. *Videre pro cauere.*

Inter se.) πρὸς ἑαυτοῖς, Inter se mutuo, siue intra sese. Intra se habet codex aureus,ut intelligas tacitā cogitationem. Nam διελογίζοντο quoq; ambiguum est ad disputantem,& ad cogitantem.Ac mox, πρὸς ἑαυτοῖς, id est, Inter uos,siue intra uos.Ac paulo post, *ἑαυτοῖς. ad utranq; per sonam*

Quinque panum,& quinque milia .) Cur non potius quinque milium? Quanquam accusatiuus panes erat commodior ob turbam genitiuorum. Quidam Latini codices habebant , quinque panum & quinque milium,quidam,quinque panum in quinque milia, quum emendatiores cum Græcis legant quinque panum quinq; milium , ut non sit asyndeton, sed panes illorum dicantur qui eos comederunt, aut certe genitiuo græco absolute posito , quum essent quinque milia.Similis uarietas est in proximo sermone,septem panum & quatuor milia , uel in quatuor milia , uetustiores habebant , septem panum,quatuor milium . Cæterum articulus additus facit ut de certis panibus deque certis hominibus intelligamus τοὺς πέντε ἄρτους, & τῶν πεντακισχιλίων, Quinq; illos panes,illorum quinq; milium. Poterat fortasse posterior genitiuus absolute uerti,Cum essent quinque milia hominum . Et aliquanto post,

Quare non intelligitis?) πῶς οὐ νοεῖτε; id est, Quomodo non intelligitis , ut sit obiurgantis,hoc est,Qui fit,ut non intelligatis.

Cæsareæ Philippi.) καισαρείας τῆς φιλίππου.Dilucidius erat Cæsareæ eius quæ cognominatur Philippi.Siquidē articulus additus distinguit hanc Cæsareā,quæ Philippi cognomen habet,ab ea quæ citra cognomen Cæsarea dicitur.Ea est,quam Herodes pater Herodis,tetrarcha Trachonitidis instaurauit,in honorem Augusti Cæsaris, quæ prius turris Stratonis uocabatur.Cæterum Cæsarea Philippi ea est,quā extruxit Herodes filius,in honorē Tiberij Cæsaris,quæ mutato nomine,deinde Paneas dicta est,in prouincia Phœnices ad radices Libani , ubi Iordanis è duobus oriē fontibus,Ior & Dan,autore Hieronymo. *Cæsareæ duæ*

Quem dicunt homines?) τίνα με λέγουσιν, id est, Quem me dicūt:atq; ita scriptū deprehendi & in uetustissimis codicibus Latinis,nominatim in exemplari Paulino . Vetustissimus omniū Irenæus lib.3.cap.2. pronomen addidit,quem me dicunt.In nōnullis Græcis tā tum erat,quem me dicunt esse? Quanq; Hieronymus in cōmentarijs negat Christum,uelut arroganter de se percontantem dixisse , Quem me dicunt esse,sed Quem dicūt esse filiū hominis,etiāsi potest intelligi modestiæ argumētū nō esse in omisso pronomine,sed in addita particula,filium hominis.Nec ex Origene,nec ex Chrysostomo satis liquet additū fuisse me.Apud Theophylactum addi constat.Et,

Filium hominis.) τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Neutrū expressit articulum,cum neuter sit ociosus. Nam certum filium,ac certum hominem significat,nempe Adæ,qui apud Hebræos אָדָם, id est, Homo dicitur.Proinde friuolum est istorum commentum,qui putant Christum ob id dici filium hominis,quod ex matre duntaxat sit progenitus,cum hic homini præferatur articulus masculinus, τοῦ. Itidem in eo quod sequitur, *Filius hominis*

Tu es Christus.) ὁ χριστὸς, id est, Tu es ille Christus,& tu es ille filius dei.Quin etiam participio ζῶντος, articulus additus est apud Græcos,idq; non absre,quod subindicat Origenes,adducens illud, Viuo ego dicit dominus.Filius,non cuiuslibet dei,Nam erāt & gentibus sui dij,sed filius illius dei,qui solus habet immortalitatem , quiq; fons est, & parens omnis uitæ.Leuiculum est,quod paulo ante, *Articulus quid ualeat*

Dicit illis Iesus.) Iesus additum est,cum absit in Græcis atq; aureo codice.

Simon Bariona.) Mirū cur id uterq; interpres alia lingua maluerit q̄ Græce,aut Latine. Nam alibi uertit,ut apud Ioannē capite primo,Tu es Simon filius Ioannis,& rursus capite xxi.Simon Ioannis diligis me plus his? Nisi forte allusit ad mysterium reuelationis. Bar enim filiū sonat,& יוֹנָה columbam. Addito elemento יוֹחָנָן sonat Ioannē.Porrò Ioāna *Bariona quid.*

interpretãtur domini gratiã. Hieronymus putat deprauatum esse Bar Iohanna in Bariona.

Petrus Cephas

Quia tu es.) ὅτι, Quod nõ quia, id est, dico te esse Petrũ. Petrus aũt Græcis saxũ significat πέτρος. quemadmodũ & Cephas Syro sermone, ut testis est Hieronymus, nõ Hebraico, soliditatẽ sonat. Saxũ enim illũ appellat, quod solidus sit in confessione fidei, & nõ uulgariũ opinionũ leuitate huc & illuc uacillet: & super istam petrã, hoc est solidã istam fidei professionem extruã ecclesiam meã, in quo fundamento si constiterit, nec inferi quicq; aduersus illã poterũt, nedum homines. In eã sententiã Theophylactus & Chrysostomus, quẽ citat Catena aurea. Etiamsi diuus Augustinus in homilia huius loci, hæc uerba super hãc petrã, ipsi accõmodat Christo, nõ Petro: Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petrã quã confessus es, super hanc petrã quã cognouisti, dicens: Tu es Christus filius dei uiui, ædificabo ecclesiam meam, id est, Super meipsum filiũ dei uiui, ædificabo ecclesiam meã, Super me ædificabo te, non me super te. Nam uolentes homines ædificari super homines, dicebãt: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego uero Cephæ, ipe est Petrus. Et alij qui nolebãt ædificari super Petrũ, sed super petrã, Ego aũt sum Christi. Idẽ libro retractationũ priore, cap. 21. recenset utranq; sententiã, propensior tamẽ in hanc, ut Petrus profitẽs Christũ filiũ dei uiui typum gerat ecclesiæ, cui traditæ sint claues. Cæterũ lectori liberũ facit eligere, utram uoluerit. Proinde miror esse, qui locum hunc detorqueant ad Romanũ pontificẽ, in quẽ haud dubie cõpetunt in primis uelut in Christianæ fidei principem. At non in hunc unum, sed in omnes Christianos, quod elegãter indicat Origenes homilia prima, harũ quas habemus. Verum sunt, quibus nihil satis est, nisi quod sit immodicum. Ita quidam ad inuidiam usq; Franciscum prodigiosis efferunt laudibus, quem exprimere magis oportebat, quàm in immẽsum attollere. Nam deiparæ uirgini, & Christo fortasse nõ potest ascribi nimiũ. Quãq; hic quoq; optarim omnes tam ad imitandi studiũ inflãmatos, q; quosdam uidemus sedulos in exaggerandis laudibus. Diuus Cyprianus in epistola primi libri tertia, uidetur accipere super Petrũ esse fundatã ecclesiã, Petrus tamen, inquiẽs, super quem ab eodẽ dño fundata fuerat ecclesia. Nisi forte sic excusandus est Cyprianus, quod Petrum hic non pro homine illo sed pro typo accepit, quod propemodũ indicãt quæ sequuntur, Vnus pro omnibus loquens, & ecclesiæ uoce respondens, ait, Domine quò ibimus? Similiter excusari possunt loca in quibus S. Hieronymus in epistolis uidetur dicere, super Petrũ fundatam ecclesiam Christi. Itaq; Petrus saxeus solidam ecclesiæ fidem repræsentat. Cæterũ nostra interpretatio uerbis dũtaxat dissidet ab Augustiniana, quã ideo induximus, quod illius uidere tur coactior, ad quã tamen maluit deflectere, quàm in alterum incurrere scopulum, uidelicet ut in homine poneret ecclesiæ fundamentum.

Locus explicatus uarie.

Ecclesia non est fundata super Petrum.

Nõ præualebũt aduersus eam.) Notauit huius sermonis amphibologiã Origenes, quod pronomen eam, uel Petram referre potest, uel ecclesiam. Verum id ad sententiam perparui refert. Porrò inferi posuit, pro inferno. Quãquam ne id quidem satis Latinum. Græcis est, ᾅδης, id est, Tartari, siue Orci, Lactantius tamen in carmine sic usus est:

Inferus insatiabiliter caua guttura pandens. Item,

Erit ligatum & in cœlis.) Et coniunctio redundat, nec apud Græcos additur, nec in uetustis exemplaribus. Ad eundem modum,

Solutum in cœlis.) Pro solutum & in cœlis. Ac paulo post,

Mãdauit discipulis suis.) διεστείλατο, Quod uerbũ in psalmis uertit, distinxit. Rectius erat edixit. Nam hinc dictum uidetur, quod ædictũ ad omnes mitti solet. Ac rursum,

Quia ipse esset Iesus Christus.) ὅτι, uertendum erat, per quod. Et Iesus nõ additur, nec in Græcis exemplaribus, nec in emendatis nostratibus. Quanq; in Paulino scriptum erat Iesus Christus. In altero, quoniã ipse esset Christus Iesus. Origenes homilia in Matthæũ prima, frequenter adducit hunc locũ iuxta nostram sententiã. Videamus ergo, inquit, si iam opera apostolatus facientes eos uolebat etiam prædicare, quoniam ipse erat Christus. Et si uolebat, dignum est quærere quid est, quod nunc præcipit discipulis suis, ut nemini dicãt quoniã ipse est Christus. Item aliquanto post: Ideo & saluator mittens apostolos, uolebat ut nemini dicerent manifeste, quoniã ipse erat Christus. Ad eundem modũ semel atq; iterum repetit in sequentibus, distinguens tempus, quo satis erat prædicare Iesum, & tempus quo prædicandus erat Christus. Et obstat sensui, si Iesum addas. Nihil enim magni erat esse Iesum, quod

Prædicare Iesum.

Prædicare Christum.

ſum,quod uocabulũ erat hominis, haud dubiũ quin id tẽporis ſexcentis cõmune. At Meſſiam eſſe, magnũ erat. Alioqui perinde fuerit,ac ſi legas, ut nemini dicerent ſe eſſe Ieſum Chriſtũ. Etenim quo minus huc cõfugiamus, ut dicamus accipi poſſe, ne cui dicerent,quod Ieſus eſſet Chriſtus,obſtat primũ pronomen ipſe, deinde etiã ipſe ſermonis ordo. Neq; enim quiſq; ita loquitur, Nemo credit ,quod fuit Plato Chriſtianus. Sed nemo credit qd' Plato fuit Chriſtianus. Quanq; hoc ſanè mollius eſt aliquanto ,q; quod hoc loco legimus. Neſcio an hic Ieſus non pro uocabulo hominis proprio,ſed pro ſeruatore ſit poſitum,ut intelligamus illum uetuiſſe,ne ſe dicerent eſſe ſeruatorẽ Meſſiã. Neq; enim ,opinor,Ieſus ſiue Ioſuah ſimpliciter ſeruatorem ſonat Hebræis,ſed à ſalute denominatum eſt. Ac mox,

Quia oportet ire.) ὅτι Quod oporteret ſe abire ,aut Quod ſibi eſſet abeundum.

A ſenioribus.) πρεσβυτέρων. Haud ſcio an rectius fuerit Græcam uocem relinquere,A preſbyteris , quemadmodum ante fecit. Quandoquidem hic honoris uocabulum eſt potius quàm ætatis . Ac paulo inferius,

Et aſſumens eum .) καὶ προσλαβόμενος ,Et apprehenſum eum, nimirum ut ſolent familiarius aliquid dicturi.

Increpare eum.) Idem uerbum quod aliquoties uertit,cõminari,nimirum ἐπιτιμᾶν.

Abſit à te dñe.) Hieronymus annotauit ſignificantius eſſe quod legitur à Græcis, ἵλεώς σοι κύριε, id eſt,Propitius tibi dñe,ut ſubaudias, eſto aut ſis. Ad hunc modũ legiſſe Origenem homilia in Matthæũ prima,declarat interpres,& hunc ſecutus Chryſoſtomus,homilia quinquageſimaquinta,ac rurſus,octogeſimatertia. Nec diſſonat Theophylactus. Atq; ipſa uerbi omiſſio facit ad affectum Petri,uehementer quod dictum erat abominantis. Eſt autem ſermo abominantis,peculiaris Hebræis.Mihi magis uidetur ſubaudiendum,Sit tibi deus,quàm ſis:quanq; ita uiſum eſt Hieronymo . Auguſtinus in pſalmum triceſimum quartum,legit,Propitius tibi eſto,non fiet iſtud. Item ſermone de uerbis domini ex Matthæo xiij. Rurſus libro aduerſus Fauſtum xvi.capite decimoſeptimo.Ac mox, *Propitius tibi eſto.*

Vade retro ſatana .) ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, id eſt, Abito poſt tergum meum ſatana. שָׂטָן Hebræis ſonat aduerſarium . Vnde Petrum ſatanam uocat , non diabolum intelligens , ſed quod humano affectu aduerſaretur conſilio diuino.At totidem penè uerbis nũc repellit Petrum , quibus ante tentantem diabolum. Illud indicauit Origenes hoc loco dici Petro, Vade poſt me.Cæterum apud hunc ipſum Matthæum capite quarto,diabolo tantum dici ὕπαγε, id eſt, Abi: nec addi Poſt me , quod obedientiæ ſit ire poſt Chriſtum . Id autem in apoſtolos quadrat,non in diabolum, quemadmodum & illic admonuimus : licet hæc differentia,nec in Græcis codicibus,nec in noſtris ſatis cõſtanter obſeruatur, haud ſcio an incuria ſcriptorum. *Vade retro poſt me ſoli Petro dicitur* *Vade & uade poſt me.*

Scandalum es mihi.) Mirum q; hæc quoq; Græca uox placuerit Chriſtianis , quæ nobis obſtaculum,ſeu impedimentum ſonat,ut teſtatur & Hieronymus in dialogo aduerſus Pelagianos, σκῶλον & σκάνδαλον, à ruina dictum,quod occaſio ſit cadendi, ſi quid obſtet eunti, & σκάζω claudico,quod claudus inflectens ſe, uideatur tendere ad ruinam . Vertere poterat,Obſtaculo mihi es,etiam ſi Græce eſt μου.non μοι, id eſt , Meum , non mihi. *Scandalũ unde dictũ Græcis.*

Quam dabit homo commutationem?) τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ; Hic ἀντάλλαγμα uocat , id,quo dato redimitur aliquid,iuxta priſcorum cõmercia, quæ nõ moneta,quemadmodum hodie,ſed mutua rerum permutatione conſtabant.Eſt igitur ſenſus,omnium rerum iacturam eſſe faciendam citius quàm uitæ. Quæ ſi ſemel pereat , nihil eſt tam charum,cuius permutatione poſſis illam redimere,quicquid dederis.Proinde nos uertimus,Aut quid dabit homo,quo redimat animam ſuam? Sanè animã uitam appellat. Quemadmodum & Horatius,Animæq; magnæ prodigum Paulum:& in hunc certe ſenſum interpretatur Origenes . Sumitur enim ſimilitudo à uita corporis quæ cuiq; chariſſima eſt,ad uitam animi,quam oportet eſſe multo chariorem.

De hic ſtantibus.)Nonnulli Græci codices habebant, τῶν ὧδε ἑστώτων, id eſt, Sunt quidã inter hos qui hic ſunt, ſtantes,ſiue ſunt aliquot præſentium ſtantes. Vt articulus τῶν refera tur ad aduerbiũ ὧδε, quemadmodum dicimus, τοὺς νῦν, τοὺς πάλαι. Origenes homilia tertia,nonnihil philoſophatur de ſtantibus,quaſi non omnes ſteterint,ſed ij duntaxat,qui affixi eſſent Chriſto,quaſiq; non omnes eſſent uiſuri regnum dei. *De hic ſtantibus.*

Ex

EX CAPITE DECIMOSEPTIMO.

Dissonantia in numero.



T post dies sex.) De numero dierum consentit Marcus cum Matthæo, cum Lucas tradat octo fermè dies interceſſiſſe, id ita explicat Chryſoſtomus, ut dicat Matthæum ac Marcum eos tantum dies ſupputaſſe, qui mediĳ interceſſerant inter ſermonẽ habitũ, & montem aditũ: Lucã uero duos etiã extremos imputaſſe, nẽpe eũ quo prior habitus eſt ſermo, & eũ quo montẽ cõſcenderũt.

Aſſumpſit Ieſus.) προσλαμβάνει, id eſt, aſſumit, præſentis temporis. Item paulo poſt.

Duxit illos.) ἀναφέρει αὐτοὺς. i. Subducit illos, ſiue abducit eos. Nec eſt, Reſplenduit ſed ἔλαμψεν. i. Fulſit ſiue ſplenduit, nõ ἀπέλαμψεν. Ad hæc in omnibus quæ quidẽ ego uiderim Græcis exẽplaribus ſcriptũ erat, nõ, Sicut nix, ſed ὡς τὸ φῶς. i. Sicut lux, cõſentiẽte etiã ædition

Sicut nix & ſicut lumen

ne Hiſpaniẽſi. Vñ uideri poterat errore ſcribæ, lux mutatũ in nix, niſi tãtus eſſet Latinorũ codicũ cõſenſus: præſertim cũ alius Euãgeliſta meminerit fullonis, cuius ars eſt cãdidare ueſtes. Apud Theophylactũ contextus habet, ſicut lux, ex cõmentarĳs nõ liquet quid legerit, ne ex Chryſoſtomi quidẽ aut Hieronymi. Inter colores plurimũ lucis habet albus, & quæ lucẽt cãdida dicunt, ueluti luna. Facie dñi cõparauit ſoli, qui ſolus aureus eſt, ueſtimẽta lumini reliquo, quod candorẽ habet, quãq; obſcurat à ſole. Quanq; Valla de his uerboſius argutat: quæ ſi quis cupiat cognoſcere, & ſi quid uidebunt ad Euãgelĳ ſenſum facere, ſunt in prõptu. Dubiũ nõ eſt quin Origẽ. legerit, Sicut lumẽ, homilia tertia, nõ diſſimulãs interim apud Marcum nõ luminis, ſed niuis fieri cõparationem. Itidem citat homilia xxx. Et

Cũ eo loquẽtes.) συλλαλοῦντες, magis ſonat cõfabulantes, ut familiare colloquiũ intelligamus. Et hoc loco rabula qſpiã publicitus apud populũ detulit Eraſmi nomẽ, qui ſcripſiſſet, Euãgelia nihil aliud eſſe quã fabulas aniles, cũ ego nihil aliud annotaſſem q̃ Græcæ uocis ꝓprietatẽ, neq; mutarim in uertẽdo uerbũ colloquẽdi. Et hic tamẽ erat inſignis cultu dominicali, Baccalaureus ſacroſanctæ theologiæ, doctrinæ Euãgelicæ præco. Nõ miror inter tot huius ordinis milia, exiſtere talia portenta: illud miror, non cõpeſci à cæteris huiuſmodi labes ac dedecora, non ſolum ordinis ſui, uerum etiam totius populi Chriſtiani. Paulo q̃ poſt,

Reſpondens autem Petrus.) ἀποκριθείς. Abutitur & aliãs hoc uerbo, cum nihil præceſſerit, ad quod reſpondeat.

In quo mihi complacui.) ᾧ εὐδόκησα. Quod Cyprianus ita reddit, in quo bene ſenſi Itidem Irenæus.

Ipſum audite.) Iã iterũ ea uox audita ſummã autoritatẽ arrogat Chriſto, unũ hũc docto

Autoritas Chriſti ſumma. Ipſum audite.

rẽ creauit ipſe deus pater. Hoc autoritatis nulli theologorũ, nulli epiſcoporũ, nulli põtificũ, aut principũ tributũ eſt. Nõ quod his non ſit parẽdũ, ſed qđ Chriſto præcipue, & ob Chriſtũ illis, ſi modo Chriſto digna præcipient, & ſi ſequent eorũ ueſtigia, de quibus dictũ eſt, Qui uos ſpernit, me ſpnit, & qui uos audit, me audit. At nũc uidemus dormitari paſſim ad Chri doctrinã, ceu craſſam ac rudẽ, & cõcionis auribus inculcari quid dixerit Scotus, quid Thomas, quid Durãdus, & pluris fieri inter monachos, quid ſtatuerit Bñdictus, aut Bernardus, aut Frãciſcus, q̃ quid is docuerit, de quo uno uox patris audita eſt, Ipm audite. Illi ferre nõ poſſunt, ſi quis uerbulo eleuet Dñici aut Frãciſci autoritatẽ, & nos feremus æquo animo ſeruulos anteponi dño? Cæterũ quod aiunt ſeſe ex phariſæis audiſſe, id legitur in calce Malachiæ: Ecce mittã uobis Heliã prophetã, anteq; ueniet dies dñi magnus & horribilis, &

Scribæ qui Iudæis.

cõuertet cor patrũ ad filios, & cor filiorũ ad patres eorũ, ne forte ueniã & percutiã terrã Anathemate. Porrò quod hic ſcribarũ fit mentio, non ſic eſt accipiendum, quaſi quorumlibet ſcribarum partes fuerint, ex prophetarum oraculis reſpondere, ſed erat hominum genus, quos Hebræi ſuo quodam nomine uocant, quorum hæc erat profeſſio, ut quemadmodũ olim apud Rhomanos in rebus dubĳs ex Sibyllæ libris per aruſpices reſpõſa petebant, ita iſti conſulti ex prophetarum libris reſponderẽt, quos & Herodes conſuluiſſe narratur.

Heliã oportet primũ uenire.) ἐλθεῖν πρῶτον. i. Venire prius. Hic certe faciendũ erat, qđ ali

Primum pro prius.

às facit, ut ſuplatiuũ uerteret per cõparatiuũ. Sentiũt em Heliã uẽturũ anteq; ueniret Chrs.

Genibus prouolutus.) γονυπετῶν. Græcis unica dictio eſt, perinde ſonans, quaſi dicas, accidens ad genua. Et aliquanto poſt,

Incredula & peruerſa.) διεστραμμένη, id eſt, Diſtorta: ac recte ſanè uertit, modo recte intelligatur. Peruerſum enim proprie dicitur, quod à rectitudine deflexum eſt.

Quouſq;

Quousq; ero.) ἕως ποτὲ ἔσομαι, id est, Quousq; tandem. Nec enim ociosa est expletiua coniunctio, sed impatientiam quandam tædij indicat. Rursus aliquanto post,

Et increpauit eū.) Ambigit & Hieronymus utrò referēdū sit eū, ad hoiem an ad dæmoniū. Mihi magis uidet ad dæmoniū ptinere. Vñ uertendū erat illud, nō illū. Nā in eo qđ sequit, Quare nos non potuimus eijcere illum?) Apparet librariorum errore factum, ut illū scriptum sit pro illud. Est enim Græce αὐτὸ, & dæmonium præcessit.

Trāsi hinc.) Omissa est apud nos una uox, μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ, id est, Transi hinc illuc. licet alterum aduerbium non reperiam apud Chrysostomum. Omissum arbitror ab interprete, Certe apud Theophylactum est. Nec est.

Non ejicitur.) Sed οὐκ ἐκπορεύεται, id est, Non egreditur. Interpres legisse uidet, ἐκβάλλεται. & ad sensum haud magni refert. Porrò quod ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ, id est, In oratione & ieiunio transtulit per orationē & ieiuniū, bene mutauit Hebraicam figurā. Nam Hebræi בְּ, id est, in, ut בְּיַד חֲזָקָה in manu forti, בִּיהוָה in domino, utuntur pro per, ut iam admonui. *In, pro per apud Hebræos*

Qui didragmā accipiūt.) Bis in unica dictiōe peccamus: & quod p g scribimus, cū sit per ch scribēda: & qđ singulari numero, ac genere fœminino, pferimus, quæ est, neutri & pluralis, quæ uox emendate legit in aureo codice, atq; etiā in Donatiani uolumibus, atq; etiā Constantiensi. Siquidē est Græcis τὰ δίδραχμα. Ait enim, Accipiūt: ut intelligas eos solitos à singulis accipere, &, idcirco absolute dixit multitudinis numero. Est em Græcis δραχμὴ .i. Drachma, nomismatis genus, nēpe sex cōtinens obolos, minæ atticæ cēteſima pars. Inde di drachmum nomismatis uocabulū duplū drachmæ, & tridrachmū & tetradrachmū. Quorū omniū meminit Iulius Pollux libro de rerū uocabulis nono. Et quod continenter sequit. *Drachma. Didrachmum quid?*

Non soluit didrachma.) Soluit præsentis est temporis, πλσ. ut intelligamus exactorē illū, non hoc percontari, num Iesus iam soluisset uectigal, sed deberet ne soluere, & an illius esset soluere. Alioqui mentitus erat Petrus, qui responderit ναί, id est, etiam. Cæterū quæ Lyranus nugatur hoc loco, de didrachma ex Isidoro & Papia, quis posset absq; risu legere?

Præuenit illū Iesus.) προέφθασεν. i. Occupauit siue anteuertit. Indicat em Petrū ea de re Iesu locuturū fuisse, sed ille nō expectata oratiōe Petri anteuertit. Nec est tributum, sed tributa, τέλη. Nā quod addit κῆνσον, Latinā uocē Matthæus aut huius interpres usurpauit, nimirū quod res esset Latinorū, & solēt plerūq; res peregrinæ & aliūde inuectæ, suæ gētis uocabula secū adducere. Porrò στατῆρα, tametsi ponderis quoq; modus est, quē Hebræi שֶׁקֶל uocāt, hoc sanè loco nummū significat, qui quatuor cōtinebat drachmas. Nā cū didrachmū exigeret à singulis, Iesus staterē reddi iussit, duorū noie suo ac Petri. Qua quidem ex re mox nata est inter discipulos disceptatio, quis primas teneret in regno cœlorū, qđ Petrus æquatus Christo, cæteris antepositus uideret. Illud obiter annotare uisum est, etiāsi ad hoc institutū, ppriē nō pertinet, nō satis intelligi mihi, quid sibi uelit, quod in hūc locū scribit Hieronymus, Dñs noster, & secundū carnē, & secundū spiritū, filius regis erat, uel ex Dauid stirpe generatus, uel omnipotentis uerbū patris. Ergo tributa quasi regū filius nō debebat, sed qui humilitatē carnis assumpserat, debuit adimplere omnē iustitiā, nos infelices, qui Christi cēsemur noie, & nihil dignū tāta facimus maiestate. Ille, ppter eximiā charitatē pro nobis & crucē sustinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa nō reddimus, & quasi filij regis, à uectigalibus imunes sumus. Siquidē uidet Hieronymus hoc arrogātiæ tribuere, quod ecclesiastici grauent tributū pendere principibus, cū hodie summa pietas habeat, ppter imunitate clericorū modis omnibus digladiari. Christus testatus se nō debere, soluit tn, at nō pro suis oīnibus, sed pro se dūtaxat ac Petro, simul & detrectans solutionē, & obsequēs illorū rapacitati. Fortassis illud docēs, nō dandū quod nō debet, & tn ubi res poscit, aliqua pecuniæ iactura redimēdā magnatū offensam, Possunt & sic accipi Hieronymi dicta, Chrs tātus pro nobis se submisit, & nos qui Christi noie gloriamur & fruimur immunes à uectigalibus non respondemus illius erga nos charitati. Augustinus quæstione in Matthæū uicesimatertia, ex hoc loco colligit immunitatē Christianorū. Quod dixit, inquiēs, ergo liberi sunt filij, in oīi regno intelligēdū est, liberos esse filios, id est, nō esse uectigales, multo ergo magis liberi esse debēt in quolibet regno terreno filij regni illius, sub quo sunt oīa regna terræ. Hactenus Augustinus. Qđ si recipimus, nulli Chriani debēt uectigal suis principibus, cū omnes sint illius regni filij. Atq; haud scio, an mutato regno, uectigalis quoq; genus fue-

Stater quid.

Excussa Hieronymi opinio de uectigali ecclesiastico rum.

Excussa Augustini sententia.

rit

rit mutãdũ,& num Augustinus de hoc agat tributo,quod nos principi Christo debemus.

EX CAPITE DECIMOOCTAVO.



Vísputas.) τίς ἄρα μείζων. Putas interpres posuit loco cõiunctionis expletiuæ. Et μείζων cõparatiuum superlatiui uice positũ apparet,cũ de pluribus fiat sermo. Certe sic legit Augustinus in homilijs,quas ædidit in Matthæũ. Ac mox,

Paruulus pro puero.

Aduocans paruulũ.) προσκαλεσάμενος. Quod toties iã uertit cõuocans, ut ne quid interim causer de mutato participij tẽpore. Nec est Paruulũ, sed παιδίον, id est, Puellũ diminutiuũ à puero. Etsi nõ sim nescius alicubi diminutiuũ hoc usurpari pro grandi puero,tamen hoc sanè loco non fuerat ociosa diminutio. Facit enim ad Emphasim,dum nõ solũ inuitat illos ad imitationẽ cuiuscũq; pueri, sed pueri admodũ pusilli. Nec uideo,cur nonnullis puelli uocabulum mollius uideatur,cum Prudẽtius non ueritus sit Christum appellare pusionem, Nec Hieronymus abhorruerit à uocabulo puelli. Cur autem obscœnius sit puellus,quàm puella? Ac rursum,

Sicut paruuli.) ὡς παιδία. i. Sicut puelli. Atq; ita citat diuus Hiero. enarrãs Esaiã: Et iterũ,

Sicut paruulus iste.) ὡς τὸ παιδίον, id est, Vt puellus,siue puerulus,nam & hoc est apud probatos autores. Illud mirũ,interpretẽ qui soleat copiã affectare,hoc loco non mutasse paruulũ. Præsertim cũ paruuli uocabulũ non admodũ faciat ad sensum Christi. Siquidẽ paruulus esse potest,& qui natu sit grãdis,cuiusmodi sunt Pumiliones, & Pygmæi poëticus populus. At hic innocẽtiã ac simplicitatẽ intelligi uoluit,qua prima puericiæ ætas prædita est. Sed huiusmodi quædã uoces illa tẽpestate fuerãt receptæ. Nec addit Iste in plerisq; Græcorũ exẽplaribus,nisi quod articulus, ὁ, fermè tantundẽ efficit. Dilucidius aũt uertisset in hũc modũ: Nisi quis se reddiderit humilẽ,ut est puellus hic,hoc est tantulum,quãtulus hic puer est,& dejiciat semetipsum ad huius modulũ. Cæterũ Iesus per humilitatẽ corporis innuit τὸ πανοφρόσωπον, hoc est animi modestiã,& per corporis proceritatẽ significat animũ elatum.

Hic maior est in regno.) μείζων, id est, Maximus, ut paulo superius indicauimus. Nam

Maior pro maximus

sunt,quorum est Origenes,qui hæc ad ipsum Christum pertinere putant, quo ut nihil humilius fuit,ita nihil maius. Nec ioiose uidetur additus articulus ὁ μείζων, quasi dicas ille maximus: ad quem quo quisq; propius accesserit, hoc maior erit in regno cœlorum. Quanq; & alioqui articulus reddit maximum illum de quo disputabant apostoli.

De pusillis istis.) τῶν μικρῶν. Non est eadem uox Græcis, quæ modo fuit paruulorum, παιδίων. Atq; hoc dũtaxat loco Origenes,uel huius potius interpres legit Pusillis,siue paruulis,cum in superioribus legat puerum. Ac paulo post,

Mola asinaria.) μύλος ὀνικός. Significat ingẽs saxũ. Siquidẽ in molis saxũ qd' substernit, ut alterũ quod circũagit sustineat,Græcis ὄνος. i. Asinus dicit,unde & ,puerbiũ, ἀνεψιὸς ὄνου, sicut in Chiliadibus annotauimus. Nec absurdũ est tamẽ,quod secutus est Hilarius,ut molã asinariã accipiamus quã asellus circũagat. Siquidẽ molæ leuiores,quas trusatiles uocãt,hominis manu circũferunt. Cæterũ grauiores à iumẽtis,qbus occludunt oculi,agunt in gyrũ. Expressit aũt supplicij gen? peculiare Palæstinis,ut indicat Hieronym?,qd' ob enormia crimia solet exigi. Igit ex atrocitate pœnæ crasso pp'o demõstrat culpæ magnitudiem. Cæterũ,

Lapis molaris

In ,pfundũ maris.) Græce est, ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης, id est,In Pelago maris,p eo quod est in medio mari. Nã longius à litore solet esse profundius. Quandoquidẽ qui Græcas tradũt etymologias,pelagus dictũ putãt,quod sit τηλοῦ τῆς γῆς, id est,Procul à terra, quasi telagus. Certũ igitur exitiũ duabus rebus significat,magnitudine saxi,& profunditate maris.

Væ homini per quem.) Pleriq; Græcorum codices addunt ἐκείνῳ, id est,Illi. Et,

Abcide eũ.) Nonnulli codices habebãt αὐτὰ, id est,Ea,ut ad utrũq; qd' pcessit referat. Et,

Debilem.) Est, κυλλὸν, de quo iam dictum est. Significat enim non quouis modo debilem sed cui altera manus sit detruncata,aut alioqui manca. Et rursus,

Cum uno oculo.) Græcis uox est composita, μονόφθαλμον, quod unoculum dicere poterat, siue luscum,quemadmodum uertit alibi.

Venit enim filius hominis seruare quod perierat.) In nõnullis Græcis exemplaribus hæc uerba nõ asscribunt,nec apud Hieronymũ in cõmentarijs horũ ulla est mentio. In nõnullis cõtra reperiuntur,uelut apud Chrysostomum ac Theophylactum. Et,

Quæ errauit.) Græcis est, τὸ πλανώμενον, id est, Errantem. Nec est,

Quia

Quia gaudebit.) sed ὅτι χαίρῃ, id est, Quod gaudet, siue gaudeat. Ac paulo post,

Vt pereat unus de pusillis istis.) ἓν neutro genere, ut referat, παιδίον. Vnde recte uertisset, Vnus puellus. Nec est, Lucratus eris.) Sed ἐκέρδησας, id est, Lucrifeciſti, aut Lucratus fueris. Quandoquidem peculiaris est huius temporis usus.

Quod si non audierit.) ἐὰν δὲ παρακόσῃ, id est, Quod si auditū neglexerit, atq; idē uerbū mox repetitur. Quāq; in nōnullis priore loco erat, μὴ ἀκόσῃ, posteriori παρακόσῃ. Ac mox, παρακόσαι. ut προσέλαι.

Erunt soluta & in cœlo.) Coniunctionē addidit de suo, ut superius indicatū est. In hoc aūt mire philosophat Origenes, qđ hic dictū sit In cœlo, cū Petro tradāt claues regni cœlorū, ut quod ille soluerit, aut alligauerit in terris, id solutū aut alligatū dicatur in cœlis, nō in cœlo. Et iterum dico uobis.) πάλιν, ἀμὴν, id est, Rursus amen dico. Neq; enim bis dixit idem, sed est initium alterius parabolæ. Rursus autem apud Latinos anceps est ut apud Græcos πάλιν. At iterum apud nos non item.

Vsq; septuagies septies.) ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά, id est, Vsq; septuagies septem, sic em̄ Græca ad uerbum reddi possunt, ut subaudias peccata aut uitia, aut simile quippiā. Nec accipiendus est numerus septuaginta septem duntaxat, sed quadringentorū nonaginta: quandoquidem hanc summam efficiunt septuagies septem, interprete Theophylacto, & item Hieronymo. Nam ingentem numerū posuit pro infinito, quem tropum euidenter indicauit Chrysostomus, quod probabile nō sit quenq; toties offensam repetiturū. Ita lo qmur trecentos insere, pro innumeris, & milies audiui. Licet Origenes, aut certe huius interpres in calce homiliæ sextæ, uideatur accipere simpliciter, errata septuaginta septē. Septuagies septies, quō accipiendum.

Ponere rationē.) σωλόγαι, id est, Cōferre, ac simul subducere, aut suscipe cōputū. Nā id hoc loco significat ratio. Ea tollendis calculis conficiebatur, aut certe explicādis aut complicandis digitis. Vnde & Terentius subducta ratione dixit. Nam quod decem milia talenta dixit, pro talentorū, Latinitatis dūtaxat iniuria factum est, sensu incolumi. Et mox: Rationē ponere qđ

Non haberet unde redderet.) μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀπόδοῦναι, id est, Cum non posset autē soluere. Siquidem ἔχω additum uerbis infinitis plerūq; significat possum. Latinissime dixisset, cum non esset soluendo. Paulo q; post: ἔχω possum

Rogabat eū dicēs.) Vetustissimi codices Latini scriptū habebāt, orabat. Plericq; Græci προσεκύνει, adorabat, pro eo quod est supplicabat: quod supplices contacta gena & genu uelut adorabāt, obtestātes p numē, cui supplices curæ sunt: nōnulli παρεκάλει. i. obsecrabat. Varia lectio.

Et patientiam habe.) Græce est, μακροθύμησον, id est, Longanimis esto, siue Leni animo pro quo multi legunt magnanimū, & pro μακροθυμία, magnanimitas. Nam inter se natura cohærēt, magno esse animo & leni, quod uindictæ cupiditas arguat pusillū animum.

Et debitū dimisit.) τὸ δάνειον ἀφῆκεν, id est mutuū remisit, siue æs alienū remisit. Ac paulo post: Et suffocabat eum.) Et dilucidius & fidelius erat, κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγεν, id est, Iniecta illi manu, obtorto collo trahebat. Id enim est κρατεῖν & πνίγειν hoc loco. Nam κρατεῖν pro iniicere manum & aliās utuntur Euangelistæ. Porrò quod addit πνίγειν pertinet ad ui trahentem, uel in carcerem, uel ad iudicem. Item Narrarunt διεσάφησαν, id est, Indicarunt, siue aperuerunt, aut prodiderunt. Rursus: Suffocabat. i. trahebat.

Serue nequam.) πονηρὲ, id est, Male, siue sceleste. Verum huiusmodi permulta præterreo sciens, ne morosiore diligentia molestus sim lectori. Ac mox:

Om̄e debitū remisi tibi.) πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν ἐκείνην ἀφῆκα. i. Totū illud debitū remisi. Ac subinde. De cordibus uestris.) Hic addunt Græci τὰ παραπτώματα αὐτῶν, id est, Errata ipsorum, quod haud scio an explicandi causa sit additum, quandoquidem apud Hieronymum nō additur. Etiamsi additur apud Chrysostomum, ac Theophylactū.

EX CAPITE DECIMONONO.

Si licet.) Pro licēt ne, Græce dixit, magis q; Latine, Et ἀπολύσαι repudiare, siue abiicere. Quacūq; ex causa.) κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, id est, Ex quauis causa. Nimirū illud sentientes, esse causas aliquas iustas diuortij, quēadmodū indicat Origenes. Siquidē Moses tantū iuris permisit maritis, ut iniqua uideatur lex aduersus uxores, quibus nulla de causa licebat à marito diuertere, cū his esset potestas ob quālibet leuem fœditatē abiicere uxores, tantū scripto libello repudij. Sic em̄ legimus Deutero. cap. xxiij. Si acceperit homo uxorē, & habuerit eā, & illa nō inuenerit gratiam ius repudiādi imodicū apud Hebræos.

ante oculos eius propter aliquã fœditatẽ,ſcribet libellũ repudij,& dabit in manu illius,& dimittet eã de domo ſua. Cũq; egreſſa alterũ maritũ duxerit,& ille quoq; oderit eam,& deriterq; ei libellũ repudij,& dimiſerit de domo ſua,uel certe mortuus fuerit,nõ poterit prior maritus recipe eã in uxorẽ. Proinde Chriſtũ tentãt phariſæi,ut ſi probaſſet Iudæorũ repudia tã licẽtioſa,uideret aduerſus naturalẽ æquitatẽ,pnũciare,quæ ethnicis quoq; fauorabilis eſt,apud quos ius erat mutui diuortij,neq; quauis tñ ex cauſa:ſin ſecus,uideret in Moſaicã legẽ cõtumelioſus. Illi putabãt ſibi licere quauis de cauſa quoties libuiſſet uxorẽ abijcere. Id Chriſtus aſtringit,unicã dũtaxat cauſam excipiens,nempe ſtupri. Annotauit huius dictiõis ἔμφασιν, is quiſquis fuit,cuius extat homilia xxxvij. inter mixtas Chryſoſtomi titulo. Origenes hũc ediſſerens locũ,putat & alia crimina uel paria adulterio,uel etiã grauiora,ueluti ueneficiũ,parricidiũ,dirimere matrimoniũ. Auguſtinus in cauſa diuortij,idololatriã æquat adulterio:quod cultus idolorũ,ſit adulterio miſceri cũ immũdis ſpiritibus. Sed ad hãc rationẽ oẽ peccatũ,quod nos alienat à deo,dirimet matrimoniũ. Ego puto ob id exceptũ adulteriũ,quod hoc ex diametro pugnet cũ natura matrimonij. Neq; protinus tollitur matrimonij ſacramentũ,ſi in paucis coniugiũ male initũ bene dirimatur:nõ,pfecto magis q̃ adulterijs quæ nũc paſſim crebra ſunt,aut diuortio quod nos indulſimus male cohærẽtibus. Quãq; hãc rationem de ſacramẽto,nullus ueterũ,qd̃ ſciã adduxit,cũ tamẽ ſup his crebra,plixaq; ſit diſputatio,præſertim Auguſtino,ac Hieronymo. Neq; ſtatim homo diſiungit,quod deus cõiunxit,imò quod p lenas,ac lenones,p uinolentiã,per ſtulticiã & incogitantiã male cõiungit diabolus,id p autores ac miniſtros ecclefiæ ſuæ bñ diſiungit deus. Atq; utinã ſic coirẽt inter Chriſtianos oĩa matrimonia,ut autore deo iure dici debeãt inita, aut tales eſſemus oẽs,ut nõ opus foret aliquo diuortio. Nec eſſet in nobis ea σκληροκαρδία,ob quã olim Iudæis pmiſſum eſt uxorem abijcere. Auguſtinus ad Pollentiũ exceptionẽ torquet ad partẽ dũtaxat priorẽ, Facit eã mœchari:ut ad hoc tantũ ualeat exceptio,nõ quo liber ſit à matrimonio qui repudiat uxorẽ,ſed ne uideatur illã facere mœchã cũ mœcham repudiet. Cæterũ quicũq; eam duxerit, ſiue cauſa adulterij repudiatam,ſiue alia quauis de cauſa,cõmittit adulteriũ. Quod an perinde cum ipſa ueritate,naturaq; cõſentiat,ut eſt argutũ,eruditis expendendũ relinquo. Certe locus hic difficultatũ plenus eſt,ut de quo nõ eadẽ ſenſerint eccleſiaſtici doctores: Cũ Ambroſius exponens epiſtolã ad Corinthios priorẽ tribuat marito ius repudiãdi,neq; ſecus ſentiat Origenes. Vnde coacti ſumus aliud quoddã diuortij genus inducere, qd̃ ita dirimat conſuetudinẽ domeſticã,ut nihilo ſecius maneat cõiugij uinculũ. Quod quidem diuortij genus,imò nomẽ dũtaxat diuortij cũ à nobis ſit repertũ,de hoc nõ percontatos fuiſſe Iudæos p ſe liquet,quibus hoc prorſus erat incognitũ. Porrò quod hodie paſſim in ſcholis dictitant,ſolo cõſenſu cõtrahi matrimoniũ,utinã tam probatũ eſſet,q̃ receptũ eſt. Neq; poſtulo,ut hic qcq̃ de priſtina patrũ cõſtitutione demutet eccleſia,ſi id antehac nũq̃ eſt factum. Quod ſi factum eſt aliis aliquot in rebus, optarim & hic fieri,ſi id ptineat ad ſalutẽ hominũ. Si fieri nõ poteſt,certe uotũ à pietate,pficiſcitur:& optat ſæpenumero charitas,non quod fieri poſſit,ſed quod fieri uelit. Sed hiſce de rebus,ut ante hac attigimus nõ nihil,ita copioſius dicetur in Paulinis epiſtolis. Quanq̃ hæc ipſa ſic dicta uelim accipi,nõ quaſi aſſeram,ſed qui proponam eruditis excutienda. Ac mox:

Quacunq; de cauſa,id ẽ quã libet leui.

Cur fornicatio potiſſimũ excepta.

Exceptionem argute torquet Auguſt.

Diuortiũ nomine tãtum à nobis repertũ.

Maſculum & fœminã.) ἄῤῥεν & θῆλυ, neutri generis apud Græcos.

Et dixit propter hoc relinquet homo.) Incertũ erat an deus ille creator olim hoc dixerit,an Chriſtus hæc locutus,illud adiecerit. Propter hoc relinquet homo patrem & matrẽ. Auguſtinus libro de nuptijs,& cõcupiſcentijs ſecundo,capite quarto,ſic accipit,quaſi dixerit deus:Quod tamen,inquiens,dñs Ieſus in Euangelio deum dixiſſe cõmemorat, quia deus utiq; per hominem dixit,quod homo prophetando prædixit. Quanq̃ & Geneſis capite ſecundo,unde hæc deſumpta ſunt,ita referuntur hæc uerba,ut uel ab Adam dicta uideri poſſint,uel ab eo qui texuit orbis conditi hiſtoriam,uel ab ipſo deo.

Dimittet patrem & matrem.) καταλείψει. Relinquet ſeu deſeret potius q̃ dimittet, dimittimus diſcentem,deſerimus cui periclitanti deſumus.

Et adhærebit uxori ſuæ.) προσκολληθήσεται, id eſt,Adglutinabitur. Metaphora ſumpta ab his,quæ glutino ſic cõmittunt,ut putes unũ eſſe. Annotauit emphaſin uerbi Chryſoſtomus

ſtomus homília ſexageſimatertia. Ac mox:

Duo in carne una.) δύο εἰς σάρκα μίαν, id eſt,In carnem unã,hoc eſt,è duobus fiet unus, ſiue unum:quandoquidem maſculus & fœmina Græcis neutri generis ſunt. Annotauit hanc ſermonis Hebraici formam Auguſtinus, líbro huius argumenti ſeptimo. Quod genus ſunt & illa líbro Iudícum. Et eris nobis in caput omnibus habitantíbus Galaad. Item in pſalmis,Eſto mihi in deum protectorem. Ne articulus quidem uidetur ocioſus κολλῆσονται οἱ δύο, hoc eſt,Erunt qui duo fuerant,in carnem unam.Nam totum hominem carnẽ uocat,ut & aliàs ſcriptura diuina totum hominẽ animam appellat.Aſtipulãte nobis & diuo Auguſtino líbro de ciuitate dei decimoquarto.Quod genus & illud eſt Pauli ad Romanos:Ex operíbus legis non iuſtificabitur omnis caro.Quid enim eſt omnis caro,niſi omnes homines:Et uerbũ caro factum eſt,id eſt,Sermo diuinus homo factus eſt. Porrò in carnem legendum eſſe,non in carne,demõſtrauimus ex Hieronymo in ſcholijs noſtris,quibus illum illuſtrauimus,ubi ſic explicat Matthæi uerba,In unam dixit,non in duas.Et Cyprianus epiſtola líbri ſecũdi octaua,Erunt,inquit,duo in unam carnẽ.Et Tertullianus líbro aduerſus Marcionem tertio,Et ſuggerens Epheſijs quod in primordio de homine prædicatũ eſt,relicturo patrem & matrem,& futuris duobus in unã carnẽ,id eſt, in Chriſtum & eccleſiam.Rurſum líbro de monogamia,& erũt duo in unã carnem non tres neq; plures.Hæc admonere uiſum eſt,ne quis hic fruſtra obſcœni quippiam imagínetur,aut illud ſomniet,quod eſt in tabulis Græcorum, ἄρδρα ἐν ἄρδροις ἔχω μ. Tametſi in Geneſi unde locus hic ſumptus eſt,non eſt,Erũt duo:ſed tantũ erunt וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד Duo addidit euangeliſta explicandi gratia.Ac mox,

Caro p homĩe.

In carnẽ unã apd Hebræos

Itaq; iam non ſunt duo.) οὐκ ἔτι, id eſt,Poſt hac non ſunt duo:nempe poſt ínitum conIugium.Creati fuerant duo, non unus,nimirũ maſculus ac fœmina.Rurſus copula matrimonij è duobus reddidit unum.Non abludit prorſus ab hac ſententia fabula Ariſtophanis,quam apud Platonem adducit in conuiuio.Quanquam obſcœnior eſt.

Quod deus coniunxit.) συνέζευξεμ, id eſt,Coniugauit,& eodem iunxit iugo. Translatum à bubus ſimul ducentíbus idem iugum.Nos uertimus Copulauit.Et,

Coniunxit. συνέζευξεμ.

Ad duríciem cordis.) Græcis unica dictio eſt, σκληροκαρδίαμ.

Non expedit nubere.) γαμῆσαι, id eſt,Ducere uxorem,aut certe contrahere matrimonium,ſiue contraxiſſe.Nam apud Latinos,uir nõ ducitur nubere,niſi qui ſeruit uxori, ue lut illa potius uir ſit quàm ille.Etiamſi Feſtus Pompeius indicat olim nubere Latinis etiã uiris cõmune fuiſſe uerbũ,quemadmodũ Græcis γαμεῖμ. At apud Hebræos,ut dictũ eſt, non erat mutuum repudiandi ius,quemadmodũ apud Rhomanos,ſed ſoli marito phas erat repudiare.Cuius etiã zelotypiæ mederi cogebatur uxor,fœdo horrẽdoq; exemplo.

γαμεῖμ Græcis acceptí.

Non omnes capiunt.) χωρῆσιμ. Hoc loco capiunt nõ pollet idem quod intelligunt ſiue apprehendũt,ut Lyra uidetur ſenſiſſe,qui cõmenti uice addidit: Quia altus eſt ſtatus,ad quem infirmi non poſſunt aſcendere, ſed capiunt, id eſt,capaces ſunt: quomodo locum capacem uocamus,qui tam eſt ſpacioſus,ut poſſit recipere quod infertur.Ita Paulus uult dilatari Corinthios,quo ſe capiant.Procliue eſt enim intelligere quod dictum eſt, uerũ id dictum,non deſcendit in animos omnium,quod ſint alijs affectibus occupati,ut illic non ſit locus diuino conſilio.Atq; idem uerbum legis in eo quod ſequitur:

Capere χωρεῖμ.

Qui poteſt capere capiat.) ὁ δυνάμενος χωρεῖμ χωρείτω.

Qui facti ſunt.) οἵτινες εὐνουχίσθησαμ, Qui caſtrati ſunt,ſiue Qui facti ſunt eunuchi. Nam eunuchi repetendum erat.Atq; idem uerbum mox ipſe uertit caſtrati ſunt. Porrò εὐνοῦχος Græce ſonat cubilis cuſtos,quod barbari huiuſmodi portentis ſuas uxores ſeruãdas cõmittere ſoleãt.Porrò ui execti Spadones dicũt.Petrus Comeſtor,eunuchos interpretat beneuincẽtes,ab eu,bene,& nuche,uictoria,qd ſit ſũma uictoria:q̃ſi non ſit durius uincere inanem gloriã,aut etiã pecuniæ ſtudiũ aut irã.Eunuchus aũt dicit ab εὐνη cubile, & ἔχω, ſicut δαιμονοῦχος & σκηπτοῦχος. Idẽ Spadones interpretat,à ſpata dictos:ad quã etymologiam,omẽs Germani,Spadones dici poſſint.Et hoc cõmẽtũ ſequit Hugo Cardinalis.Quũ tales ſcriptores olim ſint amplexi theologi,nũc quidã Eraſmũ ferre nõ poſſunt. Quin Hugoni caſtrati dicũt, q̃ſi caſti nati. Dñs tria eunuchorũ genera diſtinxerat, unũ eorũ qui natura nõ poſſunt aut nõ appetunt cõgredi cũ muliere. Alterũ eorũ qui ui exe-

Eunuchus unde dicitur.

cantur, Tertium qui uolentes ob regnum dei sese continẽt, In qua classe ponemus eorum genus, qui uel arte, uel metu detrudũtur in cœlibatum, ut scortari liceat, uxorẽ ducere nõ liceat, adeo ut si profiteantur concubinam, sint catholici sacerdotes, sin uxorem dici malint, conijciantur in ignem. Mea sententia clementius tractarent suos liberos parentes, si quos cœlibatui destinassent, pueros etiamnũ curarent execandos, ꝙ si integros nolentes aut inscios conijcerent in hoc incendium libidinis. Ac rursus,

Occurrunt nobis paruuli.) τὰ παιδία, id est, Puelli.

Quid me interrogas de bono.) Plericꝙ Græci codices habent τί με λέγεις ἀγαθόν, id est, Quare me uocas bonum, sed perperam, ni fallor, ex alio euangelio uerbis huc translatis. Quãquam ad eum modum legit Theophylactus & Hilarius. At secus Hieronymus, Origenes homilia viij. & Chrysostomus lxiiij. Apparet offensum lectorem parum attẽtum, quod non perinde uideretur quadrare Christi responsum. Solus deus bonus est. At qui belle quadrat. Non enim hic obiurgat eum, quod ipsum bonum diceret, quanquam bone apud Hilarium non additur, sed quod homo cũ esset, de bono percontaretur, cum in hominibus nihil sit boni. Porrò bonus est qui bene facit. Quod si nihil est uere boni in humanis factis, nec bonus dicetur quisquam. Quicquid enim in nobis boni est, diuini muneris est. Quod si maxime legamus, Quid me dicis bonum, nihil est necesse, ut hæreticorum interpretationẽ recipiamus, qui putant boni cognomẽ in unum patrẽ proprie competere. Imò Christus subindicat se esse deũ, & ob id iuxta quorũdã interpretationẽ obiurgat hominẽ, quod ei tribueret cognomen boni, quẽ nondum crederet deum, quod haud scio an quisquam apostolorũ adhuc perfecte crediderat. Hoc loco caute legendus est Origenes. Alioqui sermo illius resipit Arianũ quiddã, quasi ne filius quidẽ dicat proprie bonus, nec aliter filij bonitas differat ab hominũ bonitate, nisi qd filius in oĩbus bonis uicinior est patri, ꝙ cæteri filio. Quẽadmodũ aũt fatetur nullũ hominẽ proprie dici bonũ ad cõparationẽ diuinæ bonitatis, ita putat nullũ hominis opus dici bonũ, si ad diuinam iustitiam conferatur. Et perturbate uertit.

Bonus solus deus.

Locus noue expositus.

Vnus est bonus deus.) οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεός, id est, Nullus est bonus, nisi unus nempe deus, ut ὁ sit articulus explicantis.

Diliges proximum tuum sicut teipsum.) Origenes hunc enarrans locum homilia inter æditas octaua, testatur sibi uideri hæc uerba addita, nec esse scripta ab ipso Matthæo, idꝙ duobus colligit argumentis. Primum quod apud Marcum, & Lucam nihil addatur huiusmodi, cum res alioqui eadem referatur. Deinde, cum Paulus in epistola ad Romanos capite decimotertio testetur his uerbis: Diliges proximum tuum sicut teipsum, summã totius legis cõtineri: qui cõuenit, ut dicatur adhuc aliquid deesse, qui se prædicet hæc omnia præstitisse? Atꝙ illic deplorat librariorum incuria, & castigatorum uitio sic fuisse deprauata noui testamenti exemplaria, ut difficillimum sit restituere. Quanquàm ob cõtentiosos explicuit utcunꝙ nodum hunc, ex euangelio apocrypho, quod inscribitur Hebræorum. In quo de iuuene hæc res exponitur hunc ad modum. Dixit ad eum alter diuitum, Magister quid bonum faciẽs uiuam? Dixit ei, Homo leges & prophetas fac. Respõdit ad eũ, feci. Dixit ei: Vade uende omnia quæ possides, & diuide pauperibus, & ueni sequere me. Cœpit aũt diues scalpere caput suũ, & nõ placuit ei. Et dixit ad eum dominus: Quomodo dicis legem feci & ꝓphetas, quoniã scriptũ est in lege: Diliges ꝓximum tuum sicut teipsum? Et ecce multi fratres tui filij Abrahæ, amicti sunt stercore, moriẽtes præ fame, & domus tua plena est multis bonis, & non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Et cõuersus dixit Simoni discipulo suo, sedenti apud se, Simon filius Ioannæ: Facilius est Camelũ intrare per foramẽ acus, ꝙ diuitẽ in regnũ cœlorũ. Ex his ratiocinat Origenes, ut donemus sic fuisse scriptũ ab Euãgelista, quẽadmodũ nos legimus, tamẽ difficultatem quæstionis sic explicari posse, ut accipiamus Christum redarguisse iuuenem, credentẽ se legem implesse, cũ id quod est caput legis præteriisset, sinens pauperes inopia perire, cum ipse diues esset. Chrysostomus illud etiã addit, quod elatus esset, quod mendax quod tentandi animo percontaretur. Verũ ad hæc nõ quadrat id quod legimus apud Marcũ, & Iesus dilexit, siue osculatus est eũ. Mihi simplicius uidet ut accipiamus adolescentẽ in suo genere bonũ, ob imbecillitatẽ, nõdũ fuisse capacẽ euãgelicæ ꝓfectionis. Nec est:

Locus expensus per Origenem.

Euangelium Apocryphum Hebræorum.

Vende

Vende omnia quæ habes.) Sed πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, id est, Vende tua, siue facultates tuas. Nec apud Hieronymũ additur omnia. Nec in aureo codice, nec additur apud Græcos cõiunctio, &. Tantum est, Vade uende, nec sua gratia caret ἄσυνδετον.

Et abijt tristis.) Magis est, dolẽs, siue mœstus, λυπούμενος. Et nõnulli codices habebãt, Ὁ πάλιν. At in emendatioribus scriptũ est πάλιν δέ. Rursus aũt, siue, Imò iterũ dico uobis. Corrigit enim quod ante, licet mollius dictũ offenderat discipulos, idq; durius repetit.

Facilius est camelum) Diuus Hieronymus haud dubie camelum accepit pro animante, secutus opinor Origenẽ. Theophylactus dissentit, uolens hoc loco significare rudentem nauticum, atq; id sanè magis quadrat ad foramen acus. Et apud unũ Suidam, κάμιλον eo reperio significatu. Iulius Pollux inter instrumẽta nautica non meminit. Atq; hac quidem in re magis assentior Hieronymo. Nam quod istos offendit, qui ex camelo funem faciunt nauticũ, nempe quod absurdum uideatur camelũ duci p foramen acus, hoc ipsum, p nobis facit: Siquidẽ Christus hoc exemplũ uelut ἀδύνατον proposuit. Vult em̃ omnino uideri impossibile, ut Camelus ingens animal, ac tortuosum, p foramen acus transeat. Nec est, quod hic fabulas aniles cõminiscãtur, Hierosolymis fuisse portã cui nomẽ fuerit acus: aut quod impossibile, pro difficile positũ interpretẽtur. Imò si diuitẽ interpretẽtur fidentẽ suis diuitijs, id quod ferè diuitũ uulgus facit, ita demũ poterunt hunc explicare nodum. Atq; hũc sensum aperuit nobis Marcus cap. x. Filij, ẽq; difficile, inquit, est cõfidẽtes in pecunijs in regnũ dei introire. Q d si uerũ est ingẽtes funes nauticos Camelos uocari Græcis, apparet ab animantis & ingentis, & distorti similitudine dictos. Neq; uero meo animo per omnia satisfacit, quod Hieronymus annotauit nõ esse dictũ à Christo, Impossibile est diuitem intrare, sed difficile. Vbi difficile ponitur, inquit, nõ impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur: cũ mox fateatur idem ab eodẽ dictũ impossibile. Siquidem alla ta cõparatione Cameli per foramen acus euntis, Hoc dicto, inquit, ostẽditur, non difficile esse, sed impossibile. In dialogo aduersus Pelagianos primo, diuersa ratiõe explicat sese negans eos esse diuites, q alijs diuites fuerũt potius ẽq; sibi. Quin & illud p foramẽ acus, bifariã accipi põt, siue, p foramine q d habet acus, siue, p foramine acu facto. Postremo nõ est

Camelus per foramen acus.

Diuites qui dicti Christo.

In regnũ cœlorũ.) Sed in regnũ dei, εἰς βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Quanq; mihi magis probatur, quod lego apud Chrysostomum & Hieronymũ, Regnum cœlorũ. Sentit em̃ diuites non esse accõmodos euangelicæ doctrinæ, quam ferè uocat regnum cœlorum.

Quis ergo potest.) τίς ἄρα δύναται, id est, Quis nam potest, id quod supra uertit, Quis putas. Et aliquãto post, In sede maiestatis.) ἐπὶ θρόνου δόξης, id est, In throno gloriæ.

Maiestas pro gloria.

Centuplum accipiet.) ἑκατονταπλασίονα, quasi dicas singula centuplicata. Est enim numerus multitudinis. Et, Vitam æternã possidebit.) κληρονομήσει, quod ad uerbũ uertit aliquoties Hæreditabit. Nos circũlocuti sumus, & uitæ æternæ sortietur hæreditatẽ.

EX CAPITE VIGESIMO.

Simile est regnum.) ὁμοία γάρ ἐστιν, id est, Simile est enim. Cohæret em̃ cum superiori sententia. Et primo mane.) ἅμα πρωΐ, id est, Ipso statim diluculo, seu, Primo statim diluculo, siue, Mox ut diluxit. Pauloq; post,

Ex denario diurno.) ἐκ δηναρίου τοῦ ἡμέραν. Primum nihil opus erat addere Græcam præpositionem ex, quũ Latini dicãt conductũ denario. Deinde denarius hic nummi Rhomani genus est, ualens treis solidos, & semissem, ut autumat Gulielmus Budæus homo nusq; non diligẽtissimus, non solũ eruditissimus. Nec est diurno, sed in singulos dies, siue dietim. Vnde uerti poterat, Pactus cũ operis in singulos dies denario.

Denarius.

Ite & uos in uineam meã.) Meã nec est apud Græcos, nec in aureo codice. Rursum:

Quod iustũ fuerit.) ὃ ἐὰν, id est, Quodcunq; siue quicquid. Ac mox de undecima cõductis hora, Ite & uos in uineam.) In uulgatis Græcorũ exemplaribus non additur Meam, nec apud Theophylactũ, nec apparet Hieronymũ addidisse. Nec additũ cõperi in exẽplari Cõstantiensi, nisi quod pronomẽ explicat uim articuli τὸν ἀμπελῶνα. Præterea hoc loco addũt Græci, quod in nostris exẽplaribus nõ habetur, καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον λήψεσθε, id est, Quodcunq; siue quicquid iustum fuerit, accipietis. Verum id quoniam apud Hieronymum non additur, uideri potest ex superiori loco repetitum. Item:

Acceperunt singulos denarios.) ἀνὰ δηνάριον, id est, Denariatim, ut ita loquar, & singuli

Facere horam potius & singulos. Hi nouissimi una hora fecerunt.) μίαν ὥραν ἐποίησαν, id est, Vnam horā fecerūt. Incertū an unā horā sit accusatiuus trāsitiuus, an tēporis, hoc est, ut accipiamus eos fecisse horā, q spaciū horæ peregerint in ope, an eos fecisse opus horæ spacio.

Diei & æstus.) Nō est æstus, sed æstū βάρος τῆς ἡμέρας ὁ τὸν καύσωνα, id est, Pondus diei, & æstum. Siquidē in Græcorū exēplaribus magno cōsensu, nō solum habet καύσωνα, sed etiā additur articulus τὸν καύσωνα, ut intelligas diuersum esse sensum, quod prior particula referat ad diuturnitatē laboris, posterior ad difficultatē tēporis. Siue ēm allegoriā accommodes, ad Iudæos prius uocatos & ad gentes posterius, siue ad eos qui iuuenes uocātur & ad eos qui senes, cōgruet pondus diei, quod Iudæi, post diutinā legis obseruationē uocati sunt ad euangeliū, gentes subito ad eandē gratiā admissæ sunt, Cæterū diei æstus est, quod sub lege magis feruebat cōcupiscētia, & in iuuenibus grauius est incendiū, libidinis & iræ, quū hæc in senectute quæ uespera est uitæ remissiora sint. Nō igit̄ est ociosa distinctio utcūq; in Latinos codices irrepsit error. Deinde,

Volo aūt & huic.) Et, redūdat θέλω δὲ τούτῳ, Volo autem huic. Rursum,

An non licet mihi quod uolo facere.) Græci addūt ἐν τοῖς ἐμοῖς, id est, In rebus meis, tametsi potest & ad personas referri. Et mox:

An non licet gemina lectio An oculus tuus neqū est &c.) Apparet auriū errore uariatā scripturā, quod εἰ si, & ἢ uel eadē uoce sint apud Græcos. Si leges, si, pendere potest à superiorib⁹ oratio, ut sit sensus, nū ideo mihi minus licet benigniter facere de bonis meis ut uolo, si tu oculū habeas malicio/sum & inuidum? cū ego certe non possim, nō esse bonus. Si legis ἢ, An uertendū erat non Aut, ut sit sensus. Num mea benignitas in cæteros cruciat tuos oculos? Quandoquidē ex huius beneficentia nata est illius inuidentia, non ex iniuria dantis id, quod erat in pactis. Certe An habet codex aureus & Cōstantiēsis. Etiāsi nec; nescio, nec; inficias eo, εἰ quoq; Græcis nōnūq; habere uim percontādi: nec; reclamo, si cui uetus trāslatio magis arridet.

Multi sunt uocati.) πολλοὶ γάρ, id est, Multi enim. Et uocati & electi hoc loco nomina sunt non participia κλητοὶ ἐκλεκτοί, quæ tamen propemodum uice participiorū uidentur usurpari. Et aliquāto post, Secreto & dixit.) Desunt in nostris aliquot uerba κατ' ἰδίαν εἶπε τῇ ὁδῷ, id est, Seorsim in itinere. Quanq; hic magis quadrabat solos, quod ita uertit nonnunq;. Noluit enim ullos itineris comites præter discipulos. Et aliquanto inferius,

Siniſter εὐώνυμα Et unus à sinistris.) Vt ne cōmemorem interim Latinius fuisse futurum, A dextris mihi, quàm meis, Hoc loco A sinistris est ἐξ εὐωνύμων. Sic enim Græci ominis causa dicunt sinistram corporis partem εὐώνυμα, hoc est boni ominis: sicut poëtæ furias uocant Eumenidas, ut apud Iob, Benedicere positum est pro maledicere.

Potestis bibere calicem.) ποτήριον, id est, Poculum, quod tamen semp calicē uertit, cū poculū ad unguem exprimat Græcam uocē. Poculū enim quoduis uas unde bibitur, ut ποτήριον, & ipsum à potando dictum. At calix poculi species est, quæ Græcis sua uoce κύλιξ, dicit̄. Est aūt sermo prouerbialis, De eodē bibere poculo, pro eo quod est, participem esse mali: quemadmodū fusius in Chiliadibus explicuimus. Et in emendatioribus Græcorum exēplaribus nō legitur μέλλω πίνειν, id est, Bibiturus sum, sed πίνω, id est, Bibo ut præsens narratur, quod instabat. Atq; ita legit Chrysostomus. Insuper post hæc addit̄ apud Græcos, ἢ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι; id est, Baptismate quo ego baptizor baptizari? Nam & apud Marcum hæc adduntur. Atq; ad hunc modum eadem mox repetūtur, Calicem quidē meū bibetis, & baptismo quo ego baptizor baptizabimini. Verū haud scio an hæc in hunc locū ex Marco traducta sint: id quod sæpenumero solet accidere, præsertim cum apud Hieronymum addita non comperiam. Quanq; addūtur apud Origenem & Chrysostomum, ac Theophylactum. Deinde,

Calix poculi ſpecies apud Macrobiū.

Non est meum dare uobis.) Vobis addidit aliquis de suo, apud Græcos tantū est οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, id est, Non est meum dare, ut sit absolutum, & intelligas totum hoc reiici in patrem, atq; ita legit Chrysostomus consentiente Theophylacto. Verum ut adderent Vobis, in causa fuit, quod sequit̄: Sed quibus paratū est. Verum ea oratio ἀκέφαλος est, subaudiendum enim, id ijs continget quibus præparatum est à patre meo. Nec; tamen dissimularim Hieronymum sic interpretari, ut propemodum suspicari possis, eum legisse ut nos uulgo legimus, licet patris quoq; mentionem admisceat.

Non eſt meū dare.

Principes

Príncipes gentiũ dñantur eorũ.) ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Cũ præceſſerit gentiũ, cur nõ repetit earũ, imò cur nõ eis? Ac mox In eas magis q̃ in eos? Nam ἔθνος neutri generis eſt. Nec eſt ſimpliciter Dominant̃, ſed κατακυριεύουσι Dominãtur in eas, ſiue aduerſus eas. Frequenter em̃ ea præpoſitio in malũ ſonat, quod tyranni populi malo gerant principatũ. Nec eſt, Qui maiores ſunt, ſed οἱ μεγάλοι, id eſt, Magni ſiue magnates. Siquidem id erat ꝓpriũ cognomentũ regis Perſarũ, unde Alexãder magnus eſt dictus. Ac rurſum, Poteſtatem exercent.) κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, id eſt, Ius ſiue autoritatẽ exercent. Et præpoſitio ſimiliter in partẽ malam ſonat, indicans eam poteſtatẽ eſſe tyrannicam, & cum malo parentium eſſe coniunctã. Vnde in quibuſdam codicibus perperam mutatum eſt Inter eos pro in eos. Porrò quod hic interpres Græcã uocẽ expreſſit periphraſi, poterat & in priore parte facere, dominium exercent in eos. Ac paulo poſt, *Dormitatio interpretis.*

Quicũq; uoluerit maior fieri.) μέγας γενέσθαι, id eſt, Magnus fieri. Atq; ita citat Hieronymus ediſſerens caput Ezechielis xlv. Ne quis cauſificet̃ Græcã ſcripturã eſſe uiciatã.

Non uenit miniſtrari.) Quis unq; dixit hominẽ miniſtrari, cui miniſteriũ exhibet̃? Nõ hercle magis q̃ benedici, de quo quis bene loquat̃, aut annunciari, cui nũciatur aliquid. Atqui ſic loquũtur Græci, ſed Latinorũ auribus prorſus inauditũ. Vertere cõmode poterat ad hũc modũ. Nõ uenit ut ſibi miniſtraret̃, ſed ut alijs ipſe miniſtraret, οὐ διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι. Rurſum hic animã uitã appellat, nõ eã partẽ quæ eſt altera hois. Rurſum: *Solœciſmus interpretis.*

Pro multis. ἀντὶ πολλῶν. Aliud quiddã ſonat Græcis, q̃ Latinis, apud nos tantũ oppoſit̃ paucis, apud illos populi multitudinẽ ſonat, atq; id fermè quod Latinis ſonat uulgus. Et redemptionem, Græce eſt, λύτρον, quod proprie precium ſignificat, quo redimuntur captiui aut ſerui, quod Galli uocant ranſonam, à uerbo λύω, quod eſt ſoluo. Deinde: *Redemptio λύτρον.*

Et continuo uiderunt.) Græci nonnihil addunt uerborum, ἀνέβλεψαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί, id eſt, Viſum receperunt illorum oculi, quod antea mentio facta ſit oculorum.

EX CAPITE VIGESIMOPRIMO.

AD montem oliueti.) ἐλαιῶν eſt, id eſt, Oliuarum. Semel dũtaxat in actis apoſtolorum legimus montem, qui dictus eſt ἐλαιὼν, id eſt, Oliuetum, ſi modo ſcriptura non fallit. Etenim eadem dictio ſi ultima ſit acuta, ſignificat oliuetum, ſin circũflexa oliuarum. Hic certe eſt oliuarum, propter additum articulũ, τῶν. Paulo q̃ poſt:

In caſtellum.) εἰς τὴν κώμην. Vicum aut oppidum ſonat, ne quis putet arcem eſſe, aut magnatis palatium, quod opinari uidetur Carrenſis.

Et cõfeſtim dimittit.) In nõnullis Græcis codicibus habetur ἀποστέλλει, præſentis temporis, ut pertineat ad diſcipulos. Verum quid opus erat repetere: Et dimittit eos, cũ iam dixerit: Ite in caſtellũ. Vnde mihi legendũ uidetur ἀποστελῶ, id eſt, Emittet, ut referatur ad iumenta. Atq; ita legit Chryſoſtomus Theophylactus ac Hieronymus, cõſentiẽtibus Latinis exẽplaribus uetuſtis: neq; ſecus interpretat̃ Hilarius. Deinde quidã habebãt. Hoc factum eſt: quidam, Hoc totum factum eſt. Neq; magni refert. Chryſoſtomus non addit totum, ſi credimus interpreti, Nam Theophylactus addit. *Dimittit eos.*

Dicite filiæ Sion.) Teſtimonium hoc ſumptum eſt ex Zachariæ cap. nono. Quanq; Euangeliſta nec uſq; quaq; cõuenit cum Hebraica ueritate, neq; cum Septuaginta. Nam Dicite, nec eſt apud Hebræos, nec apud Septuaginta. Rurſum quod hic dicit:

Venit tibi manſuetus.) Hebræis eſt עני, id eſt, pauper. Nam eadem dictio, ſi ſcribatur per ע, pauperem ſonat, ſi per א, manſuetũ. Hebræa ſic reddidit Hieronymus. Exulta ſatis filia Sion. Iubila filia Hieruſalem: Ecce rex tuus ueniet tibi iuſtus & ſaluator. Ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullũ filiũ aſinæ. Iuxta Septuaginta ſic legimus. χαῖρε σφόδρα θύγατερ σιὼν, κήρυσσε θύγατερ ἱερουσαλήμ, ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι δίκαιος & σώζων αὐτούς, πραΰς, & ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον, & πῶλον νέον, id eſt, Gaude uehemẽter filia Sion, prædica filia Hieruſalẽ. Ecce rex tuus ueniet tibi iuſtus & ſaluans, ipſe manſuetus & aſcendens ſup ſubiugalẽ & pullũ nouũ. Interpres legiſſe uidetur αὐτὸς, quum Aldina æditio habeat αὐτούς. Porrò quod hic eſt ſaluator, Hebræis eſt ישע alludens ad nomẽ Ieſu. Vnde locum hunc Iudæi iuxta hiſtoriam referunt ad Chriſtum. Item: *Pauper, pro manſueto.*

Sedens ſuper aſinum.) ἐπιβεβηκὼς, id eſt, Conſcenſa aſina. Et rurſum:

Veſtimenta.) Magis eſt togas, ſiue pallia, τὰ ἱμάτια, id eſt, ſummas ueſtes.

Oſanna filio Dauid.) Non ſine cauſa Matthæus, aut interpres, Hebraicam reliquit uocem, opinor, quod peculiaris ſit eius gentis acclamatio: quemadmodū apud Rhomanos, Iò triumphe. Verum ſuper hac uoce uaria fuit interpretū opinio. De quo qui uolet edoceri plenius, legat Hieronymi libellū ad Damaſum pontificem Rhomanū, in quo notat Hilarium, quod ob imperitiam Hebraicæ linguæ oſanna interpretatus ſit, redemptio domus Dauid. Licet ad eundem fermè modū interpretur Ambroſius. Atq; omnino ſic interpretatus eſt Hilarius in canone, quē ſcripſit in Matthæū. Nam oſanna, inquit, Hebraico ſermone ſignificatur redemptio domus Dauid, inſigni nimirum lapſu, cum Hebræis id quod conſtat פְּרוּת redemptio dicatur, tum domus בַּיִת. Porrò Dauid cum eadē uox ſit apud Hebræos, quæ apud Græcos, ac Latinos, uel ab ipſo quantumuis inſcio ſermonis Hebræi deprehendi poterat, ſi modo animum aduertiſſet. Verum conijcio ſanctū Hilarium cum hæreret ad eam uocem, ex Iudæo quopiam ſciſcitatum, quid apud illos ſonaret oſanna, atq; illum ut irrideret Chriſtianum reſpondiſſe, quod in buccam ueniebat, redēptio domus Dauid. Vide quid eſt alienis cernere oculis, alienis ambulare pedibus. At idem in expoſitione pſalmi ſecundi, nō probat ullam interpretationem ueteris inſtrumenti, præter eam quæ fertur eſſe Septuaginta, propterea quod Breſith בְּרֵאשִׁית quæ prima uox eſt libri Geneſeos apud Hebræos tria ſignificet, in principio, in filio, & in capite. Nimirum ſic eſt humanum ingeniū, tantum probat quiſq;, quantū ſe confidit aſſequi poſſe. Græce utcūq; nouerat Hilarius. Nam prodidit Hieronymus, huic aurulam modo Græcanicæ literaturæ fuiſſe guſtatā. Et idcirco Græcorū floſculis libenter ornat ſua cōmentaria. Verū cū literas Hebraicas prorſus ignoraret, interpretationi Septuaginta nihil uolebat accedere, Porrò diuus Auguſtinus, quoniam ne is quidē Græce ad plenum ſciebat, nō probat Hieronymi ſtudium, qui nouū teſtamentū ex Græcorū fontibus, uel uerterit, uel emendarit. Quanquàm hoc utcunq; tolerandum putat, propterea quod collatis codicibus deprehendiſſet Hieronymianā in ea re fidē. Nam Auguſtinus Græcas literas puer utcunq; deguſtarat, ad quas ſenex redire coactus eſt: quandoquidem & Epiphanij Græcum de hæreſibus librum, ut potuit, eſt imitatus. Cæterū Hebræi ſermonis quoniā prorſus erat ignarus, ferendū non putat, ut Hieronymus quicq; ex Hebræorum fontibus mutaret, idq; cum fidem hominis in nouo teſtamento iam haberet compertam. Et tamen hic ipſe, qui uetat Hieronymum trium linguarū egregie peritum, quicq; innouare in ſacris libris, plurimos locos annotauit in uoluminibus inſtrumenti ueteris, atq; id ſanè nō ex Hebræorum, ſed Latinorum, & Græcorum exēplaribus, quod genus illud libro ex Numeris, adducto loco, Et omnem multitudinem mulierum, quæ non nouit cōcubitum maſculi, uiuificate. Mox ſubijcit, Nuſq; certius apparet Hebræa locutione mulieres etiā dici uirgines ſolere. Sed qui nam id apparet, niſi uocem Hebræam proferat? Quod ſi contigiſſet Auguſtino linguarū peritia, quæ Hieronymo, nō dubitaſſet facere, quod illum facere uetat. At hodie magni quidā, ut ſibi uidentur, theologi, cum ne Latine quidem ſciāt, omnis antiquæ, bonæq; literaturæ rudes, & ob id hoſtes, nihil admiſceri uelint diuinis literis, niſi quod ab ipſis poſſit intelligi. Verum quēadmodum Hebrææ literæ ab Hilario neglectæ ſui contemptū ultæ ſunt in oſanna, ita paſſim his temporibus ulciſcuntur ſui neglectū bonæ literæ, dum ſubinde impingunt, nuſq; non hærent, nuſq; nō labuntur, & eruditis uiris de ſe uel riſum uel cōmiſerationem excitant. Hæc nequaq; dicta ſunt in contumeliam ordinis theologici, ſed in quoſdā parū dignos hoc ordine. Sed ut ad rem redeamus, Hieronymus indicat hunc locū ſumptum ex pſalmo cxvij. in quo præter alia, quæ manifeſte de Chriſto dicta reperiūtur, hoc quoq; legitur: O dñe ſaluum me fac, ó domine bene proſperare: benedictus qui uenit in nomine domini. Porrò p eo quod habetur in Septuaginta: O domine ſaluū me fac, in Hebræo legitur אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא, quod manifeſtius interpretatus eſt Symmachus, dicēs: Obſecro dñe, ſaluum me fac obſecro. Siquidem הוֹשִׁיעָה ſaluifica ſignificat, & נָּא interiectio eſt apud Hebræos, uelut efflagitantis, aut obteſtātis.

Benedictus qui uenit.) εὐλογητός. Hæc uox paſſim occurrit in arcanis literis, aliena quidē à ſermone Latino: nec eſt tamē quā illius uice ſubdamus, niſi placeret dicere, laudādus, aut laudatus. Græcis εὖ λέγειν benedicit aliquis illū, de quo bene prædicat, & is benedicitur

Lapſus Hilarij in oſanna

Hilarius non nult mutari Septuaginta interpretationem.

Hilarius leuiter Græce doctus.

Auguſtinus ſenex redijt ad Græcas literas.

Auguſtinus ex Latinis æſtimat Hebræa non ex fonte.

Oſanna quid.

Benedictus idē qđ laudatus.

dicitur,de quo est honesta fama.Quemadmodum & benefacit aliquis illum,in quem eō fert beneficiū. Et bene passus dicit ille,qui beneficio fuerit adiutus.Quod dictū est de bñ/ dicere, & benedictus,idē dictum puta de maledicere,& maledictus. Quod si Christianū est,in his cōtempta linguæ Latinæ cōsuetudine peregrinū idioma recipe,& ceu nouū ser monē Christianis peculiarē fingere,cur id nō fit & in cæteris oīibus.Nam quod rectum est,quodq; iudicio fit,id ppetuo factū oportuit.Nūc si temere,& utcūq; incidit in animū interpreti,modo uitata est peregrini sermonis proprietas,modo recepta,quid uetat ab aliis eruditis quædā in melius restitui?Equidē arbitror ad hāc formā ptinere,quod Augu stinus in annotādis tropis ueteris testamēti citat ex Deuteronomij cap. undecimo:Quæ fecit uirtutē Aegyptiorum.Atq; is putat perperam à Latinis uirtutē uerti in uirtuti,cum sensus sit:Virtutē Aegyptiorū ad nihilum redactam,uidelicet nō animaduertens idioma Græci sermonis,quod an cum Hebræis cōueniat,non satis habeo compertū. Mirum aūt cur hic non agnouerit idioma sermonis seu Græci,seu Hebraici,cum mox libro sexto,ad ducat exēplum,quo dictum est,Ancillam tuam facias,pro ancillæ tuæ facias.

Incōstantia in terpretis.

Facere illum Græce, pro fa cere illi.

Qui uenit in nomine domini.) ὁ ἐρχόμενος, Ille qui uenturus erat siue est.Potest enim esse futuri temporis,atq; ita legitur in aureo codice,suffragantibus & Donatianicis.

Mensas nūlariorū.)κολυβιστῶν,qui ijdē trapezitæ uocātur.Porrò testimoniū,quod ad ducit,sumptū est ex Esaiæ capite quinquagesimo sexto:Domus enim mea domus oratio nis uocabitur cuuctis gentibus, Consentientibus & Septuaginta.

Propheta à Nazareth.) ὁ ἀπὸ ναζαρέθ,id est,ille Nazarenus.Ac qđ paulo post adducit:

Ex ore lactentium,& infantium.)sumptū est ex psalmo octauo. Porrò quod hic uertit Infantium,Græce est, νηπίων, quod hactenus uertit,paruulos.

Abijt foras extra ciuitatē.) ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως. Quid opus erat foras?Exiuit è ciuita te,sat erat,aut abijt extra ciuitatē.Ac subinde:

Et mansit ibi.) ηὐλίσθη,quasi dicas,stabulauit,hoc est,diuersatus est. Vnde illud in actis apostolorum, σωαυλιζόμενον, de quo suo dicemus loco.Paulo q; post:

Fici arborē.) συκῆν μίαν.i.Ficū quandā.Siquidē Hebræi unū ,p quodā usurpant.Inter/ pres addidit arborē,ne de fructu acciperemus,ob quod aliâs atq; adeo mox uertit ficulne am,nō satis probato apud Latinos uocabulo,quū ficulnus sit appositiuū à ficu quēadmo dū quernus à quercu.Nec est: Secus uiā:)sed ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, id est,In uia.Hæc est illa ficus cuius foliis nōnulli suā obtegunt insciti am:cū ea signarit magis istos qui cultu,qui titulis, qui splendidis uerbis sanctimoniam præ se ferunt,cū uita nō respondeat.At isti sedulo ca/ uent,ne quid bonarum attingant literarū:& dicūt q; possunt insulsissime,ne quid affinita tis habeant cū hac ficu.Cæterū ista ratione maxime in ficū incidunt.Audio incultam ac sordidam orationē,expecto uitam simplicē,& innocētem,hoc est fructum,quem oratio/ nis species,id est,folia,pollicebantur. Vbi propius uentum est Sardanapalos inuenio, in/ uenio Midas ac Satrapas:Omnia tyrannica:solus sermo refert apostolos.Hæc est illa fi/ cus,quam odit & execratur Christus:cui si putet elata doctrina, & fastuosa eloquentia, quanto magis oderit arrogantem,ac supercilio sam insciti am,& sanctimoniæ fuco perso/ natam infantiam? Verum hæc ut πάρεργα,missa faciamus.

Ficulnea,an Latinum.

Allegoria fi/ cus perperam accepta.

Quomodo cōtinuo aruit.)In uulgatis Græcorū codicibus repetitur ficus, sed à libra/ rijs,ut opinor,additū:quādoq dē in uetustis exēplarib⁹ nō repetit,nec apud Hieronymū.

Et non hæsitaueritis.) μὴ διακριθῆτε, id est.Nō dijudicaueritis.Etem qui diffidit,dispicit ac dijudicat.Ac mox, τὸ τῆς συκῆς ποιήσετε, id est,id quod accidit ficui facietis.Deinde:

Tolle & iacta.) ἄρθητι καὶ βλήθητι, id est,Tollere ac mittere passiue,quasi dicas tollitor, ac proijcitor.Et rursum aliquāto post: In qua potestate.) Vtrobiq; potestas hic Græ/ cis est ἐξουσία, quod ius & autoritatem significat,non potentiam,aut uires. Item:

Potestas. ἐξουσία.

Cogitabant inter se.) παρ' ἑαυτοῖς, id est,Apud sese.Et aliquanto post:

Omnes enim habebant Ioannem.) Emendati codices Græcorū habent εἶχον, id est, Habent,ut referatur ad ipsos Pharisæos ita cogitantes,suffragante Latino codice Corsen doncensi,atq; item aureo,cōsentientibus,& duobus Donatianicis,deniq; Constantiensi.

Nec ego dicam uobis.) Dico ex Græcorum codicū & aurei codicis autoritate.

In uineam meam.) εἰς τὸν ἀμπελῶνά μου, id est,In uinea mea,suffragantibus & uetustissi/

mis

mis Latinorum exemplaribus.Et ibidem:

Ego domine. Eo dñe.) In Græcis legit:Ego dñe,non eo.Qui sermo est sese præsto,ac promptũ offe rẽtis ad quiduis.Ita puer Samuel quũ se uocatũ crederet ab Heli,dicebat:Ecce ego,p quo Latini dicunt,Eccũ,siue præsto sum.Origenes legit καὶ κύριε,id est,Etiam dñe.In nõnullis tamẽ Græcis reperio pro ἐγώ,ὑπάγω, id est,abeo,sed ut arbitror ad latinorũ exẽplaria ca stigatis. Et dicunt ei,primus.) πρῶτος. Augustinus annotans idioma sermonis He braici,libro sexto,cõmonstrauit hic improprie positum superlatiuum,cũ de duobus fiat sermo.Nisi quod illic Nouissimus scriptum est,lapsu,ni fallor,memoriæ,nisi malumus id scribæ imputare,qui putarit & illic Nouissimus scribendũ,quod superius de nouissimo facta sit mentio in parabola uineæ.Atqui nouissimus scriptũ comperi in exẽplari quod exhibuit Constantia,ut casu factũ uideri non queat.Vnde colligitur aut narratiõis diuer sum fuisse ordinẽ in his libris quos habuit Augustinus,aut nouissimũ dictum,de quo pri mum facta sit mentio.Is enim à præsenti loco nouissimus est,hoc est extremus.Quemad modũ à patre sursum genealogiam supputãti,nouissimus est tritauus,ita qui primus erat in proponendo nouissimus est in respõsione.Hieronymus meminit utriusq; lectionis,sed hanc qua nos utimur magis probat,quã eum & fuisse sequutũ liquet ex ipsius interpreta tione,ut accipiamus Iudæos ex ipsorũ responsione coargui.Et tamẽ si cui placet altera le ctio sic nodũ explicat,ut dicat Iudæos peruerse respondisse,quod intelligerent se captari quæstiuncula.Atqui quur hic uitent captionẽ quũ in proxima parabola respõdeant,ma los male perdet.Obiter & illud indicabitur.Quũ hic locus ex Hieronymo referatur in ca tena aurea,nec in his cõmẽtarijs illius quos habemus reperiatur nec alibi in eius scriptis. certe quod meminerim,argumentũ est hos fuisse decurtatos,quã suspitionẽ meã & aliãs significaui.Diuus Hilarius primũ & alterũ dictũ esse putat pro maiore natu & minore.

Meretrices præcedunt. Ac mox: Meretrices præcedent.) προάγουσιν, Præcedunt præsentis temporis, suffragã tibus uetustis exemplaribus Latinis,cũq; his aureo codice & Constãtiensi. Sentit enim illas esse promptiores ad accipiendam Euangelij doctrinam. Nec est:

In regno dei.) Sed in regnum dei.Græcis exẽplaribus suffragatur codex aureus.

Et fodit in ea torcular.) ληνόν. Nam lacunis olim effossis,uinum recẽs expressum exci piebatur.Vnde & alibi lacum uertit.Hinc Bacchus poëtis Lenæus dicit.Ac paulo post:

Verebuntur forte filium meum.) Forte,nec est apud Græcos,nec in uetustis Latinorũ exemplaribus,nec in aureo codice,ne in Constantiensi quidem,qui mihi postremus con tigit, nec apud Hieronymum. Additum apparet à quopiam,qui uerebatur,ne deus aut mentitus uideretur,qui futurum dixerit quod non euenit,aut insçius futuri. Quasi uero

Parabolæ non necesse est ut cõgruant per omnia. necesse sit,ut per omnia quadrent,&,ut aiunt,ad amussim parabolæ. Quædam admiscẽ tur ut expleatur narrationis ordo,id quod testatur & Augustinus in opere de doctrina Christiana.Locus hic à duobus impetitus est graui calumnia,qui contendunt ab Euan gelistis scriptum fuisse:Forte uerebuntur:uidelicet à Matthæo hoc loco,& à Marco cap. xij,sed uocem erasam à falsarijs nescio quibus,præsertim cum apud Lucam cap. uigesi mo,sine controuersia addatur forsan, ἴσως. Primum non hoc, opinor, exiget à me quis quam,ut quicquid plus minusue sit apud aliquẽ Euangelistã,id ad cæteros ilico transfera tur.Præterea pro me facit codicũ Græcorum omniũ consensus.Ad hæc Latinorum ferè omniũ, quos ego sanè uiderim, præsertim emendatiorum.Consentit & ædition Basiliẽsis. quam fratres Amorbachij è uetustissimis exemplaribus nobis summa fide dederunt. Ac ne Hieronymus quidẽ hunc locũ enarrans,usq; admiscet aduerbium forte.De quo mox plura dicã.Certe Origenes exponens hunc Matthæi locũ,tota enarratione declarat se le gisse quod nos legimus.Siquidẽ homilia xix.mouet huiusmodi quæstionẽ: Cũ paterfa miliãs deus,dixerit, Verebunt filium meũ,& exitus doceat illos nõ fuisse reueritos,appa ret deũ ignorasse quid esset futurũ.Huius quæstionis nodũ ita soluit,ut dicat id quod in genere dictũ est,Reuerebuntur filiũ meum,constare,Propterea quod aliqui qui Christũ amplexi sunt,non illum occiderũt,sed reueriti sunt.Nimirũ hoc agit Origenes, ut si deus prædixit futurũ,quod non euenit,aut ignorarit quid esset futurũ,aut mentitus sit. Cũq; inter tractandũ subinde repetat Euãgelistæ uerba,nusq; tamen addit forte: ut id casu fa ctum uideri nõ possit.Nec aliter quæstionem hãc ingreditur Hieronymus,q; Origenes.

Porrò

Porrò,inquit,quod iungitur,Verebuntur filiũ meũ,non de ignorãtia uenit.Quid em̃ ne/ sciat paterfamiliâs,qui hoc loco deus pater intelligitur?Ex his nimirũ liquet hoc offendi Hieronymũ,quod ſecus euenit,q̃ paterfamiliâs euenturũ prædixerat Sed apertius pro nobis facit,quod legitur eodẽ in loco apud eundem Hieronymũ, Interrogemus Ariũ & Eunomiũ.Ecce pater dicitur ignorare,& ſententiã temperat,& quantũ in uobis eſt,ꝓba/ tur eſſe mentitus.Si legit hic Hieronymus,Forte reuerebũtur filiũ meum,potuiſſet uide/ ri inſcius futuri deus,mẽtitus uideri nõ poterat.Nã qui ſic loquitur,Cras forte rex appel/ let:ſi non appulerit nemini dicetur mentitus,cũ nihil certi pronũciarit.Quid eſt igitur tẽ/ perare ſententiam?Relinquere locum reſipiſcentiæ,dum ſermone ſuo ſpem aliquã ſibi re liquam eſſe ſignificat.Verum illud aduerſum nos facere uidetur,quod Hieronymus me/ minit de ambigendo:ſed ſemper,inquit,deus ambigere dicitur.Etenim qui hoc animo di cit aliquid futurum,ut animum addat,aut ſpem faciat,is nimirum uidetur ambigere. Sic enim deprecamur pro uapulaturis,Poſthac erit bonæ frugi.Et cum animum addimus,di cimus:Poſthac non committes,ut quiſq̃ te officio ſuperet,aut Dabis operam,ut hunc la/ pſum officio penſes.Ad eundẽ modum deus,cũ præſciret Iudæos interfecturos filiũ ſuũ, tamen ut admoneat illos,quid facere debeant,ita loquitur,quaſi ſpes eſſet fore,ut reuerĩti filium tandem reſipiſcerent,qui toties prophetas occiderant.Ac rurſus pro diuerſa parte ſtare uidetur Chryſoſtomus Homilia ſexageſimanona.Nam hunc obijciunt,Ad hoc ita reſpõdeo.Primũ fieri poteſt,ut hic,forte,interpres addiderit de ſuo.Fieri poteſt,ut Chry ſoſtomus aduerbium hoc,retulerit ex Luca:quemadmodum enarrans Matthæum,è Lu/ ca retulit,De domo & familia Dauid,quod apud Matthæum in cõtextu nõ erat. Deniq̃ quod ad ſenſum attinet nihil eſt in Chryſoſtomo,quod cogat addi Forte.Cum enim ait: Non ignorantis certe,abſit hoc enim,ſed magnitudinem peccati uolentis oſtẽdere, cuius nullam unq̃ ſatisfactionem oſtendere potuerunt:magis uidetur ignorare qui prædicit fu turũ quod futurum nõ eſt,q̃ qui dicit,Forte futurum eſt.Itẽ magis oſtendit magnitudi/ nem peccati,qui hoc dicit futurũ,quod omnino fieri debuit,q̃ qui dicit,Forte faciẽt.Pro babile eſt igitur apud Chryſoſtomum Græcum non addi forte,quando nec apud Theo/ phylactum additur.Cæterum ſimilia loca quæ proferuntur ex prophetis,Si forte uel ipſi audiant,&,ſi forte quieſcant,non eſt in Græcis ἴσως, ſed ἐὰν ἄρα.Quid ſit apud Hebræos neſcio.Porrò quod addit Hieronymus in cõmentarijs ſimile quiddam haberi & in Euan gelio,Forte uerebuntur filium meum,non dubium eſt,quin ex Luca citarit,ſenſum refe/ rens potius,q̃ uerba.Hæc uiſum eſt aſſcribere:nõ quod abſurdum exiſtimem,ſi quod ad/ dit Lucas,& hic adiectum eſſet,ſed ut integritatem lectionis, ac noſtram induſtriã à ca/ lumnijs defendam.Illud non omittam,quod legimus in commentariolo Hieronymi,quo locũ hunc explanat :Sed ſemper ambigere dicit deus,ſuſpicor librariorũ uitio,ꝓ Sæpe, mutatũ Semper.Neq̃ enim ſemꝑ ſic loquit in ſacris literis deus.

Dicebant intra ſe.) πρὸς ἑαυτοὺς. Græcis quidem anceps eſt ſermo, utrum ſentiat intra ſe,an inter ſe.Quanquàm accommodatius eſt inter ſe,ut intelligas illos colloquio conſpi raſſe aduerſus filium.Nec eſt:

Et habebimus hæreditа.) Sed κατασχῶμεν ,Id eſt,Occupemus, ſiue Obtineamus,aut ut legit Chryſoſtomus: Vt poſſideamus.Ac ſubinde:

Et eiecerunt extra uineam.) ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος. Latinius erat,E uinea,ꝓ Extra uineam: etiamſi Qu.Curtius ſcripſit,extra munimenta ſe euoluit.Et in, *Eijcere extra uineam.*

Male perdet.) Græcus addidit αὐτοὺς, id eſt,Eos,iuxta morem Hebræorum, Latinus interpres recte omiſit.

In caput anguli.) εἰς κεφαλὴν γωνίας. Hebraica figura dixit:Factus eſt in caput,pro eo quod erat,Cœpit eſſe caput anguli.Vnde Paulus ſcribens Corinthijs,uocat eum ἀκρογωνιαῖον, id eſt,Summum in angulo.Is enim ſolidiſſimus,ac maximus ſit oportet,qui pariẽ/ tem utrunq̃ committat,& contineat.Et rurſus ibidem:

A domino factum eſt iſtud.)Iſtud,ſiue hoc,non pertinet ad totum hoc quod præceſ/ ſit,ſed uel ad caput,uel ad angulum:quod utrũq̃ Græcis ſit generis fœminini,uelut αὕτη ꝓnomen.Similiter id quod ſequitur: *Factum eſt iſtud caput, aut angulus iſte.*

Et eſt mirabile.) θαυμαστὴ, id eſt,Admirandus angulus,ſiue Admirabile caput anguli.

Sic

Sic enim interpretatur Origenes homilia decimanona. Cuius uerba non pigebit hic ascribere, quantum ad huius rei probationem attinet: Et iste lapis donum est donatum à deo ædificio uniuerso, & admirabile caput in oculis nostris, qui possumus eũ uidere oculis mentis. Qui Chrysostomum Latine reddidit, ita uertit, ut nos uulgo legimus. Mihi tamen subolet Chrysostomum ad lapidem angularem retulisse pronomen, qui duos maxime inter se dissidentes populos in eandem religionem coagmentarit, quando ita scribit: Et ut uideant nihil horũ deo esse aduersum, sed ualde acceptũ atq; gratum, mirabile præterea stuporisq; plenum, à dño factum esse, subiunxit, lapidem. Hæc & quæ sequuntur, si conferas lector, uidebitur Chrysostomus de lapide loqui, cuius interpres, aut fortassis scriba, sequutus suam memoriam, lectionẽ perturbarit. Subindicat enim Chrysostomus doctores Iudæorum uoluisse ædificare, sed absq; lapide Christo, qui connectert utrunq; populum. Atq; hæc ex coniectura duntaxat diuinamus, certius iudicaturi, si Græci codicis esset copia. Certe manifestum est Theophylactum legere factum esse, & mirabilem, referre ad angulum. Sic enim exponit, ἡ γωνία δὲ αὕτη θαυμασή ἐστι, καὶ παρὰ κυρίου ἐγένετο, id est, Hic autẽ angulus admirabilis est, & à deo factus. Iam quid Hieronymus uerterit ex Hebræo, non satis liquet, cum cõstet pleraq; eius uolumina fuisse deprauata, à sciolis scribis: nec ipsis uoluminibus inter se consentientibus. Proinde fieri potest, ut ex sua memoria reposuerit, illud factum est istud, & hoc est mirabile. Quod si maxime demus ita uersum ab Hieronymo, tamen istud ad caput referri potest, hoc est ad Christum. Nec est necesse ut ad complexum orationis, quæ præcessit referatur. Certe Hieronymus enarrans psalmum cxvij. legit & exponit hunc in modum: Et est mirabilis in oculis nostris. Non in illorum, qui eum reprobauerunt, sed in nostris, qui eum credendo suscepimus. Hactenus Hieronymus. In genere nobiscum facit Augustinus, tametsi locus mendo non caret ni fallor. Ipse sermonis tenor docet sic esse legendum, id est, caput anguli à dño factus est. Quod si maxime legimus, factum est ei, tamen quæ sequuntur arguunt quid senserit. Sequũtur eñ hæc. Quãuis enim hoc non esset factus, nisi fuisset passus, nõ tamen hoc ab eis à qbus passus est, factus est. Quin & Arnobius, mirabilis refert ad lapidem, non ad complexũ sermonis. Et ipsum, inquit, lapidem mirabilem in suis oculis habentes, confitentur &c. Porrò siue referas ad lapidem, siue ad caput, siue ad angulum, sensus est idem, & ad Christum pertinet. Cum tot autores tam graues sequutus sim in annotatione mea, cum sensus optime quadret ad nostrã lectionẽ, tamẽ extitit quidã, qui tragicis uerbis exaggerauit hic inextricabilem errorem meum, ex Hebræi sermonis Idiomate petẽs huiusmodi solutionẽ. Hebræi inquit, cum careant neutro genere, abutũtur fœminino. Huius generis esse quod legit Iosue cap. iij. In hoc scietis: Cum Hebræis sit, In hac scietis. Et psal. xl. In hoc cognoui, pro, In hac cognoui. Porrò psal. xxvi. interpres etiam Hebraicum genus reliquit, Vnã petij à dño hanc requiram. In hãc fermè sententiam ille. Quæ ut demus maxime esse uera, nihil aliud efficiunt, nisi ut intelligamus sic posse legi, ac uerti, quemadmodum habet ædítio uulgata. Non consequitur autem, ut necesse sit, cum cõmodior etiam sit sensus, ut ad caput seu angulum, hoc est ad Christum referatur, quemadmodum faciunt probatissimi interpretes. Vbi est igit error ille inextricabilis, ac periculosus, nisi hic nouus Hebræus succurrisset? Addam ridiculum quiddam: A duobus ut dixi, locus hic fuit impetitus, quorum prior confessus est apud Hebræos sic haberi, quemadmodũ ego notaram, alter affirmat contra haberi, uterq; se profitetur scire Hebraice, & uterq; suam sententiam scriptis euulgauit, & interim Erasmus uocat intractabilis, qui diffidat talibus monitoribus. Atq; ego sanè uix unquam duos uidi, qui in re Hebraica consentirent, siue hoc linguæ, siue hominum est uitium. Porrò testimonium conflatum est è duobus locis, prior pars è psalmo centesimo decimo septimo, secunda ex Esaia capite uigesimo octauo. Nempe ea quæ mox subsequitur.

Qui ceciderit super lapidem &c.

Quia auferetur.) ὅτι, Quia. Quod interpres aliquot locis recte prætermisit, hic sine causa addidit, ut hoc magis sit oscitantiæ, quàm imperitiæ, aut superstitionis. Nam si religio fuit quicquàm omittere, cur omisit alibi, si iudicio omisit, cur alibi apponit? Item,

Iustitia regni cœlorum.

Facienti fructus eius.) Eius ad regnum refertur, non ad deum, αὐτῆς, quod Græca legẽ

tibus

tibus per se liquet. Paulocp post,

Tenere.) κρατῆσαι, quod melius capere, siue manus inijcere. Et,

Sicut prophetam.) Commodius erat, Tanquam prophetam, siue Velut prophetam. In uetustissimo exemplari, nempe Corsendoncensi, scriptū reperi, Habent, præsentis temporis uerbo. Quanquā hoc sanè loco duriusculum est, & refragabatur alter codex, nempe Paulinæ bibliothecæ. Certe Græcis est εἶχον.

EX CAPITE VIGESIMO SECVNDO.

Et altilia.) καὶ σιτιστά. Belle respondet uox Latina Græcæ. Vt enim altilia ab alendo dicuntur, ita σιτιστὰ ἀπὸ σιτίζω, quod est cibo, siue nutrio. Irenæus alicubi uertit, saginata. Cæterum, Occisa, parum apte reddidit, nam πεθυμμένα magis sonat Immolata, aut certe mactata, quod olim in nuptijs sacris epulis agerentur conuiuia. Cæterum, *Villa domus agri.*

In uillam suam.) Non admodū incōmode εἰς τὸν ἴδιον ἀγρόν, id est, In proprium agrum ut uerbo reddam uerbū, aut In rus suum, ut sensum magis exprimam. Porrò uilla domus est in agro. Et aliquanto inferius, Et egressi serui eius.) ἐκεῖνοι, id est, Illi, non Eius. Nec est, Quos inuenerunt.) sed ὅσους, id est, Quotquot repererunt. Ad hæc:

Malos ac bonos.) Græce est, πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς, id est, Malosqp ac bonos, si quis ad uerbū reddi uelit. Aut si Latine, Seu malos seu bonos, ut intelligas nullo delectu. Nam hic est sensus, ut boni pertineat ad Iudæos, qui sibi & hodie uidentur boni, mali ad gentes. Ex Iudæorum enim affectu loquutus est Christus, cum utrisqp fuerint mali. Ac mox,

Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.) Interpres dormitans Græcum genitiuū reliquit, cū dicere debuerit, Discumbentibus. Neqp enim uerisimile est eum affectasse Vergilij more loqui, Implentur ueteris Bacchi, pinguisqp ferinæ. *Interpres dormitans.*
Iam quanquam alicubi licet reperire, Implentur ueteris Bacchi, haud tamen inuenias, Domus impletur hominum, ut iam contemnas amphibologiam. De tenebris exterioribus, iam ante dictum est. In nonnullis Græcis codicibus sic legitur, δήσαντες αὐτοῦ πόδας καὶ χεῖρας, ἄρατε αὐτὸν, ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος, id est, Ligatis manibus ac pedibus eius tollite eum, ejicite in tenebras &c. Ac rursum, Vocati & electi, nomina sunt Græcis, non participia, κλητοὶ καὶ ἐκλεκτοὶ, cum paulo ante fuerit κεκλημένοις, Dicite inuitatis.

Vt eum caperent.) παγιδεύσωσιν, id est, Illaquearent. παγὶς enim laqueus quo feramus capimus, aut auem. Cæterum Herodianos appellat milites Herodis. Is fuit Antipatri filius, quem alienigenam ac Proselytum Augustus præfecerat Iudæis dato regno, ut ab his imperatoris Romani nomine tributa colligeret. In hac sententia uideo fuisse Hieronymum quicum res erat haud mecum illi qui locum hunc calumniatus est. Theophylactus putat Herodianos dictos, non quod essent illius ministri, sed factio quæpiam Iudæorū affirmantium Herodem esse Christum, quod homo non Iudæus apud Iudæos regnaret omnium primus, nempe filius Antipatri, quod ridiculū putat Hieronymus. Verum pharisæi contendebant Iudæorū populum, qui decimas solueret, essetqp deo dicatus, nō debere solue re tributū Cæsari, nec prophanis parêre legibus. Herodiani contra principis sui negocium agebant. Proinde simul adeunt Christū, uni pariter utrisqp molientes insidias, ut quicquid respondisset, alterutri factioni redderetur obnoxius. Chrysost. putat Theodam & Iudam quorū mentio fit in actis, ob id interisse, quod negarent tributū oportere pendi Cæsari. *Capere, παγιδεύσωμεν.* *Herodiani qui.*

Cognita autē Iesus nequitia.) πονηρίαν, id est, Malicia, seu uersutia. Nam nequitia magis ad libidinem pertinet. Deinde cur non potius dixit inscriptio, quàm superscriptio? cū Græce sit, ἐπιγραφή. Ac paulo post,

Reddite igitur Cæsari.) Mire Christus temperauit responsum, rogatus insidiose de re mundana, iubet ostendi numisma, uelut ignotum: ubi ostensum est, sic agit quasi nō agnoscat imaginem, neque inscriptionem. Quod ubi didicit ab illis, non dixit absolute, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, sed, Reddite igitur. Quasi diceret, Si uerum est quod dicitis, hæc esse Cæsaris, soluite illi quod illius est. Neqp enim continuo quicquid imaginem habet Cæsaris, debetur Cæsari, aut principi. Fortassis alienius fuerit admonere Græcam uocem ἀπόδοτε, esse ancipitem, quod accipi possit, Reddite, uel redditis, ut intelligamus Christum arrepta occasione notasse uitam illorū, qui solliciti quid deberetur Cæsari, non *Cæsaris imago.*

illud potius curabant quid deberetur deo. Reddítis Cæsari quod illíus habet imaginem, & illud reddite deo, quod dei habet inscriptionem, atque imaginem, nempe animam. Et aliquanto inferius,

Noua interpretatio.

Neque nubent, neque nubentur.) Neque temporis ratio seruata est, neque latinitatis. Nam Græce est, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται, id est, Neq; ducũt uxores, neq; nuptum dantur: ut γαμοῦσιν pertineat ad sponsos, & ἐκγαμίζονται ad puellas. Quis enim unquam audiuit nubuntur? Quanquam interim perijt schematis gratia, quæ & ipsa seruari poterat, Neque ducunt uxores, neque ducuntur. Augustinus in cõmentario in sermonem domini in monte habitum primo, legit, Neq; nubent, neq; ducent uxores. Sed arbitror locũ à librarijs deprauatum. Rursum sermone primo, de uerbis apostoli, nisi quod hic deprauatoris incogitantia Nubent legitur non nubunt, quũ sequatur, ducunt, non ducent, nempe iuxta Græcos. Deprauasset & hũc locum, si fuisset attentus. Consimiliter adducit hũc locũ & Ambrosius in expositione psalmi centesimi decimioctaui, sermo. undecimo: Neque nubunt, neq; uxores ducunt. Non enim designat tempus, sed uitæ genus exprimit.

Nubunt, non nubent.

Sed erunt sicut angeli dei.) ἀλλ' ὡς ἄγγελοι θεοῦ εἰσι, id est, Velut angeli dei sunt. Atq; ad eum modum comperi scriptũ, & in uetustis exemplaribus Latinis, nominatim in aureo, tum in uetustissimo quod exhibuit in hunc usum ecclesia diui Pauli Londinensis. Atque item in eo quod exhibuerunt canonici collegij Corsendoncensis in Brabantia. Postremo quod præbuit collegium Constantiense. Ex quo satis, opinor, liquet in superioribus uerbis tempus librarij uitio mutatum. Offendit lectorem aliquem, quod resurrectio nondũ accidisset, atque ea gratia futurum tempus magis conuenire. At Christus indicat resurrectionis tempus iam adesse. Sic enim resurrectioni destinatos uocat resurrectionem, sicut euangelicam sequentes doctrinam uocat regnum cœlorum. Post apparebit in nobis resurrectio, at interim peragitur in nobis resurrectionis negocium. Quin & Origenis interpres ita uertit homilia uigesimasecunda. In resurrectione neq; nubunt, neque uxores accipiunt, sed sunt sicut angeli in cœlo. Itaq; paulo post repetit, nequis casum esse causetur.

Regnũ cœlorũ apud nos.

Non est deus mortuorum.) In exemplaribus quæ mihi uidere contigit, repetebatur hæc uox deus, οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς, θεὸς νεκρῶν, id est, Non est deus, deus mortuorũ. Verum idem non reperio apud ullum interpretem. Vnde coniectandum est, quod erat subaudiendum id abs quopiam adiectum fuisse, nisi quod Theophylactus ut legit, ita repetit, enarrans, deus, deus.

Quod silentium imposuisset.) ἐφίμωσεν, id est, Obturasset os, siue occlusisset os. Et in Paulo, Non alligabis boui, est οὐ φιμώσεις, Non occludes os. Nec est, Legis doctor.) sed νομικὸς, id est, Qui uersatur in negocijs legalibus, ad uerbum sonat legalis, siue legitimus, etiamsi non damno quod uertit interpres. Nec est,

Ex toto corde.) Sed in toto corde, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ. Etiamsi apud Græcos, ac Latinos superuacanea est præpositio. Et rursum nõ est, Hoc est maximum & primum.) Sed πρώτη καὶ μεγάλη, id est, Primum ac magnum, quanquam hic primum dixit præcipuum. Hilarius legit, Quod est magnum ac primum.

Sicut teipsum ὡς apud Græcos.

Sicut teipsum.) ὡς σεαυτόν. Græcis unicum aduerbiũ est ὡς, quod nos uix duodecim reddimus. Proinde frustra cauillantur, qui putant hic nõ modum amoris æqualem significari, sed similitudinem, ut amemus proximum, non æque atq; nosipsos, sed simili genere amoris. Horum argutationes licebat excludere, si uertisset, Proximum tuum perinde, ut teipsum. Neq; enim huius est loci refellere eos, qui nimis Aristotelice inducunt charitatis ordines. Magis placet mihi Paulina similitudo de membris corporis, in quo plus etiam honoris adhibemus ijs quæ per se sunt infirmiora. Porrò quod interpres uertit Proximum, Græce est πλησίον. Eam uocem frequenter obuiam in sacris literis, ne quis ut parum Latinam fastidiat, est apud Suetonium in Othone. Alij febrim simulasse aiunt, eamq; excusationem proximis mandasse, nisi quod apud Græcos familiares duntaxat dicuntur οἱ πλησίον. Nec est,

Aristoteles facit bonorũ ordines.

Vniuersa lex.) Sed tota, ὅλος ὁ νόμος.

EX CA/

EX CAPITE VIGESIMO TERTIO.



Vper cathedram Moysi.) ἐπὶ τῆς μωσέως καθέδρας, id est, In Moysi sede. Porrò pro Sederunt rectius diceretur Sedent, siue Consederunt, quemadmodũ adducit Augustinus aduersus Faustum lib. xvi. cap. xxix. In his enim uerbis sic usurpamus uocem præteriti temporis, ut intelligamus actum etiam/num manentem, uelut in Stetit, et appropinquauit. Hunc locum quidam eò torquent, quasi parendum sit omnibus, quæ præcipiunt episcopi, aut præpositi, etiam impij, ob muneris autoritatem: cum Christus de ijs loquatur, qui recte docerent legem Mosaicam, non qui suis constitutiũculis illaquearent homines. Ita nunc quoq; fortassis audiendus sit episcopus, qui recte doceat euangeliũ, etiamsi ipse parum euangelice uiuat. Cæterum quis ferat eos, aduersus Christi doctrinam, pro suo commodo fixis, ac refixis legibus, meram tyrannidem exercentes in populum, suoq; quæstu, ac maiestate metientes omnia? Qui constitutiũculis ad quæstum, ad tyrannidem excogitatis irretiunt populũ, nõ sedent in cathedra euangelica, sed in cathedra Simonis magi, aut Caiphæ. Atque hoc ita dictum sit de malis episcopis, qui utinam nulli sint usquam, ut bonorũ autoritati, nulla in parte derogetur. Id adijcere superuacaneũ erat, nisi hoc seculo nihil nõ arroderet calũnia. *Cathedra Mõysi quomodo accipienda sit*

Quæcunq; dixerint uobis, seruate.) Apud Græcos additur una dictio ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν τηρεῖτε, id est, Quæcunq; dixerint uobis seruare, seruate. Positum est autem dixerint Græco more, pro Iusserint.

Vt uideantur ab hominibus.) πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις, id est, Ad hoc, ut spectentur hominibus, hoc est, Spectaculo sint hominibus, siue conspicui sint. Conuenit enim spectaculi uerbum histrionibus, ut & superius indicatum est. Cæterum φυλακτήριον phylacterium Græca uox Latinis est conseruatorium, quod in his seruatur memoria legis, à uerbo φυλάττω, quasi sic præstarent, id qd deus iubet per Mosen, seruari præcepta sua. Nam huius superstitionis occasionẽ sumpsisse uidentur partim ex Deutero. cap. xvi. Audi Israel, dominus deus uester, deus unus est. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntq; uerba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua. Eruntq; & mouebũtur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostijs domus tuæ. Proinde pharisæi, quo uiderentur admodum obseruantes legis, scribebant Decalogũ in membranis, ceu duobus uoluminibus, quorum alterum fronti coronæ uice circũponebant, alterum brachio: ut siue quò manum porrigerent essent in conspectu, siue caput mouissent ob oculos essent. Itaq; personati sese plebis, ac muliercularum oculis uendítabant. Hunc morem testatur Hieronymus ad suam usq; ætatem durasse apud Iudæos, Persas, ac Babylonios, atque eos qui id facerent apud illos habitos ceu religiosos. Velut hodie apud nos habentur, qui diuersis, ac nouis cultuum formis & coloribus sanctimoniam apud uulgus profitentur, quum non omnes suo respondeant ornatui. Partim ex Numerorũ cap. xvi. Legimus enim illic hunc in modum: Loquere filijs Israel, et dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos quatuor palliorum, ponentes in eis uittas hyacinthinas, quas cum uiderint recordentur omnium mandatorum domini. Siquidem hinc hypocritæ captantes auram popularem, atq; ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant, quo uidelicet ambulantes, aut sedentes aliquando pungerentur, nec sinerentur usquã obliuiscí legum. Et quo quisq; latiores fimbrias circũferret, hoc religiosior habebatur apud superstitiosos, ac simplices. Atq; utinam hoc histrionũ genus nõ adeo passim esset apud Christianos, ad quos collati pharisæi, synceri, simplicesq; queant uideri. Non quod non oporteat pietatem etiam cultus, aut uictus simplicitate, mundicieq; profiteri, sed quod superstitionem, & ostentationem ubiq; oporteat abesse, & præcipuam pietatis partem in animo, ac moribus deceat esse sitam. Damnat hoc loco Hieron. mulierculariũ quarundam superstitionem, quæ quod olim in phylacterijs faciebant pharisæi, id tum facerent in paruulis Euangelijs, & in crucis ligno, alijsque rebus huiusmodi. Quæ habent, inquit, zelum dei, sed non iuxta scientiam, culicem liquantes, & camelũ glutientes. Si uir sanctissimus hæc sentit de mulierculis, quarum infirmitati par erat nõnihil *Phylacteria quæ.* *Superstitiosa pharisæorum hypocrisis.* *Superstitio quorundam Christianorum.*

condonare,quid dicturus sit,si uideat hodie passim ad quæstũ ostentari lac Mariæ,quod honore propemodum æquant corpori Christi cõsecrato: prodigiosum oleum,fragmentula ligni crucis,tam multa,ut si in aceruum redigantur,uix una nauis oneraria uehat,hic ostentari Francisci cucullam,illic intimam uestem Mariæ uirginis,alibi pectinem Annæ, alibi caligam Ioseph, alibi calceum Thomæ Cantuariensis,alibi Christi præputiũ, quod cum sit res incerta,religiosius adorant,quàm totum Christum.Neq; uero hæc ita proferuntur tanquã ferenda,& plebeculæ donanda affectibus,uerum huc ferè summa religionis uocatur,auaritia sacerdotũ,& monachorũ quorundã hypocrisi:quos alit populi stultitia. Atq; in hisce comœdijs primas agunt episcopi quidam factitij, ne nusquã ualere uideantur,hæc suis diplomatis approbant,suis condonationibus ornant,tanta grauitate,ut quoties mihi legitur istorum comprobatio, minus credam, quàm antea credebam. Quibus in rebus, nisi grauis inesset ueræ pietatis iactura, Christus non tam acriter in hoc hominum genus inueheretur,cum alioqui lenis sit in peccatores.

Superstitiosa reliquiarũ ostentatio.

Christus in solos hypocritas sæuus.

Ac magnificant fimbrias.) Græcis additur hic, τὰ ἱμάτια αὐτῶν, id est, Vestimentorum,siue palliorum suorum.Etiamsi Latinius erat,Dilatant.

Primos recubitus.) Græcis iucundior est elocutio per dictiones cõpositas πρωτοκλισίαν, & πρωτοκαθεδρίαν, quasi dicas,Præcubitum,& præsidentiam. Et,

Nolite uocari rabbi.) Græcis in nonnullis exemplaribus congeminatur ῥαββεὶ ῥαββεί, id est,Rabbi rabbi. Ad eundem modum & Iudas salutat dominum, Rabbi rabbi. Videtur autem ea conduplicatio apud Hebræos honoris aliquid habere. Vnde morem hunc exprimens Christus,Non omnis,inquit,qui dicit mihi domine domine intrabit.Et hodie sacerdotes & episcopos honoris gratia bis dominos facimus, Quanquam nec apud Hieronymum,nec apud Origenem,nec apud Chrysostomũ,nec apud Theophylactum huiusce rei certum inuenio uestigium.Augustinus in annotationibus troporum ueteris instrumenti,cõmonstrat uarie conduplicari dictionem apud Hebræos,aliquoties ita significari multitudinem,aut distributionem. Quod genus est illud in Exodo,iuxta ueterem æditionem,Et colligebant aceruos aceruos,quasi dicas aceruatim. Nonnunquam indicari uehementiam,quale est illud apud Hieremiam,Ficus bonas bonas,& ficus malas malas. Interim generalitatis habet significationem. Quod genus illud in Leuitico:Homo homo si maledixerit deum,suum peccatũ accipiet, pro eo quod erat,Homo quicunq; is fuerit. Item in Numeris,Viri uiri,si prævaricata fuerit uxor eius.Huic affine tropo est,qd Latini quoq; passim usurpant,Vt ut,pro utcunq;:ubi ubi,pro ubicũq;:qualis qualis,pro qualiscunque.Item cum ter beatũ uocant,magnopere beatum.Iam de tropo sermonis,qui sic accipiendus est,nõ ut intelligamus uetitũ quocũq; modo uocari magistros, sed certo modo uetari,diligenter et copiose disputat Augustinus sermo.de uerbis domini,ex Matthæo.xi.

Cõduplicatur dictio uarie apud Hebræos.

Vnus est enim uester magister.) Addunt Græci, ὁ χριστός, id est,Qui est Christus. Eadem uox paulo post repetitur. Nec uocemini magistri. Si rabbi idem sonat quod magistri, uidetur idem bis dixisse,cum paulo superius dixerit:Nolite uocari rabbi.Ni forte rabbi præceptoris est uocabulum, nempe qui docet: unde & apud Hebræos רַב à multitudine scientiarum dicta est uox. Et nonnulli Græcorum codices non utrobique repetunt, Vnus est magister uester, καθηγητὴς, sed priore loco habent, διδάσκαλος, quod doctorem sonat, & respondet uocabulo rabbi. In altero ponitur καθηγητὴς, quod gubernatorem ac moderatorem uitæ significat.

Rabbi.

Qui claditis.) ὃς κλείετε, id est,Quia claditis,non qui,suffragante & Paulino codice Latino, & eo quem sequuti sunt fratres Amorbachij. In Constantiensi rasura declarabat scriptum fuisse quia.Ac mox item,

Qui circuitis mare.) ὃς περιάγετε, id est,Quia circumitis,ut paulo superius, ὃς κατεσθίετε quod utrobiq; librariorũ errore factum apparet,quanq; id ad sensum haud magni refert.

Orationes longas orantes.) Græce est, ἐν προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, id est,ut ad uerbum reddam, Et prætextu longũ orantes, hoc est, Sub prætextu longæ precationis, qua sanctimoniæ uenabantur opinionẽ. Sic enim uertit eadem apud Marcũ,sub obtentu longæ orationis.Et apud Lucã,Simulantes orationem longã.Interpres Origenis uertit,Longa occasione orantes.Is autem legisse uidetur μακρᾷ dandi casu.Neq; uero est otiosa con

iunctio

iunctio καί. Sentit enim illos hoc grauius esse puniendos, quod non solum explerent uentres suos facultatibus uiduarũ, quarum tenuitati magis debebant subuenire, uerumetiam rem impiam facerent, prætextu pietatis, id quod diligenter annotauit & Chrysostomus. Vtinam hic locus emendet quosdam, qui simili arte deuorant domos, non modo uiduarum, sed uxorum, uirginum, senum, adolescentum, rusticorum, atq; etiam principum, nec deuorant tantum, sed etiam contaminant, & inficiunt. Hos uentres orbi pestilentes, taxat hoc loco Chrysostomus.

Mare & aridam.) Hebraico more terram, aridam uocat יַבָּשָׁה Et proselytus Græca uox est, προσήλυτος, nobis aduena. Sic enim dicebatur Hebræis, quem ex aliena natione in suæ legis consortium recepissent, illi uocant גֵּר Ac mox:

Et facitis eum filiũ gehennæ duplo, quàm uos.) Græce est διπλότερον ὑμῶν, id est, Duplicius quàm uos estis. Quasi utriq; sint duplici nomine filij gehennæ, uerum hic aduena magis quàm illi. Ita citat Augustinus libro secundo contra literas Petiliani cap. lxxij. Facitis eum filium gehennæ duplicius quàm uos. Id enim sonat sermo Græcus. Etiam si secus interpretantur omnes: nempe ut intelligamus illos uno duntaxat nomine malos esse, quod non seruarent legem, in qua nati essent: aduenam gemino nomine, primum quod ethnicus, & idololatra, mox nec Iudæus probus, dum relabitur in uitam pristinam, & ex malo ethnico fit peior Iudæus. Fortassis & hoc ad nostros mores pertinet, qui magnum quiddam existimamus, Iudæum ad baptismum pellexisse. Non quod hoc non sit optandum omnibus nobis, ut omnes Iudæi resipiscant: Sed quod quidam ex ea re suæ gloriæ consulunt, nec ea uia pelliciunt, qua oportet, & pellectum non ea docent, quæ uere sunt Christianismi. Nam qui fieri potest, ut alios reddamus Christianos, nisi prius ipsi fuerimus Christiani? Fit igitur aliquoties, ut pro scelerato Iudæo, sceleratiorem habeamus Christianum, cuius rei uel Hispaniæ testes esse possunt. Et sunt qui nouo exemplo armis Christianos faciant, sub religionis ampliandæ prætextu, suis opibus, suæq; ditioni consulentes. Nihil agetur his rebus, nisi negociũ animo pure Christiano suscipiatur. Huic confine est, quod monachorum nonnulli faciunt, qui partim astu, partim studio pietatis, sed absq; iudicio, quos possunt ad suum quisq; uitæ institutum pelliciunt, præsertim quos aurgentur sibi futuros usui: ac miro astu rudi simplicitq; insidiantur ætati, quæ nondum nouit, neque se, neque ueram religionem.

Duplo filij gehennæ quõ accipiendi.

Iudæi baptizati.

Quõ uincendi Turcæ.

Puerosnõ pelliciendos arte neq; ui cõpellendos ad laqueos uitæ monasticæ.

Debitor est.) ὀφείλει Debet, hoc est, reus est, ac penè debitor: quod lex uetet iurare per nomen dei. Totus autem hic locus pertinet ad eos, qui quod caput est omnis religionis, tacent apud populũ, si quid minus ad rem pertineat id inculcant: ueluti de potestate pontificis, de condonationibus, de opinionibus Thomistarum, aut Scotistarum.

Cõtra eos qui humana prædicant potius quàm quæ sũt Christi.

Stulti & cæci.) Apud Græcos repetitur & in altero loco μωροὶ καὶ τυφλοί.

Qui mundatis.) ὅτι καθαρίζετε, id est, Quia mundatis, consentientibus & nostris emendatoribus, præsertim aureo. Cæterum:

Quod intus est calicis, & quod deforis.) Quæ Græce pure dicuntur, parum munde reddidit Latine, τὸ ἔξωθεν καὶ ἔσωθεν. Vertere poterat, Exteriorem poculi partem, & id quod intus est. Nec est,

Pleni estis.) Sed Plena sunt, γέμουσιν, ut pertineat non ad pharisæos, sed ad poculum & catinum. Consentiunt Latini codices uetusti cum Græcis exemplaribus. In Constantiensi deprauator ueram lectionem eraserat. Nam sensus est, Pocula & patinas pharisæis foris esse nitidas, ac bene lotas: Cæterum ipsum uinum ipsosq; cibos esse immũdos, utpote partos rapinis, & fraude, atq; hanc immundiciam præcipue uitandã, ijs qui uere mundi uideri uellent. Id cum quidam non intelligerent, ἀδικίαν, id est, Iniusticiam, uerterũt in Immundiciam. Quanquam in nõnullis exemplaribus ἀκρασίαν, id est, Intemperantiã inuenio, quomodo legisse uidetur Origenes. Noster interpres legisse uidetur ἀκαθαρσίαν. In summa uidetur hic locus apud Chrysostomum, & alios ueteres uarius habitus fuisse. Augustinus sermone trigesimo legit, Pleni estis dolo & rapina, sed Lucam opinor edisserens. Porrò paropsis Græcis patella est, aut disculus, quo apponitur cibus aut condimentum. Quandoquidem apud Italos sua cuique patella apponitur, distributo in partes conuiuio. Parsimonia cõmunem patinam inuenit. Legitur & parapsis eodem sensu apud Sui-

Mundicies pharisaica.

Paropsis & parapsis.

dam,uocem dictam apparet à rotunditate,flexuq;.

Quia similes estis.) Germana lectio apud nos durat,haud scio quo casu, Cum in, Qui mundatis) fuerit deprauata in multis. Et,

Dealbatis) est κεκονιασμένοις, id est,Incrustatis,quod opus albarium dicitur.Incrustantur enim gypso,aut calce.Et φαίνεσθε Paretis.Cur non potius apparetis,siue uidemini?

Qui ædificatis.) ὅτι οἰκοδομεῖτε, id est,Quia ædificatis.Vt dissimulem,

Si fuissemus non essemus.) Pro,si fuissemus,nō fuissemus,cum Græcis idem uerbū repetatur, ἤμην,οὐκ ἤμεν, siue ut in quibusdā est scriptū ἤμεθα,ἤμεθα. Merito mouet hoc loco quæstionē Origenes,cur imprecetur hoc nomine,uæ pharisæis.Neq; enim ideo sunt execrandi quod extruerent monumēta prophetarū,neq; in hoc quod ab homicidis prophetarum essent progeniti:cum in altero sit officiū,alterū non sit in manu nostra unde nascamur. Verū ideo reprehenduntur,quod ad simulandā sanctimoniā extruerent monumenta sanctorū,& falsō negarent se cōsensuros fuisse in illorū cædem,si ijsdem temporibus uixissent,cum re ipsa declararent se crudelius etiā sæuituros fuisse in prophetas,cum ipsum Christū pararent occidere. Addit illud Chrysost.illos haudquaq; studio erga prophetas extruxisse monumenta illorū,sed ne non extaret trophæum, ac uestigium egregij facinoris à maioribus patrati,atq; ita deterrerentur cæteri à libertate reprehendendi. Cæterum de Zacharia filio Barachiæ,quæstio est impeditior,neq; prorsus adhuc à quoq; explicata Quidam fabulā adducunt ex apocryphis libris, fuisse in templo certum locū designatū, ubi inter sacra peragenda consisterent uirgines, in eo dum staret Maria mater Iesu, iam autem constabat eam peperisse, nec uulgus intelligebat diuinitus concepisse,id populus indigne ferebat.Hic cum à Zacharia patre Ioannis defenderetur,per tumultū interfectū fuisse inter ædem posteriorem & altare. Ita fermè Origenes, eadem fermè Hieronymus, nisi quod hic uariat,dicens Zachariam patrem Ioannis Baptistæ,ideo fuisse occisum,qd' Christi prædicarit aduentū.Alij referunt ad Zachariam Barachiæ filiū,qui in duodecim prophetis habetur undecimus. Verum quanq; in hoc patris nomen consentit,tamen parum est uerisimile, quod huiusmodi nihil reperiatur in historijs diuinis de Zacharia propheta.Ad hæc cum illis temporibus uix extiterint ullæ templi ruinæ. Tertia opinio propior uero est,ut intelligamus de Zacharia filio Ioiadæ,quem in libris Regum,& Paralipomenon,occidit rex Ioas inter aram & templum.Res & nomen conuenit,solum patris nomen reclamat,quod is Ioiadæ filius scribatur,non Barachiæ.Ex hac postrema difficultate bifariam elabuntur.Hieronymus testatur in Euangelio Nazarenorū,cum hæc refertur historia,Zachariam non Barachiæ dici filium,sed Ioiadæ:nimirum innuens in codicibus,librariorū errore pro Ioiada scriptum Barachiam. Chrysostomus aliam aperit fenestram,uidelicet,Barachiam binominem,eundem Ioiadam dictum fuisse.

Locus obscurus explicatus.

Zacharias filius Barachiæ quis.

Nomen pro nomine.

Genimina uiperarum.) γεννήματα, quod superius recte uerterat,Progenies.

Quæ occidis prophetas.) ἡ ἀποκτείνουσα.Quoniā participio præsentis temporis est usus & sermo Christi ad utrunq; tempus respicit,accipi potest actus citra temporis certam rationem,perinde quasi dicas,Interfectrix prophetarū,quæ & occidisti,& occidis,et occisura es. Hoc ideo admonui,quod uideā Origenē uehementer torqueri, quo explicet rationem historiæ,cum nusq; legamus Hierosolymis occisos,aut lapidatos prophetas plures. Opinor & Hierusalem nomine quæ caput erat Iudææ,totā intelligi regionem. Nec est,

Actus sine temporis ratione.

Ecce relinquetur.) Futuro tempore, sed præsenti, ἀφίεται, id est, Relinquitur, suffragantibus & uetustis Latinorum exemplaribus.

Et sub alas suas.) Suas addidit de suo nescio quis.Nam nec apud Græcos est,nec in aureo codice,nec in Constantiensi.

EX CAPITE VIGESIMO QVARTO.

IPse autem respondens dixit.) Apud Græcos non est,Ipse, nec respondens, Nihil enim interrogabant discipuli,sed,Iesus autem dixit illis.Nec est, Videtis hæc?) sed οὐ βλέπετε ταῦτα, Ita legit & Theophylactus,id est,Nónne uidetis hæc. Et,

Non relinquetur hic lapis.) Hic,hoc loco aduerbium est ὧδε, id est,In hac structura.Siquidem hoc animo discipuli ostendebant structuras templi,ut Christus commotus

motus operis magnificentia, mutaret sententiam, nec sineret euenire, quod euenturum paulo ante prædixerat, aut certe sentiebant, opus esse maius, aut munitius, quàm ut quis quam posset demoliri.

In montem oliueti.) ἐλαιῶν, id est, Oliuarum. Et mox, Secreto, κατ' ἰδίαν, id est, Seorsim, siue Priuatim, hoc est, Semotis turbis. Et aliquanto inferius:

Prælia & opiniones præliorum.) πολέμους & ἀκοὰς πολέμων, id est, Bella, & rumores, si ue famam bellorũ. Siquidem ἀκοὰς, ad uerbum sonat auditiones. Interpres nullum facit discrimen inter prælium & bellum. Deinde opinio nõnunq; pro fama reperitur usurpatũ sed cum ad hominem refertur, nõ cum ad rem. Alioquin opinio belli est, quoties putatur esse bellum, cum non sit. Est autem rumor belli nõnunquam tristior ipso bello. *Opinio belli, pro rumore belli.*

Oportet enim hæc fieri.) Pro hæc, Græci legunt τὰ πάντα, id est, Omnia.

Sed nondum est finis.) Nonnulli codices habebant, ἔσαι, id est, Erit finis.

Pestilentiæ & fames.) Iocundam uocum affinitatem latinus interpres non potuit red dere in λιμοὶ, & λοιμοὶ, quæ scriptura magis quàm pronunciatione discerni possunt. Deinde in tribus dictionibus gratiam habet ὁμοιόπτωτον, λιμοὶ, λοιμοὶ σεισμοί. Et ad harmoniã facit τὸ ἀσώδεσμον. Et Pseudoprophetæ unica dictio est composita, quam uulgus illiteratũ diuidit ψευδοπροφῆται. Nec significat prophetã mendacem, sed qui falso nomine prophe ta uocetur, cum non sit: sicut ψευδαπόστολοι, qui sibi uindicant eum titulum falsò. *λιμὸς fames. λοιμὸς pestis*

Quoniã abundabit iniquitas.) διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν. Verbum infinitũ præteriti temporis, quoniam adhæret uerbo futuri temporis, transit & ipsum in uim futuri. Quanquam cõmodius uertisset per participium ad hunc modum, Multiplicata iniquitate frigescet charitas multorum, ut locis aliquot citat diuus Hierony mus. Nisi quod hic præpositionis uis nõ redditur διὰ τὸ, quæ facit ut intelligamus frigus ch aritatis, non aliunde proficisci, quàm ex magnitudine iniquitatis.

Et tunc ueniet consummatio.) τέλος, quod hactenus uertit, finis. Et paulo superius, & hic addidit articulum, ὁ τέλος. quasi dicas, ille finis qui expectabatur. Facit enim arti culus, ut certum aliquem finem intelligas.

A Daniele.) διὰ Δανιήλ, id est, per Danielem. Est autem locus apud hunc prophetam in calce capitis noni, Consummabit autẽ pactum multis hebdomada una, & in dimidio heb domadis deficiet hostia, & sacrificium. Et erit in templo abominatio desolationis, & usq; ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Porrò quod Græcus appellat βδέλυγμα, id est, Abominationem, siue execrationem, hoc loco idolum intelligitur, interpre te Hieronymo. Idq; nonnulli de statua Adriani Cæsaris interpretantur, quæ usque ad ætatem Hieronymi steterit in eo loco, in quo antea fuerat sanctum sanctorũ, & ob id addit Desolationis, quod templum dirutum fuerit. Et nõnulli codices habebant, τὰ ἐκ τῆς οἰκίας, id est, Res domesticas, siue supellectilem domesticam. *Daniel citatus à Christo.* *Adrianus subuertit sanctũ sanctorum.*

In tecto.) ἐπὶ τοῦ δώματος, aut cœnaculum intelligit, aut ipsum tectum, in quo ueteres inambulabant. Cæterum non est simpliciter:

Ne reuertatur.) sed μὴ ἐπιστρεψάτω ὀπίσω, id est, Ne redeat retro, hoc est & latinius, & apertius, Ne rursum redeat. Nec est,

Tollere tunicam) sed τὰ ἱμάτια, id est, Vestimenta, siue pallia, hoc est, summas uestes. Quanquam Hilarius legit tunicam.

Prægnãtibus & nutrientibus.) Prægnãtibus recte mutauit, et latinius extulit, q; si græca ut sunt reddidisset, ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις, id est, In utero habentibus, ut alias solet transferre. Cæterũ Nutrientibus, Græce est accõmodatius θηλαζούσαις, lactantibus, siue mamma nutrientibus. quod θηλὴ papillam fœmineæ mammæ significat. Vnde Augustinus e dissérens psalmũ trigesimũ nonum, Mammantibus dixit, pro nutrientibus. Nec est,

Hyeme uel sabbato.) sed χειμῶνος μηδὲ ἐν σαββάτῳ, id est, Hyeme neq; sabbato. Hyems ad iter faciendum incommoda est. Et sabbatis nefas erat Iudæis iter facere, nisi ad pauca stadia. Sentit enim Christus celerrime, ac procul esse fugiendũ, ideoq; cauendum, ne quid obstet celeritati fugæ. Magna pars euangelicæ intelligentiæ in tropis est sita. *Iter sabbati.*

Vsque modo.) μέχρι τοῦ νῦν, id est, Vsque ad præsens tempus, aut quod apertius erat, Vsque nunc, etiam si parum latinum & hoc.

Tres negationes pro una.

Neq; fiet.) οὐδὲ οὐ μὴ γένηται, id est, Neq; fiat, ut sit abominantis. Quanq; uideo illos non nunquã his uerbis abuti pro futuro. Porrò congeries trium negationũ emphasim habet negandi. Nisi breuiati fuissent.) ἐκολοβώθησαν, id est, Decurtati fuissent, cũ aliquid amputatur, ac præciditur. Vnde Græcis κολοβῶται dicuntur, qui uerba trunca, ac dimidiata pronunciant. Nec est,

Fieret salua.) sed οὐκ ἂν ἐσώθη, id est, Nequaquam esset seruata, siue Haud quaquam fuisset incolumis omnis caro. Ac rursum Hebræorum more carnem pro homine posuit, tametsi absolutius quiddam habet caro: ueluti cum Latini, omnes mortales pro omneis homines dicunt. Sunt enim mortales, qui homines non sunt: & caro est, quæ non sit hominis. Illud haud scio, an sit admonendum,

Ecce hic Christus.) Hic aduerbium esse, non pronomen: ὧδε, & ὁ χριστὸς, Ille Christus, ut certum aliquem intelligas. Elegantior autem est sermo, non addito uerbo est, quod nõ additur in aureo codice. Neq; enim significat quemuis unctum è multis, sed unicũ illum, qui ab omnibus expectabatur. Hunc locum enarrans diuus Augustinus in quæstionibus euangelicis, recte quidem interpretatur, his uerbis excludi schismata hæreticorum, sed cauendum est, ne ad nos quoq; pertineant, qui nobis orthodoxi uidemur. Audimus monachos passim clamantes, de superstitiosis loquor, non de pijs, Ecce Christus hic est, nec hos tamen inter se consentire. Obseruantes dicũt, apud Coletas, & Cõuentuales, nõ est Christus, sed hic est. Iacobitæ clamant, hic est Christus, apud Augustinenses non est. Rursus Benedictini clamant, hic est Christus, non apud mendicantes. Denique clamat hoc genus omne, hic est Christus. Apud sacerdotes, qui cucullam nõ gestant, Christus non est. Tot undiq; uoces obstrepunt clamantium, hic est Christus. Sed quid ait ipse Christus? Nolite credere. Non est diuisus Christus, non est in rebus corporalibus. Nusquã non est Christus, ubicunq; sunt affectus Christo digni. Vult ille cõmunis esse omniũ, qui sol est mundi. Non dignatur circũscribi loco, nõ includi titulis humanis, aut cultu, ceremonijsue. Denique non uult ostendi digito, sed affectibus uult exprimi. Hic denuo testandũ est, me nõ damnare ceremonias quæ conducunt ad pietatem, dissidium damno & superstitiosam fiduciam: atq; utinã eò proficiat omniũ pietas, ut hæc mihi sine causa dicta uideri queant, aut certe tanto cum fructu dicantur, quàm syncero animo dicuntur à nobis.

Christus omnium maxime cõmunis.

Pseudochristi.) Vnica dictio est ψευδόχριστοι, ne quis & hanc dirimat, id est, falso nomine Christi, quod modo indicauimus. Item illud, ὥστε πλανᾶσθαι, maluissem uertere, Vt falleudi sint, propter uerba futuri temporis, ad quæ referuntur hæc.

Si fieri potest.) εἰ δυνατόν. Cur non potius, Si fieri possit?

Si in penetralibus.) Græce est, ἐν ταμείοις, quod ante uertit, In cubiculis. Sunt enim τὰ μύχια, loca in ædibus abstrusa, ac penitiora, in quibus reponimus, quæ uolumus esse tuta. Vnde & à penitus, penu dictum est.

Σῶμα, πτῶμα.

Vbicunq; fuerit corpus.) πτῶμα, Græcis est, id est, Cadauer, illis à cadendo dictum, quemadmodum & cadauer Latinis. Loquitur enim de corpore animantis mortui. Atq; ita frequenter adducit hunc locum Origenes homilia trigesima. Quanquã Hieronymus frequenter, adducens hunc locum, Corpus legit, non Cadauer. Admonet tamen significantius dici Cadauer. Chrysostomus homilia septuagesima Corpus legit, non Cadauer, id est, σῶμα, non πτῶμα, si modo non fallit Interpres. Nam Theophylactus πτῶμα legit, non σῶμα. Item qui scripsit homilias in Lucam, quas habemus Origenis titulo, homilia decimasexta, Cadauer legit. Nec addunt Græci coniunctionem, Et aquilæ, sed οἱ ἀετοὶ, id est, Aquilæ. Conuolant enim aquilæ, & maxime uultures ad animantium cadauera.

Plãgere quid

Plangent.) κόψονται, ut intelligas planctum insanum: qui fit, ubi quis præ doloris impatientia suum ipsius corpus cædit, ac lacerat.

Cum uirtute multa & maiestate.) μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς, id est, Cum potentia & gloria multa. Gloriam certe legit Hieronymus, citans hunc locum in cõmentarijs Zachariæ. Rursum, Emittet est magis quàm Mittet, ἀποστελεῖ. Nec est,

Tuba et uoce

Cum tuba & uoce magna.) Sed μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης, id est, Cum tuba uocis magnæ, ut intelligas tubam uocalem, & procul sonantem. Aut cum tubæ uoce magna: nam Græcus sermo anceps est.

A summis

A ſummis cœlorum.) ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν, id eſt, A ſummis cœlis, hoc eſt, à ſummis uerticibus cœlorum. Et quod hic uertit,

Ad terminos eorum.) Græce eſt, ἕως ἄκρων αὐτῶν, id eſt, Vſque ad ſummos eoſdem, ut duo ſumma intelligas, ſuprema, & ima.

Ab arbore fici.) Græce eſt, A ficu. Sed quoniam uox Latina eſt anceps, bene reddidit periphraſi. Et mox, *Arbor fici, pro ficu.*

Diſcite parabolam.) Hic certe magis conueniebat Latine loqui, Diſcite ſimilitudinem ſiue Collationem, ne quis ſomniet ficum parabolas dicere.

Tener fuerit.) Gemmam ſentit in ſurculis, unde erumpunt frondes. Nec eſt Nata, ſed Enata, ἐκφυῇ.

Et ſcitote.) γινώσκετε. Anceps uerbum eſt, quod modo uertit, Scitis. Vt omittam quod ὅτι tranſtulit, Quia, non ſuo loco. Et,

In ianuis.) Rectius erat, In foribus, ſiue Ad fores. Eſt enim ſermo prouerbialis, quo ſignificamus aliquid eſſe in proximo.

Generatio hæc.) ἡ γενεὰ αὕτη. Illud obiter annotandum, γενεὰν apud Græcos aliquoties accipi, non pro ipſa natione, ſeu gente, ſed pro eo, quod Latini nunc ætatem uocant, nunc memoriam, nonnunquam & ſeculum. Vnde Neſtor ἓξ γενεὰς uixiſſe legitur, quod tres hominum ætates duraſſet. Ad eum modum uidetur hoc accipi loco. *Generatio, pro ætate hominum.*

Donec omnia fiant.) ταῦτα πάντα, id eſt, Hæc omnia.

Non præteribunt.) παρέλθωσιν. Et paulo ſuperius, οὐ μὴ παρέλθῃ. Abuti uidetur his uerbis, præſertim cum his uocibus οὐ μὴ: alioqui magis ſonat, Non prætereant, ſiue Præterire non poſſint, διαπερῶσι.

Nec angeli cœlorum.) Expreſſius erat, Ne angeli quidem. Cæterum in Marco additum eſt, μηδὲ ὁ υἱός, id eſt, Neque filius. Et fatetur diuus Hieronymus hoc aſſcriptum fuiſſe etiam apud Matthæum in nonnullis Latinis codicibus, in Græcis non haberi, præſertim in exemplaribus Adamantij, ac Pierij. Atqui ex homilijs Origenis, quas ſcripſit in Matthæum, apparet illum addidiſſe Filium, cuius hæc ſunt uerba: Qui non cognouerunt de die illo, & hora, neq; angeli cœlorum, neq; filius. Præparat enim filius ſcientiam diei illius & horæ coheredibus promiſſionis illius, ex quo ſeipſum exinaniuit. Ac paulo poſt: Et præparans omnem quem uult ſcire illum diem, & horam cum ſanctis angelis, & cum ipſo domino noſtro Ieſu Chriſto. Ad eundem modum legit Auguſtinus in homilijs quas ædidit in Matthæum, ſermo. xxi. nec legit ſolum, uerumetiam interpretatur. Cumq; hoc Hilarius, cum ait in expoſitione canonis, dicens diem illum omnibus eſſe incognitum, & non ſolum angelis, ſed etiam filio ignoratum. Legit & interpretatur eodem modo Chryſoſtomus. Apud Theophylactum in contextu quidem neſcio quo caſu nō additur, quū interpretetur particulam de filio. Denicq; & Hieronymus ipſe in progreſſu enarrationis ſequitur hanc lectionem. Et cum Marcus ἐπιτομὴν ſcripſerit Matthæi, conſentaneum eſt illum non hoc addidiſſe de ſuo, Proinde ſuſpicor hoc à nōnullis ſubtractum, ne Arrhianis eſſet anſa, confirmandi filium eſſe patre minorem, qui nobiſcum aliquid ignoraret. Verum erat igitur ex Marco item eradendum, ubi planè legitur. Neq; conuenit hac uia tollere occaſiones hæreticorum, alioqui bona pars euangeliorum foret eradenda. Et in primis illud, Pater maior me eſt. Interpretatione medendum erat huic malo, non raſura: calamo, non ſcalpello. *Nec filius deit nouit diem extremi iudicij.* *Vitata occaſio Arrhianorum.*

Sicut autem in diebus Noë.) Etiamſi nihil refert ad ſenſum, tamen non eſt, In diebus Noë, ſed ὥσπερ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, id eſt, Sicut dies illi Noë, ſic erit &c.

Nubentes, & nuptui tradentes.) γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες. Rurſum, Nubentes accommodauit uiris. Dicere poterat, Ducentes uxores, & nuptum dantes. ut alterum ad uiros pertineat, ſeu magis ad utroſq;, ſponſum ac ſponſam: alterum ad ſoceros, & ſocrus. *Nubere, γαμεῖν.*

Vnus aſſumetur.) Latinius Vnus & unus, uertiſſet in Vnus & alter, aut in Alter & alter. Deinde librarius, opinor, mutauit tempus uerborum. Nam Græcis eſt, ἀφίεται & παραλαμβάνεται, id eſt, Relinquitur & aſſumitur. Nec eſt ocioſa temporis catachreſis. Indicat enim rem mox, ac certo futuram. Quandoquidem Chriſtus uoluit ſuos in hac eſſe opinione, ut extremum illum iudicij diem ſemper expectarent parati, ceu mox uenturum, non quod uellet eos errare, ſed quod uere mox uenit, etiam quod poſt aliquot annorum milia uenit *Extremi iudicij dies omnibus incertus, & ſemper expectatus.*

lia uenit,si quis æternitatem contempletur.Et quod certo scitur esse uenturum,nec scitur quando,semper uelut instet expectatur.Atq; in hac opinione fuisse uidemus Petrũ, Paulum,Hieronymum,Gregorium,cumq; his innumeros alios. Nec est,

Si sciret.) Sed εἰ ἤδει, id est,Si scisset.

Duo in lecto,unus assumetur,& unus relinquetur.) Hanc particulam hoc loco non addunt Græci codices. Nec apud Theophylactum, uel legitur, uel exponitur. Chrysostomus tamen exponit, nescio an aliunde ascitum. Videtur huc asscriptum ex Lucæ capite xvij.Græce lectioni suffragabantur duo codices diui Donatiani,& Cõstantiensis.

Qua hora fur uenerit.) Nonnulli Græci codices scriptum habebant, ποίᾳ φυλακῇ, id est, Qua custodia. Atque ita legit Origenes in homilijs. Porrò custodiã uocauit tempus excubiarum. Veteres enim noctem in aliquot excubias diuidebant,quas alicubi uigilias uocat.Ponit enim duas personas,patremfamiliâs excubantem, & furem insidiantem. Nec est,Sineret,sed εἴασε, id est,Passus fuisset,aut siuisset. Fingit enim alicui parum uigilanti,domum perfossam à furibus,non id passuro, si scisset tempus nocturnum quo fures essent aggressuri.Porrò furem uult intelligi,diem illum extremum:patremfamiliâs, unũquemlibet nostrum.Ergo cum ille ueluti fur obrepere tentet, & incertum sit quo tempore,nobis uidelicet iugiter est excubandum,ne dormitantes opprimat. Vnde miror Hilarium furem hunc interpretari diabolum,licet autorem sequutus sit Origenem,sed sæpe coactius enarrantem sacras literas. Nihil enim est quod nos offendat dissimilitudo rerum, aut personarum collatarum.Satis est in hoc constare similitudinem, ad quod adhibetur. Fur non expectatus obrepit:eaq; res facit,ut semper uigilet paterfamiliâs:Ita dies ille inopinantes opprimet,ni semper excubuerimus.

Christi aduentus, furi nocturno comparatus.

Quia nescitis qua hora uenturus sit filius hominis.) Græci sic habent, ὅτι οὐκ οἴδατε ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κύριος τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται, id est,Quia qua hora non putatis,filius hominis uenit.Ita legit Chrysost.uel huius interpres: etiamsi secus legit Theophylact. quẽ Græcũ habebamus.

Quis putas.) τίς ἄρα, id est, Quisnam.Nam ita maiult Valla.

Quem constituet.) κατέστησεν, constituit, præteriti temporis est. Ponit enim quod acciderit,ad similitudinem.

Cõstituit, pro constituet.

Familiam suam.) θεραπείας, id est,Famulicium,ut intelligatur eum præfectum famulis. Vt dissimulem,quod εὐρέσει rectius uertisset,Offenderit,siue Repererit, quàm Inuenerit.

Super omnia bona.) ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ, id est, Super omnes res suas: siue ut alicubi citat Hieronymus, Super uniuersam substantiam: propius accedens ad Græcum sermonem exprimendum.Etiamsi non male uertit interpres.

Moram facit dominus meus uenire.) χρονίζει ἐλθεῖν, id est, Contatur redire, siue Differt reditum.Nec additur Suos,sed tantum est,Conseruos.

Manducet autem & bibat.) ἐσθίειν τε καὶ πίειν, id est,Edereq; & bibere,ut pendeat à uerbo Incipiet.Quanquam in nonnullis est ἐσθίειν δέ, id est,Edere uero.

Qua non sperat.) ᾗ οὐ προσδοκᾷ, id est,In die quo non expectat. Mirum autem cur hic interpretem delectarit ἀκυρολογία, qui sperare maluerit, quàm expectare, cũ Græce sit expectare.

Sperare, pro expectare.

Et diuidet eũ.) Διχοτομήσει, id est,Dissecabit:à διχατέμνειν, id est,In duas dissecare partes

EX CAPITE VIGESIMOQVINTO.

QUinque sponso & sponsæ.) Et sponsæ,nõ additur in Græcis codicibus.Nec apud Chrysostomum, aut Hilarium ulla fit Sponsæ mentio. Apud Chrysostomũ homilia septuagesimanona,qua locum hunc ediserit:Ac ne in contextu quidem, qui præferri solet, nec in tota enarratione Sponsa nominatur, quod attinet ad occursum.Apud Hilarium uero in canone huius euangelij. Quanquam apud Origenem homilia trigesimasecunda, in titulo historiæ Euangelicæ, nescio quis adiecit,cum ipse disserens,nullam Sponsæ faciat mentionẽ: Aut potius sic facit mentionem,ut declaret se Sponso tantum legisse,non Sponso & Sponsæ.Sic enim exponit:Omnes isti sensus lampadas suas accipiunt,id est,Organa sua naturalia,siue secundum uerbum dei uti uolentes,siue & cõtra uoluntatem dei,tamen accipiunt eas, quando recipiunt sponsum esse ecclesiæ uerbum dei,& filium dei. Et egrediũtur de mundo, & de

Spõsus occurrens sponsæ.

erroribus

erroribus deorum multorum,Et ueniunt obuiam saluatori, qui semper paratus est ueni/re ad uirgines eas,ut simul ingrediatur cum dignis earum,ad beatam sponsam ecclesiam. Hactenus Origenes.Ex his liquet obuiam iri sponso eunti ad sponsam,ut illum deducant in ædes sponsæ. Nam sponsa domi sedet,sponsum operiens. Non prodit foras,uelut aui/da uiri. Item in cæteris. Cum repetitur de mora sponsi, de clamore coorto,Ecce sponsus uenit,de sponsa siletur. Tantum uno loco uidetur Origenes occursum & ad sponsam re/ferre,cum ait,oportere obuiã ire sponso uerbo,& ecclesiæ immaculatæ. Atqui ubi de cla more dicitur,quo omnes uocantur ad occursus officium, cõstat nullam fieri sponsæ men tionem. Ait enim,Ecce sponsus uenit,exite obuiam ei. Quanquã hac de re non est,quod quisquam contendat.Quod si quis alicubi repererit additum Sponsam,intelligat & spon sam aliquousq; sponso occurrere,ut sponsi comites recte dicantur utriq; occurrisse.Spon sus Christus est,& huc spectat tota parabola,ut illi iam aduenienti,fide ac pijs factis obui am eamus. Ad spõsam nulla parabolæ pars pertinet:imò illi ipsi qui bene occurrũt,spon/sa sunt.Etiamsi me non fugit, apud Augustinum addi sponsæ mentionem,epistola cente simauigesima. At rursum sermone de uerbis domini ex Matthæo uigesimosecundo,locũ hunc edisserens,nec legit,nec enarrat sponsæ uocabulum. Theophylactus nec legit spon sæ,nec attingit in enarrando. *Sponso & sponsæ.*

Non sumpserunt.) ἔλαβον. Aptius erat Sumpserant.In his enim præterito imperfecto aut secundo indefinito,uice præteriti plusquamperfecti abutimur. *Non sumpse/runt.*

Ne forte non sufficiat.) μήποτε, id est, Ne non sufficiat:aut si mauis exprimere coniun ctionem expletiuam,Ne quando non sufficiat.Nec est simpliciter,

Emite uobis.) Sed ἀγοράσατε ἑαυταῖς, id est, Emite uobis ipsis. Est autem inabsoluta o/ratio,ni subaudias,timemus,aut periculum est,aut non faciemus.Intelligitur enim id,qd̃ non explicatur,prudentes uirgines negasse illis oleum. Nec est, *Sermo imper/fectus.*

Dum irent emere.) Sed ἀπερχομένων δὲ αὐτῶν ἀγοράσαι, id est,Abeũtibus autem illis ad emendum,uenit sponsus &c,

Nouissime.) ὕστερον, id est,Deinde,siue Posterius. Quod ut aliâs tolerabile sit,hic certe non quadrabat, cum de duobus uirginum ordinibus loquatur. Vero non additur nec a/pud Græcos,nec in codice aureo.

Vigilate itaque.) Quidam addunt, Et orate,quod nec in Græcis inuenitur,nec in no/stris emendationibus.

Quia nescitis diem,neq; horam.) Hoc loco repetunt Græci codices,quod superius ad debatur,In qua filius hominis ueniet, ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται.

Bona sua.) τὰ ὑπάρχοντα, Facultates suas,siue Substantiã suã,uti supius admonuimus.

Propriam uirtutem.) δύναμιν, id est, Facultatem, siue Potestatem:ut ad uires, non ad probitatem pertineat. *Virtus, δύναμις.*

Et lucratus est.) καὶ ἐποίησε, id est, Et fecit, siue Confecit. Et Latinius, Altera duo, quàm Alia duo.

Venit & posuit.) Vtrunque præsentis est temporis, ἔρχεται & σωαίρει, id est, Venit & subducit,siue Ponit.Ac paulo post, προσήνεγκεν, id est,Attulit potius quàm tulit.

Superlucratus sum.) ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς. id est, Lucratus sum supra,siue ultra ea,quod idem & postea simili modo repetitur. Certe lucratus sum habebat codex aureus. Qui/dam codices pro ἐπ' αὐτοῖς, habebant ἐν αὐτοῖς, id est, In illis, Hebraico more, pro eo quod est, Per illa.

Euge serue.) εὖ δοῦλε, id est,Bene,seu Recte serue. Vox est collaudantis,& applauden tis,ei qui sit functus officio.Licet idem polleat euge, εὖγε, bene sane. *Euge, εὖ.*

Congregans ubi non sparsisti.) καὶ συνάγων ὅθεν οὐ διεσκόρπισας, id est, Congregans inde,ubi non sparsisti.

Meto ubi non semino.) θερίζω ὅπου οὐκ ἔσπειρα, id est,Meto ubi non seminaui.Nec est Pe/cuniam Græce,sed ἀργύριον, id est,Argentum.Quam uocem diuus Hieronymus ad my sterium accommodat,etiamsi Græcis nõnunquam pro pecunia usurpatur,sed argentea, per synecdochen,quemadmodum pro gladio dicimus ferrum. *Pecuniã, ἀργύριον.*

Committere pecuniã meam.) Cõmittere nõ est hic Credere, sed βαλεῖν, hoc est Depo/nere.

nere. Quanꝯ ſenſum bene reddidit interpres. Ac mittere cõperi ſcriptũ in codice aureo.

Et quod uidetur habere.) καὶ ὃ ἔχει, id eſt, Et quod habet. Atque ita legit & Hilarius. unde apparet ex altero Euangeliſta huc tranſcriptum, quod abſurdum uidebatur tollere quicquam ab eo, qui nihil habeat.

Maieſtatis ſuæ.) δόξης, id eſt, Gloriæ. Nam ita frequenter gaudet uertere.

Et ſeparabit eos ab inuicem.) Cum præceſſerit Gentes, tamen mutato genere ſubiecit Eos, quod tamen interpreti non poteſt imputari, cum ſic habeatur in Græco. Verum ab inuicem Latinius certe reddi poterat, Separabit eos, alios ab alijs, ſiue Alteros ab alteris, cum de duobus loquatur ordinibus, altero piorũ, altero impiorum. Porrò συναγάγετε bene uertit Collegiſtis, pro Hoſpitio excepiſtis hoſpitem & errantem.

Tũc dicet rex & his qui à ſiniſtris.) Rex, nec additur apud Græcos, nec in aureo cod.

Sitientem.) ἢ διψῶντα, id eſt, Aut ſitientẽ: cõſentientibus & antiquis Latinorũ codicib.

Fratribus meis minimis.) ἐλαχίσων. Mirũ quid interpreti uenerit in mentem, ut eandẽ uocem paulo poſt uerteret per comparatiuũ minoribus, cum de eiſdem loquatur. Et tamen ex hoc loco, puto, ſibi cognomen Minorũ ſumpſerũt quidam Franciſcanæ familiæ.

Minores unde

Maledicti.) κατηραμένοι, id eſt, Execrati, ſiue deuoti.

EX CAPITE VIGESIMO SEXTO.

PAſcha fiet.) γίνεται καὶ παραδίδοται, id eſt, Fit & traditur. Vtrunque Græcis præſentis eſt temporis.

Caiphas.) Græci ſcribunt καϊάφας, id eſt, Caiaphas, quatuor ſyllabis.

Ne forte tumultus fieret.) ἵνα μὴ θόρυβος γένηται, id eſt, Ne tumultus fiat, ut referatur ad perſonam Phariſæorum, his uerbis inter ſe conſultantium, Ne quid tentemus in die feſto, ne tumultus oriatur in plebe per occaſionẽ diei feſti. Nam forte addidit de ſuo interpres.

Perſona alia.

Alabaſtrum.) ἀλάβαστρον, delicata pyxis unguentaria uitrea, ita dicta à λαβεῖν prehendere, & particula priuatiua α, addita per pleonaſmum ϛ, quod ob leuorem comprehendi non poſſit. Sic & Horatius: Nardi paruus onyx. Et, Precioſi, eſt βαρυτίμου, quaſi dicas, grauis precij, quod olim appenderetur æs, non numeraretur.

Alabaſtrus unguenti, ut onyx nardi.

Multo.) Eſt quidem Græce πολλοῦ, tamen Latinius, opinor, erat Magno.

Vt quid perditio.) Non eſt hic ἵνα τί, ſed εἰς τί, id eſt, Ad quid, ſiue Quorſum.

Quid moleſti eſtis.) τί κόπους παρέχετε, id eſt, Quid moleſtias exhibetis, aut Cur negociũ faceſſitis? Quanquam recte uertit interpres.

Opus bonum.) ἔργον καλὸν, quod non ſimpliciter bonum, ſed egregium, ac pulchrum ſignificat. Et,

Meipſum autẽ non ſemper habebitis.) Vtrobiq; Græcis eſt ἔχετε, id eſt, Habetis, præſentis temporis. Nec eſt ἀεὶ, aut διὰ παντὸς, id eſt, Semper, ſed quouis tempore, πάντοτε, quod πᾶν, unde compoſitum eſt, ad hunc quoq; modum poſſit accipi.

Pauperes habetis.

Mittens enim.) βαλοῦσα præteriti temporis eſt, unde plenius ſic extuliſſet, Nam quod hæc miſit unguentum hoc in corpus meum, id fecit in ſepulturam mei, ut ſignificet ſe breui moriturum.

Dicetur quod hæc.) λαληθήσεται καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη, id eſt, Dicetur & hoc quod hæc fecit. Nam Quod, hoc loco non eſt coniunctio, ſed nomen relatiuum.

In memoriam eius.) εἰς μνημόσυνον αὐτῆς. Eius, fœminini generis eſt, unde ad ipſam refertur mulierẽ, magis congruebat ipſius. Porrò μνημόσυνον non ſimpliciter ſignificat memoriam, ſed pignus aliquod, aut monumentũ, quod amicus apud amicũ relinquit, quod illum ſui commonefaciat. Vnde non inepte uertiſſet, In monumentũ ipſius. Cæterũ hæc particula In memoriam eius, non refertur ad propius uerbũ fecit, ſed ad prius dicetur.

Memorial, μνημόσυνον

Iudas Scariot.) Ἰσκαριώτης, id eſt, Iſcariotes: de quo iam admonuimus.

Iſcariotes.

Primo autem die.) Die, apud Græcos ſubauditur, non explicatur: ſicut & illic, Prima aũt ſabbati. hic τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, id eſt, ut uerbũ uerbo reddam, Primo infermentato rum. ut ſubaudias totidẽ ſubſtantiua, quot ſunt articuli, Primo die panũ infermentatorũ.

Azymi infermentati.

Ad quendam.) πρὸς τὸν δεῖνα, id eſt, Ad illum. Sic autem loquuntur Græci, cum ſignificant certum hominem, quem tamen nõ nominent. Vnde apparet Chriſtum ædidiſſe nomen,

men,cæterum Euangelistam obticuisse.

Qui intingit mecum.) ὁ ἐμβάψας, id est,Qui intinxit.Etenim si,illo intingente manū, dixisset,Qui intingit mecum,hic me prodet,indubitatū ac manifestum fuisset signū.Nūc autē uoluit etiam locum dare pœnitentiæ Iudæ.Et tamen propius argumentū dixit, indicans illum non solum adesse in conuiuio,uerūetiam in eadem patina,in idem ius immergere manum,quod est intimæ familiaritatis.Quēadmodum annotauit & Origenes homilia trigesimaquinta,sic enarrans hunc locum,ut hoc sermone Christi,magis sit exaggerata insignis Iudæ malicia,quem ne mensæ quidem cōmunis familiaritas,quæ solet ethnicis quoq; haberi sacra,à destinato facinore retraheret. *Qui intīxit,p qui intingit.*

In paropside.) ἐν τρυβλίῳ, id est,In catino,siue patina.Mirum quur libuerit Græcam uocem altera Græca reddere.

Per quem filius hominis tradetur.) παραδίδοται, id est,Traditur,præsentis temporis uerbum.Iam enim hoc agebatur,nimirum præstituta pecunia.Et mox:

Qui tradidit illum.) ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, id est,Qui tradebat,siue Traditor illius.

Cœnantibus autem.) ἐσθιόντων, id est,Edentibus,siue Vescentibus.

Accipite & comedite.) λάβετε,φάγετε, Sumite,edite,citra copulam. Et hic Chrysostomus enarrans,repetit illa ex Paulo,Quod pro uobis frangitur. Theophylactus fuisse uerum corpus,non corporis figuram,quod panis ineffabili modo transformetur. *Accipite, edite*

Et accipiens calicem.) καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, Et sumpto poculo,& gratijs actis,dedit illis.

Hic est enim sanguis.) Enim non est in nonnullis Græcis codicibus,ut nec paulo ante in consecratione corporis.

Noui testamenti.) Articulus additus significātiorem Græcis reddit orationem, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, id est, Qui est noui testamēti.Significat aūt hic testamentū,quod cōdunt morituri. Qui pro multis effundetur.) τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, id est,Qui pro multis effunditur.Quanq; reperio hoc nonnunq; pro futuro poni sicut ἐρχόμενος: nisi quod Paulus utrunq; præsentis temporis participio extulit, τὸ κλώμενον & τὸ ἐκχυνόμενον, id est,Quod frangitur quod effunditur,quemadmodum suo annotabimus loco. Effunditur legit & interpres Origenis homilia trigesimaquinta. *Effunditur, frangitur.*

Et hymno dicto.) καὶ ὑμνήσαντες, id est,Cum dixissent,siue cecinissent laudes,ut intelligas apostolos dixisse hymnos non tantum Christum. *Hymno dicto*

Oliueti.) Rursum ἐλαιῶν, id est,Oliuarum,quod iam toties fuit obuium.

Percutiam pastorem.) Vaticinium est apud Zachariam prophetam capite decimo tertio.Conuenit autem æditio Septuaginta cū Hebraica ueritate,nisi quod pro eo quod Hieronymus uertit, Super uirum adhærētem mihi,Septuaginta uerterint, ἐπὶ ἄνδρα πολίτην αὐτοῦ, id est,Super uirū ciuem eius.Id Hieronymus accidisse putat ambiguitate unius elementi ו, quod nō discrepet à י nisi sola magnitudine:& si י legatur,Meum significat, si ו, Eius.Septuaginta uerterunt hoc modo, πάταξον τὸν ποιμένα & διασκορπισθήτωσαν τὰ πρόβατα. Ex πάταξον Euangelista fecit πατάξω, & ex διασκορπισθήτωσαν, fecit διασκορπισθήσονται. Præterea quod illic dictum est sub persona prophetæ rogantis,ut deus percutiat pastorem,Euangelista accōmodauit ad personam ipsius dei.Id enim prodidit Hieronymus libro de optimo genere interpretandi ad Pammachium:atq; eadē ferè repetit, enarrans hunc prophetæ locum.Atqui hac sanè in re,aut ego prorsus hallucinor, aut lapsus est Hieronymus:quem ut fateor uirum fuisse summa doctrina,pari eloquentia,incomparabili sanctimonia,ita hominem fuisse nō possum diffiteri.Etenim si quis attētius expendat eum prophetæ locum,is comperiet,nihil esse necesse,imò non nisi dure,hæc ad prophetæ personam accōmodari.Quod quo magis perspicuum fiat,ipsa uerba subscribam. Framea suscitare super pastorem meum,& super uirum cohærētem mihi, dicit dominus exercituum.Hæc certe palàm est dici sub persona dei,cum addiderit,dicit dominus exercituum.Ac mox sequitur:Percute pastorem,& dispergentur oues. Hæc quoq; sunt dei uerba alloquentis gladium suum.Quod si quis uelit aliò torquere, certe quod sequitur non sinet:Et cōuertam manum meam ad paruulos.Atq; adeo reclamat euidentius,quod continēter adiungitur,Et erunt in omni terra dicit dominus.Hunc quoq; locum magnis *Excussa Hieronymus sententia.*

tragœdijs calumniatus est quidam,qui si tam esset ad docendum quæ recta sunt instructus,quàm uidetur animatus ad calumniandum aliena,dignus esset qui inter celebres scriptores annumeraretur.Cum nemo plus tribuat Hieronymo, cum illud in me criminati sint quidam,libris etiam æditis,quod Hieronymum Augustino alioqui summo prætulerim:hic me clamitat mihi Hieronymum unum ex omnibus delegisse,qui cum monomachiam susciperem,& canit frigidum Hieronymi encomium,quasi non ante sit à me maiore spiritu laudatus.Quãquam hoc ipsum laudis quod hic tribuit Hieronymo, mutuatus uidetur ex meis scriptis.Et hos tumultus cit homo turbulentus,quod in re minime periculosa dissenserim ab Hieronymo,cum summa tamen honoris præfatione, præsertim cũ ipse Hieronymus sibi parum constet.Ego sacrilegus,qui Hieronymum dixerim hominẽ esse.Quid autem dici potest clementius? Et actum erat de honore Hieronymi, ni lapis iste uiri patrocinium tanto spiritu suscepisset. Sed ut omissis cauillis, rem lectori paucis aperiamus,In libello de optimo genere interpretandi,cũ hoc ageret ex professo Hieronymus,ut ostenderet quædam apud Hebræos discrepare ab interpretatione Septuaginta, aut apostolorum citationibus,adduxit & hunc Zachariæ locum,sic distinguens personas,ut argumento quod instituerat tunc,congruebat.Cæterum in commentarijs quibus locũ hũc Euãgelistæ enarrat,sic tẽperat sententiam,ut quod in libello de optimo genere interpretandi scripserat,propemodum recantare uideatur:Hoc,inquit,alijs uerbis in Zacharia propheta scriptum est,& ni fallor,ex persona prophetæ ad deum dicitur, Percute pastorem.Porrò quod hunc sensum confirmat consensu psalmi sexagesimi: Quoniam quem tu percussisti,persequuti sunt,Vt demus hoc sensisse psalmographum,quod interpretatur Hieronymus,haud cogit tamen,ut persona loquentis mutetur.Cum enim constet priorem partem uaticinij,Framea suscitare super pastorem meum, pertinere ad deum patrem,si quod mox sequitur ad eundem referatur: Percute pastorem &c. tamen idem existit sensus,Christum à patre fuisse percussum, qui suo gladio mandauit, ut percuteret. Percutit enim, qui percutiendum tradit.Cæterum Hieronymus enarrans ipsum prophetam,magis etiam à seipso dissentit,& accommodat totam orationẽ patri. Quod quo magis perspicuum sit,ipsius uerba subscribam:Nec putandum est de altero loco assumptum testimonium,quia in euangelio deus à se pastorem dicit esse percussum,& in præsenti loco gladio atque mucroni legimus imperatum:Percute pastorem,& dispergẽtur oues.Hactenus Hieronymus. Vides palàm patris imperantis mucroni suo uocem esse,Percute pastorem,non autem uerba prophetæ obsecrantis. Vides nullam esse mentionem eius rei,quam posuerat in libello de optimo genere interpretandi, cum hic maxime tempestiuum fuerit hoc inculcare.Quid igitur dissonat in Matthæo? Verba dissonant, res eadẽ est.Quisquis enim loquit̃ gladio suo, Percute, significat se mox uelle percutere, & ideo Matthæus uerbis omissis sensum expressit:Percutiam pastorem. Quin & pronomen omisit Matthæus, quum in propheta sit, Super pastorem meum. Quod ipsum etiam inuitat,ut sermonem patri potius accommodemus.Suum enim uocat unicum illũ se dignum,cum alijs alij sint pastores,quorum nonnulli tales sunt,ut illis percussis, melius habeat grex.Sed exultat calumniator,docens nos personas in literis diuinis aliquando mutari subito.Nihil erat necesse,ut hoc ab isto disceremus, quod toties in libris nostris testati sumus. Verum hic nihil cogebat mutare personam.Et apparet Hieronymum suæ sententiæ pœnituisse.Atque hic est doctor iste egregius, qui omnibus rebus instructus,accessit ad tractandas sacras literas,quas ego heri aut nudiustertius cœpi attingere. Cum ante annos uiginti scripserim Enchiridion:& in hoc opere tumultuario quod inficiari non possum,plura citem ex diuersis autoribus,quàm operis ratio postulet.Ipse tantum in his quæ à nobis citantur obambulet, uenans quod arrodat. Ac ne hoc quidem, quanquàm non tumultuanter,sed per ocium agat,illi feliciter succedit. Sed ut missum faciam,hunc lapidem,arbitror Hieronymum hac in parte æquiorem esse suo Antimacho,quàm tali Symmacho.

Gallus cantet.) φωνῆσαι id est,Sonet.Et Græcus quidem sermo per se anceps est,nisi hypostigme iungat,Ter,aduerbium uerbo Abnegabis:etiamsi apud alios Euangelistas non est eadem ambiguitas.

Tunc

Tunc uenit Iesus.) Venit præsentis est temporis, ἔρχεται

In uillam quæ dicitur Gethsemani.) χωρίον, id est, In locum: quando ita mauult Valla. Nam ad sensum haud magni refert. Alibi uertit agrum, & agrum hoc loco legit Hilarius. Porrò Gethsemani, Hebræis sonat, uallis pinguedinum. Nam גַּיְא uallem, שֶׁמֶן pinguedinem significat. Ea est ad radices montis Oliueti, ut testatur Hieronymus in locis Hebraicis. *Gethsemani uallis pinguedinum autore Hieronymo*

Contristari & mœstus esse.) λυπεῖσθαι & ἀδημονεῖν, id est, Dolere & grauiter angi. Nam ἀδημονία, impotentem animi molestiam significat: quo uerbo usus est & Paulus, ut suo demonstrabimus loco.

Tristis est anima mea.) Triste magis dicitur, quod tristiciam adfert, seu molestiam. Latinius erat, In dolore est, siue Mœret, aut Mœsta est anima mea.

Sustinete hic.) μείνατε ὧδε, id est, Manete hic. Et aliquanto inferius:

Iterum secundo abijt.) Latinius erat, Et rursus iterum abijt, πάλιν ἐκ δευτέρου ἀπελθών.

Venit & inuenit.) Vtrunq; præsentis temporis, ἔρχεται & εὑρίσκει, & reperit potius q̃ inuenit. Sic non potuisti.) οὕτως οὐκ ἰσχύσατε, id est, Adeo non potuistis, siue Siccine non potuistis: suffragante & aureo codice.

Transire nisi bibam illum.) παρελθεῖν ἀπ' ἐμοῦ ἵνα μὴ αὐτὸ πίω, id est, Transire à me, ut non bibam, siue Quo minus bibam illum. Atque ita sanè legit Chrysostomi interpres homilia trigesima quinta

Et uenit iterum.) καὶ ἐλθὼν εὗρεν αὐτοὺς πάλιν καθεύδοντας, id est, Et cum uenisset, reperit eos denuo dormientes.

Tunc uenit ad discipulos.) Hic Venit & Dicit utrunque præsentis est temporis ἔρχεται τῷ λέγει.

Dormite iam & requiescite.) Dubium erat, an legendum esset: Dormite & requiescite, an Dormitis & requiescitis, nisi addidisset λοιπὸν, id est, Posthac, siue De cætero, pro quo interpres posuit iam: Nec id sanè male. Argutatur hoc loco Laurentius Valla, nescio quid, non conuenire, ut qui paulo ante obiurgauerit suos quod dormierant, nunc dormire iusserit: præsertim cum mox subijciat: Surgite eamus hinc. Quãquam Origenes, Chrysostomus, Hilarius, & Hieronymus in hunc sensum interpretãtur, ut Christus iusserit eos dormire, Et allegorijs rem explicant. Verum saluo aliorum iudicio, potest sermo Christi habere nonnullam ironiam, Hactenus non potui à uobis impetrare, ut paulisper mecum uigilaretis, nunc ipsa res excitabit uos, cum uideritis meum supplicium, & uestrum periculum. Atque ita probe quadrant ea quæ consequuntur, Surgite, ecce appropinquat. Atq; hæc mea sententia minus mihi displicere cœpit, posteaquàm comperissem Theophylactum in Marcum multis uerbis eam inculcare. *Notatus Valla.* *Ironia in sermone Christi.*

Ecce appropinquat.) ἰδοὺ ἤγγικεν, id est, Ecce appropinquauit, præteriti temporis, siue Adest, aut In propinquo est.

Et filius hominis tradetur.) Traditur est Græce, præsentis temporis, παραδίδοται.

Ecce appropinquabit qui me tradet.) ἤγγικεν ὁ παραδιδούς με, id est, Appropinquauit qui me tradit. *Appropinquauit pro immineт.*

Cum gladijs & fustibus.) & ξύλων, id est, Et lignis. Atq; ita uertit alibi.

Missi à principibus.) Missi, addidit interpres explicandi causa, quanquam non habita generis ratione, cum præcesserit turba: ut dicendum potius fuerit missa.

Ad quid uenisti.) ἐφ' ᾧ πάρει, id est, Ad quid ades, siue aduenis. Nec ita potest accipi, ut intelligamus, Quó malorum uenisti, sed Cuius rei gratia uenisti: quandoquidem articulus est dandi casu ᾧ. Etiamsi in nonnullis exemplaribus scriptum reperio ἐφ' ὅ. Quanquã omnino noue, articulus postpositiuus usurpatus est, uice τίνι aut τί.

Amputauit.) ἀφεῖλεν, id est, Abstulit.

Gladio peribunt.) In gladio est Græce, tametsi præpositionem recte omisit interpres. Nec est Peribunt in nonnullis exemplaribus, sed morientur, ἀποθανοῦνται. Atque ita legit Augustinus secundo cõmentario, quo explicat sermonem Christi habitum in mõte. Locus hic nõnihil distorsit diuum Augustinum, quod palàm refelli possit hic sermo, gladio perituros, quicunq; gladium sumpserint, cum constet latrones etiam aliquot non perire gladio *Gladio perire qui gladio percusserit quomõ accipiẽdũ*

gladio. Proinde interpretatur gladio peccati iugulari animam eius qui gladio percusse/rit. Quod si uerum est, quid opus erat uerbum futuri temporis Morietur. Iam enim mor/tua est anima percussoris etiam priusquam gladium uibret in proximum. Itaq; mea qui/dem sententia simplicius erit, ut dicamus Christum in genere sensisse, non esse apostolicũ; uti huiusmodi defensiõe, ut ferrum ferro repellamus, & iniuriam iniuria retaliemus. Nec enim ad eum modum uitari malum, sed fieri ut mutuis iniuriarum uicibus sine fine pro/pagetur malum. Alioqui si ad uiuum exigamus hunc sermonem, imò si ad uerba, quid fa/ciemus iudici & magistratui gladium portanti? quid imperatori, qui solẽni etiam ritu gla/dium accipit à Christi uicario? Sunt huiusmodi permulta Christi dicta, in quibus senten/tiæ summam spectare conuenit.

Modo, p nũc

Et exhibebit mihi modo.) Modo, in locum non suum translatum est, cum debuerit ad/iungi uerbo rogare, ὅτι οὐ δύναμαι ἄρτι παρακαλέσαι, id est, Quod non possim nunc roga/re. Suffragatur & codex aureus. In Constantiensi rasura declarabat studiũ deprauatoris.

Legiones.) Hic quoq; Græcus usurpauit uocem Latinam, λεγιῶνας.

Quia sic oportet fieri.) Si, quod, accipitur εἰδικῶς, supplendum est aliquid ad sensum. Scripturæ quæ dicunt, quod ita oportet fieri.

Vt adimplerentur.) πληρωθῶσιν, Vt impleantur, ut ad Christi loquentis personam re/feratur. Quanquam potest & ad apostoli personam scribentis referri.

Vsque in atrium.) ἕως τῆς αὐλῆς, id est, Vsq; atrium, siue usq; ad atrium.

Vt eum morti traderent.) ὥς, siue ὅπως θανατώσωσιν, id est, Vt occiderent: aut si placet periphrasis, Morte afficerent: etiamsi Vergilius dixit, Dede neci.

Et non inuenerunt.) In Græcis codicibus bis ponitur, Et non inuenerunt, siue Inuenie/bant, καὶ οὐχ εὗρον. καὶ πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων οὐχ εὗρον, id est, Et non inuene/runt. Et cum accessissent multi falsi testes, non inuenerunt. Ad eum modum legit inter/pres Origenis homilia trigesima quinta. Nec est ociosa repetitio. Itidẽ legit & Theoph.

Nouissime.) ὕστερον, id est, Deinde, siue Posterius: quod iam sæpius ita uertit. Fortasse comparatiuum positum est pro superlatiuo.

Aedifico, non reædifico.

Et post triduum reædificare illud.) καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι αὐτόν, id est, Per treis dies, siue triduo ædificare illud. Sic enim mox exprobrant: Qui destruis templũ dei, & in triduo ædificas, non reædificas.

Ad ea quæ isti aduersus te testificantur.) τί οὗτοί σου καταμαρτυροῦσι, id est, Quid, siue Cur isti contra te dicunt testimonium?

Calepinus ta/xatus.

Adiuro te.) ἐξορκίζω, Exorcizo. Idem uerbum quo utimur in consecratione aquæ sa/cræ, & eijciendis immundis spiritibus. Sed ubi est interim, quod tam magnifice præcipit Calepinus quidam, clamans ἐξορκίζω uerbum esse barbarum, & solœcismos nostros ride/ri à spiritibus immundis, quoties legimus, exorcizo te, cum dicendum sit, exorgizo te: idq; probat admodum dialectice. Suida, inquit, scribit ἐξοργίζειν esse εἰς πλὴν ὀργὴν ἐμβαλεῖν. Quod perinde est ac si quis dicat, Cepe herbam significat. Igitur Sæpe uidi, non Latine dicitur. Et tamen sunt qui mihi indignantur, quod ab hoc ausim dissentire.

Si tu es Christus filius dei uiui.) Viui, nec est in Græcis, nec in aureo codice.

Dixit illi Iesus.) Dicit est & in Græcis, & in antiquis Latinis.

Blasphemauit.) ὅτι ἐβλασφήμησεν, id est, Quod blasphemauit. Quanquam quod con/iunctio, ut superuacanea recte omissa est. Nam ut Græcis habet uim affirmandi, ita Lati/nis uitiaret sermonis puritatem. Porrò blasphemandi uerbum scio Latinum non esse, sed blasphemiam tamen reliqui, quod nobis atrocius quiddam sonat quàm conuicium, nem/pe conuicium in deum.

Quid adhuc.) τί ἔτι, id est, Quid præterea: aut, Quid insuper.

Audistis blasphemiam.) Græci addunt αὐτοῦ, id est, Eius, siue Ipsius.

Palmas in faciem dederunt.) Græcis unica dictio est ἐῤῥάπισαν, id est, Alapas impege/runt. Non reprehendo tamen, quod periphrasis exprimat indignitatem rei.

Vna ancilla.) παιδίσκη. Potest accipi, ut sonet puellam. Est enim diminutiuum à παῖς.

Exeunte autem illo.) Græce accusatiuus est, ἐξελθόντα δὲ αὐτόν, id est, Egressum autem eum. Nec est Ianuam, sed In uestibulum, εἰς πυλῶνα, siue In uestibulo, aut Ianua.

Alia

Alia ancilla.) Ancilla addidit interpres. εἶδεν αὐτὸν ἄλλη, Vidit illum altera.

Deteſtari.) ἀναθεματίζειν, id eſt, Deuouere, aut Execrari, ſiue ut in quibuſdam legitur, καταναθεματίζειν: quod grauius eſt quàm ἀναθεματίζειν. καταναθεματίζειν

Quia non nouiſſet.) ὅτι οὐκ οἶδα, id eſt, Quia non noui. Quanquã coniunctio ὅτι, non reſpondet Latino: & recte mutauit interpres figuram Hebraicam. Quod tamen aliâs neſcio qua ſuperſtitione non audet: uelut ibi, Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.

Gallus cantauit.) ἐφώνησε, id eſt, Clamauit, ſiue Sonuit. Quanquam recte gallicinium, ſiue galli cantus dicitur.

Quod Ieſus dixerat.) Græci addunt αὐτῷ, id eſt, Sibi, ſiue ipſi. Et Qui legendum eſt, non quod. τοῦ εἰρηκότος, id eſt, Qui dixerat. Id palàm ſit ex interpretatione Origenis: cuius interpres pro, Quod dixit, uertit, Dicentis: ſenſus enim eſt, qui dixerat ita futurũ. Quã doquidem huiuſmodi participium ſeruit utriq; tempori, præterito perfecto, & præterito pluſq; perfecto. Idem interpres pro eo quod Græcis eſt αὐτῷ, uertit, Ad ſe. Ne quis hoc omnino contemnat, per nos annotatum. *Qui dixerat.*

EX CAPITE VIGESIMOSEPTIMO.

PRincipibus ſacerdotum, & ſenioribus populi,) Hoc loco non additur Populi, nec apud Græcos, nec in aureo codice, ſed ſubauditur è loco qui proxime præceſſit.

Sanguinem iuſtum.) ἀθῷον, id eſt, Inſontem, ſiue innocentem. Ita mox uertit, Innocens ego ſum à ſanguine iuſto.

Tu uideris.) σὺ ὄψῃ, id eſt, Tu uidebis, ſiue Videris, prima acuta, ut ſit futurum uerbi ſubiunctiui à uidero. Nec uideo qui conſtet ratio ſermonis, niſi aut dicamus indicãdi modum uſurpatum pro modo imperandi, aut imaginemur ab ὄψομαι futurum, præſens ὄψω: unde ſit imperatiuum ὄψῃ, ſicut à ποιέω ποίῃ.

Laqueo ſe ſuſpendit.) ἀπήγξατο. Vnum uerbum tribus eſt circumloquutus, & recte. Tantum enim ualet ea dictio, ac ſi dicas, laqueo ſe præfocauit. De corbona dictũ eſt aliâs, quod aliter uocant gazophylacium.

Ager ille Acheldemach.) Græci codices non habent uocem Hebraicam, ſed tantum Dictus eſt ager ille, ager ſanguinis. Annotauit hunc quoq; locum diuus Hieronymus in libro cui titulus, de optimo genere interpretandi, negans quod hic citat ex Hieremia Matthæus, prorſus extare apud Hieremiam, Verũ eſſe apud Zachariam prophetam, ſed ita ut quæ retulit Euangeliſta, parum reſpondeant ad Hebraicam ueritatem, ac multo minus ad uulgatam æditionem Septuaginta. Etenim ut idem ſit ſenſus, tamen inuerſa eſſe uerba, imò penè diuerſa. Ob calumnioſos, ipſius Hieronymi uerba ſubſcribã. Rurſus in Matthæo, redditis à Iuda proditore triginta argenteis, & empto ex eis agro figuli, ſcribitur: Tunc impletum eſt, quod ſcriptum eſt per Hieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt &c. Hoc in Hieremia penitus non inuenitur, ſed in Zacharia aliis multo uerbis, ac toto ordine diſcrepãte. Vulgata quippe æditio ita ſe habet: Et dicam ad eos, Si bonum eſt coram uobis, date mercedem mihi, aut renuite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Dixitq; dominus ad me: Pone illos in conflatorium, & conſidera ſi probatum ſit, ſicut probatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & miſi eos in domo domini in conflatorium. Quantum diſtet ab Euangeliſtæ teſtimonio Septuaginta translatio, perſpicuum eſt. Sed & in Hebræo, cum ſenſus ſit idem, uerba præpoſtera ſunt, & penè diuerſa. Et dixi, inquit, ad eos: Si bonum eſt in oculis ueſtris, adferte mercedem meam, & ſi nõ, quieſcite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit dominus ad me, proiice illud ad ſtatuarium, decorum precium, quo appreciatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci eos in domo domini ad ſtatuarium. Accuſent Apoſtolum fallitatis, quod nec cum Hebraico, nec cum Septuaginta congruat translatoribus, & quod his maius, erret in noie, pro Zacharia quippe Hieremiã poſuit. Sed abſit hoc de pediſequo Chriſti dicere, cui curæ fuit non uerba aut ſyllabas aucupari, ſed ſententias dogmatũ ponere. Hactenus Hieronymi uerba retulimus. Is excuſari facile poteſt, quod hic aliud agẽs non explicuerit nodum propoſitæ quæſtionis. Magis mirum, cur nec ipſum prophetæ locum ediſſerens, nec Matthæum enarrans diluat, quod fatetur etiam maius eſſe, quàm *Prophetæ citatum teſtimoniũ expenſum* *Hieronymus.* *Error in nomine autoris.*

uerbis & ordine diſcrepare,pro Zacharia poſitum Hieremiam: Præſertim cum idem in huius Euangeliſtæ capite decimotertio, ubi itidem ex Eſaia citatur,quod eſt Aſaph, dicat ſcriptoris accidiſſe uitio. Origenes ingenue faſſus, quæ hic citantur ex Hieremia, nuſquam apud Hieremiam legi, ne apud Hebræos quidem, duplicem aperit rationem expediendæ quæſtionis. Aut enim culpa ſcribarum commutatum nomen, præſertim cum inter uoces nonnulla ſit affinitas: Aut teſtimonium aſſumptum ex libro, qui inſcribit apocrypha, hoc eſt,occulta Hieremiæ, quæ Hieronymus fatetur à ſe lecta, Quanquam non probat, ut ad apocryphorum autoritatem locus hic referatur. Nec mihi ſanè probatur,præſertim cum adducatur,non monendi,arguendi,aut hortandi cauſa: quas ad res nonnunq; & ethnicorum teſtimonijs abutimur,ſed ut ſerium oraculum,quo paſſionis myſterium ſit explicatum. Origenes minus iniquus apocryphis quàm Hieronymus,exiſtimat hoc à libris apocryphis peti poſſe:ſicut illud qd adducit Paulus in epiſtola ad Corinthios priore, Quod oculus non uidit &c, ex Heliæ apocryphis deſumptũ arbitratur. Item in epiſtola ad Timotheum ſecũda,capite tertio,de Iamnes & Mambres, qui reſtiterunt Moyſi,cum horum in Exodo nulla fiat mentio, deſumpta uideri ex apocrypho libro,cui titulus, Iamnes & Mambres. Nec defuiſſe,qui ob hãc cauſam contenderint,hãc ad Timotheum epiſtolam,Pauli non eſſe,ſed fruſtra:cum eodẽ nomine nemo taxauerit priorem ad Corinthios. Chryſoſtomus autem enarrãs epiſtolam ad Timotheũ, indicat alias duas uias explicandæ quæſtionis de nomine: Quarũ altera eſt, quod Iudæi quædam habuerint,quæ citra librorum monumenta,per manus tradebant uiua uoce, ea uocabant ἄγραφα, ſiue traditiones. Fieri autem poſſe,ut huiuſmodi loca ab illis hauſta ſint. Altera eſt,quod ait fieri potuiſſe,ut licet hæc ſcripta non fuerint,nec ab alijs audierit, tamen afflatu ſancti ſpiritus didicerit Apoſtolus. Mihi uero proximũ uidetur,apud Græcos errore ſcriptorum mutatum nomen,atq; inde deceptum interpretem Latinum, nobis tradidiſſe quod legerat. Equidem arbitror nihil eſſe huiuſmodi in Euangeliſtis. Gloſſa quam uocant ordinariam,haud ſcio unde hauſerit,quod indicat in quibuſdam codicibus non haberi nomen Hieremiæ,ſed tantum,per prophetam. Addit aliam elabendi uiã: Quoniam eodem ſpiritu afflati ſcripſere prophetæ,non abſurde uni cuipiam tribuebatur quod ab alio dicitur,nec obliuionẽ fuiſſe,quod Matthæo pro nomine Zachariæ,occurrerit nomen Hieremiæ,ſed moderationẽ diuini ſpiritus. Aperit & aliam rimam,quod nonnihil huius prophetiæ ſit apud Hieremiam capite trigeſimoſecũdo, uidelicet de agro empto. Cæterum hæc uerba,Quæ appreciauerunt,nec apud Hieremiam eſſe, nec apud Zachariam,ſed addita ſub perſona Euangeliſtæ. Hæc in medium profero,iudicium lectori relinquens. Cæterum etiam ſi fuiſſet in nomine duntaxat memoriæ lapſus,non opinor quenquam adeo moroſum eſſe oportere,ut ob eam cauſam totius ſcripturæ ſacræ labaſceret autoritas. Addam de meo quintam extricandæ quæſtiõis rationem. Si dixerimus Zachariam fuiſſe binominem,ſicuti paulo ante dictum eſt de Zacharia filio Barachiæ, qui idem ſit dictus Ioiadas. Refert Hieronymus Hieremiam apocryphũ ſibi exhibitũ à quodam Iudæo factionis Nazarenæ,in quo hæc ad uerbum,ut ab Euangeliſta citantur, haberentur. Verum ut dixi,non probat ut Apoſtolus ex apocryphis adduxerit teſtimonium:præſertim cum hic mos ſit euangeliſtis & apoſtolis,ut neglectis uerbis, ſenſum utcunque reddant in citandis teſtimonijs. Porrò Syris חַקַל eſt ager, דְמָא ſanguis. Hieronymus teſtatur & ſua ætate locum extitiſſe Hieroſolymis ad latus Auſtrale montis Sion,ubi tum quoque pauperum ac tenuium cadauera, partim terra obruebantur, partim ſub dio putreſcebant.

Apocrypha Hieremiæ.

Apocrypha Heliæ.

Αγραφα Iudæorum.

Memoriæ lapſus an fuerit in euãgeliſtis.

Aceldema ꝙd Syriace.

Quod appreciauerunt.) ὃν ἐτιμήσαντο, id eſt, Quem appreciauerunt,hoc eſt, quem precio æſtimauerunt.

Tu es rex.) ὁ βασιλεύς, id eſt, Ille rex: ut de eo rege intelligas, qui tum à Iudæis expectabatur.

Ad ullum uerbum.) πρὸς οὐδὲ ἓν ῥῆμα. Sermo Græcus anceps eſt. Siquidem hic poteſt eſſe ſenſus, Et nõ reſpondit ei uerbum ad quicq;, ſiue non reſpondit ei ad ullum uerbum.

Per diem autem ſolennem.) κατὰ δὲ ἑορτὴν, id eſt, in feſto uero. Nec opus erat periphraſi.

Populo dimittere.) τῷ ὄχλῳ, id eſt, Turbæ, ſiue multitudini.

Habebat

Habebat autem tunc unum uinctum.) Vnum,non est in Græcis,nec in antiquis Latinorum codicibus.Nec uinctum apud Græcos participium est,sed nomen, δέσμιον.

Pro tribunali.) ἐπὶ βήματος, id est, In tribunali.Quanquam Latine uertit interpres, & eleganter magis quàm suo more:ut hic quoq; admonendus sit lector,ne fallatur.

Nihil tibi & iusto.) Latinius certe fuerat,Ne qd rei tibi sit cũ iusto illo.Vt Christi innocentia undiq; meruit testimonium,Iudæ,Pilati,huius uxoris,Annæ,testium,Magorũ, Chananæorum,Samaritanorum,centurionum.Sed hoc uni illi contigit,quo certius foret,totum hoc quod ille passus est,nobis impensum esse. *Iesu innocẽtiæ omnium testimonio cõprobata.*

Per uisum.) κατ' ὄναρ, id est,In somnis.Sic enim uertit in initio huius euangelij: & recte.De quibus pluribus uerbis differit Valla,qui ὄραμα, id est,Visum,putat esse uigilantium:cum ὄναρ somnium sit,& quod in somnis apparet, ὄνυπνιον Græcis dicatur.

Persuaserant populis.) Et hic rursus est Turbis,non Populis, ὄχλοις.

Quid igitur faciam de Iesu.) De,præpositio nõ est in Græcis, τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον Χριστόν; Cæterum Græci abutuntur in his uerbis accusandi casu pro datiuo,ubi significant bene aut male fieri cuipiam.Vnde uertendũ erat,Quid faciã Iesu Nazareno. *Facere illum Græce.*

Dicunt omnes.) λέγουσιν αὐτῷ, id est,Dicũt ei. Quanq; hic Græca uariant exẽplaria.

Ait illis.) Illis,non est in Græcis, ὁ δὲ ἡγεμὼν ἔφη, Præses autem ait.

Lauit.) ἀπενίψατο, id est, Abluit.Et,

Sumpta aqua.) λαβὼν, id est,Cum accepisset,siue sumpsisset.

Innocens.) Idem est uerbum,quod paulo superius uerterat Iustum, δικαίου, id est,Insons & innoxius.

Vos uideritis.) ὑμεῖς ὄψεσθε, id est,Vos uidebitis.Sicut & antea,Tu uideris,ut sit medium actiuæ significationis uerbum futuri temporis. *Vos uideritis*

Flagellatum.) φραγελλώσας.Et hic Romana uoce Græce scribẽs est usus cõmutata una litera:quod damnatos ante ultimũ supplicium uirgis cædere ex more esset Romano.

Tradidit eis.)Eis,non est in Græcis emendationibus,& officit nõnihil sensui.Neq; eñ Iudæis tradidit Iesum,sed suis militibus,supplicij ministris.Etiamsi haud scio quo casu in nostra prima æditione fuit additũ.Atque ita legisse Hieronymum, ut nos indicauimus, testatur illius in hunc locum interpretatio. *Tradidit eis.*

Suscipientes.) παραλαβόντες id est,Accipientes,uel potius Acceptum:ut sæpe aliàs mutat genus uerbi,quo respondeat tempus.

Cohortem.) πλῶ σπεῖραν, quod & funem significat Græcis.Nam cohors rusticana militum manus est. *Cohors & σπεῖρα quadignitales.*

Coccinea.) κοκκίνλω, Coccinam magis.Nam coccus,siue coccum granũ.Et grana uulgo uocantur, quibus tinguntur rubra quædam,quod lucem addant colori:uide Plinium lib.nono cap.q̃drageſimoprimo.Porrò chlamys palliũ est militare: ut & color & forma uestis militaris sit:eoq; magis ad ludibriũ faciens,cũ pius impiorum uestem gestaret.

Expuentes in eum.) καὶ ἐμπτύσαντες εἰς αὐτὸν, id est, Cum inspuissent in eum.

Plectentes coronam.) πλέξαντες, id est,Plexam siue Concinnatã,ut cõueniat tempus.

Deposuerunt sup caput.) ἐπέθηκαν, id est,Imposuerũt.In nõnullis habebat posuerunt.

Et postquam illuserunt.) καὶ ὅτε ἐνέπαιξαν, id est,Cum illusissent.

Vt crucifigerent.) εἰς τὸ σταυρῶσαι, id est, Ad crucifigendum.Et paulo ante,

Vestimentis eius.) Magis quadrasset,Vestimentis suis.

Hunc angariauerunt.) Mirum cur hic delectarit peregrina uox,cum dicere potuerit, Adegerunt,siue Compulerunt.Siquidem Suidas indicat uocẽ esse Persicam,quod apud illos regij nuncij ἄγγαροι dicerentur.Vnde & qui literas inuicem tradunt perferendas,angari dicuntur, quos eosdem ἀσάνδας appellabant,Denicq; translata uox est ad quosuis, qui seruorum aut iumentorum ritu baiularent onera.Fortassis ea uox iam militibus erat usurpata,quemadmodum habebant sua castrensia. *Angariare, Persicũ uerbum uidetur.*

Qui dicitur Golgotha.) Hieronymus in libro quo explicat uoces Hebraicas apud Matthæum,admonet Golgotha Syrum esse uerbum,non Hebræum,sonareq; locum calui siue caluariæ.Sunt qui malint Chaldaicum esse,& Golgoltha pronunciandum,addito altero Lambda,Equidem non arbitror operæprecium de barbarica uocula,uehementius *Golgotha,& Golgoltha.*

contendere,& magis libet Latinorum & Græcorum in hoc consensum sequi. Cuiuscũq; linguæ est,ita dictus est locus in Aelia ad Septentrionalem partem montis Sion, quod in eo facerent capita hominum damnatorum. Nam quod nonnulli dicunt illic sepultum Adam,unde loco inditum sit uocabulum,eam fabulam reiecit Hieronymus, cum Adam sepultus legatur in Arba iuxta Hebron.

Vinum myrrhatum. Acetum.

Dederunt ei uinum.) Quidam Græci codices non habebant uinum,sed Acetum cum felle mixtum. Quanquam Hilarius uinum legit, Chrysostomus acetum. Tametsi nõ multum interest inter acetum,& acidum uinum. Certe paulo post mentio fit aceti non uini.

Impleuit spongiam aceto.) Origenes illud annotauit, quod Matthæus dixerat acetũ felle mixtum,Marcus uinum myrrhatum,Ioannes acetum cũ felle,ex quo palàm est Origenem quoq; acetum legisse,non uinum. Et magis congruit cum propheta qui dicit, Dederunt in escam meam fel,& in siti mea potauerunt me aceto. Illud admonendus lector, non uideri eundem potum hic datum Christo,qui datur in cruce pendenti. Apparet ẽm bis datum,semel antecq; tolleretur in crucem ex more ni fallor,quod & hodie seruat. Rursus in cruce pescenti,Sic enim narrat Matthæus,Et uenerunt in locum qui dicitur Golgotha,quod est caluariæ locus,& dederunt ei uinum bibere cum felle mixtum. Marcus hunc in modum,Et perducũt illum in golgotha locum,quod est interpretatum caluariæ locus,& dabant illi bibere myrrhatum uinum,& non accepit:& crucifigentes eum &c. Quod autem nonnulli putant in narratione temporis ordinem inuersum esse durius est, quum mox sequatur apud eundem euangelistam,Et cõtinuo currẽs unus ex eis acceptã spongiã impleuit aceto & imposuit harundini & dabat illi bibere,præsertim quũ in priore loco nominetur uinum felle mixtum, in altero acetum, similiter narrante Marco,Et ad pietatem cõducibilius est,si hanc quoq; dñicæ crucis partẽ non ignoremus. Meminit & Augustinus lib.de consen.Euang. tertio separatim potus ante crucifixionẽ exhibiti.

Additum aliquid in Euangelio.

Vt impleretur quod) Hoc prophetæ testimonium non citatur in plerisq; Græcorum codicibus.Et Hieronymus enarrans hunc locum nullam omnino de eo facit mentionem. Lyranus addit,haud scio ubinam lectum,Hieronymũ admonere hoc testimoniũ à Matthæo non fuisse positum,sed duntaxat ab Ioanne,nec inueniri in uetustis exemplaribus. Certe nõ addebatur in uno uetustissimo codice diui Donatiani. Ne in Constantiensi quidem nec in alio quodam uetustæ æditionis typographicæ quod est apud me, quũ tamẽ Hieronymus interpretetur,& hinc coniectura est,hos cõmentarios fuisse mutilatos. Cæterũ locus est in psalmo uigesimoprimo. Leuiculũ est,quod interpres de suo addidit Sibi, cũ pronomẽ nec sit apud Græcos,nec in aureo codice,Diuiserũt sibi uestimenta sua.

Super uestem meam.) ἐπὶ τὸ ἱματισμόν μου. Quod magis sonat uestitum quàm uestem. Vt non multũ agant,qui hinc ratiocinantur Christo fuisse quinq; uestes. Duas fuisse constat ex euangelio. Magis autem uidetur eiusdem uerbi aut similis repetitio,ex proprietate sermonis prophetici.

Et sedentes seruabant eum.) Græci addunt ἐκεῖ, id est,Illic.

Super caput.) ἐπάνω τῆς κεφαλῆς, id est,Supra caput. Non enim erat titulus in capite.

Causa

Causam.)αἰτίαν, Quæ uox apud Græcos,& causam significat,& accusationẽ,siue crimen. Tunc crucifixi sunt.) τότε σταυροῦνται, id est, Tunc crucifiguntur,præsentis temporis:ut historico more res iam geri putetur.

Vah qui destruis.) Interiectio,uah,non additur in Matthæo,sed in Marco. Vnde huc addita uidetur. In Constantiensi codice rasura testabatur deprauationem. Et articulus ὁ nonnullam habet ἔμφασιν, quasi dicas,Tu ille destructor templi.

Reædificas.) οἰκοδομῶν, id est,Aedificas,ut superius admonui. Origenis interpres uertit,Qui destruebas,&,Qui ædificabas. In aliquot uetustis exẽplaribus scriptum erat,Destruit & reædificat,tertia persona. Consentiebat Constantiensis.

Verba affectus.

Et credimus ei.) καὶ πιστεύσομεν ἐπ' αὐτῷ, id est,Credemus in eo. Quanquàm paulo inferius est,Ei,ut nihil interfit utrum legas.

Omissum aliquid.

Confidit.) πέποιθεν, id est, Confisus est, siue, fiduciam habet in deo:quandoquidem in his,ut dictum est,abutuntur tempore.

Liberet eum nunc si uult.) Græci addunt alterũ pronomen εἰ θέλει αὐτόν, id est,Si uult eum

eum. Videntur enim alludere ad illud psalmi: Sperauit in domino, eripiet eum, saluum faciet eum, quoniam uult eum. Alioqui conuicium uidebatur non in Christum modo, uerumetiam in deum recidere.

Improperabant ei.) ὠνείδιζον αὐτῷ, id est, Opprobrabant, siue eadem probra dicebant in illum. Augustinus explicans tropos Exodi, libro annotationum suarum tertio, putat hic ἐναλλαγὴν esse, ac numerum multitudinis positum pro numero singulari, propterea quod apud alios euangelistas alter duntaxat conuicia dicit in Christum. Vnde mirū est, cur Hieronymus in cōmentarijs syllepsin appellet, tropum quidem agnoscens, sed aliam subnectens rationem, qua tropo non sit opus: ut primum uterq; conuiciatus sit Christo, mox mota terra alter resipuerit. Hugo Card. quasi neutrum legerit, ut arbitror, Hoc, inquit, uidetur falsum. Tam ciuiliter mouet de fide Euangelistarum quæstionem. Ac mox, ad hoc, inquit, dicitur, ut putes dictum inter pocula. O theologum sobrie ac reuerēter tractantem sacras literas. Et me sacrilegij reum agunt quidam, quod hunc non habeam ꝓ deo, cum fuerit ordinis Iacobitici.

Tropus in euangelio.

Et tenebræ factæ sunt ab hora sexta.) Iam igitur tribus horis pepēderat in cruce: siquidem Marcus testatur eum hora tertia fuisse crucifixum. Quāquam & de illius loci lectione uariatum est olim, ut suo demonstrabimus loco.

Tenebræ factæ sunt super uniuersam terram.) ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, id est, In totam terram, siue Super totam terram. Neq; enim illæ tenebræ occupabant uniuersum terrarum orbem, ut meo iudicio recte sentit Origenes, sed Iudæam duntaxat, aut terram Hierosolymitanam, dissentiēte Theophylacto. Alioqui uel casu meminissent huius prodigij rerum gestarū scriptores. Quēadmodū & uniuersus orbis apud Lucā describi dicit, cū intelligatur orbis dūtaxat Rhomanus descriptus. Indicat Origenes in nōnullis codicibus adiectū fuisse, Tenebræ factæ sunt sup totā terrā deficiente sole, quasi solis deliquiū eas induxerit tenebras. Atq; ita certe tradit epistola quæ nomine Dionysij circūfertur, mihi ψευδεπίγραφος uidetur. Verū hanc opinionē longe reiecit Origenes, & scripturā mutatā improbat.

Tota terra quō accipiēdum.

Eclipsin solis in passione negat Origenes

Hebraice.) Græci scribunt ad hunc modū, ηλι ηλι λαμασαβαχθανι, id est, Heli, heli lamasabachthani. Ac mirum non est si peregrinæ linguæ uerba deprauatim scribunt, & pronunciant Græci, Latiniq;. Cæterū in sua lingua scribuntur ad hunc modū אֵלִי אֵלִי לָמָה עֲזַבְתָּנִי, id est, Deus meus, deus meus, cur me deseruisti? Est enim primus uersiculus psalmi uigesimiprimi, in quo uertendo Septuaginta, cur tria uerba de suo admiscuerint amota una dictione, mirum est. Sic enim illi reddiderūt: Deus deus meus, respice in me, quare me deseruisti. At Matthæus ita retulit, ut habetur apud Hebræos. Porrò Hebræa distinguenda sunt ad hūc modum אֵלִי, id est, deus meus. אֵלִי, id est, deus meus. לָמָה, ut quid. עֲזַבְתָּנִי dereliquisti me. Siquidē, ꝓbabile est Christū uerba psalmi ꝓnunciasse, ut ab ipso psalmographo descripta sunt. Alioqui uideri poterat usus Chaldæorū lingua, q̄ sabacthani pronūciāt, quod Hebræi, Azabthani. Hoc uisum est asscribere, quo, quandoquidē hæc uerba publice recitant in tēplis, minus deprauate post hac pronuncientur. Nec est simpliciter apud Græcos κατέλιπες, id est, Reliquisti, sed ἐγκατέλιπες, quod proprie significat in discrimine deserere: ueluti siqs deserat hominē imersum luto, ut ita loquar docēdi gratia.

Qua lingua ꝓ nunciauerit Christus, Deus meus deus meus.

Heliam uocat iste.) φωνεῖ, Quod expressius reddidisset, Inclamat, siue inuocat.

Et impleuit aceto.) Hic palàm aceti fit mentio. Porrò legimus apud Plutarchum in uita M. Antonij, uinum Antonio datum, quo celerius ex uulnere moreretur, quod ea res mortem acceleret. Siquidē similis est penetrandi uis uino & aceto. Idq; indicat obiter & Hieronymus, cum ait hunc edisserens locum, ut eum consopiant.

Acetum maturat mortē uulneratis.

Liberans eum.) σῶσαι αὐτόν, id est, Ad liberandum eum. Nonnulli codices habebāt, σῶ σωμαὐτὸν, liberaturus eum. Interpres legisse uidetur, σώζων.

Clamans uoce magna.) κράξας, id est, Cum clamasset: ne quis putet simul & clamasse, & expirasse. Quanquam hoc ipsum mirum, parumq; ex cōmuni hominum more, statim à magno clamore emori.

Et multa corpora quæ dormi.) Græci sic distinguunt, ut appareat eos statim mortuo Christo, resurrexisse: uerum non egressos è monumentis, nec apparuisse, priusq; resurrexisset Christus. Vnde resurrexerunt positum est pro reuixerūt. Atq; id satis indicat Hie-

ronymus

Resurrexerũt, pro reuixerũt

ronymus,ſcribens in hunc locum:Quomodo Lazarus mortuus reſurrexit,ſic & multa corpora ſanctorum reſurrexerunt,ut dominum oſtenderent reſurgentem.Et tamen cum monumenta aperta ſint,non ante reſurrexerũt quàm dominus reſurgeret,ut eſſet primogenitus ex mortuis.Idem indicat Chryſoſtomus,cum ait ad Chriſti morientis uocem excitatos mortuos,qui poſtea,reſurgẽte Chriſto,pariter exirent:idq; declarat apertius Origenes hunc enarrans locum.Auguſtinus epiſtola nonageſima nona putat per anticipationem dictum,quod reſurrexerint,quæ paulo poſt reſurrexerunt.

Erant autem hic mulieres.) Quidam Græci codices habebant, καὶ γυναῖκες, id eſt,Et mulieres.Et in Græcis non ſolum habetur A longe, ſed Eminus ſpectantes ἀπὸ μακρόθεμ θεωροῦσαι.Ita ſanè legit & interpretatur Origenes,adducens illud ex Eſaia uaticinium,Mulieres uenite ad ſpectaculum.Non enim eſt populus habens ſapientiam.

Ioſeph Ioſe an idem.

Et Ioſeph.) Græce eſt Ioſe diuerſus ab Ioſeph, De quo antea admonui. Licet Origenes nõ uideatur diſtinguere hũc Ioſeph,ſiue Ioſe,ab eo Ioſeph filio Iacob patriarchæ. Sic enim ait,Et Ioſeph mater,ſecundum nomen patriarchæ Iacob ſupplantatoris fratris ſui, & Ioſeph ſuper quem natum genitrix dicit,Adijciat mihi dominus filium alterum.

Cum autem ſero eſſet factum.) ὀψίας. Cur non potius ueſpera, quàm ſero?

Quidam homo.) Quidam non eſt apud Græcos,ſed tantum homo.

Ioſeph.) Hic Græcus habet ἰωσὴφ, id eſt,Ioſeph.

Diſcipulus fuerat Ieſu.) ἐμαθήτευσεμ τῷ ἰησοῦ, id eſt, diſcipulum præbuerat ipſi Ieſu. Quo uerbo aliàs uſus eſt tranſitiue μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαμ. Et rurſum in proximo capite, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, id eſt,Docete omnes gentes.

Maria Magdalene.) Mariam iam bis poſuit Magdalenam,Hebraica pronũciatione, cum cæteras Marias dixerit non Mariam.

Impoſtor πλάνος.

Altera autem die.) τῇ δ' ἐπαύριον, id eſt,Poſtero autem die,ſiue poſtridie.

Quia ſeductor ille.) ὁ πλάνος εἶπεμ, Planus, id eſt, impoſtor.Sic enim uertit Auguſtinus homilia ex quinquaginta,trigeſimaſexta:Domine audiuimus,quia planus ille,id eſt, impoſtor.Porrò recte interpres addidit ille,uim exprimens articuli.Cæterum quod aiũt poſt tres dies,etiamſi non negem ſic poſſe reijci,quod hoc non ab Euangeliſta,ſed à phariſæis dicitur,tamen licebit & ad hunc intelligi modum,mea quidẽ ſententia, ut poſt tres dies dictum factumúe dicatur,quod à tertio die cœpto factum eſt,per tropum qui ſynecdoche dicitur.Cur enim uereamur in tertio die recipere tropum, cum in primo neceſſario recipiamus?Sed hac de re in Marco pluſculum dicemus.

Tres dies.

Poſt tres dies reſurgam.) ἐγείρομαι, id eſt,Reſurgo,præſentis temporis.

Ne forte.) μήποτε.Quod ita gaudet uertere.Et quidã codices addũt hic νυκτὸς.i.Noctu.

Habetis cuſtodiam.) ἔχετε κουστωδίαν. Incertũ eſt an ſit habete modo imperandi,an habetis indicãdi.Et cuſtodiã,uocẽ Latinã Græci iã uſurpabãt.Cuius meminit etiã Suidas.

Ite cuſtodite.) ὑπάγετε,ἀσφαλίσασθε, id eſt,Abite,& munite.Nam ἀσφαλίζεσθαι, eſt rem tutam reddere.Quemadmodum mox uertit, ἠσφαλίσαντο, id eſt,Munierunt.Cum & ſuperius uerterit,cuſtodiret.

Cuſtodia manus cuſtodum

Cum cuſtodibus.) μετὰ τῆς κουστωδίας, Cum cuſtodia.Quãq; hoc loco cuſtodiam pro grege ac turba cuſtodum poſuit.Apparet autem eiuſmodi fermè genus hominum fuiſſe, cuiuſmodi ſunt Pariſijs quadringenti,ad publicam ciuitatis cuſtodiam deſignati.

EX CAPITE VIGESIMOOCTAVO.

Veſpere autem ſabbati.) ὀψὲ δὲ σαββάτων, id eſt,Veſpere ſabbatorũ.Et quod aut Qui luceſcit dicendum erat,non Quæ,ut referatur,ad ueſperum,aut ueſper,niſi legas Veſpera ſabbatorum.

Prima pro certa.

In prima ſabbati.) εἰς μίαν σαββάτων, id eſt,In unam ſabbatorum,ut intelligas unum diem è ſeptem. Sentit enim ni fallor crepuſculum extremi diei præcedentis hebdomadis,luceſcens in ſequentem diem,qui primus erat ſuccedentis ſabbati.Niſi forte iuxta ſermonis Hebræi proprietatem unum dicitur, quod primum eſt, ſicut nos alterum dicimus quod ſecundum eſt.

Reuoluit lapidem.) Græci addunt ἀπὸ τῆς θύρας, id eſt,Ab oſtio.

Super eum.) ἐπάνω αὐτοῦ, id eſt,Supra eum.

Aſpectus

Aſpectus eius.) ἰδέα αὐτοῦ, id eſt,Species eius,ſiue forma.

Et ueſtimenta.) Et Græci,& uetuſti codices Latini habent Veſtimentum, Græci addunt, album, ut nix.

Cuſtodes.) οἱ τηροῦντες, id eſt,Qui ſeruabant.

Reſpondens autem angelus.) ἀποκριθείς. Abuſus eſt enim eo uerbo,cum illæ nihil interrogaſſent,niſi quod ad cogitationes reſpondet.

Venite & uidete.) Et,non eſt in Græcis,ſed δεῦτε ἴδετε, id eſt, Venite uidete.

Et præcedet.) Et Græci & antiqui Latini habent Præcedit præſentis tẽporis προάγει.

Ecce prædixi.) ἰδοὺ εἶπον, id eſt,Ecce dixi,non prædixi.

Et ecce Ieſus.) Ab hoc loco in noſtris codicibus deſunt aliquot uerba, quæ uidentur incuria ſcribarũ omiſſa,q ferè labi ſolent,quoties eadẽ dictio diuerſas claudit oratiões, ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ,id eſt,Cũ aũt iſſent ad renũciãdũ diſcipulis illius.

Ibi me uidebunt.) Omiſſa eſt coniunctio κἀκεῖ, id eſt,Et illic.

Dicite quia diſcipuli eius.) Hic certe omittenda fuerat Græca coniunctio,propter pronomen ſequens,Nobis dormientibus.

Auditum fuerit à præſide.) ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος, id eſt, Sub præſide,hoc eſt,ſi res apud illum iudicem agatur.

Nos ſuadebimus ei.) πείθω Græcis tria ſignificat,pareo,ſiue morem gero, ſuadeo & perſuadeo.Senſus igitur poſtulabat,ut hic diceret Perſuadebimus potius quàm ſuadebimus,ſiue Nos placabimus eum.

Et ſecuros uos.)ἀμερίμνους,id eſt,Securos uos reddemus,aut Liberabimus uos oĩni ſollicitudine:id eĩ ſonat ἀμερίμνους,quod plus eſt q̃ reddere ἀκινδύνους,id eſt,Expertes periculi. *Non extat qđ Origenes & Chryſoſtomus ſcripſerunt in ultimum Matthæi caput.*

Euntes ergo.) Ergo,non inuenio in Græcis codicibus.In nõnullis codicibus pro ergo reperio autem.Neſcio quo caſu acciderit,ut nec Origenes, nec Chryſoſtomus, quum in cætera ſcribant cõmentarios,in hoc unũ caput quicq̃ ædiderint,niſi forte deſierunt apud populum loqui,quod hæc ad reſurrectionem pertineant.

DES. ERASMI ROTERODAMI ANNOTATIONUM in Euangelium Matthæi, finis.

IN EVANGELIVM MARCI ANNOTATIONES D. ERASMI ROTERODAMI.



QVoniam comperiebamus opus in modum longe maiorẽ opinione ſuccreſcere,Nam hæc ſimul & ſcribebantur à nobis,& typis excudebãtur,uiſum eſt idem compendij, quod Marcus in cõtrahendo Matthæi euãgelio præſtitit,in noſtris præſtare annotamẽtis:quo ſimul & lectoris,& noſtro tædio alioqui intolerabili medeamur,& intra ſui tẽporis ſtadium,operis curſus expleatur.Pauculos enim menſes ad hunc laborẽ ab illuſtriſſimi Burgundionum principis Caroli obſequijs,in cuius famulitiũ nuper aſciti fuimus, uſurpauimus uerius q̃ impetrauimus, idq̃ teſtor Ieſum,non ſine graui rei familiaris iactura.Quanq̃ ea ſanè me leuiter cõmouet.Res pecuniaria uel ſarciri poteſt,uel negligi.Cæterum ut eſt boni uiri non deeſſe ſuo officio,ita probi,ac uerecundi eſt hominis,non cõmittere,ut cuiquam uideatur oblitus officij.Memini quantum debeam maximo illi Philippo Maximiliani filio,non ſolum ut principi,addam,non ſolum ut optimo principi,uerumetiam ut deme magnificentiſſime merito.Quicquid autem debebam patriæ,quicquid principi, quicquid optimo principi,quicquid benemerito,id totũ eſt mihi refundendũ in Carolũ,quandoquidẽ illũ,ſic fatis uiſum eſt,cernere licuit uerius q̃ frui.Iam nominis,pprij citius queã obliuiſci,q̃ benigniſſimi illius Mœcenatis mei,Gulielmi Vuarami Archiepiſcopi Cãtuarienſis,q ſic meritus eſt,de probis,ac literatis uiris,ut ab oĩnibus,pbitatis,ac literarũ cultoribus *Carolus rex catholicus.* *Philippus Maximiliani filius.*

ribus certatim debeat celebrari. Porrò me tantis prosecutus est officijs, tanta obruit beni-
Gulielmus archiepiscopus Cantuariensis gnitate, ut omnia posthabenda sint, quoties officij ratio iubet huius obsequi uolũtati. Pro
inde cum utriq; debeamus patriæ, nam in altera geniti, in alteram cooptati sumus, cum
utriq; debeamus principi, quorum alteri iam plurimis, ac maximis beneficijs sumus astri
cti, ab altero humanissime inuitamur, ad ea quæ nec promeremur, nec postulamus, atq;
hoc ipso nomine plus debemus: non fuit mihi integrum opus hoc longius producere, ma
turum utrisq; reditum pollicito. Rem tamen ita moderati sumus, ut nõnihil adiecerimus
moræ, nõnihil item contraxerimus operis modum. Quanq; id quoq; hactenus, ut uerbo
rum magis q; rerum esset parsimonia, quo simul & operi & officio qua licuit, satisfacere-
mus. Porrò mihi sanè spes est fore pariter, ut & breuitas, quæ nobis fuit necessaria, lectori
quoq; cõmoda sit, & grata. Quis enim tam patientis est stomachi, ut in his rerum minu-
tijs citra fastidium diu uersari possit? Quanq; quantula quæso huius molestiæ portio re-
Molestia ac tædium huius operis. dit ad lectorẽ? At nos dum inter tot Græcos, Latinos, Hebræos codices sursum ac deor-
sum discurrimus, uelut aciculã, quod aiunt, in aceruo quærentes: dũ excutimus, quid ille
uerterit, quid alius legerit, quid ibi sit deprauatum, quid hic interpretur, quid ille correxe-
rit, quid ipsi signauerimus, ubi Latini codices cum Græcis, Hebræi cum utrisq; dissentiãt,
aut etiam consentiant: deniq; quæ sit eiusdem linguæ codicum inter se uel pugna uel con
cordia: dum, inquam, inter has spinas distringimur ac torquemur, non unam aut alte-
ram horam, sed menses fermè sex, cogita, quæso, lector optime, quantum tædij utili-
tatis publicæ gratia deuoremus. Neq; uero pigebit, si post hac per ocium continget alia
conquirere, quæ possint opus hoc uel locupletius reddere, uel emendatius, illa quoq; in
cõmunem usum adijcere. Plusculũ autem præsidij nobis suppetebat in Matthæo ex uete
Cõmentarij in Marcũ falsò inscripti Hieronymo. rum cõmentarijs, ut in quem complures scripserunt, Origenes, Chrysostomus, Hierony-
mus. In hunc nihil habemus, quod equidem sciam uetustum. Nam Theophylactus neo-
tericus est: & ij cõmentarij, qui Hieronymi titulo circũferuntur, ut non sint usq; quaq; reij
ciendi, tamẽ non magis sapiunt Hieronymũ, q; sorba ficum. Cæterum quo pauciores in
hunc scripserint, illud opinor, in causa fuisse, quod explicato Matthæo, & hũc explicatũ
esse putarent. Iam illud te nolim lateat lector, quod hactenus præfati sumus in Marcum,
ad primam huius operis æditionẽ pertinere. Cũ hæc sit æditio quarta qua decreuimus es
se cõtenti: non quod ullũ sit opus, cui nõ possit adijci, quód ue nõ possit reddi melius, sed
quod uideam Sycophantis nũc ubiq; regnantibus dandũ esse locũ, & existimem in tam
humili, tamq; inamœno argumẽto diligentiam immodicam merito reprehendendã esse.

Initium euangelij.) Et hic Hebræorum more exorsus est ab ipso operis titulo, quemad
modum Matthæus, cuius epitomen scripsit Marcus autore Augustino.

In Esaia propheta.) In Græcorum exemplaribus, quæ quidem ego uiderim, Esaiæ no
men non exprimitur, sed tantum, ἐν προφήταις, id est, In prophetis. Verum id apparet mu-
tatum data opera à doctis, qui deprehenderant hoc testimonium è duobus prophetis es-
se conflatum, Quemadmodum indicat Hieronymus in libro de optimo genere interpre-
tandi. Siquidem prior pars, nempe illa, Ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui
Hieronymus memoria lapsus. præparabit uiam tuam ante te, est apud Malachiam cap. tertio. Quo sanè loco illud obi-
ter annotandum, Hieronymum in eo, quod modo citauimus opere, memoria lapsum ui-
deri posse, cum ait, hoc testimonium haberi in fine Malachiæ. Nam cum totũ huius pro-
phetæ uaticinium quatuor capitibus absoluatur, & hic locus sit in ipsa statim fronte ter-
tij capitis, in medio uerius est, q; in fine. Verum suspicor quæ res impoſuerit Hieronymia
næ memoriæ, nimirũ quod in extremo calce habeatur non dissimile uaticinium, quod &
ipsum de Ioãne interpretãtur: Ecce ego mittã uobis Heliam prophetã anteq; ueniet dies
dñi. Neq; enim mihi satisfacit excusatio cuiusdam, qui putat in fine dictum esse, quod sit
paulo infra medium. Cæterum quanq; sententiæ summa consentit, uerba tamen Euange
listæ nonnihil dissident, tum à Septuagínta, tum ab Hebraica ueritate. Siquidem Hebræa
sic reddidit Hieronymus: Ecce ego mitto angelum meũ, & præparabit uiam ante faciem
meã, cõsentientibus per omnia Septuagínta, nisi quod Mitto, uerterunt in futurum, mit
Varietas interpretum. tam, in quo Marcus concordat cum Hebræis. Cæterum addidit, Tuam, cum tantum sit
uiam. Et rursum quod illic est, Ante faciem meam, hic refert ante faciem tuam, mutata

persona

persona loquentis. Nam apud prophetam hæc uerba uidentur esse Christi de se loquentis, etiamsi mox mutata persona, de se tanquam de alio loquatur: Et statim ueniet ad templum dominator. Contra apud Euangelistam hæc uerba patris sunt loquentis ad filium, Qui præparabit uiam tuam ante te. Iam posterior pars, Vox clamantis in deserto, parate uiam domini &c. est apud Esaiam cap. quadragesimo. Hebraica sic uertit Hieronymus, Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, Rectas facite semitas dei nostri, In nullo dissentientibus Septuaginta ab Hebræis. Dissentiunt & hic nonnihil Euangelistæ, sed in uerbis duntaxat. Nam quod cæteri dixerũt, Rectas facite semitas eius, Ioannes dixit: Dirigite uiam domini. Deinde quod habet Hebraica ueritas, & Septuaginta transtulerunt: Rectas facite semitas dei nostri, Matthæus, Marcus, & Lucas posuerunt semitas eius: siue quod Euangelistæ rarius dei uocabulum tribuant Christo, ob prophanas & impias illorum temporũ aures, ut plenius docebimus in Paulum: siue quod Euangelistæ, cum Hebraice scirent, non indigerent translatione Septuaginta: deinde cum ab Hebræis non anxie decerperent, quod scriptum esset, sed quod memoria suggerebat, describerent, uerbis nonnunquã dissident, in sententia concordant, id quod pluribus in locis admonuit diuus Hieronymus. Iam illud, quando notum est ijs quoq; qui Græce nesciunt, angelum significare nuncium, non arbitror admonendum. Fortassis hic melius uertisset, Nuncium. Deinde non dixit simpliciter, Angelum, sed addito articulo, τὸν ἄγγελον, ut certum aliquem angelum, siue nuncium intelligas designari: cum omnes alioqui prophetæ nuncij fuerint uenturi Christi. At hic unicus ille, & eximius fuit nuncius, qui nõ solum prænunciarit ad uentum domini, procul aduentantis, sed qui præcurrens ipse præpararit uiam iam aduenientis. Præterea quod ait,

Dissonantia Euangelistarum in uerbis.

Christus raro dictus deus.

Angelus nuncius.

Ante faciem tuam.) Non est Græcis ἔμπροσθεν, aut, ἐνώπιον, Quod aliquoties ita uertit, hoc est coram te & in conspectu tuo, sed πρὸ προσώπου, ut intelligas hunc nuncium præcedere, & hoc discutiente obstacula uiæ, iam uideri, & apparere faciem aduenientis domini. Mox autem,

Ante faciem.

Qui præparabit uiam tuam ante te.) Græce est, ἔμπροσθέν σου, Quasi dicas à fronte tua ut intelligas Christum qui nunciabatur iam adesse. Aliter enim dicitur, Ante Ciceronẽ dixit hoc Cato, id est, priusquam Cicero diceret.

Fuit in deserto.) Quidam offensi hyperbato, sic legunt, Ioannes baptizans in deserto, fuit initium euangelij. Non absurde tamen, ut mihi quidem uidetur, hæc uerba, Initium euangelij Iesu Christi, &c. tituli loco erũt, qui mos est prophetis, & Herodoto quoq; atq; in totum illi genti. Porrò quod Valla mauult extitit, pro fuit, & argutatur nescio quid, de

Distinctio.

Fuit Ioannes baptizans.) Haud multũ ad rem theologicam pertinet. Erat enim idioma sermonis Hebræi, quod tamen reperies, & apud Atticos, Erat baptizans, id est, baptizabat, ἐτύγχανε βαπτίζων.

Baptizans.) Articulum non addidit Græcus, unde perinde ualere potest, ac si dicas, Cœpit baptizare, ἐγένετο βαπτίζων, factus est baptizans: siue cœpit baptizare.

Fuit in deserto.) Apud Græcos alius est uerborum ordo. Fuit Ioannes baptizans in deserto. Ac rectius, Erat, quàm fuit.

Ordo.

In remissionem pec.) In, hic præparationem significat non effectũ, Nam Ioannis baptismus, præparabat ad Christi baptismum, quo remittebantur peccata. Fortassis & illud annotandum, quod apostoli iubentur prius docere, postea baptizare. Ioannes prius baptizare dicitur, deinde prædicare baptismum. Iudæus per ceremonias ducitur ad cognitionem, Christianus prius discit, nisi mauis intelligere de baptismo Christi, quem post suum baptismũ prædicabat Ioannes. Sequitur enim: Ego quidem baptizaui uos in aqua. Ille uero baptizabit uos &c. Hinc apparet quod baptizatis ab ipso prædicarit Christi baptismum mox sequuturum, ne ipsius baptismo confiderent.

Iudææ regio.) ἡ Ἰουδαία χώρα, id est, Iudæa regio, ut cohæreant duo nomina substãtiua.

Et Hierosolymitæ uniuersi.) Græci secus distinguunt. καὶ οἱ Ἱεροσολυμῖται πάντες ἐβαπτίζοντο πάντες, id est, Et Hierosolymitæ & baptizabantur omnes. Nec enim ueniebant omnes Hierosolymitæ, sed ex omni Iudæa & Hierosolyma qui uenerant baptizabantur. Nam omnem Iudæam, dixit pro eo quod erat, ex omnibus Iudææ partibus. Nec est, In Iorda

Distinctio.

nis flumine,sed in Iordane fluuio, siue fluuio Iordane. Addidit autem flumine, quod uox Iordanis esset plerisque ignota.

Et erat.) ἦν δέ, id est,Erat autem.

Vestitus.) ἐνδεδυμένος, id est,Indutus. Et pilis camelorum.) Cameli est Græcis, & item in aureo codice, Item in Constantiensi. Quanquam hoc nihil ad sensum. Camelus enim hic speciem notat animantis,nō unum aliquod eius generis.Suffragabantur aureo codici uolumina diui Donatiani.

Et zona pellicea.) καὶ ζώνην δερματίνην. Ablatiuus est nobis,non nominatiuus, & refertur ad participiū,uestitus,sicut & ablatiuus,pilis. Et Lumbos suos dicendū erat,non eius.

Mel syluestre edebat.) ἐσθίων, id est, Edens, ut pertineat ad uerbū quod præcessit,erat. Quanquam hoc recte uariauit,nisi quod aptius erat, Vescebatur,quàm edebat, aut certe uictitabat,siue esitabat,cum de genere cibi loqueretur.

Venit,) ἔρχεται Venit.Græce uel præsentis est tēporis,uel futuri. In Donatiani lib.habebat ueniet.Et notādus est articulus ὁ ἰσχυρότερος, id est,Ille qui me fortior,et potētior est.

Nō sum dignus.) οὐκ εἰμὶ ἱκανός,id est,Nō sum idoneus,aut sufficiens,ut uulgo loquunt.

Eius Hebræorum more additur.

Et calciamentorū eius.) Eius,addidit Hebræorū more,Latinis non est phas ita loqui.

Ego baptizaui.) ἐγὼ μέν. Non in tempore omisit,Quidem coniunctionem,quæ hanc partem opponit spiritui.

Spiritu sancto.) In spiritu sancto est Græcis, tametsi præpositionem recte omisit interpres.Quidam codex Græcus hoc quoq; loco addebat,Et igni, Καὶ πυρί, ex Matthæo sicuti coniecio,quanquam Theophylactus non addit.

Additum aliquid.

Ascendens uidit.) Sermo Græcus anceps est,utrum Ioannes uiderit an Christus.

Vidit cœlos apertos.) εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανούς, id est, Vidit scindi,siue diffindi cœlos. Nam participiū est passiuū præsentis temporis,quod non per scissos,ut Laurentio usum est,sed per uerbum,erat transferendum.Elegantius aūt uertisset,Diduci cœlos,siue findi.

Et spiritum sanctum.) Sanctum nō additur,nec in Græcis,nec in antiquissimis Latinis codicibus,nec in aureo codice,ne in Constantiensi quidem. Porrò articulus additus indicat intelligendū de spiritu sancto,de quo paulo ante meminit. Similiter paulo post,Et statim spiritus expulit eum,ut de eodem accipias spiritu.

Anceps sermo

Descendentem & manentem.) Et manentem non additur in Græcis,uidetur asscriptū ex euangelio Ioannis. Ex sermone græco nō potest aliud intelligi, q̄ spiritus descendens, à Christo usus fuisse,cum res magis postulet,ut intelligatur à Ioanne, cæterisq; usus descendere.Deinde si Christum accipimus uidisse,dicendū erat ἐφ' αὐτὸν, id est,super se, non ἐπ' αὐτὸν, id est,Super eum.Neq; uideo tamē quo pacto queat res explicari, nisi dixerimus ἀναβαίνων rectum casum positum loco paterni ἀναβαίνοντος, id est,quum ascenderet ex aqua Iesus,uidit &c. Nisi accipiamus Ioannem unà cum Iesu descendisse in flumen ad tingendum eum,atq; ita legamus,Ioannes ascendens ab aqua,uidit &c.

Dilectus.) ὁ ἀγαπητός. Articulus non caret emphasi,quasi dicas ille dilectus.Idem additur filio ὁ υἱός. multi filij, multi dilecti, at hic ille eximius & unice dilectus. Deinde nomen hic est,non participium Dilectus,quod uertere solet charissimus.

Complacuit εὐδόκησα.

Complacuit.) εὐδόκησα, quasi dicas,bonā habeo opinionē,siue bene cōplacitū est mihi

Expulit.) ἐκβάλλει, id est,Emittit præsentis temporis.Quanq; ἐκβάλλειν aliquādo est eiicere,siue extrudere.Significat autem impetū spiritus rapientis hominem quocunq; uelit. Theophylactus & Chrysost.in Catena citatus admonent significari, nō esse cōmittendū ut homo semet cōiiciat in periculū tentationis,sed si deo uolente incidat,fortiter agendū.

Et erat in deserto.) Quidam codex Græcus tantū habebat, Et erat ibi. Alter præterea addit,In deserto.Quorsum autem attinebat repetere desertum,cum mox præcessisset?

Quadraginta diebus.) In Græcis non additur,& quadraginta noctibus.

Quoniam impletum.) ὅτι, Hoc loco fuerat omittendum interpreti.

Appropinquabit.) ἤγγικεν. Et appropinquauit, siue appropinquat, ut in huiusmodi uerbis Græci nōnunq; utuntur præteritis loco præsentiū,ut nō semel iam admonuimus.

Pœnitemini.) μετανοεῖτε, id est, Pœniteat uos,quod consueuit uertere,Pœnitentiā agite,aut quod ego malim,resipiscite.

Et credite

Et credite euangelio.) ἐν εὐαγγελίῳ, id est, In euangelio, tametsi id ex proprietate est sermonis Hebraei. Theophylactus putat hic abrogatam legis obseruationem, quum ait, credite Euãgelio, quasi dicat, cessent umbrae, lux adest. Ad id facit quod praecessit, tempus impletum est, Proinde non omnino idem docuit Christus initio quod Ioannes.

Et praeteriens.) περιπατῶν δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν, id est, Ambulans autẽ ad mare, siue iuxta mare. Quanquam alius codex habebat ⓒ παράγων παρὰ τὴν θάλασσαν, id est, Praeteriens iuxta mare. Porrò lacum mare uocat. *Varia lectio.*

Fratrem eius.) Pro eius Graece est, Simonis. Quidã utrunq; repetunt αὐτοῦ τοῦ σίμωνος, id est, Ipsius Simonis, siue eius nempe Simonis, quod opinor additũ à quopiã qui uoluerit effugere ἀμφιβολογίαν, ne intelligeremus fratrem ipsius Christi. Nec est hoc loco Retia, ut paulo post δίκτυα, sed ἀμφίβληστρα, id est genus retis, cuius meminit Iulius Pollux.

Componentes retia.) καταρτίζοντας, id est, Sarcientes, siue reconcinnantes.

Secuti sunt eum.) ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ, id est, Abierunt post eum, ut uerbum uerbo reddatur. Quod & aliâs uerti poterat, ὑπαγε ὀπίσω μου, sequere me.

Quasi potestatem habens.) ὡς, id est, Tanq;. Quanquàm hoc Quasi, & quod mox sequitur, sic, eidem Graecae uoci respondent ὡς, unde uertere poterat utrobiq;, ut. Porrò de potestate ἐξουσία diximus in Matthaeo.

Quid nobis & tibi.) ἔα τί ἡμῖν καὶ σοι, id est, Sine quid nobis & tibi? Quanquàm ἔα rectius accipitur, ut sit aduerbiũ Graecis, nobis interiectio exclamantis, & Latine uertisset, Quid rei nobis tecum est? Aut, quod pollet idem, Quid tibi nobiscum est rei? *ἔα sine, aut eia.*

In spiritu immundo.) Quid hac forma loquendi durius Latinis simul & Graecis auribus? Dici poterat, Obnoxius immundo spiritui.

Venisti ante tempus perdere nos.) Ante tempus, nec additur apud Graecos, nec in codice aureo, ne in Constãtiensi quidem. Videtur huc adiectum è Matthaei capite octauo.

Scio quod sis.) οἶδά σε τί εἶ, id est, Scio te qui sis, & sic habẽt antiqui nostri codices, qui sis non quod sis, siue Noui te quis es, ut magis ad uerbum exprimam.

Sanctus dei.) ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ. Nec hic articulus ociose additur, ut aliâs sæpius indicatum est. Nec enim est simpliciter sanctus, sed ὁ ἅγιος, ut certũ & insignem intelligamus, Videlicet illum unum uere sanctum, & omnis humanae sanctimoniae fontem. Proinde dilucidius erat Noui te qui sis, nempe sanctus ille dei.

Et comminatus est.) ⓒ ἐπετίμησεν, id est, Et increpauit.

De homine.) Graecis est ἐξ αὐτοῦ, id est, Ex eo.

Et discerpens eum & exclamans.) Vtrumq; participium Graecis praeteriti temporis est, σπαράξαν κράξαν, quasi dicas Discerpto illo, & clamore emisso. *Tempus pro tempore.*

Quid nam est hoc.) τί ὅτι τοῦτο, Particulam nam, addidit interpres de suo, cum aliâs negligat exprimere, nimirum ad hunc modum paria faciens. Et rursum,

Quae nam doctrina.) τίς ἡ διδαχὴ, Quae doctrina, de suo addidit, nam. Quia in potestate spiritibus imperat.) Quia in potestate & spiritibus, habetur, tum in Graecis, tum in antiquis Latinis, ut coniunctio addat epitasin. Cæterum Graeci codices locum bifariam distinguunt. Nonnulli sic legunt, Quae est haec doctrina, quoniam secundũ potestatem, ut subaudias, est. Alij coniungunt haec cũ his quae mox sequũtur, quae est doctrina haec, quoniam cum autoritate spiritibus quoq; immundis imperat. *Sẽsus anceps.*

Et processit.) ⓒ ἐξῆλθεν, id est, Et exiuit siue emanauit.

Rumor eius.) ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ, id est, Fama eius, quod alicubi uertit opinio. Cæterum ut famam hominis dicimus, ita non dicimus rumorẽ hominis in eodem sensu. Rumor enim magis ad rem refertur, ut rumor belli. Fama generale nomen est. *Rumor pro fama non recte.*

Regionem.) περίχωρον, id est, Totam undiq; regionem Galilaeae finitimam, ut intelligamus & ultra Galilaeae fines famam Iesu progressam.

Recumbebat.) κατέκειτο, id est, Decumbebat, ut & antiqui codices habent, cumq; his aureus ille, atq; etiam Constantiensis. Recumbit enim quiescens & supinus. Accumbitur in conuiuio. Decumbit ægrotus lecto affixus. *Recumbo accumbo decumbo.*

Apprehensa manu eius.) κρατήσας, quod toties uertit, tenuit, ueluti de Iesu capto, Tenuerunt eum, ubi tempestiuius erat comprehenderunt. Et cur non potius reliquit quàm

dimisit, ἀφῆκεν; nisi forte febris dicto uale discessit.

Omnis ciuitas.) ἡ πόλις ὅλη, id est, Ciuitas tota, ne plures ciuitates intelligas.

Qui uexabantur.) κακῶς ἔχοντας, id est, Male habentes, siue male affectos.

Languor morbus Varijs languoribus.) ποικίλαις νόσοις, id est, Varijs morbis: quod tamen ita perpetuo ferè uertit.

Quoniam sciebant eum.) Græce sic est, ὅτι ἤδεσαν αὐτὸν χριστὸν εἶναι, id est, Quod nouerant ipsum Christum esse. Nam hæc duo uerba adduntur in nonnullis Græcis exemplaribus uelut in Theophylacto. In nostris tantum est, Quoniam sciebant eum.

Et diluculo ualde.) καὶ πρωῒ ἔννυχον λίαν, id est, Et mane, multa adhuc nocte. Nam id sonat ἔννυχον, cum adhuc aliquantum est noctis.

Dixerunt.) λέγουσι, id est, Dicunt. Et mox, Quia omnis. ὅτι coniunctio fuerat omittēda.

In proximos.) εἰς τὰς ἐχομένας, id est, Adhærentes, siue contiguos.

Κωμόπολις Rusticanū oppidulum. Vicos & ciuitates.) Græcis est dictio composita κωμοπόλεις, quod quidam interpretantur municipia. Oppidula rusticana significat, quæ uel uici, uel oppida uideri possint. Siquidem ex uico & oppido Græca uox composita est.

Vt ibi prædicem.) Græce est ἵνα κἀκεῖ, Vt & ibi. Consentientibus & antiquis exemplaribus nostris. Et In hoc, apertius erat, Ad hoc, siue hac gratia, εἰς τοῦτο.

Et in omni Galilæa.) Et non est Græcis, sed In Synagogis illorū per totam Galilæam.

Si uis.) Hoc loco interpres recte omisit ὅτι. quod cum alicubi faciat, mirandum, cur nō idem perpetuo faciat, quoties sermonis exigit ratio.

Volo mundare.) Mundare hic passiuum est, imperandi modo θέλω, καθαρίσθητι, quemadmodum est in Matthæo.

Et comminatus est.) καὶ ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, εὐθέως ἐξέβαλεν, id est, Comminatus ei statim eiecit, hoc est acriter interminatus, necubi proferret. Et eiecit dixit pro ablegauit, siue quod celeriter, siue quod inuitum.

Vide nemini.) ὅρα μηδενί, id est, Vide ne cui.

Ostende te.) ἑαυτὸν δεῖξον, id est, Teipsum ostende. Quanquā interpres huiusmodi cōpositā, pnomina plerūq; uertit per simplicia. Et qđ in nostris codicibus legit Principi sacerdotū, apud Græcos est τῷ ἱερεῖ, nisi forte id efficit articul⁹, ut de sūmo sacerdote dictū accipiat.

Cœpit prædicare.) Græci addunt πολλὰ, id est, Multum siue multa.

Diffamare pro diuulgare Diffamare.) διαφημίζειν Græce non sonat in malam partem. Verti poterat Spargere seu diuulgare.

Ita ut non posset iam.) Ex Græcis uerbis apparet de mūdato dictum. Proinde ne quid hic hæreret lector, pro αὐτὸν subiecimus Iesus, hoc est nomen pro pronomine. Ne quis hoc ut temere factum statim corrigat.

In desertis locis esse.) Erat, Græce est, non esse, ἦν.

Et conueniebant.) συνήρχοντο, id est, Et ueniebant.

EX CAPITE SECVNDO.

Post dies. POst dies.) δι' ἡμερῶν, id est, Per dies. Nec addendum est octo, quod in quibusdam habetur codicibus Latinis. Certe in Paulino habebat, Post dies, in Corsendoncensi recenti manu additum erat octo. Sed lucidius erat Diebus aliquot, siue Post dies aliquot. Nam post dies Latine nihil significat.

Et conuenerunt.) καὶ εὐθέως συνήχθησαν, id est, Confestim conuenerunt, siue collecti sunt.

Nec ad ianuam.) Græca sic habent, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, id est, Ita ut iam non caperent, ne ea quidem quæ erant iuxta ianuam, ut intelligas domum adeo fuisse refertam, ut ne uestibulum quidem & partes ostio uicinæ caperent turbam. Aureus codex habebat non caperet, itidem Constantiensis, denicq; meus uetustæ typographiæ, ut caperet uerbum, pertineat ad domum, sitq; gemina negatio, nec domus capiebat, nec loca uicina ianuæ, hoc est uestibulum.

Et uenerunt.) καὶ ἔρχονται, id est, Veniunt.

Detegulare. Nudauerunt tectum.) ἀπεστέγασαν τὴν στέγην, id est, Detexerunt tectum. Est enim προσονομασία, quasi dicas, detegulauerunt tegulas.

Et pate-

Et patefacientes.) Ὀρύξαντες, id est, Cum effodissent, ut intelligamus etiam superne perfodi tecta.

Submiserunt.) χαλῶσι, id est, Demittunt, proprie funibus, quemadmodum demittitur ancora, aut saxum è sublimi.

In quo paralyticus iacebat.) κατέκειτο, id est, Decumbebat, quod paulo ante deprauatũ erat recumbebat.

Quid hic sic loquitur, blasphemat.) Græce ē blasphemias, βλασφημίας, logt̃ blasphemias.

Nisi solus deus.) εἰ μὴ εἷς ὁ θεός, id est, Nisi unus, qui est deus

Dimittuntur.) ἀφέωνται, id est, Remittantur, si modo recta est scriptura.

Vt mirarentur.) Plus dixit Græcus sermo ὥστε ἐξίστασθαι, id est, Vt essent attoniti, & uelut extra se. Nam ab hoc uerbo dicta ecstasis, quæ est raptus mentis.

Honorificarent.) δοξάζειν, id est, Glorificarent.

Leui Alphæi.) τὸν τοῦ Ἀλφαίου, id est, Alphæi filium.

Ad Teloneum.) Græcam uocem reliquit, τελώνιον, quæ mensa est aut locus publicanorum, ubi colligunt uectigal, quod Græce τέλος dicitur. *Telonium.*

Videntes quia manducaret.) ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα, id est, Cum uidissent eum edentem. Mirum quur hic placuerit solœcismus, quum Græcus sermo nō præbuerit occasionem.

Quare.) τί ὅτι, id est, Quid quod, id est, Quid est quod.

Magister uester.) Laurentius negat hæc addita in exemplaribus quibus est usus. In nō nullis tamen addita cōperi, Tãetsi Theophylactus nō addit. In Cōstantiensi fuit erasum.

Non necesse habent.) οὐ χρείαν ἔχουσι, id est, Non opus habent.

Sani.) ἰσχύοντες, id est, Valentes, siue qui ualent.

Vocare iustos.) Græci addunt εἰς μετάνοιαν, id est, Ad pœnitentiam. Quanquàm id suspicor adiectũ à quopiam. Nam nec in antiquissimis codicibus nostris reperitur, nec in Constantiensi, nec in meo uetustæ typographiæ, etiãsi apud Theophylactũ additum est.

Et Pharisæi.) Quidam Græcus codex habebat καὶ οἱ τῶν φαρισαίων, id est, Et Pharisæorum, ut subaudias discipuli, quemadmodum est item paulo post, nisi mauis, Ii qui sunt ex Pharisæis, hoc est è factione Pharisaica.

Nunquid possunt.) μὴ δύνανται, id est, Num possunt.

Filij nuptiarum.) Græca nonnihil dissonant οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν ἔστιν νηστεύειν, id est, Filij thalami nuptialis in quo sponsus cum eis est ieiunare. Νυμφὼν enim nuptiale cubiculum significat, interprete Suida. Deinde continenter ipse sibi respondet, ὅσον χρόνον μετ' αὐτῶν ἔχουσι τὸν νυμφίον, οὐ δύνανται νηστεύειν, id est, Quanto tempore secum habent sponsum, non possunt ieiunare. *Filij nuptiarum.*

Assumentum) ἐπίβλημα, quod ante uerterat commissurã, ut Matthæi nono, & Lucæ quinto, ad uerbum sonat immissuram. Dilucide tamen uertit interpres.

Panni rudis.) ῥάκους ἀγνάφου, id est, Panni nondum à fullone curati. Nam hunc rudem uocat interpres. Siquidem γναφεὺς, fullonem significat.

Aufert supplementum nouum.) Græcus addit, eius, ut subaudias uestis. Quod hic uertit supplementum, aliâs uerterat plenitudinem, πλήρωμα. ut Matthæi nono. Sic autem uocat eam panni particulam, qua uestis lacera sarcitur & expletur. Multa prudens prætereo, quod de his iam dictum sit in Matthæo.

Vinum nouum in utres nouos.) Græcis non est eadem πλοσονομασία, cum illis habeatur νέον & καινούς. Quorum prius illud aptius dicitur de ijs quæ sentiunt ætatem. *Nouum νέον nouũ καινόν.*

Cœperunt progredi.) ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν, id est, Cœperunt discipuli eius iter facere. Nam quod Græcus habet sermo, ἤρξαντο, id est, cœperunt, hoc interpres retulit ad personam: ueluti cum dicitur, ἄρχεσθαι λέγειν, non qui initium dicendi facit, cũ ante tacuisset, sed qui primus & ante alios incipit uerba facere, & ob id uertit progredi. Ni mirum offensus absurditate sermonis, quod cum paulo ante dictum esset, Iesum iter fecisse per segetes, nunc idem subijciat de discipulis, quod cœpissent iter ingredi. Verum hic nec initium itineris significatur, nec ordo ingredientium, sed uellendi initium. Iam enim inter eundum cœperunt uellere spicas. *Cœperunt ingredi.*

Et uellere spicas.) τίλλοντες, id est, Vellentes, siue uellendo.

Abiathar pro Achimelech. Sub Abiathar principe sacerdotum.) Diuus Hieronymus in libello de optimo genere interpretandi, indicat nomen Abiathar pro Achimelech esse positũ, propterea quod libro Regũ primo capite xxij. ubi refertur huiusce rei historia, nulla mentio fiat Abiathar, sed duntaxat Achimelech, Siue id acciderit uitio scriptorũ, siue quod eiusdem hominis uocabulum sit Abiathar & Abimelech. Nam Lyranus putat Abiathar fuisse filium Achimelech, qui sub patre functus sit officio paterno, & eo cæso iussu Saulis comes fuerit fugæ Dauidicæ. Hieronymus ut nectit nodũ, ita nõ explicat. Theophylactus aperit aliam rimam, ut accipiamus aliũ fuisse Abimelech, qui in libro regum tantũ sacerdos sit dictus ἱερεύς, quum hic Abiathar, dicatur ἀρχιερεύς. Mirum quum Latini codices constanter habeant Achimelech, quur in Græcis semper habeatur Abimelech.

Ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis.) Vt paulo superius nõ addebatur magister uester, ita hic non additur apud Græcos, Discipuli tui. Quorsum enim attinebat eos nominare, cum digito illos ostenderent, ecce?

Nisi solis.) Solis non additur apud Græcos, nec erat in codice Constantiensi.

Et dedit eis.) Græci addũt, καὶ ὁ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι. Pro eis melius uertisset Qui secum erant, Et dederit his quoq; qui secum erant.

EX CAPITE TERTIO.

Benefacere pro beneficio afficere. Benefacere.) ἀγαθοποιῆσαι, an male, κακοποιῆσαι, quod non sonat simpliciter facere rem malam aut bonam, sed mala re aut bona afficere quempiã, quasi dicas, Vtrum prodesse fas est sabbatis an lædere?

Et circunspiciens.) περιβλεψάμενος, id est, Cum circũspexisset. Nec est, Contristatus, sed συλλυπούμενος, id est, Cõdolens seu uerius cõdolescens.

Aut perdere. ἢ ἀποκτεῖναι, id est, An occidere.

Et restituta est manus illi.) Græce est, καὶ ἀπεκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη, id est, Et restituta est manus illius sana ut altera. Verum haud scio an uerbis aliquot ex Matthæo huc asscriptis.

προσκαρτερῇ μ. Vt nauicula sibi deseruiret.) ἵνα τὸ πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ, id est, Vt nauicula inseruiret sibi, hoc est, ut nauicula esset sibi usui, siue adhiberetur sibi. Nam προσκαρτερεῖν sæpe alias uertit assistere, siue insistere.

Non comprimerent eum.) μὴ θλίβωσιν αὐτόν, id est, Ne se premerent. Primum Latinius, deinde accommodatius ad Græcum sermonem.

Plagas.) μάστιγας, id est, Flagella. Sic eã uocat afflictionẽ, qua deus corripit homines.

Clamabant dicentes.) λέγοντα. Dicentes ad ipsos spiritus refertur, quod ea uox Græcis est neutri generis.

Et ascendens in montem aduocauit.) Græce est, ἀνέβη ὁ προσκαλεῖται, id est, Ascendit & aduocat, ut posterius sit præsentis temporis.

Comminabatur) ἐπετίμα, id est, Increpabat. Quanquàm hoc loco tolerabilius erat, interminabatur.

Et fecit duodecim.) Græca nõnihil dissident. ὁ ἐποίησε δώδεκα, οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασεν, ἵνα ὦσιν μετ' αὐτοῦ, id est, Et fecit duodecim, quos & apostolos nominauit, ut essent secum. Quanq; id in emendatioribus Græcorum exemplaribus non est asscriptũ: & magis conuenit breuiloquentiæ Marci, ut omittatur. Atq; hic quoq; multa prudens dissimulo, uel quod minutula sint, uel quod in Matthæo iam annotata.

Et dedit.) καὶ ἔχειν, id est, Et habere, siue ut haberent. Pendet enim à superioribus, Vt essent secum, & haberent potestatem: aut certe cum proximo uerbo connectendum, κηρύσσειν ἔχειν mitteret eos ad prædicandum utq; haberent.

Et imposuit Simoni.) Ante hæc uerba habent nonnulli Græci codices πρῶτον σίμωνα, id est, Primum Simonem. Verum id in emendatioribus non reperitur, & uidetur ex Matthæo desumptum. Certe apud Theophylactum non reperi, nec in æditione Aldina.

Et imposuit Simoni nomen Petrus.) Græce quidem est πέτρον. Sed Petrus, aut Petro, aut Petri, Latinius est, ni fallor, nisi magis placet periphrasis.

Boanerges. Boanerges.) Nam Hebræis בְּנֵי filios sonat, רַגְשׁ tonitrui uel fremitus. Ita nos docet libellus de nominum Hebraicorum interpretatione, incerto titulo. Tametsi Hieronymus putat uocem

putat uocem esse deprauatam, ac legendum esse Banerrem. reges enim Hebræis sonare fremitum, nisi malis רַעַשׁ tumultus uel commotio, nō raro enim ע per g enunciarunt Septuaginta, ut est uidere in Gomorrha. Quanquam fremitus minimum abest à tonitruo. Cum Homerus Iouem ὑψιβρεμέτην, & ἐριγδούπον appellet, nō ob aliud quàm ob tonitrua. Porrò quid est quod Hieronymus appellat corruptū? An quod Syro sermone, aut Chaldaico deflexum est? Huiusmodi uerbis subinde utūtur Euangelistæ. Imò hac lingua Christus uidetur fuisse loquutus, quæ tamē cōmuni populo fuit ꝯ maxime familiaris. Quod si Euangelista corrupit, nō temere corrupit, neq; nobis pro corrupto debet haberi, quod scripsit euāgelista à Christo prolatū, quodq; Græce nobis dignatus est interpretari. Quare nihil erat cur in me debaccharetur quidā, quod hic euangelistæ autoritatem sequi maluerim quàm Hieronymi: præsertim cum hic in huiusmodi rebus nonnunq; uel cōniueat, uel parum sibi constet, neque dubitandum quin alicubi fallatur.

Et Matthæum.) Quidam Græcus codex addit τὸν τελώνην, id est, Publicanum. Quanquam nec id reperio in emendatioribus, ac uetustis exemplaribus.

Et conuenit iterum turba.) Συνέρχεται πάλιν. Conuenit præsentis temporis est, ut prima syllaba pronuncietur acuta. Id tametsi minutulum est, tamen haud indignum iudicaui, quod indicaretur: propterea quod in re tam sacra nefas sit, uel minima negligere.

Sic ut non possent.) Græcis quidē duæ sunt negationes, ὡς μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν. Quod duobus modis Latine reddi poterat, Conuenit iterum turba tanta, ut non possent ne panibus quidem uesci. Aut sic, Vt nō possent uel panes edere. Sentit enim tantam fuisse multitudinem, ut non solum nō suppeterent obsonia, sed ne panum quidem satis esset in cibum. Aut certe tantum fuisse confluxum, ut discipulis nō esset ocium sumendi cibi, tantum aberat, ut ad alia foret ocium. qui posterior sensus meo iudicio uerior est.

Et cū audissent sui.) οἱ παρ' αὐτοῦ, id est, Qui ad illū pertinebant, & ex illius erāt familia seu cognatione. Itidem paulo inferius τὰ παρ' αὐτοῦ, uertit sua. Sentit eōs cognatos & affines eius. Exierunt tenere eum.) κρατῆσαι αὐτόν, id est, Vt comprehenderent eum, siue Vt manus inijcerent. Nam id est agnatorum, si quis cōmotæ mentis esse cœperit. οἱ παρ' αὐτοῦ cognati.

In furorē uersus est.) ἐξέστη, id est, Mente captus est. Siue ut in quibusdā legitur ἐξέστη.

Beelzebub.) Βεελζεβούλ, id est, Beelzebul, de quo diximus in Matthæo. Beelzebub.

Quia in principe.) Hic omittendum erat ὅτι, aut uertendum erat, quod eijceret, quemadmodum illud quod proxime præcessit, quoniam Beelzebul habet.

In se.) ἐφ' ἑαυτὸν, id est, In seipsam, siue Aduersus seipsam.

Dispertiatur.) Idem uerbum quod modo uertit diuidatur, μερισθῇ.

Dispertitus est.) Græca sic habent, Καὶ ὁ σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν καὶ μεμέρισται οὐ δύναται στα θῆναι, id est, Et si satanas insurrexit in seipsum, ac diuisus est, non potest stare.

Quibus blasphemauerunt.) ὅσας ἂν βλασφημήσωσι, id est, Quascūq; blasphemauerint. Sic enim loquuntur Attici, Conuicia conuiciantur, & fugam fugiunt.

Non habebit remissionem.) οὐκ ἔχει, id est non habet. Ita legit codex aureus, atque etiam Constantiensis.

Aeterni delicti.) αἰωνίου κρίσεως, id est, Aeterni iudicij, siue æternæ damnationis. Quanq; hoc nihil refert ad sensum. Per synecdochen enim aliud ex alio intelligitur.

Et circunspiciens.) Καὶ περιβλεψάμενος τοὺς κύκλῳ περὶ αὐτὸν μαθητὰς καθημένους, id est, Et cum circunspexisset in circumitu circum se discipulos sedentes. Quanquā in quibusdam exemplaribus μαθητὰς non additur, & est alius ordo περιβλεψάμενος κύκλῳ περὶ αὐτὸν καθημένους.

EX CAPITE QVARTO.

Exæstuauit.) ἐκαυμάτισθη, id est, Exustum est, siue æstu periit.

Secus uiam.) Hic reliquimus præpositionem secus, quod in progressu iacentis semen motus quidam sit. Nam uocem esse Latinam aliâs docuimus.

Ascendente.) ἀναβαίνοντα καὶ αὐξάνοντα. Vt prius uerbum pertineat ad herbam emergentem è terra, posterius ad herbā grandescentem & adolescentē.

Vnum centesimum.) Καὶ ἔφερεν ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν, id est, Attulit unum triginta, & unum sexaginta, & unum centum. Laurentius Valla declarat se legisse ἓν præpositionem, non ἕν nomen numerandi. Et ipse sic scriptum comperi in libris emendatioribus. Centesimum pro centuplū

dationibus. Nominatim in uetustissimo codice,qui habebat cõmentarios Theophylacti, quanꝯ dissentiebat æditio Aldina. Quo modo si legamus, ad uerbũ ita reddi potest. Et adferebat in triginta & in sexaginta & in centum: ut præpositio ἐν posita sit pro ἀνὰ, quasi dicas per triginta,per sexaginta,per centũ,quod tamen cõmode uerti poterat.Et adferebat, tricena, sexagena,& centena, ut ex singulis granis tantũ granorũ intelligatur enatũ. Quanꝯ paulo inferius idem occurrit locus, itidem per præpositionem scriptus. Cæterũ quoniã in hoc facile labi potuit librarius, rem lectoris arbitrio cõmitto,præsertim cũ & altera lectio probe defendi possit.Nisi qd in posteriore loco duriuscule dicitur unũ & unũ, cum de hominibus loquatur,non de seminibus.Proinde nos periphrasi sumus usi.

Singularis p solitarius.

Cum esset singularis.) ὅτε δὲ ἐγένετο καταμόνας, id est, Cum autem cœpisset esse solus,siue solitarius.Nam solus uertit in Luca,Cum autem esset solus orans.

Qui cum eo erant duodecim.) Hic uariant Græci codices:Nam Laurentij codex habebat, οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, id est,Qui circa illũ erant cũ duodecim. Atqꝯ ita sanè scriptum erat in libro qui habebat commentarios Theophylacti, consentiente æditione Hispanica,& Aldina. Mei habebant, ἐπερώτησαν αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, id est,Interrogauerunt eum discipuli eius.

Mysterium regni.) μυστήριον, id est,Arcanum,siue secretum,non cõmunicandum prophanis,quod aliquoties uertit sacramentum.

Illis autem qui foris sunt.) τοῖς ἔξω. Rectius uertisset per adiectiuum,id est,Exteris extraneis,siue externis,aut exoticis.

Videant & non uideant,) Græcus mutauit uerbum, ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι, id est, Vt cernentes cernant,& non uideant.Quasi plus sit uidere quàm cernere.Nam inuetuemur quædam,quæ tamen non uidemus,animo aliud agente.

Et erumnæ.) Θλῖψεις, id est,Sollicitudines.

Vnum triceſimum.) Triginta,sexaginta,centum,ut paulo superius admonui, consentientibus & peruetustis Latinis codicibus,de quo copiosius diximus in Matthæum.

Hi autem sunt qui &c.) Abusus uidetur semel atqꝯ iterum οὗτοι pro οἱ: ueluti demonstret hos & illos,quod solemus docendi causa & gestu repræsentare. Et seminari dicitur semen quod iacitur,item ager in quem iacitur,quemadmodum aspergitur aqua & aspergitur homo.Notat Laurentius,quod interpres sementem dixerit pro semine,quũ sementis sit ipsa satio,semen quod iacitur.Sementem facere latine dicitur,semen facere nõ item.

Nunquid uenit.) Græce est, ἴδετε, μήτι λύχνος καίεται, ἵνα ὑπὸ τὸν μόδιον τεθῇ, id est, Videte, num lucerna incenditur,ut sub modium ponatur? Quanꝯ illud ἴδετε in multis Græcorũ codicibus non reperio asscriptum,uelut in Theophylacto.In æditione Aldina scriptũ est ἔρχεται pro καίεται, quemadmodum & in Theophylacto.

Non est enim.) οὐ γάρ ἐστί τι κρυπτὸν, εἰμὴ ἵνα φανερωθῇ, id est,Non est enim quicquã absconditum, nisi ut manifestetur. Tametsi dissentiunt hic exemplaria. Theophylactus legit, οὐ γάρ ἐστι κρυπτὸν, ὃ ἐὰν μὴ φανερωθῇ, id est,non est occultum quicquam,quod non patefiat.

Neqꝯ factum est.) οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, ἀλλ' ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ, id est, Neqꝯ factum est occultum,sed ut in apertum ueniat.Etiamsi legi potest,Neqꝯ fuit occultum. Videtur autem in nostro sermone oratio parum absoluta,supplebitur hunc in modũ,Neqꝯ factum est occultum,ut maneat occultum,sed ut ueniat in apertum. Hæc sententia pulchre quadrat in doctrinam euangelicam.Occultata sunt quædam,non ut semper laterent, sed ut suo tempore proferrentur in lucem.

Varia lectio apud græcos.

Videte quid audiatis.) Hic quoqꝯ Græca dissident,tametsi Latina exẽplaria magis cõsentiunt cꝯ Græca, βλέπετε τί ἀκούετε, Θ προσθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. ὃς γὰρ ἔχει δοθήσεται αὐτῷ καὶ ὃς οὐκ ἔχει, Θ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ, id est, Videte quid audiatis,& apponetur uobis audientibus.Qui enim habet,dabitur ei, & qui non habet,etiam quod habet tolletur ab eo. Græce lectioni suffragabatur codex Donatiani.

Deinde sequitur. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν, id est, In qua mensura metimini, metietur uobis,& adijcietur uobis. Theophylactus ita legit, βλέπετε τί ἀκούετε, ἐν ᾧ μέτρῳ μετρᾶτε, μετρηθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. ὃς γὰρ ἐὰν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ, καὶ ὃς οὐκ ἔχει Θ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ, id est, Videte quid audiatis.In qua mensura metimini,in ea

alij

alij metientur uobis,qui auditis. Quisquis enim habuerit,ei dabitur,& qui non habet,etiã quod habet tolletur ab eo. Huic lectioni consentiebat codex aureus & itẽ Constantiẽsis.

Nocte & die.) Quidam utrunque uerbum, dormiat & exurgat putant referendum ad eum qui iecit semen, ita ut intelligamus illũ dormire nocte & exurgere die, & in hunc quidem sensum interpretatur Theophylactus. Ego magis arbitror posterius uerbum referendum ad semen,quod nullo colẽte tacitis auctibus & nocte & die proficit usq; ad maturitatem. Nam dormire dicitur,qui securus est nec iam laborat. Hunc sensum sequutus est, quisquis scripsit in Marcum scholia, quæ Hieronymo tribuuntur. Sic enim loquitur, Homo iactans semen, filius hominis est, semen uerbum uitæ,terra corda humana,dormitatio hominis, mors est saluatoris, exurgit semen nocte & die &c.

Et increscat dum nescit ille.) Sermo Græcus ambiguus est, καὶ ὁ σπόρος βλαστάνῃ, καὶ μυκήνηται ὡς οὐκ οἶδεν αὐτός. Potest enim accipi ut semẽ exoriatur & exurgat ui naturæ,cum ipsum hoc nesciat, eo quod σπόρος semen sit masculini generis.

Cui parabolæ cõparabimus.) ἢ ἐν τίνι παραβολῇ αὐτὴν θῶμεν, id est, Aut in qua parabola illud ponemus, siue ponamus. Etiamsi nõnulli codices pro θῶμεν habeant προβαλῶμεν id est, Per quam collationem conferemus. Quandoquidem προβολὴ, Cicero uertit collationem. Et præpositione in, Hebræi abutuntur pro per. In alijs pro τίνι scriptum est, ἐν ποίᾳ. Verum hæc minutiora duxi quàm quæ annotentur. *Parabola collatio.*

Et cum natum fuerit, ascendit in arborem.) Græcis hic repetitur καὶ ὅταν σπαρῇ, id est, Cum seminatum fuerit, suffragante & codice aureo, Cõstantiensi, alijsq; multis. Offendit lectorem,quod absurde uideatur idem repeti,& quum seminatum fuerit.

Ascendit in arborem.) ἀναβαίνει, id est, Surgit. Porrò illud in arborem, nec additur apud Græcos, nec in antiquis codicibus nostris, nec in aureo. Asscriptum apparet ex Lucæ & Matthæi decimotertio.

Habitare.) κατασκιοῦν, Quod alibi uertit nidificare, uerbum à scena dictum.

Disserebat.) ἐπέλυσεν, id est, Dissoluebat, siue Exponebat: aut quo aliâs est usus, Edisserebat. Soluuntur enim ænigmata, & obscura ueluti nodosa.

Transeamus contra.) διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν, id est, Transeamus in ulteriorem partem: siue ut sæpe iam uertit, Trans fretum.

Et facta est.) καὶ γίνεται, id est,& fit, siue oritur, quasi res iam geratur.

Mittebat in nauim.) ἐπέβαλεν εἰς τὸ πλοῖον, id est, Irruebat in nauim, ut sit uerbum neutrum quod ad significatum attinet. *ἐπιβάλλω irruo.*

Super ceruical dormiẽs.) ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον, quod inde Græcis nomen habet, quod capiti admoueatur. Ezechiel execratur eos, qui consuunt puluillos sub omni cubito, & ceruicalia sub omni capite. Quod tum exhibuit Iesus, id hodie in nobis agitur. Quàm periculose indormiunt hodie puluillis ac ceruicalibus huiusmodi, præsules ac pontifices quidam horum temporum? Periclitatur uniuersus populus, nec est qui Christum excitet in illis profundissime dormientem. Imò nolunt excitari, & habent qui somnum hunc pestilentissimum foueant, occinentes ad aurem blando susurro, euge euge. Expergiscere tandem optime Iesu, ne pereamus. *Somnus episcoporum.*

Non ad te pertinet.) οὐ μέλει σοι, id est, Non est tibi curæ. Nam aliud est Pertinere ad nos, aliud Esse curæ. Siquidem multa ad nos maxime pertinent,quæ minime sunt curæ.

Quia perimus.) ὅτι, id est, Quod, hoc sanè loco.

Exurgens, comminatus est.) ὁ ἐγερθεὶς ἐπετίμησεν, id est, Et excitatus increpauit.

Obmutesce.) πεφίμωσο. Augmentum additum, etiam celeritatem indicat: ueluti dicas, Mox obmutesce.

Quid timidi estis?) Τί οὕτως δειλοί ἐστε; id est, Quid adeo timidi estis? Alij habebant Τί δειλοί ἐστε οὕτως; id est, Quid timidi estis adeo?

Necdum habetis,) οὔπω, id est, Nondum. Alij habebant, πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν, id est, Qui fit ut non habeatis fidem? Et οὔπως, referunt ad præcedentem orationis partem. Laurentius ad sequentem adiunxit. Siccine nondum habetis fidem. Porrò Quomodo,parum Latine reddidit πῶς, quod ita uertendum erat, Qui fit ut non habeatis fidem? Est enim non interrogantis, sed obiurgantis.

Ad

Ad alterutrum.) πρὸς ἀλλήλους, id est, Inter sese. Quod crebrius iam admonui. Verum interpres perpetuo peccat in hoc uerbo, tanquam prudens.

Quis putas.) τίς ἄρα. Melius Quisnam, aut certe quis. Nam hoc loco uix habet Latinus sermo, quod respondeat ἄρα.

EX CAPITE QVINTO.

Fretum, Mare, Lacus.

TRans fretum.) εἰς τὸ πέραν, quod superius uertit Contra, id est, In ulteriorem partem. Quanquam in Matthæo sæpenumero uertit Trans fretum. Lacum ut dixi, appellant mare: tamen iisdem uerbis uti licuisset, etiam amne transmisso, aut aggere, aut monte. Fretum uero non idem est quod mare, etiamsi fretum omne dicitur mare.

Gerasseni, Gadareni.

Gerasenorum.) γαδαρηνῶν, id est, Gadarenorum. Ad eundem modū legimus & apud Lucam, cū Matthæus uocet Gergesenorū, de quo nōnihil attigimus in Matthæo cap. 8.

Legio uox Romana usurpata Euangelistæ.

Legio mihi nomen.) λεγεών. Græce scribens usus est uoce Latina, tāetsi mutato genere.

Pascens in agris.) In agris, hic nec apud Græcos additur, nec in codice aureo, nec in Donatianicis, nec in Constantiensi.

Et magno impetu.) καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη, κατὰ τοῦ κρημνοῦ, id est, Et impetu ferebatur grex per præceps in mare. Magno, addidit interpres de suo.

Ad duo milia.) ἦσαν δὲ ὡς δισχίλιοι, id est, Erant autem fermè duo milia, siue Bis mille: & subaudiendum est Porci, non Spiritus: quod Spiritus Græce est neutri generis, & δισχίλιοι masculini, ut ad Spiritus referri non possit.

Quid esset facti.) τί ἐστι τὸ γεγονός, id est, Quid esset quod factum erat, siue Quod acciderat. Quanquam haud male uertit interpres.

Et uenerunt.) Καὶ ἔρχονται, id est, Et ueniunt, præsentis temporis. Et ita habent codices emendatiores Latini.

Et sanæ mentis.) Post hæc uerba Græci codices addunt, quod in Latinis non habetur, τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα, id est, Eum qui habuerat legionem: quod quoniam usum est super esse, cū modo facta esset mentio dæmoniaci, eraserūt. At repetitur ad emphasim miraculi, esse iam sanæ mentis, qui nō solū fuerit obnoxius dæmonio, uerumetiā legioni dæmonū.

Et cum ascenderet.) Καὶ ἐμβάντι αὐτῷ, id est, Ingresso eo nauim, siue Conscensa naui.

Non admisit.) οὐκ ἀφῆκεν, id est, Non permisit, siue Non passus est.

Quanta.) ὅσα, quod sæpenumero significat quæcunq;. Hic interpres legisse uidetur πόσα, non ὅσα.

Et misertus sit tui.) Hoc non parum dure cohæret cum eo quod præcedit: Quanta tibi fecerit deus. uertendum erat, Quæ tibi fecerit deus, & in quibus misertus tui fuerit: siue, Quantopere misertus sit tui.

Transcendisset.) διαπεράσαντος. Quis unquam dictus est transcendere mare, quod magis conuenit monti. Dicendum erat, Cum transmisisset, siue traiecisset.

Vnus, pro quidam.

Et uenit quidam.) Καὶ ἔρχεται εἷς, id est, Et uenit unus. Sed utinam interpres Hebraicam figuram, ut hic mutauit, itidem mutasset ubiq;, tantum abest ut reprehendam. Et Iairus penultima acuta pronunciandum est Latinis, ob diphthongum ἰάϊρος.

Quoniam filia.) Nec in Græcis est ὅτι, quod tamen erat omittendum, si fuisset. Hic addit de suo Quoniam.

Filia mea.) Θυγάτριον, id est, Filiola. Est enim Græcis diminutiuum.

In extremis est.) ἐσχάτως ἔχει, ad uerbum sonat, Extreme habet, perinde ualet ac si dicas, Pessime affecta est, siue In summo uitæ discrimine est.

Vt salua fiat & uiuat.) ὅπως σωθῇ, Καὶ ζήσεται, id est, Vt salua fiat, & uiuet. Vt uerbum posterius sit futuri temporis. Alioqui quid aliud est ægrotam seruari, quàm uiuere? Nam sensus est, Impone illi manus, ut seruetur. Quod si non grauaberis facere, futurum est ut uiuat. Nam fieri potest, ut imponat aliquis manus ægroto, ad hoc ut sanetur, & tamē moriatur ægrotus. Quanquam hoc uitio interpretis non accidit, sed librariorum.

Et sensit corpore.) Καὶ ἔγνω τῷ σώματι, id est, Cognouit corpore, quod interpres non inepte uertit, Sensit. Nam sensus est, Illam hoc cognouisse ex ipso sensu corporis, quod iam carebat cruciatu & fluxu.

Quia

Quia ſanata eſſet à plaga.) μάσιγος, id eſt, Flagello, quemadmodum ſuperius indicatum eſt. Et quia ὅτι uertendum erat in Quod.

Cognoſcens uirtutem quæ exierat.) ἐπιγνοὺς ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν. Quæſo, quod hoc ſermonis dedecus? Num qua uirtus erat illi incognita? Proinde participium uertendum erat in uerbum infinitum: Ieſus autem ut agnouit, ſiue ſenſit in ſeipſo, uirtutem prodiſſe ex ſeſe. Nec enim hoc loco ferendum erat De illo, pro Ex ſe, quod noſtra habet æditio. *Virtutē quæ exierat.*

Omnem ueritatem.) ἔμπροσθεν πάντων πᾶσαν τὴν αἰτίαν αὐτῆς, id eſt, Coram omnibus omnem cauſam ſuam, etiam ſi illud Corā omnibus nō reperi ſcriptū in omnibus Græcorum exemplaribus. Et in nonnullis pro αἰτίαν, ſcriptū erat ἀλήθειαν. Quod nos ſequi maluimus, uel ob hoc, quod cū Latinis exēplaribus concordaret. Porrò Lucas αἰτίαν habet.

Veniunt nuncij.) Nuncij, addiderunt neſcio qui, quanquam non male. Certe nō erat in codicibus Donatiani, ne in Conſtantienſi quidem. Nec eſt,

Ad archiſynagogum) ſed Ab archiſynagogo magno cōſenſu græcorum codicum, ut intelligas ab illius ueniſſe domo, qui nunciarent mortem filiæ. Cæterum nō animaduertens, ſiue lector, ſiue interpres hanc loquendi figuram, Eamus ad me, pro eo quod eſt, ad domum meam, &, à uobis exit, id eſt, è domo ueſtra, exiſtimauit non poſſe uitari, quin illi ad archiſynagogum uenerint: quandoquidem is iam erat apud Ieſum. Verum & ab illo uenerunt & ad illum, hoc eſt, ab illius ædibus, ad ipſum. *Lapſus interpretis.*

Ieſus autem.) Græci addunt, εὐθέως, id eſt, Statim.

Admiſit.) ἀφῆκεν, id eſt, Permiſit, ſiue Paſſus eſt. Nam quis dicat, admiſit ſequi. Mire laſciuit ſua copia, cum hoc uerbum ſolitus ſit uertere, Dimiſit.

Et uidit.) καὶ θεωρεῖ, id eſt, Videt, præſentis temporis.

Et eiulantes.) ἀλαλάζοντας, quod in pſalmis uertit, Iubilare. Nam ὀλολύζειν eſt eiulare, uox ab illa non multum diſſimilis. Quanquam Valla ex autoritate Varronis oſtēdit iubilatum eſſe clamorem ruſticorum, ut quiritatum urbanorū. Certe Chryſoſtomus homilia prima aduerſus Iudæos ὀλολύζειν dicit paſtores clamore deterrentes lupū ab ouili. Ἀλαλάζειν. Ολολύζειν.

Quid turbamini.) τί θορυβεῖσθε, id eſt, Quid tumultuamini, ab eadem uoce, quam modo uerterat tumultum, θόρυβον.

Et deridebant eū.) Græci nōnulli addunt, εἰδότες ὅτι ἀπέθανεν, id eſt, Sciētes quod eſſet mortua, ſiue Cum ſcirent eſſe mortuā. Verum id ſuſpicor huc aſſcriptū ex Matthæo.

Qui ſecum erant.) Legendum eſt, Et qui ſecum erant, Οἱ σὺν αὐτῷ, ut intelligas paucos illos, quos paſſus fuerat ſequi, nempe diſcipulos quos nominatim recenſuit.

Tabita cumi.) Talitha per λάμδα ſcribunt Græci, non Thabita per βῆτα, ſuffraganti bus græcæ lectioni uetuſtiſſimis codicib. Donatianicis atq; itē Conſtantienſi. Deinde,

Puella tibi dico.) Tibi dico, de ſuo adiecit, ſiue is fuit Euangeliſta, ſiue alius quiſpiam, quo ſignificantius redderet, & ſenſum uocantis, & autoritatem imperantis: ut teſtatur & Hieronymus ad Pammachium, in libello, cui titulus, de optimo genere interpretandi. Hebræas uoces Marcus ipſe, qui ſine controuerſia Græce ſcripſit Euangeliū, nobis interpretatur, Puella ſurge. Diuus Hieronymus in libello quo colligit uoces Hebraicas euangeliorum, admonet hunc ſermonem Thabita Cumi, ſic enim illic ſcribitur, corrupte ut arbitror, Syrum eſſe, nō Hebraicū. טְלִיתָא Syriace puella ſignificat. At idē in libro de optimo genere interpretandi, fatetur Hebræum eſſe: Arguatur, inquit, Euangeliſta mēdacij, quare addiderit, Tibi dico, cum in Hebræo tantū ſit, Puella ſurge, niſi forte quod Chaldaicum aut Syriacum ſit, id Hebræū dici poſſit, non contra, quod Chaldæorū & Syrorū ſermo nihil aliud ſit quàm Hebræus, non eodem modo deprauatus, exceptis paucis uocibus, quas, ut fit, aliunde ſibi aſciuerunt. Niſi probabilius uidetur Hebræos, poſteaq; in Syriam demigrarant, illius gentis linguā didiciſſe, atq; ea lingua libros ſacros, qui interciderant, per Eſdram fuiſſe reſtitutos. Porrò ſermonem uulgarem nunq; diutius eūdem eſſe, uel in quauis huius ætatis lingua perſpicuum eſſe poteſt. Tanta eſt rerum humanarum uolubilitas. Neq; uero mihi diſſimile ueri eſt, Chriſtū populari ſermone uſum, quitum promiſcuæ multitudini erat in uſu: præſertim cum apud populū uerba faceret. Qui profitentur hoc literarū genus, aiunt Talitha, quēadmodum magno conſenſu legimus in Græcis *Virtutē quæ exierat.* *Talitha Syris puella.* *Chriſtus non pure Hebraice, ſed Syriace loquutus.*

Græcis codicibus,Chaldæis ſonare puellam.Et fieri poteſt,ut uox ſit utriſq; cõmunis.

EX CAPITE SEXTO.

Chriſtus faber.



Aber filius Mariæ.)Antiqui codices aliquot habent,Fabri filius & Mariæ, ſuffragantibus & Græcis, ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς καὶ μαρίας, Verum in alijs erat ſcriptum, οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων ὁ υἱὸς μαρίας; id eſt,Nónne hic eſt faber ille filius Mariæ? Atq; hanc quoq; ſcripturam reperimus in uetuſtis Latinorum exemplaribus,nominatim in Corſendoncenſi.Deinde annotandũ eſt Græcum articulum utrobiq; eſſe appoſitum, ὁ τέκτων ὁ υἱὸς, id eſt,Ille faber ille filius Mariæ. Præterea uel ex hoc loco licet colligere,nihil referre Mariam dicas more Hebræorum,an Maria more Græcorum: qua de re multis uerbis diſceptat Valla. Poſtremo notandũ & hoc apud Matthæum,non fabrum uocari Chriſtum, ſed Fabri filium.Hinc accipimus illum & uitrici ſui exercuiſſe artem. Cur enim hoc recuſaſſet noſtra cauſa dei filius, qui ne crucem quidem recuſauit,neq; Paulum tantum uidelicet apoſtolũ puduit opera manuaria parare,quo uictitaret.Quanquã non inficior in Græcis uerbis facillimum eſſe lapſum in τέκτονος υἱὸς, & τέκτων ὁ υἱὸς, niſi quod parum apte adhæret Mariæ.

Paulus opifex.

Ioſe.

Et Ioſeph.) Ἰωσῆ, id eſt,Ioſe,legit Laurentius.Nõnulli codices habebant Ἰώσητος, id eſt Ioſetis,iuxta Græcam inflexionem:ut Crates Cratetis,Chremes Chremetis.

Quia non eſt.) Quia,de ſuo addidit,cum nihil ſit opus.

Sine honore.) ἄτιμος, id eſt,Inhonoratus,ſiue contemptus.Cui contrarium eſt ἔντιμος ſiue τίμιος, id eſt,In precio habitus.

Patria,cognati,domus.

Et in cognatione ſua.) καὶ ἐν τοῖς συγγενέσιν, id eſt,Inter cognatos.Deinde additur, Et in domo ſiue familia ſua.) Communiſſimum enim eſt patria,deinde cognatio,proximum domus ac familia.

Niſi paucos infirmos.) Latinitatis ratio poſtulabat,ut adderet Quod.Niſi quod.Deinde Infirmos,Græcis eſt ἀῤῥώστους, id eſt,Aduerſa ualetudine laborantes.

Et conuocauit.) προσκαλεῖται, id eſt,Aduocat,ſiue accerſit, præſentis temporis. Reclamabit aliquis forte moroſulus,dum huiuſmodi ſectamur minutias, cur potius Aduocat, quàm Conuocat:& cur aduocat potius quàm Aduocauit? Cui totidem reſpondebo uerbis,Cur Cõuocauit potius quàm Aduocauit? & cur Aduocauit magis quàm Aduocat? quod poſterius ut elegantius eſt,ita ſcriptum ab Euangeliſta.

Binos, δύο, δύο.

Binos.) δύο δύο. Eleganter expreſſit interpres Latinus,cum Græce ſit,Duos,duos,hoc eſt,per paria,ſiue per iuga,ut intelligas omnes duodecim fuiſſe miſſos,ſed ſena iuga.Quanquidem & Matthæus recenſens duodecim apoſtolorum nomina,binos copulauit.

Poteſtatem ſpirituum immundorum.) Quo uitaremus amphibologiam, uertimus, Poteſtatem in ſpiritus immundos.Nam poteſtas dicitur tum eius qui habet,tum eius rei cuius potentes ſumus.

Additum aliquid apud Græcos.

In teſtimonium illis.) Addunt hoc loco Græci codices,an recte neſcio, ἀμὴν λέγω ὑμῖν ἀνεκτότερον ἔσται σοδόμοις ἢ γομόῤῥοις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ, id eſt, Amen dico uobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorris in die iudicij, quàm ciuitati illi. Verũ haud ſcio an id ſit ex Matthæo huc tranſcriptum. Quod in Marco qui ferè conſentit cum Matthæo, niſi quod breuius narrat,frequentius accidit. Quanquam conſentiunt Græcorum exemplaria, quæ quidem mihi uidere contigit.

Et ungebant oleo.) Hinc natũ apparet, quod hodie ſacro oleo unguntur periculoſe laborantes, nõ perinde ut reualeſcãt, atq; ut tutius emigrent:cuius rei meminit & Iacobus.

Et audiuit rex Herodes.) Quidam Græci codices addunt, τοῦ ἀκολουθήσαντος, id eſt, Famam Ieſu: aliunde, ni fallor aſſcriptum.

Herodes aũt metuebat.) Enim legunt Græci, nõ Autem, conſentientibus & antiquis exemplaribus. Addidit aũt paulo ſuperius αὐτὸς, id eſt,Ipſe, ut intelligeremus hunc eundem eſſe qui Ioannem occidit & qui Chriſto male uolebat,diuerſum ab eo,ſub quo fugit dominus. Siquidẽ illi miſere extincto ſucceſſit Archelaus filius, huic ſucceſſit frater Herodes iunior,cuius hic mentio. Sic refert Euſebius in Eccleſiaſtica hiſto.cap.9.10.&.11.

Et cuſtodiebat.) καὶ συνετήρει, id eſt, Conſeruabat, uel magis Obſeruabat, Id quod indicant ea quæ mox ſubſequuntur.

Herodes

Herodes natalis sui.) ὅτε ἡρῴδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίησεν, id est, Cum Herodes natalicijs suis cœnam faceret, siue In natalicijs suis conuiuiũ exhiberet. Et principibus est μεγιστᾶσι, id est, primatibus siue primoribus. Quo uerbo usus est & Suetonius in Caligula Cæsare, Regem etiam regum & exercitatione uenandi, & conuictu megistanũ abstinuisse. *Megistanes.*

Et tribunis.) καὶ χιλιάρχοις, quod Græce sonat eos, qui millenis præfecti sint, ut militum tribunos intelligas. *Tribuni, χιλίαρχοι*

Filia ipsius Herodiadis.) Sermo Græcus habet Amphibologiam. Potest enim & hic accipi sensus: Cum esset ingressa filia ipsa Herodiadis: id quod per se liquebit Græca relegẽti.

Licet dimidium.) ἕως ἡμίσους, Vsq; ad dimidium.

Et contristatus est rex.) Græca sic habent, ☞ περίλυπος γενόμενος ὁ βασιλεὺς, διὰ τοὺς ὅρκους, καὶ τοὺς συνανακειμένους, οὐκ ἤθελεν αὐτὴν ἀθετῆσαι, id est, Et dolore affectus rex, propter iusiurãdum, & eos qui simul accumbebãt, noluit eam reijcere siue spernere. Quanq; ex Matthæo liquet, post rex, hypostigmen apponendam esse, ut intelligas eum non contristatum propter iusiurandum, sed propter iusiurandum ac propter simul accumbentes noluisse frustrari puellam, quum Ioannem uellet incolumem. Nec est hoc loco,

Noluit eam cõtristare.) Quẽadmodũ in Matthæo λυπεῖται, sed ἀθετῆσαι, id est, Reijcere siue repellere, quod miror cur Laurentius uertendum putarit, Fraudare aut frustrari.

Misso spiculatore. καὶ εὐθέως ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτορα. Euangelista Latinam usurpauit uocem, mutata uocali, quum prima spiculatoris sit longa. Ac mox, *Spiculator.*

Et tulerunt corpus eius.) πτῶμα est, hoc est, Cadauer. Interpres legisse uidetur σῶμα.

Quæ egerant & docuerant.) Græcus sermo geminat coniunctionem, ☞ ὅσα ἐποίησαν ☞ ὅσα ἐδίδαξαν, id est, Et quæ egissent, & quæ docuissent.

Venite seorsum.) δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν, id est, Venite uosipsi seorsum. Porrò αὐτοὶ positum est pro Soli, hoc est, dimissis cæteris: quemadmodum καθ' ἑαυτὸν esse dicitur, qui solus est, & absque arbitris.

Et uiderunt eos abeuntes.) Græce est, ☞ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντας οἱ ὄχλοι, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτὸν, id est, Et uiderunt eos abeũtes turbæ, & agnouerũt eum: ut prius pronomẽ ad omnes cõmuniter pertineat, posterius ad Christum solum.

Et cum iam hora multa fieret.) Græci sermonis sensus est, Cum iã admodum tempestiuũ esset sumere cibum. Nam ex alijs Euangelistis apparet iam diei uesperum appetisse.

In proximas uillas.) εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς, id est, In circumiacentes agros. Et quoniam ex agris nihil emitur, nisi uillæ sint, uertit Villas. Nam uillæ domus sunt in agro. *In proximas, pro, in circumiacentes.*

Emant sibi cibos.) ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους, id est, Emant sibijpsis panes. Nam Hebræi omne edulium panis nomine complectuntur.

Quod manducent.) Pro hoc Græce est, τί γὰρ φάγωσιν οὐκ ἔχουσιν, id est, Nam quid edant, non habent. Etiamsi τί noue positum est.

Date illis manducare.) Græci addunt Vos, δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν. Atq; ita habent antiqui codices Latini, Date illis manducare uos.

Et dabimus.) ☞ Δῶμεν, id est, Demus.

Secundum contubernia.) συμπόσια, συμπόσια, id est, Conuiuia, conuiuia, hoc est, distributis conuiuijs, ut ante dixit, δύο, δύο. Laurentius mallet, Manipulatim.

Super uiride fœnum.) ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ, id est. In uiridi herba. *Conuiuia conuiuia, iuxta tropum Hebraicum.*

Et discubuerunt in partes.) καὶ ἀνέπεσαν πρασιαί, πρασιαί, id est, Et discubuerunt prasiæ, prasiæ. Dicuntur autẽ prasiæ herbaria, cuiusmodi sunt areolæ hortorum: πράσιον enim uiride. Cæterum & hoc prasiæ, prasiæ, & illud συμπόσια, συμπόσια, dictum est iuxta proprietatẽ sermonis Hebraici. Ad quam formam multa annotauit diuus Augustinus, in libris quos scripsit de tropis ueteris instrumenti, uelut illud: Decima, decima agno uni septem agnis. Et mille ex tribu, & mille ex tribu, pro eo quod est, ex singulis tribubus millenos.

Per centenos & quinquagenos.) ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα, ut ad uerbum reddam, id est, Per centum & quinquaginta. Vt intelligas loca fuisse distincta sulco, aut simili interuallo: & pro magnitudine in alijs accubuisse centenos, in alijs quinquagenos.

Intuens in cœlum.) ἀναβλέψας, id est, Suspiciens, siue Sublatis oculis.

Et sustulerunt. καὶ ἦραν κλασμάτων δώδεκα κωφίνους πλήρεις, id est, & sustulerũt fragmento-

rum duodecim cophinos plenos, genitiuus referri potest uel ad plenos uel ad cophinos.

Et statim coëgit.) ἠνάγκασεν, idem uerbum quod in Matthæo uerterat iussit, sed perperam, ut illic indicauimus.

Dimittere. ἀπολύσας. Et cum dimisisset eos.) Ϲ ἀποταξάμενος αὐτοῖς. Non est idem uerbũ, quod paulo superius ἕως ἀπολύσω, uerum aliud, quod non significat simpliciter dimittere, sed dimittere dictuale ac mandatis quæ uolueris mandare: quemadmodum solemus dimittere notos & amicos. Eandem uocem in actis capite decimooctauo uertit ualefaciens. Similiter 2. Corin. 2. Græca uox sonat, quasi dicas remandare.

Et uidit eos laborantes.) βασανιζομένους, quod in Matthæo uertit Vexatos, aliâs lactatos.

In remigando.) ἐν τῷ ἐλαύνειν, quod significat agere ac regere uel nauem, uel equum, uel currum, uel simile quippiam.

Cõduplicatio. Et plus magis.) Ϲ λίαν ἐκπερισσῶς, id est, Valde ex abundanti, siue ualde supra modum. Rursus hic est θαύσαντες, quod uehementẽ significat admirationem, ut homo præ admiratione nõ sit apud se. Et tamen in Græcis codicibus additur καὶ ἐθαύμαζον, Et admirabant: uelut interpretetur Euangelista quid dixisset θαυμάσαι, quod tamen haud scio an casu sit adiectũ. θαυμάσαι

Et cognouerunt eum.) Addunt Græci, οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου, id est, Viri loci. Quanquam id in plerisq; codicibus non inuenitur.

Vbi audiebant eum esse.) ὅπου ἤκουον ὅτι ἐκεῖ ἐστί, id est, Simulatq; audissent, quod illic esset, ut intelligas eos qui agnouerant Iesum renunciare cæteris, illum adesse.

In plateis.) ἐν ταῖς ἀγοραῖς, id est, In foris. Quanquam & platea uia fusior ac laxior, forum esse potest.

EX CAPITE SEPTIMO

ET uituperauerunt. ἐμέμψαντο, id est, Accusarunt, siue incusabant, siue Questi sunt.

Nisi crebro lauerint manus.) ἐὰν μὴ πυκμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας Theophylactus interpretatur πυκμῇ ut sit aduerbium, pro eo quod est usq; ad cubitum, siue ut quidam interpretatus est cubitaliter, quod ex instituto Pharisæorũ soliti sint ante cibum lauare manus usq; ad cubitum, id quod lex non præcipit. Equidem reperio apud Græcos etymologistas πυγμὴν significare duo, pugnum hoc est manum complicatam, à uerbo πτύσσω, quod est plico, unde πυγμὴ quasi dicas πτυγμή, Et cubitum, quem Græci πῆχυν uocant, Nam hac parte brachium est cõplicatile. Hinc & Pygmeos populos appellari putant, quorum meminit Homerus, quod cubitali sint proceritate. Verum non reperio πυγμῇ apud Græcos usurpatum aduerbij loco, & haud scio an à substantiæ uocibus similia ueniant, quemadmodum à πᾶς πάντα, & ab ἕκαμον ἑκάμνω. Quod si maxime fieret, tamẽ magis quadrabat πυχμῇθεν, id est, à cubito siue cubito tenus, cõp πυγμῇ. Ad hæc nihil uideo causæ, quur hæc fabula de lotione cubitali huc accersatur. Nam si constaret hoc à lege præscriptum, ne quis caperet cibum nisi lotis manibus, probabiliter uideri poterat inducta cubitalis lotio. Tum enim adderet aliquid legis præscripto. Nũc tale nihil à lege præcipi testatur dñs dicens, Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem. Vnde probabile est, in uetustioribus codicibus scriptum fuisse, non πυγμῇ, sed πυκνῶς aut πυκνὰ aut πυκνῇ, quod sonat frequenter aut crebro, siue subinde. Verum hoc eruditis expendendum relinquo.

Et à foro uenientes.) Venientes, tametsi non male addidit, tamen non est in Græcis codicibus. Et à foro, idem nomen est quod modo uertit Plateam, ἀγορᾶς.

Quæ tradita sunt illis.) Sensus omnino conuenit, tamen Græce est. ἃ παρέλαβον τηρεῖν Siue, ut nonnulli codices habent, κρατεῖν, Quæ acceperunt seruãda siue tenenda. Verum quoniam παραλαμβάνειν uidetur esse, ab alio traditum accipere, idcirco interpres conatus est explanatius efferre sententiam.

Baptismata lotiones Baptismata.) Miror cur interpres maluerit dicere Græce, quàm Latine, Lotiones, siue Ablutiones, cum hic de uulgari lotione sit mentio.

Et urceorum.) ξεστῶν, apparet intelligenda esse lignea, quod subiecit Aeramentorum. Cæterum lectos appellat spondas, in quibus accumbebant sumentes cibum, non solum in quibus dormitur.

Et

Et interrogabant.) ἔπειτα ἐπηρωτῶσιν, Deinde interrogant.

Bene prophetauit Esaias de uobis hypocritis sicut scriptum est.) Cum Græca congruant, tamen haud scio quo casu ita scriptum comperi in aureo codice, Bene prophetauit de uobis Esaias dicens.

Doctrinas & præcepta.) Et coniunctio tollenda, διδασκαλίας ἐντάλματα, id est, Doctrinas, mandata per appositionem: sicut admonitum est in Matthæo. Vera lectio superest adhuc in codice constantiensi.

Si dixerit homo.) Hic explicat quod obscurius erat in Matthæo, his uerbis à pharisæis instrui quosdam, ut parentibus desertis, pecuniam conferant in donaria templi. Quanquam sermo uidetur parum absolutus, sed subaudiendum, Satis est, aut simile quippiam. *Si dixerit homo.*

Mandata dei.) ἐντολὴν, id est, Mandatum quemadmodum & παράδοσιν, id est, traditionem. Proponit enim dominus exemplum in uno præcepto & una traditione.

Irritum fecistis.) ἀθετεῖτε, id est, Irritum facitis. Consentientibus & antiquis codicibus nostris atque in his aureo. Quanquàm potius erat Reijcitis, quemadmodum & Cyprianus legit.

Rescindentes uerbũ dei.) ἀκυροῦντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, id est, Irritum facientes, siue Abrogãtes, aut antiquãtes. Nam ἀκυροῦν est proprie detrahere autoritatem, & irritum facere, quod aliquando fuerit comprobatum. ἀκυροῦν

Nihil est extra hominem.) οὐδέν ἐστιν ἔξωθεν τοῦ ἀνθρώπου, εἰσπορευόμενον εἰς αὐτὸν, id est, Nihil est quod aliunde quàm ab homine ingreditur in eum: quasi dicas, Deforis, ut paulo post uertit, omne extrinsecus introiens, ὃ ἔξωθεν εἰσπορευόμενον.

Iterum turbas. πάντα τὸν ὄχλον, id est, Totam turbam.

Parabolam.) τὴν παραβολήν, id est, De parabola, siue de similitudine.

Imprudentes.) ἀσύνετοι, id est, Absq; intellectu, ut ante uerterat: aut expertes intelligentiæ. Et melius erat, Siccine uos quoque, quàm sic & uos: aut Itáne uos quoq;.

Purgans.) ἐκκαθαρίζων, id est, Expurgans, ad uerbum.

Oculus malus.) ὀφθαλμὸς πονηρός. Cur non & hic dixit, Oculus nequam, sicut in Matthæo, Si oculus tuus nequam est, quia ego bonus. Nam eadem uerba Græca sunt utrobique. Sentit autem oculum non simplicem & purum, sed fascinatorem & inuidum, atque iniquum. *Oculus malus*

In fines Tyri.) μεθόρια, id est, Confinia, hoc est, Tyro finitimas regiones, siue Quæ interiacent inter Tyrum & Sydonem. Quanquam paulo post utitur simplici uoce ὅρια in eundem sensum.

Ad pedes eius.) Hoc loco sequitur, ἦν δὲ ἡ γυνὴ Ἑλληνὶς συροφοινίσσα τῷ γένει, id est, Erat autem mulier Græca, Syrophœnissa genere. Alij codices habebant, σύρα φοινίκισσα, sed mendose: nam si Syra erat, & regionis Phœnices, quæ sine dubio Iudæorum est, qui potuit esse Græca natione. Cæterum quod Gentilem dixit, non est Græce ἐθνικὴ, sed Ἑλληνὶς, ut patriam intelligas designatam, quæ declaret nõ esse Iudæam religione. Siquidem gente Chananea erat non Græca, sed Græca dicitur ex Hebræorum consuetudine, quod esset aliena à religione legis Mosaicæ. Frequenter enim Ἕλληνα Gentilem uertit interpres. Est autem una Syriæ pars quæ dicitur Syrophœnice in qua est Damascus, ut indicat Tertullianus libro aduersus Marcionem tertio. *Syrophœnissa*

Nam & catelli.) Eadem uox est Græcis, canibus & catellis: quanquam utrobique diminutiuum est apud illos, κυνάριον, ut admonuimus. Ad hoc, παιδίων, rectius uertisset Filiorum quàm puerorum, cum præcesserit τέκνων.

Vtique domine.) In codicibus quos hactenus uiderim, nihil erat loco Vtiq;, sed tantũ, κύριε, καὶ τὰ κυνάρια, id est, Domine, & catelli. Quanquam postea in nonnullis reperi.

Inuenit puellam iacentem supra lectum, & dæmonium exisse.) In uulgatis Græcorum codicibus ordo sermonis inuersus est. Nam illic reperit exisse dæmonium, & puellam lecto decumbentem, & super lectum, latinius erat, ἐπὶ κλινῆς.

Fines decapoleos.) Δεκαπόλεως. Regio est trans Iordanem decem ciuitatum: unde & nomen habet Græcis, circa Hippum, Pellen, & Gadaram, ut testis est Hieronymus in locis Hebraicis. Δεκάπολις

Surdum & mutum.) κωφὸν μογιλάλον, id est, Surdum impeditæ linguæ, siue balbum, dictione composita à μόγις uix, & λαλεῖν loqui. Est autem id uitij penè perpetuum insanis aut melancholicis, aut fatuis natura, ut testis est Aristoteles.

Adaperire. Aperire. Adaperire.) Aperire ἐπφατὰ, uocem Hebraicam & hic adijcit, quemadmodum & superius, In cumi. Est autem הִפָּתַח unum ex eo uerborum genere, quæ Hebræi grauia uocant, & quæ uim habeant transitiuã, quasi dicas, Præsta te apertum, siue fias apertus. Neque uero libet hic commemorare ridiculam differentiam inter aperire & adaperire, quam Laurentius argutius irridet quàm grauem deceat uirũ, etiamsi merito id facit. Certe apud Euãgelistam nulla differentia est, cum idem utrobiq; sit uerbum διανοίχθηλι & διῆλθοίχθησαν, quorum alterum uertit, Adaperire, alterum, Apertæ sunt, perinde quasi nefas esset Latinis eandem uocem repetere.

Tanto magis plus.) Græci quidem codices ita distinguunt, ut Magis non referatur ad Præcipiebat, quod præcesserit ὅσῳ, non ὅσον, sed ad idem uerbum ad quod refertur, nempe ad prædicabant plus: sed περισσότερον uerti poterat Vehementer, aut magnopere, ut comparatiuum positum sit loco positiui: aut μᾶλλον uertendum erat potius, ut non habeat uim comparandi, sed corrigẽdi: perinde quasi dicas, Tantum aberat ut facerent id quod erant iussi, ut hoc amplius etiam prædicarent quod essent uetiti.

Magis, pro potius.

Et surdos fecit audire. Vt ne quid causer de integritate Latini sermonis, quod Romanis auribus aliud quiddam sonat, facit loqui, & facit currere, rectius fuisse futurum, efficit ut surdi audiant, muti loquantur, Tempus quoque uerbi mutauit interpres, aut certe librarius. Est enim ποιεῖ, id est, Facit: idq; absolutius est. Laurentius testatur in nonnullis exemplaribus Latinis conduplicari coniunctionem, Et surdos fecit audire, & mutos loqui.

ἄλαλος κωφός. Et mutos loqui.) ἀλάλους λαλεῖν. Gratiam annominationis non potuit interpres reddere, quasi dicas, elingues, linguaces, aut infantes fari.

EX CAPITE OCTAVO

VStinent me.) προσμένουσί μοι, id est, Manent apud me.

Cum turba multa esset.) Græce est παμπόλλου, id est, Admodum multa, siue plurima. Nec additur Cum Iesu, nec apud Græcos, nec in uetustis exemplaribus, nec in aureo, nec in Constantiensi deniq;

Vnde istos.) πόθεν, quo Græci utunt in negatione pro Qui, aut Quomodo.

Et ipsos benedixit.) καὶ αὐτὰ εὐλογήσας, id est, Cum & his benedixisset. Quanquam in nonnullis exemplaribus sic habebatur, καὶ εὐλογήσας, εἶπε προσθῆναι καὶ αὐτὰ, id est, Et cum benedixisset, iussit apponi & hos.

Quasi quatuor milia.) ὡς, id est, Fermè, aut Circiter quatuor milia.

Dalmanutha. In partes Dalmanutha.) Quidam Græcus codex habebat μαγδαλὰ, cuius meminit Matthæus, siue ut quidam legunt, Magedam. Nec apud quenquam adhuc reperi huius loci descriptionem, nisi quod in collectaneis Hebraicarum uocum, hanc quoque reperio expositam, sed ita, ut ad hunc locum nihil attineat. Augustinus de consensu Euangelistarum putat eiusdem regionis plura esse uocabula, addens, quod hoc quoque loco quidam codices habebant Mageda.

Cõquirere cum eo.) Laurentianum exemplar, ut uidetur, secus habuit. Meum ad hunc modum, ἤρξαντο συζητοῦντες παὐτοῦ σκμῶν, id est, Cœperunt simul quærere ab eo signũ. Quanquam postea nactus sum, in quibus ita scriptum reperi, καὶ ἤρξαντο συζητῶν αὐτῷ, ζητῶν παὐτοῦ σκμῶν. id est, Et cœperunt disputare cum eo, & requirere ab eo signum. In quibusdam pro καὶ ζητῶν, erat ζητοῦντες.

Ingemiscens spiritu.) Græci addunt Suo. καὶ ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ.

Si, abiurantis

Si dabitur generationi isti signum.) Si, hoc loco est abiurantis, quemadmodum & illic, Si introibunt in requiem meam. Latini addunt, emoriar, dispeream, aut simile quippiam. Mire retudit arrogantiam pharisæorum, qui uideri uolebant cum cœlo habere commercium cum essent sceleratissimi. At Christus illis ex imo corde terræ signum promittit, diuersissimum ab eo quod postulabant.

Et obli

Et oblíti ſunt ſumere panes.) Quidam Græcus codex addit, diſcípuli eius: míhi magis placet non addi.

Vídete & cauete.) ὁρᾶτε, βλέπετε. Duo uerba ſunt Græcis ídem ſignificantia, citra ínteruentum coniunctionis, quaſi dícas. Vídete, cernite: ſiue Cauete, fugite, quo díligentiorem cautionem exprímeret.

A fermento Herodis.) ἡρῳδιανῶν, id eſt, Herodíanorum, pro Herodis habebant nonnulli. Et ín Matthæo mentío ſit Herodianorum, uelutí factionis cuiuſdam, quæ ſimul cum phariſæis aggreſſa ſit Chriſtum. *Herodiani.*

Et aſpiciens. (ἀναβλέψας, id eſt, Recepto uíſu.

Vídeo homines.) βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρεα ὁρῶ περιπατοῦντας, id eſt, Vídeo homines, quoníam uelut arbores uídeo ambulantes. Et ambulantes apud Græcos ad homines duntaxat referrí poteſt, quod íllis arbores ſint neutri generis.

Et cœpit uídere. (καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι, id eſt, Fecít eum denuo uídere. Bís enim recepit uíſum, prímum utcunque, deínde perſpícue.

Et reſtitutus eſt.) Ante hoc addit Græcus codex, καὶ διέβλεψεν, id eſt, Et peruídit. Nec eſt Omnia, ſed ἅπαντας, id eſt, Omnes: etiamſi híc facíllimus ín ſcriptura lapſus.

E ſi ín uícum ínroieris.) palàm eſt Græca exemplaría paſſim díſcrepare. Nam Laurentíanus codex habebat, Et neque ín uícum ínroieris, neque cuípiam dixeris ín uíco. Meus autem habebat, καὶ ἐὰν εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδενὶ εἴπῃς, μηδ' ἐν τῇ κώμῃ, id eſt, Et ſi oppídum íngreſſus fueris, ne cuí dixeris, ne ín oppído quídem. Tamen poſtea nactus ſum exemplar, conſentiens cum codíce Laurentíano: atque íd ſequí maluí, præſertím cum íta legat Theophylactus. *Varia lectio.*

In caſtella.) εἰς κώμας, eadem uox, quam toties uertit Vícum.

Alíj uero quaſi.) Quaſi non addítur apud Græcos.

Tu es Chriſtus.) Additum arbítror ex alío loco, Fílium dei uíui, quod tamen ín emendatorıbus exemplarıbus Latínis non addítur apud Marcum, ſed apud Matthæum. *Additum aliquid.*

Et comminatus eſt.) ἐπετίμησεν, id eſt, Increpauít. Quanquam híc tolerarí poterat, Interminatus eſt: cum addítis mínis, alíquid ínterdícimus.

De íllo.) περὶ αὐτοῦ, id eſt, De ſe.

Et cœpít.) Ὡς ἀπ' τότε ἤρξατο, id eſt, Extunc, ſiue ex eo tempore cœpit: ut habebatur ín quíbuſdam exemplarıbus.

Quoníam.) ὅτι, id eſt, Quod.

Poſt tres dies.) In paucís ſcriptum reperí, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, id eſt, Tertio die: ſed appáret data opera mutatam ſcripturam, quod prima fronte falſum eſſe uídeatur, Chriſtum reſurrexíſſe poſt tres dies, qui tertio die ſurrexerit: præſertím cum emendatíſſima Græcorum exemplaría, cum noſtra conſentiant æditione. Atque hac quídem de re díligenter díſſeruit Iacobus Faber Stapulenſis, ín líbello cuí títulum fecít, de Magdalenís, ac tríduo Chriſtí, nullum non mouens lapídem ut hanc explícet difficultatem, nunc addens horas alíquot eí díeí quo reuíxit Chriſtus, proxímæ noctí detractas, nunc eundem ante diem præmíttens ad ínferos, cum ín horto tæderet ac mœreret, nunc uní díeí gemínas addens noctes, uídelícet paraſceue. Mihí uero non eſt neceſſe de ſíngulis íllíus diſputatiónis partíbus quíd ſentíam aperíre. Certe non uídeo cur Bedam notandum exíſtímarit, qui tríduí myſterium conatus ſit per ſynecdochen explícare, nímírum figuram grammatícam. Quaſi uero non totam híſtoríam Euangelícam grammatícis figurís debeamus, aut quaſi non ueteres ad unum omnes tum Græcí tum Latíní quæſtionem hanc per ſynecdochen explícent: Inter quos eſt & Thomas, enarrans prioris ad Corínthios epíſtolæ caput decímumquíntum. Quoties per Hyperbolen, Enallagen, ſimileſque tropos ſenſum díuínorum uoluminum explícant ſacrí doctores? Iam allegoría, parabola, uocabula paſſim ín arcanis líteris obuía, nónne grammatícorum ſunt ſchemata? Quíd eſt quod tam procul à ſacrís ablegamus grammatícos de díuínis líteris alíquanto melíus meritos, & ſint frígidi quídam ac ieíuní dialectící, ne dícam ſophíſtæ. Imò ípſe Faber, qua tandem bípenní, Gordíanum hunc nodum díſſecuit: nónne ab Apollonío porrecta, prímum ethnico, deínde *Quomõ Chriſtus poſt tres dies dicatur reſurrexiſſe.* *Figuræ grammaticæ in díuínis líteris*

qui nihil aliud sit quàm grammaticus? Qui nisi succurrisset, totus adhuc erraret mundus, & in Marco legeret Christum resurrecturum post tres dies. Sic enim argumentatur: Non surgit post tres dies, qui surgit tertio die, sed constat Christum tertio die surrexisse, Aduersatur igitur Euangelijs, aduersatur articulis fidei, aduersatur omni ueritati, quisquis ait Christum post triduum surrexisse. Atqui ita sanè tot iam seculis, magno consensu Græca pariter ac Latina legit, canit & scribit ecclesia. Neque quisquam adhuc mortalium tam impium errorem animaduertit, nec erat elabendi spes, nisi Apollonius rei literariæ peritissimus commonstrasset, μετὰ Græcis nonnunquā usurpari uice ἐν uel διά. Tantum habet pondus unicum unius grammatici testimonium, quoties nobis ita collubuit. Quanquam nec hoc exemplum quod ex Apollonio produxit Faber, uidetur ad sermonem Euangelicum respondere. Neque enim simile est, μετὰ χεῖρας εἶχεν, & μετ' ἡμέραν, ei quod ait Marcus, μετὰ τρεῖς ἡμέρας. Siquidem apud Apollonium μετὰ positum uidetur pro μεταξύ, aut certe pro κατά. Quo tamē modo non liceat abuti, si certum addas numerum. Iam constat μετὰ frequenter ab Euangelistis usurpari ad hunc modum, nec aliud significare quàm post. Velut apud Matthæum capite uigesimo sexto, Post biduum pascha fiet, μετὰ δύο ἡμέρας. Item apud Lucam, Post dies octo. Apud Marcum, Post dies sex. In Actibus, Non post multos hos dies, Alijsque locis compluribus. Sed ut his omissis, quod sentio, paucis expediam, mihi nihil causæ uidetur, cur hic excitemus huiusmodi tragœdiam, aut cur ad tam coactam ac uiolentam interpretationem confugiamus, quum nodus bifariam explicari possit, haud magno negocio. Primum, si tertium diem numeremus non à morte seruatoris, sed à tota passione, quæ cœpit pridie parasceues, cum iam iniretur consilium de comprehendendo Iesu, cum uenderetur, cum tæderet, ac mœreret. Siquidem passionis summam uidetur & ipse Marcus suis uerbis complecti: & cœpit, inquit, docere eos, quod oporteret filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, summisq; sacerdotibus, ac scribis, & occidi, & post tres dies resurgere. Sic enim recensuit, ut post tres dies, ad totum sermonem qui præcessit referri possit, non tantum ad id quod erat postremum, occidi. Quemadmodum proximo capite recēsuit, Filius hominis traditur in manus hominū, & occident eū, & occisus tertio die resurget. Hic quoniam triduum numerat ab occisione, tertio die dixit non post triduum. Alter modus est, si per synecdochen accipiamus, factum post tres dies, quod factum sit post tertium diem exortum. Quemadmodum & uulgo loquimur, Ab eo die cœpit odisse me, cū eodem die cœperit odisse. Et post eum diem desijt amare, cum eodē die desierit. Hæc, ni fallor, minus certe coacta sunt, quàm quæ Stapulensis tanto molimine prodidit. Quod si quis adduxerit his etiam meliora, non grauabimur sequi.

Μετὰ uarie usurpatur.

Ratio bifariā explicandi quæstionē.

Post triduū, id est, post tertium diē exortum.

Et palàm.) παῤῥησίᾳ. id est, Libere & audacter. Neq; enim hoc dicebat, nisi suis, sed aperte, & sine inuolucro, quemadmodum solet: tametsi sermo hic esset durissimus.

Comminatus est Petro.) Miræ deliciæ huius interpretis, qui quod alias uertit Increpare, idem nunc uertit Comminari, cum nec ad sententiam quadret Comminari. Nam quod sequitur,

Vade post me satana.) Nimirum increpantis est, non comminantis. Postremo ut legimus interminari, pro interdicere, ita comminari in eundem sensum non memini legere. Est autem ὀπίσωμου, quod in Matthæo notauimus.

Aut quid dabit homo cōmutationis.) τί ἀντάλλαγμα, id est, Quam commutationem: de quo quid nobis uideretur, indicauimus in Matthæo.

Cōfessus, pro confusus.

Qui enim me confessus.) Antiqui codices magno consensu pro Confessus, & Confitebitur, habebant, Confusus fuerit, & confundetur: suffragante his & aureo codice & meo uetustæ typographiæ, In Constantiensi rasura prodebat operam deprauatoris. Atq; ita habent Græca, ὃς γὰρ ὃν ἐπαισχυνθῇ με & τοὺς ἐμοὺς λόγους, id est, Quicunque enim eruburit me, & meos sermones. Ac paulo post, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται αὐτόν, id est, Et filius hominis erubescet de eo: aut, Filium hominis pudebit illius. In eundem sensum legit diuus Augustinus, refellens Adimantum Manichæum: Omnis qui confusus fuerit me in gente ista adultera, & peccatrice, & filius hominis confundetur illum cum uenerit in glo-

in gloria patris sui. Quin & Irenæus libro tertio capite uigesimo ad eundem modum abutitur confusus & confundi. Satis hic apparet, confessus & confitebitur uerba esse supposita ab audaculo quopiam. Cæterum an satis Latine dicamus, Cõfundor te, pro eo quod Pudet me tui, uiderint literatores.

EX CAPITE NONO.

REgnum dei ueniens. ἐληλυθυῖαν id est, Venisse. Est enim participium præteriti temporis, quod uertendum erat per infinitum, ob inopiam Latini sermonis.

Dissonant Euangelistarũ uerba.

Et post dies sex.) Lucas facit, Dies fermè octo. Marcus consentit cum Matthæo in numero. Hoc admonui ne quis temere scripturam mutet: difficultatem quæstionum explicant doctores.

Et duxit.) Ὁ ἀναφέρει, id est, Subducit, præsentis temporis, ut, Et assumit παραλαμβάνει.

Seorsum solos.) Sic habebat antiquissimus codex, κατ' ἰδίαν μόνους, id est, Seorsum solos. Latina uetera consentiebant in, Seorsum, sed Paulinum habebat Solus, Corsendoncense, Solos. Itidem & Constantiense. Aliquis offensus perissologia, uocem alteram ut superuacaneam reliquit. Verum hoc modo uoluit Euangelista significare secessum uehementer secretum.

Et transfiguratus est.) Græce est, Ὁ ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτοὺς, μετεμορφώθη, id est, Et dum orant illi, transfiguratus est. Quanquam illud Dum orant, in plerisque Græcorum codicibus non additur, nec à nobis est additum. Apparet huc transscriptum ex Lucæ nono.

Splendentia & candida.) Abest in Græcis coniunctio, στίλβοντα, λευκὰ λίαν, ut intelligas ex insigni candore fuisse relucẽtia. Hoc & ideo uisum est admonere, quo minus absurdum uideatur quod in Matthæo Græci legunt, ut lux, non ut nix.

Qualia fullo.) Poterat uitare absurditatem sermonis, si οἷα uertisset in aduerbiũ, Quàm candida reddere non potest fullo.

Et faciamus.) θέλει ποιήσωμεν, id est, Vis faciamus. Quanquam pleraque Græcorum exemplaria consentiunt cum nostra æditione uulgata.

Charissimus.) est ἀγαπητὸς, id est, Dilectus siue charus, nisi quod articulus additus indicat unice dilectum, ὁ ἀγαπητός.

Quid ergo dicunt.) πῶς οὖν λέγουσι, id est, Quomodo ergo dicunt. Quanquam emendati codices habebant, ὅτι λέγουσιν id est, Quod dicunt. Et mox,

Primo restituet omnia.) ἀποκαθιστᾷ, id est, Restituit præsentis temporis, ut referatur ad prophetiam Malachiæ, quæ prædixit id futurum, non ad tempus aliquod definitum, & primum Græcis dictum pro prius.

Restituet, pro restituit.

Quid inter uos conquiritis.) καὶ ἐπηρώτησεν τοὺς γραμματεῖς, τί συζητεῖτε πρὸς αὐτούς. Potest & hic sensus accipi, & interrogauit scribas, Quid conquiritis, siue disputatis aduersus illos, siue cum illis. Apparet interpretem legisse, πρὸς ἑαυτούς, siue πρὸς αὑτούς, id est, Inter uos. Sed aliâs admonuimus hanc orthographiæ rationem passim negligi in Græcis codicibus.

Conquirere, pro disceptare.

Spiritus conturbauit.) Græce est, εὐθέως τὸ πνεῦμα ἐσπάραξε τὸ παιδίον, id est, Statim spiritus discerpsit puerum. Opinor interpretem legisse, ἐτάραξεν, ac fortasse rectius. Quanquam in plerisque exemplaribus non erat παιδίον, sed αὐτὸν, Apparet enim iam non fuisse puerum, cum pater respondeat hoc illi à puero accidisse: etiamsi paulo post uocat eum puerum, pater pueri.

Elisus in terram.) καὶ πεσὼν ἐπὶ τῆς γῆς, id est, Lapsus in terra uoluebatur.

Ab infantia.) παιδιόθεν, id est, A puero. Sed recte mutauit interpres, nisi dicere maluisset, A prima pueritia: iam enim puer erat, cum sanaretur. Et in aquam Græcis est in aquas εἰς ὕδατα, consentientibus & uetustis exemplaribus, nominatim Constantiensi.

A puero.

Si potes credere.) τὸ, εἰ δύνασαι πιστεῦσαι. Addidit articulum, qui tamen ad superiora referri potest, ut respondeat Dixit ei, uidelicet illud quod audies, siue ad sequentia: Hoc si potes, nempe credere. Quemadmodum dicitur Græcis, τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄγαν μὲν τέρπει. Nec enim est hic ociosus articulus qui magno consensu habetur in Græcorum exemplaribus.

Prætergrediebantur Galilæam.) παρεπορεύοντο διὰ τῆς γαλιλαίας. Præpositio παρὰ, facit ut intelligas illos clàm, aut celeriter & in transcursu, uelutq; obiter feciſſe iter per Galilæam, ita ut nec aperirent se usquam, nec commorarentur. Et uideri poterant declinasse Galilæam in discessu, nisi obstaret præpositio διὰ, quæ facit, ut non possit aliud accipi, quàm illis iter esse factum per Galilæam.

Filius hominis tradetur.) παραδίδοται, id est, Traditur, ut intelligas mox futurum.

Et illi ignorabant uerbum, & timebant interrogare.) Hæc non habētur in æditione Aldina. Quod an casu factum sit nescio. Poterat uideri factum ab eo quisquis fuit, qui sibi uidetur habuisse studio, ut assutis aliunde fragmentis, redderet Marci Euangelium aliquanto copiosius, Nam hæc habentur in Luca, nisi consentirent Latini codices cum Græcis.

Qui cum domi esset.) καὶ ὢν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος, id est, Et cum esset in domo, siue in ædibus, non utique suis.

Quis eorum maior esset.) Græce tantum est, τίς μείζων, id est, Quis maior. Reliqua addita sunt explicandæ rei gratia.

Complecti, ἐναγκαλίζομαι

Quem cum complexus esset.) νὴ ἐναγκαλισάμενος, id est, Cum posuisset in ulnis, ut solemus infantulos. Complectimur enim & eos, quos in ulnas non sumimus.

Non me suscipit.) οὐκ ἐμὲ δέχεται μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀποστείλαντά με, id est, Non me recipit solum, sed & eum qui me misit. Sic habebant nonnulli Græcorum codices, uerum altera lectio mihi magis probatur. Nec enim hic negatio remouet, sed corrigit magis, quasi dicas, Non tam me recipit, quam eum qui misit me.

Et prohibuimus eum.) Post hæc, in Græcis exemplaribus repetitur ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν, id est, Quod non sequeretur nos. Probabile est aliquem offensum iteratione, sustulisse posteriorem particulam.

Calicem aquæ frigidæ.) Frigidæ, nec in Græcis additur exemplaribus, nec apud Hieronymum in æditione basilienſi, nec in uetustissimis exemplaribus, nominatim in Paulino, nec in Corsendoncensi, nec in Constantiensi, nec in aureo deniq;.

Non perdet mensuram suam.) Mercedem legendum pro mensura. Atq; ita scriptum est in emendationibus Latinorum exemplaribus.

Cyllus manu manca

Debilem.) κυλλόν. Cyllus proprie Græcis dicitur, cui altera manus trunca sit, aut manca. Nam debilitas ad omnia membra pertinet, quemadmodum χωλὸς ad pedes proprie pertinet.

Luscus quid proprie

Luscum. μονόφθαλμον, id est, Vnoculum. Quod tamen eleganter uertit hoc sanè loco. Luscus enim Latinis dicitur, non qui strabis ac distortis sit oculis, sed qui altero careat oculorum.

Mola asinaria.) Græci legunt, λίθος μυλικὸς id est, Saxum molare. Apud Matthæum erat, Mola asinaria.

Vbi uermis.) ὅπου ὁ σκώληξ. Alibi uertit Erugínem, quod hic Vermem. Cæterum moritur & extinguitur, utrunque præsentis temporis est Græcis. Licet in Latinis codicibus aliquot deprauare cœperint, Morietur, & extinguetur.

Insulsum, pro fatuum

Si sal insulsum fuerit.) Reddidit πῶς ὀσονομασίαν ἅλς ἄναλον, id est, Si sal sale caruerit.

In quo illud condietur.) Condietis lego in uetustis codicibus, ἀρτύσετε. Sic enim legisse uidetur qui sic uertit. At aptius erat Ipsum, quàm Illud.

Omnis enim igne salietur.) Quo sermo foret mollior, nos de nostro addidimus, Omnis homo.

Habete in uobis.) Salem hic usurpauit masculino genere, nihil aliud opinor sequutus, quàm dictionis euphoniam.

Ex Capite

EX CAPITE DECIMO.

VLtra Iordanem.) διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, quod magis ſonat, Per regionem, ſiue ripam quæ eſt ultra Iordanem. Etiamſi ſenſum expreſſit interpres.

Et erunt duo.) οἱ δύο, Qui duo fuerant, ut intelligamus è duobus hominibus uelut unum fieri. Nec eſt,

In carne una.) Quod ſordide quidam interpretantur de coitu, ſed unam. ut & aliàs indicauimus. *Caro pro homine.*

Quod deus coniunxit.) συνέζευξεν, id eſt, Coniugauit, ſi quis ad uerbũ malit reddere.

Mœchatur.) Græce eſt idem uerbum, quod modo uertit, Adulterium committit, μοιχᾶται. Quid autem eſt,

Super eam.) ἐπ' αὐτὴν. Cur non potius Aduerſus illã, ſiue In illã, hoc eſt, in iniuriã illius?

Offerebant illi paruulos.) παιδία, id eſt, pueros, ſiue puellos.

Comminabantur.) ἐπετίμων, id eſt, Increpabant. Mirum cur hanc uocem plerunque interpres gaudeat uertere, Comminabantur, etiam refragante ſententia.

Sinite paruulos.) τὰ παιδία, id eſt, Puellos, ut modo dictũ eſt. Nec additur apud Græcos coniunctio, Ne prohibueritis. Viuidius enim eſt, Sinite, ne prohibueritis. Anadiplo/ſis ſententiæ facit ad epitaſin.

Non intrabit.) οὐ μὴ εἰσέλθῃ. Conduplicata negatio uim addit futuri, aut certe modi potentialis. *Coũduplicata negatio.*

Et complexans.) καὶ ἐναγκαλισάμενος, id eſt, Suſcipiens eos in ulnas: ſicut paulo ante dictum eſt.

Procurrens.) προσδραμὼν, id eſt, Accurrens. Interpres niſi dormitauit, legiſſe uidetur προδραμὼν, id eſt, Præcurrens.

Vitam æternam percipiam.) κληρονομήσω, quod aliàs uertit, Hæreditabunt.

Niſi unus deus.) εἰ μὴ εἷς ὁ θεός, id eſt, Niſi unus, qui eſt deus, ſiue Nempe deus, ut articulus uim habeat uelut interpretantis, quis ſit ille unus.

Ne fraudem feceris.) μὴ ἀποστερήσῃς, id eſt, Ne fraudaueris. Fraudamus enim illũ, quem priuamus re debita. Quanq; & qui ſpoliat, Græcis ἀποστερεῖ.

Et ueni ſequere me.) Addunt hic Græci codices, ἄρας τὸν σταυρόν, id eſt, Sublata cruce, quum tamen hoc non habeatur in ueteribus codicibus, nec reperiatur apud alios Euangeliſtas, ut illinc huc aſſcriptum uideri poſſit.

Et intuitus eum Ieſus, dilexit eum.) ἠγάπησεν αὐτόν. Origenes uidetur legiſſe ἐφίλησεν, non ἠγάπησεν. Argumento eſt quod homilia in Matthæum adducens hunc locum, ita legit: Dilexit eum, ſiue oſculatus eſt eum. Neq; enim ἠγάπησεν, opinor, ad oſculi ſignificationem poteſt pertinere. Cæterum de dilectione, nec apud Matthæum, nec apud Lucam ulla fit mentio. Et fieri poteſt ut aliquis offenſus uel ambiguitate uocis, uel oſculo adoleſcentis ex ἐφίλησεν, fecerit ἠγάπησεν, quanq; & in Græcis Lexicis inuenio ἀγαπάζομαι pro amplector, ſed ut amplectimur quod probamus, uelut amplectimur bonas literas.

Cõfidentes in pecunijs.) πεποιθότας, Fretos, ſiue fiſos. Etenim quum confidere ſit idem quod fidere, tamen confidens non idem ualet ut indicauit M. Tullius. Nec uidetur participium, ſed nomen, eoq; ponitur abſolute, homo confidens non confidẽs mihi. Hic ſatis aperit, quos dixerit diuites, non quibus diuitiæ obuenerunt, ſed qui iuxta diuitum uulgus multum tribuunt diuitijs. *Qui diuites Chriſto dicti.*

Filioli.) τέκνα, id eſt, Filij, ſiue nati. Neq; enim hic eſt diminutiuum, quemadmodum illud apud Paulum ad Galatas, τεκνία μου, Filioli mei.

Qui magis admirabantur.) ἐξεπλήσσοντο, id eſt, Obſtupeſcebant, uerbum Græcũ eſt uehementius. Aut filios.) τέκνα, id eſt, Liberos, ut utrunq; ſexum complectaris.

Aut patrem, aut matrem.) Hoc loco Græci codices addunt, ἢ γυναῖκα, id eſt, Aut uxorẽ. Quod tamen perperam à quopiam additum, uel hinc licet conijcere, quod mox cum repetit res relictas, non addit uxores. Veriſimile eſt uxoris nomen hic adiectum ex Matthæo & Luca. Verum Marcus breuitatis ſtudioſus, ſub nomine domus iudicauit contineri uxorem. *Additum aliquid.*

A dextris

A dextris meis & finistris meis.) Vt sensus sit idem, Latinius est, Sedere mihi à dextris, & sedere mihi à finistris. Nec est in Græcis meum dare uobis, sed solum. Non est meū dare. Consentiebat cum Græcis codex constantiensis.

Sed quibus paratum est.) Sermoni parū absoluto adiecimus duo uerba. Subauditur enim, Sed ij sedebunt à dextris ac finistris mihi, quibus &c.

Et audientes decem indignati sunt.) ἤρξαντο ἀγανακτεῖν, id est, Cœperunt indignari. Et sic habent uetusti codices nostri.

Et principes.) καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν. id est, Magni illorum. Quod tamen haud male uertit, nisi malis dici, Et qui magni sint inter eos, aut Magnates illorum.

Fieri maior.) μέγας, id est, Magnus & in hunc modum subinde citat Hieronymus. Alluśit Christus ad uitam communem hominum, inter quos magnates & optimates è sublimi despiciunt infimates, nec præ se ducunt pro hominibus, cū ipsis nihil sit abiectius, si uelimus hominem suis æstimare uirtutibus.

Et proficiscente eo.) καὶ ἐκπορευομένου, Egrediente eo.

Bartimæus quid. Bartimæus.) Filius Timæi, additum uideri potest interpretandi causa. Nam id sonat Bartimæus. Hebræis enim בַּר filius, & Timæus: quemadmodum & Bartholomæus, filius Ptolemæi, conflatis, diuersarum linguarum uocibus, & deprauata, ni fallor, una aut altera litera. Cæterum quod diximus de Bartimæo, quidam miro cachinno prosequitur in suis annotationibus, cum id hauserim ex Hieronymi cōmentario in epistolæ ad Galatas cap. iiij. In illū igitur suos cachinnos torqueat non in me.

Et rursum comminabantur.) ἐπετίμων, id est Et increpabant.

Animæquior esto.) θάρσει, id est, Bono animo esto, siue Confide. Nec enim est comparatiuum, sed positiuum: & aliud est Fidere, hoc est, θαῤῥεῖν, quàm æquo animo esse. Æquo animo est, qui boni consulit, ac tolerat. Fidit cui certa spes est.

Exiliens uenit.) Græce non est ἐξαλλόμενος sed ἀναστὰς, id est, surgens. Nam paulo ante dictus est sedere iuxta uiam. In Actis capite tertio de claudo legitur ἐξαλλόμενος, id est, exiliens, Nam ea uox ad miraculi magnitudinem declarandam facit, quia qui sanabatur, adeo claudus erat, ut à baiulis gestaretur. Hic in oculis non in pedibus miraculum est.

Rabboni. Rabboni ut uideam.) Rursus Hebræam uocem posuit, pronunciatione nonnihil mutata, cum alibi Rabbi sit, quod Hebræorum lingua, Chaldæorum, ac Syriacæ commercio uitiaretur: quemadmodum & hodie Iudæi Rabeni magistrum uocant, sed insignem & eminentem,

Vt uideam.) ἵνα ἀναβλέψω, id est, Vt uisum recipiam.

Et confestim uidit.) ἀνέβλεψε, id est, Visum recepit.

EX CAPITE VNDECIMO

Betphage. Bethania. ET cum appropinquarent Hierosolymæ.) Hic Græcus codex addit Betphage, ut sint tria loca, Hierosolyma, Betphage, Bethania. Siquidem mons Oliueti duobus passuum milibus abest ab Hierosolymis, in cuius latere est Bethania, Betphage in ipso monte sita est.

Quid facitis?) τί ποιεῖτε τοῦτο, id est. Cur facitis hoc?

Et sedit super eum.) Nonnulli Græci codices habent, ἐπ' αὐτῷ, ut sit asinus, aut certe Pullus asinæ. Nonnulli ἐπ' αὐτῶν id est, Super illam, ut sit asina fœmina. Quod posterius consentit cum Matthæo.

Cum uesperæ esset hora.) ὀψίας ἤδη οὔσης φ῾ώρας, id est, Cum uespertinum iam esset tempus. Siquidem horam, Græce loquens, pro tempore posuit.

Et alia die.) καὶ ἐπαύριον, id est, Postridie, siue postero die.

Siquid forte,) εἰ ἄρα εὑρήσει τί, id est, Siquid inuenturus esset. Cōiunctionem expletiuā uertit in Forte, idq; suo more, sed nullius eruditi hominis exemplo. Quorsum enim attinebat addere Forte, cum dominus planè speraret cibum, aut certe uolebat uideri sperare.

Cui male dixisti.) ᾧ κατηράσω. id est. Quam deuouisti, siue Quam execratus es, siue Cui male precatus es.

Habete fidem dei.) Bona fide Græca reddidit interpres πίστιν θεοῦ. Cæterum sentit fiduciam erga deum.

Tollere

Tollere & mittere.) ἄρθητι καὶ βλήθητι, Passiua sunt imperatiui modi.

Cum stabitis ad orandum.) Ὅταν στήκητε προσευχόμενοι, id est, Cum steteritis deprecantes. Ex quo apparet olim stantes precari solitos. *Stabant olim precantes.*

Peccata uestra.) Augustinus libro de ciuitate dei, uigesimoprimo, capite uigesimoseptimo annotauit uim & emphasim huius pronominis uestra. Nam intelligi peccata non quælibet, aut quàmlibet grauia, sed eiusmodi, sine quibus non uiuunt etiam probi, quales tum erant apostoli quibus hæc dicuntur. *Peccata uestra, id est, Leuia.*

Quia si uos nō dimiseritis.) Hæc in Græcis plerisq; codicibus non adduntur, tamen adiecimus, quod in uetustis adderentur, & in Græcis nonnullis.

Vnum uerbum.) ἕνα λόγον, id est, Vnum sermonem, potius hoc certe loco.

Baptismum Ioannis.) βάπτισμα, id est, Baptisma, siue Baptismus. Cum enim habeamus hoc baptisma & hunc baptismum à Græcis, quorsum opus erat confingere barbaram uocem, tertiam, hoc baptismum? Adeo nihil interesse putant quidam, quomodo loquantur. Huiusmodi fermè destomachatur hoc loco Laurentius Valla non absq; causa, licet ignarus, ut apparet, Augustinum ita frequenter loqui, & adeo frequenter, ut non queat prætexi scriptoris error. Sic enim loquitur tractatu in Ioannem quarto, in caput primum: itaq; non durauit diu baptismum Ioannis. Rursus tractatu proximo, Illi enim nullum baptismum erat necessarium. Ac mox: quoniam ergo Ioannes acceperat baptismum, quod proprie Ioannis diceretur. Iterum paulo inferius, Tale erat baptismum Ioannis. Nec alibi tamen raro idem facit. Etiamsi & in homilijs Origenis semel atq; iterum sic positum offendimus. Et apud Irenæum, ut appareat eruditos in hoc populi imperitiæ gessisse morem. *Baptismū hoc à Valla taxatum.*

Timemus populum.) ἐφοβοῦντο τὸν λαόν, id est, Timebant populum. Atq; ita habent uetustissimi codices Latini, nominatim exemplar Paulinum & Constantiense. In Corsendoncensi uidere erat etiamnum rasuræ uestigium. Offendit autem castigatorem persona dure subitóque mutata, quasi uero hoc esset nouum in Euangelistis. Id incommodi uitari poterat, mutata sermonis figura, Metuendus est nobis populus, aut mutata alterius uerbi persona, quemadmodum nos fecimus. At si dixissent ex hominibus.

Quia uere propheta.) ὅτι, id est, Quod, potius, quàm Quia, & fuisset potius, cū Esset. Opinor enim Ioannem iam fuisse mortuum, ex ipsius Marci narratione.

EX CAPITE DVODECIMO.

Plantauit.) ἐφύτευσεν, id est, Plantauit. Vox à pastino dicta, quæ declarat instrumentum bifurcū quò semina panguntur, unde uites sterilescētes quum refodiuntur dicuntur repastinari. *Pastinare pro plantare.*

Et fodit lacum.) ὑπολήνιον, In quod excipitur liquor uuarum.

In capite uulnerauerunt.) λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν, id est, Iactis lapidibus capitauerunt, ut ad uerbum reddam, hoc est, Comminuerunt caput. Verum quoniam interpres uidit illum redisse uiuum, uertit, Vulnerauerunt, ne putaretur extinctus.

Et contumelijs affecerunt.) Καὶ ἀπέστειλαν ἠτιμωμένον, id est, Remiserunt affectum contumelia seu potius ignominia. Nam contumelia magis in uerbis est.

Charissimum.) ἀγαπητὸν id est, Dilectum.

Quia reuerebuntur.) ἴσως ἐντραπήσονται, Forsitan reuerebuntur. Quanquàm nonnulli Græcorum codices habebant ὅτι, pro ἴσως. Sic enim legit Theophylactus & æditio Hispanensis, Certe Latini codices uetusti, habent quia pro forte, Quæ lectio magis mihi probatur. Nec enim est consentaneum diffidere eum, qui mittit filium unicum. Et ὅτι quanq; Latine reddi non potest hoc loco, tamen apud Græcos uim habet confirmandi.

A domino factum est istud.) Istud referendum est ad caput, aut certe ad angulum, id quod sermo Græcus indicat, εἰς κεφαλὴν γωνίας. Παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, id est, in caput anguli. A domino factum est hoc, subaudi Caput, nisi malis angulum, de quo dictum est in Matthæo. *A domino factū est istud caput.*

Mirabile.) θαυμαστή. Et hoc ad caput, siue ad angulum refertur, quemadmodum, Factum est.

Vt eum caperent.) ἀγρεύσωσι, id est, Captarent, siue uenarentur. Et cur non potius in sermone, quàm in uerbo, cum Græca uox sermonem significet magis, quàm uerbum.

Non

Non curas quenq̃.) οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός, id est, Non est tibi curæ de quoq̃: tametsi Græcis οὐδενὸς, uel ad hominem referri potest, uel ad rem. Hoc est, Non curas ullum hominẽ, aut non curas rem ullam, quanquàm quod sequitur indicat ad hominem magis esse referendum, quod alij uerum reticerent, ne quosdam offenderent.

Facies pro persona.

In faciem hominis.) εἰς πρόσωπον τῶν ἀνθρώπων, id est, Ad personam hominum. Quanq̃ Græce πρόσωπον, utrunq; significat, faciem & personam, hoc tamen loco mollius erat Persona, quàm facies: Atq; ita uerterat eandem dictionem, in Matthæo cap. 22.

Licet dare tributum.) κῆνσον, id est, Censum, quæ uox latina est, ut iam indicauimus.

An non dabimus.) Græce est, ἔξεστι κῆνσον καίσαρι δοῦναι ἢ οὔ; δῶμεν ἢ μὴ δῶμεν; id est, Licet ne censum dare Cæsari, an non? Demus, an non demus? Vrgent enim hac iteratione responsum, quasi futurum sit, ut si responderit non dandum, daturi non sint, sin dandum, daturi. Hic consentiebat codex Hispaniensis cum Theophylacto.

Versutia pro hypocrisi.

Qui sciens uersutiam.) ὑπόκρισιν, id est, Simulationem, quod miror quare libuerit interpreti mutare, nisi forte legit, πονηρίαν.

Cæsar Christo uelut ignotus.

Quæ sunt dei deo.) Haud scio casu ne factum sit, an data opera, quod deo bis addidit articulum, Cæsari nequaq̃, τὰ καίσαρος καίσαρι, τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ: tanq̃ Cæsarem, uelut incertũ & ignotum nominet, quod multi sint eius nominis, deum ueluti certum designet.

Et uenerunt super eum.) καὶ ἔρχονται πρὸς αὐτὸν, id est, Et ueniunt ad eum.

Et filios non reliquerit,) τέκνα, Liberos, nam Græca uox etiam filias cõplectitur. Nec est,

Suscitet semen fratris sui,) sed fratri suo dandi casu, ἀδελφῷ αὐτοῦ. Semen enim appellat posteritatem, siue prolem, quam frater fratri suscitat non sibi, eo quod in mortui nomen trã sit quod nascitur. Hac enim ratione mortuis quodam modo adoptabantur filij.

Nónne ideo erratis?) οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε; An nõ igitur erratis? ut referat ad id, quod sequitur, & sit sensus, eos ob id errare, quod non intelligerent scripturas. Siquidem pharisæi errabant, non quod ignorarent scripturas, sed, quod auaritia & ambitione forent excæcati. Sadducæi labebantur ob imperitiam scripturarum.

Neq; nubentur.) Græce γαμῶσι, uerbum est commune, & uiro, & mulieri. Verum de hoc dictum est in Matthæo.

Conquirentes.) συζητοῦντας, id est, Simul disputantes.

Virtus pro robore.

Ex tota uirtute.) ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, id est, Ex toto robore tuo. Nam ipse mox uertit, Fortitudine. Nam uirtus apud Latinos ambigua uox est.

Simile est illi.) Græce est, Simile est illud. κατὰ δευτέρα ὁμοία αὕτη. Primum præceptum est, Diliges dominum deum tuum. Et alterum simile, uidelicet hoc, Diliges proximum &c. Interpres legisse uidetur ταύτῃ pro αὕτη.

Quod prudenter respondisset.) νουνεχῶς. Composita dictio est ab eo quod est, νοῦν ἔχειν, id est, Mentem habere, qua periphrasi Græci significant sapere, siue cordatum esse, unde Cordate uertimus.

Et respondens Iesus dicebat dicens.) καὶ ἀποκριθεὶς. Reperies aliquot locis hoc participium ita positum, ut sensus magis exigat, ἀνακρινόμενος, id est, interrogans. Nisi mauis ex hoc intelligi sermonem aliorum præcessisse, quem Euangelista non retulerit.

Et primos discubitus.) Debebat sibi constare interpres, postea cũ cœperat noia uertere in uerba. Sic emẽ est Græce, τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν, καὶ ἀσπασμοὺς ἐν ἀγοραῖς, καὶ πρωτοκαθεδρίας ἐν συναγωγαῖς, καὶ πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις, id est, Volẽtibus in stolis obambulare, & salutationes in foris, & præsidentias in synagogis, & primos accubitus in cœnis.

Prolixæ preces hypocritarum.

Qui deuorant domos &c. Græca sic habent, οἱ κατεσθίοντες τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, & προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, id est Deuorantes domos uiduarum, & prætextu longas facientes precationes, siue Sub prætextu prolixe precantes.

Prolixius.) περισσότερον, id est, Abundantius, siue Plus iudicij. Porrò iudicium appellat condemnationẽ, quemadmodũ frequenter accipitur in arcanis literis. Quam rem annotauit & diuus Augustinus libro de agone Christiano, capite uigesimoseptimo.

Iactaret.) βάλλει, id est, Mitteret, siue Iaceret. Nam iactu mittunt huiusmodi.

Quod est quadrans.) Græce scribens abusus est uoce Latina, κοδράντης.

Et conuocans.) προσκαλεσάμενος, id est, Aduocans, Siue Cum ad se uocasset.

Ex capi-

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

Quales lapides.) ποταποί. Miror cur Laurentius Quales mutandum putarit in Quantos. ποταπὸς enim ſonat cuiuſmodi, ſed ita ut non ſimplicem habeat interrogationem, ut πῖον, ſed admirationem potius in bonam partem, uelut ſi de ignoto ſciſciteris, recte dixeris ποῖος οὗτος, ſed ποταπὸς nō recte dixeris. *Quales, ποτα ποῖ.*

Vide has omnes.) βλέπετε. i. Vides. In nonnullis erat βλέπετ. i. Videtis.

Et opiniones.) ἀκοάς, id eſt, Rumores. Nam ad uerbum ſonat auditiones.

Dicentes quia ego ſum.) ὅτι ἐγώ εἰμι. Quia hoc loco tantum affirmat, & ob id erat omittendum. Sermo neque ad Græcam proprietatem reſpondet, neque ad Romanam. Poteſt autem bifariam accipi: Dicentes, Ego ſum, ut ſubaudias Chriſtus. Aut dicentes, ſe eſſe eum qui ego ſum. Incommodum uitari poterat, ſi uertiſſet, Dicentes, Ego ſum Chriſtus.

Et regnum ſuper.) Cur non potius, Contra regnum? Sicut modo uerterat. Nam eadem eſt præpoſitio Græcis, ἐπί.

Videte uoſmetipſos.) Conſentiunt quidem Græci codices, uerum mutanda erat hoc loco Græci ſermonis figura: Cauete uos uobiſipſis. Neq; uero eſt ocioſa pronominis additio, quo diſcernuntur diſcipuli à Cæteris. Et haud ſcio, an ſcriptum fuerit à Marco, ἑαυτοῖς. *Videte pro cauete.*

In conciliis.) Rectius erat, In concilia, εἰς συνέδρια.

Et ante præſides.) καὶ ἐπὶ ἡγεμόνων καὶ βασιλέων ἀχθήσεσθε, id eſt, Et ſub præſidibus & regibus ducemini, ut intelligas eos ad iudices duci.

Nolite præcogitare.) μὴ προμεριμνᾶτε, id eſt, Ne ante ſitis ſolliciti, ſiue anxij, ſiue, Ne cū ſollicitudine præcogitetis, id quod ſolent acturi cauſam apud principes.

Quod datum uobis.) ὃ ἐὰν δοθῇ, id eſt, Quodcunq; datum fuerit.

Non enim uos eſtis loquentes.) οὐ γὰρ ἔσε ὑμεῖς οἱ λαλοῦντες, id eſt, Non enim uos eſtis qui loquimini, ut uertit in Matthæo.

Et conſurgent.) ἐπαναστήσονται, id eſt, Inſurgent.

Abominationem deſolationis.) τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. Sed hoc loco addunt Græci codices, an recte, uiderint alij, τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, id eſt, Dictum à Daniele propheta. Apparet enim ex Matthæo huc adiectum. Quanquàm & illic ab alio quopiam additum uideri poterat, niſi ſic ab Origene citaretur. *Additum quiddam*

Vbi non debet.) ὅπου οὐ δεῖ, Vbi non oportet.

Et nutrientibus.) καὶ θηλαζούσαις, id eſt, Lactantibus. *Nutrientes.*

Tribulationes.) θλίψις, id eſt, Tribulatio, qualis non fuit: ut ſit appoſitio ad epitaſin faciens, cum dies calamitoſos calamitatem uocet.

Creaturæ.) κτίσεως. ut ſit uerbale: Quanquam reperimus hanc dictionem ancipitem in literis ſacris. Aliquoties uſurpatur pro ipſa conditione ſeu creatione, nonnunquam pro rebus conditis.

Neq; fiet.) οὐδὲ οὐ μὴ γένηται, id eſt, Neque fiat Quanquàm uidetur abuſus tempore, ut ſæpenumero occurrunt huiuſmodi, præſertim addita gemina negatione, οὐ μή.

Abbreuiaſſet dies.) ἐκολόβωσεν, id eſt, Decurtaſſet, amputata parte aliqua prioris menſuræ. Nam hoc eſt κολοβῶμ, ut admonuimus in Matthæo.

Ecce hic eſt.) ἰδοὺ ὧδε ὁ χριστός, id eſt, Ecce hic Chriſtus. Et hic aduerbium eſt, non nomen.

Neque angeli in cœlo.) οἱ ἐν τῷ οὐρανῷ, id eſt, Qui ſunt in cœlo. Apud Matthæum non eſt mentio filij.

Poteſtatem cuiuſque operis.) Græce eſt, ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ, id eſt, Vnicuiq; opus ſuum. Cæterum in nonnullis codicibus Græcis habebatur πλὴν οὐσίαν, id eſt, ſubſtantiam, in alijs δὲ ἐξουσίαν, id eſt, poteſtatem. Prior lectio magis congruit cum parabola quæ eſt apud Matthæum de bonis in famulos diſtributis.

An galli cantu.) ἀλεκτοροφωνίας, id eſt, Gallicinio. Eſt enim Græcis dictio compoſita, ſicut & illa, μεσονυκτίου, quaſi dicas medinoctio.

EX CAPITE DECIMO QVARTO.

PAscha & azyma.) Azyma pluralis est numeri, quemadmodum dicimus Lupercalia, Saturnalia, unde uertere poterat, Tempus azymorum, quo abstinebant à fermentatis.

Dolo tenerēt.) ἐν δόλῳ κρατήσαντες ἀποκτείνωσιν, id est, Per dolū captū, siue cōprehensum occiderēt. In enim præpositio, pro per usurpatur Hebræis.

Dicebant enim.) ἔλεγον δέ. Dicebant autem, Quanquàm id minimum refert.

Ne forte tumultus.) μήποτε, id est, Ne, aut Nequādo, de quo nō semel iā admonuimus.

Nardus pistica.

Nardi spicati.) Pisticæ legendum, quod nardus sit fœminini generis. Laurentius existimat pisticam uocari, probatam & spectatam, arguens diuum Augustinum, qui putet à loco dictum. Allusum autem ad fidem Christianam, quod Græce pistis dicatur fides. Interpres uertit Spicatam, eo quod nardi genus quoddam uocetur spica, siue spicū nardi. Theophylactus Græcus interpres, licet recentior, ambigit utrum pistica dicatur, genus nardi eius cognominis, an probata, uelut ἄδολος, hoc est, germana, nulla arte uitiata. At Dioscorides complura nardorum genera commemorans, quibus cognomina sint à locis addita, pisticæ nullam mentionem fecit, neq; Plinius. Is, cuius extant in Marcum cōmentaria Hieronymi nomine, sed falsō, belle & expedite scilicet interpretatur pisticam, hoc est mysticam. Hugo Carrensis interpretatur unguentum mixtum, quod non solum è foliis, ac radice, uerumetiam è spicis nardi conflatum sit, quasi uero non longe optimum sit quod è foliis conficiat. Plinius enim libro duodecimo cap. duodecimo tradit foliū nardi in unguētis. Quo loco licebit plura de generibus nardi discere, si cui uacat. Inibi sit mentio pseudonardi passim nascentis, hāc herbam esse puto quam uulgo dicimus lauendulam, crassiore, ut inquit, atq; latiore folio, & colore languido in candidum uergēte. Veram autem nardum depingit his uerbis. Frutex est graui & crassa radice, sed breui ac nigra fragiliq; quamuis pingui, situ rodolente ut cyperi, aspero sapore, folio paruo densoq;. Cacumina in aristas se spargunt, ideo gemina dote nardi spicas ac folia celebrant. De alabastrite lapide meminit idem lib. 36. cap. septimo. Quum enim proximo capite meminisset Onychis, ita prosequitur, Hunc alioqui lapidem alabastritē uocāt, quē cauāt ad uasa unguentaria, quoniā optime ea incorrupta seruare dicitur. Hæc consentiunt cū eo quod scribit Horatius in odis. Nardi paruus onyx eliciet cadū. Beda refert de nardo & alabastro ex his duobus Plinij locis, quos indicaui, mutatis aliquot uerbis, mire dissimulans autorem, quasi Plinius sit autor pudendus. Videri poterat religionis causa siluisse nomen scriptoris ethnici, nisi idem faceret Hieronymo. Quum enim quæ narrat Marcus consentiant cum Matthæo, uerba Hieronymi ex commētarijs in Matthæum, transscribit in Marcum. Et hoc appellant scribere commentarios. Cāsidius Aquinas, qui ea quoq; uerba quæ Beda sublegerat ex Hieronymianis cōmentarijs, nomine Bedæ citat. Ex Catena uidetur & Theophylactus id tēporis fuisse uersus, adeo cōueniunt quæ illic referuntur nomini Theophylacti. Quin & illud mirandum, quum pleraque Græcorum monumenta tum in sacris literis tum in philosophicis appareat tum fuisse uersa, sic interisse, ut nusquam extent. Id casu factum uideri uix potest. Lyranus macerat sese, num herba sit nardus, an frutex, an paruula arbuscula.

Vt quid.) εἰς τί, id est, Ad quid.

Præuenit ungere corpus meum.) Non est χρίσαι, quod est quocunq; illitu ungere, sed μυρίσαι, quod proprie est unguentis, & odoramentis ungere.

Memoria pro memoriali.

In memoriam eius.) εἰς μνημόσυνον αὐτῆς, id est, In monumentum eius, subaudi mulieris, de quo in Matthæo admonuimus.

Lagenam.) κεράμιον. id est, Vas fictile, siue aqualem fictilem, nisi quod dure hydriæ siue aquali additur aquæ, Mollius erit si dicas aquæ plenam, Nam aqualis est etiam uacua.

Cœnaculum in edito.

Vbi est refectio,) κατάλυμα. Laurentius mauult diuersorium, ut uertit apud Lucam, quanquàm utrunq; uox Græca significat.

Cœnaculum. ἀνώγεων. triclinium intelligit, sed lectis stratis, in quibus olim discumbebatur. Dictum est autem Græcis, ἀνώγεων, quod subductius sit à solo, quod ueteres in superiore ædium parte cœnitarent.

Stratum

Stratum.) post hoc in Græcis codicibus additur ἕτοιμον, id est, paratum, sed aliunde ni fallor huc transscriptum.

Nunquid ego.) Græci sic habent, μήτι ἐγώ; Ἄλλον, μήτι ἐγώ; id est, Nunquid ego? & alius, nunquid ego? At mihi sanè uidetur hoc ex interpretamento quopiam adiectum. Nam cum semel dixisset, εἷς καὶ εἷς, quid erat necesse addere, & alius, & deinde alius? Præsertim quum Marcus nihil aliud ferè scripserit, quàm Matthæi compendium?

Qui intingit manum.) ὁ ἐμβαπτόμενον. id est, Qui intingit. Manum interpres addidit de suo. Atque sic habent antiquissimi codices: quanquàm in Matthæo erat ἐμβαφάμενον, id est, Qui intinxit. Nec hic necesse est accipi exacte temporis rationem. Non enim hoc expressit quid tum ageret Iudas, sed his uerbis indicauit ad quantam familiaritatem admissus esset, qui ex eadem patella cum Christo peteret intinctum. *Qui intingit, in Matthæo, intinxit*

Filius hominis tradetur.) παραδίδοται, id est. Traditur, præsentis temporis, sed usurpatũ uice futuri. Sunt qui moueant scrupulum de uerbo trado, cui nõ putant esse locum, nisi cũ res in manum datur, aut posteris traditur: cum prodere sit nonnunquam indicare, nonnũquam deserere, aliquoties in manum dare, sed in malam partem.

Et benedicens fregit.) καὶ εὐλογήσας ἔκλασεν, id est, Cum benedixisset fregit, non enim simul benedixit ac fregit. Et benedicere non est pingere gestu manus, signum crucis, sed laudes deo canere, & uerba boni ominis dicere.

Sumite hoc est.) Græci addunt λάβετε, φάγετε, id est, Sumite, edite, quemadmodum erat in Matthæo.

Qui pro multis effundetur.) ὁ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, id est, Qui pro multis effunditur. Iam enim hoc repræsentabat, quod paulo post esset futurum. Qui tantopere asseuerant, quibus uerbis Christus consecrauerit, cum id nusquam expresse legatur, hunc annotent locum, quo res ita narratur, quasi Christus prius poculum porrexerit, deinde ubi bibissent, tum demum dixerit, Hic est calix, &c. Sic enim habent uerba Euangelistæ, Et accepto calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus. &c. Quanquam hac in re nolim esse peruerse contentiosus, cum locus excusari possit per figuram προωθύστερον. *Effunditur.* *Quibus uerbis consecrarit Christus.*

Quod iam.) ὅτι οὐκέτι. Iam posuit pro post hac, nec male, quanquàm obscurius.

Ex hoc genimine.) ἐκ τοῦ γεννήματος. γέννημα Græca uox est, quæ uerti poterat, Fructu, siue fœtu. Et, hoc, pronomẽ, nec additur in Græcis exemplaribus, nec in antiquis Latinis, ut sit sensus, illum nullum uinum postea gustaturum. Vnde & in cruce, uinum myrrhatũ admotum ori reiecit: nisi quod articulus τοῦ, nonnullam habet emphasin.

Et hymno dicto.) καὶ ὑμνήσαντες, id est, Postquàm dixissent laudes, ut intelligas ab omnibus decantatas laudes.

Bis uocem dederit.) Quod erat anceps in Matthæo, Marcus expedite dixit ut bis referatur ad cantum Galli. Noctem enim ueteres sic diuidebant, Occidente sole dicebatur uespera, ab hoc tempore prima fax, deinde concubia, & intempesta, quod noctis est mediũ, Mox inclinatio noctis, deinde gallicinium, inde conticinium, quum & galli conticescunt, & homines etiamnum quiescunt. Post hæc diluculum, quo rarescunt tenebræ. Deinde mane clarum, Ita Iuuenalis, Quod tamen ad galli cantum facit ille secundum,

Proximus ante diem caupo sciet.

At ille magis dicebat.) ὁ δὲ ἐκπερισσοῦ ἔλεγε μᾶλλον. Rursum conduplicauit comparatiuũ, exprimere uolens uehementem asseuerationem Petri. Nisi mauis μᾶλλον, distinctione seruata à superioribus, & annectere his quæ consequuntur, μᾶλλον ἐάν με δέῃ, id est, Quin si me oporteat &c. Ac mox conduplicata negatio, οὐ μή, non caret emphasi constantis asseuerationis, quasi dicas haud unquam. *Distinctio uaria*

In prædium.) εἰς χωρίον, quod aliâs uertit Agrum, aliâs uillam, significat autem locum. Cæterum Gethsemani locus est, ad radices montis Oliueti. De quo admonui⁄mus in Matthæo. *Gethsemani.*

Pauere & tædere.) ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, id est, Expauescere, & anxius esse. Est enim posterius hoc impotenter angi animo, & supra modum ægrescere: cuiusmodi affectio corripit hominem primo obiectu magni discriminis, ut aliquandiu non sit apud se.

Et uenit & inuenit.) Vtrunq; præsentis est temporis, ἔρχεται καὶ εὑρίσκει, Venit priore, & inuenit prima acuta, ne quis hic indecore uel hæsitet, uel erret.

Abba pater. Abba pater.) Euangelista uocem Syriacam posuit, eamq; uelut interpretatur, subijciens ὁ πατήρ. Augustinus epistola cētesima septuagesimaoctaua, putat abba uocem esse Græcam, nisi forte uitiata est scriptura. Sed hac de re nonnihil attingemus in epistola Pauli ad Romanos, capite octauo.

Error in Augustini libris.

Non quid ego.) Græce est, ἀλλ' οὐ τί ἐγώ, ἀλλὰ τί σύ, id est, At non quid ego, sed quid tu. Quanquàm hic Græca uariant exemplaria, nonnulla habebant, ἀλλ' οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω ἀλλ' ὡς σύ, id est, Non ut ego uolo, sed ut tu. In alijs sic erat, ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θελω, ἀλλὰ τί σύ, id est, Non quid ego uelim, sed quid tu. Nam omnino sermo est inabsolutus.

Et reuersus denuo.) Denuo apud Græcos refertur ad Dormientes, non ad Reuersus, εὗρεμ αὐτοὺς πάλιμ καθεύδοντας.

Sufficit.) ἀπέχει τὸ τέλος. Etiamsi τὸ τέλος in quibusdam codicibus non reperitur neq; nobis uisum est addere. Porrò quod hic Christi sermo magis sit exprobrantis, quàm iubentis, admonuimus in Matthæo.

Et filius hominis tradetur.) Traditur & in Græcis & in antiquis Latinis exemplaribus, παραδίδοται.

Qui me tradet.) ὁ παραδιδούς με, id est, Qui me tradit.

Prope est.) ἤγγικε, id est, Appropinquauit, siue Adest.

Signum σύσσημον Signum.) σύσσημον, quod sonat cōmune signum de composito datum, cuiusmodi sunt quæ milites uocant symbola, quorum alia sunt uocalia, alia muta.

Et ducite caute.) ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς, id est, Abducite tuto, siue certo, hoc est, exacta custodia, ne quâ posset elabi.

Rabbi.) Græci congeminant, ῥαββεὶ ῥαββεὶ, Rhabbi rhabbi, an recte nescio.

Sed ut impleantur scripturæ.) Abruptus est sermo, subaudiendum enim, Hæc fiunt, ut impleantur, &c.

Et tenuerunt eum.) Nonnulli Græci codices sic habebant, quod & nos sequuti sumus, haud scio an perperam, καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι, id est, Tenent eum adolescentes, siue comprehendunt eum, aut inijciunt illi manus, ut iuuenes iuueni manum iniecerint. Quidam diuinant hunc adolescentulum fuisse è familia ubi dominus comederat pascha, Alij putant fuisse Iacobum fratrē domini, cui cognomētum est additum Iusti. Gregorius suspicatur de Ioanne Euangelista. Cæterum illam uocem νεανίσκοι Theophylactus legit quidē, uerum in enarrando non attingit. Additur & in æditione Hispaniensi.

Et calefaciebat se ad.) καὶ θερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς. Illud, Ad lumen, referendum ad Sedens, non ad calefaciebat. Siquidem lumen illum prodidit.

Aequalia, pro idonea. Non erant conuenientia.) καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν, id est, Æqualia testimonia non erant. Paria uocauit, opinor, satis idonea, siue, ἴσα, quod inter se non consentirent. Nam hoc indicio primum coarguuntur falsa testimonia.

Post triduum,) διὰ τριῶν ἡμερῶν, id est, Per tres dies, siue triduo, non μετὰ τρεῖς ἡμέρας. Suffragatur Græcæ lectioni codex aureus & exemplaria S. Donatiani, denique & Constantiense, in quibus habetur Per triduum.

Templum hoc manufactum.) Græcæ compositæ dictiones, manufactum χειροποίητον. & non manufactum, ἀχειροποίητον. Alioqui quis dicitur ædificaturus, quod manufactum sit? Græcæ uoces perinde sonant: quasi dicas templū operis manuarij & opificij nō manuarij.

Et non erat conueniens.) καὶ οὐδὲ οὕτως, id est, Ne sic quidem. Iam enim semel reiecta fuerant illorum testimonia.

Quæ tibi obijciuntur.) Græce est, τί οὗτοί σου καταμαρτυροῦσι, id est, Quid, siue Cur isti aduersus te testificantur?

Quid adhuc desideramus testes?) τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; id est, Quid adhuc opus habemus testibus? Ac proprie quidem & eleganter uertit interpres, Desideramus, pro Requirimus. Verum haud scio, an lector tantum expectet.

Additum aliquid. Ante atrium.) εἰς τὸ προάυλιον, id est, In uestibulum atrij, siue locum, qui erat ante atrium.

Nam Galilæus es.) Addunt hic Græci codices, καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει, id est, Loquela tua

tua similis, siue conuenit, ex Matthæo, ni fallor, asscriptum in hunc locum.

Anathematizare.) Quod in actis Apostolorum uertit, Deuouere, in Matthæo detestari, hic reliquit.

Et iterum gallus cantauit.) ἐφώνησε, idem uerbum quod ante tametsi uerbis non ijsdem uerterat uoce dederit φωνῆσαι. Quum autem res eadem narratione iteretur, conuenientius erat uocem eandem repetere. Proinde non in tempore hic affectata est uarietas.

Et cœpit flere.) καὶ ἐπιβαλὼν, ἔκλαιε, Erumpens, siue subito fleuit, aut prorupit in fletum.

EX CAPITE DECIMO QVINTO.

TUniuerso concilio.) Cum hic bis dicatur concilium, Græce diuersæ sunt dictiones. Prior est συμβούλιον conciliabulum, posterior συνέδριον, id est, Consessus, siue conuentus.

Cœpit rogare.) ἤρξατο αἰτεῖσθαι, id est, Cœpit petere siue postulare. Nam ita modo uerterat, ὅνπερ ἠτοῦντο, id est, Quencunq; petissent,

Pontifices autem.) Quod modo dixit summos sacerdotes, nunc uertit Pontifices. Nam Græcis eadem est uox, ἀρχιερεῖς.

Et cum ascendit turba.) καὶ ἀναβοήσας ὁ ὄχλος, id est, Et cum acclamasset turba. Quoniam uero constanter dissonant à Latinis exemplaria Græca, in coniecturam uenio, interpretem aliud atq; nos legimus, legisse, nisi fallor, ἀναβήσας, pro ἀναβοήσας. Etiamsi ἀναβοήσας legit Theophylactus, consentiente Hispana æditione, quanquàm ex interpretatione Theophylacti non liquet quid legerit. *Duplex lectio*

Sicut semper faciebat illis.) Vt sermo sit absolutus supplendum est, Vt faceret sicut semper fecerat ipsis.

In atriũ prætorij,) ἔσω τῆς αὐλῆς ὅ ἐστι πραιτώριον. id est, In atrium quod est prætorium. Et hic Græce scribens, Romana uoce abusus est.

Concitauerunt turbam.) ἀνέσεισαν. Nonnulli Græcorum codices habebant ἀνέπεισαν, id est, Persuaserunt, siue retraxerunt in hanc sententiam.

Pilatus uero dicebat illis. Quid enim mali fecit.) Diuus Augustinus libro de Consensu Euang. 3. cap. 13. ut rem seriam annotauit, quod hic Euangelista dixerit, Pilatus dicebat nõ Pilatus dixit, nimirum subindicans non semel hoc à præside dictum, sed multum temporis in hoc sermone cõsumptum. Et Græcis quidem est ἔλεγεν. Atqui in Matthæo est εἶπεν uerbum eiusdem temporis, ubi interpres uertit dixit, non dicebat. Idem fecit in Luca. Hoc ideo tantum annotaui, ut ostenderem, quàm omnia quamuis minuta rapiamus ad causæ præsidium, quoties constringimur angustijs.

Patrem Alexandri & Rufi.) πατέρα Ἀλεξάνδρου τοῦ Ῥούφου, id est, Patrem Alexandri Rufi, siue Rufi filium. Nonnulli Græcorum codices cum nostra æditione consentiebant: ut accipiamus Simoni fuisse duos filios. Sic enim interpretatur Theophylactus, addita filiorum nomina, quo certior esset narrationis fides. Eandem lectionem sequitur is qui scholia scripsit in Matthæum, quæ Hieronymo asscribuntur, qui putat Alexandrum & Ruffum fuisse discipulos domini, quũ pater esset Cyrenensis, quum Cyrene sit Libyæ ciuitas. Nec est angariauerunt, sed angariant, ἀγγαρεύουσι, de qua uoce dictum est nobis alibi.

Erat autem hora tertia.) Admonet hoc loco Petrus Comestor ex autoritate diui Hieronymi, in Marco scriptum fuisse, quod dominus crucifixus fuerit hora sexta, uerum id Græci scriptoris accidisse uitio, qui pro ϛ, quæ Græcis litera non est, sed literis mixta est nota numeri, nec alium habens usum, Sequitur enim literam ε, quæ Græcis significat quinq;, & præcedit ζ, quæ notat septem, pinxerit, γ, quæ signat tria. Non mihi succurrit, quo loco dixerit hoc Hieronymus. Idem paulo ante citat eum ex breuiario maiore, quod opus non agnoscimus, nisi forte commẽtarij in Matthæum bis abbreuiati sunt, & epitome altera fuit altera contractior. Quod si uera sunt quæ nescio unde hausta tradit Petrus Comestor, facilis exitus est huius quæstionis, in qua mire se torquet Augustinus libro de Consensu Euãgelistarũ tertio cap. decimotertio. Inde petat qui uolet. Nos adiecimus quod nacti sumus. *Petrus Comestor.*

Et crucifigentes eum.) καὶ σταυρώσαντες αὐτὸν, id est, Cum crucifixissent eum.

Qui ædificas Græcus sermo ambiguus est propter participia. At Hieronymus in Esaiã

citat persona tertia: Vah qui destruit templum, & in triduo instaurat illud. Atque ita scriptum cõperi in codice S. Donatiani, item in Constantiensi. Illud annotandũ, quod in Græcis codicibus non additur dei, sed templũ tantũ est: suffragantibus libris diui Donatiani & Constantiensi. Et in nostris aliquot pro Aedificas, perperam mutatum est, Reædificas.

Eloi, eloi, lamazabatani.) Non est dubitandum, quin Euangelista uoces Hebræas, siue Syras recte reddiderit, utcunq; à nobis sonantur, de quo dictum est à nobis in Matthæo.

Deus meus.

Deus deus meus.) In Græcis exemplaribus, librariorum, opinor, incuria, non repetitur pronomen meus, cum apud Hebræos repetatur, Deus meus, deus meus. Proinde non dubitauimus apponere: præsertim hoc freti, quod uideamus apponi apud Matthæum. Post comperimus additum & in Græcis uelut in Hispaniensi, & in Theophylacti uetustissimo codice non addebatur, quemadmodum nec in æditione Aldina, quod incuria librarij factum arbitror, quum enim in Hebræo sit eloi eloi, id est, deus meus, deus meus, qui conuenit ab hoc discrepare interpretationem Euangelistæ.

Vt quid.) εἰς τί, id est, ad quid.

Calamus arundo.

Circũponensq; calamo.) Paulo superius calamũ uertit Arundinem. Nunc oblitus, opinor, Græcam uocem reliquit: quod idem fecit in Psalmo, Emittens Crystallum sicut buccellam, cum pro Crystallo uertere debuerit glaciẽ: fit enim mentio de niue, decq; frigore.

Centurio ἑκατόνταρχος

Videns autẽ Centurio.) Et hic usus est Rhomana uoce Euangelista, ἰδὼν δὲ ὁ κεντυρίων, quem alias uocat ἑκατόνταρχον, Græca uoce. Nec est,

Clamans expirasset.) sed κράξας, hoc est, Clamore emisso, siue cum clamasset, mox enim à clamore expirauit.

Iacobi minoris.) τοῦ μικροῦ. Græcis positiuum est, parui, non comparatiuum parui. Et apparet fuisse cognomen.

Quod est ante sabbatum.) Græcis una dictio est, προσάββατον, quasi dicas præsabbatũ, hoc est, Initium sabbati.

Et Ioseph.) Ἰωσῆ, id est, Iose.

Ioseph arimathæus.

Venit Ioseph ab Arimathia.) Non potest accipi, quod ab eo loco uenerit, cum intercedat articulus ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, id est, Arimathæus, ut patriam additam intelligas. Hieronymus in catalogo locorum indicat dictam Arimatha Sophim, ciuitatem Elchanæ, & Samuelis in regione Tamnitica, iuxta Diospolim, patriam Ioseph, cuius hic fit mentio.

Audacter introiuit.) τολμήσας, id est, Sumpta audacia, quanquã probe uertit interpres. Ne quis hunc arbitretur à me suggillatum, quod aliter uerterimus. Porro audacia non semper opponitur consilio, sed sæpe refertur ad periculum. Sentit enim hoc Euangelista, Decurionem hoc non sine periculo fuisse ausum amore Iesu.

Decurio.

Nobilis decurio.) εὐσχήμων βουλευτής, id est, Honestus senator. Laurentius admonet hic Decurionem accipiendum pro Senatore municipali.

Si iam mortuus.) εἰ πάλαι ἀπέθανε, id est, Si dudum, aut iamdudum mortuus esset. Etiãsi nonnulli codices, pro πάλαι habebant ἤδη. Atq; ita post repperi in æditione Aldina consentiente Hispaniensi, atq; item Theophylacto. Proinde non assentior eruditis quibusdã, qui putant hic εἰ ualere idem quod coniunctio ϕ. Siquidem adhuc dubitasse Pilatum indicant ea quæ mox sequuntur: Et re cognita ex Centurione. Porrò forma sermonis neminem debet offendere, cum ita loquatur Terentius: Mirabar si sic abiret. Ex hoc loco Origenes colligit animam Christi non reliquisse corpus suum more uulgari hominum morientium, sed ultro excessisse è corpore, cum uisum esset. Neq; enim iuxta naturam tam matura reliquisset corpus iuuenile, præsertim cum illi crura non essent fracta, quod aliis fieri solet ad maturandam mortem.

Maria Ioseph) Rursum est, Iose, non Ioseph.

EX CAPITE VLTIMO.



Coopertum stola.) περιβεβλημένον, id est, Amictum. Nam coopertus esse potest, qui non sit amictus.

Nolite expauescere.) μὴ ἐκθαμβεῖσθε. Idem est uerbum Græcis, quod uertit modo Obstupuerunt.

Inuaserat

Inuaſerat enim eas timor.) εἶχε δὲ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις, Habebat enim eas tremor, ac ſtupor, ſiue ecſtaſis.

Prima ſabbati.) σαββάτου habent pleriq; Græci codices.

Nouiſſime recumbentibus illis.) Auguſtinus de concordia Euangeliſtarum lib. 3. torquet ſeipſum quæſtione, qui conſiſtat quod Marcus dicit hic Ieſum nouiſſime apparuiſſe, quum Ioannes referat illum poſt apparuiſſe ſuis ad mare Tiberiadis. Hunc nodum ſic explicat, ut nouiſſime referatur, non ad numerum apparitionum ſimpliciter, ſed ad apparitiones eo die factas. Atqui quum Græce ſit ὕστερον, quod ſonat deinde ſiue poſtea, non erat quur moueret quæſtionem ſi Græcos conſuluiſſet codices, quanquam nolim diſſimulare comparatiua nonnunquam uſurpari uice ſuperlatiuorum, quoniam itaq; dixerat primum, interpres hic maluit dicere poſtremum.

Illis undecim.) αὐτοῖς τοῖς ἕνδεκα. Diuus Auguſtinus ex addito pronomine illis, & ex articulo Græco colligit hunc locum non poſſe accipi niſi de apoſtolis. Atqui Græce non eſt ἐκείνοις ſed αὐτοῖς, quod ſi relatiue ſumatur, ſonat Ieſum ijſdem undecim apoſtolis apparuiſſe quibus prius apparuerat. Sin diſcretiue, ſenſus erit Ieſum apparuiſſe, non mulieribus aut quibuslibet diſcipulis, de quibus ante dictum erat, ſed ipſis undecim nimirum apoſtolis, qui narrantibus non crediderant. Etiam ſi Marcus ita contexit quaſi hoc ſenſerit. Primum apparuit Mariæ Magdalenæ. Poſt hæc duobus ambulantibus in uilla, Poſtremo recumbentibus undecim. Nec obſtat huic ſenſui ſi iam uni aut alteri ex apoſtolis apparuerat, Certe undecim ſimul diſcumbentibus nondum apparuerat.

Qui uiderant eum reſurrexiſſe.) Græce eſt ἐγηγερμένον ſuſcitatum ſiue excitatum. Nec uideo cauſam quur hic Gregorius aut Bernhardus inducant angelos, qui ſoli uiderint dominum reſurgentem. Diuus Hieronymus in epiſtolis indicat hoc caput, quod in Marco legimus, à pleriſq; non recipi, & in omnibus penè Græcorũ libris in fine poni, uelut adiectitium, propterea quod hic diuerſa narret à reliquis Euangeliſtis. Admonet autem & illud, ſubdiſtinctionem eſſe faciendam ante mane, ut intelligamus Chriſtum ueſpere ſurrexiſſe, deinde mane primo ſabbati uiſum eſſe Mariæ, hoc modo legens: Cum ſurrexiſſet Ieſus: ut hic interpoſita hypoſtigme ſequatur, apparuit Mariæ. At idem in ſecundo dialogo aduerſus Pelagium diſputans, narrat in fine Euangelij iuxta Marcum, in nonnullis exemplaribus maxime Græcorum, hanc coronidem adiectam fuiſſe: Poſtea cum accubuiſſent undecim, apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem, & duriciem eorum, quod multis qui uiderant eum reſurgentem, non crediderunt. Et illi ſatisfaciebant dicentes, ſeculum iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus ueram dei apprehendi uirtutem, idcirco iam nunc reuela iuſtitiã tuam.

Coronis Marci.

Cæterum ut extremum illud caput habetur hodie in omnibus quæ ſanè uiderim, Græcis exẽplaribus, ita coronidẽ hanc ex Apocrypho quopiam Euangelio, aſſcriptã apparet à lectore ſtudioſo. Nam Euangelium Hebræorũ, quod tum à Nazaræis, & Ebionitis legebaẽ, Hebraicis ſcriptũ literis, ſed ſermone Chaldaico, Hieronymus teſtaẽ à ſe uerſum in linguã Græcam, & ex eo nonnulla profert teſtimonia.

Apocrypha coronis.

DES. ERASMI ROTERODAMI ANNOTATIONVM IN EVANGELIVM MARCI, FINIS.

IN EVANGELIVM LVCAE ANNOTATIONES D. ERASMI ROTERODAMI.



Lucas cæteris Græce peritior

VOniamquidem.) Solus Lucas & præfatur operi ſuo, & nominatim dicat libros ſuos. Is tametſi cæteris purior eſt, ac diluci dior in eloquendo, ob Græcarum peritiam literarum, quã in Catalogo ſcriptorum tribuit illi Hieronymus, tamen multum & ipſe admiſcet ex idiomate ſermonis Hebræi. Cæterũ quod hic uertit ἐπειδήπερ, Quoniamquidem: haud ſcio, num apud emẽdate loquentes reperiatur Quoniamquidem, in priore ſermonis parte. Ego maluiſſem, Quoniam, aut Poſtquam, aut Quandoquidem. Quanquàm haud omnino male uertit. ἐπεχείρησαν conati ſunt: ut intelligamus illos uoluiſſe magis, quàm præſtitiſſe, & tentaſſe rem uerius, quàm effeciſſe. Neq; enim Matthæi tantum id temporis extabat Euangelium aut Marci, ſed multa ferebantur Euangelia, Nazaræorum, Thomæ, Matthiæ, ſecundum Aegyptios, ſecundum duodecim, Nicodemi, atque item aliorum, quæ deinde uelut apocrypha reiecit eccleſia. Porrò ἐπιχειρεῖν, proprie eſt aliquid in manus ſumere & aggredi.

Euangelia apocrypha.

Ordinare narrationem.) ἀνατάξασθαι. Quod ego uertiſſem, Digerere, ſiue Contexere: ſiquidem id eſt, in ordinem diſponere, quod cæteri carptim, aut non iuxta perpetuam rerum geſtarum ſeriem prodidiſſent quædam. Quin & Matthæus ipſe, quanquàm cæteris eſt plenior, & ab ipſa Chriſti natiuitate exorditur hiſtorico more, tamen totam ferè puericiam, & adoleſcentiam Chriſti prætermiſit. Porrò Marci Euangelium, eius quod à Matthæo proditum eſt, uideri poſſit epitome, multa prætermittens, & hiſtoriam Euangelicam auſpicans à prædicatione Ioannis. Ioannes quædam attingit carptim, uelut ab alijs omiſſa. Proinde Ambroſius tribuit Lucæ ſtilum hiſtoricum ceu peculiarem. Cum enim ſua ſingulis attribuiſſet, inquit: At uero ſanctus Lucas uelut quendam hiſtoricum ordinem tenuit, & plura nobis geſtorum domini miracula reuelauit: Ita tamen ut omnes ſapientiæ uirtutes Euangelij iſtius complecteretur hiſtoria. Idem aliquanto poſt: Hiſtorico enim ſtilo diximus hunc Euangelij librum eſſe digeſtum. Denique deſcribendis rebus, quàm exprimendis præceptis, ſtudium uberius, comparatione aliorum, uidemus impenſum. Et ipſe Euangeliſta hiſtorico more de narratione ſumpſit exordium. Fuit inquit, in diebus Herodis regis Iudææ, ſacerdos quidam nomine Zacharias, eamque hiſtoriam plena digeſtione proſequitur.

Lucas unus totam uitæ ſeriem proſequitur.

Quæ in nobis completæ ſunt rerum.) Quæſo quis ex hac interpretatione percipere queat, quid ſenſerit Euangeliſta? Nec enim ſimpliciter accipiendum eſt accidiſſe, quæ narraturus eſt, ſed certiſſima fide comperta eſſe, & argumentis indubitatis perſuaſa. Id enim ſonat Græcis πεπληροφορημένων, à uerbo πληροφορέω, quod eſt, plenam facio fidem. Vnde πληροφορία, certa fides quæ fit argumentis aut re exhibita: & πληροφόρημα uocant, quod nos uulgo dicimus certificationem. Et πληροφορεῖσθαι dicitur, cui certa fit rei fides, ut iam nihil addubitet: Hinc uoce compoſita, quod adducantur, quæ ad plenam rei comprobationem requiri ſolent. Proinde in epiſtola Pauli ad Romanos, capite quarto, πληροφορηθεὶς, interpres uertit, Pleniſſime ſciens. Et rurſum in eadem, capite decimoquarto: Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, Græce eſt, πληροφορείσθω, hoc eſt, Vnicuique ſua mens ſatisfaciat, & in ea conquieſcat. Vtitur eodem uerbo Paulus in alijs compluſculis locis: atque adeo Lucas ipſe in actis apoſtolorum, id quod indicabimus ſuo loco. Quin & Origenes, ſiue quis alius is fuit, nihil enim moror, cum cõſtet ab homine erudito ſumptum, uertit ad hũc modum: Quæ in nobis manifeſtiſſime ſunt oſtẽſæ, & ſubijcit idem

Interpres obſcure uertit πεπληροφορημένων.

An homiliæ in Lucam ſint Origenis incertum eſt.

idem, πεπληροφορημένων, quod uno uerbo Latinus sermo non explicat, certa enim fide & ratione cognouerat. Quanquàm ex his uerbis colligere licet, scriptorem hunc, aut Paraphrasten Origenis fuisse, nō interpretem, aut nonnihil addidisse de suo, quo res esset explanatior. In eandem sententiam interpretatur Theophylactus Græcus interpres recentior, sed haud quaquā malus mea sententia. Ait enim πεπληροφορημένων δὲ εἶπε πραγμάτων, οὐ γὰρ κατὰ φιλίαν παράδοσιν εἰσὶ τὰ τοῦ χριστοῦ, ἀλλ' ἐν ἀληθείᾳ καὶ βεβαίᾳ πίστει, καὶ μετὰ πάσης πληροφορείας. πῶς δὲ εἰσὶ πεπληροφορημένα ταῦτα εἶπε ὁ λουκᾶς; καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου, id est, Res autē gestas dixit πεπληροφορημένας. Non enim gesta Christi simpliciter uulgariq; more tradita sunt, sed uera firmaq; fide, cum omni certitudine constant. Sed age dic Luca, unde ista rerum certitudo? Sicut tradiderunt nobis ab initio qui ipsi ab initio spectatores ac ministri fuerunt eorum quæ narrant. Indicat huiusmodi nonnihil & Ambrosius, licet obscurius, scribens hūc in modum: quæ in nobis completæ sunt, uel quæ in nobis redundant. Quod enim redundat nulli deficit, de completo nemo dubitat, cum fidem affectus astruat, exitus prodat. Ac mox: Ergo fundatus in petra, & qui omnem fidei sumpserit plenitudinem, firmamentumq; constantiæ, recte dicit, Quæ in nobis cōpletæ sunt. Argute quidem lusit in uerbis Ambrosius, sed interim gnarus Græcæ linguæ satis indicat uim Græcæ uocis πεπληροφορημένων. Nescio, an illud sit operæprecium adijcere, uocem hanc & ad rem accōmodari, & ad personam. Nam & cui persuasum est πληροφορηθεὶς dicitur, & quorum est facta fides πεπληροφορημένα dicuntur, quemadmodū & homini sit fides & rei fidem facimus. Suetonius suo more Græcā loquutionē referens scripsit in Tiberio, Persuasionisq; plenus cuncta fato agi, uelut exprimēs Græcam uocem πληροφορηθείς.

Sicut tradiderunt.) Vel hinc liquet, Lucam Euangelistam ab alijs audita scribere. Traditur enim id quod narratione transfunditur ab alijs in alios. Nisi sic malumus accipere, Sicut nobis tradiderunt absolute dici: ut ipse Lucas sit è numero eorum qui tradiderunt, & Nobis ad omnes referatur, qui ex prædicatione apostolorum Christum didicerunt. Verum id ut est à nemine dictum, ita coactius est, mea quidem sententia. Quorsum autem opus est hic laborare in probationibus, cum diuus Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, ingenue fateatur Lucam ea stilo fuisse prosequutum, quæ ab alijs acceperat, sed fidei certissimæ uiris: hoc est, non à quibuslibet, sed ab ijs qui omnibus quæ narrabant interfuissent. Hieronymi uerba super hac re subscribam, si quis forte requiret: Et Lucam inquit non solum ab apostolo Paulo didicisse Euangelium, qui cum domino in carne non fuerat, sed & à cæteris apostolis. Quod ipse quoq; in principio sui uoluminis declarat, Sicut tradiderunt nobis qui à principio ipsi uiderunt, & ministri fuerūt sermonis. Igitur Euangeliū sicut audierat scripsit. Acta uero Apostolorum, sicut uiderat composuit. Et apertius etiam in præfatione, quam præfixit commentarijs in Matthæum: Tertius inquit Lucas medicus, natione Syrus, Antiochensis, cuius laus in Euāgelio, qui & ipse discipulus apostoli Pauli, in Achaiæ, Bœotiæq; partibus uolumen condidit, quædā altius repetens, & ut ipse in procœmio confitetur, audita magis, quàm uisa describens. Hactenus Hieronymus. Verū de hoc paulo post, per occasionem aliarū uocum, aliquāto plura dicemus. Dubitari poterat utrò referenda esset hæc particula, Sicut tradiderant nobis, ad superiora, ut sit sensus: Certitudinem persuasionis hinc esse, quod qui ea rettulerant, non solum ipsi interfuerāt, ceu testes ac spectatores rerum gestarū, uerum ipsi quoq; rerum aliquarum partem gessissent, An ad sequentia: ut sit sensus, se quoq; uelle contexere Christi uitam, bona fide, quam totam, plenecq; à grauissimis autoribus didicisset.

Lucas audita scripsit in Euangelio.

Qui ab initio ipsi uiderunt.) Quod interpres circunloquutus est, Qui ipsi uiderant, Græcis est unica dictio αὐτόπται, à pronomine αὐτὸς ipse, & ὄπτω uideo. Certissimus enim habetur testis oculatus, ut aiunt. Hoc quoque indicio colligere licet, Lucam nō uidisse quæ scribit in hoc libro: cum ipse se scriptorem fateatur, illos αὐτόπτας, non à se se, sed ab illis autoritatem fidemq; mutuans. Cæterum eos qui pars aliqua fuerunt rerum gestarum uocat ὑπηρέτας, hoc est, ministros. Subseruit enim qui adiuuat in re peragenda. αὐτόπται erant cum cernerent eijcientem dæmonium, ὑπηρέται cum soluerent Lazarū, cum & ipsi iussu domini ederent miracula, cum illius causa periclitarentur. Græci literatores uocem existimant ductam, ab ὑπὸ & ἐρέσσειν, hoc est, ab subremigando, quod Nauclero remiges

Αὐτόπται

ὑπηρέται

Minister. remiges subseruiant. Cæterum quoniam dure uidebatur Latinis dici minister negocij, non qui fuerit exequutor, sed qui partē ipse gesserit, ac passus sit, maluimus ita reddere. Ac pars aliqua fuerunt eorum quæ narrabant. Sic & Vergilianus Æneas sibi fidem cōciliat:

Quæque ipse miserrima uidi,
Et quorum pars magna fui.

Hieronymus in præfatione quam ædidit in omnia Euangelia paulo aliter legit. Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi uiderunt sermonem, & ministrauerunt ei. Neq; uero quicq; ad rem facit quod argutatur Valla, hic λόγῳ potius uertendum fuisse, Verbi, quàm Sermonis, quo commodius possit ad Christum referri. Quandoquidem hoc loco λόγον uocat ipsas res gestas quæ narrātur. Qui sermonis typus in libris sacris, haud quaq; est nouus. Quod genus est libri Reg. tertij, cap. xv. Non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei, cunctis diebus uitæ suæ, excepto sermone Vriæ Ethæi. Nihil enim hic dixisse fertur Vrias, sed intelligi uoluit, facinus nephariū, quod Dauid in illum perpetrarat, cuius rumor iā peruenerat ad multos. Nec huic arbitror dissimile, quod legimus apud hūc ipsum Euangelistā: Videamus hoc uerbum quod factum est nobis. Sentiunt enim se uelle experiri, quod audierant nunciantibus angelis. Nec illepidum est quod hic philosophantur Origenes, & Ambrosius, quomodo uerbum, quod magis auditu percipitur, q̄ oculis, hic dicatur cerni, propterea quod ait Videamus, & hic habetur αὐτόπται τοῦ λόγου. Neq; falsa est distinctio uerbi substantialis, ut appellāt, quod caro factum est, & uerbi quod aëris ictu pertingit ad aures. Neq; non uerum est, factis esse præstandum, quod intellectu cognoris, quodq; animo destinaris; Nam huc detorquent illud ministri uerbi, Sed tamen hoc in loco non uidentur admodum tempestiua. Vbi allegoriæ nubilum admittit huiusmodi coniecturas, non improbarim lectoris animum auocari similibus commentaciunculis, ne uel desperans desinat legere, uel offensus absurditate sensus historici resiliat. In cæteris probarim sensum simplicissimum, minimeq; detortum in sacris literis. Iam quod negat Valla Christum in mysticis literis usq; sermonem dici, sed duntaxat uerbum, in promptu est refellere, cum passim reperiatur, non apud Lactantium modo, quem is unū excipit, uerum etiam apud Cyprianū, Hilariū, Hieronymum, Augustinum, Ambrosiū, Prudentium, & his recenciores Bedam, Anselmum, ac Remigium: quemadmodū satis declarauimus in apologia, quam hac de re conscripsimus, & in Euangelio secundum Ioannem captim attingemus.

Valle reiecta annotatio.

Verbum pro re gesta.

Christus et sermo dictus

Assequuto omnia. παρηκολουθηκότι. Assequuto non est hic accipiendum, quemadmodum utuntur Latini, quibus assequutus omnia dicitur is, qui nulla in re frustratus sit, quod Græci uocant τυχεῖν, cui diuersum est ἀτυχεῖν, Sed παρακολουθεῖν est assectari, & adesse, & subsequi potius quàm assequi. Vt enim assidere dicitur literæ, qui nusquam discedit à litera, Ita παρακολουθεῖν dicitur, qui quoquò uersum te conferas, adest, & assectatur indiuiduus comes. Neque uero desunt qui ex occasione huius uerbi sic interpretentur, Lucam ab initio interfuisse omnibus quæ scribit. Sic enim istis, opinor, uisus est sentire, quisquis fuit, cuius extant in Lucam commentarij, Adamantij titulo. Verum huic interpretationi palàm reclamant ea, quæ præcedunt in hoc ipso sermone Lucæ, quæ quantūuis torqueas, obsecro num omnibus interfuit Lucas quæ narrat? Num etiam colloquio Mariæ cum Angelo, num spectaculo Iesu transfigurati? Quanquàm si quis Origenis sermonem diligentius expendat, sentiet illum non hoc affirmare, quod Lucas interfuerit omnibus, quæ texit in historia, uerū negat se carptim & ex rumore cognouisse, hoc est, dubio atq; incerto autore, sed rem omnē ordine ex grauissimis ac certissimis testibus. Verba ipsius subscribam: Visum & mihi assequuto ab initio. Inculcat ac replicat, quoniam ea quæ scripturus est, non rumore cognouerit, sed ab initio ipse fuerit consequutus. Vnde & ab apostolo merito collaudatur dicente: Cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias. Hactenus ille. Certe Lucas obambulans per omnes ecclesias, non uidit ea quæ gessit Christus, sed ab ipsis discipulis, & Apostolis cognouit ac didicit, quæ gesserat ac docuerat. Atque illos non esse uanos autores, uita ipsorum ac miracula declarabant. Neque tamen hoc sentio, πᾶσιν referendum ad personam, ut intelligamus Lucam omnibus Apostolis adfuisse, sed ad rem: ut sensus sit, illum omnia ordine persequutum, & sic omnia cognouisse ex his, qui quæ uiderant memorabant, ut nihil prætermiserit, quod ad historiæ seriem pertineret. Scripsit autem

Assequuto quid Græcis

tem non omnia,sed ex omnibus, ut annotauit Ambrosius. Porrò ne quis nobis diffidat, usus est hoc uerbo Demosthenes, ὧν ἐγὼ περὶ παραβεσβείας. ἵνα ὡς μετὰ πλείσης συγγνώμης παρ' ὑμῶν, ὁ τὰ τότε πονηρεύματα εἰδὼς ἐγὼ, καὶ παρακολουθηκὼς ἅπασι, κατηγορῶ. Sentit autem nō se fuisse spectatorem ac testem, quæ gesserat Æschines, sed omnia peruestigasse. Idem alibi, ὑμᾶς γὰρ δικαιοῦ ἔχομεν παρακολουθεῖσθαι πᾶσι τοῖς λεγομένοις. Sequitur enim cogitatio iudicis, ordinem referētis. Et apud Galenum legimus παρακολουθῆσαί τινι θεωρίᾳ, quod animi contemplatio sequatur orationem: quod nō faciunt ij, qui parū attenti sunt ijs quæ dicuntur. Vsus est aliquoties hoc uerbo & Paulus in suis epistolis in eundem fermè sensum, uelut ad Timotheum capite quarto, ταῦτα ὑποτιθέμενος τοῖς ἀδελφοῖς, καλὸς ἔσῃ διάκονος Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως, καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας, ᾗ παρηκολούθηκας, id est, De his si commonefeceris fratres, bonus eris minister Iesu Christi, enutritus in sermonibus fidei, & bonæ doctrinæ, quam usq; sequutus es. Neq; enim assentior ijs, qui idem putant esse Græcis παρακολουθεῖν, & ἐπιτυγχάνειν, siue ἐφικνεῖσθαι. Siquidē assequimur expetita, ac difficilia. Assectamur & παρακολουθοῦμεν, à quibus non recedimus. Qua de re plura dicemus in locum Pauli, quem modo adduximus. Iam quod dixit ἄνωθεν, aut intelligendū est ab initio, & ordine, ut intelligamus nihil prætermissum, aut denuo, ac deintegro: ut quod alij uel carptim, uel parum certa fide narrarunt, ipse denuo plena, certissimaq; fide ijsdem de rebus texat historiam. Siquidē hæc uox ἄνωθεν, Græcis tria declarat, desuper, hoc est, è supernis, ab integro, siue denuo, & ab initio usq; ad finem, siue à summo usq; ad imum.

Assequi & assectari.

Optime Theophile.) Miror unde Lyranus suspicatus sit Theophilū magnatem quempiam, aut principem fuisse, quod Lucas optimi cognomen addiderit. Ità ne primates optimos uocare solemus, aut num illis peculiare est optimos esse? Verum id Lyranus in aliquo legerat glossemate, quod ut legere potuit, ita ob inscitiam Græcæ linguæ intelligere nō potuit. Nam apud Græcos κράτος robur sonat, siue imperium. Et κρατεῖν est uincere, siue cōpotem esse, unde Paulus in Actis apostolorū Festū κράτιστον uocat, quasi dicas plurimū pollentem. Id quod attestant & interpretes, Origenes, Theophylactus, Ambrosius. Quāq; κρείττων nō solum potētiorem significat, ac superiorem, cui respondet ἥττων, uerum etiā potiorem, ac pluris faciendū, cui superlatiui uice est κράτιστος. Qui uertit homilias Origenis in Lucam annotauit κράτιστον significare optimum, siue potentissimū. Cæterum Theophilus sonat amans dei, siue gratus deo, quod utrum proprium sit nomen, an epitheton pij lectoris, alij disputent. Ego proprium hominis uocabulum esse puto.

Optimus κράτιστος

Vt cognoscas.) ἵνα ἐπιγνῷς. Annotat hoc & Theophylactus, non dictum esse ἵνα γνῷς, id est, Cognoscas, sed ἐπιγνῷς, Agnoscas. Cognoscimus enim, quæ discimus antea nobis incognita. Agnoscimus quæ prius utcunq; nouimus, uelut faciem ante annos aliquot uisam agnoscimus. Indicat hanc elegantiam duorum uerborum & diuus Hieronymus, cum aliàs, tum in apologijs aduersus Rufinum.

Cognosco, agnosco.

De quibus eruditus es.) περὶ ὧν κατηχήθης. Olim qui baptismatis essent candidati ijs tradebant fidei Christianæ mysteria, sed uiua uoce, sine scripto, quemadmodū priscis illis theologis mos erat apud Ægyptios, & apud Gallos Dryadibus. Id erat initiari mysterijs, qd' Paulus & Lucas uocāt κατηχεῖν. ἠχέω enim est uoce sonare. Inde κατηχεῖν uoce erudire, quæ scripto nolis cōmittere. Vnde qui docebant ad eum modū, catechumeni, siue κατήχησις uocabatur, qui docebāt catechistæ, quos Dionysiacus interpres susceptores, ut arbitror, nominat, uulgo cōpatres dicuntur. Vsurpauit hoc uerbi Lucianus in Asino, ἐμὲ δὲ ἀπέδωκεν ἀπελευθέρῳ τινὶ τῶν ἑαυτοῦ νεανίσκων, καὶ εἶπε κατηχῆσαι, ὅσα ποιῶν, μάλιστα ψυχαγωγῆσαι αὐτὸν δυναίμην, id est, Me uero tradidit libertino cuipiam ex suis adolescentulis, iussitq; ut doceret quæ facienda essent, quibus maxime sibi uoluptati esse possem. Ridicule Lucianus facit puerum asini catechistam. Etiamsi in Actis apostolicis Lucas κατηχήθη usurpauit pro Resciuit, siue edoctus est, non de fidei mysterijs agens, sed de præfecto prænonito. Verum ecclesia sic uerbum hoc suum fecit, ut non aliter quàm catechumenos uocent, etiam ij qui quid sit Catechumenus non intelligunt. Sensus igitur hic est, meo quidem iudicio, ut ea quæ olim catechumenus uiua uoce didicisti, nunc plenius, ac certius scripto cognoscas. Opponit enim hæc inter se ceu pugnantia γράφας, & κατηχήθης. Quanq;, ut dixi, in Actis semel atq; iterum usus est hoc uerbo, κατηχήθη, pro Auditum est, simpliciter.

Catechumenus.

Eruditus

Eruditus es ueritatem.) Græcis est non ἀλήθειαν, sed ἀσφάλειαν, id est, Certitudinem. Nam ueritas & fides constabat etiam ijs quæ iam in catechismo didicerat. Cæterum ἀσφαλὲς dicitur, quod certum est ac tutum, & in quo nullum sit lapsus aut erroris periculum. Hinc enim Græca uox dicta est à σφάλλομαι, labor, & α particula priuatiua. Certius enim scimus, quæ scripto & ordine cognoscimus, maxime si prius eadē ab alijs audierimus, aut etiam ab ijsdem eadem. Quandoquidem ipsa narrationis constantia, cum primis fidem arrogat rebus. Iam hæc pleraq; typis fuerant excusa, cum pro operis instituti ratione, ueterū Theologorum commentarios excutientem & undecunq; uenantem, quod ad præsens faceret negocium, Beatus ille meus Rhenanus Slestadiensis, cui iuge studium est, in morem apiculæ per omne politiorum scriptorum genus circunuolitandi, & undecūq; quod ad instaurandas bonas literas conducit, excerpendi, nec id sanè minore iudicio, quàm sedulitate, cōmodum submonuit, quod mihi sanè tum tēporis, hoc est, in prima huius operis æditione nō ueniebat in mentem: hanc Lucæ præfationem, & apud Gulielmum Budæum Parisiensem extare, Latinitate donatam. Gaudebam profecto, quod tantum meæ sententiæ nactus essem astipulatorem. Sed rursum dolebam, quod penè sero. Etenim cum amico tam docto libenter sentimus: & tanta est hominis in literis autoritas, ut si quid ille dissentiret, non dubitarem calculum, quod aiunt, reducere, & recantato suffragio nostro in eius sententiam pedibus discedere. Quid enim eo uiro in perquirendo diligentius, quid in iudicando acrius, aut exactius, quid in tradendo plenius aut uberius, quid in pronunciando incorruptius? Deniq; quid in explicando castius, aut politius? Vt prorsus alterum in hisce Cisalpinis regionibus proferre non possimus, qui cunctas eruditi uiri dotes, ac numeros oēs tam absolute præstiterit. Quanquàm idem subinde maior seipso nobis prodit, ipse sui uictor, quod quidem uictoriæ genus Plato putat omnium esse pulcherrimū. Etenim cum in placitis philosophorum, in quibus uertendis primū ingenij sui specimē ædidit, omnes à tergo reliquerit, mox in annotationibus, quas scripsit in Pandectas Iuris Ciuilis, dictu mirum quanto interuallo seipsum superarit. Ac rursum in libro de asse & partibus eius, deum immortalem quantum addidit, tum eruditionis, tum iudicij, tum eloquentiæ, uir nimirum dignus, qui non unius hominis ætatem duret bonis literis, quæ illi ob id quoq; magis debent quod gratis ab eo coluntur. Quid dixi gratis? Imò magno, tum ualetudinis, tum rei familiaris dispēdio, nec id sanè citra tædium odiose iugiterq; reclamantium & obstrepentiū, affinium, cognatorū, collegarū, qui literas nullas, uel assis faciunt, nisi unde nonnihil accrescat arcæ nummariæ. Alijs sanè literæ, & rem & famā ac nobilitatem, pepererunt. Hic honestissimo loco natus, tum in re præclara, ad hæc insigni munere regio iam olim cohonestatus, domesticum splendorem uniuersum iuuandis & ornandis literis impendit. Habet nimirum eam uim insignis eruditio, ut immortalem famam conciliet, non solū suis autoribus cū libet obscuris, uerūetiam potētissimis regibus. Quis enim est regum omniū illustrior Homero, si uerum narrant Græci, etiam mendico? Cui principū sua bella, triūphi, columnæ, tituli, pyramides, imagines, ceræ, monumenta, tantum apud uniuersos mortales peperere nominis, quantum homini obscurissimo suæ literæ? Deinde quot is eximios duces, quot optimates ac reges immortalitati cōsecrauit, quorū ne nomina quidem teneremus, nisi ille fidelius suis insculpsisset libris, quàm uulgus insculpit saxis, aut æri. Atq; haud scio, an ulla uia præstantior ad immortalitatem emergēdi. Siquidem gloria quæ paratur opibus ac bellis, nō dispu tabo in præsentia, cuiusmodi sit, uerá ne an falla, certe paucis hominibus plurimorum paratur malo. Hæc eos quoq; nobilitat, quos carpit ac damnat. Talem olim habuit Italia Ciceronem ac Vergilium, nuper Theodorū Gazam, ac Politianum. Quorum utriq; plurimis nominibus debent bonæ literæ: imò totus debet orbis, illorū ingenijs non mediocriter adiutus. Verum istis fortasse cum literis ex æquo constat ratio, ut omnibus collatis paginis cōperiatur, illos, ob rem simul ac famam additā, non minus debere literis, quàm ipsis debeant literæ, tot uigiliarū ac laborū nomine. Cæterū qui suo uictu, ciboq;, quod aiunt, negocium agunt literarium, & priuatis cōmodis promouent rem omniū, nec ab illis fortunam uelut autoramentū accipiunt, sed suam fortunam ultro literis prouehendis & illustrandis impendūt, his haud scio, an ulla meritis par gratia rependi possit. Atq; utinā hæc mens esset omnibus, ut de hac laude luberet certare cum Italis, à quibus tot egregijs prouocamur exemplis, potius

Beatus Rhenanus Slestadiensis.

Gulielmus Budæus

Homerus mēdicus

Angelus Politianus.

potius quàm de ditione,nescio qua,quæ primum tanto Christiani sanguinis emitur impendio,deinde non æstimando destitutæ & exhaustæ patriæ malo,postremo incertum quamdiu duratura,ut sunt rerum humanarum pluspquam æstuariæ uices.Hic & qui uincit,& qui uincitur,nullius incõmodo,sed omnium bono id facit.Neq; uero desunt ubiq; iam gentium,qui ad hoc pulcherrimum certamen accingantur,uerum mea sententia,ne mini id cessit felicius,quàm Budæo.Proinde cuiusmodi proceres superior ætas dedit Italiæ Hermolaum Barbarum,& Picum Mirandulanum,eiusmodi præsens ætas dedisse uidetur Galliæ Budæum,Germaniæ Bilibaldum Pirchemerum Norembergicæ ciuitatis apud Germanos omnibus penè nominibus principis senatorem.Quorum uterq; non solum domestica fortuna,ac maiorum suorum imaginibus,uerum etiam uitæ ac morum integritate rem literariam illustrant,simul & cõmendant.Budæanam igitur translationem ex annotamentis illius quæ scripsit in Pandectas iuris Cæsarei,non grauabor hoc loco subiicere,quo maior sit fides apud lectorem nostræ castigationi,cum perspexerit utroscp nos non de composito,sed fortuito penè per omnia consensisse,nimirum idem secutos filum nempe rem ipsam:Quandoquidem,inquit,multi agressi sunt enarrationem astruere de rebus inter nos compertissimis,quemadmodum tradidere nobis,qui spectatores ipsi fuerunt iam inde ab initio,ministriq; ipsius uerbi,certum est,& mihi assectatori pridem omniũ assiduo,deinceps tibi scribere,optime Theophile,ut agnoscas eorũ sermonũ certitudinem,in quibus ipse institutus es.Quod Budæus uertit Inter nos,Græce est,ἐν ἡμῖν, quod in utrumuis sensum accipi potest,uel inter nos,ut hic uertit,uel in nobis,ut intelligamus certam persuasionem non esse in quibuslibet,sed in paucis.Cæterũ quod Valla putat ἄνωθεν non sonare à principio,sed altius,uerum dixisset,si fuisset ἀνώτερον. Cæterum ἄνωθεν significat à summo initio rei cuiuspiam,quemadmodum Christi uestis dicitur ἄνωθεν contexta,hoc est,à summo usq; ad imum,& uelum templi scissum, ἄνωθεν, hoc est, à summo.Proinde Lucas summum initium uocat,quod exorsus sit nõ à genealogia & natiuitate Christi,sed ipsius etiam Ioannis:ut qui præcursor fuerit euangelij,præcederet itẽ in narratione.Et tamen ἄνωθεν aduerbium,non potest referri ad Verbum γράψαι, nisi repetas quod præcessit,sed ad participium παρηκολουθηκότι, ut hic nihil aliud sonare possit, quàm ab initio siue ordine.

Budæus in Gallia.

Pirchemerus in Germania.

Anothen à summo siue rursum.

EX CAPITE PRIMO.



Vit in diebus.) ἐγένετο,erat potius.

De uice Abia.) ἐξ ἐφημερίας.Græca uox euidentior est,indicans certos dies esse præscriptos,in quibus certi sacerdotũ ordines administrarẽt.Nec est,Vxor ei,dandi casu,sed αὐτῶ,id est,illius,atq; ita legitur & in Latinis codicibus emendatis. Licet ad sensum nihil referat.

Sine querela.) Græcis unica dictio est, ἄμεμπτοι, quod sonat, quasi dicas eiusmodi,ut de his nemo queri possit:dicere poterat Inculpati siue irreprehensibiles.Nam quod mutat Valla Innoxij siue insontes,mihi non perinde probatur.Maior enim quædam laus uidetur esse, ἄμεμπτον esse cp innoxium.Maximũ enim est sic temperare mores ac uitam omnem,ut hominũ etiam iudicio satisfacias,ut improbis quoq; quod in te est placeas.Porrò quod uertit Processissent &c. προβεβηκότας, usitatius prouectæ ætatis dicimus.

Factum est autem.) Hæc orationis forma frequens est apud Lucam,quasi dicas factũ est siue accidit, ut Petrus me inuiseret,pro eo quod erat,accidit ut me inuiseret.

Cum sacerdotio fungeretur Zacharias.) Græcis pro Zacharias est αὐτὸν,quod tamen nihil refert ad sensum.Nec additur in aureo codice,nec in Donatianicis,nec in Cõstãtiensi.Pronomen αὐτὸς ita reddi poterat,cum is sacerdotio fungeretur.Et,In ordine uicis,rursum est ἐφημερίας. Cæterum quod sequitur Secundum consuetudinem sacerdotij,nõ est Græcis ἱερωσύνης,sed ἱερατείας nomen ab eo uerbo,quod modo melius uerterat,Sacerdotio fungeretur.Potuit igitur & hic transferre iuxta consuetudinẽ functionis sacerdotalis.

Sorte exijt.) Græcis est ἔλαχεν, id est,Sortitus est,quod interpres,ni fallor, uolens dilucidius reddere periphrasi uerterat,Sors exijt,qd' sortibus missis in urnã,sors illius,aut illius exisse diceretur.Id aliquis deprauauit,in Sorte exijt,pinde nos uertimus,sorte illi ob-

Sorte exijt p sortitus est.

uenit. Alioqui Zacharias ingressus est, non exijt. Quod subindicat Ambrosius: Sorte ergo eligebatur, inquit, ut introiret templum sacerdos. Sermo perinde sonat, quasi inter sacerdotes sortitio facta sit, quis ingrederetur, immolaturus incensum, & tamen quidā quorum est Beda, putant illi suum sacerdotiū prius obtigisse sorte, quod an uerum sit alijs iudicandum relinquo. Nam fieri potest, ut inter plures sacerdotes primarios in ipsa functione sors deligeret ingressurum.

Vt incensum poneret.) τοῦ θυμιάσαι, id est, Vt adoleret thymiamata, siue odores incenderet. Nam incensum non probatur Laurentio, quod ea uox non per omnia respondeat huic rei, Latini suffitum uocant. Quanquàm mox quoq; Hora incensi, uertit, θυμιάματος, & paulo post denuo, A dextris altaris incensi.

Apparuit autem.) ὤφθη, id est, Visus est siue conspectus est. Nam apparent & quæ non sunt: quanquam non reprehendo quod transtulit interpres.

Multi in natiuitate eius gaudebunt.) ἐπὶ τῇ γεννήσει αὐτοῦ, id est, De natiuitate eius, siue Super natiuitate eius.

Sicera quid Hebræis.

Vinum & ciceram.) Sicera scribendum est per s, non per c. Nec enim à cicere dicitur leguminis genere, uerū uox est Hebraica, quæ per Syn apud illos scribitur, à uerbo שָׁכַר quod sonat inebriari. Vnde apud illos omnis potus factitius, qui possit inebriare, sicera dicitur. Porrò uini factitij usum fuisse apud Aegyptios, testis est Diodorus Siculus historiæ suæ libro primo, quod sua lingua uocarent Zuthum, siue ut in quibusdam habetur, corrupte opinor Citon, id quod olim Galli ceruisiam uocabant, Hispani cœliam, teste Plinio. Cuius meminit & Dioscorides libro secundo docens ex hordeo potissimum fieri, confici tamen & ex triticea fruge, qua soleant uti gentes occidentales, Hiberiæ ac Britanniæ. Cæterum potionis genus uehementer improbat, ut multis modis noxium.

Zuthum Ceruisia Cœlia

Adhuc ex utero.) ἔτι ἐκ κοιλίας. Verba quidem annumerauit bona fide. Cæterum purius ac Latinius extulisset, iā inde ab utero matris: sic em̄ significam⁹ lōge repetitū initiū.

Euāgelista nō citat ad uerbū prophetiam.

Et uirtute Heliæ.) δυνάμει. Vt intelligas uim miraculorum, non solum probitatem, ut crebro iam admonuimus. Hoc autem conuenit cū uaticinio Malachiæ, qui prædixit Heliam uenturum, priusq; ueniret dies domini magnus, ut indicauimus in Matthæo. At ne Lucas quidem, aut angelus, cuius uerba refert, citat ad uerbum Malachiæ testimonium, sic enim legimus iuxta ueritatem Hebraicam, interprete Hieronymo: Et cōuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Pro quo legunt Septuaginta, ὃς ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱόν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ, id est, Qui conuertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum.

Et incredulos ad prudentiam iustorum.) Incredulos Græce est ἀπειθεῖς, Quod aliquoties uertit inobedientes, & hic fortasse magis quadrabat, cum mentio facta sit patrum & filiorum. Nam incredibiles pro incredulos, quod legisse uidetur Valla, quando quidē notat, ego nusq; adhuc scriptum offendi, præterq; in duobus uetustis exemplaribus: denicq; & in Constantiensi.

Ad prudentiam iustorum.) Nescio an Lucas abusus sit præpositione ἐν pro εἰς, quem admodum fecit cap. xxiij. ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. Certe est, In prudentia iustorum. Et tamen altera lectio mollior est. Alioqui sensus esse poterat, adducet eos, non ui, sed prudētia iustorum, Iusti enim non ulciscuntur sed sobrietate persuadent.

Interpres oscitans.

Parare domino.) Recte taxat interpretem Laurentius, quod siue oscitans, siue uarietatem affectans, alterum infinitum uerterit, in modum finitum: alterū ut erat reliquerit, Vt conuertat corda patrum & parare domino: cum eadem opera dicere potuerit, Vt cōuertat & paret. Quod tamen ita crebro facit, ut studio fecisse uideatur. Quod si uerū est, miror cur affectarit, quod erat fugiendum. Itidem in psalmis: Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. Cum utrobiq; sit ἁρπάσαι. Et aliquanto post, Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui, cū Græce sit ποιῆσαι & μνησθῆναι. Ac rursum, Illuminare his, qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes, cum sit ἐπιφᾶναι & κατευθῦναι, utrūq; uerbum infinitiuum.

Plebem perfectā.) κατεσκευασμένον. Quod magis sonat instructā & adornatam siue apparatā. Quod tardaret ipse in tēplo.) ἐν τῷ χρονίζειν αὐτόν. Ipse nō erat hoc loco reddendum

dũ,si uoluisset Latine loqui,qđ tamẽ aliâs in cõsimili sermonis genere nõ semel ausus est omittere. Et permansit mutus.) Mirum cur Laurentium offendat mutus,quasi κωφὸς tantũ significet surdũ.unde igitur prouerbiũ illud κωφὸν πρόσωπον, id est,Muta persona? Is qui collegit Græcarũ uocũ etymologias,citatis autoribus docet κωφὸν dici Græcis, nõ solũ qui surdus sit,uerũetiam qui mutus,quẽ ἄλαλον uocant,necꝫ quicꝫ interesse,nisi qđ ἄλαλος dicat,qui fari per ætatẽ nõ possit,uelut infantes,κωφὸς,cui nulla sit omnino uox. *κωφὸς Græcis & surdus & mutus.*

Dies officij.) λειτουργείας,id est,Ministerij,quod tñ plerũqꝫ de sacris ministerijs accipit.

Desponsatam uiro.) Desponsam & desponsatam utrũqꝫ reperio apud probos autores,Græce est μεμνηστευμένην, Quod est proprie proco tradere sponsam. Iam enim ut apparet,puella cum sponso habitabat,etiam si coitus non intercesserat.

Quia sic fecit.) ὅτι coniunctio erat omittenda latine uertenti,quod alicubi tamen ausus est. Et respexit auferre.) ἐπεῖδεν ἀφελεῖν, id est,respexit, subaudi me,ut auferret &c. id est, misertus abstulit opprobrium.

Viro cui nomen erat Ioseph,de domo Dauid.) Chrysostomus homilia in Matthæum secunda, indicat hoc loco legi, De domo ac familia, ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς, Sic accipiens quasi domus apppellatio latius pateat,familia pertineat ad pauciores. Quanꝫ nec apud Ambrosium ita legimus,nec in antiquissimis exemplaribus. Verum familiæ nomen additur proximo capite: Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæã ciuitatem Dauid,quæ uocatur Bethlehem,eo quod esset de domo & familia Dauid, Cõsentientibus nostris exemplaribus cũ Græcis. Proinde fieri potest,ut Chrysostomus memoria lapsus sit,præsertim cum locum hũc secus adducat,quàm habeatur apud Lucam: Adducit enim hunc in modum,Audi ad Gabriel loquentem dominum: Vade ad uirginẽ desponsatam uiro,cui nomen Ioseph,ex familia & domo Dauid. Licet Chrysostomus ex altero loco idem poterat conficere,quod conficere uolebat ex hoc. Necꝫ enim hic cõtendit ad uirginem esse referendum quod dicitur,De domo & familia Dauid,sed ad Ioseph, Verũtamen hinc colligi Mariam eiusdẽ fuisse tribus. Quod si utroqꝫ loco legebatur: De domo & familia,mirum cur Chrysostomus non utrũqꝫ adduxerit. *Domus & familia quid differant.*

Et nomen uirginis Maria.) μαρίαμ uoce & accentu Hebræo. Quanꝫ ostẽdimus hoc non obseruari perpetuo: siue id accidit incuria librariorum,siue quod nihil interfit. *Maria & mariam.*

Aue gratia plena.) χαῖρε κεχαριτωμένη. Idem uerbum χαίρω apud Græcos tria significat,gaudere,saluere,& ualere. Vnde nil referebat,salue uertisset an aue. Nec est,

Gratia plena) sed ut ad uerbum reddam Gratificata. Verbo,unde hoc participium deductum est,utitur Paulus in epistola ad Ephesios cap. primo: Gratificauit nos in dilecto filio suo, ἐχαρίτωσεν, hoc est,gratos & charos reddidit. Quanꝫ participio,quod idẽ pollet,Homerus usus est pro unice dilecto, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, id est,Meo dilecte animo. Nam charus esse potest,qui se nobis suis officijs cõmendauit. At κεχαριτωμένος, non dicetur,nisi quẽ gratuito quodam animi fauore cõplectimur. Porrò gratiosi Latinis dicũtur, quibus fauetur, propenso quodam animi studio. Est autem uox uelut amorem alicuius erga uirginẽ nunciantis,eo quod sonat blandum quiddam. Vnde & turbata uirgo cogitabat,qualis esset ea salutatio. Annotauit & Origenes hanc salutandi formam nusqꝫ extare in libris sacris,nec ad uirum ullum,nec ad mulierem. Itaqꝫ nouitas quoqꝫ ipsa stuporẽ auxit uirginis. Ad id facit, quod Græce non est ποῖος, sed ποταπὸς, ut insignem ac mirã accipias salutationẽ. Nam solẽnis Iudæorũ salutatio pacẽ optabat. Cæterum aptissimum erat,ut gaudij uocabulo salutaretur quæ ueræ uoluptatis autorẽ erat conceptura: & gratiæ uocabulo cõpellaretur,quæ Iesum erat paritura,finem ceremoniarũ frigidarũ,& salutaris gratiæ principem autoremꝫ. Video theologos quosdam uiros alioqui doctos ac pios,quorũ est Bernardus,mire philosophatos in his uerbis, Gratia plena, uelut hoc peculiariter cõpetat in Mariã,gratia plenam appellari, Cũ nec hoc loco dixerit Lucas gratia plenã,& is sermo multis promiscue tributus in arcanis literis reperiat. Siquidẽ de Ioanne baptista legimus: Et spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Rursum de Elisabet: Repleta est spiritu sancto. Ac mox Zacharias spiritu sancto repletus legit. Et in actibus apostolicis,spũ sancto repleti legunt qui cõuenerant. Et Stephanus plenus spũ sancto dicit,ac plenus gratia & uirtute. Nec ista cuiꝫ uideri oportet negligẽda. Siquidẽ, *Nouа salutatio.* *Gratioſi.* *Bernardus.* *Gratia plena.* *Repleti*

ut est elegans in huiusmodi minutijs apte philosophari in arcanis literis, ita fœdum extra rem nugari. Proinde ne quis ad eundē impingat lapidem nos uertimus Gratiosa.

Benedicta tu.) εὐλογημένη, Quod sonat laudatam siue præclara fama, de qua omes bene loquantur. Licet autem benedictus ac maledictus pro laudato & illaudato non reperiatur apud Latinos autores, tamen uelimus nolimus ad quædam eiusmodi conniuendum est, receptiora quàm ut citra tumultum mutari possint. Et,

Benedicta laudata.

In mulieribus.) ἐν γυναιξίν, id est, Inter mulieres: quod ipse paulo post ad eum transtulit modum, & ita legit diuus Ambrosius. Quanquàm haud sum nescius In pro inter usurpari, nonnunquam apud Latinos quoq;.

In pro inter.

Quæ cum audisset.) Græci secus habent, ἡ δὲ ἰδοῦσα, id est, At illa cum uidisset. Ita scriptum fuisse in nonnullis uetustis codicibus atteſtatur Valla. In codice Constantiensi rasor nescio quis, ex uidisset fecerat audisset. Et ne quis pergat causari, sic legit diuus Ambrosius. Quanquàm apud hunc non est Turbata in sermone, sed in introitu. Legit em ad hunc modum: Ipsa aũt ut uidit eum, mota est in introitu eius. Et ne quis causetur casu mutatam scripturam subijcit, interpretans quid legerit: Trepidare uirginũ est, & ad omes uiri ingressus pauere, omnes uiri affatus uereri. Nisi forte hic Ambrosius, nonnihil immutauit de suo. Quanquàm his consentanea dicit libro off. 1. cap. decimooctauo. Quod salutata ab angelo tacet & mota est in introitu eius, quod ad uirilis sexus speciem peregrinã turbatur aspectus uirginis. Iam & in catena aurea referuntur uerba Græci nescio cuius, ex quibus satis liquet & ipsum legisse cum uidisset, non quum audisset. Sic habent. Quũ assueta foret his uisionibus, Euangelista non uisioni, sed relationibus turbationem attribuit dicens, Turbata est in sermone eius &c. Et paulo post & cogitabat qualis esset ista salutatio, non conceptio, nam adhuc ignorabat immensitatem mysterij, sed salutatio, nun quid libidinosa, ut à uiro ad uirginem, an diuina, dum dei faceret mentionem dicens, dominus tecũ. Hæc Græcus ille. Quum ego tribus uerbis annotassem, angeli salutationem amatorium quiddã, ac procorũ præ se tulisse, & ob id Mariam principio fuisse turbatam, deum immortalem, quas hic tragœdias excitauit quidam, & alius ab integro renouauit, quum hæc retulerit diuus Thomas in catena sua, nequaquam relaturus si blasphema essent et impia. Ego dixeram amatoriũ quiddã, ac nescio quid procorũ, extenuans utrũq;, hic plus ausus meminit libidinis. Cũ his uero sic concordat Theophylactus, ut ipsius uerba relata uideri queant in catena, cuius uerba subscribã, διελογίζετο δὲ περὶ τοῦ ἀσπασμοῦ ποταπὸς εἴη οὗτος, μὴ ἄρα ἄτοπός τις ἡ πορνικός, ὡς ἐξ ἀνδρὸς πρὸς κόρην, ἢ θεοῦ, ἐπειδὴ ὁ θεὸς μετὰ σώσεως ὁ ἀσπασμός, τὸ ὁ κύριος μετὰ σοῦ, id est, Cogitabat autem de salutatione qualis esset ista, utrum absurda quæpiam ac scortatoria, ueluti à uiro proficiscẽs ad puellam, an diuina, quandoquidem dei mentio salutationi miscetur, in hoc quod ait, dominus tecum. Hæc Theophylactus. Ego procorum memineram tantum, & proci uocabulum nõ minus honestum est, quàm sponsi, & amatorium dixi, quæ uox non est obscœna, sponsus enim sponsæ scribit amatorias literas, & uociferantur rem esse plenam blasphemiæ: hic meminit libidinis & scortationis. Quid cæcius istorũ iudicio? Iam non expendo quale sit hoc quod prior ille Græcus ait, Virginem non turbatam aspectu, sed oratione, eo quod assueuisset angelorũ uisioni, primũ enim nõ constat an uirgo sic assueuerit, ut non turbaretur primo aspectu, & si agnouit angelũ, quid est quod metuit à sermone, aut quur dubitat utrũ salutatio libidinosa sit an ex deo: illud mihi satis est qđ legerit, quũ uidisset. Alioqui friuolũ erat annotare uirginẽ sermone fuisse turbatam, nõ aspectu, nisi aspectus simul & uisionis facta fuisset mentio. Proinde pium arbitror credere uirginem pudicam, initio tum aspectu iuuenis, tum blanda nouaq; salutandi forma fuisse turbatam. Cæterum quod Laurentius subindicat hoc loco nescio quid argutulum: Nolo, inquiens, disputare nũc quare sit melius, Quæ cum uidisset, & quæ cũ audisset, ne de fide scripturæ dubitare uidear, quid sibi uelit, ut ingenue dicam, non satis intelligo. Nam ipse puto Euãgelistam sic esse locutum, ut ostenderet uirginem duplici nomine turbatam fuisse, primũ, quod uideret iuuenem ad se ingredientem, deinde, quod audiret salutationem nouam ac præter solitum blandam. Et quo castior erat uirgo, hoc magis suæ pudicitiæ metuebat, ne quis clamitet indignũ hunc metum tribuere me uirgini, quẽ in illa laudauit Ambrosius.

Qualis

Qualis esset.) Rursus hic est,ut dixi, ποταπὸς, quod in Marco Laurentius transferre uolebat per quantus.Et aptius erat Reperisti,siue nacta es gratiã & Inuenisti,hoc est, obtigit tibi esse gratiosam apud deum.Nam apud Græcos εὕρημα polysemon est. Vnde qui hic philosophantur,nõ inueniri,nisi quod perijt,argute magis & apposite disserunt. *Inuenisti gratiam.*

Et filius altissimi.) ὑψίστου.Quod quidam legit summi. Idem uerbum,quod aliàs uertit In excelsis, ἐν ὑψίστοις,

Dauid patris eius.) Latinius erat patris sui,atq; ita legitur in nonnullis exemplaribus. Et pro,In æternum,est εἰς τοὺς αἰῶνας, id est,In secula.Nam quod πῶς ἔσται, id est, Quomodo erit,uertit,Quomodo fiet, nihil peccauit interpres.

Virum non cognosco.) Cum hic consentiant Latina cum Græcis exemplaribus, mirum est,unde Ambrosius unus legat cognoui nõ cognosco,nisi forte hoc librariorũ errore fuit inductum.Siquidem præsens uerbi tẽpus melius explicat uirginis propositum. *Nõ cognosco.*

Quod nascetur ex te.) τὸ γεννώμενον, id est,Quod natum fuerit.Cæterũ illa duo uerba, ex te,nec in ullis Græcorũ exẽplaribus addita repperi,ne apud Theophylactũ quidẽ,nec in antiquis codicibus Latinis,præterq; in uno in quo,nescio quis, in margine adiecerat. Proinde miror,unde in primam huius operis æditionẽ inuaserint. Est autem absolutior sermo,si non addantur.Apparet adiecta ab explanatore quopiam:tametsi in Aldina æditione comperi addita.

Quoniam non erit impossibile.) ἀδυνατήσει, uerbo composito.Sensus est, nihil à deo promitti tam nouum aut magnum,quod ipse non queat præstare.Atq; hic planè Verbũ posuit pro oratione ῥῆμα. Ac paulo post,Fiat mihi secundũ uerbum tuum, ῥήματός. Nisi forte licet ῥῆμα natiuo significatu usurpare, quo ῥῆσιν uocamus orationem. *Verbum ῥῆμα non λόγον.*

In montana.) εἰς ὀρεινὴν, id est,In montanã,ut subaudias regionem.Eadem uox est aliquanto inferius,Et factus est timor super omnia montana Iudææ, ἐν ὅλῃ τῇ ὀρεινῇ.Quanq; interpres probe reddidit sententiam,ne quis putet illum à me reprehendi.

Salutationẽ Mariæ.) Hic certe Mariã,pnũciauit inflexiõe Græca,nõ Hebraico more.

Exultauit.) ἐσκίρτησεν, id est,Salijt,siue subsultauit,idẽ est paulo post,exultauit in gaudio,Nec est,ἐν χαρᾷ, sed ἐν ἀγαλλιάσει, quod gesticulationem magis sonat lætantis quàm ipsum gaudium. Vnde in psalmis ἀγαλλιασώμεθα uertit exultemus.Et mox,

Exultauit spũs meus.) ἠγαλλίασεν. Quoniã in positũ erat,p per,uertimus præ gaudio.

Et beata quæ credidisti.) Quoniã Græce participium est ἡ πιστεύσασα, poterat & ad secundam personam sermo referri,quemadmodũ fecit interpres.Id erit cõmodius etiam,si αὐτῇ,quod sequitur habeat aspirationem αὑτῇ, ut sit pro ἑαυτῇ. Neq; uero nescio, neq; nõ testor alicubi,hanc differentiam nõ obseruari in sacris libris,incertum qua de causa. Nos itaq; uertimus per tertiam personam,non quod damnemus,id quod uertit interpres, sed quod hic sermo uideatur habere quiddam propheticũ.Certe utraq; persona eundẽ reddit sensum.Et in uetustis aliquot exemplaribus ita scriptum uisitur, Beata quæ credidit, uelut in meo ueteris typographiæ,similiter in Constantiensi.

Quæ dicta sunt tibi à dño.) παρὰ κυρίου. Quod ita sonat,non quasi dñs dixerit, sed quod nomine domini,& illius,ut nos loquimur,uerbis,hæc illi dicta fuerint,quemadmodũ dicimus,Dic illi ex me salutem. Potest & sic ordinari,Perficientur à domino. *A domino, id est nomine domini.*

Et ait Maria.) In homilijs scriptis in Lucam,quas Origenis titulo legimus, indicatum est in nonnullis codicibus fuisse scriptum prophetauit,pro,ait.Et stilus cantici propheticum quiddam sapit.

Magnificat anima mea.) μεγαλύνει. Aptius erat magnifacit,quàm magnificat. Quanq; magnificat positum est pro extollit & effert laudibus,quemadmodum & beatificare dicimus pro beatum prædicare.

Salutari meo.) τῷ σωτῆρί μου, id est,Saluatore meo,siue ut Latini loqui malũt, Seruatore meo.Interpres σωτῆρι legisse uidetur σωτηρίῳ.

Humilitatẽ ancillæ.) ταπείνωσιν. Vt intelligas paruitatem,non animi uirtutem,quã suo uocabulo Græci uocant ταπεινοφροσύνην.Nec est,Respexit humilitatẽ,sed Aspexit ad humilitatem, ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν,ut sit contrarium ei,quod est auersari.Sitq; sensus, *Humilitas ταπείνωσις*

& si sim infima ancilla,tamen nō est auersatus me.Rideat q uolet has grāmatistārū annotatiōes,modo fateat̃ terq; quaterq; theologos in his labi. Tolerabile si tantū laberent̃,nisi lapsui iungerēt impudentiā calumniādi.Etenim quū hæc æditio quā quartā damus adornaret̃, Theologus quidā Parisiēsis q sibi uidet̃ pcipuus Atlas nutantis ecclesiæ,ex hoc loco,pbat Mariā uirtute hūilitatis,pmeruisse,ut fieret dei mater,Luteranismū impingēs, quod exponens angeli sermonem,inuenisti gratiā,& κεχαριτωμένη, scripserim,nō est meriti tui,sed fauoris diuini. Certe quatenus erat gratiæ,nō erat meriti. Aliquousq; fuisse meriti non sum inficiatus. Verum quod in Euāgelio scriptū repperi,ut paraphrastes sum interpretatus,quod non repperi non habebam necesse attingere. Verum ut demus ταπείνωσιν accipi pro uirtute,quæ Græcis ταπεινοφροσύνη, Latinis modestia dicitur,ut demus esse uerum,Mariam animi modestia promeruisse tantam felicitatem,qui conuenit ut Maria, quæ se ancillam professa,cœperit magnificare dominum, mox extollat seipsam, dicens quod uirtute sua promeruerit tantam dignitatem,ut deum uirgo pareret. Igitur ex hoc loco probari non poterat uirginem modestia uirtute promeruisse quod accepit. Si promeruit,ubi est gratia quam prædicat angelus? Si uirtute sua promeruit, quomodo cohæret,Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Nullus enim felix dicitur, ob hæc quæ sua uirtute sibi parauit. Deinde qui congruit, Quia fecit mihi magna,Non dixit,remunerauit me magnifice,Nec addit,quia iustus est,sed quia potens est & misericors. Sequitur enim,& misericordia eius à progenie in progeniem. Non hæc eò spectant ut uirgini sanctissimæ detrahamus meritum,sed ut arguamus hæc quæ Theologus Atlanticus adduxit aduersus meam interpretationē,magis aduersari sententiæ quam conatur defendere. Iam uero non me fallit esse qui occasione huius uocis, humilitatem,multa prædicent de modestia,præsertim is qui falso Origenis titulo scripsit homilias in Lucam. Verū huius autoritate quē nemo nouit,nō patiar me premi,nisi si quis oīa ,pbarit quæ in illis habentur. Habentur autem permulta,quæ damnantur à Theologis. Quod si permittunt sibi,ut ab hoc opere in multis dissentiant,æquum est ut mihi dent ueniam si uno in loco sequi malo sententiam aliorum,quæ mihi uidetur probabilior. Ne persequar autem omnes omnium opiniones,unum duntaxat adducam Theophylactum cuius uerba referuntur in catena Thomæ,sed truncatim. Sic autem ille scripsit Græce, παρθένος τὸ πλήρωμα πληροφορηθεῖσα, δοξολογεῖ τὸν θεὸν, ἐκείνῳ ἐπιγράφουσα τὸ θαῦμα, οὐχ ἑαυτῇ. ἐκεῖνος γάρ φησιν, ἐπέβλεψεν ἐπ' ἐμὲ τὴν ταπείνωσιν, οὐκ ἐγὼ πρὸς ἐκεῖνον ἀνέβλεψα, ἐκεῖνός με ἐλέησεν, οὐκ ἐγὼ αὐτὸν ἐζήτησα. καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί, οὐ μόνη δὲ ἐλισάβετ, ἀλλὰ καὶ τῶν πιστευσάντων γενεαί. διὰ τί δὲ μακαριοῦσί με; ἆρα διὰ τὴν ἐμὴν ἀρετήν; οὐχί. ἀλλ' ὅτι ἐποίησε μετ' ἐμοῦ μεγαλεῖα ὁ δυνατός. δυνατὸν δὲ ὠνόμασεν αὐτὸν, ἵνα μηδεὶς ἀπιστήσῃ τοῖς λεγομένοις, λογισάμενος, ὅτι δυνατός ὢν ταῦτα ποιεῖ ὁ κύριος. ἅγιον δὲ εἶπε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, δηλοῦσα ὅτι οὐδὲ μολύνεται γυναικὸς μήτρα συλλαμβανόμενος ὁ καθαρώτατος, ἀλλ' ἅγιος μένει. οὐκ εἰς ἐμὲ δὲ μόνον τὸ ἔλεος αὐτοῦ, ἀλλ' εἰς πάντας τοὺς φοβουμένους αὐτόν. Quæ nec interpretari grauabimur ob Græci sermonis ignaros. Virgo, inquit, plenius edocta glorificat deum, illi miraculum asscribens,non sibi ipsi. Ille enim,inquit,respexit ad me humilem,non ego ad illum suspexi,Ille mei misertus est,non ego illū quæsiui. Et ex hoc tēpore beatā me dicent oīes generationes,non sola uero Elisabet, sed & omnes credentium generationes. Sed quam ob causam beatam me dicent? Num propter meam uirtutem? Nequaquam, sed quia fecit mecum magnifica is qui potens est. Nam potētem eum appellauit,ne quis nō habeat fidem ijs quæ narrantur,nimirum reputans quod dominus potest hæc facere. Porrò sanctum dixit nomen eius,declarans quod nec utero muliebri conceptus polluitur ille purissimus,sed sanctus manet. Cæterum non in me solam illius misericordia,sed in omnes qui timent ipsum. Hæc tam multa inter se congruentia satis declarant Mariam non prædicare suam modestiam,qua promeruerit fieri mater dei,sed dei gratiam ac misericordiam erga ipsam,& erga omnes extollere. Quanto melius ageretur cum re Theologica, si qui Theologiam absolutam profitentur à linguacibus & grammatistis comiter acciperent, quod illi pro sua qualicunq; portione conferunt in medium,& illis uicissim,illa sublimiora mysteria fraterne communicarent,hoc maiore modestia,quo penitius ingressi sunt,in

eius

eius philosophiæ penetralia, quæ dedocet fastum omnem ac supercilium, docétque summam tolerantiam erga imbecilles.

Ex hoc.) ἀπὸ τοῦνῦν, id est, Post hac, siue ad uerbum, Ex hoc nunc, quod tamen aliquoties non dubitat ita uertere. Neq; tamẽ parum Latine uertit interpres, si modo latine scripsit Suetonius in Claudio Cæsare. Atq; ex eo nunquam non in senatu nouissimus consularium sententiam dixit.

Beatam me dicent.) μακαριοῦσῖ, id est, Beatificabunt, quod tamen apud Græcos significat felicem iudicare, sicut & magnificare laudibus tollere. Quemadmodum & εὐδαιμονίζειν, pro fortunatum dicere, siue felicem iudicare.

Magna qui potens est.) μεγαλεῖα, Quod aliâs uertit magnalia. Et,

Qui potens est.) ὁ δυνατὸς, id est, Ille potens, siue qui potest.

Et sanctum nomen eius.) Beda hanc particulam refert ad proxima, qui potẽs est, exponens quid Græce sonet ἅγιον, quasi ἄγεως, id est, procul à terra, ut intelligas diuinam uirtutem, quum Græci putent ἅγιον dici, ab ἄζομαι τὸ σέβομαι, id est, uereor religiose, quasi dicas ἄζιον. Mihi magis referendum uidetur ad superiora. Et misericordia eius. Sanctũ enim dixit glorioſum. Tum enim glorificatur nomen dei, quum nihil nostris meritis, sed totum tribuitur illius misericordiæ.

A progenie in progeniem.) εἰς γενεὰν καὶ γενεὰν, id est, In generationem & generationem. Laurentius legit in suis exemplaribus, εἰς γενεὰς γενεῶν, id est, In generationes generationum. Vt intelligas ætates innumerabiles. Atque ita sanè legit quisquis fuit autor homiliarum in Lucam, quas Origenis titulo legimus, homilia octaua. Et ipse in uno duntaxat ita scriptum reperi. Ostendit idem in nostris quoq; exemplaribus, uariam fuisse scripturam. In duobus omnium uetustissimis scriptum erat, In progenies & progenies, quod perinde ualet ac si dicas, in progenies innumeras, Hebræorum more.

Fecit potentiam.) κράτος, robur siue imperium. Nam utrũq; significat κράτος. Et In brachio, pro eo, quod est Per brachium Hebræorum more dixit.

Cordis sui.) καρδίας αὐτῶν. Græca uox indicat sui non esse referendum ad deum, sed ad superbos. Nec est Mente proprie, sed διανοίᾳ cogitatione, ut intelligas superbos suis ipsorum consilijs dispergi. *Cordis sui.*

Deposuit potentes.) καθεῖλεν δυνάστας, id est, Detraxit primores, siue magistratus. Nam δυνάστης proprie, qui potestate fungitur publica in ciuitate, uelut hi, qui sunt in imperio. Neq; est De sede, sed ἀπὸ θρόνων, id est, A sedibus.

Dimisit.) Non est hic, permisit, sed emisit à se ἐξαπέστειλε, ueluti frustratos. Cæterũ participia Græca commodius uertisset per uerba, Eos qui esuriebant impleuit bonis, & eos qui diuites erant dimisit inanes siue uacuos.

Suscepit Israël.) ἀντιλάβετο, Quod proprie est succurrentis, ac manum porrigentis.

Memorare.) μνησθῆναι, id est, Vt memor esset. Primum abusus est modo uerbi interpres. Deinde haud scio an usquàm legatur memorari pro recordari. At chorus Ecclesiasticus hodie canit: Recordatus misericordiæ suæ. Nec Suæ additur apud Græcos, sed tantum est misericordiæ, licet reclamantibus cunctis Latinis, quæ sanè uiderim, exemplaribus. *Memorare & meminisse.*

Sicut locutus est.) ἐλάλησεν. Quoniam uerbum est præteriti temporis, sed indefiniti, rectius hic uertisset, Sicut locutus fuerat. Est enim gemini præteriti temporis significatio.

Abraham & semini.) Abrahã tametsi est indeclinabile, tamẽ articulus appositus indicat esse datiui casus, τῷ ἀβραάμ, hoc est, Ipsi Abraham, ut dilucide loquar potius quàm Latine. Nimirum Abrahamo & latinum erat & ambiguo uacat. Cæterũ quod Laurentius disputat, dicẽdũ potius, Apud patres nostros, cũ ad patres nostros, somniũ est. An sic deus locutus est apud patres Iudæorũ, ut nos loquimur apud iudicẽ aut principẽ? Quod si alicubi πρὸς sonat apud, ut illic, Verbũ erat apud deũ, nõ statim oportet ubiq; idem exigere. Imò quemadmodum Latine dicimus: Scribo tibi & scribo ad te: Mitto tibi, & mitto ad te: Loquor tibi, & loquor ad te, itidẽ & Græci. Proinde quoniã utroq; modo licuit dicere, Lucas uariauit sermonis figuram. Sentit autem Maria hoc deum præstitisse iam hu- *Valla taxatus.*

mano generi quod olim maioribus fuerat pollicitus. Quibus autem maioribus? Nempe Abrahã ad quẽ loquitur deus, Et in semine tuo benedicent omnes gentes. Deinde semini, id est, posteris huius, nempe Dauid, cui promissum est, De fructu tuo ponam super sedem tuam. Et hunc locum monachi quidam impudentissime calumniati fuerant apud Cardinalem Sedunensem, cui persuaserant, me pro semini, mutasse seminibus, idq; uolebant hæresim sapere, quod pugnaret cum uerbis Pauli, qui scripsit, Nõ in seminibus, quasi multis, sed in uno semine, quod est Iesus Christus. Ac super hac re me sero uir ille admonuit, cum à prandio literatis fabulis tempus falleremus, sollicitus de meo periculo, & suo erga me studio. Qua calumnia nihil unq; audiui impudentius. Nec eram cuiq; crediturus, nisi post, sexcentas comperissem his non dissimiles. Quibus rebus adeo proficiunt, ut non pro theologis, sed pro scurris habeantur apud cordatos, ac ne tum quidẽ illis habeatur fides cum uera prædicant. Primum impudens mendacium erat me mutasse, quod nõ mutaram. Deinde si Græci legerent seminibus, nihil facerent aduersus modo citata uerba Pauli. Cum Paulus illic agat de Christo, per quem unum nobis erat promissa salus Euangelica, hic Maria non loquatur de Christo, sed de Abraham, & posteris Abrahæ, quibus promissus erat seruator Iesus. Hoc tametsi non erat huius instituti, tamen obiter indicare uolui, ut posteritas norit, quas beluas habuerit hoc seculum: qui cum uentri suo seruiant, tam stolidis sycophantijs obstrepunt alienæ industriæ. Et hi falsa opinione doctrinæ falsaq; specie sanctimoniæ, quas res titulis tragicoq; cultu, sibi comparant apud simplices & imperitos, habentur bases, & columnæ ecclesiæ Catholicæ, cum illius uomicæ sint uerius, quàm membra.

In secula.) εἰς τὸν αἰῶνα, id est, In æuum. Quanquàm apud quosdam lego ἕως αἰῶνος, id est, Vsque in æuum.

Quasi mensibus.) ὡσεὶ, id est, Ferè siue circiter, aut plus minus.

Et congratulabantur.) συνέχαιρον, id est, ut ad uerbum reddam, Cõgaudebant, quod Latini ferè dicunt gratulari. Quanquàm congaudere potest qui non gratuletur, cum illud sit animi, hoc uoce testantis gaudium.

Venerunt circũcidere.) Sunt qui hoc putent & ad Mariam pertinere, quæ interfuerit circũcisioni Ioãnis, & per tropum excusant quod ante dicta sit reuersa in domum suam. Verũ hæc quid ad rem pertineant non uideo, nõ hercle magis q; quod Ioannes Gerson torquet sese quot annos natus Ioseph duxerit Mariam, & quo tẽpore facta sit celebritas nuptiarum, quam Gerson factam existimat posteaquam deprehenderat uxorem grauidam, huc enim torquet illud, priusquam conuenirent, quasi conuenirent hic aliud sonet quàm coirent, item illud, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, præter omnium ueterum interpretationẽ, & an idem fuerit angelus qui apparuit Mariæ, & qui Ioseph.

Quia nemo est.) ὅτι prorsus hic erat omittendum, cum sermo Latinus huiusmodi genus orationis respuat.

Quẽ uellet uocari.) τί ἂν θέλοι καλεῖσθαι, id est, Quid uellet uocari, hoc est, quo noĩe.

Et postulans pugillarem.) Quomodo scripsit in pugillaribus, postulans ut adferrẽtur? Proinde Græcum participium præteriti temporis, ita uertendum erat, Et postulata tabella. Sentit enim tabellam ceratam, quam πινακίδιον uocat, in his enim olim scribebatur.

Scripsit dicens.) Si dixit quid opus erat scribere? Vnde dicens, hoc loco referendum est, non ad Zachariam loquentem, sed scripturam loquentem. Aut, ut dicam apertius, ad Zachariam non lingua, sed scripto loquentem. Nam mox subditur apertam fuisse linguam illius & cœpisse loqui.

Quis putas.) τίς ἄρα, id est, Quis nam. Nam ἄρα coniunctio est expletiua. Plericq; codices habebant, τί ἄρα, id est, quid nam. Nam puer Græcis neutri generis est παιδίον. Certe quid legit Augustinus lib. de consen. Euang. secundo.

Plebis suæ.) τῷ λαῷ αὐτοῦ, id est, Populo suo, cõsentientibus & uetustis Latinorũ exẽplaribus, in quibus est plebi suæ. Laurentius Latinitatis obseruãtissimus mauult Populo q; plebi, quod populus uniuersos ciuitatis ordines cõplectatur, plebs infima pars sit.

Prophetarũ eius,) Suorũ erat dicendũ Latine, &, q à seculo fuerunt potius q; sunt.

Salutem

Salutem ex inimicis.) σωτηρίαμ. Quod magis ſonat ſeruationem ſiue incolumitatem. Σωτὴρ enim ſeruator ſiue ſoſpitator, inde σωτηρία. Quanquam ſuperius idē uerbū fuit, Erexit cornu ſalutis, & paulo poſt, Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius. Porrò uerſus alíquot ſequentes pendent ab eo, quod præceſſit, Sicut locutus eſt. Quid locutus eſt? Salutem ab inimicis locutus eſt, quod faceret miſericordiam, ac memor eſſet teſtamenti: loquutus eſt, quod præſtaret iuſiurandum: & loquutus eſt, fore ut daret nobis ut ſine timore &c. Proinde nos hæc liberius explanauimus interpretatione, ne quis calumnietur, ſi quid prima fronte diſſonat. Σωτὴρ σωτηρία

Ad faciendam &c. memorari.) Vtrunq; Græcis eſt uerbum infinitum, ποιῆσαι μνησθῆναι, id eſt, Vt faceret & memor eſſet.

Daturum ſe.) δοῦναι ἡμῖν, id eſt, Dare nobis. Quanquam Græca uerba nonnihil aliud ſignificant, quàm nos accipimus, τοῦ δοῦναι ἡμῖν ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ, id eſt, Vt daret nobis abſq; metu de manibus inimicorum noſtrorum liberatos ſeruire ſibi.

Parare uias eius.) ἑτοιμάσαι, ideſt, Ad parandum.

Ad dandam ſcientiam ſalutis.) Cum mox reliquerit infinitum ἑτοιμάσαι, nunc uertit in gerundium τοῦ δοῦναι, ad dandum. Atq; hæc ad puerum quoq;, quem alloquitur, probe referri poſſunt: Præibis enim ante faciem domini, ut pares uias illius, & des cognitionem ſalutis populo illius, in remiſſionē peccatorū. Ioannis em̄ prædicatio fecit, ut intelligerent inſtare ſalutem, quæ contingeret in remiſſione, hoc eſt, per remiſſionem peccatorum. Neq; enim eſt in remiſſionem Græcis, ſed ᾧ ἀφέσῃ. Non quod ipſe Ioannes remiſerit peccata, ſed quod ſuo baptiſmo præparauerit illos ad pœnitentiam. Alioqui remiſſionem peccatorum non fuiſſe ex Ioanne, palàm arguit quod mox ſequitur, Per uiſcera miſericordiæ. Certe de Ioanne interpretatē Theophylactus & Ambroſius cæteriq;, quod ad priorem partem attinet. *In remiſſione p per remiſſionem.*

In remiſſionem peccatorum.) Ita & Græce legitur, & in uetuſtis Latinorum exēplaribus. Cæterum quando ad ſenſum nihil intererat, ad effugiendum τὸ δύφθεγκτον maluimus Eius aut ipſius. In quibus dictum eſt, pro per quæ uiſcera miſericordiæ.

Oriens.) Non eſt hic participium, ſed nomen ſubſtantiuum ἀνατολή. Quæ uox ſignificat exortum ſolis aut regionem, unde oritur. Chriſtum igitur ipſum, ſolem uocat orientem. Quod diligenter annotauit Theophylactus. Addit ἐξ ὕψους, id eſt, ex altitudine ſiue ſublimitate, ad differentiam corporei ſolis qui nobis oritur ab inferis ſurgēs in altum, hic ſol contra è ſublimi exortus deſcendit ad nos, ut nobis illuceſceret. *Oriens ἀνατολή.*

Illuminare.) ἐπιφᾶναι, id eſt, Illuce, ſiue illuceſce, ſiue exorere. Quanquam magis placet, ut ſit infinitum uerbum, quod tamen in alium modum erat uertendum: Viſitauit nos oriens ex alto, ut illuceſceret his qui in tenebris & umbra mortis ſedebant, ſiue nobis qui ſedebamus, & dirigeret pedes noſtros. Alioqui mutāda erat perſona, quum hactenus ſermo ad Ioannem habitus ſit. Theophylactus nobiſcum facit, & coniunctim legit.

Et confortabatur.) ἐκραταιοῦτο, hoc eſt, Fiebat robuſtus ac ualidus, non corpore tantū, ſicut uulgus, ſed ſpiritu. Nam ætas corpori robur ac uires paulatim addit, quod hic tranſtulit ad animum. Nec eſt ſimpliciter Creſcebat, ſed ηὔξανεν, id quod peculiare eſt plantis & animantibus. Cæterum hic accōmodatius dixiſſet, adoleſcebat.

Oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.) ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ. Quorum uerborum hic ſenſus eſt, Donec denuo proferretur & oſtenderetur apud populum Iſraël, qualis eſſet. Nam interea ueluti latebat, ſuo tempore proditurus.

EX CAPITE SECVNDO.

Dictum.) δόγμα, id eſt, Decretū, quod tamen recte mutauit interpres. Nos decretum uertimus, non corrigentes quod ille uertit ſed explanantes.

Cyrino) κυρηνίου, id eſt, Cyrenio. Tametſi ſunt qui putent hanc uocē corrupte prolatam ab Euangeliſta, quomodo ſæpe Græci pronunciant Latinas, & p Quirino dictū κυρίνιον: præſertim cū Ioſephus antiqtatū Iudaicarū lib. xvij. Cyrinum *Cyrenius.*

num appellet hunc censui faciendo præfectum,non Cyrenium.Cui sententiæ ut non est consilium admodum repugnare,ita libentius accederem,nisi Euangelista pro ῑ posuisset ϰ,& rursum ος uertisset in ῖος.Præterea si Ruffinus uertisset Quirinus non Cyrinus.Nec est A præside,sed ἡγεμονεύοντος, id est, Præsidē agente,siue præside.Porrò prima referri potest ad præsidem Cyreniū, ut nō accipias simpliciter primā,sed primā sub illo indictā.

Prima sub hoc.

Vt profiterentur.) ἀπογράφεσθαι. Idem uerbum quod hactenus uertit describeretur. Cæterum eadem res,cum agitur in re militari,uocatur dare nomen,cum in æstimādis facultatibus & expendendo numero capitum,appellatur census. Sic enim Vlpianus, uitia priorum censuum,æditis nouis professionibus euanescunt.Proinde magistratus censet, populus profitetur.Et superius Latinius uertisset censeretur quàm describeretur.Et professio rectius quàm descriptio.Declarat & Ambrosius hoc loco nihil aliud esse professionem quàm censum.Professio,inquiens,ista fidei,census animorum est.Porrò quod dixit, Vniuersus orbis,Ambrosius ad allegoriam trahere mauult,cum Augustus id temporis, nec Armenijs,nec Gottis imperarit. Verum ut historiæ quoq; sua constet fides,totus orbis aut accipiendus est per synecdochen,ut intelligas maximam orbis partem, aut ut intelligas totum orbem Rhomanum.Ex hoc enim loco colligunt nonnulli ad imperatorē totius orbis imperium pertinere,cum nec hoc agat Lucas, nec Augustus ipse totius orbis imperium tenuerit.Quanquàm ut nō improbarim,si quis unus totius orbis imperio potiatur,modo is quantum præemineret autoritate,tantum & præstaret prudētia simul & integritate:Ita stultissimū arbitror id somniare,quod nec fuerit unquam,& hoc ipsum quod fuit,iam olim è uita hominum sublatum sit:crudelissimum autem huiusmodi factitios titulos,tanto rerum omnium tumultu,tantaq; sanguinis iactura persequi.Postremo neutiq; tutum rebus humanis,tantam potestatem unius hominis libidini cōmittere, quiuir pessimus, atq; etiam stultissimus possit obtingere. Neq; uideo quorsum hoc sit euasurum,nisi ut crescat tyrannis miseræ plebi.

Nullus imperator tenuit totū orbē.

An expediat uni cōmitti omnia qui possit esse malus

In suam ciuitatem.) Hic licebat uertere,In sua ciuitate,hoc est in sua quisq; ciuitate, nisi referas ad ibant.

In Iudæam ciuitatem.) εἰς πόλιν Ἰουδαίαν, εἰς πόλιν Δαβίδ, In Iudæam in ciuitatem Dauid. Deest in præpositio in ciuitatem.Prius enim posuit nomē regionis,deinde ciuitatis.

Et familia.) καὶ πατριᾶς. Idem uerbum,quod in Paulinis epistolis uertit paternitas, Ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur,sed hac de re proximo capite nonnihil annotabimus.

Vxore prægnante.) Ita uertit interpres,ut Ioseph uideatur duxisse Mariam uxorem iam tunc prægnantem ante coniugium initum,cum Græce sit οὔσῃ ἐγκύῳ, id est, Quæ erat grauida,siue quæ ferebat uterum. Ordo sermonis nonnihil habet amphibologiæ, quod ordinari possit hunc in modum.Ascendit Ioseph,cū uxore prægnante, aut,Ascendit ut profiteretur cum uxore prægnāte.Id tamen ante nos annotauit Petrus Comestor, ne quem omnino sua laude fraudemus.

Petrus Comestor.

Primogenitum.) πρωτότοκον,etiam ethnicis primogenitus dicitur,ante quem nemo natus est,etiam si nemo sequatur:addidit autē primogeniti nomē quod is partus sacer esset iuxta legem,& primi partus in alijs sunt difficiliores.

Et pannis.) ἐσπαργάνωσεν. Ad uerbum sonat infasciauit, id est,fascijs inuoluit,ne quis imaginetur laceros pannos.Opinor enim Mariæ paupertatē fuisse mūdam. Porrò quod Suidas ait, σπάργανα proprie dici τὰ ῥάκη, non est necesse,ut de uetustate laceris pannis intelligamus,cum apud Matthæum ῥάκος ἄγναφον dicatur rudis ac recens pannus.

Non erat ei locus.) Eis est Græce αὐτοῖς. Vt accipias de ambobus.Cæterū qui cōuenit nō fuisse locū in diuersorio,cū præsepe pars,opinor,fuerit diuersorij:nisi qd alibi κατάλυμα uertit refectionē,& cœnaculū.Nō erat locus aptus parturienti,quæ solitudinē regrit.

Vigilantes.) ἀγραυλοῦντες, id est,In agris agentes,siue stabulantes.Nam hinc Græcis est composita dictio, ἀγρὸς ager, αὐλὴ stabulum.In septis enim noctu seruantur greges, ob incursum luporum,uerum ea septa in agris sunt.

Vigilantes ἀγραυλοῦντες.

Et custodientes uigilias.) φυλάσσοντες φυλακάς, id est, Custodientes custodias, siue excubantes excubias.

Et clari/

. Et claritas.) καὶ δόξα, id est, Gloria, quod aliquoties uertit maiestatem.

. Stetit iuxta illos.) ἐπέστη αὐτοῖς. Magis significat angelum imminuisse ex alto supra illos, quàm astitisse. Hoc admonuisse contenti reliquimus quod uertit interpres, propterea quod Græca præpositio sit anceps. Et fieri potuit, ut astiterit qui nunciauit primus.

. Inuolutum pannis.) ἐσπαργανωμένον. Participium est eius uerbi, de quo paulo ante diximus, id est, fascijs puerilibus inuolutum, ne rursum mendicorum pannos imaginemur. Nam ut parentibus Iesu tenuitatem ac paupertatẽ libenter tribuimus, ita sordes ac mendicitatem procul amouemus. Habet & paupertas suam mundiciem. Nam quo minus in conclaui pepererit Maria, non paupertas obstitit, sed diuersantium turba. Alioqui si Christo tantopere placuisset mendicitas, ut quidam putant, in ptochodochio nasci poterat. Nunc mendicantium uocabulo sese uenditant, & ij qui Satraparũ opes domi possident. Nec insector quorundam institutum, qui uere mendicato uiuunt, sed rectius opinor facturos, si qui ualent, ut ualent permulti, manibus pararent, unde tum sibi, tum alijs egenis possent suppeditare.

Christus pauper, at nõ mendicus, ut uulgo sunt.

Ociosa mendicitas improbãda.

. Hominibus bonæ uoluntatis.) καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, id est, Et in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Vt intelligas tria distributa, ac singula singulis reddita, gloriam uni deo tribuit, idq; in altissimis: terræ pacem: hominibus bonam uoluntatem εὐδοκίαν, quod aliàs uertit beneplacitum. Siquidem homines ueluti tertios ac medios inter cœlum & terram ponit. Neque uero sic accipiendum, opinor, ut ipsis hominibus sit bona uoluntas, sed ut intelligant hanc gloriam, hanc pacem, non ex hominum meritis exhibitam mundo, sed duntaxat ex beneplacito dei, cui sic uisum fuit hominibus gratificari. Atque ita sanè interpretatur Chrysostomus in cõmentarijs, quos scripsit in epistolam ad Colossenses. Porrò cum ita constanter habeatur in omnibus Græcis exemplaribus, & ad eum modum Chrysostomus exponat & Theophylactus, mirum est nusquam hanc lectionem, nec apud Hieronymum deprehendi, nec apud Ambrosium, nec apud Augustinum. Theophylactum inspicere cuiuis promptum est, qui planè legit ἐν ἀνθρώποις, distinguens hanc particulam à superiore, εὐδοκίαν in hominibus, interpretans, requiem ac refocillationẽ dei in hominibus, quã in illis prius nõ inuenerat, ut ex eo palàm sit bonã uoluntatẽ nõ pertinere ad hoïes, sed ad deũ, qui ppicius factus sit hominibus p filiũ suũ. Cuius uerba subscribam, eo quod is qui nuper uertit subobscure uidet reddidisse sententiam. δόξα γὰρ τῷ θεῷ φασίν. ἐπὶ γῆς γὰρ εἰρήνη νῦν γέγονε. πρώην μὲ γὰρ ἡ ἀνθρωπίνη φύσις ἔχθραν εἶχε πρὸς θεὸν, νυνὶ δὲ τοσοῦτον κατηλλάγη, ὥσε καὶ προσεταλάκη τῷ θεῷ ὁ ἡνώθη αὐτῷ σαρκωθέντι. ὁρᾷς οὖν εἰρήνην τὸν θεὸν πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἄλλως δὲ νοηθήσεται. εἰρήνη ἐστὶν αὐτὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Ἐγὼ γάρ φησιν ἡ εἰρήνη. αὕτη οὖν ἡ εἰρήνη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐπὶ γῆς γέγονε. καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις εὐδοκία, τοῦτ' ἔστιν ἐπανάπαυσις τοῦ θεοῦ. ἐπανεπαύθη γὰρ ὁ θεὸς νῦν, καὶ εὐκηγετήθη ἐν τοῖς ἀνθρώποις ὡς πρώην γε οὐκ ἠυδόκει οὐδὲ ἠρέσκετο ἐν τοῖς ἀνθρώποις, id est, Gloria enim deo, inquiunt, Nam in terra pax nunc facta est. Prius siquidem humana natura inimicitiam habebat ad uersus deum, nũc uero adeo reconciliata est, ut & conglutinata sit deo, & unita illi incarnato. Vides igitur pacem dei cum homine. Potest & aliter intelligi. Pax est ipse filius dei. Ego enim, inquit, sum pax. Hæc igitur pax, nempe filius dei, in terra facta est. Et in hominibus bona uoluntas, seu beneplacitum, hoc est, refocillatio dei. Refocillatus est em̃ deus nunc & bene habitus est in hominibus, quemadmodum prius quidem, non sibi complacuit, nec bonum affectũ habuit in hominibus. Hic certe pro nobis in hoc facit, quod bonam uoluntatem refert non ad homines, sed ad deum, quodq; pacẽ refert ad dei erga nos bonam uoluntatem, hoc est, animum tranquillum, ut ita loquar, ac posita ira, amanter affectum erga nos, undecunq; irrepsit huc coniunctio, quæ sensui obstat, nec est in Latinis codicibus, nec in Græcis emendatioribus. Cæterum Chrysostomus in epistolam ad Colossenses, his uerbis utit: διὰ τοῦτο εὐχαριστοῦντες λέγομεν, δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Ἰδοὺ φησὶ καὶ ἄνθρωποι ἐφάνησαν εὐαρεστοῦντες. λοιπὸν, τί ἐστιν, εὐδοκία; καταλλαγή. οὐκ ἔτι μέσοιχόν ἐστιν, ὁ οὐρανός, id est, Propterea gratias agentes dicimus: Gloria in altissimis deo, & in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Ecce, inquit, & homines declarati sunt gratiosi. Supereſt quid sit bona uoluntas, reconciliatio. Iam non amplius interstitium est cœlum. Ex his palàm est illum & distinguere, quemadmodum distin-

Εὐδοκία

Nota

Diuersa à ueteribus recentium Græcorum lectio.

Theophylacti lectio

pax in terra

voluntas bona

Chrysostomus

dum distinguunt Græci codices, & interpretari quemadmodum nos admonuimus. Quod enim deo reconciliati sumus, id non contigit ex nostris meritis, sed illius gratuita in nos beneuolentia. Quin & in his libris quos habemus ex Chrysostomo uersos, reperitur hæc lectio, nominatim in homilijs De uita monachorum. In nonnullis Græcorum codicibus reperio præpositionem ἐν non addi, Hominibus bona uoluntas, manente tamen recto casu. Iam ex Origenis uerbis quæ referuntur in catena aurea colligi potest illũ sentire nobiscũ, sunt aũt hæc. Sed diligens lector inquirat quomodo saluator dicat, Nõ uenì pacẽ mittere super terram, & nunc angeli de eius natiuitate cantant: In terra pax hominibus, sed hoc qđ pax esse dicitur in hominibus bonæ uoluntatis soluit quæstionẽ. Pax em̃ quam non dat dñs super terram, non est pax bonæ uoluntatis. Hic perspicuum est bonã uoluntatem non referri ad homines, sed ad pacem: præterea non additur coniunctio, &, & additur præpositio in, quæ in uulgatis Latinorum codicibus nõ additur. Nam codex quem nobis postremum exhibuit collegium Constantiense, habebat præpositionem uetusta manu asscriptam. Ad hanc sententiam penè compellit nos ipsa dictio Græca εὐδοκία. Nam si dixisset ἀγαθὸν θέλημα, quadrare poterat in hominem, nũc non item, nec em̃ apte dixeris εὐδοκίαν hominis erga deum. Quare puto ueteres qui Græce sciebant idem sensisse quod interpretati sunt. Alios minus attentos quid fefellerit uideor mihi deprehẽdisse. Pacẽ hic uocat reconciliationem. Ita Christus apud Paulum dicitur pax nostra, hoc est recõciliatio, & idem suis precatur pacem, hoc est peccatorum remissionem. Cæterum nominatiuus hic εὐδοκία per appositionẽ refertur ad pax, perinde quasi percontãti, unde ista pax quam nunciatis, respõdeant angeli, nõ est ex meritis uestris, sed hæc pax est pius affectus dei erga homines. Sic enim ordinandus est sermo: in terris pax, quæ est bona uoluntas dei in hominibus, id est, erga homines. Nam hæc sermonis forma congruit cũ illa, in quo mihi complacuit, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Quemadmodum enim illic dictum est, in quo mihi complacui, pro eo quod erat, erga quẽ habeo bonum affectum, ita hic dicitur beneplacitum in hominibus, pro bono affectu erga homines. Porrò Latinus interpres nominatiuũ appositiuũ uertit in genitiuũ, quemadmodũ dicimus urbem Romæ pro urbe Roma. Quoniam autem genitiuus referri uidetur ad id, quod est proximum, uidelicet hominibus, data est Latinis lapsus occasio, quum referatur ad pacẽ. Itaq; tres particulæ ad idẽ pertinent. Angeli nunciant adesse tempus, quo deus constituerat ex sua misericordia gratuita seruare genus hominum, pro qua bonitate admirabili stupescunt angeli, & canunt gloriam deo in altissimis, ubi nullum erat peccatum, & ob id nulla reconciliatio, sed pacẽ annunciant terris, hoc est abolitionem peccatorum quæ gratis datur per fidem, & ob id hanc pacem uocat εὐδοκίαν, hoc est, amicum ac beneuolum affectum dei erga homines. Itaq; nullus erit scrupulus si legamus ac distinguamus hunc in modum. Gloria in excelsis deo, & hic interposito pũcto, sequatur, & in terra pax. Rursus interiecta hypostigme, addatur, in hominibus bona uoluntas. Hæc opinor candido lectori fore satis. Nam arbitror me quod uerum est deprehendisse. Canticum angelorũ quod hodie canitur in templis, auctum est per Telesphorum eius nominis primum, hoc eò partim admonui, quod Petrus comestor indicarit esse in uitis pontificum, partim ut intelligeres quibus modis creuerit missa, abbreuiatis ijs quæ erant præcipua, & adiectis quæ minus ad rem pertinebant. Nam quæ adiecit Telesphorus, si tamen hoc uerum est, plus habent uerborũ quàm sententiæ, & utinam uel illa magis quadrarent ad argumentum cantici.

Pastores loquebantur.) In plerisq; Græcis codicibus sic erat scriptum, καὶ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες εἶπον, id est, Et homines illi pastores dicebãt, ut homines opponant̃ angelis. Consentiebat hic ædítio Hispaniensis. Iam uero illud, Ad inuicem, pro inter sese, crebrius occurrit quàm ut libeat admonere.

Transeamus usq;.) Græci addunt coniunctionem expletiuam διέλθωμεν δή, quæ nõ nunq; urgens quiddã habet, ut hic emphasim habeat accelerantium ac gestientiũ abire.

Verbum hoc quod factum est.) Nihil obsto quo minus hic philosophetur, qui uolet, de uerbo facto, modo sciat iuxta proprietatem Hebræi sermonis uerbum dici rem nouã quæ rumore diuulget̃, et ita esse deprehẽdet, quisquis obseruare uoluerit. Annotauit hoc & ante nos Augustinus libro de idiomate ueteris instrumẽti, locum adducens ex Iosue capite

capite octauo: Quid uerbum hoc feciſti nobis, ut non uocares nos? Non eſt autem hic λόγος, qua uoce deſignatur aliquoties filius dei, ſed ῥῆμα. Nec eſt,

Oſtendit nobis.) ſed ἐγνώρισεν, id eſt, Notificauit, ſiue mauis notum fecit, aut indicauit & aperuit. Quis enim alioqui dicitur oſtendiſſe uerbum?

Et inuenerunt Mariam.) Deeſt una cōiunctio, καὶ εὗρον τὴν τε μαριὰμ, id eſt, Mariamq; & Ioſeph. Quamq; hoc loco penè fuit ocioſa prima cōiunctio Latinis: & Græcis aliquoties ſic apponitur, ut uideatur magis ad uenuſtatē facere ſermonis, quàm emphaſim, quo ſermonis genere uidemus delectatum Ennium.

Et cognouerunt de uerbo.) ἰδόντες δὲ διεγνώρισαν, id eſt, Vbi uidiſſent notum fecerunt, ſiue diuulgarunt: ut intelligas illos quod uiderant, alijs, qui non uiderant prædicaſſe. Eſt enim uerbum compoſitum à γνωρίζειν, quod modo uertit oſtēdit nobis. Aſtipulatur huic interpretationi Theophylactus, in hanc enarrans ſententiam. Officium itaq; ſpiritualiū paſtorum fuerit quærere panem cœleſtem, quē quum uiderint, debent illum & alijs prædicare, ſicut & paſtores qui uiderūt infantem loquuti ſunt de eo & alijs. Ne quid tamen diſſimulem, Græca uox διαγνωρίζειν anceps eſt, ad cognoſcere, ſeu potius pernoſſe, & in aliorū noticiam adducere. Itaq; magis quadrabat pernouerūt, quod perfecta cognitio ſit ab oculis magis quàm ab auribus. Paſtores aūt uulgaſſe quod uiderant, colligi poteſt ex eo quod ſequitur. Et omnes qui audierunt, mirati ſunt.

Maria uero.) ἡ δὲ μαριάμ. Expreſſius erat, ſi uertiſſet, Ipſa uero Maria, propter additum articulū, quo magis diſtinguatur ab alijs, qui hiſce de rebus loquebātur ipſa tacente.

In omnibus.) ἐπὶ πᾶσι, id eſt, Super omnibus, ſiue de omnibus.

Sicut dictum eſt ad illos.) Hæc clauſula referenda eſt duntaxat ad proximum uerbum, & uiderant. Audierant enim, & audita uiderant.

Dies purificationis eius.) Vnus codex habebat αὐτοῦ, ut purificationē referas ad Chriſtum, Hiſpanienſis editio, αὐτῆς ut referatur ad Mariā, Tertius αὐτῶν, ut ad utrunq;. Atq; ita ſanè legit & enarrat Origenes, aut quiſquis fuit homilia decimaquarta ſcribens hunc in modum: Si ſcriptum eſſet propter purgationem eius, id eſt, Mariæ quæ pepererat, nihil quæſtionis oriretur, & audacter diceremus, Mariam, quæ homo erat, purgatione indiguiſſe poſt partum. Nunc uero in eo, quod ait, Dies purgationis eorum, non uidetur unum ſignificare, ſed alterum, ſiue plures. Rurſum homilia decimaoctaua, refert oblationem oblatam pro mundatione Chriſti, non id ſentiens, quod Chriſtus eſſet immundus, ſed quod eodem ritu purgatus ſit, quo cæteri ſolent ſordibus obnoxij. Ne quid hic fruſtra philoſophetur aliquis de purificatione Mariæ, nam purificationē uocat eas ceremonias, quibus olim & puerpera, & fœtus luſtrabatur. Vox autem purificationis in eodem ſenſu uſurpatur à Suetonio in Octauio Auguſto, Quaſi à concubitu mariti purificaſſe ſe. Id admonere uiſum, ob quoſdam plus ſatis moroſos, in excutiendis uocabulis. *Purificatus dicitur & Chriſtus.*

Vt ſiſterent.) παραστῆσαι τῷ κυρίῳ, id eſt, Vt exhiberēt ſiue cōmendarent. Nam utrunq; ſignificat Græca uox. Adaperiens uuluam.) διανοῖγον μήτραν, Aperiens uterum, ſic enim mauult Laurentius, homo ſuperſtitioſe uerecūdus, quaſi uero uulua ſit obſcœnum uocabulū, aut quaſi legis huius uerba de Maria proprie dicta ſint, ac non potius de omnibus fœminis quæcunq; pariunt. Siquidem, adaperiens uuluam iuxta ſermonis Hebraici proprietatem dictū eſt, pro naſcēs. Atq; idem quiſquis fuit, in homilia decimaquarta, cuius modo teſtimoniū adduximus, putat & Chriſtum matris adaperuiſſe uuluam, ſed nequaq; more cæterorū. Cæterorum enim conceptus quoq; mulieris uterum aperit, cum Chriſtus clauſo uirginis utero ſit cōceptus, citra uirilem operā, ubi uirtus altiſſimi obumbrans cœlitus, uice complexus fuit, ſpiritus ſanctus illabens uice ſeminis maſculini. Porrò naſcens aperuit uterum, ſed ita ut non conuelleret clauſtra pudicitiæ uirginalis. Atq; hæc quidem eſt illius ſententia, pro qua nō eſt animus in præſentia digladiari, etiamſi pugnat cum eo quod iam olim pia credulitas omnium animis infixit, Chriſtum ſine ſordibus, ſine nixu ac labore parturiētis, clauſo uirginis utero prodiſſe. Quæ ſanè ut ſunt dictu plauſibilia, nec irreligioſa, ita certis ſcripturarum ſacrarū teſtimonijs doceri non poſſunt. Certe diuus Ambroſius non abhorret ab illius ſententia, hunc enarrans locū, nam commentarium his clauſit uerbis, Qui enim uuluā ſanctificauit alienam, ut naſceretur propheta, *Vulua nō eſt obſcœnum uocabulū nō magis quàm matrix. Adaperiens uuluam et ad Mariam pertinere. Quō Chriſtus matris aperuerit uterum.*

hic est qui aperuit matris suæ uuluam, ut immaculatus exiret. Potest enim sic religiose intelligi prodisse clauso uirginis utero, ut uirginei pudoris claustra non uiolarit.

Hic homo erat.) Ex his uerbis colligit Theophylactus Simeonem non fuisse sacerdotem, sed tantum uirum iustum, ut ex omni hominũ genere Christus haberet testimoniũ. Lyranus affirmat fuisse sacerdotem, sed argumento planè friuolo Iustitiæ nomine pietatisq; commendatur non sacerdotij.

Et timoratus.) εὐλαβὴς, id est, Pius siue religiosus. Inde dicta uox quod reuerenter ac circumspecte tractetur aliquid.

Et responsum acceperat.) Hic responsum accipe oraculum, ὃ ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον, id est, Erat illi promissum oraculo.

Nunc dimittis.) ἀπολύεις. Annotauit hunc locum Augustinus libro de ueteris instrumenti tropis quarto, quod raro reperiatur de morte dictũ. Nam ἀπολύεται uxor, quæ repudiatur. Adducit locũ qui est in numeris, Et uidit omnis synagoga, quia dimissus est Aaron, pro quo nostra habet æditio, Om̃is aũt multitudo uidẽs occubuisse Aaron fleuit &c

Ante faciem omnium.) κατὰ πρόσωπον, Quod magis sonat in conspectu.

Ioseph dictus pater Iesu.

Et erat pater & mater.) In Græcis aliquot codicibus lego pro pater, Ioseph: quod arbitror immutatũ à quopiam, qui uereretur Ioseph uocare patrem Iesu, cum postea ipsa Maria uocet illum patrem Iesu. Parentes eius.) Eius non additur apud Græcos, ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν τοὺς γονεῖς τὸ παιδίον, id est, Cum inducerent parentes puerum Iesum.

Et benedixit illis.) Quoniam proxime præcessit mentio patris, matris & filij, potest illis ad omnes referri. Nec est absurdum, si quis dicatur benedicere Christo, siue optemus illi gloriam, siue prædicemus illius laudes. Optando dicimus patri, Sanctificetur nomen tuum. Et in psalmis, Omnia opera domini benedicant domino. Qui offenduntur benedicendi uerbo, imaginantur talem fuisse Simeonis benedictionem, qualis est hodie episcoporum. Maior enim benedicit minori. Olim parentes benedicebant filijs. Quid absurdi, si Simeon senex ut pater benedicit puero, optans illi successum negocij ad quod erat missus. Votum est hæc benedictio. Cæterum differentia quam quidam adferunt inter, benedico te, & benedico tibi, planè ridicula est, quum hoc ipso loco sit idem uerbum Græcum εὐλόγησεν, & utrobiq; sit additus accusandi casus τὸν θεὸν, ac mox αὐτοὺς, deinde quum ecclesia cantet, benedicite cœli domino. Et tamen hanc retrusam distinctionem multis conuicijs docuit quidam τρὶς μέγιστος Rabbinus Parisiensis, quod tamen citra ordinis cõtumeliam dictũ uideri uelim, nequaq̃ dicturus nisi ipse libro prodito gloriaret̃ hoc se docuisse.

Cui contradicetur.) ἀντιλεγόμενον, id est, Cui cõtradicitur, ut absolute accipiamus. Atque ita citat Augustinus cum aliâs, tum uero psalmũ enarrans 88. Atq; ita subinde adducit Origenes in homilijs, quibus hunc explicat euangelistam, si uerax est titulus operis. Item Tertullianus libro de carne Christi, Et in signũ, inquit, quod contradicitur. Ac mox, Agnoscimus, inquit, ergo signum contradicibile, conceptum & partum uirginis.

Et tuam ipsius animam.) καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν, id est, Et tuam autem ipsius animam pertransibit. Nec est ociosa coniunctio δὲ, significans mutari personam, & ueluti noui doloris initium. Neque uero lubet hic referre uarias interpretationes, quas Lyranus & Carrensis in hunc congerunt locum, quorum posterior etiam citat autorem Chrysostomum huius sententiæ, quod Simeon dixerit tuam ipsius animam, id est, animam filij tui, quam ut tuam ipsius animam diligis. Quanquã hoc ipsum cõmentum hausit ex Petro comestore. Illud constat ipsius non posse referri, nisi ad Mariam, cum sit αὐτῆς. Nec est quod hic prodigiosas interpretationes cõminiscamur, cum sensus sit expeditus, fore ut Christo reclametur, & hinc nõnullam doloris portionem ad matrem redituram. Cæterum istos illo to sermoni magis assuetos offendit, tuam ipsius, elegantius dictum, quàm pro illorum auribus. Quanquam uenustius erat, penetrabit quàm pertransibit, uel ob id quod pertransit etiam quod præterit. Atq; hinc hausisse uidetur Augustinus lib. quæstionũ ueteris & noui testamenti, quæstione septuagesima tertia, cum scribit, Mariam quoq; Iesu matrem nõ nihil in fide uacillasse, cum uideret extinctum filium, sed tantisper donec à mortuis resurgeret, & ob eam causam pertransijt gladius, quod hæc dubitatio nõ insederit illius animo, sed pertransierit duntaxat. Hæc quoniã præter publicam theologorum opinionem dicta sunt,

Tuam ipsius animam ridicule expositũ à quibusdam.

sunt, ne quis me uocet in ius, ipsius uerba subscribã: Quod autem adiecit dicens, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur multorum cordium cogitationes, hoc utiq; significauit, quia etiam Maria, per quam gestũ mysterium incarnationis saluatoris, in morte domini dubitaret: ita tamen ut in resurrectione firmaretur, omnes stupore quodam in morte domini dubitarent. Quis enim nõ ambigeret, uidens eum, qui se filium dei dicebat, humiliatum, ut usq; ad mortem descenderet? Et quia, ut dixi, omnis ambiguitas in resurrectione domini recessura erat, pertransire dixit gladium, nõ supercadere aut contingere transeuntem membrum aliquod. Vt sicut gladius missus, pertransiens iuxta hominem, timorem facit, & tamen non percutit, ita & dubitatio mœstitiam faceret, non tamen occideret, quia non sedit in anima, sed pertrãsijt quasi per umbram, contingens corda discipulorum. Hactenus Augustinus. Cum Augustino sentit Chrysostomus, qui Mariæ tribuit nonnihil affectus, qualem habet matrum uulgus erga filios, de quorum factis sibi gloriæ nõnihil uindicant: Cõsidera, inquit, tam matris q; fratrũ importunitatem, nam cum debuissent intrare, atq; cum turbis simul audire, aut saltẽ expectare foris sermonis finem, ac demum accedere, ambitione quadã ac ostẽtatione cõmoti, foris eum in præsentia omnium euocauerunt &c. Idem enarrans Ioannis euangelistæ capitulũ secundum, homilia uicesima, consimilem affectũ tribuit Mariæ: Optabat enim, inquit, ut iam hominũ gratiam conciliaret, & fortassis aliquo humano afficiebatur affectu, quẽadmodum & fratres eius, cum dixerunt, Ostende teipsum mundo. Et aliquãto post: Siquidẽ non adhuc debitam de ipso opinionẽ habebant, sed more matrũ Maria, iure omnia filio se præcepturam censebat, cum tanq; dominũ colere & reuereri liceret. Ad hæc is quisquis fuit, qui scripsit homilias in Lucã quas habemus ex Merlini cuiusdã æditiõe, Origeni inscriptas, apertius etiã docet, scandali gladiũ attigisse Mariæ pectus: Quid putamus, inquit, quod scãdalizatis apostolis, mater domini à scandalis fuerit immunis? si scandalũ in domini passione passa nõ est, non est mortuus Iesus, pro peccatis eius. Si aũt omnes peccauerũt, & egent gloria dei iustificati gratia eius & redempti, utiq; & Maria illo tempore scandalizata est. Ac mox ibidem: Pertrãsibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris, & cogitationes tuæ te in diuersa lacerabũt &c. Idem homilia uigesima, Ioseph & Mariæ tribuit fidem nondum perfectã, cum puerũ reprehensum è templo abducerent. De quorũ opinione aliorum facio iudiciũ. Ego ut pro hac sentẽtia nolim digladiari, ita non probo quorundam uel audaciam, uel pertinaciã, qui quantũ animo possunt imaginari tribuunt Mariæ, atq; id ita tuentur, quasi sit oraculũ euangelicum, hæreticum clamitantes, si quis addubitarit. Cæterum cum Christus ineffabili, nouoq; cõsilio redimere uoluerit genus humanum, impiæ cuiusdã audaciæ uidetur, si quis ei præscribere cõtendat, quibus rationibus id egerit, præsertim in huiusmodi rebus, quæ nobis certo sciri non queunt. Certe quod ad præsens munus attinet, multo aliud est Græcis διελθεῖν & διελθεῖν, hoc est, Pertransire & præterire. Atqui Lucas ait, διελεύσεται, hoc est, per medium ibit, & medium cor scindet. Eamus nunc & ceu rem superuacaneã irrideamus Græcæ linguæ cognitionẽ, cum hoc uideamus accidisse tam insigni ecclesiæ doctori, quod Græca uel parũ calluerit, uel non consuluerit. Quod tamen nemo sic interpretabitur, quasi dictum sit in tam sacri doctoris contumeliam, sed potius ad excitanda bonorũ iuuenum studia. Sunt enim quidam sit addicti certis autoribus, ut protinus non ferendã contumeliam clamẽt, si quis uel unguem latũ ab hoc aut illo discrepet. Frãciscanus nõ fert usq; discedi à suffragio Lyrani: Prædicator non tolerat quicq; conuelli ex Thomæ aut Carrẽsis placitis: Augustinẽsis non patitur ab Augustino dissentiri. Atqui si hoc recipimus, ut suum quisq; autorem mordicus teneat, fiet tandem ut prorsus à nemine liceat dissentire, cum ipsi autores inter sese non consentiant, imò cum singuli à se ipsis aliquoties dissentiant. Nullius autoritati debet addictus esse, qui ueritatis agit negocium, neq; par est hoc cuiq; hominum tribuere quod nec ipsi sibi postulant, & si postularent tanto minus erat tribuendum.

Augustinus uidetur tribuere Mariæ leuem de Christo dubitationem.

Chrysostomus quoq; tribuit Mariæ aliquid humanum.

Origenes.

Nõ temere definienda quæ probari non possunt.

Addicti autoribus.

Et hæc uidua usq;.) ἡ δὲ αὕτη χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, Et hæc uidua circiter annorum octoginta quatuor. Interpres legisse uidetur ἕως pro ὡς. Quod tamen ita est accipiendum, ut annorũ numerus non ad ætatẽ mulieris pertineat, sed ad spaciũ uiduitatis, in qua tot annos perseuerarat. Id palàm ostendit Ambrosius: Non ociosè tamen, inquiens,

Vidua octoginta annorũ

annos octoginta quatuor uiduitatis eius expressit. Ita quidem Ambrosius, etiamsi subdubium est creditu, tantum annorum exactum fuisse à coniugio, nisi uehementer anus fuit, aut admodum mature nupsit.

Obsecrationibus.) δεήσεσι. Miror quare displicuerit interpreti precibus aut deprecationibus, cum obsecratio aliud quiddã significet, nempe quoties per rem sacram obtestamur, quod Græci uocant, ὁρκισμόν. Ieiunijs & obsecrationibus seruiens.) Incertũ an hi datiui Græcis sint ad aliquid, an instrumẽtales, ueluti dicas, Seruio lucro, & seruio corpore, hoc est, an intelligendũ, illam seruisse deo, an eam illum coluisse talibus uictimis ieiuniorum & deprecationum.

Hæc ipsa hora.) αὐτῇ τῇ ὥρᾳ. Clarius erat eadem hora.

Taxatus Valla.

Superueniens.) ἐπισᾶσα, id est, Assistens. Quod autem Valla monet, friuolum est, potest enim superuenire, dum hæc fiunt, quæ tamen in aliqua templi parte sit.

Confitebatur domino.) ἀνθωμολογεῖτο. Non est simpliciter confitebatur, sed confessione respondebat, ut referatur ad confessionem Simeonis & aliorum, quorum hæc confessioni respondebat. Redemptionem Israël.) Non est Israël in Græcis, sed in Hierusalem, ἐν Ἰερουσαλήμ. Vetustissimi codices habent Hierusalem absq; præpositione. Et ita legit diuus Irenæus, nec aliter legit Beda.

Et cõfortabatur.) Græci codices addũt spiritu, τῷ πνεύματι. Porrò quod sequitur Plenus, non est nomen πλήρης, sed πληρούμενον, quod indicat illum iam impleri accessu ætatis, non quod proficeret hominum uulgariũ more cum ætate, sed quod paulatim emicaret in illo diuina gratia, ne res ante tempus prodigiosa uideretur. Ita quidem Theophylactus, mecum faciens, quod quidem attinet ad emphasim participij. Cæterum uix hominum est definire, quomodo & quatenus diuina natura sese communicauerit humanæ naturæ in Christo.

Per omnes annos.) κατ' ἔτος, id est, Annue, siue in singulos annos, siue quotannis.

Periphrasis affectata.

In die solenni paschæ.) τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα, id est, In festo paschæ. Quorsum enim pertinebat periphrasis? Ac paulo post,

Cum redirent.) Dilucidius erat, si addidisset illi. Quod mox consequitur, Remansit puer Iesus. Et Græce est, ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτούς. Hoc pronomen ut aliâs citra incommodũ nonnunquam omittitur, ita hoc loco commodum erat addere.

Et non cognouerũt parentes eius.) Græci codices habent, καὶ οὐκ ἔγνω Ἰωσὴφ καὶ μήτηρ αὐτοῦ id est, Et non cognouit Ioseph & mater eius, quod & ipsum mutatum arbitror, præsertim cum in nonnullis exemplaribus secus habeatur, nempe οἱ γονεῖς αὐτοῦ, id est, Parentes eius, quemadmodum paulo superius.

In comitatu.) ἐν συνοδίᾳ. Quod proprie sonat comites & socios eiusdem itineris.

Et ipsi nõ intellexerunt uerbum.) Hoc sanè loco ῥῆμα positum est pro sermone, siue dicto. Quid autem facient huic loco quidam qui sedulo magis quàm circũspecte beatæ uirgini ferè tantum tribuunt felicitatis, iam inde ab initio, quantum nunc possidet? Certe nõ obscure locutus est Christus, & tamen subijcit Euangelista, ab illis non fuisse intellectum, quod dixerat Iesus. Quin & illud annotandum, quàm non blande respondet parentibus puer obiurgatus, imò penè obiurgat obiurgantes. Neq; enim hoc ueritus est dicere Ambrosius, sic enim ille scribit hunc in locum: Duæ sunt in Christo generationes, una est paterna, materna altera. Paterna diuinior, materna quæ in nostrum laborem usumq; descendit. Et ideo quæ supra naturam, supra ætatem, supra consuetudinem fiunt, non humanis assignanda uirtutibus, sed diuinis referenda sunt potestatibus. Alibi eum ad mysterium, seu, ut legendum arbitror, ministeriũ mater impellit, hic mater arguitur, quia adhuc quæ humana sunt exigat. Cæterum in his quæ sequuntur suspicor subesse mendum. Sed quum, inquit, hic duodecim describatur annorum, illic discipulos habere dicatur, uides matrem didicisse à filio, ut exigeret à ualidiore mysterium, quæ stupebat in iuniore miraculum. Arbitror autem ita scriptum ab Ambrosio, Vides matrem didicisse à filio, ne exigeret à ualidiore ministerium, quæ stupebat in iuniore miraculum. Adeo Christus suum negocium, quod totum è cœlo pendebat, purũ esse uoluit ab humanis affectibus, nec hic ullam hominis autoritatem passus est admisceri, sic & Petrum admonentem ne iret Hierosolymam

Maria quædã nescisse.

Christus nusquam legitur blandus fuisse matri.

ſolymam ſtatim reiecit, Abi retro ſatana. Nunc humanis cupiditatibus geruntur omnia, quæ tamen cum primis cœleſtia uideri uolumus. Tum inter docendum à matre & fratribus interpellatus parum blande reſpondet, Quæ eſt mater mea. Similiter & in nuptijs cõpellatus de uino deficiente. Hoc quod arguit interpellantis eſt, quod non intellectus obtemperat, obſequij eſt, quæ res & illi cõueniebat ætati, & parentũ infirmitati obſecundabat. Quidã metum parentũ ad unum Ioſeph referunt, ſimiliter et obiurgationẽ filij, Quid eſt &c. Poſtremo & illud, Et ipſi non intellexerunt uerbum, quaſi nihil horum cõuenerit in uirginem, quæ non tam ſollicita fuerit de filio ne quid illi accidiſſet, quàm ne quid ipſi per negligentiã omiſiſſent. Equidem ut fateor eſſe pium affectum iſtorum, qui uirgini ſanctiſſimæ dotes quàm perfectiſſimas tribuere gaudent, ita non nimium abeſt à periculo temeritatis præter autoritatem ſcripturarũ definire quibus gradibus Chriſtus matrem ſuã ad perfectam ſui cognitionem euexerit.

Et erat ſubditus illis.) ὑποτασσόμενος, ſubijciebatur, id eſt, obſecundabat. Nec enim ſtatim minor eſt qui obſecundat. Sæpenumero pater obſecundat filio, dominus ſeruo, non ex neceſſitate, ſed ex humanitate. Durum eſt quod aſſeuerant quidam Chriſtum etiam in euangelico negocio debuiſſe matri obedientiam, quum qui rempublicam adminiſtrat non teneatur autoritate patris. Neq; enim patris eſt epiſcopo præſcribere, quomodo debeat adminiſtrare doctrinam euangelicam. Sed multo durius eſt, quod ijdem docent, beatam uirginem etiam nunc ut homini poſſe imperare Chriſto, & hoc eſſe quod canit eccleſia, Monſtra te eſſe matrem, ſumat per te precem &c. id eſt, præcipe filio tuo ut nos exaudiat. Hoc ſi uerum eſt, mater imploranda eſt potius quàm filius, nec omnis poteſtas tradita eſt Chriſto etiam iuxta naturã humanam, ſi tenetur matris imperio. Nec illa filio remiſit adhuc ius maternum, quum pater filio tradiderit omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Ius ciuile per emancipationem conſuluit libertati filiorum, & Chriſtus adhuc in poteſtate matris eſt. Iam illud qui conuenit, quod negant in cõtrahendo matrimonio liberos teneri poteſtate parentũ, ſimiliter nec in profeſſione uitæ monaſticæ, & uirgini matri fuiſſe ius præſcribendi filio in negocio Euangelico. Filijs ideo præcipitur obedire parentibus, quod ætas imprudens eget alienis cõſilijs. Nec tamen parentibus arbitror perpetuũ eſſe ius præſcribendi filijs quæ uelint. Dominus non egebat maternis monitis, ad exemplum tamen præſtitit ſummam obedientiam non tantum matri, ſed etiam Ioſeph, qui pater non erat. Durum mihi uerbum uidetur in Chriſto, debuit obedientiam. Qui debet, peccat niſi præſtet. Clamare ſolent, hæc offendunt pias aures. At iſta certe offendunt aures meas. Verum hæc παράφραγα miſſa faciamus.

Et Ieſus proficiebat &c.) Non me fugit, quibus rationibus explicent hunc locũ interpretes, Chriſtum profeciſſe, non quod illi quicquã acceſſerit à tempore quo cõceptus eſt in utero matris, ſed quod dotes ſuas, quibus erat cumulatiſſimus magis ac magis expromeret, exereretq; idq; tum apud homines, quorum ſaluti conſulebat, tum apud deum, cuius gloriam illuſtrabat. Rurſum ſunt qui ſic expediant, ut dicant Chriſto dotes eaſdem aliter contigiſſe, & quod prius afflatu tenebat, mox uſu, ſtudioq; humano comparaſſe. Quorum ego ſententiam non refello, tantum illud uelim expendat lector, num incolumi fidei ſyncerítate, ſentiri poſſit, cum extra cõtrouerſiam ſit dotes omneis, quibus prædítus fuit Ieſus ut homo, beneficentiæ fuiſſe diuinæ, deitatem per gradus quoſdam eas imparíiſſe naturæ humanæ aſſumptæ, præſertim cum id apud Lucã eodẽ capite bis legamus, ait enim paulo ſuperius: Puer autem creſcebat & confortabatur, plenus ſapientia, quod enim corroboratur, auctu quodam uirium fulciri uidetur. Ac rurſum apertius hoc loco, Et Ieſus proficiebat, ſapientia & ætate & gratia, apud deum & apud homines. Cum enim tria coniungat ſapientiam, ætatem, & gratiam, ſicut uere profecit ætatis acceſſu, ita uere profeciſſe uidetur dotium incrementis. Nam quod adferunt quidam Ieſum ab initio gratia plenum fuiſſe, non impedit profectum, cum idem de Ioanne, deq; alijs dictum ſit, quibus gradus & acceſſionem uirtutum nihilo ſecius tribuimus. Neq; uero perinde nos moueat, ſi id pugnet cum aliquo placito ſcholaſticorum, aut alicuius hominis opinione, ſed an quod aperte ſcripſit Lucas fidei ſynceræ aduerſetur, cui ſemper eſt modis omnibus adhærendum. Atq; hoc ipſum quicquid eſt haud alio ſtudio propoſui, quàm ut lector pius

& eruditus ſecum expendat. Iam illud etiam excutiendũ,cur ætatem mediam fecerit, inter ſapientiam & gratiam, cum ætati ceu parti leuiſſimæ primus locus magis competere uideatur: niſi forte ætatis uocabulum hic omneis dotes complectitur, quas anni ſubolescentes ſolent aduehere. Rurſum Gratia,anceps eſt, an ſentiat eum profeciſſe dotibus diuinitus infuſis, an gratioſiorem fuiſſe factum commendatione uirtutum in eo ſeſe profe-

Anceps ſermo.

rentium. Cæterum quod hic uertit ætatem,eadem uox eſt Græce, quam Matthæi capite ſexto tranſtulerat ſtaturam, nimirum ἡλικίαν. Item huius ipſius Euangeliſtæ cap. xix. Quia ſtatura puſillus erat.

Stupebant autem.) ἐξίσαντο, quod ſignificat uehementem admirationem aut metum, ita ut quis non ſit apud ſe:cui finitimum eſt illud quo mox utitur ἐξεπλάγησαν, quaſi dicas,attoniti facti ſunt.

EX CAPITE TERTIO.

PRocurante Pontio.) Interpres delectatus eſt uarietate,qui nũc uertat Procurante,quod modo uerterat præſide ἡγεμονεύοντος, id eſt,Præſidem agente.

Tetrarcha autem.) Et hæc apud Græcos participia ſunt abſolute poſita τετραρχοῦντος, id eſt,Tetrarcham agente.Erat Herodes maior,Antipatri Aſcalonitæ, & matris Cypridis Arabicæ filius, Is alienigena fauore Octauij Auguſti Cæſaris & Senatus accepit regnum Iudææ, per quem & ſacerdotium prophanatum & in alienos translatum eſt iuxta prophetiam. Sub hoc natus eſt mundi redemptor, ſub eodem fugit in Aegyptum. Is Herodes quum diu regnaſſet, periit morbo pediculari,relictis quatuor filijs, Archelao, Herode iuniore,Philippo, & Lyſania, quanquam de Archelao an fuerit filius Herodis quidam addubitant. Archelaus autem ob immanitatem nono regni ſui anno relegatur Viennam Galliarum urbem. Romani uero quo frangerent potentiam regni, Tetrarchias inter fratres Herodis filios diſtribuerunt, ſic ut Herodes quem arbitror Antipatrum cognominatum,adminiſtraret Galilæam, Nam Iudæam Pontius Pilatus præſes adminiſtrabat, Philippus autem Ituream & Trachonitidem, quas Hieronymus ſic recenſet, quaſi ſit eadem regio duplici nomine, dicens Trachonitis regio ſiue Iturea,cuius tetrarches fuit Philippus, in qua eſt Cæſarea Philippi,eadem dicta Paneas:Lyſanias obtineret Abilenem, quæ eſt inter Libanum & Antilibanum quam Ptolemæus Lyſanion appellat. Hoc ex hiſtoricis attigiſſe ſatis ad hunc locũ & hoc inſtitutum arbitror.

In omnem regionem.) ἐπὶ πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, In omnem regionem circa Iordanem,ſiue finitimam,aut circumiacentem Iordani.

Rectas facite ſemitas eius.) Et hic pro Dei noſtri, quod eſt apud Hebræos,ac Septuaginta,mutauit eius, de quo admonuimus ſuperius. Niſi quod Lucas longius proſecutus eſt Eſaiæ teſtimonium,in quo conſentit cum Hebraica ueritate ſimul & Septuaginta, niſi quod pro eo quod habet Hebraica ueritas:Et uidebit omnis caro pariter quod os domini locutum eſt,hic uelut interpretans dixit, τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ, id eſt, Salutare dei. Cæterũ Hebraica ſic extulit Hieronymus:Omnis uallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur,& erunt praua in directa, & aſpera in uias planas, & reuelabitur gloria domini,& uidebit omnis caro pariter,quod os domini locutum eſt.

Praua pro diſtorta.

Praua in directa.) τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, id eſt, Obliqua in rectã,ut ſubaudias uiam. Nam hic interpres praua poſuit non pro malis,ſed pro diſtortis. Vſus eſt autem figura Hebraica,qua illi ſic loquuntur,Erit mihi in patrem,erunt duo in carnem unam,pro eo quod eſt, erit mihi pater,& erunt duo una caro.

Et aſpera in uias.) καὶ τραχεῖαι, id eſt,Et aſperæ,ut ſubaudias uiæ. Et,

Planas.) Græce eſt λείας lêues,quod prima ſyllaba producta opponitur aſpero.

Genimina uiperarum.) γεννήματα, quod aliâs uertit progenies, id quod nõ ſemel iam admonuimus.

Quis oſtendit.) τίς ὑπέδειξεν, Quod magis ſonat ſubindicauit,hoc eſt,clàm commonſtrauit,quemadmodum ſolemus inſtante periculo.

Dignos pœnitentia.

Dignos pœnitentiæ.) ἀξίους τῆς μετανοίας. Poteſt accipi & ita,dignos pœnitentia.Nam dignus apud Græcos gignendi caſum habet. Verum hoc admonuimus in Matthæo.

Ne cœ-

Ne cœperitis dicere.) Quod in Matthæo dictũ est, μὴ δόξητε, hic dixit, μὴ ἄρξητε. Græci hic addunt, ἐν ἑαυτοῖς, id est, In uobis ipsis, siue Intra uos, hoc est in animo uestro.

Et filios Abrahæ) Abrahæ Græcus datiuus casus est, τῷ Ἀβραάμ, hoc est, ipsi Abrahæ.

Iam enim securis.) Græci addunt copulam, Et securis ἡ ἀξίνη, quæ sanè non est ociosa: significat enim præsens periculum, ni resipiscant.

Ad radicem arboris.) Arborum est & apud Græcos, & in uetustissimis nostris codicibus, πρὸς τὴν ῥίζαν. Sentit enim de cunctis hominibus, atq; ita legit Ambrosius.

Excidetur.) Excidítur & mittitur est Græcis, ἐκκόπτεται καὶ βάλλεται, quemadmodum & in Mattheo.

Det non habenti.) μεταδότω, id est, Communicet, siue impartiat. Neq; enim iubet dari duas tunicas, sed è duabus unam. Nam id est, μεταδοῦναι.

Quàm constitutum est uobis faciatis.) Miror non esse animaduersum, nec à Laurentio, nec à quopiam alio, ne à Beda quidem, πράσσετε, hic uertendum fuisse non Faciatis, sed Exigatis, cum loquatur de publicanis, hoc est, publicorum uectigalium redemptoribus, quibus hic & hodie mos, extorquere à plebecula, non quantum princeps iusserit, quod ipsum per se iniquum est, sed quantum omnino possint. utrunq; enim significat πράττω. Vnde πράκτορες, exactores. Et aliquanto post semel atq; iterum πράκτορας, uertit, Exactores. & capite decimonono, ἔπραξα, uertit Exegissem. Atque ita sanè legisse uidetur Ambrosius, huius loci sententiam reddens his uerbis: Singulis quoque generibus hominum, conueniens tribuit sanctus Ioannes Baptista responsum, unum omnibus, ita publicanis, ne ultra præscriptum exigant, militibus ne calumniam faciant, ne prædam requirant. Consimiliter Augustinus sermone de uerbis domini ex Matthæo decimonono, legit & interpretatur: Nihil amplius exigatis, quàm quod constitutum est uobis. Theophylactus etiam exponit Græcam uocem alia Græca εἰσπράσσειν τοῦτ' ἔστιν ἀπαιτῆν, id est, exigere, hoc est poscere. *Faciatis, pro exigatis.*

Calumniam faciatis.) συκοφαντήσητε, συκοφαντῆν, apud Græcos non uno sumitur modo, uerũ plerunq; συκοφαντῆν est falsò deferre, & crimen data opera impingere, quo non nihil emolumenti extorqueatur à reo. Duo igitur uult abesse à militibus, uim qua prouinciales opprimebant, & calumniam, qua deferebant illos apud suos præsides, quo sine ui, sed non minus perniciose spoliarent. Mihi uero non admodum probatur, quod quidam ex hoc loco probare nituntur bellum, quasi uero Ioannes hæc dixerit Christianis, ac non potius ethnicis, aut certe prophanissimis Iudæis, si qui tamen Iudæi meruerunt unquam sub ethnicis: aut hoc egerit, ut præscriberet cuiusmodi deberent esse milites, & non illud potius, ut qui pessimi erant, inciperent esse minus mali. Notat id eleganter Theophylactus, Turbas, inquit, hortatur ut aliquid boni faciant, hoc est, sua impartiant, Publicanos autem ac milites ut desistant à malis, Neq; enim capaces illi erant, neq; bonum quippiam facere poterant, sed sufficiebat eis non facere malũ. Miles enim qui spoliat iniuste, ne miles quidem bonus est, tantũ abest ut sit uir bonus. Sic enim undiq; præparabat uiam domini. Alioqui qui potuisset Ioannes ab illis extorquere militiam, cum Christus à Iudæis non extorserit ceremonias & superstitionem Mosaicæ legis, & hominum constitutiunculas? Quis negat Iudæis permissum fuisse bellum? sed ijsdem, quibus permissum fuit odium inimici. Bellasse Iudæos legimus, stipendijs meruisse sub alienis ducibus non legimus. Bellabant Iudæi, sed iussu numinis. An ob id uolumus Christianos contra Christi iussum belligerari? Imò ferrum & lanienam habere uenalem? Gregorius negotiationem inter eas artes ponit, ad quas à baptismo nõ sit fas redire, & nos homines facinorosos, qui quauis mercede pellecti, aduolant ad bellum & cædem Christianorum, imò si desit conductor, ultro erumpunt, inter Christianos habemus, & hos euangelico patrocinio tuemur? Neq; uero me fugit, quid hic disputet Augustinus, cum aliâs, tum aduersus Faustum: Sed fas esse puto, Christi & apostolorum doctrinam anteponere Augustini sententiæ. Nec tamen ille probat hoc bellorum genus, quibus nos sine fine collidimur. Pro publica Christianorum pace tuenda, Cæsari, Cæsarisq; præfectis concedit arma. Verum hæc non est purissima pars corporis Christi. Religiosus erat id temporis imperator, quisquis non opprimeret ecclesiam, & alicubi faueret. Nunc belligerantur episcopi, nec aliud ferè *Aduersus bellum.* *Iudæorum bellum* *Nec augustinus probaret hoc bellandi genus.*

quàm belligerantur. Ambrosius libro de uiduis, palàm declarat, quibus armis uelit esse instructos sacerdotes & pure Christianos. Arma, inquit, ecclesiæ fides est: arma ecclesiæ oratio est, quæ aduersarium uincit. Atq; inibi: Ecclesia autem non armis secularibus uincit aduersarias potestates, sed armis spiritualibus, quæ sunt fortia deo. Sit igitur bellum si uidetur inter necessaria mala si modo legitimum sit, nec est necesse, ut hoc ius ex euangelij præscriptis repetamus. Sed hisce de rebus alius dabitur dicendi locus.

Stipendijs uestris.) ὀψωνίῳ ὑμῶν, quo uerbo Terentius usus est pro cibis lautioribus. Quanquam Paulus quoq; semel atq; iterum usus est hoc uerbo pro stipendio, siue auctoramento militari. Apte uero præmium sordidorum hominum, sordido uocabulo expressit. Siquidem opsonium, uentris præmium est, dignum ijs, qui uentri militant.

Existimante, pro expectãte

Existimante.) προσδοκῶντος δὲ, id est, Expectante, siue Sperante, uelut ex euentu iudicaturus esset. Ambrosius legit Aestimante, nec addit, Cogitantibus omnibus, sed tantum, Aestimante populo & cogitante. Nisi quod ex interpretatione propemodum licet subodorari, Ambrosium legisse Expectante. Sic enim ait inter cætera: Erat enim qui expectabatur, & ipse utiq; qui expectabatur, non is qui non expectabatur aduenit. Cum autem uetustissimi codices consentiant cum æditione uulgata, non satis queo coniectare quid le gerit interpres, nisi forte pro προσδοκῶντος legit δοκοῦντος.

Ne forte.) μήποτε. Num, ipse mallem, & Ne. Nam ποτε hic plane cõiunctio est expletiua.

Cuius non sum dignus.) Ambrosius uidetur hoc loco legere, Cuius non sum dignus calciamenta portare, quemadmodum legimus in Matthæo.

Cuius uentilabrum.) τὸ πτύον: quod inde dictum, quod paleas secernat à granis. Nam πτύω est, expuo, uelut abijcio ac repurgo.

In horreum suum.) εἰς τὸν ἀποθήκην αὐτοῦ. Incertũ, an pronomen suum referatur ad triticum, an ad Christum, sed magis opinor ad triticum, ut indicatum est in superioribus.

Deprauatio.

Adiecit & super hoc omnia.) Librarij uitio deprauatus ordo. legẽdum autẽ, Adiecit & hoc super omnia, quemadmodũ reperio scriptũ & in emẽdationibus Latinorũ codicibus.

Factum est autẽ.) Poterant cõmodius reddi Græca, Accidit autẽ cum baptizaretur totus populus, ut Iesu quoq; baptizato & orãte aperiretur cœlũ, & descenderet spiritus sanctus corporali specie ueluti columba super illũ, & uox è cœlo proficisceretur quæ diceret.

Sicut columba.) ὡσεὶ περιστεράν. Laurentius mauult, Velut columba, quod alioqui uideatur sensus, & columbam descendisse in Iesum. Nunc uero sentit spiritum sanctum descendisse, sed specie columbæ.

Tu es filius meus.) σὺ εἶ ὁ υἱός μου, id est, Tu es ille filius meus, propter Græcum articulum, cuius uis non est hoc loco ociosa.

Quasi annorum,) ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, id est, Annorũ circiter triginta. Quanquàm non nulli codices sic habebant, καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὡν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ. Quorum uerborum hic est sensus: Et ipse Iesus ingressus erat annum trigesimum, ut putabatur filius Ioseph. aut certe ad hunc modum, Et ipse Iesus accedebat ad annum trigesimum: ut intelligamus illum, aut agere cœpisse trigesimum annum, aut accessisse iam ad illud ætatis. Cæterum participiũ uerbi substantiui ὤν, ita positum est, ut possit uel ad superiora, uel ad inferiora referri. Origenes, si modo non fallit inscriptio, homilia in Lucam xxvij. palàm admonet, in Luca non esse uerbum incipiendi, trahens ad allegoriam, quod à baptismo, ceu renati esse incipimus. Verum qui potuit esse filius Ioseph, si putabatur tantum & non erat? Vnde res ipsa cogit, ut ad superiora referatur, & accipiamus participium usurpatum uice uerbi infiniti, nempe ὤν pro εἶναι, Qui incipiebat esse, quod sanè non infrequens est apud Græcos.

Incipiens esse annorum triginta.

Qui fuit Heli.) τοῦ Ἡλὶ, id est, Qui fuit filius Heli. Græce hæc nomina cõnectuntur per articulos. Proinde nostrũ qui, non est referendum ad Ioseph, nec ad Christum, sed ad proximum nomen, excepto primo, quod ad proximum Ioseph pertinet. Vt intelligamus Ioseph fuisse filium Heli, Heli rursum fuisse filium Mathat, atq; item de cæteris. In recensendis nominibus mira in Græcorum codicibus confusio, ne Latinis quidem inter se consentientibus, alibi deerat, alibi supererat, inuersa ac deprauata pleraq;, quæ nos diligẽtissima collatione, quâ licuit, restituimus. Cæterum quod Matthæus discrepat à Luca in recen-

senda

ſenda genealogia Chriſti,quod hic per Nathan ſtirpis ſeriē deducat ad Dauid,ille per Solomonem, longum ſit altius repetere theologorum quorundam ſuper hac re digladiationem, quorum nōnulli uolunt hunc Nathan non fuiſſe filium Dauid, ſed prophetā,quem Dauid adoptarit in filij uicem,ſuum uidelicet obiurgatorē:& ne ipſa temporis ratione refellantur, uolunt Nathan μακροβιώτατον fuiſſe, cæteros qui ante hunc regnauerunt à Solomone μινυωθαδίους, ut Homerico utar uerbo. Et in hac quidē ſententia uideo propemodum fuiſſe diuum Hieronymum, Ambroſium,& ante hos Origenem. Nam Auguſtinus opinionis ſuæ canit palinodiam, quum aliâs tum lib. retractationum.ij. cap. xvi. his quidem uerbis, Item ubi dixi, Lucas uero per ipſum Dauid, ad Nathan aſcendit, per quem prophetam deus peccatum ipſius expiauit: Per cuius nominis prophetam dicere debui, ne putaretur idem fuiſſe homo, quum alter fuerit, quamuis & ipſe hoc uocaretur. Quan quàm nihil erat opus ad hæc ſuffugia diuertere,ſi perpendiſſent apud Hebræos duplici ratione dici filios iuxta legem,& iuxta naturā.Lex erat,Siquis ſine liberis deceſſiſſet, ut huius frater inſtauraret poſteritatē defuncti. Itaq; qui ſic natus erat, duos habebat patres,alterum naturalem,ex quo natus erat,alterū legalem,in cuius nomen & progeniem ſuccedebat,nempe defuncti.Ad hunc modū cum poſteritas Solomonis defeciſſet in Ochozia, ex Simeon cognominato Ioas, qui prognatus erat è ſtirpe Nathan filij Dauid, inſtaurata eſt poſteritas Solomonica,ut mox latius docebimus. Quod quidē palàm arguit illa præfatio,haud ſcio cuius,quæ Lucæ euangelio præfertur.Nā ab Hieronymiano ſtilo tantum abeſt,ut nullius omnino Latini uideri poſſit, ſed Græci cuiuſpiam,eruditi tamen,& eloquentis. In ea ſic legimus, Cui ideo poſt baptiſmum filij dei,à perfectione generationis in Chriſto cōpletæ, repetendæ à principio natiuitatis humanæ poteſtas permiſſa eſt, ut requirentibus demonſtraret, in quo apprehendens erat per Nathan filium Dauid, introitu generationis recurrentis in deum admiſſo, indiſſeparabilis dei, ut prædicans hominibus Chriſtum ſuum,perfecti opus hominis redire in ſe per filiū faceret, qui per Dauid patrem uenientibus iter præbebat in Chriſto. Obſecro quis hunc ſermonem aſſcribat Hieronymo? Sed ut ad rem, hic quiſquis eſt, palàm aſſeuerat ſtirpem Dauidicam intercidiſſe,& per Nathan filium Dauid reſtitutam ſeriem generis.Suffragatur huic ſentētiæ & Gregorius Nazianzenus in carmine genealogico, duos recenſens δαυίδα, id eſt filios Dauid,Solomonem & Nathan,nec ullam adoptionis faciens mentionem. Quin libro Paralipomenon primo capite tertio, palàm inter filios,quos Dauid ſuſcepit ex Bethſabeæ Hieroſolymis,nominatim recenſetur Nathan,ordine prior Solomone. Porrò omnē adoptionis cauſationem palàm excludit, quod additur, Filijs Dauid ex Bethſabeæ. Diſſeruit accuratius hac de re, magnus ille bonarum literarum antiſtes Iacobus Faber Stapulenſis in commentarijs quos ædidit in epiſtolam ad Hebræos.Neq; pauca refert Ioannes Annius ex Philone.Ea quanquam admodum probabilia ſunt,tamen quoniam is nō tam certo citat quàm uellem,præſertim in re cōtrouerſa,neq; nobis erat Græci Philonis copia, paucis attingenda iudicauimus, & in hoc duntaxat, quo lectori diligenti cætera perueſtigandi præberemus anſam,præſertim cum hæc penè πάρεργα ſint huic inſtituto. Iam quoniam hinc pleriq; falluntur, quod nonnulli ſint ὁμώνυμοι, nonnulli binomines, aut etiam trinomines,interdum cognomina addita, ipſis miſceantur nominibus, pauca recenſebimus, quibus cognitis, minor ſit errandi occaſio.

Nathan non eſſe prophetam.

Præfatio in Lucam falsō inſcripta Hieronymo.

Nazianzenus

Iacobus Faber.

Binomines.

Primum Elih.) Idem eſt cum Iehoiakim,quem corrupte uocant Ioachim,pater naturalis Mariæ uirginis,& auus Ieſu Chriſti ſecundum carnē.Quod teſtatur & Hieronymus. Atq; hinc colligere licet, Lucam naturalem Chriſtianæ genealogiæ ſeriem ſecutum eſſe, non legalem,ſi quidem ad Chriſtum reſpicias,ſin ad Ioſeph referas,cōtra erit.Nam Matthæus per naturæ lineam deuenit ad Ioſeph,quæ ad Chriſtum tendenti legalis eſt.

Deinde Iane.) Et hunc & Ianum,qui præceſſit,unà cum his qui inter hos duos interciderunt,Philo teſtatur Iſrahelitico functos imperio.Recenſentur autem his inſigniti cognomentis,Ianeus ſecundus,Hircanus,Ioſeph iunior,Arſes,Matthatia,Siloa,Amos,Shyrach Nahum, Maslot, Hesli, Aglai, Nagid, Artaxat, Maath, Aſer, Elih,Matthathias,Semei, Abner, Ioſeph primus, Iudas primus, Hircanus, Iana, Ianeus primus.

Præterea Zorobabel.) Idem dictus Barrachias,duos habuit filios,unum Reſa nomine

cognomine

cognomine Mísciollam, quemadmodũ legís in Neemía. Huius propaginem Lucas narrat,alterum Abíud,cognomento Ananía.Cuius stírpem Matthæus prosequitur. Ex horum stírpe descendunt,& qui apud Lucam, & qui apud Matthæum deínceps referũtur. Ad hæc Salathiel, rectius, ní fallor, dícendus שְׁאַלְתִּיאֵל Shealthiel, sí modo uocem Hebraícam reddere uolumus, ídem alío nomine dictus Mezebeel, & Zorobabel, tam apud Lucam, quàm apud Matthæum recensentur: ut coniectare líceat hos ex Nathan ortos. Iam & Neri ídem est, qui apud Matthæum dícitur Iechonías.Id cognomínis illi tributum est à populo,posteaquam ereptus è carcere, in precio habitus est apud Euílmerodach,quod lucerna Dauídici generis,quæ uídebatur extínguenda,redaccensa sit in hoc. Is ígitur tum genuit Salathiel.Proínde frustra Iulíanus calumniã strauit Euangelístis,quasi duos patres uni tríbuant filío, cum ídem sit Neri & Iechonías, quemadmodum cæteri quoq; reges,qui hunc præcesserunt πολυώνυμοι fuerunt, usque ad Ioas,qui est Símeon apud Lucam, haud ílle quídem è stírpe Solomonís, quæ iam interciderat in Ochozía, sed ex Nathan, cuius posteritas ius habebat hactenus in regnum succedendi. Cæterũ quod parum respondeat numerus eorum,qui apud Lucam referuntur, & qui apud Matthæũ, haud ita mírum uídebitur, sí quis perpenderit, primum quod & Hieronymus indícauit, & ante hunc Orígenes; nonnullos ín genealogíæ serie fuísse prætermíssos, idq; data opera, quemadmodum annotauímus in Matthæum. Quandoquídem nec Ioas usquam recénsetur. Quos sí cæteris adieceris,comperies & numerum consentire. Præterea Iechonías ídem est cum eo,qui dictus est Neri. Huius pater Ioachim prætermíssus apud Matthæum,ídem est cũ Melchi,ante quem regnauit mensíbus tríbus Ioachaz, quẽ ne ipsum quídem commemorauit Matthæus. Et haud scío an huic respondeat Addi. Rursus Iosías,Amon,Manasses,Ezechías,& Achas,cognomentis designantur hísce,Cosam,Elmodam,Er,Ieso,Elíezer, quorum sanè cognomínum & Philo meminit. Deínde Ioathan,Azarías,Amasías,Ioas adnominati sunt his nomínibus,quæ sunt apud Lucam,Ioram, Matha,Leui,Simeon,quorum Matthæus omníno non meminit. Quín & Símeon,qui est apud Lucã,trinomínis fuit,ídem dictus Simeon,Heli,& Ioas. Hic primus ortus est ex posteritatis Dauídicæ instauratorĩbus,quos Hebræi אֲחִישָׁרִים Achesarím uocant, ceu regni adiutores, cum iam in Ochozía posteritas Solomonis defecísset: nec hæc modo, uerum etiam ipsa família Achesarim,nímirum omnibus ab Athalía interemptís,hoc solo superstíte, quod hunc Iosaba Ochozíæ soror seruasset, etiamnum ín cunis agentem. Neq; enim erat is Ioas fílius Ochozíæ natura, sed successíone duntaxat,iuxta ius Achesarím. Licet líbro regum quarto,capite undecímo,uocetur Ochozíæ fílius. Philo tamen aperte pronunciat,hunc natura fílium non fuísse,sed ut modo dictum est,iure successíonís. Proínde ab hoc relíqua posteritas omnis ad Nathan pertinet, ut unde duxerit genus, licet in sorte colloceẽ Solomonís. Quod sí stírps regia defecit in Sedechía,sicut apparet ex quarto Regum,capite ultímo,& Hieremíæ cap.xxij.non protínus consequitur antea non defecísse. Porrò Nathan hic de quo cœperamus in ínitio dícere,fílius fuit Dauíd, frater Solomonís ex Bethsabeæ,quemadmodum legís Paralípomenon líbro primo,capite tertío. Is ut dixí,nec erat propheta,nec adoptatus à Dauíd in ius filiórum, uerum huius posteritatem ius regní manebat,idq; ex edicto Dauíd, sí quando Solomonís stírps intercidísset, id quod Annio citante docet Philo. Idem propemodum colligere licet ex líbro Regum tertío,capite quarto:Nempe quod Nathan Achísar ínstitutus fuerit,hoc est,regiæ stírpis ínstaurator. Sic enim & íllic appellatur fílius Nathan, quem אֲחִשָׁר Lucas uocat Nathan. Huius partes erant, uniuersam famíliam regíam moderarí: & ob id ius dícebantur Hebræís מְתֻתִים id est,Donati ad succedendũ,et אֲחִישָׁרִים hoc est,fratres príncipum quía in parí honore cum regum filíjs habebantur. Ad hos pertinebat tribus Beniamin, cum ad posteritatẽ Solomonís,sola domus Iuda pertíneret. Hæc pauca è multís carptim delibauímus, ne níhil lucís præberemus auídis eadem exactíus inquírendi, præsertím cum ad hístoriæ fídem faciant. Neque rursum probarím in huiusmodí quæstiónibus uel anxie dístorqueri, uel contentiose dígladiarí: ín quibus haud multo plus fructus esse uídeo, quàm ílla nobíli pugna Theologorum de conceptíone deíparæ uírginis. Et Paulus non uno in loco monet, pijs homínibus huiusmodi Genealogías, & nunquam finiendas

Multorum nominum reges.

Ioas non erat filius Ochoziæ natura iuxta Philonẽ.

In genealogijs non anxie digladiandum.

finiendas quæstiones esse uitandas, quod non solum nihil conducant ad pietatem, uerum etiam pariant lites & contentiones, pestem Christianæ concordiæ.

EX CAPITE QVARTO.

Egressus est à Iordane.) Regressus legendū est, ὑπέστρεψεν, reuertit, siue reuersus est. Certe regressus constanter habent uetusti codices. *Egressus pro regressus.*

Et agebatur.) καὶ ἤγετο, id est, Ductus est, siue actus, cum alibi dicatur expulsus à spiritu.

In deserto.) εἰς τὴν ἔρημον, id est, In desertum accusandi casu.

Diebus quadraginta.) ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος, id est, Et quadraginta dies tentatus est. Nam quadraginta dies ita positum est, ut possit uel ad superiora, uel ad sequentia accommodari, uerum mollius est, ut ad inferiora pertineat: non quod toto hoc tempore tentatus sit à diabolo, sed quod aliqua parte huius tēporis. Certe Origenes, aut quis quis fuit alius, homilia uigesimanona, ita legit ut sentiat eum quadraginta diebus tentatum. Nec abhorret ab hac sentētia quod scribit Marcus cap. primo. Et statim spiritus expulit eum in desertum, & erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à satana. Sed magis etiam facit ad hunc sensum sermo græcus, qui habet πειραζόμενος. Matthæus capi. iiij. sic narrat, quasi post quadragesimū, aut quadragesimo demum die tentatus sit, quāq; fieri potest, ut & alijs diebus fuerit tētatus, alijs rationibus. *Tentatus quadraginta dies*

Viuit homo.) Græcis est ζήσεται, id est, Victurus est, siue uiuet, uerbum futuri temporis. Consentientibus uetustis Latinorum exemplaribus, nominatim codice Corsendoncensi. In Constantiensi rasor mutarat e in i.

In momento temporis.) ἐν στιγμῇ χρόνου, id est, In puncto temporis, qua Græci prouerbiali figura breuissimum tempus indicant. Sumptum est à puncto mathematico.

Et cui uolo.) Ⓒ ᾧ ἐὰν θέλω, id est, Cuicunq; uolo, siue uelim.

Si procidens adoraueris) σὺ οὖν ἐὰν προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου, id est, Tu igitur si adoraueris coram me. Atq; ita sanè legitur in uetustis Latinæ linguæ codicibus, nominatim in Corsendoncensi, et item aureo Cōstantiensi, ac meo uetustæ typographiæ, sed refragante Paulino. Proinde quisquis addidit Procidens, rem fecit explanatiorē. Est enim προσκυνεῖν adorare, sed gestu corporis, uerbum uel à moto galero dictum Græcis, uel ab osculando. *προσκυνεῖν unde dictum.*

Scriptum est.) Hic Græci codices addunt, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, id est, Vade post me Satana. Sic enim erat in Matthæo, sed in Petrū dictum, diabolus tantū audiuit ὕπαγε. Verum apparet huc asscriptum ex eo loco: quo studio mira deprauatio irrepsit in sacros libros. quando nec apud Ambrosium quicquam huiusmodi legitur, nec apud Origenem, cuius titulo habemus homilias in hunc euāgelistam. Imò cum is annotarit ὀπίσω μου non addi, quum iubetur abire diabolus. Apud Theophylactum tamen additur ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, contra Origenis annotationem & Theophylacto consentiebat æditio Hispanica. In latinis codicibus nihil horum uerborum est. *Post me additur apud Lucam.*

Seruies.) λατρεύσεις, Quod plerunq; ad diuinum cultū pertinet, unde & latria dicta est.

Mandauit de te.) ἐντελεῖται, id est, Mādabit futuri tēporis, ut indicatū est à nobis & alibi.

Ne forte.) μήποτε, id est, Nequando, siue ne. Quorsum autem erat opus forte?

Per uniuersam regionem.) καθ' ὅλης τῆς περιχώρου, id est, Per totam finitimam regionem, siue, Per omnem undiq; regionem.

Et magnificabatur.) δοξαζόμενος, id est, Glorificabatur. Non satis uideo, cur hic Laurentium offendere debuerit coniunctio. Mauult enim ille, Docebat in synagogis eorum omnibus eum glorificantibus.

In die sabbati.) σαββάτων, id est, Sabbatorum.

Et reuoluit librum.) καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον. Quod ego maluissem uertere, Et explicito libro, nam ipse mox uertit, Et cum plicuisset librum, Ⓒ πτύξας τὸ βιβλίον.

Spiritus domini super me.) Locus est apud Esaiam capite sexagesimoprimo. Quanquam hoc sanè loco citatio Lucæ magis consentit cum æditione Septuaginta, quàm cum Hebraicis uoluminibus, etiamsi dissonat ab utrisq;. Siquidem Hebræa uertit ad hunc modum Hieronymus, Spiritus domini dei super me, eo quod unxit me dominus. Ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, *Lucas sequitur Septuaginta.*

gentiam,& clausis apertionem,& annunciarem annum placabilem domino.Porrò iuxta Septuaginta legimus ad hunc modum, πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμέ.οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με,εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἐπέσταλκέ με,ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν,κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν,καλέσαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτὸν, id est,Spiritus domini super me,propter quod unxit me. Euangelizare pauperibus misit me,sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem,& cæcis ut uideant,& uocare annum acceptabilem domino.

Eo quod unxit me.) οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με, id est,Propter quod unxit me. Atque ita legitur in antiquissimis Latinis exemplaribus,sed Græcis ad uerbũ redditis, magis q̃ eleganter.

Et cæcis uisum.) Καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν. Quod magis sonat redditum uisum,quàm uisum quasi dicas,reuidentiam.

Additum aliquid apudnos

Et diem retributionis.) Hæc uerba nõ adduntur in Græcis uoluminibus, nec addũtur ab Hieronymo,qui citat hunc locum è Luca,edisserens Esaiam prophetam.Quemadmodum nec illud congruit,Dimittere confractos in remissionem.

Deest in nostris.

Impleta est scriptura.) Hæc,addendum est, & ita legitur in emendatioribus libris, Impleta est hæc scriptura.

Vtiq; dicetis.) πάντως ἐρεῖτε, id est,Omnino dicetis,Est enim aduerbium confirmandi.

Quanta pro quæcunq;.

Quanta audiuimus.) ὅσα, id est, Quæ,siue quæcunq;. Atque ita legit autor homiliarum in Lucam,quas Origenis titulo legit uulgus.

In ueritate dico uobis.) Græci addunt coniunctionem non ociosam, ἐπ' ἀληθείας δὲ λέγω ὑμῖν, Sed in ueritate dico uobis.Aduersatur enim hæc pars superiori quæ de contemptu meminit. Atq; ita concinnandus ordo,Contemnitis me,quod præsto sim, uerum nõ omnibus datum est habere,talem,qualis ego sum.

Potestas pro autoritate.

Quia in potestate erat sermo ipsius.) Nemo nescit quid sit esse in potestate.Atqui hic iuxta proprietatem Hebræi sermonis, sentit sermonem Iesu cum autoritate & potestate fuisse coniunctum.Ita aliâs,In uirtute ueniet,dictum est,pro,cum uirtute ueniet.

Sine.) Ἔα. Quod tamẽ aliquoties est aduerbiũ exclamantis: De figura sermonis,Quid tibi & mihi,iam dictum est,non semel.

Scio te quis sis.) οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, id est,Noui te quis es, nempe sanctus ille dei.

Et factus est pauor.) θάμβος, Quod sæpe uertit stupor.Est autem plus quiddam quàm timor aut admiratio.Nam hoc loco magis uidetur admirantium esse,quàm timentium.

Diuulgabatur fama.) ἐξεπορεύετο ἦχος αὐτοῦ. Nomen est à uerbo ἠχέω, quod est,resonare,unde & echo dicta est,quæ uocem acceptam reddit,quod fama tinniat,& pro una uoce plurimas reddat.Ab eodem composita est uox catechumenus.

Magnis febribus.) πυρετῷ μεγάλῳ, id est,Febre magna.Dices lector quid refert,magnis febribus legas,an magna febri.Ne quis hic sine causa philosophetur tractans sensum allegoricum,quomodo multæ febres teneant eandem mulierẽ. Nec est,Tenebatur,sed συνεχομένη, quod aliâs uertit coartari.Attamen interpres Latine reddidit sensum.

Et stans super illam.) Καὶ ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, Interpretis sermo perinde sonat quasi Iesus pede calcauerit mulierem,hoc an uerum sit nescio,probabilius uidetur astitisse & inflexo corpore incubuisse in illam,uelut appellantem dormientem.

Imperauit deprauatiũ pro increpauit.

Imperauit febri.) ἐπετίμησε, id est,Increpauit.forte scriptum erat Increpauit febri,more Græcorum.Et offensus quispiam nouitate constructionis,mutauit Increpauit in Imperauit,id quod & aliâs factum deprehendimus,& suo cõmonstrabimus loco. Porrò quod sequitur,Et dimisit illã,maluissem reddi,Eaq; reliquit illam,ne Christus uideatur reliquisse mulierem. Vt ne addam,

Et surgens ministrabat illis.) Parum commode redditum,cum dicendum fuerit,Erecta ministrauit illis,siue surrexit ac ministrauit illis.

Cum autem sol occidisset.) δύοντος δὲ, id est, cum occideret, siue, occidente uero sole. Consentaneum est autem eos magis acceleraſse quod nox immineret.

Quia sciebant.) ὅτι ἤδεισαν τὸν χριστὸν αὐτὸν εἶναι. Et hic sensus esse potest, quod scirent se, siue ipsum Christum esse. Vt intelligamus eos uetitos dicere, quod nossent eum. Sunt enim qui putent hoc mysteriũ non liquido fuisse cognitũ dæmonibus ante mortẽ Christi.

Quia & alijs ciuitatibus.) Hic coniunctionem redundare notauit & Hugo Cardinalis scribens

ſcribens eſſe pleonaſmum ex idiomate ſermonis Hebraici.

EX CAPITE QVINTO.

IRruerent in eum.) ὡς τοῦ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ, id eſt, Cum turba irrueret illi, ſiue Vrgeret eum.

Præceptor.) ἐπιστάτα. Non eſt, διδάσκαλε, neq; καθηγητὰ, ſed tertiũ quoddam, quod ſonat, quaſi præfectum.

Venirẽt & adiuuarẽt eos.) Se, dicendũ erat, nõ eos. & In altera naui potius q̃ alia.

Ita ut penè mergerentur.) Penè non additur, nec in Græcis, nec in uetuſtis exemplaribus, nominatim in aureo. Verum lector aliquis, nolẽs illic perire apoſtolos, addidit penè.

In captura piſcium.) Hæc pars non eſt referenda ad uerbum, erant, ſed ad uerbum, Pauor habebat, ut intelligas eos ſtupefactos ob tantum piſcium captum.

Ex hoc iam.) ἀπὸ τοῦ νῦν, id eſt, Poſthac.

Eris capiens.) ζωγρῶν. Eſt autem ζωγρεῖν, proprie capere uiuum, quemadmodum fit in bello, dictione compoſita ex ζῶ, uiuo, & ἀγρέυω, uenor, ſiue uenatu capio. Nũc qui Turcas inuadunt, ut illos iugulent, ac ſpolient, mortuos capere malunt, quàm uiuos. Imò pecunias Turcarum uenamur potius quàm Turcas ipſos. *Capere, ζωγρεῖν*

Volo mundare.) Mundare paſſiuum eſt, & imperatiui modi, καθαρίσθητι.

Sed uade, oſtende.) Hic nonnihil addendum erat, nempe, inquit, Sed uade, inquit, oſtẽ de te ſacerdoti. Quod ne quis putet illum religione non feciſſe, fecit idem in Actis apoſtolicis, Quam audiſtis, inquit, per os meum. *Addit aliquid de ſuo interpres.*

Et ipſe erat docens.) Ad eum quidem modum habent Græca. Verum Lucas aliquoties adhibet eam coniunctionem καὶ, ut planè uideatur ſupereſſe. *Ꝯ apud Lucã ſic aliquoties additur, ut uideatur ſupereſſe.*

Quid cogitatis mala.) Mala ſupereſt, nec additur apud Græcos, nec in emendatioribus Latinis. Ieſus enim ciuiliter ſic taxat illorum impias cogitationes, ut nõ prodat tamẽ apud populum, quod eſſent impiæ.

Magnificans deum.) δοξάζων τὸν θεὸν, id eſt, Glorificans. Ac mox,

Et magnificabant deum.) Ꝯ ἐδόξαζον.

Quia uidimus mirabilia.) παράδοξα. Quod aliquãdo uertunt, noua, aut incredibilia.

Nomine Leui.) Lucas inflexit λευεὶν uelut à nominatiuo Leuis.

Conuiuium magnum.) δοχὴν μεγάλην, id eſt, ut ad uerbum reddam, Acceptionẽ magnam, inde dictum, quod accipiantur inuitati. Vnde & ſplendide acceptos dicimus, qui lauto cõuiuio paſti ſint. Athenæus libro Dipnoſophiſtarum quinto, ſplendida conuiuia ὑποδοχὰς uocat. Ac rurſum libro octauo ſplendidum epulum δοχὴν appellat. Hoc admonendum duximus, ne quis de nomine cauilletur, ut ſunt nonnulli in his anxij. *Conuiuium δοχή.*

Non poteſtis filios ſponſi.) νυμφῶνος, id eſt, Filios thalami, ſed proprie in quo ſponſus & ſponſa uerſantur, ut & ante cõmonſtrauimus.

Cõmiſſurã à ueſtimẽto.) Rurſus eſt ἐπίβλημα ἐπιβάλλει, id eſt, Immiſſuram immittit.

Vetus melius eſt.) Græce eſt χρηστότερον, Quod magis ſonat ſuauius, aut blandius. Sic enim uertit lugum meum ſuaue eſt, χρηστόν. Siquidem ut poma ita & uina per ſe auſtera miteſcunt uetuſtate, ita leuiora nobis uidentur, quibus aſſueuimus. *Melius pro ſuauius.*

EX CAPITE SEXTO.

IN ſabbato ſecundoprimo.) δευτεροπρώτῳ. Annotauit Ambroſius noue poſitum à Luca, ſecundoprimum ſabbatum potius quàm primoſecundum, cum magis debuerit præferri quod natura prius eſt. Verum nihil explicat præter allegoriam, dicens hac dictione ſignificari ſabbatum Euangelicum quod eſt ſpirituale. Id & ſecundũ dicitur & primũ, ſecundũ quia ſucceſſit legis carnali ſabbato, primum quia prælatum ei ſabbato cui ſucceſſit, quemadmodum ſecũdus Adã prælatus eſt priori Adam. Hunc ſequutus Beda ſimilia fermè congerit. Diuus Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum monachum, narrat ſe, cum uerſaretur apud Nazianzenũ, hanc illi propoſuiſſe quæſtionem, quid ſibi uellet apud Lucam ſabbatum δευτεροπρώτον. At illum, cum, opinor, non haberet in promptu quod reſponderet, eluſiſſe ioco, Docebo te, inquit, apud populum, ubi acclamantibus, & applaudentibus cunctis uelis nolis cogeris nobis aſſentiri. Lyranus ſalebram hanc fortiter tranſilit. Hugo Carrenſis addit ſecũdo primum *Secundoprimũ ſabbatũ.*

Ambroſius
Sabbatũ ſecundo primum
Sabbatũ Euangelicum
ſpirituale
Hieronymi ſententia
Lyra. Hugo.

primum sabbatum dici,quod à præcedenti proximum sit.Atqui iuxta hanc rationem omnia sabbata δευτερόπρωτα erunt,excepto eo quod fuit omnium primum.Admonet idē nimirum homo diligens,secundo primo duas esse dictiones,ne quis uel imprudens bene posset errare:ut quemadmodum apud Græcos è duabus unica composita est dictio, itidem apud Latinos unam faceret,& ita diceret secundoprimo, quemadmodum Plautus dixit Tragicocomœdiam & nos dicimus Gallogræciam.Equidem super hac re nihil ad huc apud autores comperi,quod satis faciat.Cæterum quod Theophylactus Græcus interpres,etiamsi recentior,in hunc prodidit locum hic adscribam,& quidem ipsius uerbis, {οἱ Ἰουδαῖοι πᾶσαν ἑορτὴν σάββατον ὠνόμαζον, ἀνάπαυσις γὰρ ἦν σάββατον. πολλάκις οὖν ἀπάντα ἦν ἑορτὴ ἐν τῇ παρασκευῇ. καὶ ἐκάλουν τὴν παρασκευὴν σάββατον, εἶτα τὴν κυριακὴν σάββατον ὠνόμαζον δευτερόπρωτον, ὡς δεύτερον ὂν πρωτοσαββάτου ἄλλης ἑορτῆς, ἢ σαββάτου. Quæ quidem ut non grauatus sum adscribere in eorum gratiam qui diffidunt,ita non pigebit interpretari Latine,propter eos,qui Græce nesciunt:Iudæi,inquit,totum festū sabbatum uocabāt.Nam sabbatum requiem sonat.Sæpenumero igitur incidebat festum in parasceuen,& uocabant parasceuen sabbatum propter festum.Itaq; quod proprie sabbatū erat,nominabant secundoprimū,quod secundū esset ab altero festo & sabbato qđ præcesserat.Hactenus Theophylactus,Chrysostomus homilia in Matthæū quadragesima, indicat hoc esse sabbatum,cuius meminit ille capite duodecimo:addens secundoprimum uocari,quando quies atq; ocium duplex erat,tam sabbati domini,quàm solennitatis alterius succedētis.Miserabile uero dictu,quàm hoc loco sese torqueat Petrus Comestor,explicare conans quid sit primosecūdū,uertens sese in omnia,ac ne sic quidem elabens.Nec multo minus Carrensis.Simplicius erat dicere nescio.Nec libet excutere quid hic diuinet Isidorus aut alius huic similis.Hæc rectius explicaret Iudæus,si quid tamē illi possunt adferre quod ad rem pertineat.Nuper quidam monachus & idem Theologiæ professor,in conuiuio rogatus ab erudito quopiam,sed tamen aliud studiorum genus professo, quid sibi uellet apud Lucam sabbatum secundoprimum, negauit quicquam tale reperiri uspiam in euāgelijs,quæ alioqui probe teneret.Cumq; alter asseueraret apud Lucam esse,ibi prouocat uir fortissimus ad certaminis periculum:Hanc,inquit,cappam meā depono,si quid tale scripsit usquam Lucas.

Theophylactus

Chrysostomus

Petrus Comestor.

Monachus quidam

Nota

Interrogo uos.) ἐπερωτήσω, id est Interrogabo.

Si licet sabbatis.) τί ἔξεστι, id est,Quid liceat,siue utrum liceat,quandoquidem de duobus interrogat.Interpres pro τί legisse uidetur εἰ.

Restituta est manus eius.) Exemplar Græcum addit ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη, id est,Sana quēadmodum altera.Verum haud scio an aliunde huc asscriptum.

Repleti insipientia.) ἀνοίας, id est,Dementia.

Simonem quē cognominauit. ὃν καὶ ὠνόμασε πέτρον, id est,Quem & nominauit Petrum,siue Quem eundem,ut binominem intelligas,quanq; aliàs cognomen appellat.

Iacobum Alphæi.) Subaudi filium,quanquam interpres addere debuit, quod in articulo Græco subauditur.

Et maritima & Tyro.) Καὶ τῆς παραλίου τύρου, id est, Et maritima Tyro,citra coniunctionem.Siquidem olim Tyrus insula fuit,post facta peninsula, per Alexandrum magnum regaliter insanientem.Potest tamen accipi maritima substantiue,ut subaudias regione, quemadmodum ante dixit montanam Iudææ.In Constantiensi codice,rasura mutarat locum,uidebatur fuisse scriptum maritimis & Tyri & Sidonis,Nam utraq; ciuitas emporium est ad littus maris.

Regaliter insanire.

Et Sidonis.) Mirum cur hic reliquerit Græcum genitiuum,nisi,ut dixi,putauit utrūq; relinquendum fuisse,ut subaudias regione,ad hunc modum, A maritima parte Tyri & Sidonis,hoc est,ab extrema parte,qua spectat ad mare.Aut à maritima parte Iudææ,nempe Tyro & Sidone.

Beati pauperes.) Hic aperit cœlestis ille doctor arcanam illam suam philosophiā,quā ut traderet suis,è cœlo descenderat in terras:& hanc Christianorum uulgus libenter antiquari sinimus,ac uelut oboleſcere,& alias nugas agimus,cum hæc in primis sint inculcanda animis omnium.Quod si fieret,non ita passim omnes pro rebus friuolis,pro pecunia,pro

Philosophia Christi.

la,pro uaniſſimis imperij titulis,pro quauis iniuriola digladiaremur. Hæc demum ſunt, quæ uere reddunt Chriſtianos, non argutiæ Scotiſtarum,aut Occaniſtarum, frigidæúe hominum conſtitutiunculæ.

Exprobrauerint.) ὀνειδίσωσι, id eſt,Probris affecerint,

Væ uobis cum benedixerint uobis omnes homines,aut ut in uetuſtis legitur,quum bene uobis dixerint.Secundū hæc enim faciebant prophetis patres eorū.) Græci legunt nō prophetis,ſed ψευδοπροφήταις, id eſt,Falſò prophetis,conſentientibus & Latinorum codicibus emendatioribus nonnullis,ſed reclamante Paulino.In Corſendoncenſi, pſeudo aſſcriptum erat,manu recentiore,quemadmodum & in Conſtantienſi. Vnde mihi ſuboritur ſuſpicio utriuſq; linguæ exemplaria uariaſſe.Et haud ſcio an germana lectio ſit prophetis.Cæterum quoniam ſententia prima ſpecie uidetur durior,opinor offenſum erudi tulum quempiam,mutaſſe ſcripturā.Meo iudicio probe quadrat, ut hic quoq; legamus prophetis,illic eijciebant prophetas,quod uera loquerentur,hic ita faciebant prophetis, quod ab eis aſſentationem exigebant potius quàm ueritatem. Quod ſi cui magis placet diuerſa lectio non admodum repugnarim.Superius enim totidē uerbis de prophetis locutus eſt.At hic de adulatoribus,pphetis.Illic faciebant,ſignificabat affligebant,hic facie bāt,ſignificabat p̄bebant ſeſe,& demulcebātur illorū aſſentatiōe.Ex Ambroſio colligi nō poteſt qd legerit.Certe Beda legit & interpretatur prophetis,Irenæus pſeudoprophetis. *Varia lectio.*

Auſert tibi ueſtimentum.) ἱμάτιον, id eſt,Palliū,hoc eſt ſummam ueſtem.Nam tunica infra pallium eſt. Vnde Plautinum illud, Tunica pallio propior eſt.

Et qui te percuſſerit.) Subito mutatus numerus,facit ad inculcādum præceptū, quod unuſquiſq; ſic audire debeat,quaſi ſibi uni dicatur,Ac paulo poſt redit ad numerum multitudinis,& pro ut uultis ut faciant.

Et ſi benefeceritis iis,qui uos diligunt.) καὶ ἐὰν ἀγαθοποιῆτε τοὺς ἀγαθοποιοῦντας, id eſt,Et ſi benefeceritis benefacientibus,conſentiunt & Latinorum uetuſti codices.Interpres legiſſe uidetur τοὺς ἀγαπῶντας.

Siquidem & peccatores hoc faciunt.) τὸ αὐτὸ ποιοῦσιν, id eſt,Idem faciunt.

Peccatores peccatoribus fœnerantur.) δανείζουσιν, id eſt, Mutuum dant. Nam eſt idē uerbum quod ſuperius ita tranſtulit.Cæterum interpres intelligens fœnerari uitio datū, non auſus eſt uti eo uerbo,de probis uerba faciens.Illic igitur dixit mutuum dare,hic fœnerare,cū Græcis utrobiq; idem ſit uerbum,quod tamē illis anceps eſt. Nam & qui citra uſuram dat mutuum δανείζει, & qui ad uſuram dat δανείζει. Verum hic perpetuo uertendum erat,Dare mutuum.Agit enim non de quæſtu fœneratorum,ſed de mutuis officijs amicorum inter ipſos.At inter impios quoq; reperias, qui amico credat pecuniam mutuam.Idem ſi faciunt diſcipuli Chriſti,nihil magni faciunt.Extenuat enim Chriſtus uulgaria officia,utpote communia cum Ethnicis ac malis,ut ad illa prouocet quæ peculiaria ſunt Chriſtianorum,ut ſit in quo cæteros antecellant. Verū eò redierunt mores,ut ſi titulum,ſi ceremonias ſubduxeris,hac nota uix poſſis Chriſtianum ab Ethnico dignoſcere. De uulgo Chriſtianorum loquor,non de omnibus. *Fœnerare δανείζειν*

Verum tamen.) πλὴν, id eſt,Imó.

Nihil inde ſperantes.) μηδὲν ἀπελπίζοντες. Græcis compoſita dictio eſt, ἀπελπίζειν, ex re quapiam ſperare.Sentit enim opinor de fœnore, quod ex mutuo redit. Nam in hunc ſenſum interpretantur ueteres. *Inde ſperantes ἀπελπίζοντες*

Quia ipſe benignus eſt.) χρηστὸς, quod ſæpenumero uertit bonus.Sonat autem cōmodum & humanum, ac facilem ad gratificandum,id quod propemodum declarat & benignus,qua de re compluſculis locis,& dictum eſt, & dicetur.

Dimittite & dimittetur uobis.) Latinius erat,remittite & remittetur. Credi uix poſſit, quantas tragœdias excitarint apud indoctam plebeculam,ſycophantæ quidam, cuculla perſonati,quod in oratione dñica,maluerim,Remitte nobis debita noſtra,ſicut & nos remittimus,quaſi ſit atrox contumelia facta Chriſto,ſi quis malit dicere remitte q̄ dimitte. Atqui diuus Auguſtinus libro quinquaginta homiliarum,homilia uigeſimanona,addu cens hunc locū,legit,Remittite,& remittetur:quur non æque clamant in illum? *Dimittite pro remittite.*

Cōfertam & coagitatam.) πεπιεσμένον. Quod ſonat preſſam.Id enim ſit in aridis,quo

plus capiat mensura. Et coagitatam, est σεσαλευμμένον, id est, Concussam. Nam & hoc pacto fit, ut plus capiat uas quo metimur. Gaudet enim Christus harum rerum collationibus uti, quæ sensibus omnium notissimæ sunt.

Et supereffluentē.) ὑπερεκχυνόμενον. Satis expressit interpres Græcam uocem inde dictam, quod superne effundatur, id quod mensura non capit.

Si sit sicut magister eius.) Græca secus habent, nempe ad hūc modum, κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτου, id est, Perfectus autem omnis erit sicut magister ipsius, non enim uetat Christus ne sit perfectus discipulus, at non uult, ut discipulus usurpet sibi, quæ præceptor non usurpauerit, ac præire conetur, sed ita perfectus erit, si per omnia imitetur suum præceptorem. Et in hanc sentētiam legit, & interpretatur Theophylactus. Itaq; citat Irenæus circa finē operis sui. Christus nō usurpauit opes & honores huius mūdi, hæc si affectet Christi uicarius, uidet plus quiddā usurpare sibi, q; usurparit Christus.

Trabē in oculo tuo.) τὸ τὸ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ, id est, In tuo ipsi⁹ oculo, siue in proprio oculo.

Qui fodit in altum.) Sensum recte uertit, cæterum Græce est ὃς ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε, hoc est, ut ad uerbum reddam, Fodit & profundauit.

Aedificanti domum suam.) οἰκοδομήσαντι, id est, Qui ædificauit domum suam, præteriti temporis, Nec est supra petram, quod Græci dicūt ἄνω πέτρας, sed ἐπὶ πέτραν, id est, Super petram, siue in petra.

EX CAPITE SEPTIMO.

Enturionis autem.) Ex hoc loco constat, quem Matthæus παῖδα uocat non filium fuisse, sed famulum. δοῦλος enim nihil aliud quàm seruum, aut famulum significat. Et quod hic uertit,

Erat moritur⁹.) ἔμελλε τελευτᾶν uertere poterat, Agebat animā, aut erat in periculo mortis, aut certe Incipiebat mori. Sic ēm uertit aliquoties. Deinde,

Preciosus nouē pro charus

Qui erat illi preciosus.) Noue dixit. Charus enim tum ad rem, tum ad hominem pertinet. Preciosus non nisi ad rem, nisi per metaphoram. Proinde ἔντιμος uertendum erat Charus, aut in precio habitus.

Solicite.) σπουδαίως, Diligenter, siue ut magis ad uerbum, studiose, ac sedulo. Et quia cōiunctio erat omittenda. Annotandum autem quàm Iudaica cōmendatio, quam non sine causa recensuit Lucas: Amat, inquiunt, gentem nostram, & synagogam nostram ipse ædificauit nobis. Ad eundem modum & hodie quidam, quæstui prætexentes pietatem, adulantur diuitibus. Benigne largitur fratribus, extruxit nobis monasterij partem, fauet ordini nostro, tantum legauit, fraudatis etiam liberis. Quasi quod illis datur, fortassis ad luxum, deo detur, quod liberis aut cognatis egentibus relinquitur deo non detur. Hæc nō eò spectant, ut damnē benignitatē in monachos præsertim pios, sed ut admoneam quosdam nihil aliud agentes, q; ut captent diuites.

Nec in Israël tantam fidē inueni.) Ambrosius ostendit olim in Latinis codicibus hanc fuisse lectionem, In nullo tantam fidem inueni in Israël, quum iuxta Græcos legendū sit, Nec in Israël tantam fidem inueni.

Discipuli eius.) Græci addunt, ἱκανοὶ, id est, Multi.

In ipsa autem hora.) ἐν αὐτῇ, In eadem autem hora: quanquam hoc loco tempus significet potius quàm horam.

Laurentij sententia pensitata.

Pauperes euangelizantur.) Demiror quid Laurentio acciderit, cum hoc loco mauult euangelizant, quàm euangelizantur. Quasi uero sensus sit, pauperes prædicasse euangelium, ac non potius accepisse euangelium. Etenim ut Græci dicunt, euangelizo te, pro eo quod est, adfero tibi bonum nuncium, ita dicunt, ille euangelizatur, pro eo quod est, accipit lætum nuncium, ut & aliàs indicauimus. Id q; q; ad apostolos pertinere potest, tamē hoc non erat argumentum uenisse Messiam, quod apostoli prædicarent Euāgelium, sed quod humiles & idiotæ reciperentur ad Euangelij gratiam. Dominus autem alludit ad prophetiam, Euangelizare pauperibus misit me. Hoc indicio significat se esse Christum. Porrò pauperes uocat mites, siue mansuetos Hebræorum more, quibus עֲנִיִּים ab Hieronymo uertitur, pauper, à Septuaginta mansuetus, quod ferè diuitias comitetur ferocia, & ferocia indocilis sit.

Vento

Vento agitatam.) σαλευόμενον, id est, Quæ agitatur, siue uacillantem. Est enim passiuū præsentis temporis. Proinde Ambrosius legit Arundinem uento moueri, participio uerso in uerbum, ut tēporis ratio conueniret. Atq; ita sanè legitur in codice aureo, in Constantiensi, alijsq; multis.

In uestę preciosa.) ἐνδόξῳ, id est, Gloriosa, siue splendida. Nec enim est ἐντίμῳ, siue πολυτελεῖ. Quod si Latine loqui uoluisset, mutanda erat forma Græcanici sermonis. Nam illi τὸν ἐν πορφύρᾳ dicunt, hoc est, Illū qui est in purpura, pro purpurato, siue purpurā induto. Vertendum igitur erat ad hunc modum: Qui splendido uestitu utuntur, & in delicijs uersantur, in regijs sunt, siue in regum palatijs sunt. Est enim Græcis ἐν τοῖς βασιλείοις.

Vtiq; dico.) ναὶ, quod est affirmantis.

In nonnullis uetustis codicibus hic locus alio pacto distinguitur Quid existis in desertum? Videre arundinem uento moueri? Sed quid existis? uidere prophetam? Eadem distinctio posset esse in Græcis, etiamsi id nihil refert ad sententiam.

Spreuerūt in semetipsos.) ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς, id est, Aspernati sunt aduersus seipsos. Sentit enim illos recepisse in suum bonum, hos in suum malum reiecisse. Ambrosius legit in se. Potest & εἰς accipi positum uice ἐν, atq; ita fuerit sensus: Intra sese, hoc est, in animo suo, cum non auderent palàm damnare, quod impense placeret populo. *Sensus uarius*

Et loquentibus ad inuicem.) καὶ προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις, id est, Acclamantibus inter sese. De cæteris item quæ sequuntur, diximus in Matthæo.

Venit autem.) ἐλήλυθεν γάρ, id est, Venit enim, suffragantibus & antiquis exemplaribus. Nec est, Deuorator, sed edax φάγος.

Et bibens uinum.) οἰνοπότης, id est, Vinipotor, seu uinibibus, contumeliæ uox.

Sapientia à filijs suis.) Apud Lucā addit omnibus, πάντων, ut intelligamus Christi doctrinā placuisse omnibus, q essent filij sapiētiæ. Atq; ita legit Ambrosius, nec legit modo, uerūetiā interpretat: atq; itidē scriptū est in libris emēdatoribꝰtū Græcis, tū etiā Latinis. *Omissa uox.*

Ecce mulier in ciuitate peccatrix.) καὶ ἰδοὺ γυνὴ ἐν τῇ πόλει, ἥτις ἦν ἁμαρτωλός, id est, Et ecce mulier in ciuitate, quæ erat peccatrix, siue quæ fuerat peccatrix.

Lachrymis cœpit rigare.) Interpres omisit dictionem, κλαίουσα, quæ tamen haud scio an addita sit à studioso quopiā. Siqdē p se flere intelligit & affatim flere, quæ lachrymis rigarit pedes, καὶ στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω κλαίουσα, ἤρξατο βρέχειν, id est, Et stans iuxta pedes illius à tergo flens, cœpit rigare lachrymis &c. Cæterū conijcere licet triclinium more ueterū in ædito fuisse, ut stans attigerit pedes, à tergo lectis patentibus, in quibus discumbebat. Quæ & qualis.) Rursum est ποταπή, quod alibi Laurentius uerti uoluit in Quanta, quod hic certe non poterat, nisi dixisset, quanta peccatrix, Certe uox admiratio nē habet. *Variat lectio Græcorum.*

Cuidam fœneratori.) δανιστῇ, Quod non solum fœneratorem sonat, uerum etiam creditorem, nomen uerbale, à uerbo δανείζω, de quo supra diximus. Hoc sanè loco, magis quadrabat, creditori, quandoquidem de officio loquitur. Alioqui quis unquam audiuit fœneratorem condonasse cuiquam æs alienum? *Fœnerator creditor.*

Vnus debebat denarios.) Vnus & alter dicendū erat, nō Alius, aut alter & alter, si Latine loqui studuisset. Donauit utrisq;,) ἐχαρίσατο, melius hic erat, Condonauit.

Quis ergo plus diligit.) Græci habēt τίς οὖν αὐτῶν εἰπὲ, πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει, Horū igit, dic, uter eū plus diliget? Aestimo.) ὑπολαμβάνω, id est, Opinor, siue existimo.

Pedibus meis.) ἐπὶ τοὺς πόδας μου, id est, In pedes meos.

Non cessauit osculari eum.) οὐ διέλιπε καταφιλοῦσα. Belle participium mutauit in uerbum infinitum. Est enim Græce, non defecit deosculans.

Cui autem minus dimittitur.) ὀλίγον est Græce, id est, Parū, siue paulum, non minus.

Intra se.) Græcus sermo anceps est. Accipi potest, Intra sese, ut cogitarint dūtaxat, aut Inter sese, ut collocuti sint.

EX CAPITE OCTAVO.

PEr ciuitates & castella.) Vetusti codices habent, Per ciuitatem & castellū, numero singulari, nimirū Græcis ad uerbū redditis, κατὰ πόλιν καὶ κώμην. Verū id perinde ualet Græce, ac si dicas oppidatim & castellatim, id est, Per singulas ciuitates & castella. Vnde interpres nō omnino perperā mutauit numerum. *Interpres alius mutare Græca. Per ciuitates.*

De ciuitatibus.) κατὰ πᾶν πόλιν ἐπιπορευομένων, id est, Eorum qui oppidatim accedebant, hoc est, è singulis ciuitatibus.

Inter spinas.) ἐν μέσῳ ἀκανθῶν, id est, In medio spinarum. Quanquam & hoc recte mutauit interpres.

Et exortæ spinæ.) καὶ συμφυσσαι αἱ ἄκανθαι, id est, Simul enatæ spinæ, hoc est, una cum herba segetis.

Nam qui supra petram.) οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἵτινες ὅταν ἀκούσωσιν, id est, Qui uero in petra, qui cum audierint, ut subaudias, seminati sunt, aut semen acceperunt.

Quia ad tempus credunt.) οἵ, Qui, est, non quia, ὅτι: suffragantibus etiam uetustis exemplaribus.

Suffocantur πορευόμενοι

Euntes suffocantur.) Pro Euntes Græce est πορθυόμενοι. Apparet hoc participium nō usurpatum, ut sit deponens, sed ut sit passiuum à πορένω: quod, ut constat, significare ago, si ue duco, ita haud scio an idem significet copiam adfero. Id enim est πορίζω, & πορίζομαι, ut ordinemus ad hunc modum, συμπνίγονται πορευόμενοι, ὑπὸ μεριμνῶν, καὶ πλούτου, καὶ ἡδονῶν, id est, Suffocantur dum obruuntur à curis, ac diuitijs & uoluptatibus. Verum hoc lectoris eruditi iudicio relinquo. Nam intelligi potest, progressu temporis accrescente diuitiarū copia. Quid si πορθυόμενοι dictum est pro ἐμπορευόμενοι, ut ad negociatores pertineat.

Non referunt fructum.) πληροφοροῦσιν. Vnicam dictionē Græcam duabus reddidit. Sonat autem Græca uox non solum fructum, sed fructum perfectum & absolutum. Herbescunt enim & illa semina, cæterum non ædunt fructum quem expectat agricola.

Bono & optimo

Bono & optimo.) ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ, id est, In corde honesto & bono, utrunque positiuum est. Sed conduplicatio facit ad epitasin, quasi dicas, egregie bono. Hoc loco in quibusdam libris comperi asscriptum, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω.

Et subtus lectum.) Valla recte mutat Subtus aduerbium in Subter præpositionem.

Quod non manifestetur.) Græcis utrunque uerbum futuri temporis est, φανερὸν γενήσεται, & γνωσθήσεται. Proinde mutato duntaxat uerbi modo, sic cōmode reddidisset, Nihil occultum, quod non futurum sit manifestum, & nihil absconditum, quod non sit cognoscendum, & in propatulum uenturum.

In palàm) εἰς φανερὸν, id est, In apertum, aut in propatulum. Nec Latine locutus est interpres, nec Græca reddidit uerba.

Videte igitur quid audiatis.) πῶς ἀκούετε, id est, Quomodo audiatis.

Qui enim habet.) ὃς γὰρ ἐὰν ἔχῃ, id est, Quicunque enim habet, siue habuerit.

Quod putat se habere.) ὃ δοκεῖ ἔχειν, id est, Quod uidetur habere. Licet Græcus sermo ancipitem habeat sensum, uidetur habere sibi, & uidetur alijs.

Audire pro adire mēdose.

Et non poterāt audire.) Adire legendum est, suffragantibus uetustis codicibus. Nam Græce est, οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ, id est, Et non poterant conuenire eum. Verum id non accidit interpretis culpa, sed librariorum.

In nauiculam.) εἰς πλοῖον, id est, In nauim, ut hunc præter diminuta nihil delectat.

Transfretemus trans stagnum.) διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης, id est, Transeamus in ulteriora stagni. Deinde, Et ascenderunt, ἀνήχθησαν, potius est soluerunt, hoc est, discesserunt à litore subducti. Non iam excutio, an apte dicatur transfretari stagnum, cum fretum sit rapidum, stagnum à stando nomen habeat, quemadmodum & λίμνην Græci dictam putant ἀπὸ τοῦ λίαν μένειν: quanquam Homero & Oceanus dicitur λίμνη, ut in Iliade, ἠέλιος δ' ἀνόρουσε λιπὼν περικαλλέα λίμνην. Et hic lacus Tyberiadis, alicubi mare dicitur Euangelistis. Siquidem hunc esse lacum, indicat Hieronymus in locis Hebraicis: Gergesa, inquit, ubi qui à dæmonibus uexabantur saluator restituit sanitati: & hodieq; super montē uiculus demonstratur iuxta stagnum Tyberiadis, in quod porci præcipitati sunt.

Compellebantur pro complebantur.

Compellebantur.) Hoc scio deprauatum à librarijs, tamen quia tam propè accedit ad ueram lectionem, ne inualescat error, admonendum duxi, Complebantur, esse legendum, concordantibus & uetustissimis exemplaribus Latinis, nominatim aureo, συνεπληροῦντο. Latinus quidam codex addit fluctibus.

Præceptor.) Græce est, ἐπιστάτα ἐπιστάτα, id est, præceptor præceptor, ut intelligas & Iesum altum dormisse somnum, & discipulos instanter inclamasse.

At ille

At ille surgens.) ὁ δὲ ἐγερθεὶς, id est, At ille experrectus.

Gerasenorũ.) τῶν γαδαρηνῶν, id est, Gadarenorũ, de quo iã ante nõ semel disseruimus. *Gadareni.*

Vir quidam.) Græci addunt, ἐκ τῆς πόλεως, id est, E ciuitate, quod tamen nusquã additum reperio apud Latinos: nec ex Ambrosianis cõmentarijs conijcere licuit illum ita legisse. Apud Theophylactum Græcum reperio. Quanquã magis uertendum erat, Ex ea ciuitate, ut accipias dæmoniacum prodisse è ciuitate Gadara.

Arripiebat illum.) συνηρπάκει αὐτὸν, id est, Corripuerat illum. Nec est,

Et compedibus custoditus,) sed καὶ πέδαις φυλασσόμενος, καὶ διαῤῥήσσων τὰ δεσμὰ ἠλαύνετο, id est, Et compedibus seruabatur, ac disrumpens uincula, agebatur &c. Quod tamen mollius uerti potuit ad hunc modum: Cumq; compedibus seruaretur, tamen disrumpẽs uincula ferebatur à spiritu in loca deserta.

In deserto.) εἰς τὰς ἐρήμους, id est, In deserta, ut subaudiamus, loca. Atq; ita legitur in codicibus Latinorum emendatioribus.

In abyssum.) Græca uox est, Latine uorago dicitur.

Præceps.) κατὰ τὸν κρημνὸν, id est, Per præceps, siue Per præcipitium. Et sic habent uetustissimi Latini codices.

A legione.) ὁ δαιμονισθεὶς, id est, A dæmonio uexatus, siue A dæmonibus agitatus.

Multitudo regionis Gerasenorum.) ἅπαν τὸ πλῆθος τῆς περιχώρου τῶν γαδαρηνῶν, id est, Vniuersa multitudo regionis undiq; finitimæ Gadarenis. Ambrosius aut legit Gerasenos, aut eosdem putauit Gerasenos & Gadarenos, cum paulo post ait, Reliquerat in Gerasenis synagogam Christus &c. *Gerasceni.*

Dimisit autem eum Iesus dicens.) Quoniam interpres alicubi usurpat Dimisit, pro Siuit, siue Permisit, sciat lector hic esse ἀπέλυσε, hoc est, Non passus est esse secum, sed ablegauit à se.

Et hæc moriebatur.) ἀπέθνησκεν. Poterat esse, Et mortua erat, ut intelligamus iam tum puellam expirasse, licet id nondum sciret pater, qui reliquerat agentem animam. Imò haud scio an hoc uerbo secus liceat uti.

Et contigit dum iret.) Etiamsi ad sensum nihil omnino habet momenti, tamen in Græcis quos ego uiderim, non additur καὶ ἐγένετο.

A turbis cõprimebatur.) οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτὸν, id est, Turbæ suffocabant eum, hoc est, constringebant & arctabant, diuersum uerbũ ab eo quod mox uertit, Comprimunt.

Quæ in medicos erogauerat.) ἥτις εἰς ἰατροὺς προσαναλώσασα ὅλον τὸν βίον, οὐκ ἴσχυσεν ὑπ' οὐδενὸς θεραπευθῆναι, id est, Quæ cum insumpsisset in medicos totam substantiam, nõ potuit à quoquam sanari. Et aliquanto post,

Turbæ te comprimunt & affligunt.) συνέχουσί σε καὶ ἀποθλίβουσι. Malim, Coarctant te, siue Distringunt te atq; afflictant.

Nam & ego noui.) In Græcis tantum est, Nam ego noui, cõsentiente exemplari Paulino, sed dissentiente Corsendoncensi. Ambrosius consentit cum Paulino.

Virtutẽ de me exisse.) ἐξεληλυθυῖαν ἀπ' ἐμοῦ. Recte sanè hoc loco interpres mutauit participium in uerbum infinitum, quod tamen in Matthæo & Marco non fecit. *Virtutem exisse.*

Vade in pace.) εἰς εἰρήνην, id est, In pacem: quæ Græca præpositio anceps est.

Venit ad principem synagogæ.) Ita quidem constanter habebant Latini codices, etiã uetusti. Ex Ambrosio non liquet quid legerit. Cæterum Græce est, πρὸς τὸν ἀρχισυναγώγον λέγων αὐτῷ, id est, A principe synagogæ dicens ei. Verum offensus aliquis absurditate, quam prima fronte præ se fert sermo, mutauit A principe, in Ad principẽ. Atqui erat subaudiendum Domo, ut fieri solet in huiusmodi orationibus. Verum de hoc quoq; superius dictum est copiosius in Marci caput quintum. *Ad principẽ. pro à principe.*

Ipse autem.) Hic addunt Græci, ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, id est, Foras eiectis omnibus: id quod additur in cæteris Euangelistis. Quanq; apud Ambrosium nõ reperio additum, & haud scio an aliunde huc transcriptum sit. Argutatur Valla non conuenire parentes solos obstupuisse, si turba aderat illa tota, cuius ante facta est mentio. Præterea quorsum attinebat, inquit, interdicere, ne cui dicerent, si res tot testibus acta est: Ob hæc necesse putat adijci hæc uerba, quæ sanè in Græcis codicibus constanter adscripta uisuntur, eiectis *Valle sententia expensa.*

omnibus. Mihi, ut dixi, uidentur ex Marco ac Matthæo addita, quorum uterq; teſtatur turbam fuiſſe eiectam. Matthæus capite nono narrat, turbam eiectam, idem dicens quod Marcus capite quinto, qui prodidit omnes fuiſſe eiectos, præter parentem utrunq; puellæ, ac diſcipulos quos ſecum habebat, nimirum tres, Iacobum, Petrum, & Ioannem, quos paulo ante ſolos iuſſerat ſequi. Neq; erat cauſa, cur hic adderetur, Eiectis foras omnibus, cum Lucas paulo ante teſtatus ſit, Ieſum non paſſum eſſe quenquã ingredi eò, ubi funus erat puellæ, præter patrem & matrem, ac treis modo dictos diſcipulos. Quos ſi eiectos intelligamus, quomodo dicuntur obſtupuiſſe? Neq; periculum erat, ne res celari nõ poſſet, tam paucis teſtibus geſta. Nihil eſt igitur quod hoc loco cauillatur Laurẽtius. Vnus modo ſcrupulus reſtat. Si iuxta Lucam Ieſus non eſt paſſus turbam ingredi, quomodo dicitur eiecta? ſed fieri potuit, ut in ueſtibulo, aut in atrio conſtiterit turba, funus autem in interioribus ædibus poſitum fuerit.

Et reuerſus eſt ſpiritus eius.) ἐπέστρεψε. Conuerſus potius, quàm reuerſus: niſi forte interpres legit ἀνέστρεψε.

EX CAPITE NONO.

In uia.) εἰς τὴν ὁδὸν, id eſt, In uiam. Et Tuleritis, non eſt à uerbo fero, ſed à tollo. Ne quid tollatis in uiam, ſiue ad iter, hoc eſt, Ne quid deportetis.

Duas pro binas.

Neq; duas tunicas,) μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας, id eſt, Neq; binas tunicas, id eſt, ſinguli duas. Cæterum ἔχειν, infinitum uerbum poſitum eſt uice imperatiui, more Græcanico. Tunicam autem dixit non pro quauis ueſte, ſed pro ſpecie ueſtis, ut intelligas, alteram indui, alteram deportari in ſarcina pro mutatoria.

Deprauatio in noſtris manifeſta.

Et inde ne exeatis.) Græce ſecus eſt, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε, id eſt, Et inde exite. Sentit enim ut unis duntaxat ædibus uterentur: ne aliunde exirẽt relicturi ciuitatem, quàm quò ingreſſi fuiſſent aduenientes, ne cui parum ſtabiles uiderentur. Ad eum modum non legit modo Theophylactus, uerum etiam interpretatur. Verum hoc non interpretis culpa, ſed librariorum uitio mutatum eſſe conſtat.

In teſtimonium ſupra illos.) ἐπ' αὐτούς. Quæſo cur non potius Aduerſus illos quàm Supra illos? adeó ne ſtudio fuit corrupte dicere?

Et hæſitabat.) διεκρίθη. Quod ut ſignificat hæſitare, ita ſignificat, & perplexũ eſſe, atq; ancipitis conſilij, & animi dubium. Metuebat enim, ſi is reſurrexiſſet quẽ occiderat.

Quæ eſt Bethſaida.) εἰς τόπον ἔρημον, πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά, id eſt, In locum ſolitarium ciuitatis, quæ dicitur Bethſaida. In uetuſtis lego, qui eſt Bethſaidæ, ut intelligas deſertum Bethſaidæ uicinum.

Qui cura indigebant.) θεραπείας. Cur non potius curatione, cum de morbis loquatur, cum & Latinius ſit, & ad Græcam uocem exprimendam accõmodatius?

Quæ circa ſunt.

Villasq; quæ circa ſunt.) εἰς τὰς κύκλῳ κώμας, id eſt, In circumiacentes uicos, ſiue oppidula. Et rurſus Agros, uertit in uillas, nec id ſanè male, modo bene intelligatur.

Inueniunt eſcas.) ἐπισιτισμόν, id eſt, Cõmeatũ. ἐπισιτίζειν enim eſt cibarijs inſtruere.

Per conuiuia.) κλισίας ἀνὰ πεντήκοντα, id eſt, In ſingulo quoq; accubitu quinquaginta. Nam id intelligit interpres per conuiuia. Neq; enim eſt hic συμπόσια, ut in Matthæo, ſed κλισίαι, quod ſonat accubitus, ſiue diſcubitus.

Et diſcubuerunt omnes.) καὶ κατέκλιναν ἅπαντας, id eſt, Diſcumbere fecerunt omnes, quomodo legitur & in aureo codice. Interpres legiſſe uidet ἅπαντες, ut ſubaudias ἑαυτούς, aut uerbum tranſitiuum uſurpes pro neutro. Alioqui uidetur bis idem dixiſſe: Et fecerũt ſic, & diſcumbere fecerunt omnes.

At ille increpans illos.) Antehac interpres penè perpetuo tranſtulit ἐπιτιμᾶν, commonari: quod ſi uſq; aliàs, hic certe faciendũ erat. Cur eũ increparet Chriſtus diſcipulos ob hoc reſponſum, ob quod tantopere collaudatus eſt Petrus iuxta alios euangeliſtas? Proinde uertendũ erat, Interdixit eis, ſiue interminatus eis, præcepit ne cui dicerent.

Dicens, quia oportet fieri hæc.) Aut omittenda erat interpreti coniunctio ὅτι, aut uertendum erat, Quod oporteret &c.

Nam qui me erubuerit.) An hic ſermo ſit Latinus neſcio, certe apud Q. Curtium legimus, Erubuit fateri, & Erubeſcunt fortunæ. Nam apud exactius loquẽtes, erubeſcere ſer

mè uer/

mè uerbum eſt abſolutum. Certe optarim eſſe Latinũ quod poſuit interpres, nec ipſe talibus offenderer, niſi eſſent aures meis delicatiores. Tolerabilius tamen hoc illo quod alibi notauimus, qui me confuſus fuerit.

Tollat crucem ſuam cotidie.) Cotidie nonnullis Græcis codicibus non addebatur, ſed refragantibus uetuſtiſſimis Latinis.

Nam qui perdiderit.) ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ. Quicunq; uero perdiderit: niſi nam, poſitum eſt loco, autẽ. Et ueſtitus eius albus & refulgens,) ἐξαστράπτων. Quaſi dicas, ex ſe mittens fulgur, & effulgurans. Conuenit cum eo quod annotauimus in Matthæo, ſicut lux pro ſicut nix. Deinde illud quod mox præceſſit, *Altera pro diuerſa.*

Et facta eſt ſpecies uultus eius altera.) τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον. Maluiſſem ita reddere, Species aſpectus eius alia, ſiue diuerſa. Aut ſi licet à uerbis diſcedere, Mutata eſt ſpecies uultus eius.

In maieſtate.) ἐν δόξῃ, id eſt, In gloria, quemadmodũ uertit & paulo ſuperius.

Exceſſum eius.) Exceſſum, mortem intelligit. Nam Græce eſt ἔξοδον, id eſt, Exitum, non ἔκβασιν. Quandoquidem & exceſſum & exitum uſurpari pro morte, compluribus exẽplis docet Laurentius, à quo petat, ſi quis forte diffidet. Nos cõpendio ſtudemus. *Exceſſus pro obitu.*

Dilanians eum.) καὶ μόγις ἀποχωρεῖ ἀπ' αὐτοῦ σπαράσσον αὐτόν, id eſt, Et uix diſcedit ab illo lacerante ſe, ut intelligas puerum uix effugere à ſpiritu. Quanquã hoc loco uariant exemplaria Græcorum. Quædam habebant σπαράσσον, id eſt, Cõminuens, aut diſcerpens, quæ lectio mihi magis probatur, ut accipiamus ſpiritum dilaniare puerum.

Eliſit eum dæmonium, & diſſipauit.) ἔῤῥηξεν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον καὶ σπαράξαν, id eſt, Laniauit illum dæmonium, & concerpſit. Interpres pro ἔῤῥηξεν, legiſſe uidetur ἔῤῥιψεν, pro quo reddidit, Eliſit. Nec mihi diſplicet hæc lectio.

In magnitudine dei.) ἐν μεγαλειότητι, id eſt, In magnificentia, ſiue maieſtate. Dictum eſt enim ab eo nomine quod ſolet uertere magnalia, μεγαλεῖα.

Ponite uos in cordibus ueſtris.) Græce eſt, εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν, id eſt, In aures ueſtras, hoc eſt, diligenter auſcultate quæ dicturus ſum. Refertur enim ad ſequẽtia. Porrò, In auribus dixit potius q̃ in cordibus, propterea quod non eſſent intellecturi. Sequitur enim mox,

At illi ignorabant uerbum iſtud.

Velatum ante eos.) παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν, id eſt, Abſconditum ab illis.

Intrauit autem.) εἰσῆλθε, id eſt, Subijt.

Cogitatio.) διαλογισμὸς, id eſt, Diſputatio. Quanquam Græca uox anceps eſt. Cæterum ex alijs euangeliſtis liquet inter illos hac de re diſceptatum fuiſſe, neq; rem intra tacitam animi cogitationem conſtitiſſe. Atqui in eo quod mox ſequitur,

At Ieſus uidens cogitationes cordis) ſignificat ſe de cogitatione loqui. Eſt enim & hic eadem uox, διαλογισμόν, Eſt aũt in hoc loco magna inter euangeliſtas diuerſitas, quæ tamẽ haud magno negocio redigi poteſt in cõcordiã. Iam articulus Græcus, quẽ addit Lucas, τὸ, τίς ἄρα εἴη μείζων, ita reddi potuit, De hoc quis nã eſſet futurus maior, ſiue maximus.

In eis.) ἐν αὐτοῖς, id eſt, Inter eos.

Hic maior eſt.) Græce ſic habet, ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἔσται μέγας, id eſt, Qui enim minor fuerit inter uos omnes, hic magnus erit. Iam ante demonſtratum eſt, magnum dici magnatem, & minorem infimatem.

In ciuitatem.) εἰς κώμην, id eſt, In caſtellum. Nam ita plerũq; uertit: tametſi quidam codices habent πόλιν, id eſt, Ciuitatem. Atq; ita legiſſe uidetur interpres. Nam aliquanto poſt, εἰς ἑτέραν κώμην, uertit In aliud caſtellum.

Facies eius erat euntis.) τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον, id eſt, Facies eius erat uadẽs. Quanquam nihil refert ad ſententiam. Et utinam frequentius id auſus eſſet, Euangeliſtæ ſenſum magis quàm uerba reddere. Sicut enim oculi loqui dicuntur, qui innuunt quod dictum uelis, ita facies ire dicitur, quæ præ ſe ferat iter aliquò deſtinatum eſſe.

Vis dicimus.) θέλεις εἴπωμεν, id eſt, Vis dicamus.

Et conſumat illos.) ὡς καὶ ἠλίας ἐποίησε, id eſt, Quemadmodum & Helias fecit. Hoc additum reperio in Græcorum codicibus, quos quidem uiderim omnibus. Verum haud ſcio, an uelut ab explicante locum aliquo ſit huc aſſcriptum. Neq; enim in ullo ueterum exempla *Additum aliquid apud Græcos.*

exemplariorum nostrorum comperi,etiamsi sic legit & Theophylactus.

Non uenit animas perdere,sed seruare.) In Græcis,quos uidere memini,codicibus addi tur hominum,sed reclamantibus uetustis exemplaribus pluribus, atq; etiam uulgatis, nec refert ad sensum. Quin totum hoc:Filius hominis non uenit animas perdere,sed sal uare,non attigit Theophylactus,nec legēs,nec interpretans,quod an casu acciderit incer tum,uidet incuria prætermissum,Alioqui uideri poterat huc adiectū ex Matthæi. ca. 18.

Vbi caput suum reclinet.) Suum apud Latinos additum admonuimus alibi.

Quocunq; ieris.) ἀπέρχῃ, id est, Abieris.

Renūciare ijs quæ domi sunt.) Ex Græcis nō liquet an legendū sit,Iis quæ domi sunt, an ijs qui domi sunt.Nisi quod uetustissimus codex habebat Iis q domi sunt, genere ma sculino,consentiente & Corsendoncensi exemplari, nimirum ut ad personam referatur. Quanquàm idem Lucas eodem uerbo sic usus est huius euangelij capite decimoquarto ut ad rem pertineat,Nisi quis renunciauerit,& cætera.Quemadmodum & hominem iu bemus ualere,& uoluptates ualere iubemus.Poterat igit & hic accipi,renunciare negoci js domesticis.Quod interpres hic uertit Renunciare,alibi uertit ualefacere:uelut in epi stola ad Corinthios posteriore, capite secundo, ἀλλ' ἀποταξάμην αὐτοῖς, Sed ualefaciēs eis.Rursus in actis apostolorū capite uicesimo:Et exhortatus eum,ualedixit.Nam illic in terpres legisse uidetur ἀπεταξάμην, licet nostri codices habent ἀσπασάμην. Rur sum eiusdem operis capite decimo octauo,Fratribus ualefaciēs nauigauit in Syriam,τοῖς ἀδελφοῖς ἀποταξάμην. Est autem proprie ἀπετάσεσθαι, mandatis ijs,quæ uelis,aliquem dimittere.An idem polleat renunciandi uerbum,mihi non admodum liquet. Aliquoties renunciare,comperio positum,pro nunciare quod gestum est,aliquoties pro nuncio mis so interdicere,ut Renunciauit illi hospitium,apud Ciceronē,& apud Suetonium in Cali gula,renūciat amicitiam qui denunciat inimicitiam,& apud eundem in Galba, renunciat uitæ,q decreuerat mori.Nos,quo dilucidior esset sermo,uertim⁹ ualedicere,p renūciare.

Renunciare quid sit.

Nemo mittens manum.) ἐπιβαλὼν, & βλέπων. Alterum participium est præteriti tem poris,alterum præsentis.Ea sic cōmode reddi poterant,Nemo si postquàm admouit ma num aratro,in tergum respexerit,accommodus est regno dei.

EX CAPITE DECIMO.

Discipuli se ptuaginta.

ET alios septuaginta duos.) Quod Laurentius arguit interpretes ueteris te stamenti,cum numero fuerint septuaginta duo, quippe è singulis tribubus delecti sex,tamen incertum errore,an studio septuaginta uocari, non aliter quàm apud Romanos Centumuiri dicti sunt iudices è singulis tribubus, quæ triginta quinq; erant,delecti terni,utiq; numero centum & quinq;, ue rum sit nec ne,non admodū arbitror ad hunc locum pertinere, Certe probabile est. Illud mirum quod è septuaginta discipulis fecerint septuaginta duos:uelut idem oportuerit fa ctum in discipulis,quod factum est in Septuaginta interpretibus,cum apostolos duode cim elegerit,uerum non hos quidem è singulis tribubus singulos.Cæterum Græci codi ces consentiunt in Septuaginta.Atq; ita legisse uidetur & diuus Ambrosius, cum expo nens hunc locum:Ecce ego mitto uos,sicut oues inter lupos,Ad septuaginta,inquit,disci pulos dicit hoc.Pro nobis facit & typus ueteris testamēti,ubi duodecim fontes,& septua ginta palmæ in deserto repertæ,præfigurant duodecim apostolos & septuaginta discipu los.Quod diligenter annotauit Theophylactus,& Cyrillus, qui citatur in Catena con sentit,præter duodecim fontes & septuaginta palmas,cōmemorat etiam illos septuagin ta iudices,quos Moses delegit iussu domini,& impleti sunt spiritu sancto.Ac ne quis cau setur solos Græcos ita legisse,diuus Hieronymus ad Fabiolam Māsione sexta scribit hūc in modū,Nunquā prius occurrerūt fontes purissimi,nisi ubi magistrorum doctrina pro rupit,nec dubium quin de duodecim apostolis sermo sit, de quorum fontibus deriuatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant, Iuxta has aquas Septuaginta creuerunt pal mæ,quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelista testan te duodecim fuisse apostolos & Septuaginta discipulos minoris gradus, quos & bi nos dominus ante se præmittebat. Ex his perspicuum est Augustino fuisse mendo sum

sum codicem, quemadmodum & alijs locis fuisse demonstrabimus. Ratio quam adducit Beda de duodecim tribubus Israël & septuaginta duabus orbis reliqui gentibus frigida est, Nec multo solidior quam adducit Augustinus de ter uiginti quatuor horis, qui numerus conficit septuaginta duos. Quin & Dorotheus martyr in compendio rerum apostolicarũ & propheticarum nominatim recensens discipulos, septuaginta duntaxat facit, non septuaginta duos. Et his antiquior Irenæus quũ alias, tum lib. tertio cap. decimotertio Lxx. legit non Lxxij. Postremo Eusebius Ecclesiasticæ historiæ libro primo capite duodecimo, Septuaginta tantum refert fuisse delectos. Et tamẽ paulo inferius in uulgatis codicibus repetunt̃ septuaginta duo. Reuersi sunt aũt septuaginta duo cũ gaudio, ut appareat non casu, sed studio factũ. Atq; in hoc mire cõsentiunt exemplaria Latinorum. *Dorotheus Martyr*

Rogate autem.) Rogate igitur legendum est, δεήθητε οὖν.

Vt mittat operarios.) ὅπως ἐκβάλλῃ, id est, Vt extrudat, siue eijciat: ut intelligamus, aut inuitos emittendos aut celeriter extrudendos, ut annotatum est in superioribus.

Inter lupos.) ὡς μέσῳ λύκων, id est, In medio luporum. Et Valla mauult, Velut oues, quàm sicut oues.

Sin autem.) εἰ δὲ μήγε, id est, Sin minus, hoc est, Si non fuerit illic filius pacis. Nec est,

Quæ apud illos sunt.) Sed τὰ παρ' αὐτῶν, hoc est, Quæ ab illis offeruntur, alioqui dixisset, τὰ παρ' αὐτοῖς.

Pœniterent.) μετενόησαν. Cur non potius pœnituissent, cum sit præteriti temporis? quandoquidem hoc uerbum personaliter usurpatum ex Pacuuio, citat Nonius Marcellus. Alijs magis arridet periphrasis Scelerum pœnitentiam egissent: quæ hoc sanè loco, non pessime quadrat, quod mentio fiat de sacco & cinere. Et quanquam resipiscentẽ sequitur dolor, de ijs quæ præcesserũt, non tamen Græcis μετάνοια dicitur à pœna, nec Latinis, ut opinor, pœnitere, sed potius à ponè tenendo, quod post factũ teneamus & intelligamus errorem. Postremo qui resipiscit, non statim à sceleribus resipiscit, sed interdum ab ignorantia aut errore simplici.

Qui uos spernit, me spernit.) Hieronymus alicubi uertit, Qui uos reprobat, me reprobat. Est enim Græcum uerbum ἀθετῇ, quod est reijcit & auersatur, & ita legit Cyprianus in epistola ad Cornelium fratrem. Et hunc locum detorquemus ad nostram tyrãnidem. Christum spernit, qui spernit episcopum, qui spernit pontificem: uerum est, sed apostolorum similes, & Christi negocium agentes, qui uos tales spernit, me spernit. Quin utrinq; demus operam, ut meminerimus officij: sacerdotes tales esse studeant, quales erant apostoli, nos ut Christum ipsos recipiemus & obtemperabimus. Cæterũ ubi sacerdos tyrannum agit, uentris negocium persequitur, non Christi, nescio an in tẽpore citetur, Qui uos spernit, me spernit. Scio tamen etiam malis obtemperandum interdum ne dissidium excitetur, modo ne cogant ad impietatem. *Qui uos spernit, meũ agentes negocium*

Reuersi sunt aũt septuaginta duo.) Rursum addidit duo cũ Græcis nõ sint nisi septuaginta. Ecce dedi.) ἰδοὺ δίδωμι, id est, Ecce do. *Septuaginta duo.*

Videbam satanam.) ἐθεώρουν in quodam Latino codice repperi uidebãt, nam Græca uox ambiguitatẽ habet. Quãq; de prima persona interpretantur omnes. Theophylactus hic inducit nouũ sensum, uidelicet hunc, Non mirum est dæmones uobis subijci, quum ipsorum princeps iam deciderit ac deiectus sit.

Exultauit in spiritu sancto.) ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι ὁ Ἰησοῦς, id est, In eadem hora exultauit spiritu Iesus. Nec additur sancto, nec præpositio in, sed refragantibus uetustis Latinorum exemplaribus, In quibus ut apponitur epitheton sancto, ita Iesu nomen non apponitur. Certe articulus facit, ut de spiritu sancto intelligamus. *Varia lectio.*

Paruulis.) νηπίοις. Quod hoc sanè loco magis uertendum erat, Stultis, aut insipiẽtibus, ut opponatur ei, quod præcessit Sapientibus, nisi sermo duriusculus uideretur. Quãquã & de hoc dictum est aliàs.

Etiam pater.) ναί. Quod superius uertit, utiq;. Est autem aduerbium cõfirmantis.

Qm̃ sic placuit ante te.) ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. i. Quia sic fuit bona uoluntas corã te. Sic eñ uertit Hieronymus. Eadẽ uox q̃ usi sunt angeli nũciantes pacẽ in terris in hoibus bonæ uolũtatis, q̃ significat̃ gratuita bñuolẽtia fauorq; numinis erga mortales.

Omnia

Omnia mihi tradita.) Ante hæc uerba Græci codices aliquot addunt, καὶ στραφεὶς πρὸς μαθητὰς εἶπε, id est, Et conuersus ad discipulos dixit. Deinde sequitur,

Omnia mihi tradita sunt.) Et error hinc ortus, quod mox sequitur eadem oratio,

Et conuersus ad discipulos suos.) Verum hic addit Græcus codex, κατ' ἰδίαν, id est, Seorsim, atq; ita separatur à superiore, licet reclament Latinorum exemplaria.

Pro suscipiēs suspiciens deprauate.

Suspiciens autem Iesus.) ὑπολαβὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς, id est, Suscipiens autem Iesus. Atq; ita legitur in antiquissimis Latinorum exemplaribus. Positum est autem suscipiens, pro excipiens & succedens in uicem respondendi. Ad eundem modum Vergilius:

Excipit Ascanius. Et Xenophon, καὶ ὁ Κῦρος ὑπολαβὼν εἶπε, id est, Et Cyrus suscipiēs dixit. Ne id quidem cōmissum est interpretis uitio, sed scioli cuiuspiam, cui uisum est suscipiens hoc loco nihil significare, & uertit in suspiciens: quasi Iesus responsurus homini suspexerit in cœlum.

Semiuiuo.) ἀφέντες ἡμιθανῆ, id est, Relicto semimortuo. Hieronymus in epitaphio Paulæ uertit seminece. Quāq; id quidem ad sententiam nihil habet momenti.

Stabulum pro diuersorio.

In stabulum.) εἰς πανδοχεῖον, id est, In diuersoriū. Nam Græca uox hinc dicta est, quod accipiat quoslibet, quod Latini uocant diuersorium meritorium. Nec interpres sensit de stabulo iumētorū, sed de loco in quo statur. Vñ & stabulari dicūt, qui locū habēt alicubi.

Et altera die.) καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον, id est, Postero die.

Stabulario.) πανδοχεῖ, id est, Hospiti, sed meritorio.

In quoddam castellum.) εἰς κώμην τινά, id est, Oppidulum, siue uicum quendam, ne quis imaginetur arcem potentem similem ijs, quæ nunc castella uulgo uocantur.

Satagebat.

Satagebat.) περιεσπᾶτο, id est, Distrahebatur, siue distendebatur. Quāquàm interpres elegantius uertit, quàm ut rudis lector animaduertat. Siquidem satagere proprie est, anxie torqueri difficultate rei conficiendæ. At Græca uox aptius quadrat cum eo quod sequitur: Porrò unum est necessarium. Pugnant eñ distrahi & intentum esse in uno.

Circa frequēs ministerium.) περὶ πολλὴν διακονίαν, id est, Circa multā ministrationem.

Erga plurima.) περὶ πολλά, id est, Circa multa, siue plura: suffragantibus & antiquissimis libris nōnullis. Et haud scio an interpres scripserit plura, pro multa. Quod ita quispiā uertit in plurima, ut in preculis solēnibus, legimus plurimorū martyrum, pro plurium.

Porrò unum est necessarium.) ἑνός δέ ἐστι χρεία, id est, uno opus est, ut opponatur, multa, quæ uox præcessit. Quod ad historicum sensum attinet, dominus uidetur in Martha reprehendere, non quod appararet conuiuium, sed quod nimis uariū & accuratum. Id eñ ante dixit Lucas πολλὴν διακονίαν, quasi dicas uariam administrationem, quum simplex apparatus sufficiat naturæ. Hoc est quod Iesus negans opus esse multis, dicit unum esse necessarium. Attingit hunc sensum & Theophylactus.

Optimā pro bonam.

Optimam partem.) τὴν ἀγαθὴν μερίδα, id est, Bonam partem: nisi quod articulus additus declarat plusculum, nempe partem illam certam, quæ uere bona sit. Augustinus sermone in Lucam uicesimosexto, non optimam legit, sed meliorem: Meliorē, inquiens, partem elegit, non tu malam, sed illa meliorem. Nec; secus legisse uidetur Ambrosius, in cōmentariolis hæc subijciens, Nec Martha tamen in bono ministerio reprehēditur, sed Maria quod meliorem partem sibi elegerit, antefertur. Sunt quibus placeat iuxta proprietatem Hebræi sermonis positiuum positum uice comparatiui aut superlatiui, quod ea lingua careat huiusmodi uocibus. Quod quidem cōmentum ut mihi nō usquequaq; displicet, ita non uideo cur hic magis ualere debeat, quàm alijs locis ter centum.

EX CAPITE VNDECIMO.

DA nobis hodie.) Hic uariant Græci codices. In nonnullis scriptū erat δὸς ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν, id est, Da nobis cotidie. Atq; ita scriptū erat in codice aureo, atq; itē Cōstantiēsi. Offendit lectorē uox eadē repetita, quotidianū quotidie. Atqui non est Græce quotidianū, sed ἐπιούσιον quod magis sonat crastinum. Non enim petunt cōmeatum in multos annos, sed tantum in proximum diem. Et qui uesperi orat pro uictu postridiano, quid aliud petit q̄ uictum quotidianum? Hoc admoneo ne quis arbitretur multū esse discriminis in sensu. Quāq; de hoc aliâs dictum aliquanto copiosius.

Dimitte

Dimitte nobis peccata noſtra.) τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. Sunt qui putent eſſe diſcrimen inter debita, id eſt ὀφελήματα & peccata, quod debiti nomen complectatur non modo culpam uerum etiam obligationem ad ſatisfactionem. At Lucas non exiſtimauit quicquam inter eſſe. Nec Auguſtinus de uerbis domini. Debitum autem inquit, quid eſt niſi peccatum?

Sed libera nos à malo.) Hoc in quibuſdam Latinis exemplaribus apud Lucam non additur, ſicut & alia nonnulla, quæ uidentur ex alijs Euangeliſtis adiecta, ne uiderentur diſſentire. Id quod conijcio factum & alijs item compluribus locis. Siquidem apud Lucam hæc oratio multo pauciora complectitur quàm apud cæteros, ad hunc modũ, Pater, ſanctificetur nomen tuum, aduenìat regnũ tuum. Panem noſtrum cotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationẽ. Sic enim habebatur ſcriptũ in uetuſtiſſimis codicibus, quos id temporis nobis exhibebant Amorbachij, Paulino, & Corſendoncenſi, denique & Conſtantienſi. Cæteri nec admodum hinc diſcrepant, nec omnino conſentiunt, ne inter ſe quidem. In Græcis codicibus precatio dominica ferebatur abſoluta, excepta coronide, quam additam aliàs indicauimus. Vel hinc palàm eſt, quàm Euangeliſtæ nõ fuerint ſuperſtitioſi de uerbis. Præſcripſerat hanc precandi formam, non epiſcopus quiſpiam, non pontifex Rhomanus, ſed ipſe Chriſtus, & tamen in tantula precatiũcula, quantã partem omiſit Lucas. Et certe cõſentaneũ uero eſt, eum ſic oraſſe, ut nobis orandi formã tradit autore Chriſto. Et ubi ſunt interim qui miſere trepidant, quoties ex humanis preculis uocula fuerit omiſſa? At ijdem fortes ſunt & intrepidi, quoties uirulenta lingua fratris lacerãt famã. Nec hoc dixerim, quo minus attenti ſimus in precibus, ſed ne præpoſtere ſimus ſuperſtitioſi.

Præcatio dominica iuxta Lucam.

Contra ſuperſtitioſos in dicẽdis preculis

Commoda.) χῆσον, id eſt, Mutua, ſiue mutuum da. Quanquã Græca uox anceps eſt ad rem quæ uſu abſumitur, & ad eam quæ non abſumitur. Etenim qui petit panem dicit χῆσον μοι ἄρτον, & qui petit caniſtrũ, dicit χῆσον μοι μάκτραν. Latinis uero diuerſa ſunt uerba, ſed apud eoſdem pecunia peculiare uerbum habet δανείζειν. Apud Latinos commodatur, cuius uſus modo præſtatur, ut equus, ueſtis, patella. Mutuum datur, quod uſu abſumitur, quem iuriſconſulti uocant abuſum, ut oleum, triticum, aut quod nõ idem reddìtur.

Commodare Mutuũ dare.

Si perſeuerauerit pulſans.) Hæc in pleriſq; Græcorum codicibus non repperi, conſentiente uetuſtiſſimo codice Latino, quẽ exhibuit bibliotheca eccleſiæ Paulinæ apud Londinum, ſed diſſentiente Corſendoncenſi.

Additum alibi unde.

Propter improbitatem.) Διά γε τὴν ἀναίδειαν, id eſt, Propter impudentiam. Eleganter quidem uertit interpres, ſi modo recte intelligatur. Nam ut probus dicitur bonus, ita improbus malus, ſed tamen qui urget nec ceſſat, interdum improbus uocatur, nonnunq; & in bonam partem, ut Virgilius, Labor omnia uincit Improbus.

Quis ex uobis patrem.) Græca nonnihil diſcrepant, τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, id eſt, Quem autem ex uobis patrem, poſcet filius panem. Ea nos reddidimus in hunc modum, Quis autem ex uobis pater à quo ſi filius petierit panem, num lapidem dabit illi? Quanq; & hic ſermo duriuſculus eſt, opinor ex idiomate linguæ Hebrææ. Videtur autem alluſum ad iocum uulgarem, quo panem expectanti lapidem porrigunt, iuxta Plautinum illud, Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera. Item ſcorpium porrigunt uacuo oui putamini incluſum. Sic & ipſæ dipſades fallunt, ſtruthiocamelorum inanibus putaminibus occultantes ſeſe.

Sermo perturbatior.

Bona data.) ἀγαθὰ δόματα, id eſt, Bonas dationes, ſi ſic liceat loqui.

Dabit ſpiritũ bonũ.) Græci codices qui tum aderãt habebant πνεῦμα ἅγιον, id eſt, Spiritum ſanctum, ſed magno conſenſu reclamãtibus exemplaribus Latinis, etiã uetuſtis, quibus ego ſanè magis aſſentior. Ex Ambroſio, quoniã carptim iſta tractat, nihil poteſt elici.

Diuerſa lectio

Et illud erat mutum.) Hallucinatur & hoc loco Valla, in mutum & mutus, κωφὸν, & κωφὸς, putans utrobiq; ſurdum uertendum fuiſſe non mutum, aut non intelligens, aut certe non animaduertens utrunq; Græcis ſonare κωφὸν, quemadmodum & mox. Omne regnum in ſeipſum diuiſum, mauult In ſeipſo, ſiue ſuper ſeipſum, cum ſit Aduerſus ſeipſum, quod Græcis hæc propoſitio ſit anceps, ut ferè ſunt omnes.

Valla taxatus

Deſolabitur.) ἐρημοῦται, id eſt, Deſolatur. Et paulo poſt, πίπτει, id eſt, Cadit, nõ cadet, ſuffragantibus & antiquiſſimis exemplaribus Latinis.

Vniuersa arma.) τὴν πανοπλίαν. Qua uoce Græci declarant, quicquid ad iustum apparatum armati uiri pertinet.

Auferet.) αἴρει, id est, Tollit. & Distribuit, non distribuet διαδίδωσιν, ut præsentis sint temporis, non futuri. Nec enim uaticinatur, quid futurum sit, sed quod fieri solet proponit, similitudinem conferens. Inuenit eam scopis mundatam.) εὑρίσκει, id est, Inuenit præsentis temporis, prima syllaba acuta.

Scopis mundatam.) Græci codices addunt, καὶ κεκοσμημένον, id est, Et ornatam, quod haud scio an ex alijs Euãgelistis sit huc asscriptũ, Cæterum illud Scopis mundatam, Græcis unica dictio est σεσαρωμένον, id est, Versam à uerbo uerro, non uerto.

In pace sunt omnia quæ possidet.) τὰ ὑπάρχοντα, id est, Ea quæ possidet, consentiente codice aureo. Quinimo.) μενοῦνγε. Ea coniunctio neque negat quod dictum, neque reijcit, sed infert quod est certius. Vides autem ut hic quoq; Christus sui similis, haud multum tribuit cognationis affectui.

Christus parũ tribuit affectui cognationis.

Turbis autem concurrentibus.) ἐπαθροιζομένων, id est, Coaceruantibus, conglobantibus, siue condensantibus se, aut Cum turbæ densius affluerent. Græcis enim συναθροισμὸς dicitur cum omnia confertim in unum conferuntur locum.

Plusquam Solomõ hic.) ὧδε, Hic, aduerbiũ est, hoc loco, non pronomen. Similiter & paulo inferius, Plusq; Iona hic, ut Christus intelligatur maior tẽplo, Solomone, & Iona.

Tui additum.

Lucerna corporis tui.) Tui non additur à Græcis, & sensus magis quadrat eo amoto. Fit enim catholica sententia, ut & superius indicauimus.

Ne lumẽ quod in te est.) μὴ τὸ φῶς Potest accipi, & Num lumẽ quod in te est? &c. quod aduerbium μὴ ad utrunq; sensum sit accommodum, interrogantis & prohibentis.

Et quemadmodum lucerna.) ὡς ὅταν ἡ ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε, Vt cũ lucerna fulgore illuminat te. Vt sit sensus, non aliter tuum corpus erit lucidum oculo puro, quàm domus tua lucida est tibi, accensa lucerna. Nec est Illuminabit, sed illuminat. Alioqui sermo uideri possit subabsurdus, si totum lucidum fuerit, totum lucidum erit. Proinde nos de nostro adiecimus, Sic, quo magis sentiretur collatio.

Baptizatus pro lotus.

Baptizatus esset) ἐβαπτίσθη. Cur non potius lotus esset, cum de simplici manuum lotione loquatur?

Catini.) τοῦ πίνακος. Quod non solũ catinum, sed etiã quadram aut tabellam significat.

Intus est uestrum.) Vestri mauult Laurentius, ut sit genitiuus pronominis primitiui.

Quod supersit.

Quod supereſt.) τὰ ἐνόντα. Diuersa uox est ab ea quæ frequentior est ac tritior, τὰ λοιπόν. Cæterũ quod noster interpres uertit, Quod supereſt, lõge secus interpretatur Theophylactus. Eius uerba subscribam, τὰ ἐνόντα οὖν, τοῦτ' ἔστι, τὰ ὑπάρχοντα ὑμῖν. καλῶς δὲ εἶπεν ἐνόντα καὶ οὐκ εἶπεν ὄντα, διότι τὰ χρήματα ἔνεστι τῇ καρδίᾳ τοῦ φιλοχρημάτου, καὶ ἐγκάθηται αὐτῇ. διὸ καὶ ὁ Δαβὶδ φησι. μὴ προσίθεσθαι τὸν καρδίαν ὅταν πλοῦτος, id est, Quæ insunt igitur, hoc est, quæ suppetunt uobis. Recte autem dixit quæ insunt, & non dixit quæ sunt, propterea quod pecuniæ insint cordi auari, atq; insideant ei. Quapropter & Dauid monet non apponendum esse cor diuitijs. Theophylactus accipere uidetur, ut τὰ ἐνόντα, & ἐλεημοσύνην appositiue iungãtur, Date res uestras eleemosynam. Potest autem & sic accipi ut subaudiatur κατὰ, Iuxta ea quæ suppetunt uobis, date eleemosynam. Interpres intellexisse uidetur, iuxta ea quæ sunt in uobis. At quod præterijt nõ est in nobis, atq; ob id uertit, Quod supereſt. quanq; ἔνεστι sonat licet, unde & ἐνόντα dici possunt, quæ sunt in nostra potestate. Quidam interpretantur quod supereſt, id est quod redundat, sed male. Illud adnotandũ, cum modo fecerit mentionem rapinæ, in remedio non fieri mentionẽ restitutionis, tantum pollicetur eleemosyna data, omnia fore munda.

Verũtamen date eleemosynã.) δότε ἐλεημοσύνην. Anceps est, utrũ sit date an datis, indicandi modo an imperãdi. Iuxta posteriorẽ lectionem sensus erit. Existimatis uos data eleemosyna liberari ab omni rapina, si paululũ ex ea cõtuleritis in pauperes? Siquidẽ obijcit alibi Pharisæis, quod eleemosynã suam facerẽt corã hominibus. Iuxta priorẽ lectionem sensus manifestus est. Sed tamẽ hæc adhortatio duriuscule cohæret cũ ijs quæ præcedunt ac sequuntur, quæ magis exprobrationẽ habẽt quàm admonitionẽ. Alioqui qui cõuenit, ut quos modo fecerit tam sceleroſos, subito data eleemosyna uelit undiquaq; mũdos uideri?

Qui de ci

Qui decimatis) Græcis est ὅτι quia, quẽadmodũ & in cæteris cõsentit exẽplar aureũ.

Mentam.) ἡδύοσμον. Vox dicta ab odoris gratia. Nominat autem duas herbas uiles, nec admodum necessarias ad usum humanæ uitæ. Et Omne holus, dixit pro quoduis holus, hoc est quantumlibet contemptum, insignem illorũ notans auariciam. Etiamsi diuus Ambrosius decimatis accipere uidetur, pro decimas datis. Sic enim scribit, Breuiter autẽ uicia eorum multa perstringit, qui uiliorum fructuum decimis cõferendis omne studium intendunt suum. Cumq; hac sententia magis congruit quod sequitur: Et præteritis iudicium & charitatem dei. Iudicium hominum est, cum quis ex huiusmodi obseruatiunculis iudicatur pius, si quis crebro ieiunet, si quis multumprecularum dicat, si quis sordide uestiatur. Iudicium dei est, cum ex animi affectu pietas hominis æstimatur. Charitas hominum est, cum leuiculo beneficio iuuatur quispiam, quod aliquoties præstabat collatum non esse. Charitas dei est, cum in his succurritur homini, quæ ad illius æternam salutẽ pertinent, cũ hic affectus præstatur & inimicis. Et haud scio, an hic Christi sermo ad istos pertineat, qui benignitate sua rem augent monasteriorũ, aut collegiorum, fortassis etiã pontificum opibus plus satis affluentium, præteritis egenis, nonnunq; cognatis, aut etiam liberis. Quæ portari non possunt.) δυσβάσακτα, id est, Difficilia portatu. *Decimare pro decimas dare.*

Non tangitis sarcinas.) τοῖς φορτίοις. Idem uerbum quod modo uertit onera. Et significantius erat Attingitis, quàm tangitis, et appositius ad Græcam uocem. Hic locus ad eos pertinet, qui constitutionibus humanis illaqueant populum, non aliò spectantibus quàm ad commodũ eorũ qui instituunt. Quod cõsentitis.) συνευδοκεῖτε, id est, Comprobatis.

Inter altare & ædem.) μεταξὺ οἴκου, id est, Domum, sed partem templi intelligit.

Super generationem.) γενεὰ, quo sæpe utuntur sacræ literæ, Græcis sonat ætatem. Neque enim est hic eadem uox, qua Matthæus utitur in generatione Christi.

Ita dico uobis.) Ita non est hic οὕτως, sed ναὶ, quod aliquoties transfert Etiam, aliquoties utiq;, aduerbium uehementer affirmantis. Verti poterat profecto siue certe. *Ita pro etiam.*

Tulistis clauem.) ἤρατε. A tollo, hoc est, Recepistis in uos. Tollimus enim gladium ad iter, & tollimus, quod ab aliis auferimus.

Insistere.) συνέχειν, id est. Cohibere. Verum emendatiores codices habebant ἐνέχειν, id est, Imminere, siue urgere, atq; ita consentaneum est interpretem legisse.

Et os eius opprimere.) ἀποστομίζειν. Interpres legisse uidetur ἐπιστομίζειν, quod significat obturare os, nec sinere loqui. At Græci codices habent, ἀποστομίζειν, quod magis significat pendere ab ore, & obseruare quid dicatur. Atq; id longe rectius quadrat cum iis quæ præcesserunt & sequuntur: Insistebant ei, & insidiabãtur, & quærentes capere aliquid ex ore eius. Neq; enim hæc competunt in eum qui occludat os loquẽtis. Denique ad hunc modum interpretantur Græci interpretes. Quod si quis mihi parũ habet fidei, ipsius Theophylacti uerba subscribam, quod ad hunc attinet locum, Τὸ δὲ ἀποστομίζειν αὐτὸν ἤρξαντο, τοῦτ' ἔστι πυκνῶς ἐρωτᾶν αὐτὸν καὶ ἀποφεύειν. γίνεται γὰρ τὸ ἀποστομίζειν, ὅταν πλείονες ἐρωτῶσιν ἕνα, περὶ ἄλλων καὶ ἄλλων ὑποθέσεων. τότε γὰρ μὴ δυνάμενον ἀποκρίνεσθαι, ἐμφασιν δίδωσι τοῦ ἀνοήτου δόξαι φθῆναι. τοῦτον τοίνυν ἐσοφίζοντο καὶ οἱ κατάρατοι ἐκεῖνοι καὶ χρῆν. πολλοὶ γὰρ ἐρωτῶντες τὸν ἕνα, ἐδόκουν ἀποστοματίζειν αὐτὸν, καὶ εἰς ἀπορίαν ἄγειν, ὡς μὴ δυναμένου ἀποκρίνεσθαι. ὅπερ εἰκότως ἐγίνετο. πῶς γὰρ ὁ εἷς δύναιτο πολλοῖς ἀποκρίνεσθαι, ἄλλα καὶ ἄλλα ἐρωτῶσιν; Δύναται δὲ τὸ ἀποστομίζειν καὶ οὕτως νοηθῆναι, ἀντὶ τοῦ παγιδεύειν αὐτὸν, καὶ ἀπὸ τοῦ σώματος κρατεῖν. ὅταν γάρ τις κρατηθῇ ἀφῶν λέγω, ἀποστομίζεσθαι δοκεῖ. τοῦτ' ἔστιν ἀπὸ τοῦ σώματος ἕλκεσθαι καὶ κατακρίνεσθαι. δηλοῖ δὲ τοῦτο καὶ τὰ ἑφεξῆς. ζητοῦντες γάρ, φησι, θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. ὅπερ γὰρ πρὸ ὀλίγου εἶπεν ἀποστοματίζειν. τοῦτο νῦν λέγει θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Quæ nec transferre grauabor in gratiã eorum, qui Græce nesciunt. Verum ἀποστομίζειν etiam illum cœperunt, hoc est, frequenter interrogare eum, & perplexum reddere. Fit enim τὸ ἀποστομίζειν, cum plures interrogant unum de aliis atq; aliis argumẽtis. tum enim qui non potest respõdere, speciem præbet stulti, quod hæreat. Hoc sanè tunc moliebantur etiam sceleste illi aduersus Christum. Nam cum multi interrogarent unum, uidebantur ἀποστομίζειν illum, & ad hæsitantiam deducere, ut qui non posset respondere, id quod probabiliter accidisset. Quo pacto enim unus posset multis respondere, alia atq; alia interrogantibus? Quanq; potest ἀποστομίζειν & sic accipi, pro eo, quod est illaqueare eum, & ab ore capere. Cum enim quis capitur ex his, quæ dicit, *Os opprimere an recte uersum.*

ἀποστομίζεσθαι uidetur,hoc est,ab ore trahi ac cōdemnari. Declarant autem hoc & ea quæ sequuntur:Quærentes enim,inquit,uenari quippiam ex ore illius.Quod enim paulo ante dixerat ἀποστομίζειν, hoc nunc dicit uenari quippiam ex ore eius.Hactenus Theophylactus.Cæterum ne Laurentius quidem,satis attentus fuit,hoc loco,qui ἀποστομίζειν, siue ἀποστοματίζειν, nam utrunq; reperio,putat unico uerbo reddi potuisse,interpellare, siue obstrepere,siue obloqui. Et tamen is ἀποστοματίζειν legit,non ἐπιστομίζειν. Equidem nō memini legere uerbū hoc apud alios autores præter quàm apud paucos, nempe Athenæū lib. dipnosophistarū octauo,pro eo quod est memoriter recitare,nullo codicis auxilio, quod uulgo dicunt oretenus dicere. Eius uerba subscribam, ὁ πλούταρχος ἔφη ῥοδιακὴν εἶναι λεγομένην ἱστορίαν, ἣν ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀποστοματίζειν οὐ δύνασθαι, τοῦ πάνυ πρὸ πολλοῦ ἐντετυχηκέναι, τοῦ ταῦτα περιέχοντι βιβλίῳ, id est,Et Plutarchus aiebat esse fabulam,quæ Rhodiaca diceretur,sed quam in præsentia non posset memoriter referre:quod ante plurimū temporis incidisset in eum librum,in quo illa cōtinerentur. Astipulatur & Hesychius, ἀποστομίζειν, inquiens, ἀπὸ μνήμης ἀξιοῦν λέγειν, id est,Memoriter uelle dicere.Quanquam idem mox interpretatur ἀποστομίζων φιμοιῶν, id est,Obturans siue occludens os.Quod quidem posterius, propius accedit ad sensum Euangelistæ. Verum haud scio an ἐπιστομίζειν legendū sit pro ἀποστομίζειν. Quo uerbo usus est Athenæus eodem in libro paulo inferius, πάντας γὰρ ἐπιστομίζειν πειρώμενος, οὐδενὸς μὲν ἀμαθίαν κατέγνως, σαυτὸν δὲ ἀποφαίνεις κενώτερον λεβηρίδος, id est,Etenim dum omnibus studes occludere os, non alios inscitiæ cōdemnas, sed teipsum ostendis inaniorem leberide.Cōsimilem in modum usus est Paulus in epistola ad Titum capite primo, οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν, ubi Hieronymus uertit silentium indici,Theophylacti interpres,redargui.Cuius uerbi meminit Iulius Pollux libro secundo,exponens ἐπιστομίσαι, τὸ ἐπισχεῖν τὸν λέγοντα, id est, Cohibere loquentem. Idem indicat ἀποστοματίζεσθαι, & apud Platonem inueniri,qui scripserit alicubi, τοὺς παῖδας ἀποστοματίζεσθαι, quoties exigentibus præceptoribus pueri reddunt memoriter quæ præcepta sunt. Quin & ipsum quod redditur, ἀποστοματίζεσθαι dici,ut uel ad rem, uel ad personam referatur.Nos certe comperimus apud Aristotelem in Elenchis consimili sensu.Quod ipsum non male congruit huic loco.Etenim præceptores solent quum examinant discipulos,frequenter interpellare rogatiunculis,tentantes an intelligant quæ pronūciant,ut si quid errarint,corrigant.Sic isti quemadmodum interpretatur Cyrillus, multis quæstiunculis interpellabant dominum, ut si non responderet,uideretur indoctus, Sin male responderet,coargueretur, aut si bene quoque responderet,tamen ex multis præberetur ansa reprehendendi.Quæ nobis apud idoneos autores super hoc uerbo comperta sunt, in medium attuli, prudenti lectori iudicium relinquens ac delectum.

Laurētius nō satisfacit.

ἀποστοματίζειν, ore reddere.

ἐπιστομίζειν, occludere os.

EX CAPITE DVODECIMO.



Vltis turbis.) τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, id est,Myriadibus turbæ. Myrias autē Græce significat decem milia.Quanq; ea uoce abutuntur pro innumerabili multitudine. Vnde uerti poterat,Innumera turbæ multitudo. Nec est,

Concurrentibus.) ἐπισυναχθεισῶν, id est,Simul aggregatis.Vetusti codices habebant,circunstantibus.

Ad discipulos.) Hic Græci addunt πρῶτον, id est,Prius,siue Primum. Quanquam aduerbium ita positum est,ut possit utróuis referri,primum dixit ad discipulos,siue primum attendite. Deinde est,

Attendite uobisipsis.) προσέχετε ἑαυτοῖς.

Reueletur.) Reuelabitur est Græce, & Scietur,non sciatur, ἀποκαλυφθήσετε, γνωσθήσετε.

In cubiculo.) ἐν τοῖς ταμείοις, id est,In penetralibus,siue intimis ædium.

Dupondio.) Exposuit interpres quod uertit.Nam Græce est, ἀσσαρίων δύο, id est,Assibus duobus.Quanquam Græca uox diminutiua est,sicut & passerculi.

In obliuione.) ἐπιλελησμένον. Quasi passiue dicas oblitum.

Ita dico uobis.) Rursum est ναὶ, de quo modo admonui.Affirmantis aduerbium.

Qualiter aut quid respondeatis.) τί ἀπολογήσησθε, id est,Quid responsuri sitis,sed proprie accusanti.Hoc est,quibus modis uerba facturi sitis;& qua ratione instituturi defensionem,quidúe adducturi pro defensione causæ,quemadmodum uulgus reorum facit, qui solent

Cubicula ταμεῖα.

Respondere ἀπολογεῖσθαι

ſolent utroq; modo periclitari,ſi uel formam agendi neſciant, uel parum inſtructi ſint, ad refellendum quod obijcitur.

Confeſſus fuerit me.) Græce eſt. ἐν ἐμοὶ, id eſt,In me.Sic nō eſt,Confitebitur eum,ſed in eo,id tamen ad ſenſum nihil refert,tantum eſt idiomatis Hebraici.

Ab omni auaricia.) Omni nō additur in Græcis codicibus.Nec eſt ſimpliciter Auaricia,quæ magis dicitur φιλαργυρία, ſed eſt, πλεονεξία, nomen à plus habendo dictum, quo ſæpenumero uſus eſt diuus Paulus. Vbi quis fraudatis alijs plus uſurpat ſibi q̄ par eſt.

Epulare.) εὐφραίνου, id eſt,Lætare. Neq; enim opus erat repetere epulare, cum ante dictum ſit,comede,bibe.Cæterum uerbum εὐφραίνομαι inde dictum,quod animo bene ſit,omnes uitæ uoluptates complectitur,quibus animus oblectat ſe.Proinde in pſalmis: Et uinum lætificat cor hominis, Græcis eſt, εὐφραίνει. At hic perpetuo uertit epulari.Nā & ali quanto poſt, Adducite uitulum ſaginatum & occidite & manducemus,& epulemur.) εὐφρανθῶμεν. Ac rurſum, *Epulari.*

Et cœperunt omnes epulari.) εὐφραινθῆναι. Id ſecutus opinor,quod epulari non ſit ſimpliciter agere conuiuium,ſed genialiter & opipare comeſſari.

Repetent.) ἀπαιτοῦσι, id eſt,Repetunt,ſiue repoſcūt.Sic & Hieronymus ſubinde citat, ut ſit præſentis temporis: & aptior eſt hypallage ad mox imminens periculum ſignificandum. Cyprianus in precationem dominicam adducit his uerbis, Stulte hac nocte expoſtulatur anima tua.Et repetunt habebat exemplar Conſtantienſe.

Cuius erunt?) τίνι ἔσαι; id eſt,Cui erunt? hoc eſt,cui cedent,& quem dominum ſortientur.Et apud Paulum hic color,Si fuerit alteri uiro,id eſt,cum altero uiro.

Sic eſt qui ſibi.) Eſt non additur in Græcis exemplaribus,ut liberū ſit ſubaudire,quod commodiſſimum ſit.

Quibus nō eſt cellarium.) Pro cellario Græcis idem uerbum eſt, quod iam aliquoties uertit, cubiculum, ταμεῖον. Qui proprie locus eſt in ædibus, in quo eſculenta poculentaq; reponuntur,à ταμιεύω, quod eſt diſpenſare uictum,& ταμίας promus condus.Porrò quod Laurentius cauillatur,cellam accipi pro uinaria duntaxat,& coruos eſſe hydropotas,bis errauit.Nam primū,cella à celando dicta,non uini tantū reconditoriū eſt.Deinde,ſi corui non bibunt uinum, hoc magis facit ad ſenſum euangelicū, ut qui quouis potu contenti,quem paſſim obuium præbet omnibus natura,non egeant cellis uinarijs. *Laurentius taxatus.*

Pluris eſtis illis.) διαφέρετε τῶν πετεινῶν, id eſt,Præcellitis uolucribus.Nam διαφέρω tametſi ſignificat differre,uſurpatur tamen ſæpenumero pro præſtare & antecellere.In quem ſenſum uſus eſt & Paulus ad Philippen.cap.primo.Item ad Rhomanos cap.ſecundo.

Cogitando.) μεριμνῶν, id eſt,Sollicitudine.Quanquam Græce participium eſt,quaſi dicas curans,ſiue ſollicite cogitans.

Si autem fœnum.) τὸν χόρτον. Cur non potius gramen aut herba, quemadmodum & alias tranſtulit? Niſi forte nihil intereſt inter fœnum & gramen. Ad hoc enim adhibetur ſimilitudo,ut intelligamus deum non neglecturū nos,cum curet & gramen,quod eodem die uiret,& deſectum eodem die exareſcit,maxime in æſtuoſis regionibus. *Fœnum.*

Quanto magis uos modicæ fidei?) Vos,accuſandi caſu profertur, ὑμᾶς, ut ſubaudias ueſtiet. Et modicæ fidei, Græcis cōpoſita dictio eſt, ὀλιγόπιστοι, quod ſonat parum fidentes.Nam fides eſt præſtantis & fides eſt fidentis.Sic enim nos abutimur Chriſtiani.

In ſublime tolli.) μὴ μετεωρίζεσθαι. Quod non proprie pertinet ad tumorem,quod Græci uocant μεγάλα φρονεῖν, ſed magis ne curemus ea quæ ſupra nos ſunt. μετέωρα enim uocantur,quæ ſunt in nubibus,& in ſublimi aëris regione.de quibus Meteorologica ſcripſit Ariſtoteles.Conſentit cum doctrina Chriſti dictum illud Socraticum,Quæ ſupra nos,nihil ad nos. Nec uideo quomodo hæc particula quadret cum præcedentibus ac ſequentibus,niſi ſentiatur de ijs, qui ex aſtrorum curſu procul in futurum conſulunt, qui ferè mos eſt diuitum ac principum. *In ſublime tolli.*

Et iuſtitiam eius.) Hæc uerba non adduntur apud hunc Euangeliſtam, nec in Græcis nec in uetuſtis Latinorum exemplaribus,uerum ex alio loco huc translata ſunt.Atque adeo nec primum additur. Conſentit cum Græca lectione codex aureus,atq; etiam Donatianici,poſtremo & Conſtantienſis.In quibus ſcriptum repperi,Quærite regnum dei,&

hæc omnia adijcientur &c. Verum quod deesse uidebatur in Luca, studiosus aliquis adiecit ex sexto capite Matthæi.

Si sciret paterfamiliâs.) Lucas usus est uerbis præteriti temporis, Si scisset, uigilasset, & non siuisset, ἤδει, ἐγρηγόρησεν, ἀφῆκε. Ponit enim ueluti parabolam alicuius, cuius domus perfossa sit.

Familia pro famulicio.

Super familiam.) ἐπὶ τῆς θεραπείας, id est, Super famulicium, ut intelligas tantum præfectum famulis, non etiam liberis. Quod genus seruorum columen familiæ uocãt. Iam illud, τίς ἄρα, Quisputas uertit suo more pro quis, siue quisnã. Nec est, Constituit, præsentis temporis, sed καταστήσῃ cõstituet, futuri temporis, suffragante exemplari Paulino, licet in Matthæo habeatur Constituit.

σιτομέτριον.

Tritici mensuram.) σιτομέτριον. Referri potest ad omnem cibum. Id quod Latine uocant demensum, siue quod ad certum modum tribuatur, siue quod in singulos menses redderetur, ut Donato placet. Ita Terent. in Phormione: Quod ille unciatim uix de demenso suo, suum defraudans genium cõparsit miser. Et Plautus in Sticho: Vos meministis quot Calendis petere demensum cibum. Cæterum Græcis dictio composita est, σιτομέτριον, ex frumento & mensura, non ex tritico. Quanquam σῖτος Græcis aliquando frumentum, aliquando mutato genere, quemlibet cibum significat. Neque enim ferui solo tritico alebantur. Atq; illud Diuidet, est διχοτομήσει, id est, In duas diuidet partes, siue dissecabit.

Cum infidelibus.) μετὰ τῶν ἀπίστων, id est, Cum infidis, pro quo Matthæus dixit, Cum hypocritis. Nam qui fidus est, non simulat, neq; dissimulat.

Vapulabit multis.) Ac paulo post, plagis uapulabit. Cur non utrobiq; addidit plagis, aut utrobiq; omisit? Quandoquidem apud Græcos utrobiq; subauditur plagis. Verum hoc nos distinctione corrupimus: etenim ablatiuus plagis, quẽ nos referimus ad paucis, ad digna fuerat referendum, ἄξια πληγῶν, atq; ita utroq; loco in πολλὰς & ὀλίγας subaudiendum πληγάς. Sic enim distinguunt Græci, ὁ δὲ μὴ γνούς, ποιήσας δὲ ἄξια πληγῶν δαρήσεται ὀλίγας. Ea uero forma dixit uapulare multas plagas, qua dicimus Attico more gaudere gaudium, & dolere dolorem. Augustinus ad Valẽtinum de gratia & libero arbitrio capite tertio, nescio quid sequutus legit, Vapulabit pauca, & uapulabit multa.

Varia lectio.

Et quid uolo nisi ut ardeat?) καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη, id est, Et quid uolo, si iam accensus est? Sic adducit Hilarius cõmentario in canticum graduum. Etiamsi secus legit Ambrosius ac Hieronymus, quorum hic in Ionam ita citat, Ignem ueni mittere in terram, & quem uolo ut ardeat. Verum opinor pro quam, deprauatũ fuisse quem. Nam alijs in locis quã inuenio. Apparet interpretem legisse, καὶ τί θέλω εἰ μὴ ἀνήφθαι, id est, Et quid uolo nisi accendi. Aut certe, quod uero propius est, τί θέλω, ἢ ἤδη ἀνήφθαι, id est, Quid uelim, nisi mox accensum esse. Quandoquidem Græcis ἤ adiungitur etiam positiuis. Theophylactus nõ legit tantum, uerum etiam interpretatur iuxta nostram ædition em. Nam Quid uolo positum est, pro eo, quod erat, nihil aliud uolo. & Si iam accẽsus est, celeritatis habet emphasim: & in Si, subest tacita significatio uoti.

Erunt enim & hæc.) ἀπὸ τοῦ νῦν, id est, Post hac, siue amodo, ut loquunt nonnulli græcam formam reddentes.

Distinctio apud nos corrupta.

Et duo in tres diuidentur.) Et hunc locum corrupta distinctione deprauarunt librarij, uerbum diuidentur referentes ad superiora, cum quibus ut cohæreret mutato numero ex diuidetur, διαμερισθήσεται, fecerunt diuidentur. At quid opus erat repetere in hac parte diuidentur, cum iam dictum sit, Erunt quinq; in domo una diuisi. Sic itaq; distinguendũ erat: Diuidetur pater aduersus filium &c. Siquidem diuidi uocat, habere dissidium. Proinde melius uertisset: Aduersus filium, quàm in filiũ, cum anceps sit Græca præpositio. Huius casum, si quem id forte moueat, mutauit eodem in loco Lucas, qui cum ante cœperit adiungere datiuum, ἐπὶ δυσὶν, mox addit accusatiuum, ἐπὶ τὴν νύμφην.

Imber, nimbus

Et ita fiet.) Fit legendum est. Et Laurentius mauult imbrem quàm nimbum, cum græce sit ὄμβρος. Quid autem & à uobis ipsis.) τί δὲ καὶ ἀφ' ἑαυτῶν. Dilucidius erat, Cæterum cur non etiã ex uobis ipsis iudicatis quid sit iustum? ut sit sensus, Aliunde captatis argumenta, ex quibus coniectetis ea quæ sunt extra uos, & earum rerum, quæ intra uos sunt, & quarum ex uobis ipsis colligi possunt argumenta, nullam facitis coniecturam.

Cum aũt uadis.) Græcis enim, est pro autem. Cohæret Enim cum ijs, quæ præcedũt, ut in

ut intelligant adesse tempus resipiscendi,quod ni fecerint fore,ut durius cum illis in posterum agatur, si tam obuiam clementiam dei neglexerint.

Ad principem in uia.) ἐπ' ἄρχοντα. Quod Ambrosius haud male uertit,Ad magistratũ. & In uia rectius refertur ad sequentia, In uia da operam.

Trahat te ad iudicẽ.)Demiror quid legerit Ambrosius, qui pro trahat,habet cõdẽnet: nisi forte pro κατασύρῃ legit κατακρίνῃ. Ac sensus sanè magis quadrat. Nec enim uidetur alius esse iudex,quã is,quẽ paulo ante dixit principẽ.Nam id uult agi cũ aduersario interundum,ne sit opus ad iudicẽ peruenire.Origenes seu quisquis fuit,homilia in Lucã xxv. annotat amphibologiã esse in trahat, quod subaudiri possit uel princeps uel aduersarius. *Trahat. Condemnet.*

Tradat te exactori.) πράκτορι à uerbo πράσσω exigo, quod ante uertit facio, non recte, sicut admonuimus in Matthæo.

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

IN Siloë, ἐν τῷ σιλωὰμ, Hebræi sonant Siloah.Arbitror hanc esse ciuitatem in qua primum fuit tabernaculũ, cuius meminit Psalmus 77.Et repperit tabernaculum Silo,ubi Græcus σιλὼμ legit. Itẽ Hieremias cap.7. Quoniam hic additur articulus τῷ uidetur significare fluuium Siloë,qui ciuitati suppeditat aquam, quum nec perpetuus sit nec copiosus.In uetustissimis Latinis alibi scriptum erat Siloa,alibi Siloam.

In ficulnea.) ἐν τῇ συκῇ, id est,In ficu. Eadem uox est quam modo uertit, Arborem fici, immodicus copiæ affectator,ne dicam intempestiuus.

Terram occupat, καταργεῖ, id est,Onerat,sed inutili onere, hoc est enim proprie καταργέω. Et illud,Etiam terram, ego sanè maluissem uertere, Cur uel terram occupat,ut intelligamus infrugiferam, non solum indignam stercoratione & cultu, uerum etiam loco, quem occupabat. *Occupat. καταργεῖ.*

Et mittam stercora.) κοπρίαν, id est, Stercus, aut potius simum: mox uertit sterquilinium.Nam Græca uox stercorationem sonat magis quàm stercus.Et stercoratio non solum fit ex animantium excrementis,uerũetiam è stipulis,culmis,aut terræ medulla,quam mergam uocant Britanni,teste Plinio, Ambrosius legit cophinum stercoris.

Sin autem.) εἰδὲ μήγε, id est, Sin uero minus,aut Sin secus,ut subaudias,sinemus illam, aut aliud commodius. Est enim eclipsis aut aposiopesis,siue ut Budæo nostro placet, ἀναπόδοτον, qui huius formæ exemplum unum & alterum ex Aristophane Ciceroneq; adducit in annotationibus,quas scripsit in Pandectas Iuris. Nec enim est quisquã sua fraudandus laude.Porrò quod hic interpres uertit, Sin autem parum Latine,tolerabilius aliquando uertit, alioqui. Nec omnino.) εἰς τὸ παντελὲς, Quod aliâs uertit in æternum. *Gulielmus Budæus.*

Nec est inclinata.) sed συγκύπτουσα, id est, Toto corpore deflexa in terram, & contracta,cui cõtrarium est,quod sequitur, ἀνακύψαι quod uertit,sursum aspicere,hoc est,Erigere caput. Nec enim est mentio de aspiciendo, sed de gestu corporis, quo utuntur qui cupiunt sursum aspicere.Proinde & παράκυψις prospectus dicitur, ubi quis obliquato capite è fenestra prospicit.

Vocauit ad se.) προσεφώνησεν. Potest accipi quod appellauerit eam, hoc est, allocutus sit.Nam Ad se, non additur apud Græcos.

Requieuerunt.) κατεσκήνωσεν. Quod aliquoties uertit, nidificare,aliâs habitare.

Sata tria.) σάτα τρία. Superius admonuimus, satum non esse uocem Latinam, sed Syram,quæ apud illos mensuræ genus declaret capiẽtis sesquimodium. Apud Ambrosium non additur sata tria. Tantum est, Abscondit in farina,donec fermentatũ est totum.Atq; adeo interpretans indicat hoc ex Matthæo huc transscriptum, cum ait ad hunc modum. Et quia in Matthæo tribus mensuris absconditum esse fermẽtum &c. Quorsum enim attinebat ex Matthæo citare,si idem legisset in Luca? Sed hoc iam in Euangelicis uoluminibus nouum uideri non debet, neq; quenquam magnopere cõmouere, cum nec moribus pijs, nec fidei synceritati quicquam officiat. *Sata tria. Additum aliquid.*

Si pauci sunt qui saluantur.) Si nõ est anceps apud Latinos, ut εἰ apud Græcos. unde uertendum erat in an,quandoquidem interrogant.

Contendite intrare.) ἀγωνίζεσθε, id est, Certate,siue laborate.Quanquàm apte uertit interpres,si

terpres, si modo intelligamus. Nam contendit & qui acriter adnititur.

Qui erant nouissimi.) Erunt utrobiq; legẽdum, ἔσονται. Sunt postremi, qui futuri sunt primi, & sunt primi, qui futuri sunt postremi. Agit enim de inuertendo ordine inter eos, qui tum erant, & qui successuri essent in Euangelio.

Ite & dicite.) Ite dicite, legitur in antiquis, πορευθέντες εἴπατε.

Tertio die consumor.) Consummor legendum est, duplicato m. Est enim πλεῖμαι. Quod quoniam medium est uerbum, satius erat uertere actiue, ut intelligamus illum tertio die absoluturum opus suum. Quanquàm ea consummatio mors erat & resurrectio.

Quia non capit.) ὡς οὐ δέχεται. Quod Matthæus dixit χωρεῖ. Est autem uelut impersonale, quasi dicas, ipsa natura rerum non fert. Idem autem aliquanto post dixit ἀνέδεκτόν ἐστιν pro eo, quod est ἀδύνατόν ἐστι. Loquitur ad hunc modum subinde Tertullianus, capit pro conuenit, aut decet, & non capit, pro non conuenit.

Capit, pro possibile est.

Qui missi sunt ad te.) πρὸς αὐτὴν, id est, Ad se, tertiæ personæ, nisi cõponatur cum alio pronomine. Ad hunc fermè modum sonat Græcis, Hierusalem Hierusalem, illa quæ occidit prophetas & lapidat missos ad se. Deinde subito mutat personã. Sic & nos miscemus tertiam personam primæ, Tu illa lapidatrix prophetarum. Et tamen si cui magis placet secunda persona, cum hoc non est animus digladiari, propter pronomen anceps αὐτὴν, siue αὐτὴν, quod quidam arbitrantur omni personæ congruere. certe de sensu nulla est ambiguitas. Ne illud quidem ad sensum refert, quod cum in plerisque libris haberetur ἀπεσταλμένους, in uno quopiam habebatur ἀποσταλμένους,

Quemadmodum auis.) ὄρνις, quod est anceps ad auem & gallinam. Est enim mirus amor auibus ad confouendos pullos, sed præcipue gallinis.

ὄρνις auis & gallina

Ecce relinquetur.) ἀφίεται, id est, Relinquitur, ut admonuimus & antea.

EX CAPITE DECIMOQVARTO.

ET factum est. De hac loquutionis forma peculiari Lucæ iam admonuimus.

Dicebat autem & ad inuitatos.) Et coniunctio non additur apud Græcos nec in uetustis exemplaribus.

Neq; uicinos, neq; diuites.) μηδὲ γείτονας πλουσίους, id est, Neq; uicinos diuites. Attestantibus & uetustissimis exẽplaribus nostris, & in his aureo codice, similiter & Constantiensi. Siquidẽ huc pertinet parabola Christi, ut beneficium conferatur gratuito, citra spem redituri fœnoris. Id fiet, si præstetur egenis, quibus non est facultas referendæ gratiæ.

Ne forte.) μή ποτε, id est, Ne, siue ne quando. Et paulo post,

Ne forte & ipsi te reinuitent.) Et quod uertit hic,

Honoratior est.) ἐντιμότερός σου. Quod & charioremẽ significat, & magis in precio habitũ. Et aliquanto post, ἀνταλέσονται, reinuitent. Cur nõ potius uicissim uocent siue inuitent?

Non habent retribuere.) οὐκ ἔχουσιν ἀνταποδοῦναι, id est, Nõ possunt retribuere. Nam ita frequenter accipitur ἔχω, cũ adhæret uerbis infinitis. In aureo codice scriptum erat. Non habent, unde retribuant. Ac mox pro In resurrectione scriptũ erat In retributione. Itidem comperi in duobus uetustis exemplaribus S. Donatiani. Sed reclamantibus Græcis.

Non habent, pro non possunt.

Qui manducabit panem.) Nonnulli codices pro ἄρτον habebant ἄριστον, id est, Prandium, sed reclamantibus uetustis exemplaribus Latinis.

Qui manducabit.) ὃς φάγεται, id est. Qui manducat seu potius edit, præsentis temporis, nisi forte interpres legit φάγηται.

Vt uenirent.) ἔρχεσθε, id est, Venite. Interpres forte legit ἔρχεσθε.

Simul omnes excusare.) παραιτεῖσθαι, id est, Recusare. Quanquàm interpres eleganter usus est excusandi uerbo. Si modo lector animaduertat eum excusare, qui adducta causa recusat quod rogatur.

Gustabit cœnam meam.) Hoc loco addunt libri Græci, πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ, id est, Multi enim uocati, pauci uero electi. Quanquàm id nõ reperiatur in omnibus exemplaribus. Suspicor aliunde huc asscriptum.

Additum aliquid.

Nónne prius.) οὐχὶ, id est, Non. Quanq; & hoc aliquando pro nónne ponitur.

Sedens cõputat.) καθίσας ψηφίζει, id est, Calculis subducit rationẽ, ut intelligas diligentem atq;

tem atq; exactam supputationẽ. Ac paulo post, μήπτε. Tandẽ desijt uertere nequando.

Iturus committere bellum.) ἀπέρχεται συμβαλῶν εἰς πόλεμον, id est, Abit ut confligat, siue congrediatur bello. Etiamsi Latinius erat prælio.

Non sedens.) Hic est eadem uox, quam modo uerterat nónne οὐχί.

Ad se.) ἐπ' αὐτόν. Cur non potius contra se, siue aduersus se?

Cum decem milibus.) ἐν δέκα χιλιάσι. Interpres haud male mutauit in, Græcã præpositionem ex idiomate sermonis Hebraici positã, in decẽ milibus. Quanq; castius erat prorsus omittere, quod apud nos nec ullũ habeat usum, & orationẽ reddat inelegantẽ. Quod genus sunt illa in Deuteronomio: Et incendens ciuitatẽ in igni. Item, Et lapidabis eos in lapidibus. Cuiusmodi complura recensuit Augusti. in annotationibus Hebræi sermonis. *In decem milibus iuxta Hebræam dialecton.*

Alioqui illo adhuc longe agente.) εἰ δὲ μήγε. Quod ante uerterat, Sin autem, non recte, hic recte uertit alioqui,

Longe agente.) πόῤῥω αὐτοῦ ὄντος, id est, Cum procul est, siue procul abest.

Qui non renunciat,) οὐκ ἀποτάσσεται. Quod aliàs est dicto uale, dimittere.

Euanuerit,) μωρανθῇ, id est, Fatuum redditum fuerit. Siquidem nõ homines solum, sed & alia fatua dicuntur, quæ nihil sapiant. Quemadmodũ Martialis betas fatuas appellat.

Vtile est,) εὔθετον, id est, Accommodum, ante uertit aptum. Neque de genere uocis huius, sal, ero anxius cum sat sciam, & in neutro reperiri, licet & frequentius, & apud probatiores autores in masculino.

EX CAPITE XV.

Congratulamini.) συγχάρητε, id est, Congaudete. Aut si cui id parum Latinum uidetur, Gaudete mecum.

Nonne accendit.) οὐχί; At non, magis hic quadrabat, siue, An non: etiam si hic sermo eodem laborat incommodo, quo is quem ante notauimus: Quis ex uobis pater si filius petat panem &c.

Euertit.) σαροῖ, id est, Verrit, hoc est, scopis purgat. Fortassis interpres scripserat, euerrit, id imperitus aliquis ac sciolus non intelligens, inuersa scriptura fecit, euertit. Quod sanè minus mirum est fuisse deprauatum, quàm non fuisse animaduersum. Adeo mendum hoc, in omnibus exemplaribus Latinis inoleuit, etiam uetustissimis. Sensit hic nonnihil incommodi & Carrensis, interpretans, Euertit totam domum, id est, Ea quæ in domo sunt. Et moraliter euertere domum, est perturbare conscientias peccatorum. *Verrere.* *Carrensis ridicula interpretatio.*

Substantiam.) Duæ sunt uoces apud Græcos, substantiæ & substantiã, οὐσίας καὶ βίον, id est, Substantiæ & uictum. Quanquam βίος & uitam ipsam significat apud Græcos & facultates quibus uiuitur.

Quæ me contingit.) τὸ ἐπιβάλλον, id est, Quæ redit ad me.

Viuendo luxuriose.) ζῶν ἀσώτως, id est, Viuẽs luxuriose. Hinc & Paulus luxum uocat ἀσωτίαν: Vinum in quo est luxuria. Id autem non ad libidinem tantum pertinet.

Et postquam omnia consummasset.) δαπανήσαντος δὲ αὐτοῦ πάντα, id est, Cum is consumpsisset, siue absumpsisset omnia. Quod quidem arbitror librariorum uitio fuisse deprauatum, licet mirus sit nostratium exemplariũ consensus. Ambrosius indicat sese legisse more Græcorum, cum ita scribit in commentarijs: Ille igitur uiuendo luxuriose consumpsit omnia ornamenta naturæ. Vnde tu qui accepisti imaginem dei, qui habes similitudinem eius, noli eam irrationabili fœditate consumere. *Consummare pro consumere.*

Quanti mercennarij.) Cur non potius, quot, πόσοι, siue quàm multi? Nec additur, In domo, nec apud Græcos, nec in uetustis exemplaribus Donatiani, tantũ est, Quanti mercenarij patris mei abundant, &c. Consentiebat Constantiense. Nam mercenarium opposuit filio. Et studiosus aliquis adiecit In domo, ut esset quod responderet aduerbio, hic.

Cum adhuc longe esset.) μακρὰν ἀπέχοντος, id est, Cum procul abesset.

Cito proferte.) Cito non additur in Græcis exẽplaribus. Budæus existimat hic quoq; exprimendam fuisse uim articuli. τὴν στολὴν τὴν πρώτην, id est, Stolam illam primam. Est autem uestis genus in talos demissæ, ut intelligamus non de qualibet ueste dictum, sed de certa quapiam & eximia. Nam anulo & calciamentis non præponitur Græcus articulus. At rursum uitulo geminum addidit articulum ut stolæ, τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, id est, *Articuli.*

Vitulum

Vitulum illum saginatũ, ut certum & insignem uitulum accipiamus designari. Iam & in sequentibus, cum sæpe repetatur hic uitulus, semper adduntur articuli, quum hœdo non addatur ullus articulus, quod non unusquispiam insignis designetur, sed quilibet è grege. Vitulum autem interpretantur ipsum Christi corpus pro nobis immolatum.

Et epulemur.) εὐφραν θῶμεν, id est, Lætemur, ut placet Vallæ.

Et cœperunt epulari.) Rursum est εὐφραίνεσθαι, de quibus superius iam admonuimus.

Symphoniam & chorum.) συμφωνίας & χορῶν, id est, Concentũ & choros, hoc est, saltationes. Id enim hoc loco significat choros.

Cœpit rogare eum.) Græcis est παρεκάλει αὐτὸν, Quod non solum significat rogare, sed & inuitare & adhortari.

Cum amicis meis epularer.) Rursus est εὐφραν θῶ. Item paulo post,

Epulari autem.) εὐφραν θῆναι.

Substantiam tuam, nõ suã.

Deuorauit substantiam suam.) Græci magno consensu legunt tuam, ut sit odiosius, à καταφαγών σου τὸν βίον. Atque ita legisse Ambrosium, ex his illius uerbis licet colligere: Impius, inquit, qui accusabat fratrem, quod cum meretricibus paternam substantiam prodegisset. Non enim dixit suam substantiam, sed paternam.

EX CAPITE DECIMOSEXTO.



Vi habebat uillicũ.) οἰκονόμον, id est, Dispensatorem, hoc est, œconomũ, ab οἶκος domus, & νέμειν distribuere, quod ea dispenset, quæ ad rem domesticã pertinent. Villicus, ut inquit Varro, in libris de re rust. agri colendi causa cõstituitur, appellatus à uilla, quod ab eo in eam conuehuntur fructus, & euehuntur cum uenerint. Atq; ipse diuus Hieronymus distinguit uillicũ ab œconomo. Villicus, inquit, proprie uillæ gubernator, à uilla nomen uillici accepit, œconomus nõ tantum frugum, sed & omniũ quæ dominus possidet, gubernator est. Vnde Oeconomicus Xenophontis pulcherrimus liber, qui non uillæ gubernationem, sed uniuersæ domus dispensationem, Tullio interpretante significat. Proinde magis quadrabat hoc loco œconomus siue dispensator quàm uillicus. Quin & in his quæ mox sequuntur.

Villicus. οἰκονόμος.

Redde rationem uillicationis tuæ &, Non poteris amplius uillicare.) Græce est, οἰκονομίας, & οἰκονομεῖν, id est, Dispensationis & dispensare. Atque ita citat diuus Hieronymus, explicans hunc locum in epistola ad Algasiam: Redde rationem dispensationis tuæ, non enim poteris ultra dispensare. Cæterum quod hic uertit,

Diffamatus est.

Diffamatus est.) Græcis est, διεβλήθη, quod magis sonat, Delatus est, à διαβάλλομαι, un de diabolus calũniator, διαβολὴ calumnia. Quanq; hoc interest, calumniator falsò defert. At defertur etiam qui merito accusatur. Nec est, Quasi, sed ὡς διασκορπίζων, ueluti dissipans, siue Velut qui dissiparet, nimirũ delatus est hoc nomine quod dissiparet bona illius

Mendicare erubesco.) ἐπαιτεῖν, pro quo aliàs usus est προσαιτεῖν.

Conuocatis itaq; singulis.) προσκαλεσάμενος, id est, Ad se uocatis, siue accersitis.

Cadus, Batus mensuræ.

Centum cados.) ἑκατὸν βάτους, id est, Centum batos, non cados. Nam Batus Hebraica uox est, illis mensuram significans liquidorum, ut docet Iosephus libro antiquitatum Iudaicæ gentis octauo. ea capiebat sextarios septuaginta duos: quemadmodũ & illud quod mox sequitur, Coros. Ea mensura aridorum capiebat medimnos Atticos quadraginta unum, ut idem testatur libro tertio.

Accipe cautionem.) τὸ γράμμα. Idem uerbum quod mox uertit Literas, idq; non Latine. Nam literæ numero multitudinis significat epistolam. Aut igitur utrobiq; uertere debuerat cautionem, cum utrobiq; sit γράμμα, quod literam sonat, aut scriptum, aut syngrapham, aut codicillos, aut libellos, aut huiusmodi quippiam.

Villicus iniquitatis, pro iniquo.

Villicum iniquitatis.) Ex idiomate sermonis Hebræi dixit Villicũ iniquitatis, pro dispensatore iniquo siue iniusto, cui non dissimile est quod mox sequitur.

De mammona iniquitatis.

Et in maiori.) ἐν πολλῷ, id est, In multo.

In minori.) ἐλαχίστῳ, id est, In minimo. Sed amat uariare interpres. Nec hic est,

In maiori, sed in multo, ut superius.

Vestrum, pro uerum.

Quod uestrum est quis credet uobis.) τὸ ὑμέτερον, id est, Quod uerum est. Id quod in non

in nonnullis codicibus, haud dubie librariorũ uitio, fuerat deprauatum. Quandoquidem & in emendatioribus Latinorum exemplaribus uerum legimus, non uestrum. Opponit autem uerum iniquo. Nam ueræ diuitiæ sunt, quæ sine fraude parantur. Et hoc loco Credet, positum est pro committet. Porrò qui committit tibi, nimirum alienum committit, non tuum. At in proxima clausula uestrum opponit alieno. Et quod uerum est non creditur, quod nostrum non datur.

Aut enim unum odio habebit.) Id quoniam totidem uerbis dicitur apud Matthæum inde petat qui uolet, quod in hunc annotauimus locum.

Audiebant autem hæc omnia Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum.) Græci secus distinguunt, ἤκουον δὲ ταῦτα πάντα, καὶ οἱ φαρισαῖοι φιλάργυροι ὑπάρχοντες ἐξεμυκτήριζον αὐτὸν, id est, Audiebant autem hæc omnia, & Pharisæi qui erant auari deridebant eum. Vt intelligas hæc omnia cæteris quoque fuisse audita, uerum solos pharisæos offensos fuisse, quorum hulcus tetigerat, etiamsi nonnulla exemplaria, rursus addita coniunctione habebant, Et deridebant eum.

Deridebant.) ἐξεμυκτήριζον. Est autem μυκτηρίζειν, quod Latini uocant naso suspendere. Erat enim olim nasus irrisioni dicatus. μυκτὴρ Græce nasus, inde μυκτηρίζειν subsannare. Et quo usus est Cicero, ἀντιμυκτηρίζειν, uicissim irridere. *Subsannare μυκτηρίζειν.*

Ex eo.) ἀπὸ τότε, id est, Ex tunc, ut aliâs uertit, ut in Psalmo: Parata sedes tua ex tunc, ἀπὸ τότε. Latinius erat ex eo tempore, siue ab eo tempore.

Et omnis in illud uim facit.) Græca quidem reddidit: uerum Latinius erat, incolumi tamen sensu, Et omnes in illud, quemadmodum legit Ambrosius, siue Quiuis in illud. Iam enim promiscue conabantur irrumpere, etiam ethnici.

Purpura & bysso.) Mirum unde Augustinus in Psalmum quadragesimumoctauum pro purpura legat holosericis.

Epulabatur.) εὐφραινόμενος, quod Irenæus alicubi uertit Iocundabatur. Vox em̃ Græca utrunq; significat, lætitiam mentis, & hilare conuiuium.

Nomine Lazarus.) Hebræis sonat, adiutus à domino, ut ipsum etiam uocabulum faciat ad parabolam: Destitutus erat ab hominibus, sed adiutorem habebat deũ. Siquidem עֵזֶר auxilium sonat, יָה deus. Hoc sensisse uidetur, qui collegit syluam nominum Hebraicorum ex omnibus libris sacris. Cæterum is cuius extat in singulos euangelistas collectio nominum, Lazarum interpretatur adiutum. *Lazarus.*

Qui iacebat.) ἐβέβλητο, id est, Porrectus erat. Quo uerbo solet uti de uehementer ægrotante & affixo lecto, Nec est simpliciter Ianua, sed πυλῶνος, quod uestibulum sonat, siue ostium diuitum. Nomen deductum à porta. Nec est,

Hulceribus plenus) sed ἡλκωμένος, id est, Hulceratus, siue hulcerosus, simile illi κεχαριτωμένη, id est, gratiosa, siue gratia plena.

Et nemo illi dabat.) Hanc particulam non reperio additam in Græcis codicibus, ne in his quidem quos nobis præbuit bibliotheca diui Donatiani, & Constantiensis.

Et sepultus est in inferno.) Græce secus est, καὶ ἐτάφη, καὶ ἐν τῷ ἅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς id est, Et sepultus est, & in inferno sublatis oculis. Vt sit sensus, diuitem quoq; qui felicitatem posuerat in opibus ac delitijs suis similiter mortuum fuisse ac sepultum, quemadmodum & pauperculum illum. Cæterum animam, quæ deuecta fuerat ad inferos, sublatis oculis uidisse Abraham. Alioqui qui poterat tollere oculos sepultus? Ad hunc sanè modũ planè distinguit et Theophylactus, qui ab eo loco, Et in inferno eleuans oculos suos, noui capitis facit initium, commentario in medio interposito. Similiter distinguit Augustinus in sermone quo enarrat hunc uersiculũ, Tibi derelictus est pauper: & uide, inquit, exitus amborũ. Cõtigit enim mori inopem illum & auferri ab angelis in sinũ Abrahæ. Mortuus est & diues, & sepultus est, nam pauper forte nõ sepultus est &c. Rursus homilia quæ est ex quinquaginta septima, distinctionẽ Græcorũ sequitur, unde mirũ est Bedã Augustini cõpilatorem sequi diuersum. Quæ referũtur in Aurea catena ex Chrysost. duobus uerbis deprauata sunt, quæ si abessent, prorsus nobiscum faceret. Nam in hoc philosophatur, qd' diues tantũ sepultus legitur, nec ulla fit mentio famulorũ aut amicorũ qui morienti adfuerint, eo quod diuitem ubi uentũ est ad uitæ finem omnes destituere solent. Tantum sepul *Distinctio apud nos uiciata.*

tus di

tus dicitur,iam bis ſepultus,cuius anima prius erat ſepulta in corpore.In hanc ferè ſententiam Chryſoſtomus.

Recepiſti bona.) Græci addunt tua, τὰ ἀγαθά σου, ut diſtingueret illius falſa bona ab huius ueris. Et mox,

Similiter mala) ſubaudias ſua,non quod ſimpliciter eſſent mala,ſed illius mala.

Nunc autem hic conſolatur.) παρακαλεῖται, paſſiue,hoc eſt,Solatio fruitur,ſiue ſolatium habet,aut Solatio afficitur,atq; ita uitaſſet amphibologiam.

In his omnibus pro ſuper hæc omnia.

Et in his omnibus.) Ἐπὶ πᾶσι τούτοις. Poteſt accipi & hic ſenſus. Et ſuper hæc omnia ſiue Præter hæc omnia:ut intelligamus hoc accedere ad infelicitatem diuitis,quod ob uoraginem interiacentem non poſſit illi ſuccurri.

Chaos magnũ firmatum eſt.) Mirum quid uenerit in mentem interpreti,ut Græcam uocem alia Græca redderet, nec ea ſanè idem ſignificante. Siquidem Græce χάσμα eſt, quod hiatum terræ ſignificat,qui ſolet exiſtere nõnunquam in terræmotu,quem Ariſoteles in libro de mũdo chaſmatian appellat,unde & chaſmaticus terræmotus dictus.Nõ nulli uoraginem uocant,quod fiſſura terræ in immenſam deuergat profunditatem. Chaos autem confuſionem ſignificat, hoc dictum à χέω, fundo,illud à χαίνω hio. Annotauit hunc locum Gulielmus Budæus noſter,nõnihil adijciens annotationi Laurentianæ.Hoc admonendum duxi,partim, ne quem ſuo fraudarem honore, partim, ut qui diligentius hæc & exactius uelit cognoſcere, ex illius petat annotamentis, quæ ſcripſit in Pandectas iuris.Nam nos ubiq; ſeruimus compendio,ne lectori faſtidio ſimus.

Budæus.

Neque inde.) μηδὲ οἱ ἐκεῖθεν, id eſt, Neq; qui iſtinc. Nam Græci carent hac proprietate aduerbiorum,cum apud Latinos hinc referatur ad primam perſonam,hoc eſt, loquentis,iſtinc ad ſecundam,illinc & inde ad tertiam. Nec eſt,

Tranſmeare) ſed διαπερῶσιν, hoc eſt,Ne tranſcendant,ſubiunctiui modi. Nec eſt,

Tormentorum.) ſed τῆς βασάνου, tormenti,ſiue cruciatus.

EX CAPITE DECIMOSEPTIMO.

Lapis molaris.



Apis molaris.) μύλος ὀνικός, id eſt,Mola aſinaria.Nam Græci ὄνον, id eſt aſinum uocant,& ſaxum ſubſtratum in mola, quod accipit frumentum, de quo dictum eſt in Matthæo.

Si pœnitentiam egerit.) εἰ μετανοήσῃ, id eſt, Si pœnituerit,ſiue ſi reſipuerit. Ne accipiamus de ſatisfactione & pœna ceu proprie dictũ. Vt diſſimulem, quod Dimittes toties, dixit pro remittes.

Et conuerſus fuerit.) In nonnullis Græcorum codicibus additum erat Ad te, ἐπί σε, in alijs non erat. Apud Ambroſium additur.

Si habueritis.) εἰ ἔχετε, id eſt, Si habetis,quod recte uertiſſet, Si haberetis.

Sicut granum ſinapis.)Neſcio an interpres uſurpauit κόκκον neutro genere,Nec enim eſſet ſenſus,mea ſententia,abſurdus,coccum uelut habere fidem,quod in ſpeciẽ humile & abiectum,non ante prodit uigorem ſuum, quàm attritu prouocatum. Sic alibi uocat nos ad exemplum paſſerculorum & liliorum. Quod ſi magis placet κόκκον hic poſitũ maſculino genere, ὡς κόκκον, perinde ualebit ac dicas, fidem ſimilem cocco.

Dicetis huic.) ἐλέγετε ἄν, id eſt,Dixiſſetis.Antiqui codices habent Diceretis,non dicetis, quod propius accedit ad Græcam ueritatem.

Morus arbor.

Arbori moro.) συκαμίνῳ. Eſt arbor ſui generis, peculiaris Syriæ, quemadmodum indicat Hieronymus. Heſychius addit à nonnullis dici μορέαν, uulgato, ut conijcio, uocabulo. De hoc xix. capite plura dicentur. Deinde quod addit Tranſplantare,ſenſum magis expreſſit quàm uerbum.Nec enim eſt μεταφυτεύθηναι, ſed φυτευθῆναι, hoc eſt,plantare.

Et obediet.) καὶ ὑπήκουσεν ἄν, id eſt, Obediſſet. Antiquus codex habebat, obediret, ut reſpondeat diceretis. Quanquam ἄν modum reddit potentialem, & ob id fortaſſis tolerabilius erat futurum tempus.

Paſcentem boues ſupereſt.

Aut paſcentem boues.) Græce non eſt boues,ſed tantũ paſcentem.Conſentiunt & antiquiſſima exemplaria Latinorũ, ποιμαίνοντα. Magis autem accipiendũ de paſtore ouiũ, quàm boum. Proinde in Corſendoncenſi codice aſſcriptum erat in interſtitio uerſuum, oues: atq; ita ſuſpicor legiſſe Ambroſium, quanquam & illic uerterunt oues in boues.

Magnificans

Magnificans deum.) δοξάζων, id est, Glorificans: quod tamen subinde ita transfert, quo magis sit uarius.

Nouem ubi sunt?) Venustius est apud Græcos omisso uerbo, οἱ δὲ ἐννέα πῦ, id est, Nouem autem illi ubi? Nam illi addo, loco articuli Græci. *Articuli uis.*

Non est inuentus.) οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες δοῦναι δόξαν τῷ θεῷ, id est, Non sunt reperti, reuersi dare gloriam deo, ut ad uerbum reddam. Porrò reperiri Græci dicunt, quod accidit, quodq; compertum sit. *Inuentus pro compertus.*

Quando desideretis.) ὅτε ἐπιθυμήσετε, id est, Cum desideratis. Quanquam legi potest & ἐπιθυμήσητε: ita reor legisse interpretem.

De sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt.) ἐκ μὲν ὑπ' οὐρανὸν εἰς τὸν ὑπ' οὐρανὸν λάμπει, id est, E regione quæ sub cœlo est, in eam quæ sub cœlo est, hoc est ex una cœli plaga in alterā. Ita enim uidetur oculis hominum. Cæterum collatio hæc significat subitum & inexpectatum esse aduentum regni dei, non solum quantum ad tempus attinet, uerumetiam quantum ad locum, non aliter quàm fulgur subito erumpit, nunc hinc, nunc illinc, quod prius uideas, quàm expectes uenturum.

Primum autem oportet.) πρῶτον pro prius positum est. Veniet quidem ut fulgur, sed nondum ueniet, imò prius oportet illum multa pati &c.

Vxores ducebant.) ἐγάμουν, ἐγαμίζοντο. Quod ante in Matthæo uertit nubunt, hic uertit, Ducunt uxores, quod illic nubuntur, hic Dabantur ad nuptias. *Nubunt, nubuntur.*

Duo in agro.) Hæc pars apud Græcos non additur in Luca, etiamsi meminit agri diuus Ambrosius. Imò in exemplari Paulino non erat mentio nisi de lecto. Cæterum Ambrosius pro eo quod est in Græcis ἐπὶ τὸ αὐτὸ, legit in pistrino, fortassis alterius Euangelistæ sententiam referens.

Vbicunq; fuerit corpus.) Græce est ὅπου τὸ σῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται καὶ οἱ ἀετοί, id est, Vbi corpus, illic cōgregabunt & aquilæ. Quanq; nōnulli codices habēt πτῶμα, id est, Cadauer, à cadendo dictū Græcis. Atq; hanc lectionem uidetur magis approbare Hieronymus. *Corpus cadauer.*

EX CAPITE DECIMOOCTAVO.

QVomodo oportet.) πρὸς τὸ δεῖν, id est, In hoc quod semper oportet orare. Porrò ἐκκακεῖν sonat segnescere, hoc est defatigari, quod hic uocat deficere. κακοὺς enim Græci nonnunquam uocant inertes & ignauos.

Per multum tempus.) ἐπὶ χρόνον, id est, Ad tempus, siue aliquandiu. Deinde εἰς τέλος, quod uertit, In nouissimo, rectius uertisset, deniq;.

Suggillet me.) ὑπωπιάζῃ, id est, Vituperet, ac deroget. Nam id significat sugillare, uerbum à pugilibus ductum, qui superne sugillant, genis liuore notatis, inferne supplantant, impulso ad ruinam antagonistā. *Sugillare.*

Et patientiam habebit in illis.) Græca nonnihil discrepant, βοώντων πρὸς αὐτὸν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς, id est, Clamantium ad se nocte & die, & leni animo ferens illos. Sed alius codex habebat, ναὶ λέγω μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς ποιήσῃ τὴν ἐκδίκησιν, id est, Etiam dico, longanimis super illis faciet uindictam: ut intelligamus omnino ulturum, licet serius, Quanquam secus legit Theophylactus, & rectius, ni fallor, propterea quod sequitur ἐν ταχεῖ, id est, Celeriter, id quod pugnat cum illo μακροθυμῶν. *Varia lectio.*

Putas inueniet,) Non est Græcis ὄτι, sed ἆρα, an, siue, num.

Tanquam iusti.) ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, id est, Quod essent iusti: tametsi uerti poterat ad sententiam, tanquam essent iusti. Sentit enim illos sibi tribuisse iustitiam, & hac opinione fretos, cæteros despexisse.

Cæteri hominum.) Græce dixit, nam homines dicendum erat Latine: cum Græci in his abutantur genitiuo pro quouis alio casu. *Cæteri hominum.*

Velut etiam.) ἢ καὶ ὡς οὗτος, id est, Aut etiam ut hic. Laurentius uidetur suspicari scriptū fuisse, Vel & ut. Cæterum quod de mutata coniunctione cauillatur, leuiculum est, & ad elegantiam sermonis attinens magis, quàm ad rem theologicam.

Nolebat nec oculos.) Fortasse torquebunt dialecticos hæ duæ negationes, uni additæ uerbo. Proinde uertere poterat, Nec oculos uolebat sustollere ad cœlum. Atq; ita citat Cyprianus in expositione precationis dominicæ.

Ab illo, pro præ illo.

Iustificatus ab illo.) Nonnulli Græci codices habebant κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ γὰρ ἐκεῖνος, id est, Descēdit hic iustificatus in domum suam, quàm enim siue certe ille, hoc est magis certe quàm ille. Sed in plerisq; non inuenio γάρ. Proinde uertēdum erat, Potius quàm ille, siue præ illo. Non quod nesciam sic alicubi loqui Gellium, friget ab illo, pro eo quod est, friget comparatus ad illum, sed quod præferam id quod est usitatius apud probos autores, & ne quis existimet interpretationem nostram reiiciendam, diuus Hieronymus aduersus Pelagianos citat, iustificatus plus quàm ille.

Conuocās illos.) προσκαλεσάμενος, id est, Aduocans, seu potius, Ad se uocatis illis. Et illos, ad pueros referendum est αὐτά, quod est neutri generis, quemadmodum pueri παιδία. Accitis puellis, dixit, haud dubium quin prohibentibus.

Et sicut puer.) Offendit Vallam, qui mauult, Velut puer, uel tanquam puer, ut intelligamus imitationem personæ, non acceptionis. Qui non acceperit regnum dei, factus puero similis, non intrabit. Hic est personæ imitatio. Qui non acceperit ut puer accipit, hic est actus imitatio.

Quid me dicis bonum?) Hoc nonnihil discrepat à Matthæo. Nā illic offensus est, quod interrogasset de bono quod esset facturus. Audit enim iuuenis, Quid me interrogas de bono. Marcus consentit cum Luca. Quanquam utraq; lectio tendit eōdem, uidelicet non conuenire, ut homo sibi quicquam arroget boni. Christo quidem loquitur, sed ut homini tantum. Atq; ut homo nihil habuit boni, quod sibi posset arrogare, uelut ex ipso profectū.

Per foramen acus transire.) Vtrobiq; Græcis est εἰσελθεῖν intrare per foramen acus, & ingredi in regnum. Et tamen interpres bene reddidit sententiam.

De filio hominis.) Græcis non additur de, περὶ τοῦ ἀνθρώπου, hoc est, Filio hominis.

Vt uideam, & respice.) Idem uerbum est Græcis, ἵνα ἀναβλέψω, ἀνάβλεψον, quod significat recipere uisum. Id mirum cur mox mutarit interpres.

EX CAPITE DECIMO NONO.

Sycomorus.



N arborem sycomorum.) Lucas sycomoream posuit, quàm eandem esse uolunt, cum ea quam sycomorum appellant, quamq; decimoseptimo capite uocauit sycaminum. Celsus Morosycon appellat. Hæc Plinio Ac Theophrasto ficus Aegyptia dicitur, quod existiment ibi tantum prouenire: cum Hieronymus enarrans Amos prophetæ caput septimum, testetur fuisse qui putarint hoc esse genus arboris, Palestinæ peculiare, gaudens locis campestribus, ac ficus afferens agrestes, quod nisi uellicetur, amarissimas cariculas facit, & fructus à culicibus corrumpitur. Quanquam Hieronymus horum sententiæ non accedit, negās in ea solitudine in qua morabatur Amos ullam huius generis arborem gigni, ac mauult prophetæ sermonem accipi de moris agrestibus, quæ rubi porrigunt, ut his pastores famem ac penuriam suā consolentur. Dioscorides libro περὶ ὕλης ἰατρικῆς, primo, cap. clxiij. docet hanc arborem ut dictum est, tribus appellari nominibus, Sycomorum, Sycaminum, & ficum Aegyptiam, addens hinc cognomen additum fœtui, quod ignaui sit saporis. Quod idem scriptum est à Theophrasto, qui indicat & in Cypro nasci Sycomorū, sed ab Aegyptia, specie diuersam. Siquidem Aegyptia foliis nostram morum refert, fœtu ficū nostratem, nisi quod eum non profert ramis, sed ex ipso caudice, non matureſcentem, nisi ferreis unguibus scalpatur. Cypria uero foliis nō absimilis est ulmo, fructum ædit pruno magnitudine æqualem, sed suauiorem. Porrò quod Lucas pro sycomoro sycomoream nominat, neminem oportet moueri, cum Græci μορέαν appellent, quā Romani morum, si Dioscoridi credimus. Multis argumentis uideri poterat caprifici genus, uel quod succo ac sapore caprifici fœtus referat, ut docet Theophrastus, interprete Gaza: adeo, ut quemadmodū refert Plutarchus, Athenienses obsessi à Sylla per contumeliam uocarint eum συκάμινον ἀλφίτῳ πεπασμένον, id est, Sycomorum polenta maceratum, ignauiā ac socordiam exprobrantes homini. uel quod ipsa uox συκόμωρος sonare uideatur fatuam ficum, si per ω scribatur. Nec inficior constanter apud autores per ο μῖκρὸν scribi, atq; haud scio an deprauate præsertim cum morus arbor cui cognata est sycomorus, ob foliorum similitudinem, apud Nasonē ac Palladium mediam habeat productam. Sed de sycomoro iam satis arbitror dictum, quod ad hoc institutum pertinet. Quod si quis existimabit ad mysterij rationem pertinere exactius nosse huius arboris

ius arboris uim ac formam, autores indicauimus, unde possit petere.

Quia inde.) ἐκείνης, id est, Illac, nec enim est ἐκεῖθεν. Ambrosius legit illa parte pro illac.

Statura pusillus erat.) Quod hic staturam uertit, alibi uertit ætatem. Græce est ἡλικίᾳ.

Ad hominem peccatorem diuertisset.) εἰσελθὲν καταλῦσαι, id est, Ingressus esset ad diuersandum apud illum.

Et si quid aliquẽ defraudaui.) ἐσυκοφάντησα, quod est proprie delationibus extorquere aliquid, hic pro quacunq; fraude posuit.

Eo quod & ipse filius sit Abrahæ.) Paulo durius est, quod hæc sub tertia persona pronunciantur à Christo, præsertim cũ non scribat ad alios uersus. Proinde suspicor, quod Græce dicitur filius Abrahæ, non pertinere ad Zacchæum, sed ad domum, quæ Græcis est masculini generis. Nam quemadmodũ nos domum Christianam diceremus, ita ille domũ dixit filiam Abrahæ, quod Abraham patrem fide imitaretur. Sub hac lectione manet tamen idẽ sensus, quem adferunt uetusti interpretes, per domum enim intelligitur paterfamilias, Plenius tamen est domum appellari filiam Abrahæ, quod talis esse solet familia, qualis est paterfamilias. *Domus filia Abrahæ.*

Homo quidam nobilis.) εὐγενὴς, id est, Clarus, & claro genere prognatus. Nam nobilis est qui quocunq; modo notus est uulgo.

Decem mnas.) Latini interponunt, i, dicentes minas. In pleriscq; Græcis codicibus reperio μνᾶς, nominandi casu, quod errore ne, an studio factum sit, incertus sum.

Quantum quisq;.) τίς, τί, id est, Quis quid, Ad eam formam: Quem cui commendes etiam atq; etiam aspice: Et quid cui des, Quid cui credas. Et,

Euge serue bone.) Id est, Recte bone serue. Collaudat enim seruum, functũ officio suo.

Exegissem illud.) Illam erat dicendum, quemadmodum scriptum comperi in duobus codicibus diui Donatiani. Sed ἀργύριον apud Græcos est neutri generis. Et interpres oblitus se uertisse pecuniam, non argentum, reliquit illud. Ad hæc quod hic uertit Exegissem Græcis est ἔπραξα, idem uerbum quod ad eundem modum uerti oportuit superius, cum de publicanis loqueretur, Nihil amplius quàm quod uobis constitutum est faciatis. *Interpres dormitans.*

Et quod habet auferetur ab eo.) Ab eo, additũ est ex idiomate sermonis Hebræi, ne quis uelut à nobis obliuione prætermissum reponat.

Omni habenti dabitur & abundabit.) Et abundabit nec est in Græcis codicibus, nec in aureo, nec in Constantiensi. Suspicor ex alio Euangelista huc asscriptum.

In castellum quod contra uos est. (εἰς τὴν κατέναντι κώμην, id est, In castellum quod ex aduerso est. Tam enim erat contra Christum, quàm contra apostolos. In aureo codice tantum habebatur, Quod contra est. Itidem in Cõstantiẽsi, & in meo ueteris typographiæ.

Præcedebat ascẽdẽs.) ἐπορεύετο ἔμπροσθεν ἀναβαίνων, id est, Præcedebat, hoc est, pergebat ire.

Pullum asinæ.) In Græcis codicibus non additur asinæ, tantum est πῶλον, & tamen nescio quorum errore repperi id additum in æditione secunda. Ex Ambrosij commẽtarijs satis colligi potest, illum legisse, quemadmodum legunt Græci. Ait enim: Et ideo secundum Matthæum, & asinam & pullum legimus &c.

Cui nemo unquam.) In quo nunquam legendum est, ἐφ' ὅν. Suffragantibus & antiquissimis exemplaribus & Origene, licet interpres recte uerterit.

Quia dominus operam.) ὅτι anceps est. & hoc loco, aut erat interpreti omittenda, aut uertenda Quod. Itidem in proximo loco. *Copia interpretis.*

Operam eius desiderat.) αὐτοῦ χρείαν ἔχει, id est, Eo opus habet.

Quia dominus eum necessarium habet.) Hæc Græca nihil dissidẽt à proximis, ubi uertit dominus eius operam desiderat, cum utrobiq; sit αὐτοῦ χρείαν ἔχει id est, Illo opus habet.

Sicut dixerat eis stantem pullum.) Stantem pullum non addunt Græci codices. Apparet additum à latino quopiam, quo sermo foret dilucidior.

Et iactantes.) καὶ ἐπιῤῥίψαντες, id est, Et iniectis uestibus, siue pallijs suis.

Omnes turbæ descendentium.) ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, id est, Vniuersa turba discipulorum. Nam mox iubetur increpare discipulos. Probabile est interpretẽ uertisse discentium, atq; ita scriptum adhuc uisitur in nonnullis peruetustis codicibus, In Constantiensi apparebat rasuræ uestigium.

Gloria in excelsis.) ἐν ὑψίστοις, id est, In altissimis.

κεκράξουσι. Lapides clamabunt. κεκράξουσι, quod Græci uocant μετὸλίγον μέλλον, hoc est, paulo post futurū, & habet urgēs quiddā ac uehemens. Itaque nos uertimus, mox lapides clamabūt.

Nunc autem quæ ad pacem.) Omittenda erat cōiunctio quia, ὅτι, quæ ex idiomate Græcanici sermonis apponitur aliquoties affirmandi gratia. Diuus Hieronymus in commentarijs Esaiæ, non semel hunc citat locū, sed sensu nonnihil immutato, uidelicet ijs uerbis, Si scires etiā tu quæ ad pacē sunt tibi. Deinde subijcit de suo: Quam quia non suscepit, intulit, Nunc autem uenient dies super te &c. Cōsimiliter adducit & enarrat hunc locū, exponēs Micheæ cap. ij. Quæ quidē interpretatio, ut longe latēq; dissonat à recentiū Theologorum interpretatione, ita uehementer consentit cum Græca ueritate & interpretamento Theophylacti. Nam Græci sic habent, ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σύγε, ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, τὰ πρὸς εἰρήνην σου, id est, Si nosses & tu sanè in die tuo hoc, quæ ad pacē tuā: ut subaudias quæreres, sitq; sensus, Hic dies est tuus, quo te inuisit redemptor: quod si intelligeres quantū boni tibi offeratur, saltem tu curares quæ ad pacē tuam pertinent, hoc est, crederes & obtēperares mihi. Ad hunc modum legisse uidetur diuus Hieronymus. Cæterum in plerisque codicibus ita scriptū est, εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καί γε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ τὰ πρὸς εἰρήνην σου. i. Si nouisses & tu, saltē in die tuo hoc, quæ ad pacē tuam pertinent, curares. Nec est ociosa coniunctionis iteratio καὶ & καί γε, quod prior ad personam urbis pertinet, altera ad diē. Vt intelligamus aduentum peculiariter pertinere ad ciuitatem Hierusalē, præsertim eo die, quo adueniebat iā moriturus, licet altera coniunctio non addatur apud Origenem, aut quisquis est autor, homilia xxxvij. Porrò quod recentiores interpretantur, Si nouisses imminentia tibi mala, fleres & tu &c. non cohæret cum eo quod sequitur, Nunc autē absconditа sunt ab oculis tuis. Repetit enim Christus quod dixerat, Si cognouisses, nimirum indicans eos nō agnoscere diem salutis suæ. Et hæc dixerim nullius sententiæ præiudicans, Certe Cyrillus qui citatur in catena, si cognouisses refert, nō ad mala imminentia, sed ad intelligentiam prophetiarū de Christi aduētu. Et Eusebius ibidē citatus, pacē nō refert ad delicias huius mundi, quēadmodū Gregorius, sed ad reconciliationem humani generis, ne quis credat omnino somnium esse quod adduximus.

Si cognouisses & tu, locus hactenus paucis intellectus.

Solo æquare. Ad terrā prosternēt.) καὶ ἐδαφιοῦσιν. ἔδαφος solum siue pauimentum. Inde ἐδαφίζω solo æquare. Plus enim dixit Lucas, quàm uerterit interpres.

Tēpus uisitationis.) ἐπισκοπῆς, id est, inspectionis. Interpres legisse uidetur ἐπισκέψεώς σου.

Suspensus erat audiens illum.) ἤν ἐκρεμάτο, id est, Pendebat, hoc est, inhiabat. Ita Vergilius: Pendetq; iterum narrantis ab ore.

EX CAPITE VIGESIMO.

UNo dierum.) Græci addunt ἐκείνων, id est, Illorum. Illud semel admonuisse sat est, Hebræos unum dicere, quod Latini quidam. ut, Vno die, pro quodā die, & Vnus scriba, pro quidam.

Conuenerunt.) ἐπέστησαν, id est, Ingruerunt, siue aderant, siue quod malim Adorti sunt. Sic enim utitur in Actis apostolorum.

Vnum uerbum.) ἕνα λόγον, id est, Vnū sermonem. In aureo codice non addebat unū, nec in Donatianicis. Nos sensum reddidim⁹ nō uerba, Interrogabo uos, & ego unū qddā.

Certus sum. Persuasus sum. Certi enim sunt.) πεπεισμένοι γάρ εἰσιν, id est, Persuasa est enim, siue persuasum habet, ut subaudias plebs, quæ modo præcessit. Certus est enim aliquis de re uera. At persuasus esse potest, qui falsum credat.

Multis temporibus.) χρόνους ἱκανούς, id est, Multum tempus, siue temporis, si sensum maluisset reddere quàm uerba.

Conquassabitur.) σωβληθήσεται, id est. Confringetur.

Qui negant esse resurrectionem.) Qui putant nihil immutandum in sacris literis, uertant hæc Lucæ ad uerbum si lubet, οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, id est, Qui contradicunt non esse resurrectionem. Sed quorsum attinet ex innumeris unū aut alterū proferre? Illud annotandū, quoniam ἀνάστασιν dixit absq; articulo, uertendum potius fuisse, Qui negant ullam esse resurrectionem. Est resurrectio corporum, & est animarum. Tum sunt qui fateantur dominum resurrexisse cum paucis, negantes uniuersalem resurrectionem.

Et mortuus

Et mortuus eſt ſine filijs.) ἄτεκνος, id eſt, Orbus, ſiue abſq; liberis. Nam liberorũ nomine & filiæ continentur. *Filij liberi.*

Neq; nubunt, neq; ducunt uxores.) οὔτε γαμοῦσιν οὔτε ἐκγαμίζονται, id eſt, Neq; ducunt uxores, neq; nuptũ dantur. Quod Cyprianus lib. ad Quirinum iij. uertit nubũtur, quanq; γαμοῦσιν ambiguum eſt. Aliâs certe uertit, Ducunt uxores, atq; adeo paulo ſuperius in hoc ipſo Luca. Prius uerbum γαμοῦσιν pertinere poteſt & ad uiros ducẽtes & ad fœminas nubentes, ἐκγαμίζονται ad parentes elocantes.

Aequales enim angelis.) ἰσάγγελοι, dictione cõpoſita, hoc eſt, ſimiles ſiue pares angelis. Quẽadmodũ Homerus ἰσοθέους & θεῷ ἰκέλους, appellat eximios uiros, & diis æquiparãdos.

Quia reſurgunt mortui.) ὅτι δὲ ἐγείρονται. Tametſi anceps eſt græca coniunctio, tamen hoc loco dicendum erat, Quod autem reſurgant mortui, ſiue Reſurgere autẽ mortuos.

Simulantes longam orationem.) καὶ προφάσει μακρᾷ προσεύχονται, id eſt, Et prætextu longo precantur. In nonnullis codicibus habebatur, προφάσῃ μακρὰ ultima acuta, non circunflexa, Sub prætextu multa precãtes. Nam quid ſibi uult longus prætextus? Nos magis ſenſum, quàm uerba reddidimus Simulantes longas preces. Neq; enim precatur, qui ad laudem humanam, aut quæſtum precatur. *Prolixæ preces.*

Damnationem maiorem.) περισσότερον κρίμα, id eſt, Maius iudicium. Interpres ſentẽtiam explicat, non uerbum. Nam hic aliquoties κρίμα uſurpatur pro condemnatione.

EX CAPITE VIGESIMOPRIMO

Reſpiciens autem.) Reſpicere eſt flexis in tergum oculis aſpicere. At hic eſt ἀναβλέψας, quod aliquoties eſt recipere uiſum, aliquoties attollere oculos uidendi gratia, ſiue quod gazophylacium in ædito loco eſſet, ſiue quod antea ſuos intuitus, poſt tollit oculos, in eos qui longius aberant.

Ex abundanti ſibi.) ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς, id eſt, Ex eo quod ſibi ſupereſt.

Ex eo quod deeſt.) ἐκ τοῦ ὑστερήματος, id eſt, Ex defectu, hoc eſt, Ex penuria.

Omnem uictum.) βίον, quod alibi ſubſtantiam uertit.

Et donis.) ἀναθήμασι. Ea dicuntur dona, quæ dicata diis ſuſpenduntur in parietibus & columnis templi: cuiuſmodi nunc uiſuntur potiſſimum iuxta monumenta diuorum ſtatuæ argenteæ, equi aurei, pocula gemmata, dicta ab ἀναθλῶσαι, hoc eſt, à ſeponendo, ſiue ſuſpendendo. Vnde & ἀνάθεμα dicitur. *Anathemata, dona conſecrata.*

Cum hæc incipient fieri.) μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι, futura ſunt hæc. Verum μέλλω ſic & aliâs expreſſit per incipiendi uerbum.

Dicentes quia ego ſum.) ὅτι ἐγώ εἰμι, id eſt, Quod ego ſim, hoc eſt, dicent ſe eſſe Chriſtum qui ſum ipſe. Atque ita nos uertimus aperte magis, quàm ad uerbum. Ne quis id exiſtimet errore factum. Et mox,

Terroreſq; & ſigna.) φόβητρά τε, id eſt, Terriculamentaq;. Aliud enim terror, aliud, monſtrum, quod terrorem incutit.

Et eritis odio omnibus hominibus.) Nec in Græcis nec in aureo codice additur hominibus, nec in conſtantienſi, nec in meo excuſo.

Nondum ſtatim.) οὐκ εὐθέως, id eſt, Non ſtatim.

Fames & peſtilentiæ.) Adnominationem in λιμοὶ & λοιμοὶ iam aliâs annotauimus.

Non præmeditari qualiter reſpondeatis.) μὴ προμελετᾶν ἀπολογεῖσθαι, id eſt non antemeditandam eſſe defenſionem. Id quod cæteri rei faciunt, qui ad lucernam elaborant arte orationem, qua flectant iudicem. Cyprianus ultima tertij libri epiſtola, ſic adducit hunc locũ: Ponite in cordibus ueſtris, non præmeditari excuſare. Porrò meditari dicimur ad quod nos cura præparamus. *Προσονομασία.*

Omnes aduerſarij ueſtri.) ἀντικείμενοι ὑμῖν, id eſt, Aduerſantes uobis. Et aliquanto poſt,

Capillus de capite ueſtro non peribit.) ἀπόλυται, id eſt, Perit. Habet neſcio quid certius & aſſeuerantius temporis ἔτερωσις.

Poſſidebitis.) κτήσασθε, id eſt, Poſſidete, ſiue obtinete. Apparet interpretem legiſſe κτήσεσθε, etiamſi Græci codices quos ego uiderim, conſtanter habent κτήσασθε.

Et nutrientibus.) θηλαζούσαις, id eſt, lactantibus & mamma nutrientibus, ut ſuperius *Mamma nutrire.*

indicatum est. Et Ambrosius pro nutrientibus legit, Quæ ubera dant. Augustinus alicubi mammantibus legit.

Pressura.) συνοχὴ, id est, Coartatio, siue anxietas. Nonnulli codices habebant ἀνάγκη, quod necessitatem sonat & uim illatam. Nec est,

In ore gladij), Sed ore gladij, στόματι μαχαίρας, quod tamen rectius uertisset, Acie gladij. Quandoquidem aciem gladij Græci στόμα uocant, quod ea parte mordeat, & δίστομον utrinque incidens dicitur.

Tempora nationum.) ἐθνῶν, gentium. Idem nomen quod proxime præcessit. Interpres mire fugit eiusdem uocis iterationem, quum Euangelista non fugiat.

Cõfusione, id est desperatione.

Præ confusione.) ἦχους ἀπορίας, id est, In perplexitate siue desperatione. Quanquam uterque genitiuus absolute potest legi, ut sit sensus, præ desperatione resonante mari & fluctu, & arescentibus hominibus.

Sonitus maris.) ἠχοῦσης θαλάσσης. id est resonantis maris.

Arescentibus hominibus.) ἀποψυχόντων, quod sonat exanimari dolore, siue extabescere.

Videte.) ἴδετε. Græcum uerbum anceps est, an sit uidetis an uidete.

Produxerint, proruperint.

Cum produxerint ex se fructum.) Græce tantum est προβάλωσιν ἤδη, quod ego uertissem proruperint. Neq; enim de fructu sentit, sed de gemmis ac frondibus erumpentibus, id quod ex alijs Euangelistis liquet. Certe ex Marci cap. 13. qui de ramo tenero & frõdibus erumpentibus meminit. Primum enim tenerescit ramus, ut gemmæ protrudi queant. Est autẽ hoc peculiare ficui, ut statim nullis floribus præcedẽtibus, protrudat grossos. Etiamsi gẽmas protrudunt & aliæ arbores. Nam Lucas præter ficum & alias arbores addit. Quanquam & aliàs dissident Græca à nostris, βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε, id est, Cernentes ex uobis ipsis cognoscitis, hoc est, Cum uidetis protrudi gemmas & frondes in arboribus, etiamsi nemo admoneat, tamen ex ipsa re intelligitis adesse æstatem. Et paulo post, rursum μήποτε uertit Ne forte, quasi sit hoc in illorum fortuna situm, ac non potius in illorum cura.

Curis huius uitæ.) μερίμναις βιωτικαῖς, quod in Paulo uertit secularia βιωτικά. Significat autem eas curas quæ ad uictum parandum, uitæq; usum faciunt.

Vt digni habeamini.) καταξιωθῆτε, id est, Digni reddamini, qui possitis effugere hæc omnia. Sensus autem est, ut semper hoc ipsum orent quo possint effugere.

Morabatur in monte.) ηὐλίζετο, quod ante uerterat stabulare.

Manicare, pro mane uenire.

Et omnis populus manicabat.) Græcam uocem imitatus est interpres ὤρθριζε, Idem uerbum quod in Psalmis uertit De luce uigilo, ὀρθρίζω. Vetutissimus codex Latinus habebat diluculo ueniebat. Vnde mirũ est unde hæc uox omnino Latinis inaudita, irrepserit, quã nec Augustini aures ferre queant. Notat enim hanc in librum Iudicum, quæstione 46. indicans quosdam interpretatos maturabis, ceu uox ea dicta sit à matutino. Sunt qui diuinent pro mane ibat corruptum fuisse manicabat. Verum nihil aliud quàm diuinant. Augustinus indicauit uariam scripturam sui temporis in libro Iudicum, & est idem uerbum illic ex interpretatione septuaginta quod est hic, ὀρθρισῇς ἐκτενῶς, quod Hieronymus reddidit: Et primo mane oriente sole irrues super ciuitatem, ἅμα τῷ ἀνατεῖλαι τὸν ἥλιον, ὀρθριεῖς καὶ ἐκτενῶς ἐπὶ τὴν πόλιν. Cæterum nec manicandi uerbum, nec maturandi placet Augustino, quod alterum neget inueniri apud probatos autores, alterius etymologiam non satis probat, & aliud est maturare, aliud mane uenire: frequenter enim sero uenit, qui mane uenit. Ad hæc commentarij Bedæ in contextu habent mendose nimirum, manebat ad eum, in expositione legit manicamus.

EX CAPITE VIGESIMOSECVNDO.

Præfecti templo tuendo.

DE duodecim.) ὄντα ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δώδεκα, id est, Qui erat de numero duodecim.

Et magistratibus.) Et ductoribus, siue ducibus exercitus. Est enim στρατηγοῖς, quos aliàs ni fallor, sentit præfectos tuendo tẽplo, nec alios hic arbitror intelligendos. Theophylactus præter hanc opinionẽ & alias commemorat.

Sine turbis.) ἄτερ ὄχλου, id est, Sine turba, hoc est, sine tumultu. Nam utrunq; significat ὄχλος, ut Latinis turba, & multitudinem, & tumultum.

Occidi

Occidi paſcha.) θύεσθαι, id eſt, Immolari.

Homo quidam.) Quidam non additur apud Græcos, ſed Latinus interpres de ſuo addidit, quo ſermo eſſet mollior.

Amphoram.) κεράμιον, quod ſignificat uas fictile. Hoc idcirco admonui, quod mihi uideatur ad myſteriũ facere, ſi quis excutiat, quid ſibi uelit hydria fictilis, quæ rumpitur apud Eccleſiaſten, recurrente uitta aurea. Eadem uox eſt, quam alibi uertit lagenam. *Aenigma apud Eccleſiaſten.*

Ex hoc.) ἀπ' αὐτοῦ, id eſt, Ex eo, nempe paſcha, ne quis ad tempus referat.

In meo ſanguine.) In poſitum apparet pro per. Vt uetus teſtamentum confirmatum ac dedicatum eſt, populo aſperſo ſanguine pecudis, ita Chriſtus per ſuum ſanguinem dicauit nouum teſtamentum, quod eleganter explicat is, qui ſcripſit epiſtolam ad Hebræos. Nec uideo cur hic obſtet religio, quo minus ſenſum reddamus magis perſpicuum, quum his uerbis non conſecrent hodie ſacerdotes.

Accipite & diuidite.) λάβετε τοῦτο, id eſt, Accipite hunc. Annotatum eſt hoc à ueteribus, apud Lucam bis fieri calicis mentionẽ. Prius enim accepit calicẽ, & gratijs actis ac benedictione facta dixit, Accipite & diuidite inter uos. Mox conſecrato pane ſequitur, Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens.

Qui pro uobis fundetur.) τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id eſt, Qui pro uobis effunditur. Cum paulo ſuperius dixerit Datur, tẽpore præſenti, cur hic uereamur dicere effunditur? Et certe datur reperitur in exemplaribus noſtris.

In meam commemorationem.) εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, quod expreſſius extuliſſet, Ad renouandam mei memoriam.

Per quem tradetur.) παραδίδοται, id eſt, Traditur, ut ſit præſentis temporis. *Dormitatio interpretis.*

Dominantur eorum.) Earum uertendum erat, ſiue eis. Gens enim Græcis neutri generis eſt. Proinde in αὐτῶν oblitus ſui interpres, Græco uſus eſt genere.

Sicut minor.) ὡς ὁ νεώτερος, id eſt, Sicut iunior, ſiue minor natu. Antiquiſſimi codices habent iunior, non minor. Quanquam hoc loco magis contemptum ſignificat, quàm ætatem. Vt enim honoris cauſa preſbyteros uocabant, hoc eſt ſeniores, ita contemptos iuniores: quod genus eſt illud in Pſalmis: Adoleſcentulus ſum ego & cõtemptus. Nam Hebræis נַעַר ſonat iuuenem & nullius autoritatis. *Iunior pro cõtempto.*

Et qui præceſſor eſt.) ὁ ἡγούμενος, id eſt, Dux ſiue rector. Nam hoc quoque ſignificat Græca uox, ac magis conuenit cum eo quod ſequitur. Pugnant enim præſidem eſſe, & miniſtrum eſſe.

Ait autem dominus Simoni.) Exemplaria Græcanica ſic habent, εἶπε δὲ ὁ κύριος, σίμων, σίμων ἰδού, id eſt, Dixit autem dominus, Simon Simon, ecce &c. Porrò conduplicatio ſeruit affectui. Atq; ita citat diuus Hieronymus in dialogis aduerſus Pelagium. Nec aliter refert Beda in commentarijs ſuis, ne quis caſu factum eſſe putet.

Expetiuit uos.) ἐξητήσατο, quod magis ſonat depoposcit. Deposcuntur enim, qui ad pœnam petuntur: uelut hoc efflagitarit Satanas ut illos comminueret, quemadmodum Iob popoſcit Satan, & impetrauit, uerum præſcriptis legibus. Ambroſius libro de uocatione omnium gentium primo cap. ulti. ſic adducit hunc locum: Simon Simon ecce Satanas poſtulauit, ut uos cerneret ſicut triticum. Siquidem à cernendo cribrum uidetur eſſe dictum. Græce eſt συνιάσαι.

Non cantabit.) οὐ φωνήσῃ, id eſt, Non ſonabit, ſiue non ædet uocem.

Sed nunc qui habet ſacculum.) Quæſo te lector Chriſtiane, quis tam eſt ἀγέλαστος qui poſſit à riſu temperare, perpendens quàm ridicula recentiores quidam in hunc ſcripſere locum. Rurſum quis eſt tam φιλόγελως qui non indignetur cœleſtem illam doctrinam huiuſmodi uitiari interpretamentis. Lyranus enim ille, ut multis uidetur, probatus doctor, huc detorquet uerba Chriſti, quaſi moneat Apoſtolos, ut ingruente procella perſecutionum muniãt ſe duabus rebus, nempe cõmeatu, & armorũ præſidio, ne uel deſit quod edãt, uel à perſecutoribus opprimant. Atq; eadẽ multo impudẽtius inculcat Hugo Carrenſis, ſiue quis alius fuit, autorem citans Chryſoſtomum, ſed huius uerba truncatim ac deprauate referũt recentiores quidã. Nam Chryſoſtomus de gladio cõmentum planè reijcit, utcunq; de ſaculo moderatur interpretationẽ. Huius uerba ſunt in caput Matth. 26, ut facilius crederẽt, *Recẽtium interpretatio exploſa.* *Hugo Carrenſis.*

quia traderẽtur, propterea dixit eis, emite gladios. Nõ ut percutiãt animat, sed ut prædicti/onem hac re ante oculos poneret. Hæc ille. Quid autẽ sibi uelit, quod ait prædictionẽ, ex/plicãt illius uerba quæ referuntur in cathena aurea diui Thomæ. Quid est hoc, qui dixerat, si quis te percusserit in dextra gena, uertas ei & aliã, nunc armat discipulos, & solo gladio? Nam si penitus armare decebat, nõ solum oportebat gladium possidere, sed & scuta & galeas. Sed etsi mille huiusmodi possiderent arma pro tot insultibus & insidijs populorum, tyrannorum, urbium, nationum, qualiter undecim comparerent, & ex solo agminum aspectu non contremiscerent, nutriti in stagnis & fluuijs? Non ergo putemus eum iussisse ut gladios possiderent, sed per gladios innuit imminentes insidias ludæorum. Vnde sequitur, Dico enim uobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me, & cum iniquis deputatus est. Rursus aliquanto inferius, Et quidem si humano eos uolebat uti auxilio, nec centum sufficerent gladij, quod si nolebat eos uti humano subsidio, etiam duo superuacanei sunt. Referuntur illic uerba Basilij, ac Theophili in eandem sententiam, demum & Bedæ. Quod si constat, qui conuenit ut simplicem sensum accipiamus in pera, in gladio quæramus figuratam interpretationem, quæ sensum aperiat cum uerbis pugnantem. Etenim si dominus iussit parari quæ pertinebant ad uictum ac defensionem, an uestis non pertinet ad uitæ necessaria? Et hanc uendi iubet. Proinde quemadmodum his uerbis præparauit animos Apostolorum ad fortiter perpetiendam sæuitiam persequutorum, ita sæculi tollendi mentione præparauit illos ad tolerantiam famis & omnium incommodorum quæ solent in bellis accidere. Malorum enim prædictio non hortatur ad prouisionem commeatus ac munimentorum, sed ad tolerantiam malorum, quæ citius prosternunt hominem si ueniant improuisa. Quoniam autem dominus donec adesset mortalis, illis cura uacuis abunde suppeditarat, & ab incursione malorum tutos reddiderat: imbecilles erant, sub ipsum dominicæ mortis tempus etiamnum contendentes de primatu, nec satis instructi aduersus malorum procellas, quæ imminebant. Præmonet igitur malorum, non ut suis fidant uiribus, sed ut uigilent aduersus ingruentem afflictionum tempestatem. Quomodo uigilẽt? Nimirũ quemadmodũ ipse docuit exemplo pariter ac monitis, uigilate & orate ne intretis in tentationẽ. Nec aliud q̃ꝫ à domino didicerant eos fecisse legimus post acceptũ spiritũ sanctum. Volebat illos ex ipso pendere, non ut infantes quemadmodum ante fecerãt, sed ut uiros qui suam industriam iungũt cum auxilio cœlesti. Hoc sensit Chrysostomus, hoc Theophylactus, hoc Theophilus, hoc Basilius, qui hoc quoq; admonuit, in multis codicibus non haberi scriptum, accipiat, tollat, uel emat, sed tollet & emet, ut sermo sit prædicentis imminentem afflictionem, non exhortantis ad parandum commeatum aut armaturam. Quidam sic interpretantur, hunc sermonem non ad Apostolos tantum, sed ad omnes Iudæos pertinere, quibus immineret tanta procella belli, ut nec de cibo nec de uestitu sint futuri solliciti, sed tantum de tuenda uita, id significari tropo quo iubet diuendita tunica & pera emi gladium. Quorsum igitur pertinent uerba Chrysostomi, Pullos è nido educens, iubet propris uti pennis? An ad parandas lanceas, galeas, clypeos, & bombardas? Quid igitur interest inter Carem militem conductitium, & uirum Apostoli cum? At mutatis, inquiunt, temporibus licet mutare uitæ rationem. Tempore pacis hæc interdicuntur, tempore belli permittuntur. Quasi uero unquam bonis defuerit persecutio. Itáne Christus omnium illorũ dogmatum suorum, de non resistendo malo, de diligendis ac iuuandis inimicis, de bene precando ijs qui male precantur nobis, de beatis mitibus, & persecutionẽ perpetientibus propter iustitiam, de præbenda maxilla altera, si quis alteram percussisset, atq; alijs id genus plurimis, iam moriturus palinodiam canit, & ad comparandum cõmeatum & πανοπλίαμ adornãdam excitat suos? Oblitus etiam eorum quæ paulo ante dixerat: In patientia uestra possidebitis animas uestras? Atqui illic sanè de persecutione loquitur, nec meminit præsidiorũ. Imò cum apud Matthæum uniuersam persecutionũ tragœdiam ponit ob oculos, rogo num usquã ulla mentio defensionis? Vbi est illud quod unum Apostolos à se iubet discere, quod mitis esset & humilis corde? Vbi uox illa seuera, Nescitis cuius spiritus sitis, qua discipulos à uindictæ reuocat affectu? Vbi uox illa, qua negat se agnoscere discipulum, qui sublata cruce sua non sequatur se? Num hic crucem mutat in gladium? Deinde quid magni docet Christus suos, si hoc præcipit quod sua sponte faciunt

ciunt & piratæ & latrones? Hæccine est illa doctrina cœlestis, quam ut nobis impartiret, relicto cœlo descendit in terras? Præterea autem, si id docuit quod isti uolunt, cur ipse non præstat quod docet? quando ipse parauit sibi commeatum? quando ensibus aut machinis sese aduersus persecutorum uim communiuit? Nec uident quàm ista pugnent cum uaticinio quod ædidit in illum Esaias: Velut ouis coram tondente obmutuit. Vt interim si- *Inconsistens.*
leam, ne consistere quidem istorum commentũ. Etenim fingamus hanc esse Christi mentem, ut uelit apostolos suos parare gladium ferreum, quo grassantur & latrones, & cõmeatum quem parant duces exercituum, qua ratione illud explicabunt, quod tunica diuẽdita iubet emi gladium? quandoquidem placet urgere literas ac syllabas sermonis. Num illos nudos ensibus accinctos mittit in bellum? Nouum uero copiarũ genus. Ad hæc cum dixerit, Sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter & peram, qui cohæret quod mox sequitur, Et qui non habet, uendat tunicam suã, & emat gladium? An non hinc satis euidẽs est, *Gladius.*
non præcipi ut ferrent secum sacculum & peram, sed tollerent uendenda, precioq; redimerent gladiũ? Quod si nihil horũ esset, tunicam uenundarent potius, q; gladius non esset. Vt maxime torqueant, non iubet parare sacculum aut peram, sed permittit ut tolerandũ, si quis forte possideat. At ensem etiam uendita tunica iubet emi. Proinde prospicere de uicto permittitur duntaxat, at gladio nos defendere tantopere iubemur, ut nudis etiam sit *Humanius est curare uictum, quã uindictam.*
cum hoste confligendum, uelut in hoc summa pietatis sita sit. At saltem non resipiscũt ex his quæ mox sequuntur apud alios Euangelistas. Obiurgat minaciter ac seuere Petrum quod utatur gladio, & iubet recondi, addens perire gladio, qui gladio pugnent, sibi non defuturas quamlibet multas legiones, à patre suppetias, si se ui defendere uoluisset. Præterea quando unquam legimus apostolos fecisse quod hic tantopere iubet Christus faciendum? Fugisse legimus, respondisse legimus, loricam aut gladiũ gestasse nusquam legimus, ac ne unguibus quidem unquã repugnasse, ne dicam gladijs. Deniq; cur in omnibus suis epistolis audent à præceptoris sui doctrina dissonare? Tolerantiam uno ore docent omnes, iubent obrui beneficijs inimicũ, & igneos carbones congeri in caput illorum. Paulus iubet malũ uinci bono, iactat toleratas calamitates suas, prostratos ac fusos hostes non iactat. Toties armat ille tironem Christianũ, euangelica panoplia, galea salutis, scuto fidei, gladio spiritus. Vbi inter hæc huius gladij mentio, quem nos comminiscimur? In nugis leuiculis, quæq; citra dispendium euangelicæ philosophiæ uel nesciri poterãt, hæreses ac blasphemias ἐκτραγῳδίζομεν. Mihi nulla hæresis uidetur pernicios ior, nulla blasphemia scelera- *Hæresis occulta.*
tior, quàm si quis Philistinorum exemplo euangelici agri puteos, qui à Christo uenã habent aquæ uiuæ scatentis in uitam æternam, terra oppleat, & sensum spiritualem uertat in carnalem, doctrinam cœlestem deprauet in terrenam, ac sacrosancta Christi dogmata detorqueat, imò corrũpat, idq; reclamantibus omnibus eius præceptis, reclamãte tota ipsius uita, reclamante doctrina apostolica, refragantibus tot martyrũ millibus, repugnantibus uetustis interpretibus. Nec animaduertunt quid hic interpretetur Ambrosius, etiamsi in *Ambrosius.*
re tam perspicua, quid opus interprete? Cur inquit emere iubes gladiũ, qui ferire me prohibes? Cur habere me præcipis, quem uetas promi? Nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria, ut uidear potuisse uindicari, sed noluisse. Deinde dissoluẽs quod poterat ex ueteris instrumenti literis obijci, permissum esse bellum, Lex tamen, inquit, referire me non uetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est dicit: quasi licuerit usque ad euangeliũ: ut sit in lege æquitatis eruditio, in euangelio bonitatis perfectio. Mox aduersus reclamaturos opponit hæc: Multis hoc iniquum uidetur, sed non iniquus dominus, qui cum se posset ulcisci, maluit immolari. Deniq; in calce hoc adijcit, duos gladios interpretatus ueteris ac noui testamenti scientiam, Quasi nihil inquiens desit ei, quem utriusq; testamenti doctrina munierit. Orígenes theologorum sine controuersia doctissimus, homilia *Origenes.*
in Matthæum septima, sermonem hunc Christi pestiferum esse pronunciat, si ad literam accipiatur. Eum posteaq; recitarat, subijcit hunc in modũ: Si quis ergo literam uolens aspicere, & non intelligens uoluntatem uerborum, uendiderit uestimentum suum corporale, & emerit gladium talem, contra uoluntatem Christi suscipiens uerbum eius, peribit, forsitan & gladio peribit. De quo autem gladio dicat, non est loci huius exponere. Idem libro aduersus Celsum secundo, pronunciat bellũ ab uno Christo sublatũ, quasi hoc illi fuerit pe-

culiare.

culiare. Consentiunt in hanc sententiam, omnes omnium literæ, omnes sanctorum libri, qui tolerantiam nobis commendant, non armaturam indicunt. Tolerandum utcunque, si unum duntaxat locum philosophiæ cœlestis ad hunc corrupisse mus modū. Nihil propemodum est dogmatis Christi, quod non huiusmodi cōmentis ac distinctiunculis subuertant quidā. Et hæc leguntur & approbantur à summis, ut uulgo uocentur, Theologis, hæc uelut oraculo prodita citantur, hæc publice docentur, hæc audiunt principes, his animātur ad bellum, quasi uero non suapte sponte insaniant satis. Quibus rebus illud factum est, ut apud Christianos insanius propè tumultuetur, litigetur, pugnetur, pro re, pro ditione, pro uindicta, quàm usquā apud Ethnicos. Verum moderādus est animi dolor, tametsi iustissimus: præsertim cum indignitas rei uix ingenti uolumine possit, ut par est, explicari. Nec isti me uel tantulū mouent, qui nolunt ius belli principibus adimi. Quomodo nunc bellēt principes, non libet meminisse: neq; necesse est hoc illos docere, quod ultro nimis acriter agūt: si tamen hoc bellare est, ac nō potius in populi perniciem inter se colludere, & bellorū prætextu, suam constabilire tyrannidem. Illud non fero, nos huiusmodi dogmata in Christum autorē referre. Si quid habet humanæ uitæ necessitas, ut habet multa necessaria mala, quemadmodum ait ille, si quid condonatur crassæ multitudini, quid hoc ad cœlestē Christi philosophiam? Ille de cœlo uenit ut doceret cœlestia, crassa hæc aut uelut ignorauit, aut respuit, aut neglexit. Non agnoscebat Cæsaris imaginem. Reiicit eum à quo rogabatur ut arbiter esset diuidundæ hæreditatis. Adulteram mulierem, nec absoluit, nec damnat. Neque uero me fugit diuum Augustinum hūc locum adducere aduersus Manichæum Faustum libro uigesimosecundo, qui bellum detestabatur & in ludæis. Sed ita adducit, ut tamen Apostolos nolit bellare, ne imperatores quidem, nisi plene fisos pietati, nisi iusta de causa, nisi cōtra sacrilegos & dæmonū cultores, nisi pro publica tranquillitate. Neq; dissentit à nobis in pera & baculo uenum tollenda: in hoc tantum discrepat, quod ille Petrum uult obiurgatum fuisse, quod iniussus pugnam aggressus sit, quod iussus quidem esset ferre gladium, at non ferire gladio. Quod commentum quantum habeat ponderis, alijs excutiendum relinquo, ne quid asperius dicere uidear in tantum ecclesiæ doctorem. Sunt enim qui protinus contumeliam interpretentur, si quis à receptis autoribus discrepat, cum hoc honoris, nec ipsi postulent. Imò cōtumeliosum fuerit opinor, si quis illos hominum more lapsos alicubi conetur aduersus ueritatem tueri. Nam cuiusmodi est obsecro tam serio præcepto discipulos onerare, gladio inutili, quem ne tum quidem liceat eximere cum maxime est opus? Perinde quasi iubeat aliquis, fac habeas paratum ligonem, at caue ne quando fodias. Circumfer quidem soleas, semper tamen nudis incedas pedibus. Tolerabilior erat interpretatio, si ad hunc modum intelligamus, etiamsi quando adsit defendendi facultas, tamen abstinete à defensione, solo uerbi diuini gladio uos defendite. Hic frigidissimam distinctionem adferunt quidam, iussit habere gladium ad defensionem, uetuit promi ad uindictam. Iam illud uidendum, an de bello sibi satis constet Augustinus: qui cum tot locis Christiane bellum detestetur, nunc aduersus Manichæos ac Donatistas belli patronus esse uideatur. Si quidem is enarrans Psalmum tricesimumseptimum, scribit, Orandum pro inimicis, non ut occidantur, sed ut corrigantur. Si non licet orare deum, ut inimici iusto supplicio coërceantur, multo minus nobis licet illos occidere. Idem epistola clxiij. scribit cōtaminari passiones sanctorum, si uicissim occidantur inimici. Rursus epistola quinta, quàm multa disserit aduersus bellum. Porrò quot locis agit cum Cæsarianis præfectis, ne Donatistæ non solum hæretici, uerum etiam horrendo latrocinij genere grassantes in Orthodoxos occiderentur, ne non essent qui possent corrigi, sed hactenus coërcerentur, ut ecclesiæ bonis alio translatis, sequi cogerentur. Postremo cum toties uitæ Augustini tenderent insidias Donatistæ, quādo legitur ille manum armatam aduersus illorum uiolētiam collegisse? Sed qua fronte faceret hoc ipse, qui tam obnixe intercedit & obtestatur ne fieret à Cæsarū præfectis? Verum ita ferè fit, ut in conflictu cum aduersarijs, scripturam sacram, ad suam quisque causam detorqueat. Et uerum est quod aiunt, hæreticos nōnulla ex parte profuisse religioni Christianæ, dum orthodoxos ad diuinorum uoluminū perquisitionem extimulant. Atqui huic commodo illud adiunctum est incommodi, quod dum scripturarum testimonia uictoriæ seruire cogimus, nō raro deflectimur à germana ueraq; sententia. Iam si uerum

Christianorū insana bella.

Christus non nisi summa docuit.

Augustinus bellū aliquod probans.

Ridicule iubet portare gladium, qui nolit eo uti.

Augustinus alibi detestās bellum.

Donatistæ ui grassantes hæretici.

Torquet scripturā qui pugnat.

si uerum est quod isti interpretantur, quid senserunt illi qui putant hoc esse dictum ironice, Sufficit, uidelicet aduersus tantã multitudinem. Nec hanc opinionem reijcit Theophylactus, sed addit alteram quæ pariter facit pro nobis, Quũ inquit, illi non intelligerent quod dicebat, reliquit illos, ne molestus esset, Certe iuxta carnem intelligebant apostoli, ergo nõ iuxta carnem loquebatur dominus. Proinde mihi simplicius uidetur, Christum paulatim conantem suorũ animis uulgares affectus eximere, cum prius eos liberasset cura commeatus, nũc & supplicíorum ac mortis metu liberare uoluisse. Sciebat quid illis adhuc rudibus in eo tumultu uenturum esset in mentem, & ideo de gladijs finebat eos ad tempus errare, quo efficacius eximeret ex illorum affectibus uindictæ cupiditatem. Si tacuisset de gladio, uideri poterat licita defensio, quoties urgeret uitæ periculum, uiris apostolicis. Nũc ita rem ac sermonem temperauit, ut nulli dubium esse possit, quin usum ferri suis interdixerit. Miserat eos paulo superius specimen sui daturos, & gustum quendam sumpturos Euangelici muneris, sed duntaxat intra ludææ fines. Cumq; hic humana solicitudo cõmeatum, ac nõnulla uiæ solatia requireret, iussit suos proficisci sine pera, sine baculo, & tamen nihil defuerat, ultro suppeditantibus necessaria bonis hominibus. Atqui quoniam futurum erat, ut Euangelicæ prædicationis fastigium, summaq; manus esset martyrium, & nihil morte formidabilius: aduersus hoc quoque certamen suos instructos esse uoluit, non solum exemplo suæ mortis, uerumetiam admonitu. Proinde ut ex ijs quæ iam erant experti, fidem faceret eorum quæ postea essent consequutura, commonefacit eos pristinæ prædicationis, Quando misi uos sine sacculo, & pera, & calciamentis, num aliquid defuit uobis? Cumq; respõdissent nihil omnino defuisse, uocat ad perfectiora: Videtis hactenus nudis nihil defuisse, ne quid hæc sollicitudo uos grauet. Sed quemadmodum de commeatu uitæq; subsidijs nõ est quod angat uos sollicitudo, ita nihil est quod de defensione sitis solliciti, si quando persecutor, cruciatus aut mortem intentabit, ijsdem præsidijs uincetis tyrannos quibus ego uinco. imò quo magis eritis omnibus humanis præsidijs destituti, hoc magis eritis ad hoc bellum instructi. Adeo, ut si cui forte sit tunica aut pera, quo sit expeditior, & hæc abijciat. Non est opus nisi gladio meo, qui sic amputat ac reuellit omneis affectus carnales, ut accinctus eo, nec tormenta formidet, nec mortem, tantum abest, ut famem metuat aut nuditatẽ. Neq; uero cum hæc dico, ius adimo principibus gerendi belli, modo Christiane geratur. Laudãtur & Ambrosio Cæsares, qui se pro tuenda Christiana trãquillitate aduersus Barbaros ceu murũ opposuere, & tamẽ idem negat hoc esse puritatis euangelicæ, quam hic suos docet Christus. Sed qd hæc ad nos, qui sacerdotes ipsi sine fine belligeramur, idq; pro imperio, pro præda, pro mũdana gloria? Quid hæc ad Christianos principes, qui per ambitionem, iram, auaritiã, aut alium priuatũ affectũ sine fine miscent orbem bellorum tumultibus? Quid ad hæc bella, quæ tanta cum iniquitate ne dicã immanitate geruntur, ut crebro minus malorum sit ab hoste, quàm à propugnatore? Sed de his aliâs fusius disserendi dabitur locus. Theophylactus discrepat nonnihil ab hac interpretatione, quippe qui tollendã peram ac sacculũ interpretetur, quemadmodũ & gladiũ: non quod uelit eos de hisce rebus prospiciendis esse sollicitos hominũ more, sed ne posthac toti pendeãt à præsidio Christi, qui hactenus eos nõ secus ac pueros curæ habuit, uerũ ut ipsi quoq; in posterum præparent animos suos, aduersus inopiam, aduersus famẽ, aduersus mortẽ, idq; significatum esse pera, sacculo & gladio. Quod si quis me urgeat ut pronũciem, utrum in totũ existimem bellũ interdictũ Christianis an nõ, prius rogabo percontatorẽ ut mihi respõdeat qd senserit S. Martinus quũ diceret, Donatiuũ tuũ militaturus accipiat, ego Christianus sum, mihi pugnare non licet. Deinde quid præter alios Orthodoxos ueteres diuus Hieron. qui toties damnat bellũ inter Christianos. Quod si nõ dignabũtur respondere, dicã uiris apostolicis nõ conuenire bellum, nec religionem Christianã armis tantum esse propagandam, nec principi bellũ ullum suscipiendum quod aliquo pacto queat uitari, & susceptũ q̃ minima potuerit sanguinis iactura gerendũ, & q̃ potest ocyssime finiendũ. Deniq; hanc ipsam functionẽ nõ esse puritatis euangelicæ, nec hoc ius ex euãgelicis p̃ceptis esse petendũ. Multa conceduntur quæ non docet euangelium, ueluti iusiurandũ & lites forenses. In Ethnicis nõ improbatur ius gladij si leges porrigãt, si legũ arbitrio promatur, quanquam euangelica pietas mallet sanare quàm occidere. Christus mulierem in adulterio deprehensam nec damnauit,

Quo consilio Christus iusserit emi gladiũ

Gladius Christi.

Bellare nõ est Euãgelicæ puritatis.

damnauit nec absoluit, simul & admonens sacerdotes officij sui, quorũ est mederi non perdere, nec adimens tamen magistratibus publicam potestatem, quæ seruit iustitiæ diuinæ, etiam si sint idololatræ. Postremo sunt in rebus humanis multa necessaria mala, quæ tolerantur eo quod excludant maiora mala, non probantur, ut Euangelicæ doctrinæ. Atq; hæc pro disputatis haberi uolumus, non pro decretis. Cæterũ ut id solum agam, quod ago, sic est ordinanda lectio: Sed nunc qui habet sacculum tollat, utiq; uendendũ, cõsimiliter & peram tollat, nimirum uendendam: quod si desint, uel tunica diuendita emat gladiũ, non istũ quo grassantur latrones: sed uerbi diuini, qui penetrãtior est quouis gladio ancipiti, pertingens usq; ad dissectionem animæ ac spiritus. Quod si quis omnino cõtendat, Tollat hic positum pro Secum, deportet, certe cum in gladio cogamur allegoriam adhibere, hic quoq; adhibeamus oportet. Accipis gladium euangelicũ, accipe & peram & tunicã euangelicã.

Pera & tunica euãgelica.

Orate ne intretis.) Latinis anceps est sermo. Nam potest & hic esse sensus, Orate, ne si non oraueritis, fiat ut intretis in tentationem. At Græcis nõ potest nisi unus accipi sensus, nempe hic, Hoc rogate patrem, ne ueniatis in tentationem, προσεύχεσθε μὴ ἐισελθεῖν. Quanquam paulo post, commutatis nonnihil uerbis, eandem extulit sententiam, ἵνα μὴ ἐισέλθητε, id est. Ne intretis.

Et factus in agonia.) Quis tantum Latine sciens cognoscet ex hisce uerbis quid senserit interpres? Agon Græcis certamen, siue periculum, aut labor. Agoniam igitur appellat horrorem illum & affectionem qua corripi solẽt homines iam instante atq; urgente graui discrimine. Nos ut potuimus uertimus, Et correptus angore.

Guttæ sanguinis decurrentis in terram.) Hic uariãt Græci codices, sed sic, ut ad sensum nihil referat: & facilis est scribarum lapsus, in tam angusto confinio καταβαίνοντος, & καταβαίνοντες. Hilarius libro de trinit. 10. indicat in pleriscq; Græcorum ac Latinorũ codicibus non fieri mentionem, neq; de sudore sanguineo, neq; de angelo confortante. Verum id erasum uidetur ab his qui uerebantur Christo tribuere tam insignia humanæ infirmitatis argumenta, quum Hilarius etiam doloris sensum illi conetur adimere.

Si percutiamus.) εἰ πατάξομεν, id est, Num percutiemus? Si, pro an dixit interpres.

Sinite usq; huc.

Sinite usq; huc.) ἐᾶτε ἕως τούτου, id est, Sinite hactenus, id quod perinde sonat græcis quasi dicas, Hactenus ne resistite, cum alius sit sensus Euangelistæ.

Ac magistratus templi.) στρατηγοὺς, duces. Erant enim & milites præfecti custodiendo templo, quorum præfectos hic uocat στρατηγός.

Et dum fuisset intuita.) Ἀτενίσασα, id est, Et fixis in eum oculis. Plus enim quiddam est ἀτενίζειν, quàm intueri, nempe immotis oculis obtueri.

Quasi horæ.) ὡσεὶ, id est Ferè. Quanquàm & Suetonius usus est, quasi in hunc modum.

Sicut dixerat.) ὡς εἶπεν αὐτῷ, Quomodo, siue Vt dixisset sibi. Nam hoc ipsum illi ueniebat in mentem, Christum sibi dixisse futurum ut se negaret.

Conuenerunt seniores.) συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον, id est, Coijt ordo presbyterorum.

Neq; dimittetis.) Ἢ ἀπολύσετε, Aut dimittetis. quanquam recte mutauit interpres.

Vos dicitis, quia ego sum.) ὅτι ἐιμὶ, id est, Vos dicitis me esse. Alioqui non ideo dicebant quod ille esset.

Quid adhuc desideramus.) τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτυρίας, id est, Quid insuper opus habemus testimonio? Interpres eleganter reddidit magis quàm ad uerbum, aut suo more.

EX CAPITE VIGESIMOTERTIO

Articuli uis.

Dvxerunt.) ἤγαγεν, id est, Duxit: tametsi hic uariant exemplaria, cum in nonnullis sit ἤγαγον. Et mox, Peruertentem potius quàm subuertentem διαστρέφοντα.

Tu es rex Iudæorum.) σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, id est, Tu es ille rex Iudæorum? ut unicum illum, Iudæis promissum & expectatũ regem intelligas.

Causa, pro crimine.

Nihil inuenio causæ.) οὐδὲν αἴτιον, Nihil noxiæ, aut nihil criminis, quod imputari debeat. Siquidem noxia culpa dicitur, cum noxa sit pœna potius.

Commouit populum.) ἀνασείει, id est, Cõmouet, præsentis temporis, ut accipiamus non de una seditione accusari Christum, sed totam illius ac perpetuam accusari uitam ac doctrinam uelut seditiosam.

Et audiens

Et audiens Galilæam.) ἀκούσας γαλιλαίας, id est, Cum audisset de Galilæa, siue Audito nomine Galilææ.

An homo Galilæus esset.) Galilæus non est coniungendum cum homine, sed separandum propter articulum Græcum, ὁ ἄνθρωπος. Nam cum Christum signet, tamen uelut ignoto sibi nomine, hominem uocat, ut Petrus puellam, mulierem γύναι.

Constanter accusantes.) εὐτόνως, id est, Acriter, & intento clamore. *Cõstanter pro acriter.*

Nullam causam.) αἰτίαμ. Cur non potius crimen? quandoquidem & hoc significat αἰτία. Porrò quod addit post, Causam mortis, sic dixit causam mortis, ut si dixisset crimẽ mortis, quod nos dicimus capitale.

Emendatum ergo.) παιδεύσας, id est, Castigatum, siue correptum. Nam quod mox uertit, Corripiam, eadem est uox Græca παιδεύσας. Cæterum corripimus uerbis magis, quàm uerberibus, castigamus utroq; modo.

Per diem festum.) κατὰ ἑορτὴν, id est, Singulis festis. Nam pascha recurrebat quot annis. Et hac figura subinde utuntur Apostoli & Euangelistæ, κατὰ τόπους, κατὰ πόλεις. *Per festũ, pro diebus festis.*

Simul uniuersa turba.) παμπληθεί. Græcis aduerbium est, quod additum uerbo significat id agi per uniuersam multitudinem. Nam uerbum ipsum est numeri pluratiui ἀνέκραξαν, id est, Exclamabant, seu potius succlamabant.

Voces eorum.) Hic addunt Græci καὶ τῶν ἀρχιερέων, id est, Summorum sacerdotum, siue pontificum, cẽsẽ reclamantibus Latinis exemplaribus.

Petitionem eorum.) αἴτημα, id est, Postulationem. Efflagitant enim ac postulant.

Beatæ steriles, & uentres quæ.) Dicendum erat, Ventres qui non genuerunt. Apparet hallucinatum interpretem, quod κοιλίαι, id est, Ventres, apud Græcos sit fœminini generis. At mox certe Græcus sermo refert Vbera, quæ sunt masculina apud illos, καὶ μαστοὶ οἳ οὐκ ἐθήλασαμ. Nam Quæ non lactauerũt, ad ubera refertur, nõ ad mulieres. Alioqui fuerat, in quo posset aliquis utcunq; tergiuersari. *Ventres qui.*

In uiridi.) ἐν ὑγρῷ, id est, In humido, quemadmodum iuxta Græcam lectionem citat Hilarius, enarrans psalmum primum, atq; ita magis respondet, quod sequitur aridо. Cohærent autem humere, & uirere, cẽsẽ sensum expressit interpres.

Duo nequam.) δύο κακοῦργοι, id est, Duo malefici, siue facinorosi. *Nequam, pro facinorosis.*

Et latrones.) καὶ κακούργους. Latrones nunc uertit, quod modo uerterat Nequam, homo nimirum copiosus.

Stabat populus expectans.) θεωρῶμ, id est, Spectans: suffragantibus & antiquis exemplaribus nostris. Verum id haud dubium quin librariorum acciderit errore. *Expectãs, pro spectans.*

Et deridebant eum.) ἐξεμυκτήριζομ, id est, Subsannabant. Idem uerbum cum eo quod ut superius indicatum est, significat naso suspendere, siue dicteriis incessere.

Si tu es rex.) ὁ βασιλεὺς, id est, Ille rex. Et paulo ante ὁ χριστὸς, id est, Ille Christus. Ac rursum ὁ τοῦ θεοῦ ἐκλεκτὸς, id est, Ille dei electus. Nec eũ in his ociosus est articulus Græcus. *Articuli uis.*

Nesciunt quid faciunt.) An sic Latini loquantur nescio, fortasse rectius erat, Nesciunt quod faciunt. Quod si dicas, Nesciunt quid faciant, incidis in aliud incommodum, uidelicet amphibologiæ.

Erat autem & superscriptio.) ἐπιγραφή. Cur nõ potius inscriptio, cẽsẽ superscriptio?

Græcis, & Hebraicis, & Latinis.) Alius est Græcis ordo, ἑλληνικοῖς καὶ ῥωμαϊκοῖς καὶ ἑβραϊκοῖς, id est, Græcanicis, Romanis, & Hebraicis. Quæ sanè tres linguæ, uel hoc nomine Christianis omnibus deberẽt esse cõmendatæ, quod in cruce domini nostri Iesu Christi, sint solæ omnium dedicatæ. Saltem hũc titulum conueniebat passim suis depingi formulis, quem Ioannes ad hanc formam ponit.

יהושע חנוצרי מלך היהודים.

ΙΗΣΟΥΣ Ο ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ. *Tres linguæ præcipuæ.*

IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

Qui pendebant latronibus.) κακούργων, quod modo uerterat Nequam.

Neq; tu times deum.) Tacita uis coniunctionis neq;, potest ad tria referri, nisi obstet

Trifariam accipitur eadem negatio.

compoſitio,ad Times,ad tu,& ad deum.Si ad deum,hic erit ſenſus.Non ſolum nō times homines,ſed ne deum quidem metuis.Si ad Tu,hic,Parum eſt,ſi iſti deum contemnant, niſi tu quoq; contemnas.Si ad Times,ſenſus hic erit,Non ſolum non amas deum, ſed ne times quidem,cum ſis in ſupplicio conſtitutus.At ea eſt apud Græcos ſermonis compoſitio,ut non poſſit accipi niſi hic ſenſus,quē poſtremo loco recenſui, οὐ δὲ φοβῇ σὺ τὸν θεόν, id eſt,Ne times tu quidem deum,id eſt,Non ſaltem times deum.

Qui,pro quod.

Qui in eadem damnatione es.) Græcis non eſt ὃς, ſed ὅτι, conſentientibus & Latinorum uetuſtis exẽplaribus.Siquidẽ in Paulino erat,Quod,nō qui, cōcordans cū Conſtantienſi, In Corſendoncẽſi Quia,niſi quod a,uidebatur eraſum,ſed euidenti ueſtigio teſtante corruptelam.Et item in aureo codice ſcriptum erat quia.Porrò de ſenſus ambiguitate diximus aliâs.

Nihil mali.) οὐδὲν ἄτοπον, id eſt,Nihil abſurdi.

Cōmendabo.

In manus tuas commendo.) Græcis eſt παραθήσομαι, id eſt,Commendabo,ſiue Deponam,futuri temporis. Idq; iuxta ueritatem Hebraicam, quæ habet ad hunc modum: בְּיָדְךָ אַפְקִיד רוּחִי. Siquidẽ א additum huic uerbo פקד, indicat futurũ tempus.Atq; ita ſanè uertit diuus Hieronymus & Septuaginta.Etiamſi fieri potuit,ut Chriſtus tẽpus mutauerit,tametſi conſentiunt Græcorum codices.Locus autem ſumptus eſt ex pſalmo trigeſimo,quem probabile eſt dominum recitaſſe in cruce,uſq; ad eum locum,atq; illic intẽ diſſe uocem.In pſalterio gallico quod ædidit Iacobus Faber,habetur cōmendabo,quem ad modũ tranſtulerũt Septuaginta.Dominus de ſuo addidit pater,quum nec apud Hebræos nec apud Septuaginta ſit patris aut domini nomen hoc loco. Nec male conuenit uerbum futuri temporis,primum quia pſalmum recitat,deinde quod prædicit ſe moritu rum antecq; moriatur.Cæterum παραθῆναι eſt cōmendare,ueluti cōmendatur depoſitum ſeruandum,ac ſuo reddendum tempore.Nam huc alluſit Ambroſius cum ait,Bonum ergo pignus eſt ſpiritus,bonum depoſitum.

Cōmendare ut depoſitum.

Qui erat decurio.) βουλευτής. Hic nomen eſt dignitatis,non officij militaris:ac ſonat fermè ſenatorem ſiue conſultorem,de quo nonnihil dictum eſt aliâs.

Conſilio & actibus.) τῇ βουλῇ καὶ τῇ πράξει, id eſt, Conſilio & facto.Interpres legiſſe uidetur πράξεσι.

Et poſuit eum in monumento.) Et poſuit illud legẽdum eſt.Refertur enim ad corpus αὐτό.Atq; ideo in Latinis quoq; codicibus emendatioribus ſcriptum eſt Illud,non illum, ut palàm ſit librariorum eſſe peccatum,non interpretis: quemadmodum & participium depoſitum, καθελὼν αὐτὸ, quod quidem magis ſonat detractum,quàm depoſitum.Quemadmodum & illud in Cantico Mariæ:Depoſuit potentes, καθεῖλεν, detraxit. Nam καθαιρεῖσθαι dicitur quod in alto ſuſpenſum pendet,ueluti clypeus aut lagena.

In monumento exciſo.) λελαξευμένῳ. Vt intelligamus ſolidum fuiſſe ſaxum,non compactile,aut ſtructile,ſed exculptum ſuo loco natiuo.

Siluerunt,pro quieuerunt.

Sabbato quidẽ ſiluerunt.) ἡσύχασαν,id eſt,Quieuerũt, utrũq; eñ ſignificat ἡσυχάω.

EXCAPITE VIGESIMOQVARTO.



Na autem ſabbati.) Vno ſabbatorum eſt Græcis,ut ſubaudias die, τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων.

Valde diluculo,) ὄρθρου βαθέος, id eſt, Diluculo profundo, hoc eſt, quod multum adhuc haberet noctis. Nam ab inclinatione noctis,eſt gallicinium, mox conticinium,deinde diluculum,quum incipit rareſcere nox,poſtea mane,deinde dies exorto ſole.

Ad monumentum.) Hic Græci codices addunt,Et quædam cum illis, καί τινες σὺν αὐταῖς. quod tamẽ anceps eſt,de uiris dicat,an mulieribus,quod τινὲς cōmunis ſit generis.

Mente conſternatæ eſſent.) μὴ ἐν διαπορεῖσθαι, id eſt,Dum hærerent,ac perplexæ eſſent,& animi incerti.

In ueſtibus fulgentibus.) ἀστραπτούσαις. Quod magis ſonat Fulgurantibus,& fulguris inſtar relucentibus.

Cum timerent autem.) Plus dixit Euangeliſta,quàm interpres, ἐκφόβων δὲ γενομένων, id eſt,Expauefactis autem illis,ac uultum deflectentibus in terram,Apparet interpretem legiſſe

legisse ἐμφόβων, quod ipsum in nonnullis Græcorum codicibus inuenitur.

Recordamini qualiter dixerit.) μνήσθητε Græcis anceps est, quēadmodū nobis recordamini, imperatiui ne sit modi, an indicatiui, nisi quod ea quæ sequūtur arguūt imperatiuū modū. Et recordati sunt uerborum &c.) Latinius erat, Vt dixerit, quàm, Qualiter locutus est. Laurentius mauult, Quod dixerit.

Quia oportet.) Aut omittendum erat ὅτι, aut uertendum in quod, mutato uerbi modo, Quod oporteret &c.

Et procumbens uidit.) παρακύψας, quod est, obliquato capite prospicere: ueluti si quis immisso per fenestram capite prospiciat. Vnde prouerbium παρὶ ὄνθ παρακύψεως. Nec est, Vidit, sed uidet, βλέπει. *Procumbens παρακύψας.*

Et linteamina posita.) κείμενα. Maluissem Iacentia, quàm posita.

Et abijt, secum admirans.) Apud se, referendum ad participium admirans. Et abijt, admirans apud sese, καὶ ἀπῆλθεν πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζων, nisi mauis hunc sensum, abijt in domū suā admirans. Nomine Emaus.) Græci scribūt ἐμμαοὺς per duplex m, ut sit dictio trisyllaba, & inflectitur Emmauntos, tí, tem, sicut Pythmus Pythmuntos. Emmaunti mutatum est postea nomen, & Nicopolis dicta est.

Loquebantur ad inuicem.) ὡμίλουν πρὸς ἀλλήλους, id est, Colloquebantur, siue confabulabantur inter se. Nam idem uerbum mox uertit Fabulabantur.

Et secum quærerent.) Quid interpres legerit, non satis conijcio. Nam Græce tantum est συζητεῖν, hoc est, Simul quærerent, siue disputarent, siue cōmentarentur.

Et estis tristes.) σκυθρωποί, id est, Parū alacri uultu, ut ad habitū oris ptineat nō ad animū. Peregrinus es.) παροικεῖς, id est, Aduena es. Id habet duplicē sensum, Tu solus hospes es Hierosolymitanus, ignorans ea quæ nemo nescit quātumuis aduena. Aut, tu adeo peregrinus es, ut hæc ignores.

In damnationem.) Aliàs admonui κρίσιν & κρίμα sæpe poni pro κατάκρισιν, simplex pro composito.

Quia ipse esset redempturus Israël.) ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ, id est, Sperabamus, quod is esset ille qui redempturus esset Israël.

Et nunc super hæc omnia.) ἀλλά γε σὺν πᾶσι τούτοις τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον, id est, Veruntamen cum omnibus his tertium hunc diem agit, ut subaudias, ille, aut tempus. Noue dixit Lucas, nisi forte scripsit ille, ἐπὶ πᾶσι τούτοις. Nec est, *σὺν, pro ἐπὶ*

Et super,) sed ἀλλά γε, id est, Atqui, siue Veruntamen. Nec est,

Mulieres quædam ex nostris,) sed ex nobis, ἐξ ἡμῶν, id est, Nostri gregis. Deinde plus est quàm Terruerunt ἐξέστησαν, id est, Attonitos reddiderunt. Nam magis pertinet ad epitasin admirationis, q̄ timoris.

Quidā ex nostris.) τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν, id est, Quidā eorū qui erant nobiscum. Ac mox,

Et ita intrare.) Ita, redundat, sed additum est explanandi sermonis gratia.

Euanuit ex oculis eorum.) ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, Euanuit ab illis. Nisi quod interpres expressit uim nominis ἄφαντος. Cæterum magis hic congruebat dicere, desijt illis esse conspicuus. De fumo & spectris apte utimur euanescendi uerbo, hic non de spectro sed de uero corpore fit mentio. Nec defuerunt hæretici qui tribuerint Christo corpus phantasticum. His non erat danda erroris ansa.

Ego sum, nolite timere.) In Græcis exemplaribus tantum est, Pax uobis. cætera uidentur adiecta. Nec admodum cohærent cum sequentibus, in quibus eximit eis terrorem: licet apud Ambrosium adduntur, sed ex alio Euangelista, sicut opinor, admixta. Ad salutātis uocem exterriti sunt. Eum terrorem dominus post eximit dicens, Quid turbati estis. Apparet huc transscriptum ex Euangelio Ioannis.

Aliquid quod manducetur.) βρῶσιμον, id est, Esculentum, siue edulij. Ac mox,

Fauum mellis.) ἀπὸ μελισσίου κηρίου id est, De apiario fauo. Nam & alia quædam insecta, mel & fauum habent.

Et cum manducasset coram eis.) Græca dissident, καὶ λαβὼν, ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν, εἶπε δὲ αὐτοῖς, id est, Accipiens coràm illis comedit. dixit autem illis. Nam quod apud nos legitur, reliquias dedit illis, apud Græcos non reperitur.

Incipientibus uaria lectio.

Incipientibus.) ἀρξάμενοις. Apparet interpretem legisse ἀρξαμένοις, ut referatur ad discipulos. Atq; hanc germanam esse lectionem arbitror, licet reclamantibus Græcorum exemplaribus, atq; insuper æditione, quæ nuper prodijt ex officina Asulani. Quod si legamus ἀρξάμενος, ut pertineat ad Christum, non Eius erat dicendum, sed suo, ad hūc modum, Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicare in nomine suo pœnitētiam & remissionem peccatorū, exorsum, siue initio facto ab Hierusalem. At huic lectioni reclamat, quod Christus non cœperit ab Hierusalē, sed apostoli. Et rursum quod sequitur, magis cohæret cum hac lectione, Vos autem estis testes horum, licet ambiguū sit, utrum Estis legendum sit, an Sitis, ἐστὲ, an ἦτε, & utrūq; satis quadrat.

Ab Hierosolyma.) Laurentius admonet Hierosolymam fœminino genere non inueniri, sed fallitur quū Suetonius in Cæsare Augusto scribat. Et Caium nepotem quod Iudæam præteruehens apud Hierosolymam non supplicasset, collaudauit.

Promissum patris mei,) ἐπαγγελίαν. Ne nescias promissum esse nomen substātiuum, non participium.

Et ipsi adorantes.) προσκυνήσαντες, id est, Adorato eo reuersi sunt. Adorabant enim abeuntem in cœlum, ac deinde recipiebant se Hierosolymas. Hoc loco subijcienda erant acta apostolorum. Nam Lucas historiam suam duobus libris cōplexus est, quos ambos ad eundem scripsit Theophilum. Atq; ipse secundum exordiens connectit cum superiore. Deinde acta illa, planè pars est Euāgelicæ historiæ. Verum ne uideremur Ioannem dirimere ab Euangelistis, distraximus duos Lucæ libros, & acta proximo subiecimus loco.

Duo libri Lucæ, unū opus est.

ANNOTATIONVM IN LVCAM
FINIS.

IN EVANGELIVM IOANNIS
ANNOTATIONES DES.
ERASMI ROTERO-
DAMI.



Orbis conditi & redēpti simile initiū.

N PRINCIPIO erat uerbum.) Illud in primis annotandum, quod indicauit & Chrysostomus, Ioannem neq; Matthæi, aut Marci more sumere exordium, neq; ad exemplū Lucæ, sed ijsdem uerbis ingressus est historiam Euangelicam, quibus Moses ingressus Genesin mundi. Cæterum quod illic quidam intepretantur, In principio, id est, In filio, hic certe locum non habet

λόγος multa declarat Græcis.

Erat uerbum.) λόγος Græcis uaria significat, uerbum, orationem, sermonem, rationem, modum, supputationem, nōnunq; & pro libro usurpatur, à uerbo λέγω, quod est dico, siue colligo. Horum pleraq; diuus Hieronymus aliqua ratione putat competere in filiū dei. Miror autem cur uerbum Latinis placuerit magis q; sermo. Nos tametsi uidebamus sermonis uocabulo rectius exprimi Græcam uocem, qua usus est Euangelista, λόγον, tamen in æditione prima superstitioso quodam metu non mutaueramus uerbum, quod posuerat interpres: ne quam ansam daremus ijs, qui quiduis ad quamuis occasionē calumniantur. Tantū testati sumus alicubi sermonis noīe nō infrequēter signari filium dei in sacris uoluminibus. Mox ubi cōperimus hoc tam passim fieri, & hoc ipso in loco quondā ecclesiā legisse, In principio erat sermo: Atq; ita citari in libris Cypriani & Augustini, nō existimabā quēq; fore, qui offenderet: præsertim cū hæc demus nō in tēplis, sed in Museis legēda. Quid enim erat piaculi, si in libro qui priuatim legit, pro uerbo dicam sermonē, aut eloquium

quium,aut orationem,aut uocem,aut aliud quod idem polleat? Nō magis opinor,quàm si patrem dicam genitorem,satorem,parentem,& si qua uox alia Latinis auribus repræsentat autorem generis. Cum igitur nihil futurum fuerat causæ,cur reprehēderer,etiamsi nusquam in sacris libris sermonis uocabulum tributum esset filio dei, nunc multo minus merebar,quum sermo multis nominibus rectius & aptius exprimat Græcam uocem q̄ uerbum,quum ea uox toties reperiatur usurpata in recētioribus ac uetustis orthodoxis, quum eam & hodie publicitus usurpet usus ecclesiasticus,& olim publice sic legerit ecclesia,quemadmodum nos uertimus. Qua de re,si quis uolet exactius cognoscere,legat apologiam nostram,qua stolidissimos quorundam latratus retudimus. Ex hac in præsentia sat erit pauca quædam excerpere,quæ pro tempore lectoris animum placent,si quis forte cōmouebitur. Primum sermo cōmodius explicat quod Euangelígelista posuit λόγος,quod apud Latine loquentes,uerbum non sonet totam orationem, sed unam aliquā dictionem: raro tamen dictum aliquod breue,ueluti sententiam aut prouerbiū,uetus uerbum est. At Christus ideo dicitur λόγος, quod quicquid loquitur pater,per filium loquatur. Deinde generis congruentia facit,ut mollior sit oratio,quoties dicimus,Sermo dei factus est caro,quàm uerbum dei factum est caro. Alioqui nihil aptius reddebat emphasin Græcæ uocis λόγος,quàm oratio. Iam Cyprianus tot nominibus inclytus,primū eloquentia uere Theologica,deinde sanctimonia quadam apostolica,postremo martyrio,in opere quod scripsit aduersus Iudæos libri secundi cap.v.non aliter refert hunc Euangelistæ locum,quàm nos uertimus: In principio,inquit,fuit sermo,& sermo erat apud deum,& deus erat sermo. Atq; idem eiusdem libri cap.iij. cuius titulus est, Quod Christus idem sit sermo dei,inter complures sacræ scripturæ locos,quibus docet filium dei dici sermonē, & hunc adducit,Quanquam in hoc scriba sciolus in pleriscq; codicibus sermonem uertérit in uerbum: non animaduertens quid promittat titulus,qui haud dubie Cypriani est, non scribæ. Ad hæc Augustinus enarrans ex Ioannis cap.xvij.locum hunc: Sermo tuus ueritas est,palàm docet nihil referre,utrum sermonem dicas,an uerbum. Docet & hoc loco plerosq; codices habere: In principio erat sermo,& sermo erat apud deum,& deus erat sermo. Quin idem compluribus locis sermonis uocabulum in sacris libris interpretatur de filio dei,quæ necesse non est hic repetere. Quod si ista non legunt,qui tamen uideri uolunt ecclesiæ doctores,certe non potuit illos fallere,quod ex libro Sapiētiæ quotannis canit ecclesia: Omnipotens sermo tuus domine exiliens de cœlo à regalibus sedibus. Hæc atq; id genus alia loca,non ueteres tantum,sed & Thomas,Hugo Cardinalis,Glossa ordinaria,Beda,Remigius,Anselmus, interpretantur de filio dei,nihil desiderātes uerbi uocabulum,neq; quicq; offensi dictione sermonis. Sanctus Hilarius libro de Trinitate secūdo,dei filium nunc uerbum appellat,nunc sermonem. Etenim quum ait,Sermo cogitationis æternus est,cū qui cogitat est æternus,nónne palàm uocat Christum sermonē æternū ex æterna mente patris, sine tēpore proficiscentem? Ac mox cū ait,Nūquid audieras in deo,ut sermonem reconditæ cogitationis acciperes,an non tribuit Christo sermonis cognomen? Idem aliquanto post sic multis uerbis disputat de differentia sermonis humani ac diuini,ut nusq; horreat Christo tribuere sermonis uocabulum. Ad hæc Ambrosius libro de fide aduersus Arianos capite secundo,Christum nunc uerbum appellat,nunc sermonem. Quod tamen idem & aljs aliquot locis facit Hieronymus: in epistolæ ad Ephe. cap.primū: Non,inquit,quod alius assumptus homo,& alius sit sermo qui assumpsit,&c. sermonem dixit, filiū dei. Rursum eodem cap. Vt quomodo dominus noster Iesus Christus est sermo,sapientia,ueritas. Et Lactantius libro quarto cap.viij.dei filium sermonem appellat. Atq; item cap.proximo non semel. Claudianus uocē ausus est dicere: Vox summi sensusq; dei: pro sermone uocem dixit, pro sapientia sensum. Prudentianis hymnis tantum tribuit ecclesia,ut eos in sacris liturgijs solenniter decantet. Atq; in his audit citra offensam ecclesia: Ades pater supreme,Quem nemo uidit unq;, Patrisq; sermo Christe, Et spiritus benigne. Sed uideri poterat ineptum me hæc persequi,quæ si quis excutiat sacros scriptores finem non habent,nisi quidam tam impudenter obstreperent. Sic olim legit ecclesia,sic hodie canit,sic non raro loquuntur ueteres orthodoxi,sic recentiores: & tamen quidam sic offensi sunt sermonis uocabulo,quasi nusquam lectum aut auditum esset

Sermo rectius quàm uerbū.

Apologia de In principio erat sermo.

Cyprianus.

Huius loci exempla.

Ex neotericis theologis.

Ex antiquis.

Prudentiani hymni.

apud Christianos. Sed offendit, inquiunt, nouitas. Quos tandem? Ipsos qui calumniantur? At istis qui rei Theologicæ uideri uolunt doctissimi, non oportebat esse nouum quod toties est obuium in sacris autoribus. Idiotas? At istos res ignota nihil mouisset, nisi quidam seditiose clamassent apud populum, uanitatem addentes maledicentiæ. Actũ, inquiunt, de re Christiana, posteaq; nouum habemus Euangelium. Quid hac uoce stolidius? An ideo nouatum est euangelium, si pro uerbo dicatur sermo? Non hercle magis, q̃ nouatus est Nicolaus, qui posita ueste candida, sumpsit fuscam. Scio plurimum esse tribuendum tam inueteratæ consuetudini. Sed quoties apud populum agitur fabula, receptum est, ut tingentes semigræce loquamur, baptizo te. Nolim apud idiotas dicere, tingo te, quum tamen apud deum nihil referat. Nolim, ut nunc res habent, in templis recitare: In principio erat sermo, si probabiliter suspicarer fore, qui uehementer offendãtur, præsertim quum hæc lectio sit proba, altera tolerabilis. Quod si lectio recepta sit palàm mendosa, & sunt inter auditores, qui ueterem saliuam malint absq; iudicio, sunt contra, qui iudicio malint quod rectum est: neq; uitari potest, quin altera pars offendatur, utri iubebor obsequũdare? Malim equidem omnibus ἀπρόσκοπος esse. Fortasse primum obsequar imperitis, quod hi magis soleant ferocire, ac mox placabo doctos. Sed tamen interim admonendi sunt imperiti, ne per suã imperitiam moueant tumultũ in eos, quibus magis oportuit ipsos parere. Quemadmodum Paulus ex charitate uult abstineri ab idolothytis, ne frater infirmus offendatur: sed interim admonet & obiurgat infirmos, qui sine causa iudicant fratrem gratias agentem. Fateor quæ publice recepta sunt perperam, paulatim sunt abroganda, quemadmodũ Paulus aboleuit legem Mosaicam, sed tamẽ antiquanda sunt.

Africanorum superstitio.

Scio fabulam Augustini, quæ narrat in Africa nescio quem episcopulum penè destitutũ à populo, propter unã uoculã, ex Hieronymi translatione secus apud populũ recitatam, quàm solet. At Hieronymus uir sanctus ac doctus, deos illos Africanos fortiter irridet. Quod si placuisset omnibus omnia tribuere indoctis, iam non haberemus tam multa per ueteres orthodoxos restituta. Nec enim quicq; adferunt, qui censent parcius fuisse uariandum, quod erat receptum. Primum cum sint hominum uaria iudicia, quis præbebit regulam ad quam moderer uarietatẽ, quum mihi sciam euenisse, quod apud poëtas Ioui, qui neq; pluuius, neq; serenus potuerit omnibus placere? Deinde quod dicũt isti, fortasse nõ nihil habeat momẽti, si mea translatio publice receptam protruderet. At in hoc meo proposito, quo maior est uarietas, hoc plus est fructus. Siquidem quum hæc adhibeatur noua, non ut uetus antiquetur, sed ut sit & dilucidior & castigatior, expediebat singulas etiã uariari uoces, si cui libuisset. Quandoquidem Augustinus non uno loco fatetur se ex uarietate codicum plurimum accepisse lucis in sacris uoluminibus. Quis enim non probat operã literatorũ, qui in ludis litterarijs, Maronis aut Horatij uerba singula, singulis diuersis interpretãtur, nõ hoc agentes, ut illi uideantur parum recte loquuti, sed ut intelligatur quod loquuti sunt. Cæterum illud propius ad hoc institutũ pertinet, non simpliciter positum λόγον, sed additum articulum, ὁ λόγος, ut non possit de quouis accipi uerbo, sed de certo quopiam & insigni. Habet enim hanc uim articulus, quam Latine utcunq; reddimus adiecto pronomine ille. Veluti cũ Aristoteles, in genere de quolibet agit bono, ἀγαθὸν uocat, Cæterum cum unicum illud ac summum bonum intelligi uult, addit articulum τἀγαθόν. Item καλὸν appellant philosophi, quod quouis modo pulchrum sit, τὸ καλὸν eximium illud ac uere pulchrum siue honestum, quod à uirtute proficiscitur. Item πᾶν appellant, quod quocunq; modo totum est, Verũ absolutum illud uniuersum, quod uere complectitur omnia, non simpliciter πᾶν, sed τὸ πᾶν appellant. Itidem in diuinis literis, cum deos uocant amicos dei, non apponitur articulus, sed tantum θεοί ἐσε, id ëst, Dij estis, Aut cum intelliguntur dij gentium, quale est apud Paulum in epistola ad Corinthios prima capite octauo: Etsi sunt qui dicuntur dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodũ sunt dij multi, & domini multi. Nullus enim hic appositus est Græcus articulus: ὡς γὰρ εἰσὶ λεγόμενοι θεοί, εἴτε ἐν οὐρανῷ, εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς, ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοί, καὶ κύριοι πολλοί. Augustinus in quæstionibus quas scripsit in Genesim libro primo, adducit & alterum exemplum ex Geneseos cap. xxxiij. in quo Iacob ait se uidisse faciem Esau ac si quis uideret faciem dei, negans in Græcis exemplaribus esse scriptũ, πρόσωπον τοῦ θεοῦ apposito articulo

Articulus Græcus quantam uim habeat.

Exẽpla è philosophis.

E literis sacris

Augustini exemplũ.

sed

sed προσωπῳ θεῦ, citra articulū. At quoties significatur uerus ille & solus deus, semper addit articulus, ὁ θεός. Nisi si qua ratio peculiaris obstet. Et quoties se uult intelligi Christus, nō quouis modo dei filiū, sed natura ac uere filium, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ dicitur. Rursus ubi diuinitatem dissimulat, se filiū hominis appellat, sed utriq; nomini, suo præposito articulo, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ceu non quilibet Adæ filius, sed eximius ille filius hominis, humani generis restitutor. Rursum, ὁ ἀμνός, cum multi sint agni, unicus ille agnus intelligitur, cuius immolatione tolluntur peccata mūdi. Et ὁ προφήτης, unicus ille propheta per Mosen promissus. Et cum lux illa designatur unde lux omnis nobis fluit, τὸ φῶς dicitur, addito articulo. Et cū pastor bonus dicitur, unicus ille pastor Christus, ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός, congeminato articulo. Et, ἐγώ εἰμι ἡ θύρα, ego sum ostium, cum non quoduis ostium, sed unicum illud denotatur. Et paulo inferius, Inuenimus Messiam, τὸν μεσσίαν, unicum illum Messiam. Et tu es rex Israēl, ὁ βασιλεύς. Didymus libro de spiritu, quem Latinum fecit Hieronymus, diligenter & hoc adnotauit, quoties in diuinis literis mentio fit spiritus diuini, articulum apponi, τὸ πνεῦμα, idq; confirmat compluribus arcanæ scripturæ locis in hoc adductis. Atq; hoc potissimum argumento docet eundem fuisse spiritum, qui afflauit prophetas, & quē hauserūt apostoli. Annotauit idem Athanasius libro de spiritu sancto ad Serapionem, & hic suam sententiam compluribus scripturarum testimonijs comprobans. Ac planè tantū habet momenti, hoc loco prætermissus aut additus articulus, ut Chrysostomus & Cyrillus hoc potissimum argumento reijciant hæresim quorundam, qui negabant Christū illud esse uerbum, quod ab initio fuerat in patre, sed illud aliud quoddam fuisse uerbū interius patri, unde natum sit alterum uerbum quod esset Christus.

Filius hominis, id est Adæ
Agnus dei.
Lux mundi.
Bonus pastor
Ostium.
Messias.
Rex.
Spiritus.
Duo uerba faciūt hæretici.

Et uerbum erat apud deum.) Rursum addidit articulum, non solum uerbo, sed etiam deo. ut illud unicum ac uere uerbum intelligamus, de quo prius dixerat: Et patrem uere deum, non quēuis alium deum.

Et deus erat uerbum.) Hoc loco deo non additur articulus, cum tamen uere ac natura deum significet, uerum id facit coactus. Alioqui non poterat simul explicare diuinam essentiam, tribus cōmunem personis. Nam si utriq; addidisset articulum, καὶ ὁ θεὸς ἦν ὁ λόγος, iam confudisset personarum proprietates. Atq; hic fuisset sensus, & ille deus, nempe pater, erat illud uerbum, nempe filius. Rursum si deo addidisset articulum non uerbo, καὶ ὁ θεὸς ἦν λόγος, iam duo significasset uerba, ac sensus fuisset, & ille deus, nempe pater, erat & ipse uerbum quoddam, & si non idem uerbum quod filius, tamen aliquod uerbū. In qua sententia fuere ueterū nonnulli, duo facientes uerba, gignens & genitum, ut dictū est paulo superius. Atq; adeo Prudētius ipse uideri posset huiusmodi quippiam sensisse, cum in hymno Iambico de natali Christi scribit: Ex ore quamlibet patris, Sis ortus & uerbo æditus, nisi malumus uerbo interpretari, uerbi prolatione. Nunc quoniam uerbo addidit articulum, & deo non addidit, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, Christianam expressit sentētiam, sic ut aliò detorqueri non possit, nimirum hanc, Et illud idem uerbū, quod modo dixi in principio fuisse apud deum, erat deus, hoc est, particeps essentiæ diuinæ, siue ut melius dicam Græce, ὁμοούσιον τῷ πατρί. Neq; enim sic liceret loqui Græcis, ἡ ἐλάτη ἐλάτη ἐστίν, id est, Palma arbor est, aut, ἡ κιθάρα τὸ ξύλον ἐστίν, id est, Cithara lignum est, appositio articulo. Hæc ita esse ut diximus, facile cōprobabit, q uel mediocriter Græce nouerit. Nos quanquam in hoc exordio parcius immutauimus, reueriti sacramentum ineffabile, tamen admonendum putaui, quo magis intelligant nostri Theologi nonnihil interesse, è suis haurias fontibus mysticas literas, an è lacunis.

Cur uero deo non addatur articulus.
Prudentij dictum quomō accipiendum.
Homusion eiusdem essentiæ.

Omnia per ipsum facta sunt.) Cum de uerbo fiat hic quoq; mentio, de quo modo locutus est, rectius uertisset, Oīnia p illud facta sunt, ut repetat uerbū, siue Omnia per idē facta sunt, sicut paulo superius, Hoc erat in principio. Nisi mauis pronomen ipsum referri ad deū patrē, qui proxime præcessit. Verū huic sensui nōnihil refragatur præpositio διὰ per, quæ nō perinde congruit cum ratione paterni principij, siue mauis Hilarij uerbo uti, autoritatis, & magis concinit cū Paulinis uerbis, qui ait, Per quem fecit & secula, ut per filiū intelligamus omnia condita à patre. At nūc Latinus ancipitē reddidit sententiā, quod Ipsum, pronomē utrólibet possit accōmodari. Quāq; & Græcis ambiguus est sermo, sed

Per ipsum, id est, uerbum.

quẽ Græci omnes interpretẽt,ut Per ipſum ad uerbum referatur,non ad patrẽ. Siquidẽ hinc Orthodoxi probant filium fuiſſe ab æterno. In principio creauit deus. Hæc creatio ſi per filiũ facta eſt,cõſequit illũ fuiſſe ante res cõditas,nec inter res creatas numerari. Ex ijſdẽ uerbis arripuerũt occaſionẽ Ariani,ſomniantes patrẽ in cõdendis rebus,filio ceu inſtrumẽto uſum,cũ ita ꝓ filiũ cõdiderit omnia pater,ut is nihilo ſecius cum patre cõdiderit omnia. Ambroſius hæc uerba fiat,uult eſſe patris ad filiũ,Et facta eſt lux,nimirũ ex autoritate patris per filium. Cæterum eos qui ex argumento præpoſitionis ratiocinantur filiũ eſſe patre minorem,refellit Chryſoſtomus, oſtẽdens hanc præpoſitionem in ſacris literis interdum & patri tribui. Igitur & orthodoxorũ ſententia & hæreticorũ calumnia declarant per ipſum ad filium referri non ad patrem.

Arianorum error.

Et ſine ipſo factum eſt nihil.) Hunc locũ bifariam diſtinguunt. Chryſoſtomus homilia iiij. & hunc ſecutus Theophylactus,ita legunt coniunctim:Omnia per illud facta ſunt, & abſq; illo factum eſt nihil quod factum eſt,ut intelligas nihil omnino creatum, quod non ſit creatum à patre per filium. Scribit autẽ Chryſoſtomus hæreticos quoſdam diſtingere ad hunc modum:Omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil. Atq; hic interpoſita diaſtole,ſubijciunt,Quod factum eſt in ipſo,uita erat,interpretantes ſpiritũ ſanctum,quem creaturam faciũt,intelligi in eo quod dicitur,Quod factũ eſt. Et tamen hũc in modum diſtinguũt Cyrillus Græcus,& Auguſtinus Latinus,quãq; diuerſo ſenſu. Nam Auguſtinus intelligit omnem creaturam in deo uitam eſſe,ſuo more non illibenter πλατωνίζωμ. Cyrillus autem ſic interpretatur,ut intelligamus omnia per filium fuiſſe cõdita, tam uiſibilia ꝙ̃ inuiſibilia, & quicquid conditum fuit,in eo uerbum illud eſt uita:ut non ſolum ſit omnibus autor originis cum patre,uerumetiam idem admixtum omnibus,uelut uita tueatur & conſeruet uniuerſa quæ condita ſunt. Atq; hanc diſtinctionem ſequitur Hilarius non admodũ diſſentiens & à Cyrilli ſententia. Sequitur & Gregorius Nazianzenus in opere de ſpiritu ſancto,ſic reijciens hæreticos,ut dicat hunc locum accipiendũ de ijs quæ facta ſunt,ut ad filium aut ſpiritum ſanctum accõmodari non queat. Cæterum quod quidam interpretantur nihil,peccatum aut maliciam:quod ea ſola ſint,quæ natura ſunt,& ob id bona ſunt,peccatum eſſe quiddam priuatiuum,Sophiſticum eſt magis ꝙ̃ theologicum. Diuus Hieronymus enarrans Micheæ cap. ij. refert quoſdam hoc loco,nihil,interpretari maliciam, & ex conſequenti diabolum,quam opinionem nõ probat. Beatus Auguſtinus ediſſerens hunc locum,nihil,interpretari uidetur,quod nõ eſt natura,ſed malicia uiciatum. Ita peccatum nihil eſſe,& hominem peccatorem fieri nihil, & diabolũ eſſe nihil. Angelum condidit deus non diabolũ,& hominẽ condidit,non peccatorem, & arborem condidit deus,non idolũ. Sed hic rurſus naſcitur quæſtio,utrum peccatum ſiue malicia,ſit priuatio tantum an aliquid poſitiuũ ut ipſi uocant,& an uipera dici poſſit, natura mala. Cæterum quod ait Auguſtinus peccatorem fieri nihil,& idolum iuxta Paulũ eſſe nihil,non ſimpliciter eſt accipiendum. Alioqui quid attinebat negare à deo factum eſſe,quod nihil ſit,& ob id à nullo fieri poſſit. Verum nihil interdum ſonat id quod omnino non eſt in rerum natura,hoc eſt quod neq; ſubſtantia ſit neq; accidẽs. Interdum quod pro nihilo ducit,nõnunq; quod ex cõparatione nihil eſt,uelut homo cõparatus ad deũ, nihil eſt,& hominis ſapientia ad diuinam collata ſapiẽtiam,ſtultitia eſt. Hic igitur ſimpliciter negat. Nihil factum eſt ſine illo,id eſt,Quicquid ſubſiſtit in rebus conditis à deo factum eſt. Sic interpretatur,libro de natura boni aduerſus Manichæos cap. xxv. Sine eo factum eſt nihil,nihil aliud ualere,quàm ſi dicas,quicquid factum eſt, non abſq; eo factũ eſt,irridens ſuperſtitioſam Manichæorum diſtinctionem,qui negabant hunc ſenſum recti,niſi cum hoc ordine pronunciaretur:Nihil ſine eo factum eſt. Cæterum ſi pronuncies, Sine eo factum eſt nihil,Nihil iam accipi pro eo quod ſit aliquid,& factum ſit. Id cũ multis uerbis derideat Auguſtinus,tamen Sophiſtæ putant non minimum intereſſe,quoties uox quæpiam in alium tranſfertur locum. Hoc ut aliâs uerum ſit,hic certe nõ habebat locũ. Nam & alibi ſic loquitur dñs,Palàm loquutus ſum uobis,& in occulto loquutus ſum nihil. Cæterũ quid intereſt,utrũ dicas,Stultiorẽ hoc homine uidi neminẽ,an neminẽ uidi ſtultiorẽ hoc hoie. Cauillat hoc loco neſcio qd,is cuius noie extant aliquot homiliæ in Ioannẽ Origenis titulo,ſed falſiſſimo. Id qd uel me tacente,res ipſa clamitat,cũ nihil illic ſit,

Diſtinctio quãtum ualet.

Nihil, id eſt, peccatum.

quod

quod ullam Origenis uenam,ulla ex parte ſapiat. Atqui eò res rediit, ut huiuſmodi nugas etiã prudentes,datáq; opera adiiciant typographi,quo uolumine aucto quæſtus fiat uberior.Quod ſi illis licet quicquid uolunt,quocunq; prodere nomine, & nobis fas non erit, titulo ſemel illito chartis refragari,bella nimirum erit ſtudioſorum cõditio,ſi nebulonis aut impoſtoris nugas pro oraculis cogentur amplecti.Verũ hæc πάρεργα. Vt ad rem redeam.Is quiſquis eſt,aut quicunq; ſunt, ſiue homines, ſiue dij, argutatur, neſcio quid, Græce ſignificantius dici,pro eo quod nos dicimus,Et ſine ipſo factum eſt nihil.Apud illos enim eſſe extra nõ abſq;.Quod ſanè quid ſibi uelit,nõ ſatis intelligo,niſi quod in oĩbus quæ quidem uiderim,Græcis exemplaribus ſcriptum comperio χωρὶς αὐτοῦ, id eſt, Abſq; illo.Atq; eadem eſt præpoſitio Græca Ioannis cap.xv.Sine me nihil poteſtis facere,χωρὶς ἐμοῦ. At is utrobiq; uult legi Extra,nõ Sine.Niſi forte ille quiſquis fuit,pro χωρὶς, legit ἐκτός. Aut niſi χωρὶς, uertendum putat Extra,ἄνθυ, ſine.Ad Cyrilli ſententiam nonnihil facit,quod cum bis dixerit Vitam,priori uitæ nõ addidit articulũ, poſteriori addidit. In eo quod conditum eſt, uerbum illud erat quædam uita,dum impertit incolumitatem naturæ conditæ.Ac mox cum ipſum uerbum peculiari modo uitam appellat,Et uita erat lux hominum,appoſuit articulum,ueram illam ac ineffabilem uitam ſignificans, ἡ ζωὴ ἦν,καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς. Auguſtinus indicat & hic diſtinctionem,ſic enim docet legendum,Quod factum eſt,ut hic interpoſito ſilentio,ſubijciatur,In ipſo uita erat, ut accipias non in quouis creato eſſe uitam, iuxta Manichæos,cum lapides uita careant,ſed creaturam fuiſſe in creatore q uita eſt,uidelicet de idèis ſentiens.Nam Manichæi ſic diſtinguũt, Sine ipſo factum eſt nihil,Quod factum eſt in ipſo,uita erat,ad hunc modum ratiocinantes uel potius irrationabiliter delirantes:Nihil nõ factũ eſt in illo,hoc eſt per illum, igitur quicquid conditũ eſt,uita eſt,hoc eſt uiuit.Atqui Auguſtinus hanc particulam, in ipſo, coniungens cum his quæ ſequuntur,uita erat,ſentit quicquid conditum eſt,uiuere,nõ in ſeipſo,quum multa ſint quæ ſuapte natura nec ſentiant,nec uiuant,ſed in eo qui cõdidit, in cuius æterna mente uiuunt omnia,etiam anteq; condita fuerant.Mihi uidetur eſſe uera lectio quam hodie uulgo ſequitur latinorum uſus,Quod factũ eſt,in ipſo uita erat. Cõgruit enim huius Euangeliſtæ peculiari ſermoni,ferè membrum ſequens ex præcedentis membri fine inchoare.Factũ eſt nihil,finis eſt ſuperioris coli.Quodfactũ eſt,initiũ eſt alterius.Cuius formæ ſunt & illa.In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deũ, & deus erat uerbũ.Dictio finiens priorẽ particulã,inchoat ſequentẽ.In quarta repetit initiũ primæ,Hoc erat in principio,& ita abſoluit periodum.Rurſus in hoc quod ſequitur,Q factum eſt,in ipſo uita erat,& uita erat lux hominum,& lux in tenebris lucet,& tenebræ eam non comprehenderũt.Semper ex proximo membro ſumitur gradus ſequentis.Hilarius ſecus diſtinguit,Quod factũ eſt in eo:ut hic diſtinguatur,deinde ſuccedat,Vita erat. Quod ne cui dubium eſſe poſſit,faciunt ea quæ ſequuntur:Hoc igitur non ſine eo, quod in eo factum eſt.Nam quod in eo factum eſt,etiam per eum factum eſt.Quãq; autem ſimiliter diſtinguit cum Manichæis,non tamen idem ſentit cum illis.

Homiliæ in Ioannem falſõ Origeni inſcriptæ,quam uis teſtetur Origenes ſe in Ioannem ſcripſiſſe.

Quõ uerbum uita, in rebus creatis.

Manichæi & ſaxis uitã tribuunt.

Hilarij diſtinctio.

Fuit homo miſſus.) ἐγένετο. idem uerbum quod modo tranſtulit,Facta ſunt.Proinde Valla maluit hoc loco,Extitit,quàm fuit.At ego malim,Erat homo miſſus,cum paulo inferius ſequatur, Non erat ille lux.Illud annotandum,hic homini non præponi ſuum articulum,quo tantum hominis indicet naturã,& Ioannẽ hac nota ſeparet à Chriſto,qui ſimul & deus erat,cui ut reſpondeat deus,& hoc citra articulum extulit παρὰ θεοῦ. Homo erat qui mittebatur,ut hominibus annunciaret Chriſtum. Sed ne cui leue ſit huius teſtimonium hominis,à deo miſſus erat non ab homine.Et haud ſcio,an alioqui id perpetuũ ſit in arcanis literis,cum deo apponitur articulus,aut certam perſonam denotari in diuinis hypoſtaſibus,aut uerum illum & unicum deum à reliquis gẽtium dijs diſtingui, licet non temere liceret addere aut demere articulum.

Articulus cur non additus deo.

Cui nomen erat Ioannes.) ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης, id eſt,Nomen ei Ioannes.Et mutauit nonnihil Latinus interpres,& addidit de ſuo, idq; nulla compulſus neceſſitate. Ne quis nobis ſuccenſeat,ſi quid forte mutamus alicubi,uel adacti neceſſitate,uel inuitati commoditate.Nec eſt ſimpliciter miſſus,ſed ἀπεσταλμένος, participiũ eius uerbi, unde dicti ſunt apoſtoli,emandatus.Nam Græcis βάλλω, qui mittit telum aut lapidem,πέμπω, qui quocunq;

Miſſus.

cunq; modo mittit,munus,aut aliquid ſimile, ἐπιστέλλει, qui mittit epiſtolam, ἀποστέλλει,qui emittit cum mandatis aliquem.

Vt omnes crederent per illum.) Græcis incertum eſt,an Per illum,referatur ad Ioannem:ut intelligamus illo teſtificante omnes debuiſſe credere in Chriſtum, an omnes debuiſſe credere patri per illud lumen,cui teſtimonium perhibebat Ioannes:quod αὐτοῦ poſſit accipi maſculino aut neutro genere. Verum δι' αὐτοῦ doctores referunt ad Ioannem,un de magis quadrabat hic ipſum q̃ illum.

Non erat ille lux.) Primũ illud admonendus eſt lector,quod Latinus hic interpres modo lumen uertit modo lucẽ,Græcis eandẽ eſſe dictionẽ φῶς.Ne quis Græcanici ſermonis ignarus in cõmutata uoce Latina ſomniet ſubeſſe myſteriũ.In emendatioribus Auguſtini exemplaribus legit,Non erat ille lumen,ſed ut teſtimoniũ perhiberet de lumine,Cæterum illud non abs re quæritur à doctis,cum Chriſtus apud Matthæũ cap.v.ſuos apoſtolos uocet lucẽ mũdi,& cũ Ioannes Baptiſta nominatim dictus ſit lucerna ardens & lucẽs, cur hic eum lumẽ eſſe neget? Verum hunc tantum alioqui nodũ additus aut omiſſus articulus diſſecat:quandocunq; ueram illam & ſuapte natura lucidam lucem ſignificat,articulum addit τὸ φῶς, & τοῦ φωτός. Hic item cum negat Ioannem eſſe lucem,non dixit οὐκ ἦν ἐκεῖνο τὸ φῶς, hoc eſt,Non erat ille lux,ſed οὐκ ἦν ἐκεῖνο τὸ φῶς, id eſt, Non erat ille lux illa.Nõ erat illa uera lux.Annotauit hæc Cyrillus,ſi cui noſtra leuis eſt autoritas,ac Theophylactus.Vt ſolus deus dicitur ſapiens & immortalis,ita ſolus Chriſtus dicitur lux.Ioannes φῶς erat, τὸ φῶς non erat.Aut ſic accipe.Non erat ille lumen de quo modo locutus ſum,cum dicerem,Vt teſtaretur de lumine.Habet enim & hoc articulus,ut referat rem de qua prius fuerit ſermo.Quod ideo adiecimus,quia apud Matthæum ubi Chriſtus uocat ſuos lucem mundi & ſal,utrobiq; additur Græcus articulus.Ad hæc cur magis placuit periphraſis,ut teſtimonium perhiberet de lumine q̃ teſtificaretur,cũ Græce ſit μαρτυρήσῃ;Quãq; hic ſermo nonnullam ellipſim habere uidetur,quæ ſic poterat ſuppleri,Nõ erat ille lumen,ſed miſſus erat,ut teſtaretur de lumine.

Apoſtoli lux.

Erat lux uera

Erat lux uera.) Iam admonui lucem & lumen Græcis idem eſſe nomen:ne quis erret in Luce & in lumine,putans eſſe aliquid diſcriminis.Cæterum illud magis ad rem pertinet,Erat,quò referre oporteat,num ad uerbum.Nam quo minus ad Ioannem referatur, obſtat ipſe ſenſus.Equidẽ arbitror,nec ad uerbum referendũ,ſed ad ipſum Lumen, quod mox ſequitur,propterea quod utriq; nomini lux & uera ſuus præponitur articulus, ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, ut ad hunc legamus modum:Nõ erat Ioannes lumen illud de quo loquor, ſed in hunc mundum duntaxat miſſus,ut teſtificaretur de lumine.Nam lumẽ hoc de quo loquor,erat lumen uerum quod illuminat omnem hominem, hoc eſt, erat fons luminis, unde ipſi quoq; Ioanni ſuum fluxit lumen.

In hunc mũdũ

Venientem in hunc mundum.) εἰς τὸν κόσμον, id eſt,In mundum.Nam hunc non addunt Græci:niſi quod ita frequenter uertit interpres,exprimere cupiens,opinor,uim articuli.Sed cur hic magis addidit Hunc,quàm in ijs quæ ſequuntur? In mundo erat,& mundus per ipſum factus eſt,& mũdus eũ nõ cognouit,quæ ſingula cũ ſuis articulis efferunt.

Interpres immemor ſui.

Et mundus eum non cognouit.) αὐτὸν uidetur ad uerbum referri,quod Græcis quidẽ eſt maſculini generis.Cæterum interpreti Latino uertendum erat in neutrum,Et mũdus illud non cognouit.Idem ſentiendũ de ijs quæ mox ſequũtur,Et ſui eum non receperunt: quotquot autem receperũt eum.Hoc certe incõmodi uitari poterat,ſi pro Verbo,Sermo placuiſſet interpretibus.Cæterũ illud,In propria uenit,& ſui eũ nõ receperũt, Græcis eſt eadem dictio ἴδια, & ἴδιοι, In ſua uenit,& ſui eum nõ receperũt. Et apparet ſic legiſſe diuum Auguſtinũ.Quandoquidẽ apud hunc ſcriptũ uidemus,In ſua propria uenit.Quod ſi Græci codices pro αὐτὸν habuiſſent αὐτὸ,pulcre quadraſſet ſententia,lumen uenit in mũdum,non creatum ut ſol & luna,ſed à quo conditus eſt mundus,& tamen mundus excæcatus uitijs non agnouit illud lumen. Ita ferè Cyrillus.

Ex ſanguinibus,cur plura tiue dictum.

Qui nõ ex ſanguinibus.) Diuus Auguſtinus fatet Sanguinibus nõ dici Latine nũero multitudinis,ſed interpretẽ abuſum nũero,ut declararet ad cõmunẽ hois generationẽ nõ uiri ſolũ,ſed & mulieris ſemen cõcurrere.Idẽ admonet hoc loco carnẽ appellari fœminã.

Ex uoluntate carnis.) Annotandum neq; carni,neq; uiro,neq; deo,ſuum apponi articulum

culum,ut ſpeciem carnis aut uiri deſignari intelligas,non hanc, aut illam carnem aut uirum. Atq; his tribus,Sanguinibus,carni & uiro,opponitur deus,item abſq; articulo. At Laurentius mauult hoc loco Geniti ſunt,q; nati, ἐγεννήθησαν. Præterea non eſt,In nomine eius,ſed in nomẽ, εἰς τὸ ὄνομα αὐτου. Quanq; his promiſcue utũtur Euangeliſtæ. Credere illi,& credere in illũ,& in illo,Cõfiteri illũ,& cõfiteri in illo,Baptizari in nomẽ Chriſti,& baptizari in noĩe Chriſti. Qua de re cõpluribus uerbis diſputat Valla,ſi qs forte requiret *Articulus cur non additus.*

Et uerbum caro factum eſt.) Ὁ λόγος, id eſt,Et uerbũ illud,nempe de quo tam ſublimia diximus,Ac recte ſanè locis compluribus admonuit Auguſtinus,Caro hic poſitum pro homine:partim ut excluderetur error Appollinariſtarum,qui negabant Chriſto animam fuiſſe humanam:partim, ut euidentius eſſet miraculum,coniuncto uerbo cum carne,quæ pars eſt hominis craſſiſſima. Idq; dictum eſt iuxta idioma ſermonis Hebraici,qui totum hominem,nunc animæ,nunc carnis appellatione notat. Cæterum quando ſermo Græcus anceps eſt,Habitauit inter nos,aptius erat,quàm in nobis, ἐν ἡμῖν. Etiam ſi Chryſoſtomus diuerſam ſequitur interpretationem,& huic accinens Theophylactus. Sentiũt enim diuinam naturam in hypoſtaſi Chriſti iunctam fuiſſe corpori humano,quod tabernaculum eſt animæ. Quãq; diuina natura in anima pariter & corpore Chriſti habitabat non incluſa,ſed unita. Verum altera lectio,præterq; quod ſimplicior eſt,aptius congruit cum his quæ ſequuntur,Et uidimus gloriam eius. Quidam exponunt,uidimus in monte Thabor. At mea ſentẽtia ſimplicius eſt,uidimus ex dictis ac factis illius quũ inter nos uerſaret. *Caro, pro toto homine.*

Et uerbum habitauit.) ἐσκήνωσεν, à tabernaculis dictũ eſt,quod aliâs uertit Nidificare:ut intelligas temporariam apud nos habitationem. Admonendum & illud Habitauit,Latinis ſonare quaſi iam habitare deſierit,cũ Græcis ἐσκήνωσεν ſonet, Habitaculum ſiue domicilium fecit in nobis:ut intelligamus eũ cœpiſſe habitare in nobis nec deſiiſſe. *Inter nos. In nobis.*

Et uidimus.) ἐθεασάμεθα, id eſt,Spectauimus,ſiue Cõſpeximus,ceu nouũ & admirãdũ ſpectaculũ. Gloriã quaſi unigeniti.) Laurentius mauult,Tanq; unigeniti,q; uere eſſet unigenitus. Et in hoc uerbo philoſophatur nõnihil Chryſoſtomus ac Theophylactus,interpretans ancipitem apud Græcos uocẽ ὡς, quæ tamen hic non ſonet aſſimilationem, ſed ſpeciem ueri exhibitam. Veluti ſi deſcripto regio apparatu ſubijcias,Inceſſit tãq; rex, id eſt,apparatu regio. Et Vnigeniti nõ eſt hic participiũ,ſed nomen, μονογενοῦς unici. Vnde quod ſequit̃,A patre,magis pertinet ad gloriam,q; ad unigenitum. Spectauimus gloriam eius,gloriam,inquam,nõ quamlibet,ſed gloriam à patre exhibitam,quæ declararet eum eſſe unicum filium. Sentit enim,opinor,de baptiſmo Ieſu & transfiguratione,cũ audita eſt uox patris,Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi complacitum eſt, ipſum audite. Verum non ex his tantum eluxit unigeniti gloria. Moſes habebat gloriam,ut ſeruus à domino,Chriſtus ut filius unicus à patre deo. *Quaſi,pro tanquã,ὡς. A patre*

Plenum gratiæ & ueritatis.) Plenum hic nominandi caſus eſt,non accuſandi, πλήρης, & refertur ad ὁ λόγος, quod & ipſum Græcis eſt generis maſculini,ut ſit ſenſus,Verbũ illud caro factum eſt,plenum gratiæ & ueritatis. Alioqui uerba hæc magis uidebantur cohærere cum Ioanne qui ſequitur:ut legamus,Plenus gratia & ueritate Ioannes teſtificatur de illo,ut accipiamus Ioannem hac præfatiuncula cõmendatum, quo plus ponderis habeat illius teſtimonium. Etiamſi non ſum neſcius interpretes omnes hoc ad Chriſtum referre,non ad Ioannem. Verum quoniam duriuſcule cohæret cum ſuperioribus,lectorẽ admonendum putaui,quo rem expendat. Atq; hæc quidem ita uelim accipiat lector,uelut ab admonente dicta,non tanq; à dogmatis autore. Nam quod ſequitur,De plenitudine eius accepimus omnes,magis pro hac facit ſententia. Siquidem illic Plenus gratiæ & ueritatis,de Baptiſta dicebat Euangeliſta,hic Ioannes ipſe fatetur ſuam plenitudinem ab illo fonte fluxiſſe. Nec eſt nouum in literis diuinis,& alios ſanctos plenos gratiæ ac perfectos dici,ne quis putet hoc uni Chriſto tributum. Quandoquidem Stephanum plenum ſpiritu ſancto legimus in Actis. & Zacharias legit̃ repletus ſpiritu ſancto,& Baptiſta replendus ſpiritu dicitur ex utero matris ſuæ. Rurſum in actis apoſtolorum,Omnes qui cõuenerant,dicuntur repleti ſpiritu ſancto. In eodem opere:Saulus plenus ſpiritu ſancto legitur,& ipſe iubet,ut impleamur ſpiritu ſancto. Verum, ut dixi,ſup hac re nihil definio, ſequatur quiſq; quod magis probarit. Certe Theophylactus hæc uerba de plenitudine *Plenũ gratiæ utrũ ad Chriſtum,an ad Ioannem referẽdum. Pleni gratia dicti ſunt & alij.*

eius

eius accepimus omnes,refert non ad Euãgelistam,sed ad Ioannem,ita loquentẽ de Christo.Deinde noue mutauit subito tempus uerbi, μαρτυρῶ, & κέκραγεμ, id est, Testificatur & clamauit:nisi forte præteritum usurpatum est uice præsentis. Sic ẽm legit interpres Cyrilli: Testificatur & clamat. At is qui Chrysostomum transtulit,legit Testimonium perhibet, & clamabat.

Qui post me uenturus est,ante me factus est.) ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέμ μου γέγονεμ. Participium ἐρχόμενος, à uerbo ἔρχεται est,quod ad utrunq; tempus solet accommodari,præsens ac futurum.Quanquàm hoc loco,si cui placet tempus præsens, uertendum erat per præteritum,propterea quod adhæret uerbo præteriti temporis, γέγονεμ,ad hunc modum,Qui cum post me uenerit,ante me factus est:ut intelligamus Christum & serius natum fuisse,& serius prædicare cœpisse,quàm Ioannem,sed tamen autoritate anteuertisse.Id quod solet accidere gnauis curssoribus,ut serius digressi à linea, assequantur ac præcurrant eum qui multo ante discesserat.Et in hanc fermẽ sententiam edisserit Cyrillus,ac Theophylactus,Christus enim sex mẽsibus natus est post Ioannem, & Ioannes summam apud Iudæos autoritatem obtinebat quum Iesus adhuc ignotus esset, hoc est, post me uenit.Quid est ante me factus est? Qui posterior est tempore,factus est prior gloria.Quãobrẽ? Quia maiora de illo miracula præcesserãt,in natiuitate canẽtibus angelis, deinde adorantibus magis,descendente in eum spiritu sancto,testificãte è nubibus patre. Itaq; cœpit apud hoies esse prior. Quare prior habitus? Quia re uera prior erat dignitate,æquũ autẽ erat,ut maior haberetur apud omnes,qui modis omnibus maior erat.Chrysostomus hanc particulam,post me uenit,non uult referri ad natiuitatem Christi,sed ad initium prædicationis.Etenim si loquutus fuisset,inquit,de natiuitate, nõ dixisset ἐρχόμενος uoce futuri aut præsentis temporis,sed ἐλθὼμ præteriti temporis. Verum hic nihil est scrupuli,si ἐρχόμενον referas ad totum Christi aduentum qui & natiuitatem & circũcisionem,& adolescentiam,& omnes nostræ redemptiõis gradus complectitur usq; ad crucem.Hic unus erat cursus,cui præcursor erat Ioannes,qui ut prior ingressus est stadium, ita prior cursum suum absoluit.Cæterum ex eo quod sequitur,ante me factus est, Ariani colligebant dei uerbum esse creaturam,non animaduertẽtes quàm totus hic sensus sit absurdus:Christus ante me,hoc est,priusquàm ego conditus est, eo quod prior me fuerit. Quid enim stultius quàm ita loqui,deus creauit illum priusq; me,eo quod prior me erat, quum quod creatur non sit anteq; creetur.Sed magis erat inuertendus ordo, Quia hic prior me est,hoc est prior me conditus,ideo ante me fuit.Similia quædam disserit Chrysostomus,sed locus adeo est obscurus,siue id interpretis accidit uitio siue librariorum, ut nisi Theophylactus eadem dixisset crassius, uix fuerim intellecturus. Verum quod hic est, factus est, Græcis ἐγένετο, uox anceps ad fieri & esse, Nam quod antea legimus, fuit homo missus à deo, erat ἐγένετο. Proinde factus est, non idem ualet quod πεποίηται aut κέκτησαι, sed factus est,positum est,pro eo quod est,Cœpit esse. Qui post me ueniebat,cœpit esse ante me,hoc est,Qui sequebatur,iam præcessit. Neque enim Christus usquam simpliciter dicitur factus in literis diuinis, licet dicatur factus homo, factus hominibus notior.Quemadmodum dicimus,indies fit stultior, quum idem homo maneat,Ita Ioannes factus est posterior,qui fuerat prior,& contra Christus factus est prior qui fuerat posterior.Quod si alteram uocem,scilicet posterior,accipias de aduentu siue prædicatione,alteram nempe prior,de autoritate & gloria,nihil est scrupuli: siue magis utranq; accipere de gloria & autoritate nihil fuerit absurdi modo prius & posterius æstimes non ex natura,sed ex hominum notitia.Iam tametsi non est absurdum quod adfert Chrysostomus,factus est,positum esse pro,futurus est,idq; more prophetarũ, tamen non est omnino necesse huc confugere,quũ de Christo iam multa miracula testimoniaq; præcessissent,ut dixi,quæ superarent Ioannis uirtutem, etiamsi Christus nondum esset perinde notus multitudini.Ad hæc,ante,Græcis est ἔμπροσθεμ,non πρὸ,ut intelligas præcedentem.Id quod subnotauit & diuus Augustinus.

Ante me factus est, quõ accipiendum.

Prior Potior.

Et prior me erat.) Prior,positum est pro Potior ac potentior, siue celebrior: quanquã Græce est πρῶτος, primus,superlatiuum uice positiui. Verum si prior erat,quomodo factus est prior? Sed quod erat,cœpit & agnosci.Rursum cum id temporis notior Christo esset

esset Ioannes, quomodo iam prior factus dicitur? Chrysostomus putat more prophetarum præteritum uice futuri positum, hoc est, Factus est, pro futurus est. Iam illud Quia prior me erat, Diuus Augustinus uidetur ad tempus referre, cum ait, Prior me erat, quia in principio erat uerbum. Mihi uidetur ad dignitatē pertinere, qua Christus etiam ut homo, maior erat Ioanne. Cuius autoritatem sua maiestate obscurauit. Rursum, Post me uenit, ad natiuitatem refert, cum iuxta Chrysostomum magis ad prædicandi tempus attineat. Neque enim magnopere referebat ad autoritatem, si Ioannes tribus aut quatuor mensibus Christo grandior erat.

De plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia.) Admonet Augustinus ex Græcorum codicum autoritate coniunctionem hoc loco addendam. Accepimus omnes, & gratiam pro gratia. Atq; ita scriptum comperi in peruetustis exemplaribus, quorum alterum exhibuit bibliotheca diui Pauli apud Londinum, alterū collegij canonicorum Corsendoncensium, iuxta inclytam Brabantiæ Antuerpiam. Consentiebat codex Constantiensis. Quanquam Chrysostomus sic interpretatur, quasi coniunctio, &, non copulet hoc loco, sed interpretetur & explicet. Lex Mosaica nonnullam habebat gratiam, plenitudinem non habebat. At ex Christi plenitudine accepimus, omnes, nimirum gratiam Euangelicā, pro gratia naturæ & legis Mosaicæ. Nec illud opinor omittendū, quod Chrysostomus homilia xiij. admonet hæc uerba: De plenitudine eius accepimus omnes, & gratiam pro gratia, non ad Baptistæ solum, sed Euangelistæ personam esse referenda. Sic enim scribit: Et testimonium suum Baptistæ testimonio coniungit. Hæc enim particula, De plenitudine eius nos omnes accepimus, non præcursoris uerbum est, sed discipuli. Id clarius efficit & pronomen nos, additum apud Græcos. Nam ij, quibus loquebatur Ioānes Baptista, nondum de plenitudine illius acceperant. Consentit Cyrillus. Theophylactus tamen ad Baptistæ personam refert, ut sit sensus, Nos prophetæ quicquid habemus, ab hoc hausimus, ut nos non referatur ad auditores, sed ad ordinem propheticum. Sed huic opinioni nonnihil reclamat quod sequitur, Deum nemo uidit unquam, quæ uerba planè uidentur Euangelistæ.

Et gratiam pro gratia.

Mutata persona.

Per Iesum Christum facta est.) ne quis frustra hic somniet mysterium in Facta est, idem est uerbum quod primum uertit, facta sunt, & factum est, deinde, Fuit homo, Rursum, Ante me factus est. Ergo facta est hoc loco, magis est, Cœpit esse, siue, orta est, aut, quod uerbum arridet Vallæ, extitit. Recte tamen hoc annotatum à ueteribus, quod lex per Mosen dicitur data, qui legis autor non fuit, sed gratia per Iesum facta est ueluti per autorem ac fontem gratiæ. Nam & sub lege Mosaica pijs hominibus gratia nō aliunde fluxit quàm ab hoc fonte. Augustinus cum alijs locis aliquot, tum lib. aduersus Faustum xxij. cap. x. miror quid sequutus, legit hunc in modum: Lex per Mosen data, gratia autem & ueritas per Iesum Christum facta est: quasi senserit Euangelista, legem quam tulit Moses, eandem factam esse gratiam per Christum. Argute quidem Augustinus, etiam si Græca non exprimunt hanc sententiam.

Deum nemo uidit unquam.) Fortasse mirabitur quispiam, hic nor. apponi Græcum articulum θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε. Verum opinor ob id omissum, quod hoc loco deus, neq; hac ponit ratione ut distinguatur à cæteris dijs, neq; pro certa persona, sed potius pro ipsa deitate, quando hoc uerbo usus est & diuus Augustinus, siue pro natura diuina. Ad eundem modum paulo superius, Sed ex deo nati sunt, ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν. Sentit enim diuinam quandam generationem diuersam ab humana.

Articulus omissus cū de patre loqui uidetur.

Ipse enarrauit.) Annotauit & hanc uocem Chrysostomus, qua uult expressiorem ac certiorem declarari doctrinam. Siquidem Græcis est ἐξηγήσατο. & ἐξηγήματα dicuntur commentarij, quibus explicatius explanatiusq; edisserūtur obscurius dicta. Quod enim tectius dixerat pater, prophetatū oraculis, id filius explicuit: atq; id quoq; ad plenitudinem, cuius modo meminit, pertinet. Quod autē uertit ipse, non est Græcis αὐτὸς, sed ἐκεῖνος, ille, ut appareat aliquid subaudiendū. Deum nemo uidit unquam, sed unigenitus qui est in sinu patris uidit, Ille igitur q uidit, enarrauit. Id propemodū indicat enarratio Theophylacti. Cæterū ἐξηγήσατο, nō solū hāc habet emphasim, qd' Christus ea quæ uidit clarius enarrauit cū Moses aut prophetæ: dilucidius enim narramus ea quæ uidimus: uerū etiā, quod lex nō loquebatur nisi Iudæis, Christus per euangeliū omnibus mūdi nationibus exposuit dei gratiam.

Quia non sum ego Christus.) Aut uertendum erat omissa cõiunctione, Non sum ego Christus, aut, Confessus est se non esse Christum, mutata persona pronominis. Aut quemadmodum nos uertimus, Confessus est, inquiens, non sum ego Christus. quod ipsa Baptistæ uerba, sic uelut ab ipso loquente recitata, nonnihil ad emphasim fidei facere uideretur. Alioqui quid aliud exprimebatur hisce uerbis, & cõfessus est quia non sum ego Christus, nisi Baptistam confessum esse, quod Ioannes Euangelista non esset Christus. Et tamẽ illud interim donamus, Quia coniunctionẽ accipi posse εἰδικῶς, sicuti quod. Quod si nõ donetur, sensus erat, ideo Baptistam fuisse confessum, quod Euangelista Christus non esset. Nec est quod hic reclament patres. Intelligebamus sensum qualibuscunq; uerbis designatum, quorsum opus id admonuisse: Intelligebamus, non quod Latine sciremus, sed quod huiusmodi solœcismis essemus assueti. At quanto simplicius ita reddere sententiam Euangelistæ, ut non sit opus hac gratia nouam discere balbutiem, sed quisquis Latine norit, protinus intelligat. Verum ad huiusmodi minutula sæpe numero sciens ac prudens conniueo, ne lectori moueam nauseam.

Facilius semel discitur latina lingua, quàm multæ balbutiẽdi species.

Dirigite uiam domini.) εὐθύνατε, id aliâs redditum est, Rectas facite, quod alij Euangelistæ dixerunt ἑτοιμάσατε, id est, Parate. Flexus enim uiæ facit, quo minus prospicias aduentantem. & Hebræis est יַשְּׁרוּ, quod non abhorret à uerbo Ioannis. Iubet enim amoliri obstacula malarum cupiditatum, quæ faciunt ne Christum aduentantem possint cernere.

Si tu non es Christus, neq; Helias, neq; propheta.) Christo appositus est articulus ὁ χριστὸς, quo unicum illum exprimeret. Heliæ, nec hic, nec superius apponitur, quod unus tantum esset Helias, quem quidam putabant reuicturum, & Christi aduentum prænunciaturum esse: iuxta quod legitur apud Malachiam cap. quarto: Ecce ego mittam uobis Heliam prophetam antequã ueniet dies domini. Proinde fuisset ociosus articulus, cum nihil esset quod discerneret. Sed quæri poterat, cur hic prophetæ non prætulerit articulum οὔτε προφήτης, cum paulo ante addiderit, Propheta es tu? ὁ προφήτης εἶ σύ; Verum solutio in promptu est. Nam cum interrogant ὁ προφήτης σὺ εἶ; non interrogant illic simpliciter an propheta sit quispiam, sed an ille propheta, quem uelut eximiũ pollicitus est Moses Deuteronomij decimooctauo, Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus deus tuus. Quod ante me Cyrillus annotauit. Hic οὔτε προφήτης sentire uidentur Ioannem nullo modo esse prophetam. Antea scisitabantur inuidentes gloriæ Christi, nunc uersi in iram territant, dicentes, Qua tandẽ autoritate facis ista, si neq; Christus es, neq; illius præcursor Helias, neque omnino propheta. At Ioannes non se negarat esse prophetam, sed illum prophetã quem promiserat Moses, sed eum quem promiserat Esaias. Etiam si in nonnullis Græcorum exemplaribus additur articulus utrobiq;. Atq; ita Chrysostomum apparet legisse, uel hoc argumento, quod cum annotarit alibi ὁ προφήτης, dictũ cum articulo, nullum mouerit scrupulum de articulo mox omisso. Theophylactus aperte declarat se hic addidisse articulum, arguens Pharisæorum insciciam, qui putarint prophetam illum quẽ promiserat Moses alium quempiam esse à Christo, quum idem sit Messias à prophetis promissus, & propheta promissus à Mose. Idem in hoc errarunt, quod existimarent Heliam præcursorem fore prioris aduentus, quum prophetia loquatur de aduentu secundo.

ὁ προφήτης propheta ille.

Medius autem uestrũ stetit.) Melius legitur, ut in Aggæum citat diuus Hieronymus, Medius autem uestrum stat. Quod frequenter in his uerbis quæ significant actionem manẽtem ut γέγονα δέδοικα præteritum tempus pro præsenti usurpetur, quemadmodum iam locis aliquot admonuimus. Apertius etiam quod legit Cyprianus libro aduersus Iudæos ij. cap. xviij. In medio uestri stat.

Stetit pro stat

Ipse est qui post me uẽturus.) Totidem uerbis repetit ea quæ superius posuerat, de quo iam admonuimus.

Cuius non sum dignus.) Eius ex superfluo repetitum est iuxta proprietatem sermonis Hebraici.

Hæc in Bethania facta sunt.) Admonet etiam Chrysostomus, & huius æmulus Theophylactus in uetustioribus & emendatioribus exemplaribus non legi Bethaniam, sed Bethabaran, quod Bethania non sit trans Iordanem, nec in deserto, sed citra Iordanem proxima Hierusalẽ. Ita legit & Origenes citatus in Catena. Suidas aut quisquis is fuit alius ho-

Bethania pro Bethabara.

minumue

minumúe, deumúe, corrigit hunc locum, & pro Bethania ſupponit Thabara Θαβαρά. Ex locis Hebraícis díui Hieronymi níhil admodum comperti licuit excerpere, quod iſtorum uitio deprauata ſint apud omnes autores bonos omnia. Quanquam is eodem in ordine meminit Bethaniæ uillæ, quæ abſit ab Aelia, hoc eſt, Hieroſolymis bis mille paſſus, in latere montis Oliueti, ubi Chriſtus Lazarum amicum reuocarit in uitam, ac mox ſubijcit Bethaibam, quæ fuerit trans Iordanem, ubi Ioannes baptizauit in pœnitentiam. Vnde Hieronymi quoq; tempore durabat conſuetudo, ut qui cuperent in Chriſto renaſci, eo in loco ui tali gurgite abluerentur. Neq; dubium eſſe puto, quin hic ſit locus, quem deſignat Ioannes, utcunq; uariatum eſt loci uocabulum, maxime cum protinus coarguí poſſit, Bethaniam ultra Iordanem nō eſſe, nec in deſerto. Gloſſa quædam admonet, forte fuiſſe duas Bethanias, nec ego negarim potuiſſe fieri. Quod ſi quis obijciat ad rem níhil attinere, quo ſint hæc geſta loco, ſciat ſecus ſenſiſſe Euangeliſtam, qui ad rei narratæ comprobationem putauit attinere loci quoq; teſtimonium.

Thabara.

Bethaiba.

Locus ad teſtimonij pondus facit.

Altera autem die.) τῇ ἐπαύριον, id eſt, Poſtero die ſiue poſtridie. ut intelligas diem proxime ſecutum. Nec eſt Vidit, ſed uidet βλέπει præſentis temporis. Habet autem hæc temporis ἐναλλαγὴ miram gratiam in narrando, cum imaginamur iam geri quod geſtum narramus. Hæc leuícula non tam ſubinde admonerem, ni perſpícerem hanc díligentiam, uel illud præſtaturam, ne poſthac codices ſacri facile queant deprauarí, aut ſi deprauatí fuerint, his adminículis poſſint reſtituí.

Temporis enallage.

Agnus dei.) ὁ ἀμνὸς, id eſt, Ille agnus: ut unum & inſignem agnum accipiamus, de quo dixerit Eſaias, Velut agnus coram tondente obmutuit. Indicauit & hoc Chryſoſtomus ac Theophylactus. Habet articulus non ſolum emphaſim dignitatis, ut diximus, uerū etiam relationis, Hic eſt agnus ille de quo prædixit Eſaias. Sic & paulo poſt, Hic eſt filius dei, appoſitus eſt Græcus articulus, ὁ υἱὸς, deſignans eum non generalí piorum appellatione dici filium dei, ſed peculiarí quadam & inſigní ratione.

ὁ ἀμνὸς ille agnus.

Peccata mundi.) τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, id eſt, Peccatum mundi, numero ſingulari. Ac plus quiddam expreſſit, quàm ſi dixiſſet, peccata. Hic agnus, ipſa eſt innocentia. Et ſolus à ſuis tollit peccatum, hoc eſt, ipſam tyrannidem, & uim omnium peccatorum, ut iam nullum ſit in eis peccatum. Nam quemadmodum idem Ioannes in epiſtola ſua, ſummā omnis impietatis, & ceu mundum uitiorum omnium malignitatem uocat, cum ſcribit mundum in maligno poſitum, ita hic peccatum mundi uocat omnium uitiorum colluuiem. Conſentiunt cum Græcis exemplaribus duo uetuſtiſſimi codices, quorum teſtimonium non ſemel adduximus: conſentiente Conſtantienſi. Deniq; ſic hunc adducit locum Origenes homília in Numeros decima. Rurſum eiuſdē operis homilia uiceſima quarta. Item Auguſtinus libro aduerſus Fauſtum xíj. cap. xxx. ex fide ueterum codicum. Annotatū eſt & illud à doctis, quod dixerit αἴρει, id eſt, Tollit, non remittit: uel quia penitus tollit, non ut Ioannes, uel quia in ſe recepit. Tollimus enim onera, quæ nobiſipſis imponimus. Annotauit & tēporis ratione Chryſoſtomus, non eſſe dictū tulit aut tollet, ſed tollit, uerbo præſentis tēporis: qđ ab illo ſemper proficiſcatur omnis purgatio criminum, ueluti dicas, Elleborum purgat cerebrum, ſignificans illi perpetuam & natiuam ineſſe uim purgandi capitis. Id eo libentius admonuimus, quod tollit facile uertí poterat in tollet, ſcribarum uitio.

Peccatum nō peccata.

Tollit præſentis temporis.

Venit uir.) Venit, præſentis eſt temporis, aut certe futuri ἔρχεται. Quod ante dixerat per participium ὀπίσω μου ἐρχόμενος, hic per uerbum extulit. Quanquam in utroq; anceps eſt temporis ſignificatio. & tamen interpres illic per uerbum futuri temporis reddidit, hic per uerbum præſentis temporis, etiamſi ſenſus ferme idem exiſtit. Iam enim ſuccedere cœperat Ieſus in prædicationem Baptiſtæ, & illo extincto, prorſum erat ſucceſſurus. Iam tum igitur qui prius ſequebatur, dicitur anteuertiſſe, cum tam inſigni patris teſtimonio commendatus eſſet.

Ego neſciebam eum.) Malim interpretari, Et ego non noueram eum: præſertim cum ita ſonent Græca. κἀγὼ οὐκ ἤδειν αὐτόν. Et ad huius loci quæſtionem explicandam lectio hæc eſt accōmodatior. Nam dictu mirum quàm ſeſe torqueat hic Diuus Auguſtinus, dum conatur expedire, qui conſiſtat, ut cum Ioannes paulo ante baptiſmum dixerit, Ego abs te debeo baptizari, & tu uenis ad me? nūc dicat ſe ignoraſſe quis eſſet, antequam ſpiritus colum

Quomodo Ioannes non nouit Chriſtum,

bina ſpecie deſcendens Chriſtum deſignaſſet. Nimirum intelligebat eſſe Meſſiam, à quo fa tetur ſibi baptiſmi munus fuiſſe poſtulandum. Ex hac difficultate ſic conatur elabi, ut dicat & ante Ioannem nouiſſe Chriſtum, ſed quiddam tamen ex indicio ſpiritus didiciſſe quod prius ignorarat, nempe hoc, quod ſibi Chriſtus reſeruaſſet baptizandi autoritatem. id colli gi ex his quæ ſequuntur, Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Atq; equidem hanc interpre tationem id temporis oportunam fuiſſe puto refellendis hæreticis, qui contendebant reba ptizandos eſſe, qui à malis epiſcopis eſſent baptizati, Etenim ſi Chriſtus eſt autor baptiſ matis, ſacerdos nihil aliud quàm miniſter, non par eſt, ob miniſtri uitium irritari boni au toris beneficium: cæterum ut ingenue, ſed tamen cum pace tanti uiri dicam, coactam, uio lentamq; , quam ſenſus etiam communis reſpuat. Primum enim ſi ideo baptiſmus non da tur homini puro, quod uis baptiſmi fluat ab ipſo Chriſto, hac ratione nullum ſacramẽtum eſt homini datum: quandoquidem in omnibus Chriſtus eſt qui largitur uim & efficaciam, ſacerdos nihil eſt aliud, quàm alienæ liberalitatis adminiſtrator. Neq; quiſquam unquã hæ reticorum tam craſſe delirauit, ut ſibi ſumeret autoritatem ſuo nomine baptizãdi, ſed iuxta præſcriptum Euangelicum: In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Mirum igitur eſt hoc unum latuiſſe Ioannem, quod & malis hominibus eſt notum, & cum cætera ſciret omnia, ob hoc unum ſpiritum ſanctum deſcendiſſe de cœlo, ne diutius hoc neſciret. Iam quod nuſ quam in ſcriptura ſacra legitur, quiſquam hominum dixiſſe baptiſma ſuum, cum Paulus ſu um dicat Euangelium (Nam & hoc argumentum adducit Auguſtinus) reſpõderi poteſt, publica eccleſiæ cõſuetudine comprobatũ, receptumq; , ut his uerbis peragatur baptiſmus, Ego baptizo te in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Si baptiſmus Græcis idem eſt qd' Latinis baptizatio, & utiq; baptizatio eſt eius qui baptizat, ſicut ſcriptio eius q ſcribit, quid uetat aliquo modo baptiſmum hominis uocari, non uelut autoris, ſed uelut miniſtri? Alio qui quo ore dicit ſacerdos baptizo, ſi nõ baptizat? At Paulus ſuum alicubi dicit euangeliũ, ſed idem aliâs appellat euãgelium dei, & euangelium Ieſu Chriſti. Dei, uelut autoris. Chri ſti, quod is primus prædicauerit, autor & ipſe Paulo, qui muneris huius functionẽ à Chri ſto delegatã ſuſceperit. Quemadmodum idem & cæteris apoſtolis prædicandi, baptizan diq; uices mandauit, ut irent in orbem uniuerſum, prædicarẽt euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Ita baptiſmus dici poteſt ho minis adminiſtrantis, & idem negari poteſt eſſe hominis, quemadmodum Chriſtus apud Ioannem negat ſermonem ſuum eſſe ſuum. Chryſoſtomus ingenue fatetur, Chriſtum diu fuiſſe ignotũ Ioanni, quod probabile ſit eum qui nullis adhuc penè miraculis uulgo inno tuiſſet, Ioanni, qui pleranq; ætatẽ in deſerto exegerat, notum non fuiſſe. Nam miracula quæ de Chriſti infantia circunferantur fabulas eſſe. Explicat autem nodum hac ratione, ut dicat id quod dictum eſt, Et ego neſciebam eum, non eſſe referendum ad proximũ tempus, quo Ieſus uenit ad baptiſmum, ſed ad lõginquius, quo nondum Ieſus miraculis inclaruerat. At qui ea temporis longinquitas rectius, opinor, explicatur per præteritũ pluſquamperfectũ, Et ego non noueram eum. Theophylactus propius accedit ad commẽtum Auguſtini, No uerat illum eſſe Meſſiam, nõ nouerat eum eſſe, qui baptizaturus eſſet ſpiritu ſancto. Quan quam mihi ne hæc quidem interpretatio per omnia ſatisfacit, quod ipſa ſermonis ſeries pla nè declarat Chriſtum ignotum fuiſſe Ioanni, donec columbæ indicio certior eſſet factus. ſic enim legimus, Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quẽ uideris ſpiritũ deſcendentẽ. Nec huius eſt inſtituti, nec meæ tenuitatis eſt huiuſ modi nodos explicare. Veruntamẽ admonere lectorẽ fas eſt, ut expendat num ſimplicius ſit, dicere diuino cõſilio factum, ut Ioanni gradibus quibuſdam Chriſtus innoteſceret, quo certius eſſet & exploratius illius de Chriſto teſtimonium. Quemadmodum paſſus eſt & apoſtolos contantius credere, quo nobis certius fidem facerent, eorum, quæ ipſi non teme re credidiſſent. Cum diceret Ioãnes, Ego abs te debeo baptizari, & tu uenis ad me, magnũ quendam & eximium uirum agnoſcebat, qui ſuo baptiſmo non egeret, forte nondum cer tus hunc eſſe filium dei. Proinde neſciebat eum, quatenus nondum compertum habebat, ſigno nondum ædito, quo pater id certum eſſe uoluit, eo prodito, libere ac palàm cõfeſſus eſt filium dei. Sciebat aut ueniſſe, aut iam uenturum Meſſiam, an is eſſet, nondum explora to nouerat. Ac ſubinde repetit, Et ego neſciebam eum. Partim ut ipſe tandem certiſſimo ar

Penſitata Auguſtini interpretatio.

Baptizat & homo.

Euangelium Pauli.

Euangelium dei.

Solutio Chryſoſtomi.

Infantia Ieſu fabuloſa.

Opinio Eraſ.

gumento

gumento intelligatur agnouisse,quem prius non nouerat, partim,ne minus ponderis haberet Ioannis testimonium,si cognato & familiari redditum uideretur. Nunc datur ne de facie quidē noto,nec aliter cognito,q̄ indicio symboli cœlestis. Cyrillus aliter extricat se ab hac quæstiōe,Nesciebā ex me,sed ex afflatu spiritus indicioq̄ patris cognoui. Hæc opinio mollior fuerit,si quis ἤδμεν uertat noueram,pro nouissem,nisi pater admonuisset. Porrò qđ Ioannes exultans in utero Christū agnouit,magis ad matres & ad nos pertinet,q̄ ad Ioannem,Nisi forte quum saxa scinderentur moriente domino,saxis sensum datum fuisse contendemus. Neq; uero me fallit ilico reclamaturos hic, quibus illud unice studio est,diuorum doteis in immensum attollere. quasi indignum sit,si Ioannes,qui nondum natus, spiritu prophetico Christum nōdum natum senserit,eum iam grandis ignorarit. Verū etiam atq; etiam uidendum istis,ne dum nimium laudes sanctorum exaggerant,non satis habeant rationem sapientiæ consiliiq̄ diuini,qui sic totum incarnationis & redemptionis negocium temperauit,ut alia uia non potuerit efficacius fieri. Et moderatius feret hoc de Ioanne dici,qui tale quiddā meminerit à Chrysostomo tribui uirgini matri,quæ humano quodam affectu dixerit filio, Vinum non habent. Sed præstat ipsius uerba subscribere, ea sunt in Ioannem homilia uicesima: Optabat enim, inquit,ut iam hominum gratiam cōciliaret, & ipsa clarior filij gratia efficeretur,& fortasse aliquo humano afficiebatur affectu,quemadmodum & fratres eius,cum dixerunt, Ostende teipsum mundo,cupidi eius miraculis sibi famam cōparare.Ideo asperius respondit,Quid tibi & mihi est mulier? Et aliquanto inferius:Siquidem nondum debitam de ipso opinionem habebant,sed more matrum Maria,iure omnia filio se præcepturam cēsebat, cum tanquam dominum colere & reuereri fas esset. Si nihil uolumus latuisse Ioannem,autore Augustino,quomodo ignorauit,quod in Christo præcipuum erat? Cum enim Christus esset fons & autor salutis,& baptismus ad salutem est ianua,qui potest nescire baptismi ueri autorem esse Christum,qui Christum esse nouerit? Perinde quasi deum norit aliquis,qui nesciret an summe sapiens esset. Atq; idem Hieronymi Gregoriiq̄ cōsensu dubitauit, num descēsurus esset ad inferos,cum mittit discipulos percontatum: Tu es qui uenturus es,an alium expectamus? Verum hac quidem in re nihil pronuncio. Tantum erudito lectori cogitandi materiam subministro, libenter amplexurus,si quid illi rectius suggesserit Christi spiritus.

Christus de facie ignotus cognato.

Chrysostomus gradus fidei ponit etiam in Maria.

Ioannes quædā ignorauit.

Sed ut manifestetur in Israel.) Græcis abest præpositio τῷ Ἰσραήλ. Atq; ita legisse Chrysostomum apparet ex homilia uigesima.

Altera die.) Rursus ἐπαύριον, id est, Postero die,quod modo admonuimus.

Et respiciens Iesum.) ἐμβλέψας,id est,Intuitus,ut ipse cum aliâs sæpe,tum mox uertit,Intuitus autem eum Iesus dixit.Nam proprie respicit,qui flexo in tergum uultu aspicit.

Idem uerbum uarie uertit interpres.

Vbi habitas.) ποῦ μένεις, id est, Vbi manes.Idem est uerbum quod eodem in loco nunc uertit manere,nunc habitare. Et uiderūt ubi maneret.) ποῦ μένῃ. Et rursum, Apud eū manserunt.) παρ' αὐτῷ ἔμειναν.Id admonere uisum,ne qs in uerbis philosophari cupiens,labi possit.

Hora autem erat quasi decima.) Nonnullis non probatur quasi,pro fermè,& fateor inusitatius esse apud autores emēdate loquentes.Etiāsi sic alicubi loquitur Suetonius. Quanquam apud hunc & alia quædam reperiuntur noue dicta. Porrò hora nominata nō solum ad fidem narrationis facit,uerum etiam ad explicādam auiditatem apostolorum,qui cum esset tempus uespertinum,tamen ambiunt,ut cum Christo priuatim colloquantur:simulq̄ miram Christi humanitatē,qui non iusserit eos postridie ad se redire,excusans noctem imminentem. Iudæis enim ab exortu solis horas numerantibus , sexta meridies est , decima uergens ad uesperam.

Quasi pro fermè.

Tu es filius Ioanna.) ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ, id est,Filius Iona,quod Hebraice בַּר יוֹנָה bar iona,quod alibi uertit, Filius Ioannis. In uno uetutissimo codice scriptum repperi, Filius Iona non Ioanna,iuxta Græcam lectionem. Concordabat exemplar Constantiense. Nec hic ociose additus est articulus, Nec enim simpliciter significat eum filium Iona, sed ex mystica paterni nominis significatione declarat illius eximiam felicitatem.

Bar iona.

Vocaberis cephas quod &.) Cephas Hieronymus in Hebraicis nominibus negat Hebræum esse uerbum,sed Syrum,& apud illos sonare,solidum. Vnde qui tradūt Græcorum nominum ἐτυμολογίας,& πέτραν hinc dictam uolunt,quod non facile moueatur.

Cephas Syrū uerbum.

In craſtinum.) ἐπαύριον. Quod ſuperius bis uertit Altera die, tandē mutauit in craſtinū. at ne id quidem ſatis Latine aut cōmode, cum dicendū eſſet, Poſtero die aut poſtridie.

A Bethſaida ciuitate.) Græce eſt, ἀπὸ βηθσαϊδὰ ἐκ τῆς πόλεως, id eſt, A Bethſaida de ciuitate. quaſi Bethſaida ſit regio, in qua ſit ciuitas. Quanq; diuus Hieron. in locis Hebraicis oſtēdit Bethſaidā eſſe ciuitatē Galilææ, uicinam ſtagno Genezareth, patriā trium apoſtolorū, Andreæ, Petri, Philippi. Vnde uidetur ἐκ præpoſitio ſupereſſe. præſertim cū nec apud Chryſoſtomū uerſum addatur, nec apud Cyrillū, nec in uetuſtis Latinorū exēplaribus. Niſi forte hoc ſuo more dixit Ioānes, ut in ſuo quiſq; ſtilo habet aliquid peculiare. Nam ꝓximo capite ſimili forma eſt uſus ὡς δὲ ἦν ἐν ἱεροσολύμοις, ἐν τῷ πάσχα, ἐν τῇ ἑορτῇ, id eſt, Cum autē eſſet Hieroſolymis in paſcha, in feſto. Cum appoſitiue cohæreāt paſcha et feſtū, ceu genus & ſpecies, tamē iterauit præpoſitionē, perinde quaſi dicerē, Accepi literas à præceptore à Philippo, pro, à præceptore Philippo. Et apud Theophylactū Græcū, cōperio ꝓpoſitionē additā.

Peculiaris ſermo Ioannis.

Inuenit Philippus Nathanaël.) Inuenit prima ſyllaba acuta pronūciandum eſt, eſt enim præſentis tēporis. Quanq; Latinius erat reperit, εὑρίσκει, uelut obuiū. Ac paulo ſuperius, Inuenimus Meſſiā. Etiāſi Chryſoſtomus diuerſum approbat ſenſum, cum ait, Inuenire enim quærētis eſt. Verū huius rei arbitriū penes lectorē eſto. Admonet hic idem Chryſoſtomus additū articulū, cum unicū illū Chriſtū Iudæis promiſſum & expectatū uellet intelligi, τὸν μεσσίαν. Alioqui reges oēs & ſacerdotes, imò omnes deo ſacri, Meſſiæ dicunt & Chriſti.

Ieſus filius Ioſeph.

Filiū Ioſeph à Nazareth.) Vtrūm ne Ioſeph fuit Nazaræus, an Chriſtus? Nam Latinus ſermo prorſus anceps, cum Græce ſit expeditus ac certus τὸν ἀπὸ ναζαρέθ, hoc eſt, Nazarenum, ſiue è Nazareth oriundum. Id ne cui dubium eſſe poſſit, facit articulus præpoſitioni præpoſitus.

A Nazareth ꝑ Nazaræus. Varia lectio.

A Nazareth poteſt aliquid.) In nonnullis Græcis ſcriptum erat pronunciatiue, cum per interrogationē quoq; poſſit accipi. quemadmodū annotauit & diuus Auguſtinus, qui putat id quod ſequitur ex æquo cōgruere utriq; pronunciationi. Tametſi quod cōſequitur magis ſuadet, ut per interrogationē legat, qd' uideatur uelut interrogāti reſponſum, ueni & uide. Atq; hūc in modū legit Chryſoſtomus, indicās hanc interrogationē eſſe hæſitantis de nomine loci, cum prophetia promiſiſſet Chriſtū proditurum ex Bethlehem.

EX CAPITE SECVNDO.

Canæ duæ.

IN Cana Galilææ.) Hieronymus indicat duas eſſe Canas, maiorem iuxta Sidonem, & minorem in tribu Aſer. Ad diſtinctionem igitur alterius additum eſt Galilææ τῆς γαλιλαίας. Eſt enim in Galilæa gentium, oppidum quod Hieronymus in Hebraicis locis teſtatur ætate ſua adhuc extitiſſe.

Quid mihi & tibi.) Græce reddidit. Nam Latine dicendum erat, Quid mihi tecum? τί ἐμοὶ καὶ σοί; Hydria Græca uox eſt, nam Plautus uocat aqualem, Quandoquidem & ὑδρία ab aqua nomen habet Græcis.

Metreta Cadus.

Metretas duas.) id eſt, Cados. Quanquam utraq; uox Græca eſt, ſed Latinis uſurpatur cadus apud Horatium: Nardi paruus onyx eliciet cadum, atq; apud Plinium. Metreta eſt apud Catonem & Columellam. Eſt autem cadus ſiue metreta menſura congiorum decem. ut docet copioſius noſter Budæus, libro de Aſſe quinto, ſi quis forte plura deſiderabit.

Architricli/nus à tribus lectis accubitorijs.

Architriclino.) Græca uox eſt, ſignificat eum qui præfectus eſt apparando cōuiuio. Triclinium locus tribus conſtratum lectis ad diſcumbendum.

Vſq; adhuc.) ἕως ἄρτι, id eſt, Vſq; nunc, ſiue Vſq; ad hoc tempus.

Numularios ſedentes.) κερματιστὰς dixit, non ϗαπεζίτας, id eſt, Menſarios. Sunt autem κέρματα minutiæ æris, unde cermatiſtæ, qui maiores nummos minutulis commutant, non ſine quæſtu, qui mos & hodie durat apud Italos.

Latina uoce uſus Euangeliſta.

Et cum feciſſet quaſi flagellum.) Quaſi, non additur in Græcis codicibus, καὶ ποιήσας ϕραγέλλιον, id eſt, Facto flagello. Latinā uocē corrupte pronūciauit, ex uulgi cōſuetudine.

Oues quoq; & boues.) Non eſt quoq; Græcis, ſed que, τὰ πρόβατα, oues q;.

Zelus domus tuæ comedit me.) Extat id teſtimonium Pſalmo ſexageſimo octauo.

Soluite templum hoc &c.) ἐγερῶ. Græca uox anceps eſt ad id quod eſt excitare iacentē, dormiētem, aut mortuum, & excitare ædificium, hoc eſt, extruere. Nam & in hunc ſenſum uſurpatum comperimus excitare, apud Suetonium in Caligula: Et in indicium uictoriæ, altiſſimam turrim excitarunt.

Quadraginta

Quadraginta ſex annis.) Quanquam alienius eſt à noſtro inſtituto, tamen admonere uiſum eſt, quod ſerio nec ſemel indicat Auguſtinus, hunc numerum reperiri in nomine Adam ſi Græcis ſcribatur literis ἀδὰμ, quod geminum alpha notet duo, delta quatuor, my quadraginta. Id commenti, quanquam ab aliis repertũ ac proditum eſt, ut ipſe teſtatur, de/miror tamen tam graui uiro tantopere arriſiſſe, cum ne quid aliud dicam, Hieronymus ri/deat Græcã allegoriam in uocabulis Hebraicis. Fortaſſe nõnihil fuiſſet, ſi hiſce literis apud Hebræos hic numerus ſignaretur. Huic ſimillimũ eſt, quod annotauit quatuor literis, qui/bus ſcribitur Adã deſignari quatuor plagas, ἀνατολὴν, δύσιν, ἄρκτον, μεσημβρίαν. Quod qui/dem & ante hunc annotauit diuus Cyprianus, ſed homo fuit uterq;. *Annotatio frigida de nomine Adam.*

Quod ipſe noſſet omnes.) Omnia eſt Græce τὰ πάντα, in nonnullis, in alijs ſecus. Auguſtinus legit, noſſet omnes.

EX CAPITE TERTIO.

QVod à deo ueneris magiſter.) Magiſter nominandi caſus eſt, non uocandi, Deus te doctorem miſit, non homo. Nam διδάσκαλος eſt, licet magiſter uſurpatum reperias pro doctore.

Niſi quis renatus.) γεννηθῇ, id eſt, Genitus ſiue natus fuerit. Et in antiquiſſimis codicibus Latinis, natus fuerit, eſt, non renatus. Itaq; citat Auguſtinus libro aduerſus Fauſtum 24. capite 1. Itaq; ſcriptũ eſt in codice aureo. Valla genitus mauult, quod è uiro quoq; gignatur aliquis, cum è muliere naſcamur. *Renatus pro natus.*

Quomodo poteſt homo renaſci.) γεννηθῆναι, id eſt, Naſci ſiue gigni, concordantibus & antiquis noſtris. Item in ſequentibus naſci eſt non renaſci.

Et naſci denuo.) ἄνωθεν. Quo aduerbio uſus eſt & Lucas in præfatione euãgelij ſui, quod nos uertimus Ab integro. Chryſoſtomus annotauit Græcam uocem ancipitem eſſe. Nã idem pollere quod πάλιν, id eſt, iterũ, ut referatur ad tempus retroactum, aut ἀπὸ τῶν ἄνω, id eſt, ſuperne ſiue de ſupernis. In quem ſenſum uſurpatur Ioannis capite 19. Nõ haberes poteſtatem in me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Poſteriorem ſenſum ſequitur Cyrillus, interpretans uelut è cœlo naſci, qui per ſpiritum ſanctum renaſcitur. Annotauit hoc prior Origenes, ediſſerens epiſtolæ Pauli ad Rhomanos caput ſextum, quo tamen in loco rurſus Origenis interpres de ſuo nonnihil addidit. *Naſci denuo.*

Ex aqua & ſpiritu ſancto.) In Græcis non additur ſancto, nec apud Auguſtinum, qui adducit hunc locum lib. aduerſus Fauſtum 24. caput 1. Nam ut diſtingueret cœleſtem generationem à terreſtri craſſaq;, propoſuit duo elementa liquidiora, aquã & aërem. Quin nec in aureo codice additur ſancto.

Spiritus ubi uult ſpirat.) Vbi, loci aduerbium eſt, nõ temporis. Valla mauult ſpirat quò uult, nam mox uertit ita πῇ ὑπάγῃ, id eſt, quò abeat. Eſt enim ſimile de flatu, re quidem inuiſibili, ſed tamen efficaci. Atque hic ſpiritum accipere uidetur pro flatu huius aëris, ut intelligas ſimilitudinem duci ab hoc ſpiritu, re, cum non uideatur efficaciſſima, ad impetum illius diuini ſpiritus. Atq; ita prorſus interpretatur Chryſoſtomus homilia 25. cumq; hoc Cyrillus ac Theophylactus apertiſſime teſtans, docendi gratia adhibitum exemplum de aëris impetu, ne quis hoc meum ſomnium eſſe clamitet. *Spiritus pro uento.*

Tu es magiſter in Iſrael.) τοῦ Ἰσραήλ, Iſraël genitiui caſus, ut intelligas magiſtrum eius gentis. Nec hic abeſt articulus, σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος, hoc eſt, Ille doctor, cuius tam celebris eſt opinio. Quod quo magis exprimeremus, uertimus, Tu es ille magiſter Iſraëlis.

Si terrena dixi uobis & non creditis.) Variant hic Græcorum codices, quidam habẽt, καὶ οὐκ ἐπιστεύσατε, id eſt, Non credidiſtis. Alij rurſus, οὐ πιστεύετε, id eſt, Non creditis. Nihil igitur cauſæ fuerit, cur protinus radas ſcripturam: præſertim cum in huiuſmodi uerbis præteritũ tempus pro præſenti ſoleat uſurpari. Cæterum quod ſequitur Credetis, in emendatis exẽplaribus Græcis eſt πιστεύσητε, id eſt, Crediturí ſitis, ob uim modi potentialis.

Et nemo aſcendit in cœlum.) Aſcendit, Græcis præteriti temporis eſt, οὐδεὶς ἀναβέβηκεν. Ne quis putet de futura aſcenſione intelligi. Siquidem illud agit, ſe ideo ſolum loqui de ſuperna renaſcentia, quod unus omnium è cœlis deſcendiſſet. *Aſcẽdit præteriti tẽporis.*

Qui eſt in cœlo.) ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Participium uerti poterat per præteritum imperfectum, Qui erat in cœlo, uidelicet anteq; deſcenderet. Sic enim filius hominis dicitur fuiſſe *Chriſtus fuit in cœlo.*

in cœlo,aut uersari in terris, sicut dominus gloriæ dicitur crucifixus, ob proprietatum in hypostasi duas complectentem naturas communionem.

Exaltare pro in altum tollere, probum uocabulum.

Et sicut Moses exaltauit serpentem.) Sunt quibus exaltandi uerbum non satis Latinum habeatur. Mihi non placuit mutare, quod uox ipsa nō uideatur absona: præsertim cū apud Senecam, certe non pessimum opinor autorē reperiatur: atq; etiā apud Columellam.

Sic enim deus dilexit mundum.) Ab hoc loco uideri poterant uerba euangelistæ, prosequentis & explanantis sermonem quem cœperat Iesus cum Nicodemo. Non enim prosequitur, quomodo discesserit Nicodemus, aut quid ad hæc tam miranda responderit. Simile quiddam indicauimus & in primo capite, De plenitudine eius accepimus omnes. Nec dissimilis casus accidisse uidetur Paulo in epistolæ ad Galatas cap. secundo, ubi sermonem cum Petro cœptum non absoluit, sed ueluti Galatis interpretans prosequitur.

Iudico pro condēno.

Non enim misit deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum.) Iudicet positum est pro condemnet, quomodo subinde reperitur apud Paulum, ac cæteros, ut opponatur illi quod sequitur, Vt seruetur mundus per eum. Idem sentiendum in his quæ sequuntur,

Qui credit in eum non iudicatur. Et, Iam iudicatus est. Et mox,

Hoc est autem iudicium.) Iudicium pro condemnatione positum est.

Omnis enim qui male agit.) ὁ φαῦλα πράσσων, id est, Qui mala agit, tametsi sensus idem est, nisi quod male agere dicitur & qui habet, ac malis affligitur.

Locus apud nos mutilus.

Qui de terra est, de terra loquitur.) In Græcis exemplaribus adduntur aliquot uerba, ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς ἐκ τῆς γῆς ἐστιν, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, id est, Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Perinde quasi dicas, Qui è terra profectus est, is terrenus est, & terrena loquitur.

De terra loqui quid.

Neq; enim loquitur de terra, quod erat, περὶ τῆς γῆς, sed ἐκ τῆς γῆς, hoc est, è terra uelut humilia. Atq; ita legit Chrysostomus, ac Theophylactus, cumq; his Cyrillus & Hilarius in præfatione commentariorum quos scripsit in psalmos mysticos. Ad eundem modum scriptū reperio in uetustissimis Latinorum exemplaribus, Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur. Consentiebat codex Constantiensis & meus ueteris typographiæ, licet in codice Corsendoncēsi, manifestissima uestigia testabantur erasam hāc particulam alterā, De terra est. Augustinus legit, Qui de terra est terra est, & de terra loquitur, id confirmant ea quæ sequuntur. Nam si non esset, inquit, illuminatus, terra terram loqueretur. Cæterum parum attētus lector scripturam mutauit, quod ociosa uideretur iteratio, De terra est, de terra est. Non animaduertit autem singulis opponi singula: Qui de cœlo uenit cœlestis est, hoc est, supra omnes est, & cœlestia loquitur, & cœlestia facit baptizans spiritu. Qui è terra profectus est, humilis est ac terrenus, & hinc loquitur unde est, hoc est, humilis humilia, & uterq; suam refert originem. Dilucidius autem erat, si extremæ particulæ addidisset articulum, τὰ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ.

Et qui de cœlo uenit.) Venit, est præsentis temporis, ὁ ἐρχόμενος, nisi quod hæc participia duobus temporibus deseruiunt, præsenti & præterito imperfecto. Atq; ita uertendum erat & ὢν, Qui è terra erat terrenus est, at qui de cœlo profectus erat, is supra omnes est.

Signat pro obsignat.

Signauit.) ἐσφράγισεν, id est, Obsignauit, hoc est, signo confirmauit. Nam sigillum additum rem certam efficit.

Ad mensurā dare.

Non enim ad mensuram dat deus spiritum.) Euangelista pronomen omisit τούτῳ, siue αὐτῷ, quod ex his quæ præcedunt & consequuntur satis liqueret de quo loqueretur. Id autem fit crebrius apud Græcos quàm apud Latinos. Nos igitur ne quid offenderet lectorē, pronomen de nostro apposuimus in uersione duntaxat. Dictum est autem figura prouerbiali, Dat ad mensuram, pro eo quod est, dat parce, aut mediocriter. Qui largiter & effuse dat, non metitur quod dat aut numerat, sed cumulatim profundit. Alioqui gratia in Christo quatenus homo fuit, finita dici possit. & hic uidetur euangelista suum sermonem attexuisse sermoni Ioannis. Neq; enim absoluit quid acciderit discipulis.

Et omnia dedit in manu eius.) Incertum est an abusus præpositione, senserit omnia filio tradita in manum, an omnia nobis dari per manum illius, quod iuxta proprietatem Hebraici sermonis in præpositio significationem habeat instrumenti, sed priorē sensum Græci sequuntur interpretes, & mihi magis arridet.

Sed ira domini manet.) μενεῖ, id est, Manebit. Quanquā accentu mutato erit manet μένει. atq; ita

atq; ita legitur in nonnullis exemplaribus, ac mea quidem sententia, rectius. Fides aufert peccatum, infidelitas relinquit peccatum, manet autem quod non tollitur. Quanquã Cyprianus aduersus Iudæos lib. 2. cap 26. legit manebit. Et quod interpres uertit, Qui nõ credit, eleganter reddidit ille, Qui dicto non est audiens. Græcis diuersæ uoces sunt πιστεύω, & ἀπιθῶ, quarum posterior magis sonat inobedientem.

EX CAPITE QVARTO.

PEr mediam Samariam.) Mediam non additur, nec in Græcis codicibus, nec in antiquis Latinorum exemplaribus magnopere consentientibus, ac ne in aureo quidem, διὰ φῦ σαμαρίας. Atq; ita legit Chrysostomus. Vnde mirum uideri potest, unde hoc inoleuerit in uulgatis exemplaribus, nisi forte quispiam sic interpretatus est, per Samariam, per medium Samariæ, atq; id alius in contextum transtulit, qua quidem occasione deprehendimus complureis irrepsisse mendas.

Sedebat sic supra fontem.) οὕτως, addit, μιμητικῶς, ut gestus exprimat hominis lassi, uel, sic, nempe quia fatigatus. Atq; hæc dictio cõsimilem ad modum usurpata reperitur apud Terentium, aliosq; probos autores. Chrysostomus subindicat habere significationem neglectus sic, id est non in sella, aut commodo loco, sed neglectim humi, ut se locus fesso dederat. Idem admonet Theophylactus. Et melius erat Ad fontẽ, quàm supra fontem, sic enim habebatur in uulgatis exemplaribus, licet in antiquis legitur super, non supra. Sextam horam expressit, ut intelligeremus dominum nõ solum itineris labore, uerum etiam æstu meridiano fuisse fatigatum. *Super non supra.*

Non enim coutuntur.) συγχῶνται. Vocem Græcam facticia Latina reddidit. Quis enim unquã dixit couti, aut quis intellecturus sit, couti esse, habere commerciũ & mutuam uitæ cõsuetudinẽ? Nam & Latinis usus, familiaritatẽ significat. Et utimur his cum quibus agimus consuetudinem. Cæterum couti & cousus inauditæ uoces sunt. *Couti mutuũ habere commercium.*

Tu forsitan petisses.) σὺ ἂν ἤτησας, Tu poposcisses. Interpres pro ἄν coniunctione exple tiua, posuit aduerbium dubitantis, cum ἄν magis affirmet. Cæterum cum apud Euangelistam utriq; uerbo sit addita cõiunctio ἄν petisses & dedisset, in priore uertit forte, & in posteriore non uertit. Atqui aut erat omittendum utrobiq;, aut utrobiq; addendum. *Forsitan pro utique.*

Neq; in quo haurias.) ἄντλημα, id est, Haustrum. Nam eo uerbo usus est Lucretius, quãdoquidem hauritorium Vallæ parũ nitidũ uidetur. Et Latinius erat, Quo haurias, quàm in quo haurias.

Altus.) βαθύ, id est, Profundus. Nam altus ambigua uox est.

Et pecora eius.) θρέμματα. Quæ uox omne animantis genus complectitur, ab alendo dicta, ut βοσκήματα.

In æternum.) εἰς τὸν αἰῶνα, id est, in æuum.

Quia uirum non habeo.) Quæso quid ex hisce uerbis percipi potest, nisi mulierem dixisse, quod Christus non habuerit uirum? Vsqueadeo nihil referre putamus, quomodo loquamur, aut quid auditurus sit qui legit? Omittenda igitur erat, si usquam alias, hoc loco coniunctio ὅτι quia: aut mutato uerbi modo, uertendum erat hoc pacto, Bene dixisti te uirum non habere, siue Bene dixisti, non habeo uirum. Quod si nunquam interpres omisisset Græcam coniunctionem, poterat uideri superstitione factum. Cæterum cum alicubi deprehendatur omisisse, mirum cur hic putarit addendam. *Sermo absurdus.*

Qui adorent eum.) τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, id est, Adorantes se, siue qui adorent se. Apparet interpretem fugisse amphibologiã pronominis reciproci, quod accipi poterat, illos adorare seipsos. Ea uitari poterat, si dixisset, Qui adorent ipsum.

Quia Messias uenit.) ἔρχεται. Quod Græci nonnunquam usurpant pro futuro, tametsi præsentis temporis uox est. Hoc loco magis quadrabat ueniet, propter id quod sequitur: Cum ergo uenerit ille. Et ueniet legitur in antiquis & emendatis codicibus Latinis.

Et continuo.) καὶ ἐπὶ τούτῳ, id est, In hoc, siue interim, nimirum cum hæc dicerentur.

Quid cum muliere loqueretur.) ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει, id est, Quod cũ muliere loqueretur, siue loquutus esset. Interpres pro ὅτι legisse uidetur τί. Nõ enim mirabantur quid esset quod cum illa fuisset colloquutus, sed illud admirabant, Christũ cũ Samaritana paupercula tã familiariter colloquutũ esse. Porrò muliere positũ est pro ea, ut hominẽ, aliquoties *Quid p cur.*

pronominis

pronominis uice usurpamus. Nec enim apostolis noua aut suspecta res erat Christū cum muliere colloqui. Quod diximus, propemodum ex Chrysostomi interpretatione licet cōijcere. Astipulatur nobis & ueterum exemplariorum fides, in quibus scriptum est: Et mirabantur, quia cum muliere loquebatur, hoc est, mirabantur eum cum muliere colloqui. Nā quod sequitur, Quid loqueris cum illa, magis uertendū erat, Cur loqueris cum illa, nimirū Samaritana. Abhorrebant enim Iudæi à commercio Samaritanorum. Videntur siquidem discipuli uoluisse dirimere colloquium Christi cum muliere, uerū non ausi sunt hoc facere.

Samaritani abominabiles Iudæis.

Et dicit illis hominibus.) Illis, interpres addidit de suo, nec omnino intempestiuiter. Græce tantum est, τοῖς ἀνθρώποις. Ac rursum Hominibus dictum est pro eis.

Nunquid aliquis.) μή τις, id est, Num quis.

Vt perficiam opus eius.) Græci legunt, καὶ τελειώσω, Et perficiam, atq; ita Chrysostomus. Licet hoc ad sensum parui refert. Et potest hac in parte repeti ἵνα, quasi dicas, utq; perficiā opus eius. Et,

Quatuor menses.) Græcis unica dictio est, τετράμηνον, id est, Quadrimestre.

Et messis uenit.) ἔρχεται. Poterat esse, Et uentura est.

Quod adhuc.) Coniunctio, ὅτι, non erat uertenda, cum ipsorum uerba referat.

In hoc est sermo uerus.) ὁ λόγος cum articulo, ut intelligas de eo sermone quem modo dixerat. Porrò præfatus est uerum esse, cum rem nouam et incredibilem subijciat.

Propter sermonem eius.) Eius, ad Christum referendum est, non ad mulierem, αὐτοῦ, unde melius erat ipsius.

Saluator mundi.) Græci addunt Christus, ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου ὁ χριστός.

Regulus. βασιλίσκος.

Quidam regulus.) τὶς βασιλικὸς, id est, Quidam regalis. Tametsi legendum opinor βασιλίσκος, etiamsi constanter reclamant Græcorum exemplaria. Quin & interpretes, qui scribunt in hoc euangelium, hūc basilicon dictum aiunt, uel quod esset generis regij, uel quod magistratu, munereq; regio fungeretur. In hanc fermè sententiam Chrysostomus, nisi quod illic regulum lego, non regalem, haud scio interpretisne an librarij uitio. Certe Theophylactus citra controuersiam legit βασιλικὸς, id est, regius. Et paulo post,

Incipiebat enim mori.) ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν, id est, Erat enim moriturus, siue, Nam agebat animam, hoc est, tendebat ad mortem, quod tamen hic data opera sic aliquoties uertit.

Melius habuerit.) κομψότερον ἔχειν, id est, Melius, siue commodius habuisset.

Hoc iterum secundum.) Videri poterat dixisse, Iesum duo secunda signa fecisse, & altera uox superesse, etiamsi Græca sic habent. Sensit hoc incommodi Chrysostomus, quid autem ille non sentit? putatq; secundum, data opera additum, quo magis inculcaret Galilæorum incrudelitatem, qui cum prius uidissent miraculū in nuptijs, ac rursum hoc de sanato puero, tamen perfistebant diffidere Christo.

EX CAPITE QVINTO.

Est autem Hierosolymis probatica.) ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, id est, Est autem Hierosolymis super probaticam, siue ad probaticam piscina. Nam Græcis probatica datiuus est, piscina nominatiuus. Atque ita sane uidere est in codice aureo, super probatica. consentientibus exemplaribus S. Donatiani. In constantiensi codice sciolus quispiam eraserat præpositionem, super. Sonat autem probatica, quasi dicas ouilla, siue pecualis, ut uertit Hieronymus. Quanquam ex Chrysostomo aut Cyrillo certum deprehendi non potest de loci huius lectione. Et piscina hoc loco significat non uiuarium piscium, sed in qua natatur, uel Græca uoce id attestante, quæ dicta est παρὰ τὸ κολυμβᾶν, id est, à natando.

Probatica quid. Piscina natatoria.

Quæ cognominatur Bethsaida.) Græce est, Βηθεσδά, id est, Bethesda. Quanquam eadem uox & apud diuum Hieronymum erat deprauata. Quod uel hinc colligi licet, quod cum antea Bethsaida nominasset ciuitatem Galilææ patriam trium apostolorum, Andreæ, Petri, Philippi, iuxta stagnum Genezareth, aliquanto post subijcit rursum, Bethsaida piscinā, quæ fuerit Hierosolymis cognomento probatica, quam nos, inquit, pecualē possumus interpretari. Hæc quinq; quondam porticus habuit. Ostenduntur gemini lacus, quorum unus hybernis pluuijs adimpleri solet, alter mirum in modum rubens, quasi cruētis aquis, antiqui in se operis signa testatur. Nā hostias in ea lauari à sacerdotibus solitas ferūt, unde & nomen

Bethesda pro Bethsaida legendum.

nomen acceperit. Ita fermè Hieronymus. Porrò quod ait, hinc nomẽ inditum, non ſolum pertinet ad uocem Græcam πρόβατον, quæ pecudem aut ouem ſonat, uerum etiam ad Hebraicam בֵּית עֶדֶר. Siquidem Hebræis בֵּית domus dicta eſt, עֶדֶר grex, ſiue pecus. Apparet igitur totum eum locum dictam probaticã, in quo fuerit aliqua pars ſeruata in uſus natare uolentium. Hugo Carrenſis admonet piſcinam dictam per antiphraſim, quod minime haberet piſces. Quemadmodum ſorores diaboli dictæ ſunt Parcæ, quod nemini parcant. Nimirum hæc etymologia ſimillima eſt illi, quam attulit de ſycomoro: Sycomorus, inquit, dicitur quaſi ſicut morus, quod ſit ſimilis moro. Ad hunc ſanè modum, non eſt magnum ingentia condere uolumina, ſi libeat huiuſmodi nænijs miſeras contaminare chartas. Ne uero quiſquã exiſtimet hæc à me calumniãdi morbo dici. Imò cõſulendum arbitrabar ſtudijs quorundam, qui ſcriptorẽ hunc & alios huic ſimiles, uelut addicti, nulloq; delectu legunt, alij quod cardinalis fuerit, alij quod ordinis dominicalis. Verum ut audio, Carrenſem in numerum cardinalium aſcitum fuiſſe, ita in diuorum numerum aſſcriptum non lego. Quod ſi maxime fuiſſet factũ, tamen eatenus debetur ſanctis uiris reuerentia, ut ſi quid errarint, nam errant & ſancti, citra perſonæ contumeliam, ueritati patrocinemur. Quanq; & in alios parcius dicendum eſt quàm res ipſa meretur, ut quod coarguimus eos, publicæ utilitati, quod moderatius id facimus, Chriſtianæ modeſtiæ datum uideatur.

Probatica locus, cuius pars eſt piſcina.

Carrenſis etymologia.

Quare conducat indicare quorũdam errata.

Et mouebatur aqua.) Antiqui codices habent, Et mouebat aquam, καὶ ἐτάραττε τὸ ὕδωρ, id eſt, Et turbabat aquam. Quanquam alij rurſus habebant, ἐταράττετο τὸ ὕδωρ. τὸ articulus occaſio fuit erroris, cum eadem ſyllaba poſſit eſſe & finis uerbi. Chryſoſtomus ſic interpretatur hũc locum, ut ſentire poſſis ab angelo ſolitam turbari aquam. Certe Theophylactus legit ἐτάραττε τὸ ὕδωρ, id eſt, Turbabat illam aquam.

Et qui prior.) Vetuſti codices, conſentientibus Græcis exemplaribus habent, Qui ergo primus ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς, id eſt, Qui igitur primus ingreſſus fuiſſet.

Deſcendiſſet in piſcinam.) In piſcinam hoc loco, nec eſt in antiquis, nec in Græcis. uerum hoc aliquis explicandi gratia de ſuo adiecit, repetens è proximo loco, quod Euangeliſta maluit ſubaudiri.

Additum aliquid.

Poſt motũ aquæ.) μετὰ τὴν ταραχὴν, id eſt, Poſt turbationẽ. qd' ante dixit ἐτάραττε τὸ ὕδωρ.

Cognouiſſet quod multum iam tẽpus haberet.) Quando literatoris officio fungimur, non grauabimur & hoc admonere, hic ſubaudiendũ quod mox præceſſit, In infirmitate.

Dum uenio enim ego. ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγὼ, In quo autem uenio, ut ad uerbum reddam. uertendum autem erat, Cæterum, interea, dum ego uenio, alius ante me deſcendit.

Tolle grabbatum tuum.) Mirũ eſt unde Græci ſcribant, κράββατον, per duplex ββ, cum Martialis primam huius dictionis ſyllabam corripuerit in epigrammate: Sed ſi nec focus eſt, nudi nec ſponda grabati. Præſertim cum Perottus etymologiam uocis petat à Græcis, dictum enim putat κράβατον, quaſi καραβατον, à κάρα caput, & βατὸν peruium. Quod uerum ſit nec ne, in præſentia non diſputo. Certe lectuli genus eſt, ſeu lecticæ potius. In magno Græcorum etymologico reperio κρεββάτιον dictum παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις, id eſt, à ſuſpendendo pedes, quod ſic in lecticis portarentur, ut pedibus non contingerent terram.

Grabbatum quid.

Homo ille.) Non eſt ille apud Græcos, ſed interpres expreſſit uim articuli ὁ ἄνθρωπος.

Ieſus aũt declinauit à turba.) ἐξένευσεν. Incertũ à νεύω an à ξενεύω. Heſychius indicat ἐκνεύω idem eſſe quod enatare, à uerbo νέω, cum ita ſcribit, ἐκνεύσας, ἐκκολυμβήσας. Nec eſt,

Declinare ἐκνεύω.

A turba cõſtituta in loco.) alioqui addidiſſet articulum ὄχλου τοῦ ὄντος ἐν τόπῳ, ſed Ieſus ſubduxit ſeſe cũ turba eſſet in loco. qd' inter plurimos facile eſt unũ aliquẽ latere, quẽ deinde non agnoſcas. Vnde magis dictũ uidetur à ξενεύω, uelut peregrinũ, & ignotum fieri. Vt ne dicam, quod ὑγιὴς Sanus, magis pertinet ad integritatem membrorũ, q; morbum uelutí febrim. Nam morbo opponitur bona ualetudo: uitio corporis, opponitur debilitas.

Iam noli.) μηκέτι, id eſt, Ne poſt hac. Quanquam recte uertit interpres, callentibus linguam Latinam, apud quos idem ualet iam, quod poſthac.

Iam pro poſthac.

Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc feciſſet in ſabbato.) In Græcorum codicibus additum reperio, καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, fortaſſis ob hoc, quia ſequitur. Propterea magis quærebant eum interficere. &c. ſed reclamantibus magno conſenſu Latinorum codicibus.

Pater

Pater meus usq; modo.) ὁ πατήρ μου. Annotat Cyrillus addito patri articulo, non declarari, quemuis patrem, sed deum, hoc est illum uere patrem.

Nisi quod uiderit patrem.) ἐὰν μήτι βλέπῃ, id est, Nisi quid uiderit, aut certe Nisi uiderit. Nam τί frequenter additur ex proprietate Græci sermonis.

Et maiora his.) καὶ μείζονα τούτων. Quod hic ausus est interpres quur non idem ausus est apud hunc Euangelistam cap. decimoquarto, & maiora horum faciet. Vbi totidem uerbis scriptum est, μείζονα τούτων.

Sed transiet.) ἀλλὰ μεταβέβηκεν, id est, Transijt, præteriti tẽporis, non futuri. Nã transijt facile deprauatum est in transiet. In aureo codice scriptũ erat transit, in Constantiensi trãsijt.

Filius enim nõ iudicat quenq;.) Cyprianus pro οὐδένα legisse uidetur οὐδέν. Sic enim refert: Nihil pater iudicat. Ad eundem modum citat libro ad Quirinum iij. cap. xxxiij.

Et pater dedit ei potestatem iudicium facere.) καὶ, coniunctio sublata est in uulgatis exemplaribus, licet in uetustis reperiatur addita. Proinde nos reposuimus quoque, ut intelligamus & hoc autoritatis accessisse, ut liceret & iudicis personam gerere, ueluti paterni regni consortem.

Articulus cur omissus.

Quia filius hominis est.) Mirum est hic neutræ dictioni Græcum articulum præponi, ὅτι υἱός ἀνθρώπου ἐστίν. Cur autem hic omissus sit, equidem meam coniecturam in medium afferam. Opinor enim hic particulam hanc, Quia filius hominis est, nihil aliud ualere, quàm quia homo est, & ad eam sententiam exprimendam erat superuacuus articulus. Atque hic mecum facit Diuus Augustinus, qui subindicat iudicandi potestatem, quæ semper fuerit Christo, rursus eidem traditam à patre uelut homini. Etiamsi lectionis distinctionem, quã sequitur Augustinus, non probat Chrysostomus: ostendens hanc, quam uulgus sequitur, esse cuiusdam Pauli Samosatensis hæretici, nec putat omnino cõsistere sensum, cum Christus non ideo acceperit iudicandi potestatem, quod esset homo. Nam si ob id accepisset, danda erat eadem omnibus hominibus. Proinde distingui iubet ad hunc modum: Et dedit ei potestatem iudicium quoque faciendi, atq; hic colon intercedat. Deinde subijciatur: Quia filius hominis est, nolite mirari hoc: ut sensus sit, Quod dixi de potestate dandi uitam æternam, quod de potestate iudicandi, ne uobis uideatur incredibile, eo quod me conspiciatis hominem esse. Quin ex ipsa Cyrilli interpretatione colligere licet eum cum Chrysostomo sentire. Quanquam interpres confudit distinctionem. Verum de ratione distinguendi sermonis, suum cuiq; permitto iudicium. Omnes hac in parte pro me faciũt, quod filius hominis simpliciter pro homine positũ est. Nam Chrysostomus ita scribit: Non enim propterea accepit iudicium, quia homo est. Nam nihil prohibuisset omnes homines iudices esse. Item Cyrillus, Nolite, inquit, mirari, si cum me hominem esse uideatis, suscitaturũ tamen mortuos me pollicear. Theophylactus similiter distinguit, ut hæc particula non pendeat à superioribus, sed referatur ad sequentia: Quia filius hominis est, nolite mirari. Negat esse mirandum, quod ei qui filius esset hominis data esset tanta autoritas, quũ idem esset dei filius, Diuinam enim naturam declarat ex generali mortuorum resurrectione, quæ soli filio dei seruata est.

Chrysostomus ab Augustino dissentiens.

Et audient uocem filij dei.) In Græco codice scriptum erat, Et audient uocem eius, quod paulo ante se uocauerit filium dei. Et ideo dure uidetur hic repeti Filij dei. Exemplaria diui Donatiani cumq; his Constantiense suffragabantur Græcæ lectioni.

Distinctio.

Et procedent, qui bona fecerunt.) Est nonnihil momenti in distinctione, ut post uerbũ procedẽt, addas hypodiastolen, ut intelligamus non bonos solum processuros, sed omnes quicunq; uocem audierint. Deinde subnectantur duæ partes, altera bonorum, altera malorum. Si quis attẽtius legat Augustinum hæc ediserẽtem, sentiet illum hoc subnotasse. Scio crassulum esse quod dicturus sum, sed tamen quoniam hoc opus paratur imperitioribus, non piguerit admonere, procedent Græcis esse, ἐκπορεύσονται, id est, exibunt, siue prodibũt. Loquitur enim de ijs, qui prodituri sunt è monumentis ad uocẽ angeli tuba canẽtis. Alioqui procedit, quod bene succedit, aut prouehitur.

Verum est testimonium eius quod perhibet de me.) Eius pronomen nec apud Græcos additur, nec in uetustis codicibus.

Maius Ioanne

Ego autem habeo testimoniũ maius Ioanne.) Interpres reddidit Græca bona fide. Nam si explanatius

si explanatius uoluisset exprimere, Habeo testimonium maius testimonio Ioannis, addidisset alterum articulum fœmininum, τὴν μαρτυρίαν μείζω ἢ τοῦ Ἰωάννου. Et tamen dubiũ nõ est, quin hic sit sensus Euangelistæ. Neq; enim confertur testimonium cum Ioanne, sed testimonium patris cum testimonio Baptistæ.

Ea ipsa.) Ea referendum ad superiora, ipsa ad sequentia. Opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa opera &c. Hæc distinctio manet etiamnum in peruetustis Latinorum exemplaribus. Ea, additum est ex proprietate sermonis Hebraici. Ipsa, positum pro ultro, siue per sese. Opera quæ facio ultro testantur qui sim, etiamsi nullus testetur hominũ. Cæterum iteratio operum, ad asseuerationem facit.

Scrutamini scripturas.) ἐρευνᾶτε. Non minus Græcis quàm nobis incertum est, utrũ scrutamini imperandi modo dictum sit an indicandi. Et uterq; sensus tolerabilis est, nisi quod Cyrillus putat indicãdi modo dictum Scrutamini scripturas, & in eo quod est præcipuũ, non creditis scripturis.

Vos putatis.) ὑμεῖς δοκεῖτε. Græcus sermo anceps. & sic accipi potest, Vos uidemini, aut uidemini uobis.

Claritatem.) δόξαμ. Miror quare non maluerit gloriam hoc loco. Tametsi δόξα, non est anceps ad claritatem, sed ad gloriam & opinionem. *Claritas pro gloria.*

Non accepistis.) οὐ λαμβάνετε, id est, Non accipitis, uerbo præsentis temporis.

In quo uos speratis.) ἠλπίκατε, id est, Sperastis, tametsi bene uertit interpres, id est, spem collocastis.

Si enim crederetis, &c.) εἰ γὰρ ἐπιστεύετε μωσεῖ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί, id est, Si enim credidissetis Mosi, credidissetis utiq; mihi. Rursum pro ἂν posuit forsan, haud sanè in loco, cum id in dubium uocet interpres, quod Christus affirmat.

EX CAPITE SEXTO.

Vltitudo maxima. πολὺς ὄχλος, id est, multa turba.

Ad eum.) πρὸς αὐτὸν, id est, Ad se, prima pronominis uocali aspirata. Quod tamen haud scio quo casu in ecclesiasticis libris apud Græcos nõ obseruatur.

Et duos pisces.) καὶ δύο ὀψάρια. Et apud Terentium in Adelphis pisces obsonium uocantur. Siquidem opson Græci uocant edulium quod additur pani, præsertim coctum: unde obsonare lautius uesci. & ὀψοφάγοι obsonatores, olim male audiebant. ὀψάριον autem diminutiuum est ab ὄψον. *Pisces. ὀψάρια.*

Quid inter tantos.) εἰς τοσούτους, id est, Inter tam multos, siue inter tot. De numero loquitur, non de magnitudine hominum.

Erat autem fœnum.) χόρτος, Herba, siue gramen.

Distribuit discumbentibus.) Græca nonnihil dissonant, καὶ εὐχαριστήσας δὲ ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις, id est, Et cum gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli uero discumbentibus. Nam ad eum fermè modum referunt & cæteri euangelistæ, ipsum nõ dedisse turbæ, sed discipulis, deinde discipulos distribuisse multitudini: sed magno consensu reclamantibus Latinis codicibus: ex Chrysostomo ac Theophylacto non potuit diuinari quid legerint, in contextu Theophylactus habet quod est in Græcis codicibus, in Chrysostomo uerso erat, quod habetur in Latinis codicibus.

De piscibus quantum uolebant,) ὅσον ἤθελεν, id est, Quantum uolebat, nempe Iesus, nõ quantum illa multitudo. Siquidem is erat qui suo arbitratu augebat commeatum illũ alioqui exiguum. Atq; ita legit Cyrillus. Licet ex Chrysostomo non possit certum colligi quid legerit. Cæterũ una mutata literula erat, uolebant, ἤθελον, quemadmodum lego apud Theophylactum, & in nonnullis alijs exemplaribus. Augustinus legit, quãtum sufficiebat. Nisi forte illic Augustinus suis uerbis, euangelistæ sensum explicuit, quemadmodum fecit paulo ante: Accepit autem dominus Iesus panes, gratias egit, iussit frangi panes, poni ante discumbentes. Aeditio Aldina consentit cum nostra lectione, habet enim ἤθελεν, non ἤθελον. *Quantum uolebat.*

Ne pereant.) μή τι ἀπόλωνται, id est, Ne quid pereat: nisi τι malis superesse.

Duodecim cophinos fragmentorum.) Legi poterat, & Fragmentis, ut referatur ad uerbum Impleuerunt.

Duodecim cophinos fragmẽtorũ, ex quinq; panibus hordeaceis & duobus piscibus.)

Hæc particula,Et duobus piſcibus,non adijcitur in Græcanicis codicibus.atq; his ſuffragabatur utrumq; exemplar Latinum uetuſtiſſimum. Suffragabatur & ædítio fratrum Amorbachiorũ,ex peruetuſtis ac fideliſſimis exemplaribus. Deniq; ſuffragatur & codex aureus cum Conſtantienſi.

Propheta ille Quia hic eſt uere propheta.) Quia,prætermittendum erat. Nec ſimpliciter uertendum erat,propheta,ſed Ille propheta ὁ προφήτης, Siquidem ex uaticínio Malachiæ expectabatur Helias,aut illi ſimilis.Item ex promiſſo Moyſi.

Vt raperent eum,& facerent eum.) Vtroq; loco ſe,aut ipſum dicendum erat,non eum.

Fugit iterum.) ἀνεχώρησε,id eſt,Receſſit. Mirum quur hic interpreti libuerit à Græco ſermone diſcedere.

Vt autem ſero factum eſt.) ὀψία. Sero pro ueſpere ſemper utitur. Legimus apud Liuiũ ſerum diei,pro ſera parte diei. Sero non reperimus,niſi aduerbialiter uſurpatum.

Cum aſcendiſſent in nauim.) εἰς τὸ πλοῖον. Cur hic oblitus eſt ſuæ nauiculæ? Nec eſt, Aſcendiſſent,) ſed ἐμβάντες,id eſt,Ingreſſi nauim,aut certe Conſcenſa naui.

Et proximum naui fieri.) Nimirum Græce uertit, καὶ ἐγγὺς τοῦ πλοίου γινόμενον,id eſt, Naui appropinquare,ſiue Accedere ad nauim.

Fuit ad terrã. Fuit ad terram.) ἐγένετο ἐπὶ γῆς, Facta eſt in terra,ſiue Appulit terræ.

Quam ibat.) εἰς ἣν ὑπῆγον,id eſt,Ad quam ibant,nempe apoſtoli.

Altera die.) τῇ ἐπαύριον,id eſt,Poſtero die.

Nauicula. Quod nauicula alia.) πλοιάριον. Hic uere diminutiuum eſt nomen.

Gratias agentes deo.) Hæc uerba,in altero exemplari nõ habebantur, in altero diuerſa, ἐφαγον τὸν ἄρτον,εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου,id eſt, Vbi comederant panem, cum gratias egiſſet dominus.Quanquam uetuſti codices cum noſtra æditione conſentiunt, aſtipulãte & Auguſtino. Nam quid legerit Chryſoſtomus & Cyrillus, parum liquebat ex illorum interpretatione.

Quando huc ueniſti.) πότε ὧδε γέγονας. Hic γέγονας, uertit, ueniſti. Cur non pauloante ἐγένετο ἐπὶ γῆς,id eſt, Venit in terram.

Signauit pro confirmauit. Pater ſignauit.) ἐσφράγισεν. Vt intelligas autoritate patris, ac teſtimonio comprobatũ, ſicut aliâs admonuimus.

Non dedit uobis panem. τὸν ἄρτον,id eſt, Illum panem. Neq; enim negat ullum panem fuiſſe datum per Moſen,ſed non illum eximium,de quo ſenſit ſcriptura diuina. Item paulo poſt,Panis enim dei eſt. Nam ille panis dei eſt. Ac mox,pater meus dat uobis.) multi latinorum codices pro dat,habebant dabit,ſed mendoſe,nec enim hic dat habet rationẽ temporis,ſed poteſtatis.Dat enim qui ſolus poteſt dare.Græcis eſt,δίδωσι,non δώσει.

Panis enim uerus eſt.)Græci legunt,Panis enim dei eſt,conſentientibus & uetuſtiſſimis exemplaribus,atq; in his codice aureo cum Conſtantienſi. Carnẽ ſuam dare ad mandu candũ.) Apud Græcos non additur ſuam, ſed interpres expreſſit uim articuli τὴν σάρκα, nimirum intelligi uolens carnem illam de qua prius eſt loquutus Ieſus. Alioqui omiſſo articulo poterat eſſe ſenſus,Quomodo hic dabit nobis edendam carnem humanam.

Ego ſum panis de cœlo deſcendens.) ὁ καταβαίνων,Hic uſus eſt participio præſentis temporis,nullum certum indicans tempus,Sentit enim nullum panẽ de cœlo deſcendere, aut deſcendiſſe præter ipſum. Nam idem & mãna uerum erat.Quoniam autem quod manna figurarat iam erat exhibitum,mutat tempus participij.ὁ καταβάς.

Quia dixiſſet ego ſum panis uiuus.Hic non additur uiuus,ſed tantum,ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ,id eſt,Ego ſum panis ille qui deſcendit de cœlo. Cõſentiente cum Græcis,utroq; uetuſtiſſimo codice,atque etiam Donatianicis. Et paulo ſuperius panis uitæ legitur,& non panis uiuus.

Nónne hic eſt filius Ioſeph.) οὐχ οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ υἱὸς Ἰωσήφ, id eſt, Nónne hic eſt Ieſus filius Ioſeph? conſentiunt & antiquiſſima exemplaria Latinorum,adſtipulante & Auguſtino.Quo magis miror,quo conſilio Ieſus,è uulgatis exemplaribus fuerit ſublatus. Nã hoc loco Ieſu nomen uelut hominis plebei per contemptum additur. quemadmodum & hodie uulgus hominem nulla præditum dignitate,proprio compellat nomine.

In inuicem.) μετ' ἀλλήλων,id eſt,Inuicem:ſiue inter uos.

Docibiles.

Docibiles.) διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, id est, Dociles dei, ut accipiamus passiue. Testimoniū est apud Esaiam capite quinquagesimo quarto, Vniuersos filios tuos doctos à domino. Nā hinc diuus Hieronymus indicat sumpsisse Ioannem. At cur igitur non dixit in Esaia, sed in prophetis? Proinde diuus Hieronymus citat consimilem huic sententiam ex Hieremiæ capite trigesimo primo. Porrò quod Hieronymus iuxta ueritatem Hebraicam transtulit, Doctos à deo, Septuaginta uerterunt διδακτοὺς θεοῦ, id est, Discipulos dei, ut intelligas passiue accipiendum esse non actiue. Laurentius indicat in quibusdam exemplaribus scriptum fuisse διδακτικοὺς, in alijs διδακτούς, ac posteriorem lectionem magis approbat. Cuius sententiæ & ipse subscribo. διδακτικὸς enim dicitur, qui est appositus ad docendum, interprete Hieronymo. Vnde Paulus inter cæteras dotes, uult episcopū esse διδακτικὸν, hoc est, idoneum ad docendum, ut suo commonstrabimus loco. Docilis autem est is, qui facile discit. Docibilis, uox est Latinis auribus inaudita. Paulus in epistola ad Thessalonicenses, composita extulit dictione, quod diuisit Ioānes, αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε, id est, Nā uos ipsi à deo docti estis. Quanquam hoc docti, non est participium Græcis, sed nomen, Vnde interpres studuit nomen nomine reddere, consimiliter composito. Homerus citharœdū αὐτοδίδακτον appellat, qui non ex arte, sed afflatu numinis caneret, ex seipso doctus, Αὐτοδίδακτός δ' εἰμί, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμους παντοίους ἐνέφυσεν. Proinde hoc loco nō erat uertendum, Docibiles dei, sed docti à deo, Vt consentiat cum eo quod præcessit, Nisi pater qui misit me, traxerit eum. hoc nimirum est esse θεοδίδακτον, trahi patris afflatu. θεοδίδακτοι

αὐτοδίδακτος.

Vt si quis ex ipso manducauerit.) ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ καὶ μὴ ἀποθάνῃ, Vt quis ex eo edat, & non moriatur. Quanquam hoc ad sensum haud ita multum habet momenti.

Si quis manducauerit ex hoc pane.) Mirum quid sequutus Hilarius libro de triade inefabili decimo, locum hunc his refert uerbis, Si quis manducauerit de pane meo, uiuet in æternum, significans in hoc esse mysterium diuinæ naturæ assumentis humanam, quod quum affirmet se esse panem qui de cœlo descenderit, tamen eundem panem appellet suū. Quanquam hūc locum ueteres interpretantur de doctrina cœlesti, Sic enim dixit panem suū, ut frequenter dixit sermonem suum.

Litigabant ergo.) ἐμάχοντο, id est, Pugnabant, siue decertabant. *Litigare.* μάχεσθαι.

Carnem suam.) τὴν σάρκα in Græcis non additur suam, sed articulus τὴν refert eam carnē de qua fecerat mentionem, De sua autem carne loquutus est.

Non habebitis.) οὐκ ἔχετε, id est, Nō habetis, præsentis temporis. Quanquam uideri potest temporis catachresis.

Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo.) Addenda erat interpreti particula, quæ respondet Sicut, quo dilucidior redderetur oratio, Quemadmodum misit me pater qui uiuit, ita et ego uiuo propter patrem. Præterea ὁ τρώγων, id est, Qui manducat me, participiū accommodandum erat uerbo cui adhæret ζήσεται, uiuet, Qui ederit me, ipse quoque uiuet propter me. Potest & sic distingui sermo, ut contexatur è duabus partibus, quarū utraque duobus constet membris. Quemadmodum misit me uiuens pater, & quemadmodū ego uiuo propter patrem, ita qui ederit me, uiuet ipse quoq; propter me. Cum hac distinctione congruit interpretatio diui Augustini: laborat enim quomodo constet collatio. Non enim sic nos uiuimus propter filium dei, quemadmodum ille uiuit propter patrem. Videtur aūt & abusus præpositione διὰ, cui addidit accusandi casum pro paterno.

Qui de cœlo descendit.) καταβάς. Præteriti temporis est descendit.

Qui credit in me non sitiet in æternum.) Græcis est πώποτε, id est, Vnquam, Atq; itidē habet codex aureus.

Si ergo uideritis filium hominis.) Aliquid subaudiendum, quo sermo fiat absolutus. *Sermo inabsolutus.*

Quid igitur si uideritis.) ἐὰν οὖν θεωρῆτε, significans id futurum, quod admirabilius sit, nempe ut redeat in cœlum, unde uenerat.

Ex hoc.) ἐκ τούτου, id est, Ex eo, ut subaudias tempore.

Diabolus est.) Miror hic placuisse uocem Græcam. dicere poterat, Delator est, siue calumniator est. Sic enim designat Iudam proditorem. Et tamen nos reliquimus diaboli uocē, quod uiderimus Chrysostomum, diabolum propemodum interpretari pro Satana.

IN Galilæa est & in Iudæa.) ἐν γαλιλαίᾳ, & ἐν ἰουδαίᾳ. Nam ambulare positum est pro uersari. Quod genus est illud: Cum bonis ambula, pro eo quod erat, Cum bonis uiris habe consuetudinem. Hoc sanè loco Chrysostomus unus omnium, quos uiderim, uariat lectionem. Non enim legit, Non uolebat in Iudæa ambulare, sed non poterat in Iudæa ambulare. Quod quo magis perspicuum fiat, ipsius uerba subscribam: Post hæc ambulabat Iesus in Galilæa. Non enim habebat potestatem in Iudæa ambulare. Atque ut palàm fit Chrysostomum Euangelistæ uerba recensere, præmiserat, quod his uerbis Euangelista significat, moxq; subiecit, Quid dicis beate Ioannes, non enim habebat potestatē in Iudæa ambulare, qui potest omnia quæ uult? &c. Ac mox, Quum enim eum non habere potestatem dicit, tanquam de homine qui humana operaretur dicit. Ex his palàm fit Chrysostomum non legisse ἤθελε, sed εἶχεν, quod infinito additum sonat, poterat. Et offensus quispiam sententia, quod absurdum uideretur non potuisse illic uersari Iesum, qui, cum uisum esset, è mediis insidiantium manibus elabebatur, mutauit, εἶχεν in ἤθελεν, id est, ualebat in uolebat. Siquidem in Latinis uocibus facilis lapsus fuerat. Et à nobis hic error uideri poterat ortus, nisi tantus esset secus legentium consensus. Proinde nos rem lectoris arbitrio relinquimus, licet grauis esse debeat Chrysostomi autoritas. In Theophylacto legitur ἤθελεν, etiamsi ex interpretatione non satis liquet quid legerit. Quin subodorari licet, & Augustinum legisse ualebat, quum ait non ipse perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem.

Non uolebat pro non ualebat.

Habeo pro possum.

Scenopegia. Scenophegia.) σκηνοπηγία, scenopegia. Quæ uox composita Græcis, dicta est à figendis tabernaculis. Nostri perperam addunt aspirationem, quam Græca dictio respuit.

In palam. Et quærit in palàm esse.) καὶ ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, id est, Et quærit ipse in libertate esse, hoc est, libere & audacter loqui. Quanquam iuxta Chrysostomi interpretationē ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, planè uidetur usurpatum pro celebrem esse, quod cognati illius iudicarent hoc ad gloriam eius facere, ut declararet se mundo. Porrò an reperiatur apud probos autores In palàm, sicut in coràm, alijs excutiendum relinquo.

Nondum ascendo. Ego enim non ascendam.) ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω, id est, Nondum ascendo, alioqui mentitus uideri poterat, qui se negarit ascensurū, cum tamen ascenderit, Idq; palàm indicauit Chrysostomus, ne cui nostra leuis sit autoritas. In exemplaribus Donatiani scriptum erat: Ego enim nondum ascendam. Rursus in uetusto exemplari quod habebatur Louanij in collegio Canonicorum Martinensium: consentiebat codex constantiensis.

Murmur multus.) γογγυσμὸς πολὺς, id est, Murmuratio multa, siue murmur multum, ut legit Augustinus.

Nemo tamen palàm loquebatur.) παῤῥησίᾳ ἐλάλει, id est, Libere loquebatur.

Iam autem festo mediante.) Vtinam tam feliciter, quàm audacter interpres expressisset uocem Græcam μεσούσης, id est, Mediante. Cæterum Latine dicendum erat, Cum dimidiū festi peractum esset, aut Circa medium festi.

Propterea Moses dedit uobis circuncisionem. In superiore loco est legis, hic circuncisionis mentio. Hoc admoneo, quod in Latinis aliquot codicibus hic quoque habebatur legem.

χολᾶμ. Mihi cur indignamini.) ἐμοὶ χολᾶτε, id est, Mihi succensetis. & cur aduerbium, non additur, nec in Græco, nec in antiquis exemplaribus, ne in aureo quidem codice, tantum est, Mihi indignamini.

Nolite iudicare secundum faciem.) κατ' ὄψιν, id est, Secundum aspectum, hoc est, uulgari more, nimirum ex his quæ corporalibus cernuntur oculis. Augustinus sermone de uerbis Apostoli decimonono citat hoc modo, Nolite iudicare personaliter, sed iustum iudicium iudicate. Quanquam Græcis non est κατὰ πρόσωπον, & tamen πρόσωπον, ab aspectu dicitur.

Ecce palàm.) ἰδοὺ παῤῥησίᾳ λαλεῖ, id est, Libere loquitur, siue audacter loquitur. Omissa est nobis coniunctio καὶ, quæ tamen uim habeat aduersatiuam, quemadmodum paulo sur perius, Et in sabbato circumciditis hominem. Ne quis admiretur, tamen, à nobis additū, quo proprietatem sermonis magis explicaremus.

Nunquid

Nunquid uere cognouerunt quia hic est Christus.) In nonnullis Græcorum exemplaribus repetitur uere ἀληθῶς, Num uere cognouerunt hunc esse uere Christum? Ad eum quidem modum legit Theophylactus. Cæterum apud Chrysostomum non additur.

Ego scio eum & si dixero, &c.) Græca sic habent, ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτὸν, ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, κἀκεῖνός με ἀπέστειλεν, ἐὰν εἴπωμεν οὖν, id est, Ego uero noui eum, quia ab eo sum, & ille me misit. Quærebant igitur, &c. Antiquissimi codices propemodum cõsentiunt cum Græcis. Nam sic habent, Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse misit me. Quærebant ergo eum apprehendere. Proinde consentaneum uero est, ea uerba, Et si dixero, quia non noui eum, ero similis uobis mendax, è fine proximi capitis huc transscripta fuisse à studioso quopiam conferente loca, moxq; à parum attento in cõtextum relata, quum nec Augustinus nec Chrysostomus in commentarijs suis attingant hanc particulam. *Additum aliquid.*

In dispersionem gentium iturus est.) ἑλληνισμὸν, id est, Græcorum, quod tamen aliquoties pro quibusuis gentibus usurpat. Vt paulo post, Docturus gentes, τοὺς ἕλληνας, id est, Græcos.

Qui credit in me, sicut dicit scriptura.) Ita distinguit Ioannes Chrysostomus, ut Sicut dicit scriptura, referatur ad uerbum credit in me. Et id quod sequitur: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ, uerba sint Christi, & non scripturæ, ut hic sit sensus, scriptura monet ut mihi credatur. Nam de me testificatur. Ergo qui crediderit in me, iuxta quod scriptura monet, futurum est, ut ille concepto spiritu meo effundat flumina efficacis doctrinæ. Id apertius etiam tradit Theophylactus, admonens ut ita distinguamus, Qui credit in me sicut dicit scriptura, & interposito puncto, subijciantur, flumina de uentre eius, &c. quasi moneat ipsi credendum, ob scripturas potius hoc iubẽtes quàm propter miracula. Ad hanc distinctionem confugit Chrysostomus, quod ea uerba quæ sequuntur, nusquam legantur in diuinis literis. Etiamsi Lyranus ex Solomone citata putat, sequutus opinor autoritatem Hieronymi, qui in prologo super pentateuchum, indicat hunc locum non esse in libris à Septuaginta uersis, sed ex Hebræorum fontibus petendum. Idem apertius etiã affirmat in prologo Paralipomenon. Thomas coniectat locum esse Prouerbiorum capite quinto: Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Verum hanc coniecturam ipsa refellit res, cum enim interpretatio Septuaginta, nihil hic dissentiat à nostra æditione ecclesiastica, cõsequitur, ut aut hic non sit locus de quo sensit Hieronymus, aut translatio qua utitur ecclesia, non respondeat Hebraicæ ueritati. Sic enim legunt Græci, ὑπερεκχεῖσθω σοι τὰ ὕδατα ἐκ σῆς πηγῆς, εἰς δὲ σὰς πλατείας διαπορευέσθω τὰ σὰ ὕδατα, id est, Effundantur tibi aquæ, è tuo fonte, & in plateas tuas diriuentur tuæ aquæ. Proinde aut Chrysostomo subscribẽdum est, aut alius quærendus locus. Quin et Augustinus sic enarrat hunc locum, ut hæc uerba tribuat Christo, Qui crediderit in me. Scribit enim hunc in modum: Vnde enim dixerit dominus, Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat, & qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ, consequenter exposuit Euangelista dicens. Augustinus dominum loquentem facit, de citata scriptura nulla mentio. Cæterum quod Carrensis uelut ex Chrysostomo autore mutat aquam uiuam, in fontem uiuum, quid sibi uelit, ipse uiderit. Nihil enim huiusmodi reperies apud Chysostomum, uerum is ex alio loco citat, Fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. *Locus obscurus explicatus.*

Nondum erat spiritus datus.) Pro datus, Græce est, sanctus, nec additur datus. Cæterum offensus quispiam prima sermonis fronte, quasi spiritus sanctus aliquando non fuerit, pro sanctus fecit, datus. Atqui nihil erat periculi. Agit enim non de substantia spiritus sancti, uerum de illo munere & afflatu, quo apostoli subito mutati sunt in alios uiros. Atq; id propemodum licet ex Chrysostomi uerbis colligere. Quanquam apud hunc semel atq; iterum repetitur spiritus datus, quemadmodum & apud Theophylactum, consentientibus & uetustissimis exemplaribus Latinis. Itaque super hac re nihil pronuncio, nisi in Græcorum codicibus constanter haberi scriptum, Nondum enim erat spiritus sanctus. Certe Theophylactus, cuius exemplar est apud prædicatores Basilienses, planè legit spiritus sanctus, & interpretatur, Non erat, id est, Non erat datus. Imò si quis attentius legat Augustini commentarium, comperiet & ipsum legisse quemadmodum comperimus scriptum in Græcorum uoluminibus. Etiamsi scriba subinde admiscet datus. Sic enim mouet quæ- *Supereſt aliquid.*

ſtionem: Sed quid eſt quod ait, Non erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorifica/tus? In euidenti eſt intellectus. Non enim non erat ſpiritus dei qui erat apud deum, ſed nondum erat in eis qui crediderant in Ieſum. Ita enim diſpoſuit dominus Ieſus, non eis dare ſpiritum iſtum, de quo loquimur, niſi poſt reſurrectionem ſuam, & hoc non ſine cauſa. Ac mox mouet alteram quæſtionem, quomodo negetur fuiſſe ſpiritus dei in ſanctis, cum legamus prophetas, Simeonem, Annam uiduam, non caruiſſe ſpiritu ſancto, Zachariam repletum ſpiritu ſancto, in uirginem matrem deſcendiſſe ſpiritum ſanctum. Ad quam ita reſpondet, ut fateatur eundem quidem fuiſſe ſpiritum, ſed modum donationis fuiſſe diuerſum. Quod ſi Auguſtinus legiſſet datus, nullus erat locus priori quæſtioni. Neq; ſecus legiſſe uidetur Origenes. Sic enim ſcribit, Neq; enim uenerat ſuper aliquem ipſorum credentium in Ieſum ſpiritus ſanctus, ſicut teſtatur Ioannes. Spiritum ſanctum audis, dati nulla mentio. Ego arbitror primam ſcripturam, nec datus habuiſſe, nec ſanctus, ſed ſanctus adiectum à Græcis, datus à noſtris. Annotandum & illud quod apud Græcos hic non additur articulus, ſed eſt πνεῦμα ἅγιον, quod ut dixi non loquitur de natura ſpiritus, ſed de ſpiritus ui, ac perinde ſonat, non erat ſpiritus, id eſt, diſcipuli adhuc erant carnales.

Ex illa ergo turba.) πολλοὶ οὖν ἐκ τοῦ ὄχλου ἀκούσαντες, id eſt, Multi igitur de turba cum audiſſent.

Maledicti ſunt.) ἐπικατάρατοι, id eſt, Deuoti ſiue execrabiles.

Scrutare ſcripturas.) Scripturas apud Græcos non additur, ne apud Chryſoſtomum quidem, quanquam non omnino perperam additum eſt. Tametſi poteſt idem & aliis cõiecturis exquiri præter ſcripturas. Tantum eſt ἐρεύνησον. Græcæ lectioni ſuffragantur codices ſancti Donatiani, & conſtantienſis.

Ex Galilæa propheta non ſurgit. οὐκ ἐγήγερται, ideſt, Non ſurrexit, ſiue exortus eſt, ut intelligas neminem exortum. Atq; ita legit Chryſoſtomus. Colligũt enim ex præteritis quod futurum eſt. In Auguſtini commentarijs legitur ſurget, ſed adiecit, Sed dominus prophetarum inde ſurrexit, quaſi legerit & ipſe ſurrexit.

Et reuerſi ſunt unuſquiſq; in domum ſuam.) Hæc clauſula nõ additur apud Chryſoſtomum, ne apud Theophylactum quidem.

EX CAPITE OCTAVO.

Hiſtoria de muliere adultera in multis non eſt.

ADducunt autem ſcribæ & phariſæi mulierem.) Hiſtoria de muliere adultera, non habetur in pleriſq; Græcis exemplaribus. In nonnullis adiecta erat in calce. Atq; adeo Chryſoſtomus nullam facit huius mentionem, ediſſerẽs euangelium Ioannis, legens hoc contextu, Scrutare & uide, quia à Galilæa propheta non ſurgit. Rurſum igitur Ieſus illis loquutus eſt, dicens, Ego ſum lux mundi, &c. Et ad eundem modum legit Theophylactus, cum alioqui perpetuam in totum Ioannis euangelium commentationẽ ſcripſerit. Tametſi diuus Auguſtinus hunc locum & enarrat in commentarijs, & ſubinde citat in operibus ſuis. Quin & diuus Hieronymus in dialogo aduerſus Pelagianos ſecundo, cum uehementer egeret huius teſtimonio loci, quo quidem in caſu ſolet & ex apocryphis adducere teſtimonia, tamen hanc allegans hiſtoriam, ingenue fatetur, non in omnibus haberi codicibus. In euangelio, inquit, ſecundum Ioãnem, in multis & Græcis & Latinis codicibus inuenitur de adultera muliere, quæ accuſata eſt apud dominum. Euſebius Cæſarienſis eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro tertio, indicat hanc hiſtoriam de muliere adulterij delata apud dominum, additam euangelio Ioannis, ex euangelio quod inſcribitur ſecundum Hebræos. Arbitror autem Euſebium ſentire de euangelio apocrypho Nazoræorum. Alioqui ſi hæc hiſtoria haberetur in euangelio quod ſcripſiſſe creditur Matthæus, illuc potius reſtituenda erat, unde fuiſſet decerpta. Nec Hieronymus rem tantam diſſimulaſſet. At fieri potuit, ut quod ab euangelio Ioannis perierat, in apocrypho extaret, aut ut Ioannes poſt hanc partem adiecerit euangelio ſuo. Itaq; factum, ut in quibuſdam codicibus haberetur, in quibuſdam non haberetur. Poſtremo fieri potuit, ut in apocryphis multa uera referantur. Ex ueris igitur hanc hiſtoriam adiectam, quæ iam autoritatem habet: non quod in apocryphis ſcripta fuerit, ſed quod eam Papias è ſuo doctore audierit, quodq; hanc eccleſiæ conſenſus, ut euangelio dignam comprobarit. Proinde nos, quoniam iam ubiq; recepta eſt, præſertim apud Latinos, noluimus ſuo mo-

ſuo mouere loco, maxime cum & nos in uno quodam exemplari Græco partẽ hanc aſſcriptam compererimus. Et ſatis liquet in ijs exemplaribus, quibus uſus eſt Laurentius nõ abfuiſſe, uel hoc argumento, quod unum atq; alterum huius hiſtoriæ locum excutit.

Deprehenſa eſt in adulterio.) κατειλήφθη ἐπ' αὐτοφώρῳ μοιχευομένη, hoc eſt, Deprehenſa eſt in ipſo facto cum adulteraretur. φωρᾶν enim eſt deprehendere in facinore ipſo. Et huiuſmodi deprehenſionem αὐτοφώρου appellat.

Sine peccato eſt.) ἀναμάρτητος. Quod non ſolum ſignificat eum qui nõ peccauit, ſed qui peccare non poſſit, ut indicauit Hieronymus in dialogis aduerſus Pelagium. *Sine peccato. ἀναμάρτητος*

Audientes autem hoc unus poſt unum.) Græca diſſonant, οἱ δὲ ἀκούσαντες καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, ἐξήρχοντο εἷς καθεὶς, id eſt, At illi cum audiſſent, & à conſcientia redarguerentur, exierunt ſingillatim. Quanquã aliter legit Valla. Et ſecus habet æditio Aldina.

A ſenioribus.) Addunt hic Græci quidam codices ἕως τῶν ἐσχάτων, id eſt, Vſque poſtremos.

Et remanſit ſolus.) κατελείφθη, id eſt, Relictus eſt.

Forſitan & patrem.) Rurſum coniunctionem ἆρα uertit in forſitan, cum id Chriſtus affirmet potius quàm uocet in dubium. Auguſtinus offenſus aduerbio, monet forſitan hic non eſſe dubitantis ſed increpantis.

Vos deorſum eſtis. ἐκ τῶν κάτω, id eſt, Ex inferis, ſiue, Ex ijs, quæ inferne ſunt. Antiqui libri habent, Vos de deorſum eſtis. Ac mox, ἐκ τῶν ἄνω, id eſt, è ſupernis, quod articulus additus aduerbio uim habeat nominis adiectiui.

Principium qui & loquor.) Principium, non eſt hic nominatiui caſus, ut Chriſtus dixerit ſe eſſe principiũ, nec accuſatiui, id quod diuus exiſtimat Auguſtinus, propterea quod non cohæreat cum ijs quæ præcedunt, ſed aduerbium. Sic enim Græci dicunt τὸ ἀρχήν, pro primo, ſeu principio: quemadmodum τέλος pro poſtremo, aut denique aduerbialiter. ut ſubaudias præpoſitionem κατά. Nec eſt Græce qui ὃς, ſed ὅτι, id eſt, quia, uel quod. Quanquam his quoque cognitis, ſenſus apud Græcos nonnihil habet ambiguitatis. Poteſt enim hic eſſe ſenſus, ut rogatus Ieſus quis eſſet, reſponderit, Hoc primo loco dicam, is ſum qui loquor uobiſcum. Nam cætera de me indigni eſtis qui audiatis. Aut ſi legimus ὅτι, non ὃς, ut conſtanter habent Græci codices, aſſentientibus & latinis aliquot exemplaribus, in quibus ſcriptum eſt, Principium quia & loquor uobis, poteſt hic eſſe ſenſus, Primum id ſum, quod etiam dico uobis. Non explico quicquid ſum indignis, hoc primum dico, me miſſum eſſe à patre, & præconem uitæ, id quod iam dudum dico uobis. Siquidẽ Græca uox ὅτι anceps eſt, ad quod nomen, ſi aſſcribas diaſtolen, ὅ, τι, & quia coniunctionem, ſi ſubnotaris ὑφέν. Poteſt accipi tertius quoque ſenſus, ut hæc cohærent cum his quæ proxime ſequuntur, Multa habeo de uobis dicere. primum ob id ipſum quod loquor uobis, quo beneficio uos præbetis indignos. Multa habeo quæ de uobis dicam, hoc eſt, multa ſunt de quibus uos accuſem & condemnem, plura habiturus, ſi dicam quis ſim, nimirum deus & homo. Nam id acceſſiſſet illis ad cumulum impietatis, cum hæc ipſa quæ audierant, inflamment illos ad conſilium occidendi. In hunc fermè ſenſum ediſſerit Chryſoſtomus, & hunc ſequutus Theophylactus. Quorũ uterq; ſic accipit, ut Chriſtus nihil reſpondere dignatus ſit ad id quod interrogarãt, Tu quis es? ut qui digniores eſſent, qui audirẽt quid ipſi eſſent, nimirum impij, rebelles, ſcelerati, quàm quis eſſet Chriſtus, cui inſidiabantur. Id quo lectori ſit exploratius, Chryſoſtomi uerba ſubſcribam. Principium quia & loquor uobis, hoc eſt, ſanè indigni eſtis qui ſermones meos audiatis, & qui ſim intelligatis. Vos ut me tentetis ſemper loquiminí, mihi autem non attenditis, & in omnibus uos reprehendere nunc non poſſum. Hoc enim ſignificat, Multa habeo de uobis loquí & iudicare. Expende lector num & hunc in modum accipi poſſit, ut hæc pars, Principio quod & loquor uobis, pertineat ad ea quæ præceſſerunt, In peccatis ueſtris moriemini, &c. Primũ ob hoc quoque ipſum quod hæc loquor uobis. Quod ſi quid ſuffragarentur exemplaria, uideo commode poſſe legi hoc pacto, τὸ ἀρχὴν ὃ καὶ λαλῶν ὑμῖν, ut ſit ſenſus, Principio ſum ille qui etiam loquor uobis, ſiue, qui loquitur uobis. Non quod autor eſſe uelim nouæ lectionis, ſed quo lectorem admoneam, ſi quid forte reperiat in exemplaribus bonæ fidei. Porrò quod additum eſt, Principio, quaſi plura ſit additurus, pertinet ad id quod ſequitur,

Principium. τὸ ἀρχὴν.

Varij ſenſus huius loci principium quia & loquor.

Chryſoſtomi ſententia.

Augustini sententia pensitata.

Multa habeo de uobis dicere & iudicare. Cæterũ diuus Augustinus huc detorquet hunc locum, ut hæc uerba, Tu quis es, perinde ualeant ac si dixissent, Quem te esse dicis, aut quẽ te esse credimus? Et quasi sic interrogassent, Christus respõdit, Principium quia & loquor uobis. Quæritis quid debeatis credere? credite me esse principium. Quæ quidem interpretatio utinam tam esset apposita, quàm ille frequenter eam inculcat ac repetit, uelut assueratione molliens quod re durius erat. Quãquam illud certe sensit, principium hoc in loco fœminini generis esse, casus accusatiui. Quod ni sensisset, nullo scrupulo offenso, statim pronunciasset, Tu quis es, responsum esse, sum principium. Etiamsi me non fugit, Ambrosium hunc locum adducere iuxta Augustini opinionem, libro Hexaemerõn primo, capite secundo. Sicut, inquit, in euangelio dei filius, dicentibus sibi tu quis es? respondit, initium qui & loquor uobis. & rursus quarto. Et illud in euangelio præcipue, quod interrogatus dominus quis esset, respondit, Initium, quod et loquor uobis. Idem de fide libro tertio cap. quarto. Nec de principio residet aliquid quæstionis, quum interrogatus in carne Tu qui es, responderit, principium qui & loquor uobis. Ambrosius non consuluit Græca, & ideo non sentit scrupum, Augustinus quia consuluit torquetur, sed quod adfert, de casu accusandi plane durum est, & à nemine Græcorum annotatum. Coactius mihi uidetur & illud quod addit, Quia & loquor uobis. Nã ex sensu colligo eum quia, legisse nõ qui. Ait enim, Et addidit, Qui & loquor uobis, id est, quia humilis propter uos factus, ad ista uerba descendo. Nam si principium sicuti est, ita maneret apud patrem, & non acciperet formam serui, & homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile uerbum sine uoce sensibili audire non possint? Ergo, inquit, credite me esse principium, quia ut credatis non solum sum, sed & loquor uobis. Ex hisce uerbis satis liquet, Augustinum quia, legisse non qui: præsertim cum idem libro de Genesi ad literam referat hoc pacto, Principium, quod & loquor uobis, ut modo citauimus ex Ambrosio. Verum si fas est à tantis uiris dissentire, neutra interpretationis pars mihi probatur. Ambrosius aliud agens adducit hunc locum. Augustinus sedulo protulit in medium, quod tum ueniebat in mentem, mutaturus ni fallor, sententiam, si propius rem fuisset intuitus, aut si Græcorũ commentarios excussisset. Quamuis idem hunc Ioannis locum in eam sententiam citat, cum aliâs frequenter, tum in libro aduersus ἀνόμοιον legis aduersarium capite tertio, hinc colligens ac demonstrans Christum recte dici principium. Ac mihi uidetur Augustinus aliquoties in tuendis ijs quæ semel dixerit, paulo constantior quàm res postulat. Quod si huic puero Græcæ literæ tam dulces fuissent quàm erant Romanæ, nec ipse postea senex deplorasset adolescentiæ fastidium, & felicius diuinas literas tractasset, Græcorum libris adiutus. Magis autem admiror Ambrosiũ, qui pulchre Græce nosset, quiq; sacrorum uoluminum interpretationem ex Græcorum commentarijs haurire solet, hic cum Augustino consentire, atque ex hoc loco docere Christum recte dici principium, cum aliâs, tum libro de fide tertio, capite quarto. Quin & illud annotandum, neq; Chrysostomum, neq; Theophylactum quicquam hoc loco offendi, cum offenderetur Augustinus, opinor quod Græci sermonis formam agnoscerent, scirentq; πλὼ ἀρχλὼ aduerbij uice poni, quemadmodum οὐδ' ἀρχλὼ, pro nequaquam, & τέλῳ pro deniq;. Cæterum ut mihi grauis est Chrysostomi autoritas, ita interpretatio minus uidetur coacta. Vnus adhuc scrupus restare poterat, quod τέλῳ aut ἀρχλὼ, quoties aduerbij uim habent, incertum sit an soleant apud autores articulo præposito usurpari. Sed ad hunc modum usurpauit Gregorius Nazianzenus sermone de paschate, οὐκ ἐπιορκήσεις, ἐκεῖνῳ. σὺδὲ οὐδὲ ὁμῇ πλὼ ἀρχὴμ, id est, Non peierabis, ille, tu uero, nec iuraueris omnino. Et Galenus in libello de optimo docendi genere, ἀλλ' οὐδὲ δι' ἀσκαλὴμ πλὼ ἀρχὴμ ἐναργῶς οἶμαι δεδιδάχθαι, id est, uerum in nulla prorsus eruditione arbitror fuisse institutũ. Iã & in hoc laborat Augustinus quomodo Christus dicatur principiũ, cũ esse ab alio, pugnet cũ principij ratione. Pater enim simpliciter et absolute principiũ uocat.

Principium quia &.

Quomodo filius sit principium.

Absolute dico, nõ perfecte, cũ hæc appellatio perfecte cõpetat & in filiũ, sed ita ut nihil nominari possit, cuius non sit principium. Siquidẽ pater principiũ est omniũ & creatorũ & increatorũ. Filius patris certe principiũ dici nõ potest, ut neq; totius deitatis, quẽadmodũ sentit Augustinus. Quanq; Paulus in epistola ad Colossenses, eũ principiũ uocat nõ absolute, sed addens primogenitus ex mortuis, & paulo superius dixerat, Primogenitũ omnis creaturæ.

creaturæ. Et hic locus fuit impetitus atrocibus calumnijs. Ad quas quoniam abunde, ni fallor, responsum est nobis semel, atq; iterum ædito libello, neq; res paucis uerbis repeti potest, nolim hoc uolumen amplius onerare. Petat inde, si cui lubet exactius cognoscere.

Quia patrem eius dicebat deum.) Antiqui codices habent, Quia patrem eis dicebat. Nam in constantiensi recenti manu nescio quis addiderat deum, quum tamen locus non esset. Græci sic, ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν, Quod patrem eis dixisset, nec additur deũ. Sensus autem uidetur hic, non intellexisse Iudæos cum Iesus de patre loqueretur, quid uocaret patrem. Nam aliud quiddam uidebatur significare quàm quod uulgo patrem uocant. Neq; enim ignorare poterant, quod de patre loqueretur. Cum paulo ante manifeste de patre suo loquatur. Quin hæc fortasse sententia, ut est simplicissima, ita maxime probabitur eruditis, ut accipiamus Christum patrem eis dicere deum, pro eo quod erat, De deo patre loqueretur. Quem in modum intellexisse uidetur Chrysostomus: Cum multa diceret de patre suo, non intelligebant, illum de patre cœlesti loqui, cum eum pro homine simplici haberent. Receptus est enim & hic sermonis color, hunc dico, pro de hoc dico. *Patrem dicebat deum.*

Vere discipuli mei eritis.) Græce legunt ἐσέ, id est, Estis. Interpres legisse uidetur ἔσεσθε. Quemadmodum & hodie legitur in nonnullis. Et item paulo post, Vere liberi eritis. ὄντως ἐλεύθεροι ἔσε, id est, Vere liberi estis.

Et ueritas liberabit uos.) ἐλευθερώσῃ, id est, liberos reddet. Annotauit hoc loco & diuus Augustinus Græcæ uocis emphasim. Nam Latinis liberari dicuntur qui subducuntur à periculo, at Græca uox ad libertatem pertinet quæ seruituti opponitur. Item Latinis liber dicitur, qui periculum effugit, sed Græca uox ingenuum sonat, et nulli seruituti obnoxium. Id ita esse declarat Iudæorum stomachus, Nemini seruiuimus unquam.

Si filij Abrahæ estis.) εἰ τέκνα τοῦ ἀβραὰμ ἐστε, τὰ ἔργα τοῦ ἀβραὰμ ἐποιεῖτε, id est, Si Abraham filij essetis, opera Abrahæ faceretis, ut cohæreat cum eo quod sequitur, Nunc autem quæritis me interficere. Antiquissimus codex habebat facitis, non facite. Interpres legisse uidetur ποιεῖτε. Et hanc arbitror fuisse germanam lectionem. Ratiocinatur enim dominus ex signis reciprocis, siue ut Dialectici loquuntur, conuertibilibus. Si animal est sentit, si sentit animal est. Ponit enim hanc definitionem, Filius est qui patrem imitatur, si estis filij Abrahæ, utiq; facitis illius opera, si facitis, estis filij, sed non facitis, non estis igitur.

Sermo meus non capit in uobis) οὐ χωρεῖ, id est, non habet locum in uobis, quia uos non estis capaces illius.

Et uos quæ uidistis apud patrem uestrum facitis.) Chrysostomus in Catena aurea citatus, legit facite pro facitis, quod ποιεῖτε Græca uox sit ambigua. Atqui ita sensisse Chrysostomum nec ex ipsius interpretatione satis liquet, quæ nõ minus ambigua est quàm ipse contextus. Ex Augustino quid legerit non potest certo colligi.

Diligeretis utiq; me.) Cur hic non dixit, diligeretis forsitan? Nam eadem est cõiunctio ἄν eodem modo posita, quam toties uertit forsitan & forte.

Quia mendax est & pater eius.) καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Sermo quidem Græcis anceps est, sed interpretes referunt αὐτοῦ, non ad diabolum, sed ad ψεύστην, id est, mendacium. Ad eum modum interpretatur Chrysostomus ac Theophylactus. Diuus Hieronymus, in explanationibus Esaiæ, atque item diuus Augustinus, Vt sit omnis homo mendax. Cæterum diabolus mendacij pater, qui primus omnium mendacium produxerit: Eritis sicut dij. Ex hoc sanè Manichæi errorem suum hauserunt, ut diabolo darent patrem, opinor, mali principium, ut autor est diuus Augustinus. Porrò ut horum iure optimo detestor ineptiam, ita nonnihil obstat nostrorum interpretationi, quod apud Græcos additur articulus, ὁ πατὴρ, quo magis certus aliquis pater designatur. Verum hoc quicquid est, erudito lectori discutiendum relinquo. *Mẽdax et pater mendacij.* *ὁ πατὴρ.*

Arguet me de peccato.) Antiquissimi codices habent, arguit. Itidem & Græci ἐλέγχει, ut arguit positum sit pro, Possit me arguere, & arguere dixit, pro conuincere, non pro accusare. Nam id est ἐλέγχειν.

Inhonoratis.) In nonnullis erat ἀτιμάζετε, non ἠτιμάσατε, id est, Cõtumelia afficitis. Antiqui habent, inhonoratis, consentientibus Græcis quibusdam.

Ero similis uobis mẽdax.) Hinc erat transcriptum quod indicauimus additũ superius.

Nam

Nam hoc loco legit & interpretatur etiam Chrysostomus.

Quinquaginta annos non dum habes.

Quinquaginta annos.) Chrysostomus legit quadraginta, adijciens commenti uice, ac si iam propè accederet ad eam ætatem. Eaq; lectio magis mihi probatur, si modo codex mendo uacat, quem ego plane suspicor uitiatum à librarijs, præsertim quum Theophylactus plane legat quinquaginta, addens curiosum esse quærere quur maluerint dicere quinquaginta quam quadraginta, Sic enim in mentem ueniisse Iudæis. Non enim tam respiciebant ad ætatem Christi, quàm ad longitudinem temporis quod intercesserat ab Abrahã usq; ad Christũ. Nec est quod faciamus Christum senili fuisse uultu ob labores. Cuius sententiæ cum Carrensis autorem nominet Chrysostomum, demiror quem ille habuerit alium Chrysostomum à nostro diuersum. Mirum autem si Chrysostomus ipse secum pugnat. Sed ut dixi fieri potest, ut in Chrysostomo librarius ex quinquaginta fecerit quadraginta, præsertim cum tantus sit exemplariorũ consensus. Diuus Ireneus libro 2. cap. 39. & 40. legit quinquaginta, sed affirmat dominũ maiorẽ annis quadraginta prædicasse Euangelium. Idq; confirmat partim autoritate huius loci, partim eorũ qui prædicabant sese hoc ex ipso Ioanne euangelista audisse. Verum Eusebius libro 3. cap. 39. notat Papiã Ioannis euangelistæ discipulum, quod ex apostoli uerbis non satis intellectis tradiderit quædam unde data est alijs erroris ansa. Et inter hos numerat Irenæum. Addit ex Papiæ libris perspicuum esse eum uirum exigui fuisse ingenij.

Antequam Abraham fieret.) πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, id est, Priusquam Abraham esset, siue fuisset. Fortassis interpres uerterat, foret, quod librariorũ errore mutatum sit in fieret. Nos transtulimus Antequam Abraham nasceretur, ut distingueremus rationem qua est Abraham ab ea qua semper est Christus. Nã hoc loco philosophatur Augustinus, quod Abraham factus dicitur, Christus esse. At in eo non philosophatur Chrysostomus, sed in hoc duntaxat, quod in Abrahã usus est uerbo præteriti temporis, in Christo præsentis. Quomodo de se prædicat deus, Ego sum qui sum.

Abscondit se.) ἐκρύβη, id est, Occultatus est. Quanquam recte sensum expressit interpres & uitauit amphibologiam.

Et exiuit de templo.) Post hæc uerba nonnulli Græcorum codices habebant, διῆλθεν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτως, id est, Transiens per medium illorum, & præterijt sic. Quæ quidem uerba quando nec apud Chrysostomum reperio, nec apud Augustinum, nec in uetustis Latinorum exemplaribus, suspicor à studioso quopiam addita ex Lucæ cap. quarto, ubi Iesus simili modo elabitur è manibus Iudæorum. Aliquis igitur loca confinia conferens, quod alibi abundabat, alibi adiecit. Deinde ut quod sequitur cum superiore narratione connecteret, interposuit, Et sic præterijt, nimirum dilapsus inter eos, qui uitæ illius insidiabantur, quod sequitur, Præteriens autẽ. Proinde non ueriti sumus hæc ceu superuacua prætermittere, etiamsi Theophylactus & legit & interpretatur exponens, sic, id est, facile.

Additum aliquid aliunde.

EX CAPITE NONO.

ET præteriens Iesus.) Iesus in uetustis Latinorũ exemplaribus non additur.

Hic aut parentes.) An parentes dicendum erat, non aut. Nã aut disiungit, an interrogat, & ita legit diuus Augustinus. Porrò Græca uox ἢ anceps est ad aut & an.

Et liniuit.) καὶ ἐπέχρισε, Illeuit, siue inunxit.

In natatoria.) εἰς κολυμβήθραν, id est, in piscina. Nam sic ante uerterat. Sonat autem natatorium, ut antea admonuimus.

Siloe missus.

Quod interpretatur missus.) שִׁלֹחַ Hebræis mittere, inde שְׁלוּחַ.

Vicini qui uiderant.) Addenda est coniunctio, Et qui uiderãt, consentientibus antiquis & Græcis exemplaribus. Viderãt eum qui uicini non erant.

Cæcus, pro mendicus.

Quia mendicus erat.) ὅτι τυφλὸς ἦν, id est, Quod cæcus esset. Quanquam Augustinus legit mendicus, non cæcus, consentientibus peruetustis Latinorum codicibus, quos quidem uiderim omnibus. Proinde mihi πτωχὸς magis arridet quàm τυφλός, præsertim cum appositius sit ad sensum. Ob id enim notus erat cæcus ille, non quod cæcus esset, sed quod publice mendicus, & mendicus legit Theophylactus.

Et abij

Et abij & lauí.) ἀπελθὼν δὲ καὶ νιψάμενος ἀνέβλεψα, id eſt, Cum abijſſem autem & lauiſſem, recepi uiſum.

Et uideo. (νῦν) ἀνέβλεψα, id eſt, Et uiſum recepi. Ac mox,

Quomodo uidiſſet.) πῶς ἀνέβλεψεν, id eſt, Quomodo uiſum recepiſſet. *Video. ἀνέβλεψα.*

Schiſma erat.) χίσμα Græca uox eſt, diſſenſionem poterat uertere. Nam hoc ſignificat ſchiſma, ſiue diuiſionem ſiue diſſidium. paulo poſt uertit diſſenſionem, alibi ſciſſuram.

De eo quí aperuit tibi oculos.) Græce eſt, ὅτι ἤνοιξεν, id eſt, quia aperuit. ut ſit ſenſus, Quẽ tu putas eſſe illum, ex hoc quod, ut dicis, aperuerit tibi oculos? *Qui, p quia.*

De ſe loquatur.) λαλήσει, id eſt, Loquetur, futuri temporis.

Extra ſynagogam fieret.) ἀποσυνάγωγος, id eſt, Alienus à congregatione, quod nũc uulgo uocant excommunicatum.

Maledixerũt ergo ei.) Nõ eſt hic male precati ſunt. ſed ἐλοιδόρησαν, id eſt, Cõuiciati ſunt.

Peccatores deus nõ audit.) Quod hic tranſtulit audit, idem mox uertit exaudit. Si quis dei cultor eſt, & uoluntatem eius facit, hunc exaudit. Hoc admonendum duxi, ne quis Græci ſermonis ignarus, putet hic latere myſterium, in quo explicando ridicule tumultuetur. uerum ita libuit interpreti ludere, tametſi in re plus quàm ſeria. *Audit, exaudit.*

Non poterat quicquam.) οὐκ ἠδύνατο, id eſt, Non potuiſſet, ſiue non poſſet. Pro οὐδέν addidit quicquam, neceſſario recedens à Græcis uerbis.

Peccatum ueſtrum manet,) Igitur deeſt, ἡ οὖν ἁμαρτία, id eſt, Peccatum igitur, nimirum ob id quod cum ſitis cæci, uobis tamen oculati uidemini.

EX CAPITE DECIMO.

IN ouile ouium.) εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, id eſt, In ſeptum, ſiue ſtabulũ ouiũ. Alioquí cum ouile nõ poſſit eſſe niſi ouium, ſuperuacaneũ erat addere ouiũ. Cæterum αὐλὴ & aliarum pecudum poteſt eſſe. Nã αὐλὴ nonnunquam atriũ, nonnunquam manſionem, aliquoties ſeptum ſignificat. *Ouile ouium perissologia.*

Quid loqueretur eis.) Trifariam hic locus habetur apud Græcos, οὐκ ἔγνωσαν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς, id eſt, Non intelligebant quæ loquebatur ipſis. Aut οὐκ ἔγνωσάν τινα, ἢ ἃ ἐλάλει αὐτοῖς, id eſt, Non ſciebant ulla, niſi quæ loquebatur illis. In quibuſdã ita ſcriptũ erat, οὐκ ἔγνωσαν, τίνα ἦν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς, id eſt, Non cognouerunt quæ eſſent quæ loquutus eſſet ipſis. *Diuerſa lectio.*

Hoc prouerbium.) παροιμίαν. Prouerbium parabolæ loco uidetur uſurpaſſe, quod plerag; prouerbia metaphoram habeant admixtam.

Ego ſum paſtor bonus. ὁ ποιμὴν ὁ καλός. Vtrig; nomini ſuum addidit articulũ, Ego ſum paſtor ille bonus, ſiue egregius. *Articuli uis.*

Quotquot uenerunt.) Græci πρὸ ἐμοῦ, id eſt, ante me, Quod tamen additum uideri poteſt ab exponere uolente locum hunc.

Et non pertinet ad eum de ouibus.) νῦν οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων, id eſt, Non curat oues, aut Non eſt illi cura ouium. Poteſt enim ad nos pertinere, quod tamẽ curæ non ſit.

Cognoſcunt me meæ.) γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν, id eſt, Cognoſcor à meis, etiamſi laudo quod fecit interpres.

Oportet me adducere.) ἀγαγεῖν, id eſt, ducere, quod interpretatur Theophylactus congregare, Nam uterq; grex carebat paſtore.

Fiet unum ouile & unus paſtor.) Primum perijt nobis uenuſtas Græcanici ſchematis quod ſitũ erat in ποιμνὴ & ποιμὴν, id eſt, Ouili & paſtore, utcunq; reddi poterat, unũ ouile, & unus opilio. tametſi Græcis ποιμνὴ magis grex eſt q̃ ouile, autore Valla. Et in nonnullis exẽplaribus Græcis non additur cõiunctio, &, uerũ eſt, Fiet unũ ouile, unus paſtor. Quanq̃ & illud, Et unus paſtor, uideri poteſt adiectitiũ, cũ nõ attingat Chryſoſtomus hunc ediſſerens locũ ac ne Auguſtinus quidẽ. Etenim cum ſe deſignarit unum paſtorẽ, nihil reſtabat niſi ut fieret unũ ouile, Gentibus ac Iudæis in unam religionem conſpirantibus. Theophylactus tamen legit ut nos legimus, Vnũ ouile & unus paſtor, atq; etiam interpretatur.

Diſſenſio iterum facta eſt.) Et hic χίσμα eſt.

Facta ſunt encænia,) id eſt, Initialia, ut uerbum uerbo reddam, à καινὸν nouum, ἐγκαινόω, innouo, initio, dedico. Sacer apud Iudæos dies ob memoriã inſtaurati tẽpli, poſt diutinã in Perſide captiuitatem. Scribendum eſt autem encænia per æ diphthongum, quod κενὸν *Encænia.*

per

Taxatus Carrensis. per epsilon Græcis sonat inane. Quanquam inuitus occupo lectorem, & chartas huiusmodi nænijs impleo, tamen haud mihi tempero, quin uel animi causa referam quàm bellã huius uocis etymologiam adferat Hugo Carrensis, cuius homo suauis antepenultimam syllabam per e uult scribi encenia, quæ composita sit ab en, quod est in, & neos nouum: & ce adiectio est illi intensiua. Nihil mirum est quosdam hæc nescire. Illud mirum inueniri tam impudentes, qui quod prorsus non intelligunt, non uereantur tanta cũ autoritate docere.

Animam nostram tollis.) Quũ Græce sit αἴρεις, miror quur interpres Chrysostomi pro tollis uerterit, perdis, quum hic sonet suspendis.

Dic nobis palàm.) παῤῥησίᾳ, id est, Libere, siue ingenue. Quanq̃ id non male uertit hoc (sanè loco.

Loquor uobis.) εἶπον ὑμῖν, id est, Dixi uobis.

Quia non estis ex ouibus meis.) Hic addunt Græci, quemadmodum dixi uobis, καθὼς εἶπον ὑμῖν, licet refragantibus magno cõsensu Latinorum exemplaribus. Apparet adiectũ à studioso quopiam, quod idem dixisset aliquanto superius.

Non peribunt.) καὶ οὐ μὴ ἀπόλωνται, id est, Et nõ pereant. nisi quod ἀπόλωνται δυνητικῶς positum uidetur, quemadmodum & aliâs uidere est, οὐ μὴ, geminatum subiunctiuo iunctum potentialem modum efficere.

Duplex lectio. Pater quod dedit mihi.) Secus habẽt Græca, ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι μείζων πάντων ἐστὶν, id est, Pater qui dedit mihi maior omnibus est, siue maximus omnium est. Siquidem hoc argumento probat neminem esse, qui poterit oues rapere de manibus patris, quod potentior sit ad seruandum quàm aduersarius ad eripiendũ. Ita legit Chrysostomus, & huic concinens Theophylactus. Quanquam Augustinus diuersam sequitur lectionem. Et facilis est lapsus in Græcis dictionibus μείζων ac μέζον, et ὃ & ὅς. Iuxta lectionẽ Augustini, potest accipi de ecclesia, cuius aduersarij plurimi sunt, sed maior est uirtute pusillus ille grex, nõ ex sese, sed quia pater dedit filio.

Sustulerunt ergo lapides.) Græci addunt πάλιν, id est, Iterum.

Soluere, pro explicare. Et nõ potest solui scriptura,) Soluitur quod destruitur, & soluitur quod explicatur, quẽadmodum apparet hoc loco accipiendũ. Quanquam obscurior & confusior est aliquanto sermo totus. Proinde dilucidius ita reddi poterat: Si illos uocauit deos ad quos sermo dei factus est, & nõ potest solui scriptura? ut hic sit interrogatio. Deinde subijciamus, Me quẽ pater sanctificauit & misit in mundũ, uos dicitis blasphemare quod dixerim, filius dei sum. Aut hoc modo, Et non potest solui scriptura, subaudi, de eo quem pater sanctificauit & misit in mundum. deinde altero initio sequatur, Vos me dicitis blasphemare, quod dixerim, filius dei sum. Potest & hunc in modum accipi, Nonne scriptum est in lege uestra, ego dixi dij estis, & non potest solui scriptura: ut sit sensus, si hoc scriptum est in lege, & quod scriptum est, uerum sit oportet &c. In eum certe sensum refert Hilarius in psalmum cliiij. Rursus lib. de trin. 7. Cum enim, inquit, lex huius nominis appellationem sanctis hominibus decerneret, & sermo dei indissolubilis confirmaret, hanc impartiri nominis professionem. Item in psalmo. Sed dominus inquit in euangelijs nos errore nuncupationis huius liberauit dicẽs, Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes, Et adiecit, Si ergo illos dixit deos ad quos uerba dei facta sunt, & nõ potest solui scriptura, indissolubilis dei sermo est, homines deos nuncupãtis. Sic igitur est ordinandus sermo, Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & quod scriptum est falsitatis argui non potest, quomodo uos me quẽ pater sanctificauit & misit in mundum, dicitis blasphemare, eo quod dixi me esse filium dei. Quidam codices addunt coniunctionem, &, Et uos dicitis, ea perturbat sensum, nec est apud Græcos nec in uetustis Latinorum codicibus. Cyprianus adducens hunc locum libro aduersus Iudæos cap. quinto non addit scriptura.

Quærebant eum apprehẽdere.) Et hic addũt πάλιν, id est, Rursum, qđ ante tẽtarint idẽ.

EX CAP. VNDECIMO.

ET Marthæ sororis. αὐτῶν, ut eius ad Mariam referatur, nõ ad Lazarũ. Quanquam et harum frater erat Lazarus. Quidam codices habebant sororum, sed reclamantibus Græcis atq; etiam nostris uetustioribus.

Et Lazarus à Bethania.) Latinius erat Bethaniensis, etiamsi apud Græcos non additur articulus ὁ ἀπὸ βηθανίας.

Vt glo

Vt glorificetur filius dei per eum.) δι αὐτῆς, id est, Per eam, ut pertineat ad infirmitatem, non ad Lazarum. Atq; ita legitur & in Latinis codicibus emendatioribus, nominatim in exemplari Corsendoncensi & Constantiensi. In codice aureo scriptum erat, filius hominis, pro filius dei, consentiebat Constantiensis.

Nõne duodecim horæ sunt diei.) Quanq; hoc extra huius operis institutum esse uideo, tamen quando incidit, libet admonere, mihi hoc loco ueterum interpretationem coactiorem uideri, cum germanus sensus in promptu sit. Augustinus Christum interpretatur diem, duodecim horas apostolos. Chrysostomus bifariam exponit: Aut nihil esse timendum ijs, qui sibi nullius flagitij conscij sunt, aut luce nihil esse timẽdum, multo magis his qui Christo, qui lux erat mundi adhærebant. Atq; in his quidem interpretationibus, ut nihil est absurdum, ita simplicius mihi uidetur, ut accipiamus Christũ dixisse, nihil adhuc esse periculi, nondum enim adesse tempus mortis suæ. Quemadmodum respondit ijs qui missi erant ab Herode, Hodie & cras oportet me operari, & tertio die cõsummor. Et passionis tempus, uocat potestatem tenebrarum, & horam impiorum. Dies habet suas horas, nec is nostro arbitrio fit breuior aut longior, & ego tẽpus habeo præscriptũ, quo debeam redimendi orbis negocium peragere. Id Iudæorum malicia non potest anticipari, proinde nihil est, quod mihi timeatis. Porrò suũ illud tẽpus & aliâs diẽ uocat: Optauit Abraham uidere diem meum, uidit & gauisus est. Theophylactus ab hac sententia minimum abest, qui diem uocat tempus quod præcessit passionem, noctem tempus quo captus est. Et apud nos dies æquinoctialis duntaxat habet duodecim horas, alijs temporibus uel plures uel pauciores, sed ut ante dixi, puto horas apud Iudæos fuisse inæquales, semp tamen inter exortũ & occasum intercessisse duodecim horas, & noctẽ siue longissimam siue breuissimam totidem horis fuisse distinctam, quum apud nos qui pares habemus horas, aliquando dies non habeat nisi octo horas, aliquando sedecim. Nec in quibus libet regionibus dies ac noctes eiusdẽ sunt longitudinis. Porrò qui inæqualibus horis utebantur à meridie, qui status est, sumebant certitudinem, cui respondebat μεσονύκτιον. *Duodecim horæ quid.*

Et moriamur.) Vt moriamur ἵνα ἀποθάνωμεν, cõsentientibus & antiquis exẽplaribus.

Multi autem ex Iudæis uenerant ad Martham.) τὰς πρὶ μάρθαν καὶ μαρίαν. Nõ agnoscit hoc loco Valla formam Græcanici sermonis, quo dicunt illi τοὺς ἀμφὶ πλάτωνα, pro Platone ipso. Non enim inuisebant eas quæ circa illas erant, sed ipsas in luctu cõstitutas, id quod palàm arguunt quæ sequuntur, Vt consolarentur eas de fratre suo. Vsus est simili forma sermonis in Actis apostolorum. *Proprietas Græci sermonis. Taxatus Valla.*

Vtiq; domine.) ναὶ κύριε, quod aliâs uertit, etiam.

Ego credidi quia tu es.) Frequenter admonuimus in huiusmodi uerbis ad affectum pertinentibus, præteritum tempus usurpari loco præsentis, γέγκθα, gauisus sum, pro gaudeo. ἐφοβήθην, metui pro metuo. ἤλπισα, sperauí pro spero. Itaq; non ueriti sumus pro credidi uertere credo. *Credidi pro, credo.*

Qui in hunc mundum.) Hunc, non additur Græcis εἰς τὸν κόσμον, id est, In mundum. Nec est ueni sti, sed ὁ ἐρχόμενος, id est, Veniens, siue qui uenis, aut, Christus ille qui in mundum uenturus erat.

Silentio dicens.) Qui uocare potuit silens? Græce est λάθρα, hoc est, clanculum.

Illa ut audiuit, surrexit.) ἐγείρεται, surgit. atq; ita scriptum uidemus in uetustis Latinorum codicibus. *Surgit.*

Et uenit.) Item præsentis temporis ἔρχεται. Et castellum hic oppidulum aut uicum significat, ne quis imaginetur palatium, aut arcem tyrannicam.

Iam fœtet.) ἤδη ὄζει, id est, Iam olet. quæ uox Græcis anceps est, & uerecundius est olet, quàm fœtet.

Ligatus manus & pedes institis.) Synecdochen Græce extulit. Et institis Græcis est κειρίαις, quæ uincula sunt sepulchralia. *Institæ.*

Et in sudario.) Euangelista Græce scribens, Latino usus est uerbo, quod & aliâs facit.

Congregauerunt ergo pontifices & pharisæi consilium.) Hoc loco in nonnullis Græcorum codicibus additum uidemus κατὰ τοῦ ἰησοῦ, id est, Aduersus Iesum, sed id suspicor

ex alio Euangelista asscriptum.

Cum esset pontifex.) ἀρχιερεὺς, id est, Summus sacerdos. Et rursum, Sed cum esset pontifex, ἀρχιερεὺς ὤν.

Cogitauerunt ut interficerent.) συνεβουλεύσαντο, id est, Consultabant, siue Consilium ineunt inter se.

Apud Iudæos.) ἐν τοῖς Ἰουδαίοις, id est, Inter Iudæos.

Quæ dicitur Effrem.) Græci legunt ἐφραΐμ. Atq; ita refert Hieronymus in locis Hebraicis. In Chrysostomo uerso, nescio quo casu, pro Ephraim legit Ephrata, nisi forte eiusdem loci uocabulum uarie pronunciatur. Nam & Hieronymus in dictione Ephron, significare uidetur eandem esse Ephraim & Ephron. Quin & Ephrata est in tribu Iuda, quemadmodum & illa uocabula.

EX CAPITE DVODECIMO.

Libram unguenti.) λίτραν. Videri poterat Euangelista Latinam uocem infle-xisse in Græcam, nisi λίτρα Iulius Pollux testaretur uocem esse à uetustis scriptoribus Græcis usurpatam, ut probabilius sit Latinos eam uocem à Græcis sumpsisse mutuo.

Nardi pistici.) De hoc dictum est in Marco. Nam iisdem uerbis utitur uterq;.

Nō quod de egenis pertinebat ad eū.) ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ, Quod de egenis curaret. Simile illi quod paulo superius indicauimus, Et non pertinet ad eum de ouibus.

Et loculos habens.) τὸ γλωσσόκομον εἶχεν, id est, Marsupium, seu potius scriniū in quo pecuniæ reconduntur. Dictū à lingua, opinor, quod linguæ speciem haberent eiusmodi.

Sinite illam.) ἄφες αὐτὴν, Sine eam, consentientibus & uetustissimis exemplaribus nostris. Ad unum enim Iudam id dictum est, non ad omnes: quod consentaneum sit illum prohibiturum fuisse.

Sinite, pro sine.

Vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.) Græca dissident, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ τηρήσῃ αὐτό, id est, In diem sepulturæ meæ seruauit illud. Iam enim illa præueniebat sepulturam Christi. Quanquam pro seruauit, Chrysostomus legit fecit, si modo non fallit interpres, nam Græci codicis non erat copia.

Me autem non semper habebitis.) Vtrunq; uerbum est præsentis temporis: Pauperes semper habetis uobiscum, me uero non semper habetis, ἔχετε, ἔχετε.

In crastinum.) ἐπαύριον, quod aliquoties uertit Altera die. Vertendum erat postridie, siue postero die.

Ramos palmarum.) τὰ βαΐα τῶν φοινίκων. Est autem βαΐον proprie ramus palmæ, inde dictus, quod non facile reuellitur, eo, quod hæc arbor natura sursum nitatur aduersus deprimentis manum, παρὰ τὸ βίᾳ τίλλεσθαι. Quidam illiterati palmam eandē putant quæ buxus est, quam & uulgus palmam appellat.

Palma diuersa à buxo.

Inuenit Iesus asellum.) εὑρὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὀνάριον, id est, Nactus Iesus asellam. Etenim Græcis diminutiuum est neutri generis, quod ad utrūq; sexum possit accōmodari.

Ecce rex tuus.) Locus est apud Zachariam cap. nono. Quanquam Euangelista decerpsit è prophetia, quæ ad hanc rem pertinebant. Hisce de rebus nonnihil attigimus in Matthæum, de osanna quoq; alias dictum est.

Totus mundus pro mundus.

Ecce mundus totus abit post eum.) Totus, non additur apud Græcos. Cæterū apud Augustinum additum quidem est, uerum ex ipsius interpretatione conijcere licet illum secus legisse, sic enim scribit Augustinus: Quid autem inuides cæca turba, quia post eum uadit mundus, per quem factus est mundus? Et Chrysostomus, Mundum, inquit, hoc loco turbam appellat. Similia dicit Theophylactus, mundū legens non totū mundum.

Quidam gentiles.) Ἕλληνες, id est, Græci, quod frequenter uertit, gentiles, cum gentiles dicantur ἐθνικοί.

Clarifica.) δόξασον, id est, Glorifica. Item in sequentibus, Et glorificaui, & glorificabo, seu potius, Et illustraui, & rursus illustrabo.

Omnia trahā ad me.

Omnia traham.) πάντας ἑλκύσω. id est, Omnes traham. Ad eum certe modum constanter habent exemplaria Græca: atq; in eum sensum interpretatur Chrysostomus, ut de homi

de hominibus dũtaxat intelligatur,& ſenſus ſit,non modo Iudæos,uerumetiam Græcos ac Barbaros eſſe trahendos. Quanquam diuus Auguſtinus nominatim etiam admonet, omnia legendũ,non omneis,& cũ hoc ita conſentiens Cyrillus, ut dubium non ſit quin alteruter ab altero ſit mutuatus,aut certe à ſtudioſo quopiam aliquid ſit aſſutum.Id quo magis ſit perſpicuũ qui uolet,faciat locorũ collationẽ. Auguſtinus ita diſſerit:Non aũt dixit omnes,ſed omnia. Non enim omnium eſt fides. Non itaq; hoc ad uniuerſitatem hominũ retulit,ſed ad creaturæ integritatem,id eſt,ſpiritum & animam, & corpus, & illud quod intelligimus,& illud quod uiuimus,& illud quod uiſibiles & cõtrectabiles ſumus. Ac mox,Aut ſi omnia ipſi homines intelligendi ſunt,omnia prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere,ex quibus omnibus ait nihil eſſe periturum,cum de ſuis ouibus loqueretur. Aut certe omnia hominum genera,ſiue in linguis omnibus,ſiue in ætatibus,ſiue in gradibus honorum omnibus,ſiue in artium licitarum & utilium profeſſionibus omnibus, & quicquid aliud dici poteſt ſecundum innumerabiles differentias &c. Theophylactus cõſentit cum Chryſoſtomo. Verum ut ad id quod agitur recurramus,admodum tenue diſcrimen eſt in Græcis uocibus πάντας & πάντα,nec ad ſenſum magni refert: præſertim cũ Chriſtus omnem creaturam uocet omne genus hominum.

Adhuc modicum lumen.) ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστ, id eſt,Adhuc puſillum temporis lumen uobiſcum eſt,ſiue ad breue tempus. Vt non intelligas puſillum luminis in illis ſupereſſe,ſed Chriſtum qui lux erat mundi,morte ſubducturum ſe breui.& in hũc ſenſum interpretat Chryſoſtomus & hũc ſecutus Theophylactus. Diuerſam lectionem ſequi uidetur Auguſtinus,interpretans hoc eſſe modicum lumen,quod ſibi conſcij intelligerent,quid dixiſſet Exaltari à terra,cum iam tum in animo haberent eum tollere in crucẽ,aut quod intelligerent Chriſtũ manere in æternũ.Nec eſt In uobis,ſed μεθ' ὑμῶν, id eſt, Vobiſcũ,ut intelligerent breui diſceſſurum.Quãquam,ut ingenue dicam,opinor χρόνον, & apud Græcos additum à quopiam, qui uoluerit locum explanatiorem reddere: præſertim cum idem Ioannes capite proximo conſimili modo loquatur, τεκνία ἔτι μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμί. Atque hinc ſanè anſa erroris,quod non addiderit χρόνον. alioqui non fuiſſet locus lapſui:& tamen ne μικρὸν poſſet referri ad lumen obſtabat articulus ἔτι μικρὸν τὸ φῶς. Si ſenſiſſet paululum luminis dixiſſet μικρὸν φῶς.

Modicum lumen in uobis non recte accipi uulgo.

Tanta ſigna.) τοσαῦτα. Senſus eſſe poteſt,tot ſigna,ſiue tam multa.

Domine quis credidit auditui noſtro.) Teſtimonium extat apud Eſaiam cap. liij. ſed iuxta ſeptuaginta magis quàm Hebræam ueritatem citat.Addidit enim ex illis domine, quemadmodum Paulus in epiſtolis hunc eundem adducens locum.Nam Hebræis ſic habet interprete Hieronymo:Quis credit auditui noſtro,& brachium domini cui reuelatũ eſt? Cæterum teſtimonium proximum,quod ex eiuſdem prophetæ capite ſexto retulit, nec ad Hebræa,nec ad æditionẽ ſeptuaginta ſatis reſpondet,ſenſum modo delibauit Euãgeliſta. Verum de hoc aliâs nonnihil annotauimus.

Et indurauit cor eorum.) Ϲ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν, id eſt, Et excæcauit cor eorum.

E ſynagoga eijcerentur.) ἀποσυνάγωγοι γένωνται. De quo paulo ſuperius admonuimus.

Et non cuſtodierit.) καὶ μὴ πιστεύσῃ, id eſt,Et non crediderit.Alij legiſſe uidentur, καὶ μὴ τηρήσῃ. ad ſenſum perpuſillum refert.

Qui ſpernit me.) ὁ ἀθετῶν, Qui reijcit,ita legit Cyprianus.

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

Coena facta.) δείπνου γενομένου.. Diuus Auguſtinus putat hic factã accipi ꝓ cœpta,ſiue parata,quemadmodum in ſacris literis dicitur dies factus,quum exortus eſt ſol,non quũ peractus dies.Nam poſt legitur accubuiſſe,& buccellam tradidiſſe Iudæ.Et olim cœnaturi lauabant,niſi forte,quod poſt actũ eſt,ad ſecundas menſas pertinere uidebitur.

Omnia dedit ei pater.) Cur non Sibi potius,quàm ei,&,Dediſſet potius,quã dedit?

Cum accepiſſet linteum.) λαβὼν λέντιον, id eſt Sumpto linteo.Mirum unde hæc uox Latinorum demanarit ad Iudæos aut Græcos.Quanꝯ id crebro faciũt Euãgeliſtæ.

Non habebis partem.) οὐκ ἔχῃς, id est, Non habes, præsentis temporis uerbo.

Et ponit uestimenta sua.) τὰ ἱμάτια. Summas uestes intelligit, ne quis Iesum planè nudum fuisse putet cum lauaret discipulis pedes. Idem uerbum capite decimo nono, uertit eodem modo, Portans spineam coronam & purpureum uestimentum, τὸν πορφυροῦν ἱμάτιον, cum hic haud dubie pallium regale significet.

Et cœpit lauare.) νιψὶν ἤρξατο νίπτειν. Quoniam prius dicitur cœpisse, ac mox sequitur, Quum ergo uenisset ad Petrum, Chrysostomus suspicatur eum exorsum ab ipso Iuda, quo magis eum hoc honore reuocaret, ab instituto scelere. Sed dissentit Augustinus, non ferens ut apostolorum principi, quisquàm anteferatur. Mihi tamen magis arridet Chrysostomi suspitio, Non enim arbitror Christum hunc principatum in huiusmodi ceremonijs obseruasse, præsertim quum id temporis hoc ageret, ut omnem affectum ambitionis ex animis suorum reuelleret. Cum Chrysostomo consentit Theophylactus. Origenes q citatur in Catena putat Christum omnibus lotis tum demum uenisse ad Petrum, Chrysostomus arbitratur Iudæ impudentia factum, quod prior sit lotus, post hunc tamen uentũ ad Petrum, hoc argumento quod solus Petrus recusauit, recusaturis nimirum & cæteris, nisi Petri castigati exemplum illos terruisset. Verum Origenes hoc feruori Petri tribuit, quod solus horruerit lotionem.

Magister ac domine.) Hæc apud Euangelistas nominandi casus sunt, ὁ διδάσκαλος καὶ κύριος. Nam & absentem sic appellabant, ut Ioannes, Dominus est: unde nihil erat in cõmodi, si uertisset, magistrum ac dominum, & sensus esset plenior.

Alter alterius lauare.) Græce est ἀλλήλων, hoc est, Inuicem, siue Alij aliorum. Quanq; id quidem & apud Laurentium linguæ censorem defendi posset.

Nec apostolus maior est eo qui misit illum.) Non est allusio in uocibus apud Euangelistam, sed in rebus. Apostolus enim dicitur à uerbo ἀποστέλλω, quod est proprie cũ mandatis mittere. πέμπω, quomodocunq; mittere. Poterat ita reddere πρόσονομασίαν, Non est legatus maior eo qui se legauit.

Leuabit contra me.) Leuauit est & in Græcis, & in uetustissimis nostris exemplaribus, ἐπῆρεν, ut sit præteriti temporis uerbum.

Leuabit super me calcaneum suum.) Desumptum est ex psalmo quadragesimo, nec id ad uerbum curat adducere. Nam Hebræa sic habent interprete Hieronymo: Sed & homo pacificus meus, in quo habui fiduciam, qui manducabat panem meum, leuauit contra me plantam. Septuaginta uerterunt ad hunc modum, καὶ γὰρ ὁ ἄνθρωπος τῆς εἰρήνης μου ἐφ' ὃν ἤλπισα, ὁ ἐσθίων ἄρτους μου ἐμεγάλωσεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμόν.

Amodo.) ἀπ' ἄρτι, Posthac, seu potius Ex hoc tempore, nisi aduerbium ἀπ' ἄρτι, libeat referre ad uerba sequentia, γένηται, & πιστεύσητε.

Protestatus.) ἐμαρτύρησε, id est, Testatus est.

Innuit ergo huic Simon Petrus.) Græca sic habent, νεύει οὖν τούτῳ σίμων πέτρος, πυθέσθαι τίς ἂν εἴη περὶ οὗ λέγει, id est, Innuit igitur huic Simon Petrus, ut interrogaret quis esset de quo diceret. Innuit autem præsentis temporis est.

Buccella. Offula.

Intinctum panem.) ψωμίον, id est, Buccellam, siue offulam.

Dedit Iudæ.) Dat, δίδωσι, & ἐμβάψας. ut intelligas ipsum Christum intinxisse.

Iudæ Simonis schariotis.) Ἰούδᾳ σίμωνος Ἰσκαριώτῃ, id est, Iudæ Simonis Iscariotæ, ut Iscariotæ sit dandi casus, & Iudas intelligatur Simonis filius.

Post buccellam.) Quod modo uertit bis Panem, nũc uertit buccellã, ne quis existimet aliquid diuersum esse apud Græcos. Est autem ψωμίον proprie offula panis intincta iuri.

Deus clarificabit eum in semetipso.) ἐν αὐτῷ. Rectius habebat scriptura, ἐν αὑτῷ, ut referatur ad patrem, quãq; scio discrimen hoc in libris præsertim sacris non obseruari ppe tuo. Et opinor hic præpositionẽ in, iuxta sermonis Hebraici proprietatẽ usurpatã uice p.

Filioli.) Nonnulli codices habebant τέκνα, id est, Filij, nonnulli τεκνία diminutiue Filioli. Cyrillus legisse uidetur τεκνία diminutiue.

Nota Christianorum peculiaris.

Adhuc modicum.) ἔτι μικρὸν, adhuc paulisper, de quo supra monui.

In hoc cognoscent omnes quod mei discipuli estis, si dilecti &c.) Mira nota qua sit distinguendus

ſtinguendus Chriſtianus à cæteris. Non dixit, ſi hoc aut illo titulo uocemini, ſi his aut illis ueſcamini cibis, ſi ſic aut ſic ueſtiamini, ſi tales aut tales obſeruetis ceremonias, ſi tot ac tales exhauriatis preces, ſed ſi dilexeritis uos inuicem, nec id ſanè uulgari more, uerum ſi ſic dilexeritis inuicem ſicut ego dilexi uos. Hanc igitur notam cũ præſcripſerit ipſe Chriſtus uelut unicam ac certam, nõne neceſſe eſt fieri, ut noſtro uitio nomen Chriſti male audiat inter ethnicos, qui cum hæc legerint, aut certe audierint, conſpiciunt apud Chriſtianos, tot iam ſeculis principem cum principe, regnum cum regno, ciuitatem cum ciuitate iugibus conflictari bellis, ut omittam inſaniſſimas apud iudices lites, & acres omnium inter ſe de quamlibet friuola cauſa digladiationes. Atq; hæc cum faciamus, tamen ob titulũ & ceremonias, neſcio quas, Chriſtiani nobis ipſi uidemur.

EX CAPITE DECIMOQVARTO.

Tait diſcipulis ſuis.) Hæc in uetuſtis codicibus non addebantur, ac ne in Græcis quidem omnibus. Adiecta uidentur ab erudito quopiam ad concinnandam ſermonis ſeriem.

Creditis in deum.) Vtrobiq; anceps eſt uerbũ πιστεύετε, πιστεύετε, an ſit Creditis, an Credite. Vnde quadrifariam legi poteſt, Creditis in deum, & in me creditis. Atq; ita legiſſe uidẽ ex interpretatione ſua Chryſoſtomus, quaſi fides quã habebant in deum, & in dei filium Ieſum, illis abunde præſidio eſſet futura aduerſus perſecutionum procellas. Aut ſic, Credite in deum, & in me credite, ut utrũq; iubeat fieri, ne turbentur. Ad hunc modum citat Hilarius libro de trin. nono. Tertio modo ſic, Creditis in deũ, & in me credite, ut ſit ſenſus, Creditis in deum, ut Iudæi, credite & in me, ut ſitis Chriſtiani. Quarto ſic, Credite in deum, & in me creditis, ut ſit ſenſus, Credite in deum, quod ſi facitis, eadem opera in me quoq; creditis. *Ex iiſdem uerbis quadruplex ſenſus.*

Si quo minus.) εἰδὲ μή, id eſt, Sin minus, uel alioqui.

Quia uado parare.) Quia ὅτι non eſt in quibuſdam Græcis codicibus, quanq; ſuperflue additur, niſi ſit cauſalis coniunctio. Ergo hic etiamſi aderat, nõ erat uertenda, ſed tantum, In domo patris mei manſiones multæ ſunt, quod ſi ſecus eſſet, dixiſſem uobis, Vado parare uobis locum, ſiue, Quod eo paraturus uobis locum. Cæterum haud aſſentior hac in parte Laurentio uolenti, Alioqui dixiſſem uobis, finem eſſe prioris ſententiæ, deinde alteram ſubijci, Vado parare uobis locum. Nam omnino cohærent hæc duo, cum hic ſenſus ſit, In domo patris mei iam paratæ ſunt multæ manſiones, ut non mihi uni, ſed omnibus item meis ſit locus. Quod ſi ſecus eſſet, dixiſſem me iam abire ad parandas eas manſiones, nunc nihil opus, cum paratæ ſint, & uos breui ſequuturos expectent. *Reiecta Valæ annotatio.*

Ego ſum ueritas & uita.) Annotandum ſingulis horum nominum apponi articulum, ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, ὁ ἡ ζωή, ut intelligamus non quamlibet uiam, aut ueritatem, aut uitam, ſed ueram illam & unicam. *Vis articuli.*

Et patrem meum utiq; cognouiſſetis.) ἐγνώσκετε ἄν. Recte uertit ἄν in utiq;, quod aliàs uertit in Forſitan, cum hoc ſit confirmantis, illud addubitantis.

Et amodo cognoſcetis.) γινώσκετε, id eſt, Cognoſcitis, ſuffragantibus & antiquis exẽplaribus, ut ſit uerbum indicatiui modi præſentis temporis. Conſentiente & intepretatione Cyrilli, & Auguſtini ſi quis expendat. Atq; amodo quod Græcis eſt ἀπάρτι, iam ſemel atq; iterum poſuit pro nunc.

Et non cognouiſtis.) ἔγνωκας, id eſt, Cognouiſti me Philippe. ſic enim legit Chryſoſtomus, ut Philippus ſit huius orationis occaſio, & huic uni dicatur, Non cognouiſti me. Neq; ſecus legit Hilarius libro de trinitate ſeptimo. Nam ſequitur, Nõ credis, Mox ſubijcitur, non creditis mutato numero. Et diuus Auguſtinus annotauit hic cõmutatum eſſe numerum, quum prius ſolus Philippus eſſet obiurgatus. *Non cognouiſti.*

Qui uidet me.) ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα, id eſt, Qui uidit me, uidit patrem, nec additur apud Græcos coniunctio, & utrunq; uerbum præteriti temporis eſt. Aſtipulantur omnibus Græcorũ codicibus quædam uetuſta Latinorum exemplaria, ac nominatim omnium uetuſtiſſimum ex bibliotheca diui Pauli apud Londinum. *Qui uidit.*

Nõ creditis qa ego in patre, & pater in me eſt.) Ad hũc ſanè modũ legit Auguſtinus. Verũ Cyrillus & Chryſoſtomus, nõ addũt οὐ, quod paulo ante Philippũ obiurgarit per *Non creditis, pro credite.*

huiusmodi interrogationē. Cæterū oībus iubet, ut credāt, Credite quod ego in patre &c.

Alioqui propter opa.) εἰδὲ μή. Quod modo trāstulit, Si quo minus, hic tolerabiliter uertit Alioquí, hoc est, etiamsi aliâs nō creditis, uel ipsis cōmoti factis credite, id quod propemodū nō est credere. Neq; enim proprie credimus quod uidemus, sed experimur potius.

Interpres oscitans.

Et maiora horum.) ἢ μείζονα τούτων, id est, Maiora his. Sed interpres per obliuionē reliquit Græcum genitiuum, cum nihil esset opus.

Et quodcunq; petieritis patrem.) Patrem non additur nec in Græcis, nec in antiquis exemplaribus, nec apud Augustinū interpretem, qui cū inter disserendum toties repetat eadē uerba, nullā patris facit mentionē, nisi occasiōe illorū uerborū, Vt glorificetur pater in filio. Nec uertendum erat Quodcunq;, sed quicquid, ὅτι ἂν, siue ut alij legunt, ὃ ἐάν. Ac mox nō est eadē dictio Græca, sed ἐάν τι, id est, Si quid petieritis. In nonnullis etiam uetustis exemplaribus habebatur Quodcunq; petieritis me in nomine meo. Atq; Id pronomen additum repperi in æditione Aldina, cū adornarem tertiam æditionem.

Paracletus.

Et alium paraclitum.) Iam illud notius est, quàm ut sit admonendum, paracletum per e scribendum in penultima, eamq; producendam, cum Græce sit παράκλητον per ita. At hoc loco cōmodius erat uertere Consolatorē, ne quis duos paracletos imaginaretur. Nam quod hactenus loquutus est, consolandi gratia locutus est. Ita paracletus erat Christus. Pollicetur autem sese & alterum missurum consolatorem, nempe spiritum ueritatis.

Quoniam non uidit eum.) οὐ θεωρεῖ, id est, Non uidet, præsentis temporis, quemadmodum est in emendationibus etiam Latinis. Ac mox:

Apud uos manebit.) Manet est, μένει, nisi mutato accentu legimus μένει.

Non relinquā uos orphanos.) Orphanos Græca uox est, sed tamen Latinis usurpata. Etymologiam quam adferunt Græci nō libet asscribere, quod mihi uideatur ineptior. Sonat autem orphanus, orbum parentibus, ac destitutum præsidijs amicorum.

Vos aūt uidebitis.) θεωρεῖτε, id est, Videtis, cōsentientibus & antiquis exemplaribus.

Et manifestabo ei meipsum.) ἐμφανίσω, qd magis significat tacite & clàm indicare. Vnde & ἔμφασις dicta, quod tacitā habeat uim. Idq; magis cōgruit cū afflatu, quo se deus insinuat in animos suorū. Dñe quid factū est.) τί γέγονεν, id est, Quid accidit? Sermo puerbialis est, de re noua subitaq;. Quāquàm, Quid factum est, in eundē sensum dixit Martialis,

Quid factum est rogo, quid repente factum?

Sermonē quē audistis.

Et sermonem quem audistis non est meus.) Non sine causa miratur Valla, quid interpreti uenerit in mentem, qui hoc sermonis genus affectarit in oratiōe soluta, quod uix toleratur apud Poētas in carmine, præsertim cū Græcis non sit Sermonem, sed sermo, ὁ λόγος. Certe diuus Augustinus legit. Sermo quem audistis, non Sermonem quem audistis. Vnde planè suspicor hunc locum scriptoris errore fuisse mutatum. Nec est Audistis, apud Græcos, sed ἀκούετε, Auditis, licet reclamantibus exemplaribus nostris. Nam ex Chrysostomi interpretatione, quid legerit non quibat colligi. Certe Theophylactus legit auditis. Etiamsi facilis est lapsus in ἀκούετε & ἠκούετε. Proinde super hac re non censeo digladiandum, præsertim cum sensus fermè maneat idem.

Verba sacra cōuenit etiam emēdate pronunciare.

Paracletus autem spiritus sanctus.) Duriuscule cohærēt duo nomina substātiua, præsertim cū prius sit masculini generis, posterius neutri, ὁ παράκλητος, & τὸ πνεῦμα. Proinde cōmodius reddidisset ad hunc modū: Cæterū paracletus ille qui est spiritus sanctus, quē spiritū missurus est pater in nomine meo. Adduntur enim Græcis utrobiq; articuli ὁ & τό. Et articulus postpositiuus, quem, Græcis nō potest referri, nisi ad spiritū, est enim ὃ non ὅρ. Porrò quod accentus huius dictionis paracletus offendit Vallam, potest nonnullum inijcere scrupulū quibusdā superstitiosis uerius q̄ religiosis, qui cardinem, imò puppim simul ac proram, quod aiunt, Christianæ pietatis in hoc consistere putant, si rite ac legitime persoluerint preces illas quas uocant horarias. Ad quod quidē præstandū cū alia requirūtur innumera, tū illud in primis, ut uerba singula plenè & articulate pferant. At qui paraclitus penultima correpta sonant, quoties quoties id faciūt, deū, si nō una syllaba, certe uno fraudant tēpore. Quādoquidē iuxta grāmaticorū leges, syllabæ longæ bina sunt tēpora, breui unicū. Neq; uero sunt audiēdi, qui dicere solent, minuta res est syllabæ tempusculū, cū magis spectandū sit, quē fraudes, q̄ quantulo fraudes. Quanq; ut & horum causam

cauſam nõnihil,quod licet,adiuuem,uideo ueteres Latinos in uſurpandis Græcanicis uocibus,ſyllabæ quantitatẽ,iuxta rationẽ accentus Latini cõmutaſſe,id quod in idolo facit Prudentius,uir quouis etiam ſeculo inter doctos numerandus. Cæterũ illud nõ paulo durius,quod in κύριε ἐλέησον, quæ uerba toties quotidie repetũt,diuinas aures duabus fraudant ſyllabis,ex dño triſyllabo diſyllabum,& ex miſerere quadrupede tripedem reddentes. Iam uero cũ id flagitij ſingulis diebus fortaſſe centies aliquãdo cõmittatur,ſi quis rationẽ ſubducat,quadraginta,aut quinquaginta annorũ,& in ſummã redigat,nõ uideo,ſatis fore,ſi quis ſolidũ annũ nihil aliud iteret q̃ κύριε ἐλέησον, idq̃ ſeptem diſtinctis ſyllabis. Nam par eſt,opinor,deo reſtitui,ſi quid illũ fraudauimus. Quandoquidem ſexcentis legibus cauetur,ut homini reponat homo,ſi uel numulus ſubtractus fuerit. Etenim ſi ſacrilegium eſt,paululũ auri tollere de ſacro,quãto grauius ſacrilegiũ eſt, ipſum omnis autorẽ ſacri,re longe ſacratiſſima fraudare? Iam uero non ſacrilegũ modo,uerumetiã contumelioſum ac blaſphemũ uidet,quod aſſidue ex Chriſto,Criſtum faciunt,nec alio uocabulo regem ſuum cõpellant, q̃ quo galeæ aut galli criſtas eſſent cõpellaturi. An hanc cõtumeliam laturus ſit Chriſtus maximus optimus,ſi tam moroſus eſſet, q̃ ipſi ſunt in alios ſuperſtitioſi, aut tam iniquus erga homines deus, quàm ipſi iniqui ſunt homines in homĩnẽ? Non auderes apud regem homuncionem uerba faciens, pro Ferdinando Perdinandum dicere,neq̃ pro Philippo Pilippũ,& nõ uereris in arcanis illis ſacris,ubi nephas eſt uel iota deprauare,dicere Criſtæ ꝓ Chriſte. Vt ne quid interim cauiller de accentu ab ultima perperam in primã translato ſyllabam. Cũ tantum habeat ea res momenti,ut ſubita metamorphoſi ex uia facias canciũculã,ſi ꝓ οἶμος pronuncies οἰμὸς, aut ex portu monile, ſi pro ὅρμος, ὀρμός, aut ex opulenta ciuitate pigrũ hominẽ ſi ꝓ ἄργος dicas, ἀργός. Neq̃ uero cõuenit eos,hæc ut iocoſa ridere,qui aliis in rebus his aliquãto leuioribus tam Iudaice ſunt anxij. Verum ego quidem iſtos,ne cui uidear durior,lubens excuſarim à culpa duntaxat capitali,quandiu per imprudentiam errarunt. Cæterum poſteaquàm moniti ſunt amanter ab ijs,qui hiſce in rebus ſapiũt,cum eadem opera poſſint recte pronunciare,qua perperam pronunciarunt,ſi poſtea perſtiterint in male ſolitis,& reiecta ſpretaq̃ doctiorum admonitione,ſcientes iam errare pergant,non uideo ſanè quo pacto queant à graui crimine excuſari. Neque enim iſtis ſuffragabitur ſimiliter errantium turba. Siquidẽ deus iudex,ut non corrumpitur,ita nec opprimitur. Iam uero quid dicendum arbitramur de ijs,qui quum plus quinquaginta annis tam periculoſe errarint,& errarint non in his ſolum,admoniti non ſolum non reſipiſcunt,ac monitori gratias agunt,uerum etiam Sardonio quodam riſu exibilant atque explodunt,pro hoſte ducunt benemerentem, conuitijs inſectantur,hæreticum clamitant. Et tamen dictu mirum, qui hic tam fortes ſunt, quàm ſint infirmi, aut certe uideri uelint,in ijs quæ ipſi ſibi perſuaſerũt. Nos ſupbos uocãt, ſi qd tale uel amice per occaſionem admoneamus: ipſi ſancti ac modeſti ſibi uidentur,qui malunt in confeſſo errore perſiſtere,ne quid ignoraſſe uideantur, ac prius habent fratrem benemerentem uel hæreſeos labe aſpergere,quàm ſuũ agnoſcere lapſum. Atqui ab iſtis libenter exegerim,ſi quoties inciderit in canone miſſæ,pro pater ꝓnunciaret aliquis phater,pro filium pilium,num laturi ſint? Non opinor. Imò uerberibus citius exigerent patrem & filium. Atqui,tolle aſſuetudinem,per ſe grauius etiam eſt ex Chriſto criſtam facere,ex kyrie eleeſon,kyrghelayſon,& in tam paucis dictionibus, tot modis peccare, ut plura ſint errata,quàm ſyllabæ. Quoniam autem ludus litterarius ſemper ad eccleſiæ curam pertinuit,prouidendum erat & illud,ut pueri germanam ac ueram Latini ſermonis pronunciationem imbiberent, quandoquidem ita uiſum eſt patribus ut in templis non niſi Latine peragantur ſacra. Nunc huius rei tanta eſt negligentia, ut Italus Germanum Latine pronunciantem non intelligat, nec Germanus Gallum,imò nec inferioris Germaniæ qui ſit,intelligat ſuperioris Germaniæ ſermonem. Adeo tota pronunciatio petitur non ex grãmaticæ regulis,ſed ex uulgi conſuetudine. Quod idem accidit apud Græcos, apud quos idem ſonant, iota, ι, υ, οι, ει, ῃ. Nec diſcrimen eſt inter ο, & ω, Et poſt accentum acutum ſæpe breuis uidetur quæ longa eſt, ut ταπείνωσις, Rurſus idem accentus ſæpe facit uideri longam quæ breuis eſt, ut θεολόγος. Atqui olim etiam populus exibilabat hiſtrionem, ſi ſyllabam longam ſaltaſſet breuem. Hæc omnia reſtituere

Kyrie eleeſon

Criſtæ, pro Chriſte.

Quantum ualeat accentus.

Superba inſcitia.

ſtituere difficillimum fuerit, quædam tamen ex uulgata pronunciatione reſtitui poſſunt. Apud Gallos adhuc audias diphthongum οι & αι, ου, & ευ, in fide, facto, fulgure ſeu puluere & duo. Itidem in lingua noſtra, hollandicam dico, in fœno, tenaci, ſene, mendacio. Quin & quantitatis manifeſtum habent diſcrimen, quoties uocalem ſequitur conſonans. Eam quum uolunt ſignificare longam, nec accentus id poteſt indicare, aut duplicem ſcribũt uocalem, aut addita uocali ſcribunt diphthongum. Græci μῦς ſonant acutam & breuem, at Hollandi pronunciant longam & circũflexam, quemadmodum arbitror ueteres pronunciaſſe, quaſi diphthongo dicant μῦς. Item quum album dicunt ſonãt ĭ breue, quum latum, ī longum, quum ſolutum dicunt ſonant o breue & acutum, quũ callidum, ſonant o longum & circũflexum. Id imitari facillimum eſſet in dictionibus quæ deſinunt in conſonantem, ut in καλὸς & καλῶς, ut ω ſonetur quaſi geminum οο. Hoc diſcrimen obſcurius fiet in mediis ſyllabis, & tamen hic quoq; ſeruari poterit, ut malũ pro improbo, primam habeat acutam & breuem, malum pro pomi genere, eandẽ habeat longam & circũflexam, quaſi dicas mālum. Et quemadmodum nos diſtinguimus accentu & productione ſyllabæ, certum à ſapiente, ita diſtingui poteſt latine, uis & lis, à bis. Similiter fex & lex, à nex. Galli quemadmodum acuunt omnes ultimas, ita & producunt. Ieſus bene ſonant, ſed animus aut Chriſtus non bene. Verũ in his labẽtibus publica omniũ conſuetudo utcũq; patrocinatur. In hoc tamen admonui, ut litteratores paulatim emendent quod deprauauit uſus. In paracletis, idolis, & ſimilibus inique ſibi ignoſcũt, qui tam moroſi ſunt in alijs, ſi qui forte ſecus pronunciarint q̃ ipſi, etiam ſi id rectius fuerit. Atq; hæc obiter admonui, non meo ſtomacho conſulens, qui ne tantulum quidem alienis erroribus ſoleam cõmoueri, ſed ipſorum conſulens ſaluti. Etenim ſi ſuperbum eſt, non ferre male errantem in rebus diuinis, multo ſuperbiſſimũ eſt, in ijſdẽ non ferre bene monentẽ. Nunc ad id quod inſtituimus ſeſe referat animus, ſed ſi prius unum illud admonuerimus, in uocibus Græcis à nobis receptis, ut ſimplicius ac facilius eſt, ita rectius quoq; eſſe, ſi latinum ſequamur accentũ, propterea quod Græcus accentus pro eius linguæ legibus ſubinde migret aliò, uelut Ἰάκωβος Ἰακώβου. Latinus nõ item. Itaq; q nominandi caſu ſonet paracletus ſecunda acuta, recte quidem pronũciet iuxta Græcos, uerum ſi idem faciat in paterno dandiq; caſu, iam neq; Græce pronunciabit, neq; Latine.

Suggero, docco.

Et ſuggeret uobis.) ὑπομνήσῃ, id eſt, Cõmonefaciet, ſiue ſubmonebit, ut magis ad uerbum exprimam. Duo poſuit, διδάξῃ Docebit & cõmonefaciet. Docemur quæ neſcieba-mus, cõmonemur eorum quæ iam exciderant.

Et mox omnia quæcũq; dixero uobis.) Græcis eſt εἶπον, dixi, aut certe dixerim. Nam dixero futuri temporis eſt.

Pacem relinquo.) Annotauit hoc Auguſtinus quod in priore particula non additur meam, in ſecunda additur. Id quoniam ad lectionis integritatem attinet uiſum eſt admonere, ne quis ſcriba deprauet.

Neq; formidet.) δειλιάτω.) Quod proprie eſt ob ignauiam refugere, & detrectare periculum, animoq; pauido eſſe.

Abeo, & uenio.

Vado & uenio ad uos.) ὑπάγω καὶ ἔρχομαι, id eſt, Abeo & uenturus ſum ad uos, hoc eſt. Diſcedo mox rediturus, etiamſi poſterius uerbum ambiguum eſt.

Gauderetis utiq;.) Offenditur Laurentius, quod ἄν uerterit Vtiq;, quod ea coniũctio ſit expletiua, quanq; ne hæ quidem omnino nullum habent uſum.

Venit enim princeps.) ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων, id eſt, Venit enim ille huius mũdi princeps, ob articulum appoſitum, ut diabolũ intelligamus. Deinde ἔρχεται poteſt eſſe ueniet futuri temporis, propter inſtantem paſſionẽ & accuſationem. Hieronymus in cõmentarijs Oſee citat Veniet. Certe præteriti temporis eſſe non poteſt.

EX CAPITE DECIMOQVINTO.

Tempus præſens aliquoties actionẽ ſignificat ſine tempore.

OMnem palmitem in me non ferentem fructũ tollet.) Græce eſt αἴρῃ, id eſt, Tollit, præſentis temporis: in exemplari Conſtantienſi, quidam ex ĭ, fecerat e, inflexo faſtigio: & eum, additum eſt, iuxta proprietatem ſermonis Hebraici. Ac mox:

Purga-

Purgabit eum.) καθαίρει, Purgat,ut actionem & functionem patris declaret absque ratione temporis.

Fructum plus.) ἵνα πλείονα καρπὸν, id est,Vt plus fructus,aut copiosiorem fructum, id quod uideri potest deprauatum à librario,nisi altum dormiuit interpres. *Fructũ plus.*

Vos palmites.) κλήματα. Augustinus libro aduersus literas Petiliani primo capite quinto,legit Sarmenta,pro palmitibus.

Mittetur foras.) ἐβλήθη ἔξω, id est,Missus est foras,uel potius Eiectus est foras. Cum hoc congruit quod sequitur & arescit.Item, *Missus est.*

Et arescit.) ἐξηράνθη, id est,Exaruit.In hoc certe suffragantibus antiquis codicibus,ꝙꝙ in Constantiensi uigilauerit rasor ille.Vnde probabile est,& mittetur,pro mittitur, quoniam id erat in procliui,à librarijs deprauatum,maxime cum sequatur Et ardet. Ostendit enim per similitudinem quid fieri soleat,ut per eam intelligamus quid in nobis futurum sit,ni manserimus in uite. *Mittitur,& ardet.*

Et colligent ea.) καὶ συνάγουσιν αὐτὰ, id est,Colligunt eos,ut subaudias palmites. Vetustissimus codex Latinus habet Collígent eos,nempe palmites,qui Græcis sunt neutri generis.& ardent non ardet,Duplex fuit hic erroris occasio,altera quod subito mutatur numerus in palmes,& palmites,altera quod etiam apud Græcos est uerbum singularis numeri καίεται.Verum in priore meminisse debebat, quod in his quæ genus rei significant subinde mutatur numerus.Etenim nihil refert,utrum dicas Elephantus post decem annos parit,an elephanti pariunt. Hic speciem palmitis distinxit à stirpe. In altero non animaduertit,nominibus neutri generis numeri pluralis addi uerbum singularis numeri.Et ne soli Græci sic uideantur legere,in codice Constantiensi in ea,& in ardet erat rasura,ut agnoscas fuisse scriptum,eos,& ardent.Ex Chrysostomo non liquet quid legerit, Theophylactus nobiscum facit,Nec è Cyrillo,nisi quod exempli meminit,ex quo subindicat de hæc uite & palmitibus dici.

Mittent.) βάλλουσι, id est,Mittunt,& in hoc suffragantibus antiquissimis exemplaribus:quanquàm aptius erat, Conijciunt.

Fructum plurimũ.) καρπὸν πολὺν, id est,Fructũ multũ,siue ut alibi uertit,Copiosum.

Quàm ut animam.) ἵνα τις τὴν ψυχὴν id est, Vt quis animam.Quàm nec additur, nec est addendum.Etenim si addas quàm, significas unam hanc esse charitatem maiorem ea quam habuit Christus,si quis animam impendat amicis.Certe codex aureus non addit, nec Constantiensis. *Sermonis abſurditas.*

Iam non dicam.) οὐκ ἔτι λέγω, id est,Iam non dico,siue,posthac non dico. Suffragatur Græcæ lectioni codex aureus.

Scitote quia me.) γινώσκετε. Græca uox anceps est ad Scitote & scitis.

Me priorem uobis.) ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν, id est,Me qui sum primus uestrum,siue Me prius quàm uos.Nam sermo Græcus anceps est ad utrunq; sensum,quanquàm posterior magis probatur,ut πρῶτον aduerbium sit,& superlatiuum usurpatum uice comparatiui.

Mementote sermonis mei.) Mei non est in Græcis codicibus, sed interpres expressit emphasim articuli Græci τοῦ λόγου.

Nũc autem excusationem non habent.) πρόφασιν, Prætextum. Plus enim quiddam dixit,quàm si dixisset Excusationem.Nam & qui iustam excusationem nõ habent,tamẽ prætexunt aliquid,Istis erat adempta omnis tergiuersatio. *Excuſatio πρόφασις*

Odio habuerunt me gratis.) Vaticinium est psalmo sexagesimooctauo,iuxta nostram supputationem.

Cum autem uenerit paracletus,quem ego mittam uobis à patre spiritum ueritatis.) τὸ πνεῦμα, quoniam neutri generis est,incertum est utrius sit casus,nominandi, an accusandi.Cæterum magis conueniebat spiritus. Interpretatur enim quis sit ille consolator, nempe spiritus ueritatis.Non enim mittendo fit spiritus,sed qui spiritus est mittitur.

Qui à patre procedit.) ἐκπορεύεται. Quod eleganter uerti poterat,Et proficiscitur,nisi processionis uocabulũ aures iam omniũ occupasset.Atqui proprie procedit,qui pompa quadam prodit in publicum,uelut sponsus procedit,aut sponsa. Quod Vergilius dixit: *Spiritus à patre prodiens*

Tandem

Tandem progreditur.

Et uos teſtimonium perhibebitis.) Græce eſt μαρτυρεῖτε, id eſt, Teſtimonium perhibete, ut ſit imperandi modus, aut teſtimonium perhibetis. Atq; ita ſcriptum fuiſſe ſuſpicor ab interprete. Sanè Cyrilli interpres uertit perhibete, nimirum ſuum ſequutus exemplar, non noſtram æditionem. Quanquàm mihi uidetur accõmodatius Perhibetis μαρτυρεῖτε, hoc eſt, ipſi eſtis teſtes, & mox adiicit cauſam, Quia ab initio mecum eſtis. In Conſtantiẽſi erat perhibetis.

EX CAPITE DECIMOSEXTO.

Hora, pro tempore.

ABſque ſynagogis.) Græcis compoſita dictio eſt ἀποσυνάγωγος, quaſi dicas, Alienus à ſynagoga, & Interdicent uobis ſynagogam.

Sed uenit hora.) ἔρχεται. Venit, aut præſentis eſt temporis, aut futuri. Hic magis uertendũ erat, Veniet, ſiue inſtat. Et Tempus potius q̃ hora.

Arbitretur obſequium ſe præſtare.) δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ, id eſt, Videatur cultum exhibere deo & ſacrificium offerre. Obſequium apud Latinos longe aliud ſonat.

Reminiſcamini.) μνημονεύετε, id eſt, Memores ſitis, ſiue Memineritis. Reminiſcimur enim proprie quæ nobis exciderant.

Ille ſpiritus.) Ille non refertur ad ſpiritum quantum ad uocem, ſed ad paracletum, id eſt, conſolatorem, ἐκεῖνος δὲ πνεῦμα, id eſt, Ille qui eſt ſpiritus. Nam ſpiritus, ut diximus, apud Græcos neutri generis eſt.

Et iam nõ uidebitis.) καὶ οὐκέτι θεωρεῖτε, id eſt, Non amplius uidetis. Quanquàm appareret eum abuſum tempore. Item eſt οὐκέτι, id eſt, Poſtea, ſiue deinde.

Docebit uos omnem.) Græce nõ eſt docebit, ſed ducet, ὁδηγήσει, & In omnẽ ueritatẽ.

Modicũ, pro puſillum.

Modicum & non uidebitis.) θεωρεῖτε, id eſt, Videtis ſuffragantibus & uetuſtis Latinorum exemplaribus. Quanquàm ut dixi, uidetur abuti tempore, cũ ſequatur mutato uerbo ὄψεσθε, Videbitis. Cæterum quod modicum pro puſillo poſuit, ſuo more facit, cum Latinis modicũ dicat moderatum, à modo. Hic ad tempus refertur μικρὸν.

Plorabitis & flebitis.) κλαύσετε & θρηνήσετε, id eſt, Plorabitis & lamẽtabimini, ſiue lugebitis. Nemo tollet à uobis.) οὐδεὶς αἴρει, id eſt, Nemo tollit, uerbo præſentis tẽporis.

In nomine meo.) Hebræis in nomine alicuius fieri dicitur, quod autoritate ac uirtute cuiuſpiam fit. Id non uideo quomodo Latine poſſit exprimi. Siquidem In nomine meo, non eſt elegantiæ Romanæ. Sub nomine meo, nõ prorſus idem exprimit. Nomine meo, certe ambiguum eſt. Proinde fortaſſis præſtiterit hũc ſermonẽ inter eos numerare, quos oporteat peculiari ſacrarum ſcripturarum linguæ condonare.

Ipſe, pro ultro.

Ipſe enim pater.) αὐὸς, apud Græcos quiddam habet, quod haud ſcio, an ſit apud Latinos, ut ultroneum ſignificet. ſenſus enim eſt, Non dico me rogaturum pro uobis, ut uobis faueat, iam enim ultro uos diligit, etiã nemine rogãte. Vnde & αὐτόματα uocant illi.

Ecce uenit hora & iam uenit.) Prius Venit, præſentis eſt temporis, ἔρχεται, quo tamen Græci aliquoties in ſignificationem futuri utuntur. Græcis diuerſa ſunt uerba, Venit & uenit: cum poſterius ſit ἐλήλυθεν, Vnde rectius erat, Inſtat hora & iam adeſt.

In mundo preſſuram habebitis.) ἔχετε, præſentis temporis, Habetis.

EX CAPITE DECIMOSEPTIMO.

CLarifica me.) Verbum clarificandi toties hic repetitum Græce eſt Gloriſicare, δοξάζω. Et claritate δόξῃ, id eſt, Gloria.

Priuſq̃ mundus fieret.) Græce eſt, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρά σοι, id eſt, priuſq̃ mundus eſſet. Interpres legiſſe uidetur γίνεσθαι, pro εἶναι. Hieronymus hunc citans locum ad Fretelam, legit eſſet, & Græce legit εἶναι.

Poteſtatem omnis carnis.) Carnem, hominem uocat.

Et omne quod dediſti ei, det eis uitam æternam.) Suſpicor hãc loquendi formam ab Hebræis ſumptam, quare ſenſus erat reddendus potius q̃ uerba.

Te ſolũ

Te solum uerum deum.) σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, id est, Te qui solus uerus es deus. Hic locus præter cæteros Arianis præbuit occasionem erroris, ut dicerent solum patrem esse uere ac proprie deum: quum quod solum dixit, non excludat filium, sed separet uerum deum à dijs gentium. Cyprianus libro aduersus Iudæos secundo, capite primo, pro Deum legit dominum, nisi malumus hoc, librarijs imputare.

Nisi filius perditionis.) Et hic color sermonis peculiaris est Hebræorũ, q̃p epitheto adiungunt genitiuum substantiuũ, Deus pacis, deus pacificus, lex mortis, lex mortifera, filij inobedientiæ, filij inobediẽtes. Alioqui quid est filius perditionis, nisi quẽ peperit perditio? *Filius perditionis, & similia.*

Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum.) Potest & hic esse sensus, si legamus coniunctim, Sicut tu me misisti in mundum, & sicut ego eos misi in mundum, ita pro eis quoq; sanctifico meipsum, ut quemadmodum ego sancte prædico ueritatem tuam, ita prædicent & illi quod à me didicerunt. Si placet hæc lectio, omittẽdum est aduerbium ita. In aureo codice non additur ita.

EX CAPITE DECIMOOCTAVO.

TRans torrentem Cedron.) τὴν κέδρων. Articulus additus indicat Cedron non esse nomen Hebraicum, sed Cedrorum. Opinor torrentem ita dictum, quod hinc & hinc cedros haberet, quemadmodum dictus est mons oliuarũ. Diuus Hieronymus meminit huius nominis in locis Hebraicis, indicans torrentem ac uallem esse eius nominis ad orientalem plagam urbis Hierosolymitanæ. Atq; haud scio, an à situ loci uocabulũ loco sit inditũ, quum idẽ ibi testetur Cedem quod est apud Ezechielem, ab Aquila & Symmacho uersum fuisse orientem. Etiamsi Capnion noster putat ab obscuritate dictum Hebræis, & uocem Cedron Hebraicam esse, nõ Græcam, cum Hebræi Cedros arazim appellent. Fit autem huius torrentis mentio, libro Regum secundo capite decimoquinto, quem transisse legitur Dauid, fugiens Absalonem. Rursum libro Regum tertio, capite decimoquinto, Asa simulacrum Priapi exussit in torrẽte Cedron. Item libro Regum quarto, capite uigesimotertio, Iosias rex prophanum lucum qui erat in domo domini, exussit in conualle Cedron. Atq; ex primo loco non satis liquet, quid senserint interpretes de Cedron. Sic enim legimus, καὶ ὁ βασιλεὺς διέβη τὸν χειμάῤῥουν κέδρων. In secundo loco uidemus additum articulum, καὶ ἐνέπρησε πυρὶ ἐπὶ τοῦ χειμάῤῥου τὴν κέδρων. Rursus tertio loco bis ponitur κέδρων absque articulo, εἰς τὸν χειμάῤῥουν κέδρων, καὶ κατέκαυσεν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ χειμάῤῥου κέδρων. Nec secus legitur libri Regũ tertij capite secundo, quãquam ordo narrationis hic in Græcis codicibus dissidet à nostris exemplaribus Latinis, καὶ διαβήσῃ ἐν χειμάῤῥουν κέδρων. Neq; tamen negarim hæc omnia committi potuisse culpa librariorum Græce scientium, Hebraice nescientiũ. Proinde non inuitus subscribo sententiæ Capnionis. *Torrens cedron.*

Sinite hos abire.) Fateor alienius esse ab instituto meo, tamen quoniam incidit commode, libet admonere. Noui quendam magni nominis theologum, qui hæc uerba Christi torsit ad defendendam clericorum immunitatem, quasi Christus præceperit principibus, ne sacerdotes grauarent exactionibus, ac tyrannide. Sententiam uehementer probo. Melius enim cum principibus ageretur, si suis stipendijs essent contenti. Verum id ex hoc loco ridicule colligitur mea quidem sententia, quum Christus hic agat personam ueri pastoris, discipuli populum repræsentent Christianum. Docet igitur ut quoties ingruat procella persecutionis, episcopus pro suorum incolumitate, suum caput periculis obijciat, & illis quoad possit, consulat, secus quàm aliquando facit principum ac pontificum uulgus, par existimantium ut unius capitis tuendi gratia, totus populus, imò tot populi, se, suos, ac sua perdant. *Sinite hos abire.*

Cohors autem & tribunus.) Cohors Græce est, σπεῖρα, id est, Funis, siue caterua, & tribunus est χιλίαρχος, id est, Præfectus mille uiris.

Ad prunas.) ἀνθρακιὰν πεποιηκότες, id est, Congestis prunis, ita ut fit in atrijs magnatum, quod fumi minus habeant.

Adducunt ergo Iesum ad Caipham in prætorium.) ἀπὸ τοῦ καϊάφα, id est, A Caiapha, nimirũ à domo Caiaphæ. Atque ita legitur & in nostris exemplaribus, uel mediocriter *Ad Caipham, pro à Caiapha.*

criter emendatis. Ad eundem modum legit Chryſoſtomus & Cyrillus, ut ne memorem de Theophylacto. Nec eſt Græcis, Adducunt, ſed ducunt, ἄγουσι. Diuus Auguſtinus deceptus exemplari deprauato uehementer laborat hoc loco, conans expedire, qui conueniat in prætorium fuiſſe ductum Ieſum, quum legatur adductus ad Caipham. Quandoquidem prætoriũ nihil aliud erat, quàm domus præſidis. Aut igitur, inquit, aliqua urgente cauſa de domo Annæ, quò ad audiendum Ieſum ambo conuenerãt, Caiphas perrexit ad prætorium præſidis, & ſocero ſuo Ieſum reliquerat audiendum: aut in domo Caiphæ Pilatus prætorium acceperat, & tanta domus erat, ut ſeorſum habitãtem dominum ſuũ, ſeorſum iudicem ferret, Ac mox, Non introierunt, inquit, in prætorium, hoc eſt, in eam partem domus quam Pilatus tenebat, ſi ipſa erat domus Caiphæ. Porrò quum in uulgatis typographorum exemplaribus habeatur à Caipha non ad Caipham, tamen Auguſtinum ita legiſſe ex ipſa liquet interpretatione, quum quærit, ſed ſi ad Caipham, cur in prætorium? Cæterum nihil erat cauſæ, cur in has anguſtias conĩceret Auguſtinus, tum ſe, tum pontificem ac præſidem, ut duo ſummo magiſtratu præditi, duo diuerſiſſimæ religionis ac gentis, ſub ĩſdem tectis habitare cogerentur. Res ipſa in expedito eſt, totus error è menda ſcriptoris ortus, torſit Auguſtinum. Atqui cum tantopere hæreret, ut nec ſibi ſatisfaceret, mirum eſt, non conſuluiſſe Græcos codices, aut certe Latinos emendatores. Primum Ieſus adductus eſt ad Annam, is uinctum miſit ad Caipham generum, illinc cum tota nocte nihil reſpondiſſet, mane deductus eſt ad ædes præſidis. Deprauandi occaſio hinc nata eſt, quod lector non agnouit tropum ſermonis, quo dicimus ad nos pro eo quod eſt ad ædes noſtras, & à uobis eſt, id eſt ab ædibus ueſtris. Similem errorem indicauimus Marci quinto. Ab archiſynagogo. Eſt autem hic tropus ſynecdoches ſpecies, qua poſſeſſorẽ indicamus nomine rei poſſeſſæ. Quale eſt Vergilianum illud. Iam proximus ardet Vcalegon. Item illud ex Eunucho. Eamus ad me, id eſt, ad ædes meas.

Penſitata Auguſtini ſententia.

Miniſtri mei utiq; decertarent.) Cum Græcis conſtanter ſit ἠγωνίζοντο, mirum, quid ſequutus Cyprianus libro aduerſus Iudæos ſecundo, capite uigeſimooctauo, legerit, Miniſtri mei turbarentur.

EX CAPITE DECIMONONO.

ET dicebant, aue. In Latinis codicibus addũtur hæc: Et ueniebant ad eum, & dicebant aue. Id in Græcis non eſt, nec uideo qui congruat, ni forte alĩ percutiebant, alĩ ſalutabant.

Et exinde.) ἐκτότε, id eſt, Ex eo, ut ſubaudias tempore.

Lichoſtratus.) λιθόστρωτον. Græce ſonat, quaſi dicas lapide ſtratus. Atq; ita legitur in uetuſtis exemplaribus Latinis lithoſtrotos. Quanquàm admodum inuitus in huiuſcemodi nugis facio iacturam tẽporis, tamẽ operæpretium eſt audire, quàm belle Græcam uocem λιθόστρωτος interpretentur duo theologicæ rei primores, Nicolaus Lyranus, & Hugo Carrenſis. Nam prior ille lichoſtratus, inquit, Græcum eſt uerbum, & dicitur à lichos lapis, & ſtratus quod eſt pauimẽtum, ſiue ſtratura. Poſterior autem, lichoſtratus, inquit, Græce eſt iudicium, ſiue iudiciale. Obſecro te candide lector, quid efficiant ĩj, qui quicquid habent eruditionis ex huiuſmodi ſcriptoribus hauriunt, ex dictionarĩjs, ex ſummulis, undecunq; iam plus decies congeſtis ac reſuſis, idq; ab ĩjs, qui ſi quid forte nacti fuerint eruditum in bonis autoribus, aut prætermittunt quia non intelligunt, aut ſi attigerint, contrectatione conſpurcant & contaminant. Nihil autem tam fortunatum, quod iſti non reddant aliquo pacto deterius, & horum nænias uelut oracula legimus, in his cõſeneſcimus. Proinde tales euadimus ipſi, quales ſunt ĩj, in quorum ſcriptis aſſidue uerſamur. Cæterum ut ad rem redeam, λίθος, lithos, non lichos Græcis lapis eſt & στρωννύω, ſterno, inde στρῶμα dicitur quod quocunq; modo ſtratum eſt, & στρῶμα, quod inſternitur. In codice aureo lithoſtrotus recte ſcriptum erat, quemadmodum & in Conſtantienſi. Cæterum Gabbata locum æditum ſonat Hebræis. Vnde apparet locum fuiſſe æditiorem, ac commodum iudicio.

Lithoſtrotus.

Ridicula interpretatio duorum.

Non habemus regem niſi Cæſarem.) Cæſar hoc loco ſignificat imperatorem Romanum. Nam id cognominis etiamſi non fuit ortum à Iulio, tamen ab hoc imperĩj uſurpatore, in ſucceſſores tyrannidis eius deriuatum eſt. Porrò quod regẽ uocat, non imperatorẽ, hoc eſt,

Imperator.

hoc eſt, βασιλέα, nō αὐτοκράτορα, ſciendū eſt, Græcis & imperatorē Romanū dici βασιλέα. *Imperator.*

Et baiulans ſibi crucem.) Græci legunt, Crucem ſuam, τὸν σαυρὸν αὐτοῦ. Hoc tametſi ad ſenſum nihil intereſt, tamen admonitum uolui lectorem, ne continuo radat.

Et titulum Pilatus.) Euangeliſta Latina uoce uſus eſt, τίτλον, ut ſupra in linteo & prætorio. Matthæus uocauit αἰτίαν. Dicere poterat ἐπιγραφὴν, id eſt, Inſcriptionem, quemadmodum dixit Lucas. *Titulus τίτλος*

In ſuam.) εἰς τὰ ἴδια, id eſt, In ſua, concordantibus & antiquiſſimis uoluminibus, hoc eſt, In ſuū ius. Sic etiam interpretatꝰ Ambroſius in libello ad uirginem.

Vas aceto plenum.) Quū Græce ſit σκεῦος, tamen Hilarius locum hunc adducens cōmentario in pſalmū lxviij. legit, pro uas, concha, ueluti uaſis genus exprimens.

Tradidit ſpiritum.) Cyrillus hic ſubijcit & interpretatur de uelo tēpli ſciſſo, quod nec in Latinis codicibus, nec in Græcis additum comperitur: & tamen ille huic particulæ, principium caput tribuit, ne quis caſu factum exiſtimet.

Lancea latus eius aperuit.) ἔνυξε, id eſt, Fodit, ſiue pupugit. Interpres legiſſe uidetur ἤνοιξε, quod ſignificat, Aperuit.

Et ille ſcit quia uera dicit.) Senſus anceps eſt etiam Græcis, utrum Chriſtus ſciat quod Euangeliſta uera narret, an ipſe Ioannes ſibi cōſcius ſit, quod uera loquatur. loquiſt enim de ſe, ueluti de tertia perſona.

Videbunt in quem compunxerunt.) Eſt apud Zachariam capite duodecimo. Iuxta æditionem Septuaginta legitur ad hunc modum: Et aſpicient ad me, pro eo quod inſultauerunt, καὶ βλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν ὠρχήσαντο. Hebraica ueritas ſic habet, interprete Hieronymo: Et aſpiciunt ad me quem confixerunt. Diuus Hieronymus indicat Septuaginta lapſos ſimilitudine elementi. Nam ſi legatur, דָּקָרוּ ſonat ἐξεκέντησαν, id eſt, Compunxerunt. Si autem contrario ordine literis cōmutatis רָקְדוּ ſonat ὠρχήσαντο, id eſt, Saltauerunt. Itaq; Ioannes neq; magnopere reſpexit quid uertiſſent Septuaginta, & ex Hebræo ſenſum magis curauit appendere, quàm annumerare uerba. Citat hunc locum idem Hieronymus in libello ad Pammachium de optimo genere interpretandi. *Cōpunxerunt inſultarunt.*

Et ligauerunt eum.) αὐτόν, id eſt, Illud, nempe corpus. Atq; ita legit Auguſtinus.

EX CAPITE VIGESIMO.

Vcurrit ergo.) τρέχει, id eſt, Currit, uerbo præſentis temporis.

Inuolutum in unū locū.) In uno loco, ἐν ἑνὶ τόπῳ Græca præpoſitio anceps eſt.

Et ſudarium.) Latina uſus eſt uoce Græce ſcribens. Nam illi καλύπτρην appellant, autore Polluce. *Sudarium.*

Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos.) Quid eſt, Iterū abierē: an iam ſemel abierāt? Proinde Rurſus erat dicendū, non Iterū. Et Ad ſe dixit, p Domū ſuā.

Et uidit duos angelos.) καὶ θεωρεῖ, id eſt, Cernit, ſiue uidet, præſentis temporis.

Duos angelos in albis.) Interpres reddidit Græcam figuram, iuxta quam illi in purpura uocant hominem purpuratum: unde nos uertimus Albis amictos.

Conuerſa eſt retrorſum & uidit.) Rurſus eſt θεωρεῖ, id eſt, Videt, præſentis temporis.

Quia uidi dominum, & hæc dixit.) ὅτι ἑώρακε τὸν κύριον, καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ, id eſt, Quod uidiſſet dominum, atque is hæc dixiſſet ſibi. Interpres legiſſe uidetur ἑώρακα, nec refert ad ſenſum.

Dixit ergo eis iterū, pax uobis.) Vides ut nihil magis inculcauit Chriſtus ſuis, quàm pacem. In extrema illa oratione, quàm ſollicite mandauit ſuis, ut inter ſeſe amarent, quoties iterat hoc ſuum præceptum? Deinde quàm enixe obſecrat patrem, ut illi unū eſſent. Non ait, Concordes, ſed unum, & addidit inſigne exemplum ſummi cōſenſus: Sicut tu & ego unum ſumus. Hic rurſus non contentus ſemel dixiſſe: Pax uobis, repetit Pax uobis, & non pudet hodie Chriſtianum populum, nihil aliud quàm belligerari? Ferendum utcunque, ſi tantum inſaniret populus. Nihil aliud aucupantur plericq; principes, imò quod fœdius eſt, non ſolum incitant ad hæc ſacerdotes, uerum ipſi belligerantur. Qui profitentur euangelium pacis, plebem ad bella cohortantur, & quorum erat inflammare ad pietatem, hi claſſicum canunt, & huc detortis ſacris literis, pacificum illum ac manſuetiſſimū Chriſtum, belli faciunt autorem. Qui ſi rediret in hanc ætatem, diſpeream, niſi durius tra- *Chriſtus nihil diligētius docuit, quàm cōcordiam.*

ctandus sit ab hoc Pharisæorum genere, quàm ab illis olim fuit acceptus. Verum hæc πάρεργα. Annotandum & illud, quod semel & iterum precatus pacem, deinde insufflato spiritu dixit, Quorũ remiseritis peccata, &c. Qui ex his posterioribus cristas erigũt, & tyrannidem quandam sibi uindicant, cur non meminerunt eorum quæ mox præcesserunt? Omnia plena dissidijs, litibus, bellis. Toti turgemus mundano spiritu, & tamen placemus nobis, autoritate cõmissa remittendi, aut retinendi peccata. Tuere autoritatem, sed cura ut adsit spiritus, per quem ille tribuit autoritatem.

Autoritas remittendi peccata datur, sed prius dato spũ sancto.

Ascendo ad patrẽ meũ.) In hoc sermone semel dũtaxat additur articulus, πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεόν μου, καὶ θεὸν ὑμῶν. Siue quod articulus præcedens seruit & reliquis partibus, siue quod hoc pacto magis exprimitur quod sensit Christus, se accedere ad eum qui esset pater sibi cõmunis cum discipulis, atq; idem deus, sibi cum illis cõmunis. Sic & Paulus alicubi, Deus & pater domini nostri Iesu Christi. Etenim si dixisset τὸν θεόν μου, uisus fuisset, alium dicere patrem suum, alium deum suum.

Fixuram clauorum.) τύπον, id est, Figuram, atq; ita legitur in quibusdam codicibus Latinorum. Certe in exemplari Corsendoncensi manifestum rasuræ uestigium, declarabat prius scriptum fuisse figuram, non Fixturam, Constantiense sine rasura habebat, figuram, etiamsi mihi neutrum uerbum satis arridet. Sentit enim uestigium uulneris ex clauis impressum. Augustinus enarrans epistolam Ioannis, uertit Cicatrices. Verum ut Latinis exiguum est discrimen inter fixuram & figuram, ita Græcis inter τόπον & τύπον. Apud Irenæum lego figuras.

Incredulus, sed fidelis.) ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός, id est, Infidelis, sed fidelis, siue Incredulus, sed credulus, aut credens, ne pereat κακονομασία. Etenim quod scribit Valla, fidelem Latinis sonare bonæ fidei hominem magis quàm credentem, hoc est, non qui habeat alteri fidem, sed qui præstet fidem, uere quidem dicit, uerum ea uox iam ab omnibus Christianis scriptoribus in hunc sensum est usurpata.

Christus aperte dictus deus

Dñs meus & deus meus.) Hic est unus locus in quo palàm Euangelista Christo dei uocabulum tribuit. Alioqui cum innumera sint argumenta in libris noui testamenti, quibus euidenter liquet pijs mentibus, Christum deum pariter atq; hominem fuisse, tamen infrequens est aperte dici deum, quod tam cœleste mysterium aures adhuc illius ætatis uix laturæ uidebantur. Qua de re paulo copiosius dicemus in Annotationibus, quas scribemus in prioris ad Timotheum epistolæ caput primum. Nec est quod cauilletur hæreticus, hoc à discipulo dictũ. Agnouit Christus, utiq; repulsurus si falsò dictus fuisset deus, præsertim cæteris audientibus discipulis.

Qui non uiderunt & crediderunt.) οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες. Augustinus in eo quẽ paulo ante citauimus loco, uertit, Et credunt, quod apud Græcos rarum non est in uerbis affectuum, præsertim quæ notant actum manentem. Neq; enim qui credidit, credere desijt, sicut qui cœnauit cœnare desijt.

EX CAPITE VIGESIMOPRIMO.

T illa nocte nihil prendiderũt.) Et iterũ: Afferte de piscibus quos prendidistis. In nõnullis habebat, Ceperũt & cepistis. Græce est, ἐπίασαν & ἐπιάσατε

Pulmentariũ προσφάγιον

Nunquid pulmentariũ habetis.) προσφάγιον, quod mox appellat ὀψάριον, inde dictũ quod addat panẽ, & Num quod dicendũ erat, aut certe qd pulmẽtarij. Tunica succinxit se.) τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, id est, Pallio, siue penula. Nam tunica uestis est interior. Ependytes dicta, quod superne induatur.

Prunas positas.) ἀνθρακιὰν, ignis est ex congestis carbonibus.

Piscem & piscibus.) ὀψάριον, ὀψαρίων. Hic palàm apparet ὀψὸν & ὀψάριον eius nominis diminutiuum pro pisce accipi, cum dicatur ab ἕψω, quod est, asso.

Tanti, pro tot

Et cũ tanti.) τοσούτων ὄντων, id est, Cũ tot essent. De nũero loquit, nõ de magnitudine.

Et accepit panem & dabat eis.) Venit, accipit, & dat, omnia Græcis præsentis sunt tẽporis, ἔρχεται, λαμβάνει, δίδωσι. Suffragatur Græcæ lectioni codex aureus.

Hoc iam tertio.) τοῦτο ἤδη τρίτον, id est, Hac iam tertia uice.

Simon petre.) σίμων ἰωνᾶ, id est, Simon Iona. Quanq; in nonnullis erat ἰωαννᾶ, quemadmodum & in Luca.

Diligis

Díligis me plus his?) Cur interpres non uitauit amphibologiã,dicens,Díligis me plus quàm hi? Alioquí Diligis me plus his,poterat intelligi,Diligis me plus quàm hos.

Tu scis quia amo te.) Quod modo Diligis erat,nunc mutat Amo. Verum uariauit & Euangelista Græcam uocem,prius illud est, ἀγαπᾷς, posterius, φιλῶ, quibus tamen citra discrimen est usus.Id quod indicauit & Augustinus libro de ciuitate dei decimoquarto,ne quis arbitratus subesse mysterium in hac uarietate frustra philosophetur.Apud Latinos amo uehementius est,quàm diligo.

Amo ἀγαπῶ. Amo φιλῶ.

Pasce agnos meos.) Bis dixerat, βόσκε, id est,Pasce,siue ale,semel ποίμαινε, id est, Rege,ut pastor regit gregem.Nec est ubicq; Agnos,sed bis πρόβατα, id est,Oues,semel ἀρνία. Nec in his opinor ullum esse discrimen.Illud obiter est admonendũ,quí ex hoc loco gloriantur sibí cõmissum gregem domini,eos primum oportere meminisse à Petro ter exactum amorem erga Christum,neq; quemlibet amorem,sed ardentiorem cæteris: deinde ter item cõmissam illi curam gregis.Illud nimirum significatum est,non esse idoneum sacerdotio,nisi quí neglectis omnibus,nihil amet,nisi Christum,hoc est,ueritatem,innocentiam,pietatem. Ad hæc nihil huic antiquius esse debere,quàm incolumitatem gregis sibí crediti.Proinde quæso quid frontis est istis quibusdã,quí pphanis,imò sceleratis principum obsequijs,quí pecunijs huc penetrant,quí sacerdotium nihil aliud, quàm quæstum ac tyrannidem esse putant? Nec meminerunt q; attente quibusq; legibus Christus suas oues Petro cõmiserit? Nec cõmiserit deuorandas,sed pascendas.Pascendas exemplo piæ uitæ,pascendas Euangelicæ doctrinæ pabulo,siue lac desiderabunt, siue solidum cibum, pascendas etiam opum subsidio,si res ita poposcerit.

Oues,agni.

Episcoporum summa in gregẽ charitas.

Quò tu non uis.) ὅπου οὐ θέλεις. At cur non & superius itidem uertit,Ibas ubi uolebas, cum sit idem aduerbium Græcum? quanquàm ego malim utrobique,Quò ibas,quò uolebas,& Ducet quò non uis.

Qui tradet.) ὁ παραδιδούς, id est, Qui tradit.

Sic eum uolo manere.) Quum omnia Græcorum exemplaria cõstanter habeant scriptum, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν, nemini dubium esse potest,quin cõiunctio si,mutata sit in aduerbium sic,idq; non interpretis uitio, sed errore librarij.Siquidem apud Latinos facilis & procliuis prolapsus est,à si,in sic,ob uocum affinitatem.Cæterum apud Græcos nihil simile est inter,ἐὰν & οὕτως,ut hac occasione lapsus uideri possit interpres.Neq; uero solũ consentiunt exemplaria Græcorum, uerum etiam interpretes Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus.Quãq; in his uoluminibus Chrysostomi nuper excusis,ab indocto quopiam si,mutatum erat in sic. Verum ipsa interpretatio palàm arguit Chrysostomum si legisse,dum in hanc disserit sententiam,Christum noluisse respondere Petro,quid esset facturus de Ioanne,sed uoluisse temerariam & curiosam illius interrogationem retundere, at id nõ fecit,si respondit illum mansurum.Quin & diuus Hieronymus primo aduersus Iouinianum libro,citat hunc locum iuxta Græcam ueritatem.Et tametsi solent huiusmodi omnia ad semel publicitus receptum errorem deprauari,tamen haud scio quo casu factum est,ut hic locus etiamnum in uulgatis exemplaribus apud Hieronymum manserit incorruptus.Qui si maxime fuisset corruptus,tamen ipse disputationis tenor arguit Hieronymum si,legisse non sic.Et quanq; ad rei comprobationem satis erat tantus Græcorum codicum omnium consensus,tamẽ in exemplari,cuius copiam nobis fecit bibliotheca canonicorum Corsendoncensium,palàm scriptum est,Si eum,non sic eum.Nec dubito quin itidẽ scriptũ fuerit in Paulino codice,nisi quod extrema pagella nos destituerat. In uetusto codice,quem uidimus in bibliotheca collegij,quod est Brugis diuo Donatiano sacrũ,asscriptũ erat utrũq;,si sic,nec locus carebat rasura.Astipulantur nobis uetustissimi codices,quorũ autoritatem sequuti sunt Basileæ fratres Amorbachij.Itẽ codex Euãgelicus q ob uetustatis miraculũ seruat in bibliotheca collegij Cõstantiensis,cuius inspiciendi copiam nobis fecit uir candidissimi pectoris Ioãnes Botzemus eius sodalitij canonicus,bis citra ullũ rasuræ uestigiũ habebat,si eum.Inter uetustiores solus Augustinus q; busdam legisse uidetur,Sic eũ uolo manere:uir ille quidẽ,quod negari nõ potest,sanctus, integer,acuto præditus ingenio,uerum pro ingenij simplicitate impense credulus, neq; perinde munitus præsidio linguarum,etiamsi non omnino rudis fuit Græcanicæ literatu-

Manifestum mendũ in Latinis codicibus.

ræ,at non eouſq; doctus,ut Græcos interpretes expedite poſſet euoluere.Adde quod,& ſero uenerit ad Chriſtiani nominis profeſſionem, & mox iuuenis ad epiſcopale munus raptus eſt,ut ferè docendo diſcere cogeretur quod doceret,& ſcribẽdo diſceret,quod ſcriberet,ut ipſe,alicubi fatetur.Proinde ſi quid etiã laberetur,uir alioqui maximus,non erat tamen cõuitijs inſectãdus,quod nimiũ acerbe fecit hoc loco Valla. Auguſtinus, inquiẽs, ne hic quidẽ Græcam conſulens ueritatem,ſperat ſe inter falſa uerũ inuenire.Et aliquanto poſt odioſius,Nunc in tanta re uel euangelica,uel ad euangeliũ pertinente,Græci fontis ueritate omiſſa,poſtulat ut ſibi credamus,&c.Imò ſi quis attentius excutiat expoſitionem Auguſtini,comperiet & illum legiſſe, Si eum, non ſic eum,atq; illud ſic ab indocto quopiam corruptum.Etenim quum fatetur obijci poſſe,dominũ non dixiſſe quidẽ quod Ioannes non eſſet moriturus, ſed tamen innuiſſe,nõne ſatis aperit quid legerit? Nam rogatus quomodo uelit ſterni lectum,ſi reſpondeat,ſic uolo manere,non ſignificat uelle inſtratũ manere,ſed clare explicat.At ſi reſpondeat,quid ſi ita uelim manere, ſubſignificat nolle ſterni, ſed ſic, ut in dubio relinquat quid uelit: uelut in comœdia qui ſic loquitur, Quid ſi tibi eã nolo uendere,coges tu me,nõ negat ſe uelle uendere,ſed indicat ſibi liberũ eſſe uendere aut non uendere.Atq; hæc dixerim,nõ quod impium exiſtimem alicubi diſſentire ab Auguſtino,ſed quod nolim eum ſine cauſa reprehendi.Porrò quanq; hæc non faciunt hæreticum,ſi ſic,legas pro ſi,tamen error tam manifeſtarius nõ eſt diſſimulandus in literis Euangelicis.Et ut fateor,nõ inſectandum conuitijs qui ſic labatur,ita cõmiſerandum aio,ac ſubleuandum.Excuſatur is qui per imperitiam literarum his uerbis baptizauit,In nomine patria,& filia,& ſpirita ſancta. Nemo tamen ſciens laturus ſit huiuſmodi baptizatorem.Quin ipſe Auguſtinus nõ probabat,quod populus in tẽplis caneret:Sup ipſum aũt floriet, pro florebit,etiam ſi ſciret deum non offendi ſolœciſmis.Quãto minus diſſimulandum,ſi tanto fœdior menda in Euangelicas irrepſerit literas? Quod ſi Latinus interpres indicandi modũ uertiſſet in modum ſubiunctiuũ,nõ perinde lubricus fuiſſet ipſus:Si eum uelim manere donec ueniam. Vt ne repetam interim,quod ipſe ſermonis cõtextus refellit iſtorũ lectionem.Sequitur enim,Et non dixit Ieſus,quod diſcipulus ille nõ moritur.Quod ſi ſuperius legamus,Sic eum uolo manere, planè dixit eum non moriturũ,donec ueniret,quod Ioannes dictum fuiſſe negat.Nec ambigit Ioannes,quin Chriſtus manere dixerit,non mori,uerum negat id affirmaſſe Chriſtum,ſed in ambiguo reliquiſſe,ut ea res nihil attineret ad Petrũ. Iam quũ in oĩbus Græcis codicibus ſummus ſit cõſenſus,quũ in tot uetuſtis Latinorũ libris reperiatur ſcriptura cũ Græcis cõſentiens, quũ Cyrillus à Trapezontio uerſus obtineat germanam ſcripturam,quæ quidẽ non ſemel repetiť,& liber eſt excuſus Lutetiæ ex autoritate theologorũ,ſicut indicat præfatio,quũ eadem lectionis integritas maneat apud Hieronymũ,Deinde quum Hieronymi,Chryſoſtomi,Cyrilli,nec dubito quin Theophylacti interpretatio (Nam hic extrema pagina deciderat)nõ patiať aliud legi,q; ſi eũ uolo,tamẽ theologus quidam Cartuſianus ædito libro fortiter aſſeuerat,ſic eſſe legendũ ex autoritate Græcorũ & Latinorũ omniũ,duobus fretus argumẽtis,primũ quod ſic habet codex Chryſoſtomi latine uerſi,& indiligẽter excuſi,deinde quod ſic hodie recitatur in eccleſia.Hanc enim legẽ nobis præſcribit, ut eã ſcripturam habeamus pro germana,quã obtinuit uſus uulgaris.Atqui codices declarant,ante annos trecentos aut quadringentos,publicũ uſum habuiſſe,ſi.Hæc igitur tum erat germana lectio iuxta huius præſcriptũ.Sed quoniam nũc deprauato loco,publicus uſus habet ſic,quæ prius erat germana lectio, nũc eſt notha. Tãtũ ualet uſus,ut eadẽ res ſit uitrũ & gẽma.Sed aſſcribã Cyrilli uerba,quibus declarat quid legerit.Hunc igiť,inquit,ita dominо dilectũ quũ reſpexiſſet Petrus,ſtatim interrogauit quis uitæ illi terminus immineret.Sed quoniã curioſa magis q; utilis rerũ alienarũ inquiſitio eſt:reſpondet quidẽ,ſed ita ut rogantis animũ abducat ad alia:nec mortis expertẽ futurũ Ioannem ait,ſed ſi eum uolo manere donec uenio,quid ad te?id eſt audiſti Petre quæ ad te pertinẽt,cur aliena quæris? cur diuinæ iuſtitiæ ſecreta rimaris? Nam ſi etiã uellem minime iſtũ mori,quid tu unq; emolumenti,aut quid conſolationis conſequereris? Non erit ergo prudens curioſus,ſi quid paſſurus ſit,utrũ etiam alij eadem ſubibunt an non,cum aliorum calamitate periculа ſua non mitigentur.Quamuis cõmuniter inſitum eſſe hominibus uideatur,ut optent

ſi quid

Auguſtinus defenſus ad uerſus Vallam.

Error manifeſtus etiam in uocibus non eſt ferendus:

ſi quid periculi ſubituri ſint,non eſſe ſolos,ſed cæteros etiam aut uidere ſimília pati,aut ſal tem audire perpeſſos fuiſſe,uel omnino idem paſſuros. Quin & in Catena quũ multi fru ſtulatim citentur,tamen bonus aliquis caſus uno loco ſeruauit integram lectionem,in his quæ ut arbitror referũtur ex Theophylacto,Opus tibi cõmiſſum attende & perfice, hũc uero ſi uoluero manere hic,quid ad te? Solus Auguſtinus inter ueteres legiſſe poteſt uideri,Sic eum uolo manere,deceptus mendo codicis,& ob id offenſus abſurditate ſermonis torquet ſenſum uarijs interpretationibus. Vt autem intelligas hoc librariorum temeritate factum eſſe,Priore loco lector offenſus hoc ſermone,Dixit ei Ieſus:Si eum uolo manere,donec ueniam,non animaduertens ſi poſitũ pro an,aut quid ſi,& hanc partem referri ad id quod ſequitur,quid ad te,uertit ſi in ſic,& particulam quid ad te,ſeparauit à ſuperioribus,Mox ubi uidit repetitũ, ſi eum uolo manere,nec perinde iam congruere,ſi,quid ad te,ſepares à ſuperioribus,reliquit ſi,piguit tamen reſtituere,quod ante mutarat.Ita factũ eſt ut in nõnullis codicibus prior locus habeat,ſic,poſterior ſi.Deinde uariãte ſcriptura,quũ in alijs ſic,in alijs ſi reperiretur,aliquis aſſcripſit alterũ in margine,tandẽ utrũq; relatum eſt in cõtextum.Hoc deprauandi genus frequenter offendimus in Hieronymo & Cypriano.Si quando citabatur ab illis aliter ſcriptura,cũq; uulgo legitur,offenſus ſcriba doctulus mutauit,quod citabatur ex ſua memoria iuxta uulgatam æditionem.Poſt ubi uideret eadẽ ſæpius repeti, ſenſit nõ eſſe lapſum ſcribarũ,deſijtq; mutare.Itaq; uariabat lectio in principijs & in medijs aut fine.Poſteaq; uero res tot argumẽtis pſpicua eſt,ſi quis in codicibus uulgatis eraſiſſet ſuperfluam c,aut in templo pronunciaſſet,ſi eũ uolo manere,non erat carpendus ſed imitandus,ſi modo mutatæ lectionis rationẽ redderet, Nunc ego nec radendi,nec in templis aliter pronũciandi ſum autor,tantum indico germanam lectionem ex fide utriuſq; linguæ codicum,& ex interpretatione probatiſſimorum eccleſiæ doctorum.Ita qui ueritati cõmonſtratæ non credat,fortaſſe pertinax dici poſſit, qui reclamet,impudens,qui monſtratorem negligat,ingratus,qui non aſſequatur tam euidẽtia,tardus.Cæterum qui pro errore inueterato docet quod rectum eſt,nec ingerit noua, ſed uetera reſtituit,hunc ſi quis falſarium ſeditioſe clamitet,& mundum in illum ſcriptis furioſis cõcitet,quæſo quo nomine donandus uidetur? Vt ego taceam,res ipſa loquitur. Et tamen hi ſe iactant abſolutos theologos,nec minus ſibi uidentur pij q; docti, abominãdum facinus arbitrantes,ſi pro ſcaro ueſcantur ouilla,& meram religionem eſſe ducunt,ſi bene monentem ſic calumnientur. Tale ſanctorum genus gignunt nobis, linum & lana, corium & pannus,piſces & fabæ,nigror & albor,nomina & tituli.Excitet dñs ſpiritũ ſuũ in omnibus.

Donec ueniam.) Fallit hic Chriſtus ſuos diſcipulos in Donec ueniam. Expectabãt enim mox uenturum regnum Iſraël.Sequi erat mori morte uiolenta.& Manere non ſignificat, ſimpliciter non mori,ſed non mori ad exemplum Chriſti.

Quia non moritur.) Rectius erat,Quod non moreretur.Quanq; cõmodius erat omittere coniunctionem,propter id quod ſequitur,Sed ſi eum uolo manere.Neq; enim Dixit ei,refertur ad Ioannem,ſed ad Petrum.Hoc obiter adijcere uiſum eſt,quod quidã erudi/tus hoc loco putauit non poſſe coniunctionem omitti citra incõmodum.

Exiuit ſermo inter fratres.) Quomodo exijt,ſi erat inter fratres? quanq; ſic uſus eſt hoc uerbo Suetonius in Nerone.Exijt,inquit,poſt ſcenicas coronas opinio.Proinde dilucidius ac Latinius erat,Permanauit rumor inter fratres, hoc eſt, ad Chriſtianos cæteros. & quod illic erat dictum paucis audientibus,id ſerpſit ad plures uulgante fama. *Exire, pro diuulgari.*

Nec ipſum arbitror mundũ capere poſſe.) Hic Auguſtinus offenſus hyperbola, capere nõ ad ſpatiũ loci refert,ſed ad animũ. Verum ad eundem modũ,nec unã pagínam diuinæ ſapientiæ capere poſſit mũdus.Nihil tale Chryſoſtomus,& Cyrillus,ingenue fatentẽ hyperbolen eſſe.Sentit aũt incredibilẽ uim,ac multitudinẽ librorũ.Eſt em Græcis χωρῆσαι,quod de ſpatio loci,pprie dicit,ut annotauimus in eũ locũ,Non omnes capiunt hoc uerbũ.Nec eſt,poſſe capere apud Græcos,ſed tantũ χωρῆσαι, id eſt,capere,ſiue capturũ. Certe in aureo codice poſſe nõ addit.Ne in Conſtantienſi quidẽ. Deinde Qui ſcribendi ſunt,melius erat, Qui ſcribendi forent. *Hyperbole.*

FINIS ANNOTATIONVM IN IOANNEM.

DES. ERASMI ROTERODAMI ANNOTATIONES IN ACTA APOSTOLORVM. EX CAPITE PRIMO.

Actus. Acta. Gesta.



CTVS Apostolorum.) πράξεις. Quod Cyprianus uertit, acta, Hieronymus interim actiones, interim acta uocat. Cæterum actus masculino genere reperitur quidem, sed in carmine, ut apud Lucanum: Licet ingentes abruperit actus. Verum acta magis uocantur, quæ iudicijs aut testamentis, aut consimilibus modis transiguntur. Proinde ego gesta malim quàm acta, si utrūq; sit ex æquo liberum.

Hæc historia pars est euangelij.

Primum quidem sermonem.) Equidem cupiebam hunc librum Lucæ, cum priore coniungere. Quandoquidem ille historiam euāgelicam duobus est complexus uoluminibus, quorum utrunq; ad eundem scripsit Theophilum, & posterius auspicans, prioris facit mentionē. Cæterū uerebar, ne non ferendum uideretur, euangelia distrahere. Quanquàm hæc historia quid aliud est, quàm euangelij pars, eaq; meo iudicio non minima. Siquidem illic describitur granum frumenti solo conditū, hic describitur enatum, suasq; paulatim aperiens ac proferens opes. Quod ni per Lucam cognouissemus, quibus modis aduenerit, p/missus ille spiritus, quibus initijs cœperit ecclesia, quibus rebus polluerit, quibus creuerit rationibus, nōne bonam euāgelij partem ignorassemus? Atq; utinam sanctus Lucas, quē admodum exorsus erat hanc narrationem, ita longius fuisset prosecutus, ac de cæterorū item apostolorum gestis nonnihil attigisset. Quo magis admiror, apud Græcos hunc librum tam uarium haberi, neq; quenq; extitisse, apud Latinos ex antiquis scriptoribus, qui tam præclarum opus, ac prorsus euangelicæ tum maiestatis, tum fidei, suis cōmentarijs illustrarit. Nihil enim extat, quod sciam, in hoc, præter aliquot locorū uocabula, quæ Hieronymus annotauit, uerum ea non solum pauca, sed etiam paucis, si tamē hoc ipsum opusculum Hieronymi censendum est, certe docti hominis est, nec indignū Hieronymo, nisi quod ibi citatur Hieronymus. Sero recepta est epistola ad Hebræos. De epistola Iacobi nonnihil est addubitatum. Apocalypsim sero recepit Italia, Græcia ne nunc quidem satis approbat. Cæterum de actis nulla unq; dubitatio. Nam quod hic liber non receptus fuerit à Manichæis, quemadmodum indicauit Augustinus libro quo refellit Adamantiū Manichæum, hoc plus etiam ponderis apud orthodoxos habere cōuenit, si displicuit hæreticis non minus ridiculis q; impijs. Atq; hoc sanè maiore studio conuenit, ut Christiani suæ gentis incunabula studeant cognoscere: quo posteaq; cognitum habuerint quibus rebus adoleuerit, ijsdem intelligant collapsam religionem instaurandam esse. Quum hanc quartam adornarē æditionem, forte nactus sum Græcos cōmentarios Ioannis Chrysostomi titulo, uero ne an falso nondum pronuncio. Ex his tertia æditione quædam retulerā schedis per amicos suppeditata. Is exordiens testatur hoc opus adeo non fuisse celebre apud Græcos, ut non autor modo pleriq; fuerit ignotus, uerum ne id quidem sciret, an extaret liber hic de gestis apostolorum. Hoc opinor illum de uulgo fuisse loquutū, nō de doctis. Cæterum exemplaria declarant hunc librum nō perinde fuisse tritū apud Græcos, ut euangelia aut epistolas Pauli. Nec enim in ullo uolumine (de sacris loquor) maior erat lectionis uarietas. Ex fragmentis quæ truncatim adferuntur in glossa quam uocant ordina

Acta apud Græcos depraua.

ordinariã,apparet extitisse tum in hoc opus cõmentarios neutiq; indoctos,quos ego ab istis rhapsodis studio suppressos fuisse suspicor,quo pluris fierent quæ collegerant.Idem suspicor de ueteribus,quos citari uidemus in Catena aurea.Quis enim casus tot uolumina sic extinxisset,ut nullum usquàm supersset,uel casus incolume beneficio? Apud me certe nulla est dubitatio,quin spiritus sanctus ad fidei nostræ certitudinem hoc opus suppleri uoluerit,nec ultra tamen proferri rerum gestarum historiam,partim ne nobis incerta essent ecclesiæ crepundia,partim ne uarietate narrationum à Christo paulatim delaberemur ad humana.Et erat semel finienda scripturarum inuiolabilis autoritas,ne turba uoluminum eleuaretur.Etenim si legas ea quæ cæteri qui feruntur fuisse uicini temporibus apostolorum literis prodiderunt,uel ut ab ipsis audita conspectaq;,uel ab ijs qui uiderant accepta,uideberis tibi fabulas,ut ita dixerim legere,si cõferas cum grauitate fideq; huius historiæ.Et in his esse constat,qui quod in dialogis fieri solet,ex his quæ sacris libris continentur narrationes fictas contexuerint,aut certe ueris falsa miscuerint: rursum, qui uel ob ingenij tarditatem,uel ob memoriæ debilitatem,ea tradiderint,quæ uel nõ audierant, uel non intellexerãt.Huius generis esse puto scripta Clemẽtis & Papiæ,fortassis & Dionysij.Certe Papiam notat Eusebius in historia ecclesiastica,quasi qui quæ à Ioanne audierat,ingenio nõ sit assequutus, unde & scriptis suis præbuerit multis ansam erroris. Homines erant,& humanis affectibus obnoxij.Quod si statim in his qui uixerant cum apostolis reperta est suspicio uel erroris,uel uanitatis,quid futurum arbitraris fuisse,si talium narrationum aut scriptorum autoritas longo successionis ordine, transisset ad posteros? Summa cura pariq; fide contexuit ecclesiasticam historiam Eusebius Cæsariensis. At q̃ multa illic referuntur, quæ nihil habent grauitatis Ecclesiasticæ?

Primum quidem.) Sæpius admonuimus apud Græcos πρῶτον usurpari uice comparatiui.Primum,pro priorem,siue superiorem.Nam sermonem,haud dubie librum euangelicum uocat,neq; enim ea dixerat,sed scripserat.Et Isocrates suos libellos λόγους appellat.Deinde haud scio satis ne Latine dicatur,Facere sermonem,pro eo quod est,uerba facere.Vnde nos,quo dilucidior esset sensus,non ueriti sumus ad hunc transferre modum, Superiore quidem uolumine diximus Theophile,de omnibus quæ cœpit Iesus, tum facere,tum docere:Poterat & sic, Et facere & docere, siue uel facere uel docere. Nam facereq; & docere,poëticum est apud Latinos,apud Græcos secus, ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν.Partitus enim est omnem Christi uitam in duo,in facta & doctrinam.Fecit is admiranda,sed non minus stupenda docuit.Facta constant miraculis,doctrina decretis.Porrò quod huc adducunt quidam,prius esse facere,deinde docere,id argutius est q̃ accõmodatius.Et tamen ad exhortandum,non inutilis est argutatio. *Primum pro priorem.* *Reiecta quorundam interpretatio.*

De omnibus,) Annotauit & hoc Chrysostomus,quod non dixit,omnia, sed de omnibus,nimirum ordinem ac seriem rerum indicans potius quàm nihil esse prætermissum. Alioqui dissentiret à Ioanne,qui negat mũdum fore capacem uoluminum si singula quæ dominus dixit fecit úe scriberentur.Quod autem de ordine loquitur arguit quod sequit, usq; ad diem illũ. Exorsus est à natiuitate præcursoris,psequutus est narrationẽ usq; ad ascẽsionẽ dñi. Quoniã aũt Ambrosius tribuit Lucæ stilum historicũ, multum lucis adferunt rerum narrationi transitiones eiusmodi,ceu cõmissuræ partium, quæ paucis repetendo quod dictum est,refricant lectoris memoriam,& proponendo quæ dicenda sunt, reddunt auditorem ad ea quæ restant magis docilem.Euangelicam,inquit, historiam ab initio prosequutus sum usque ad tempus ascensionis,quod supereſt,absoluam hoc libro. Annotauit & hoc Chrysostomus, quod modestiæ causa suum opus sermonem uocat non Euangelium.

Per spiritũ sanctum præcipiens.) ἐντειλάμενος. Præteriti temporis est, hoc est,cum præcepisset.Et hunc locum quoniam alioqui uidebatur obscurior,paulo fusius explicuimus ad hunc modum.Ad eum usq; diem,quo postquàm impartitus in hoc ipsum spiritum sanctum,mãdata dedisset,quos delegerat,apostolis,sursum assumptus est. Senſit hic nonnihil incõmodi etiam Beda,nam meminit hyperbati.Cæterum illud Per spiritũ sanctum,ita positum est,ut ambigi possit utrò sit referendum,ad superiora, an ad sequentia. *Sensus anceps.*

Verum sensus magis exigit,ut ad superiora referatur.Siquidem impartijt illis spiritũ sanctũ à resurrectione:& ita mandauit prædicandi munus.Nisi malumus sic accipere, quod ipse Christus in baptismo,spiritum sanctum in se descendentem acceperit, quo facto postea delegerit apostolos.Cæterum prior lectio mihi magis probatur. Præsertim cũ huic assentiatur Chrysostomus διὰ πνεύματος, inquiens, ἀντιφλάμβυος, τοῦτ' ἔστιν, πνευματικὰ πρὸς αὐτοὺς ῥήματα, οὐδὲν ἀνθρώπινον. Neq; enim perinde arridet quod additur Per spiritum sanctũ,quasi illius essent,quæ mandasset.Nam & hunc sensum proponit Chrysostomus. Et quod ait præcepisse, idẽ Chrysostomus nõ refert ad id quod sequitur,Ab Hierosolymis ne discederẽt,sed ad illud potius,Ite & docete omnes gentes &c.ut intelligamus eam doctrinam nõ esse Mosaicam,neq; mundanam,sed spiritualem ac cœlestem.Hoc admonere uisum est,quod uideam interpretes Latinos,hoc in loco & torqueri nonnihil & uariare.

Quos elegit.) οὓς ἐξελέξατο.Hoc interiecit,ut appareat Christum non omnibus mandata dedisse,sed ijs duntaxat,quos ad hoc muneris delegerat,nempe duodecim apostolis,& septuaginta discipulis.

Assumptus est.) ἀνελήφθη,quod magis sonat receptus est,uidelicet in cœlum unde uenerat.Nam assumi dicitur qui in consortium adiungitur, quod Græci dicunt προσλαβεῖν, Matthæi primo.Et προσλαμβάνεσθαι,Rom.xiiij.Et hanc ipsam uocem ἀνελήφθη uertit receptum est, Actuum decimo.

Argumentum signum.

In multis argumentis.) τεκμηρίοις. Argumentũ hic uocat signum aliquod,per quod fides fit rei alioqui dubiæ.Et In multis,Hebraico more dixit,pro per multa argumenta.Cæterum quod sequitur, ὀπτανόμενος, participium est passiuum præsentis temporis.Proinde interpres dum,quod non solet, conatur exprimere rationem temporis, nimis diluto usus est uerbo.Siquidem apparet id quoque quod non est.Nos itaque maluimus circumloqui,Dum conspicitur.

Lectio duplex

Et conuescens præcepit.) Laurentius Valla,putat perperam in Latinis codicibus legi conuescens,sed scriptũ fuisse cõuersans,nõ dissimulans interim in aliquot Græcis codicibus haberi συναυλίζόμενος, in alijs συναλιζόμενος. Prius illud interpretatur cõuersans, posterius hoc,conueniens,siue coniungens se cum illis:sic tamen ut uelit utriusq; dictionis eandem esse uim.Ac satis apparet συναυλίζομαι dictum ab αὐλὴ, quod stabulum sonat aut diuersorium.Cæterum unde dicatur συναλίζεσθαι, non perinde liquet,nisi quod Hesychius συναλιζόμενος, interpretatur συναχθεὶς, & συναθροισθεὶς, id est, Congregatus & cõglomeratus,nec aliò uergunt,quæ scribit Suidas.Quanquàm apud hunc additur,ν,συναυλίσας, inquit,συνάξας,συναθροίσας,ac paulo post συναυλίαν interpretatur συμφωνίαν.Quanquàm autem ferè consequens est,ut qui sub eodem tecto uersantur, unà nonnunquàm cibum capiant,tamen id nec ex ipsa uocis ratione,nec ex Græcis, quos citaui, autoribus liquere potest.Iam in aceruo uocabulorum ad conuiuium pertinentium,quæ congerit Iulius Pollux,nulla huius uocis mentio.Tametsi non inficior Hieronymũ in quæstione ad Hedibiam septima,uideri legisse conuescens,quum scribit hunc in modum:In altero autẽ tanta familiaritas erat,& perseuerantia,ut cũ eis pariter uesceretur. Vnde & Paulus apostolus refert,eũ quingentis simul apparuisse discipulis.Et in Ioanne legimus,quod piscantibus apostolis in litore steterit,& partem assi piscis fauumq; comederit,quæ ueræ resurrectionis indicia sunt.Et Chrysostomus in cõmentarijs qui feruntur in hũc librum eo nomine,palàm interpretatur de cibo sumpto. Eius uerba subscribam, διά τοι τοῦτο καὶ τότε τεσσαράκοντα ἡμέρας ἔμεινεν ἐπὶ τῆς γῆς μετὰ πολλῆς ἀνάσασιν, ἔλεγχον διδοὺς ἑαυτοῦ μακρῷ χρόνῳ τῆς ὄψεως τῆς οἰκείας, ἵνα μὴ φάντασμα εἶναι νομίζωσι τὸ ὁρώμενον. καὶ οὐδὲ τότῳ ἠρκέσθη, ἀλλὰ καὶ τρά πεζαν προσετίθη, ὅπερ οὖν καὶ ποιῶν λέγει, καὶ συναλιζόμενος αὐτοῖς. τοῦτο δὲ ἀεὶ & αὐτοὶ οἱ ἀπόστολοι τεκμήριον ἐποιοῦντο τῆς ἀναστάσεως λέγοντες, οἵτινες συνεφάγομεν & συνεπίομεν αὐτῷ. id est,Atq; hac sanè de causa & ipse diebus quadraginta cõmoratus est post resurrectionem in terris,nimirum longo temporis spatio per argumẽta certa declarans & comprobans conspectum sui ipsius,ne spectrum & inane phantasma crederent quod uidebatur. Ac ne his quidem contentus fuit,sed mensam etiam addidit,Nimirum hoc est quod deinceps dicit,Et conuescens simul cum illis.Nam hoc argumento ipsi quoq; apostoli semp

astruxerunt

aſtruxerunt reſurrectionis fidem, ut quum aiunt, qui quidem cibum una ſumpſimus & bibimus cū illo. Hæc ſi cui probātur, ut mihi ſanè nō improbantur, expendat, num συναλίζεσθαι, dicatur, à ſalis cōmunione, Iuxta prouerbiū Salem & menſam ne prætereas. Alioqui ex hoc loco nō liquet fuiſſe conuiuiū Chriſto cū apoſtolis. Certe Cyrillus in ope quo exponit dictiones ſacrarum ſcripturarum συναλιζόμενος interpretatur, συναθροιζόμενος. Rurſum uariat & ipſa ſermonis diſtinctio. Nam quidā hoc participiū referūt ad ſuperiora, ut & hoc cenſeatur inter argumenta reſurrectionis, quod domeſticam cum illis ac diutinam egerit conſuetudinem. Nam id eſt, ni fallor, συναυλίζεσθαι. Alij rurſus ad ſequentia, ut ſub eodem tecto cōmorans apud illos, intelligatur mandaſſe ne diſcederent Hieroſolymis. Id quod mihi magis ꝓbatur, quod quidē ad diſtinctionē attinet. Alioqui duriuſcule cohæreant cū ſuperioribus, quæ ſequuntur. Cæterum ſi legamus, συναλιζόμενος, iuxta Vallam, id eſt, congregans ſe cum illis, ſiue cōgregans illos in idem loci, id magis cōgruit cum eo quod aliquanto poſt ſequitur: Illi igitur cum conueniſſent, interrogabant eum dicentes, Dñe &c. Apparuit enim illis nunc paucioribus, nunc pluribus. Cæterū conſcenſurus in cœlum omnes uoluit adeſſe, ut ultima æderet mandata. συναλίζεσθαι. συναυλίζεσθαι.

Quam audiſtis, inquit, per os meum.) ἣν ἠκούσατέ μου, id eſt, Quam audiſtis ex me. Hilarius allegans hunc locum lib. de trin. octauo, non addit, inquit. Cæterum haud male interpres addidit, Inquit, de ſuo, ne durior eſſet ſermo, ob repente mutatam perſonam loquentis. Et ubi ſunt interim, qui clamitant eſſe ſacrilegium uel iota addere ſacris uoluminibus. Inquit, additū

Baptizabimini ſpiritu ſancto.) ἐν πνεύματι ἁγίῳ, id eſt, In ſpiritu ſancto, hoc eſt, per ſpiritum ſanctum. Recte igitur coniunctionem omiſit interpres. Auguſtinus epiſtola centeſima octaua admonet in nonnullis Latinis codicibus ſcriptum fuiſſe pro baptizabimini incipietis baptizari. Verum hanc lectionem ut mendoſam reiecit, ex autoritate Græcorum codicum, cum hic interpres ſubinde uerterit ad conſimilem modum.

Si in hoc tempore.) εἰ apud Græcos frequenter eſt interrogantis. Rectius itaq; uertiſſet, Num in tempore hoc, ſiue An in tempore hoc.

Reſtitues regnum Iſraël.) τῷ Ἰσραήλ, id eſt, Iſraëli. Sic enim uocant gentem Iudaicam. Somniabant enim adhuc, neſcio quod, regnum Hebræorum.

Tempora uel momenta.) χρόνους ἢ καιρούς, id eſt, Tēpora & articulos, ſiue opportunitates. Quanq; apud Græcos καιρὸς nōnunq; pro χρόνος uſurpetur, at nō contra. Eſt autem proprie χρόνος, quoties de genere ſeu modo ſpatióue temporis agitur, ueluti ſeculum, annus, mēſis, dies, hora. καιρὸς aūt cum ſentimus opportunitatem rei gerendæ. Nam utrunq; refertur à Rhetoribus inter argumenta coniecturalia. Annotat hanc uocum differētiam & diuus Auguſtinus in epiſtola lxxviij. ad Heſychium. Quin apud Græcos καιρὸς deus eſt, quem Auſonius uertit occaſionem. Neq; uero καιρὸς ſpecies eſt huius ceu generis χρόνου, quemadmodum indicat Valla. diuerſum magis eſt quàm pars. Et omnino plus quiddam καιρὸς quàm tempus, nempe articulus, ipſumq; momentum ac punctum, ut aiunt, in quo res ſit agenda. Vnde nonnunq; articulū uertit. Neq; dubito quin illud Terētianum, Vt in ipſo articulo oppreſſit, Græcis ſit καιρῷ. Duabus dictionibus Græcis reſpōdet unica Latina, tempus. Auguſtinus locum hunc adduxerat hoc pacto, Nemo poteſt cognoſcere tempora, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. At Heſychius ex autoritate ueterū exēplarium nobiſcum legit, Non eſt ueſtrum. καιρὸς χρόνου

Quæ pater poſuit in ſua poteſtate.) ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ. i. In ꝓpria ſiue ſua ipſius poteſtate.

Accipietis uirtutē.) δύναμιν, id eſt, Robur ac fortitudinē. ne quis accipiat ἀφετὴν, quæ probitas eſt uitio oppoſita. Et, Superueniētis ſpūs, ἐπελθόντος, præteriti tēporis participiū eſt, ſed quod uerbo futuri tēporis adhæreat. Vertere poterat, Illapſi in uos, ſiue ut nos uertimus, Poſtq; ſpūs ſanctus aduenerit ſuper uos. Nam & illud ambiguū eſt apud Græcos, an genitiui caſus ponantur abſolute, Sic enim refert Hilarius in libris de trinitate. Superueniente ſpiritu ſancto in uos.

Teſtes in Hieruſalē.) Gemina eſt cōiunctio Græcis, ἔν τε Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐν πάσῃ Ἰουδαίᾳ. Cæterū quod ſubiunxit, Iudæam Hieruſalem, totum parti, non potuit reddi, neq; per geminū &, neq; per tum. Proinde nos reddidimus, Non ſolum Hieroſolymis, uerum etiam in uniuerſa Iudæa. Nam hic Iudæam arbitror poſitam nō pro tota regiōe Iudaicæ gentis

quæ

quæ duodecim tribus complectitur, sed pro ea prouincia cuius metropolis est Hierosolyma, q̃q̃ ipsa quidē est in tribu Beniamin. His enim gradibus propagatū est Euāgelium. Ab Hierosolyma uelut à fonte dimanauit, ad omnes Iudææ partes, deinde ad Samaritanos semipaganos & semijudæos, Mox in Syriam, hinc in totam Asiam minorem, postremo in Italiam, deniq; in uniuersum terrarum orbem.

Anceps sermo.

Cunq; intuerentur in cœlum.) Ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν, id est, Cum essent intentis siue defixis in cœlum oculis. Id enim Græcis est ἀτενίζειν fixis & immotis obtueri oculis, amantium more. In cœlum autem ita positum est, ut utróuis possit referri, uel ad intuentes, uel ad euntem. Nisi quod mox uelut explicat, Quid statis aspicientes in cœlum? Annotarat hoc nescio quis in glossa quam uocant ordinariam. Nam quod Veste alba, uertit uestibus albis, nihil refert ad sensum.

Ecce uiri duo.) καὶ ἰδοὺ, Admonuimus esse peculiare Lucæ καὶ coniunctionem ex superfluo addere. Proinde interpres recte omisit.

Quemadmodum.) ὃν τρόπον, ut quem ad modum, tres sint dictiones.

Sabbati habens iter.) σαββάτου ἔχον ὁδόν. Sentit spacium bis mille passuum. Longius iter facere Iudæis fas non erat sabbatis. Hoc enim indicat Hieronymus scribens ad Algasiam quæstione decima, nimirum Iudæis religiose obseruatum, ne sabbatis ambularent, supra bis mille passus, ex institutione, Barachibæ Simeonis, & Helles Rabinorum, quos illi magistros nostros uocare soliti sunt, ut inibi docet Hieronymus. Præterea apud Ioannem cap. undecimo, Bethaniam abfuisse ab Hierosolymis stadijs fermè quindecim. Ea cōficiūt paulo minus quàm passuum duo milia. Erat autem Bethania in latere montis Olieti. Testatur hoc idem Chrysostomus enarrans conuiuium Simonis leprosi. Proinde miror unde apud Lyranum cæterosq; recentiores interpretes legamus, Iter sabbati non habere plus q̃ mille passus: nisi forte hoc accidit uitio librariorum. Proinde nos uertimus, Abest ab Hierosolymis iter sabbati.

Cœnaculum ὑπερῷον

In cœnaculum.) εἰς τὸ ὑπερῷον. Hic cœnaculum non significat eum locum in quo cœnatur, sed superiorem domus partem. Id quod Græca uox indicat.

In cœnaculum ascenderunt.) ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον, id est, Ascenderunt in cœnaculū, hoc est, Ingressi ciuitatem, conscenderunt cœnaculum. Nostra lectio perinde sonat, quasi ingressi cœnaculum conscenderint eò ubi manebat Petrus. Lyranus putat esse πρωθυστερον. In glossa ordinaria nescio quis admonet, Græcæ lectionis. Quāq; nec in Latina lectione opus erat ulla figura. Siquidem hypostigme addita dictioni introissent, excludit amphibologiam. In aliquot uetustis nostræ linguæ codicibus, habebatur, ascenderunt in superiora ubi manebat Petrus, Et fieri potest, ut supra cœnaculum fuerit locus altior, quod capite huius operis decimo uocat δῶμα, quò Petrus ascendit oraturus.

Ordo diuersus.

Petrus & Ioannes.) Suspicor incuria librariorum accidisse, quod hic perpetuo non distinguantur apostolorum iuga. Nos tamen nihil ausi sumus immutare, cum neq; suffragarentur exemplaria, nec interpretes idonei. Ne ordo quidem satis congruit. Apud nos enim Petrus copulatur cum Ioanne, apud Græcos cū Iacobo. Apud nos Iacobus & Andreas, apud Græcos Ioannes & Andreas.

In oratione.) Deest in Latinis codicibus, Ὁ τῇ δεήσει, id est, Et obsecratione. Congeminat hæc ad eum modum sæpenumero & Paulus.

Cum mulieribus.) σὺν γυναιξί. Accipi potest, & cum uxoribus, propterea quod separauit Mariam à mulieribus. Ac rursum:

Cum fratribus eius.) Eius ad Iesum refertur, nō ad Mariā αὐτῷ. Annotauit & hoc glossa ordinaria, Citatur autem nomine Bedæ, quum in illius cōmentarijs nihil tale reperiat. Id quum mihi compertum sit & alijs aliquot locis, suspicor hos, quos Badius nobis dedit esse decurtatos. In diebus illis.) ταύταις, id est, His, nec enim est ἐκείναις. Est autem historicum, referre rem quasi iam geratur.

In medio fratrum.) μαθητῶν, id est, Discipulorum. Et simul, est ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est, collecta siue congregata in eodem loco.

Hominū pro nominum.

Erat autem hominum.) ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων, id est, Eratq; turba nominum. Quod quidem palàm est non accidisse culpa interpretis, sed ab audaculo quopiam fuisse depra-

uatum

uatum,qui putarit nominum hoc loco nihil ſignificare,cæterum hominum probe quadrare.Adeo præceps eſt iudex inſcitia.Porrò nominum dixit,quod nominatim homines cenſeri ſoleant,quoties exquiritur numerus.Hæc orationis pars,quoniam per parentheſim eſt interiecta,ſuis notulis eſt utrinq; ſemouēda,quæ tamē aptior erit,ſi legamus ἦν δέ.

Oportet impleri.) ἔδει, id eſt,Oportebat,ſiue oportuit,de re peracta loquitur.

Quam prædixit.) ταύτην ἣν, id eſt, Hanc quam prædixit.

Qui fuit dux.) ὁδηγός. Is proprie dicitur,qui cōmonſtrat uiam:ne ductorem exercitus intelligat aliquis,cui apud Græcos aliud eſt nomen στρατηγός.

In nobis.) σὺν ἡμῖν, id eſt,Nobiſcū.Et,Qui connumeratus eſt,ὅτι, quia,non qui. *Poſſedit pro parauit.*

Et poſſedit agrum.) ἐκτήσατο, quod uerti poterat etiam,parauit.Neq; enim Iudas poſſedit hunc agrum,uerum ea pecunia paratus eſt is ager.Porrò de mercede iniquitatis,aluſit,ni fallor,ad cognomen Iſchariotæ, quod שְׂבָר Hebræis mercedem ſonet.

Et ſuſpenſus crepuit.) Ὁ πρηνὴς γενόμενος, id eſt, Pronus factus,ſiue decliuis, πρηνὴς eñ Græcis dicitur,qui uultu eſt in terram deiecto.Expreſſit autem geſtum & habitū laqueo præfocati.Alioquin ex hoc ſanè loco nō poterat intelligi,quod Iudas ſuſpēderit ſe. Auguſtinus libro primo cōtra Felicem Manichæum,capite quarto & quinto,hūc adducens locū legit,Et deiectus in faciem,diruptus eſt medius. Acheldemach.) Græci ſcribūt ἀκελδαμά, propius accedentes ad uocem Hebraicam quā nos. Hebræis אֲחֻזַּת fundus eſt ſiue facultas דָּם ſanguis,etiamſi diuus Hieronymus indicat nomen eſſe Syrum.

Et manifeſtum factum eſt.) Quum Petrus hæc loquatur & Hieroſolymis & Hebraice,tamen ita ſonāt Lucæ uerba,quaſi Petrus alibi diuerſa lingua loquatur.Etenim qui dicit,eorum,uidetur de abſentibus loqui,& qui dicit lingua eorum,uidelicet Hebraica, uidetur alia lingua loqui ꝙ Hebraica.Proinde quidam uoluerunt totam hāc ſermonis partem,Et notum factum eſt,uſq; ad,ſcriptum eſt enim,Lucam Græce ſcribentē intertexuiſſe de ſuo.Sunt qui lingua eorum,referant ad diſcrimen linguæ Galilææ,& Hieroſolymitanæ,quæ tam uariabant,ut hinc Petrus fuerit deprehenſus.Sed mea ſentētia ſimplicius eſt,ut intelligamus Lucam Græce ſcribentem,ad maiorem rei fidem addidiſſe uocem Hebraicam,& hanc particulam,lingua eorum,ad Theophili Lucæq; perſonam eſſe referendam,quorum alter Græce ſcriberet,alter legeret.Probabile eſt enim hoc ipſum agri uocabulum Hebræum diuerſæ linguæ hominibus innotuiſſe,quemadmodum aliquot exoticarum rerum uocabula,nōnulla etiam prouerbia ſua lingua demigrant ad alienigenas.

Fiat cōmoratio.) ἐπαυλις.Compoſitum ab eadē dictione unde σωαυλιζόμενον,de quo dictum eſt paulo ante.Auguſtinus eo quē modo citauimus loco,legit,Fiat uilla eius deſerta.Cæterum epiſcopatum eſt ἐπισκοπὴν,quod Hebræis eſt פְּקֻדָּה. Id inter alia præfecturam quoq; ſignificat.Græca uox ab inſpiciendo dicta. Audiui quendam Hebræum, q quod interpres Græcus ac Latinus uertit epiſcopatū,affirmaret Hebræis ſonare uxorem egregie charam,quæ non prolis gignendæ gratia,ſed animi cauſa haberetur in delitijs ſemota ac ſecluſa.Hoc an uerum ſit neſcio.Hoc teſtimonium è duobus pſalmis ſumptum eſt,Fiat cōmoratio eorū deſerta,& in tabernaculis eorū non ſit qui inhabitet,ſumptū eſt è pſalmo ſexageſimo octauo.Et epiſcopatum eius accipiat alter,ſumptū eſt è pſalmo.cviij.Prius teſtimonium quod pertinebat ad omnes Iudæos qui Chriſtum perſequuti ſunt accōmodauit ad Iudam. Porrò quū uterq; pſalm⁹ inſcriptus ſit ipſi Dauid,aut nō eſt uerū quod quidā annotant de titulis,aut hi pſalmi nō ſunt ſcripti per Dauid.Et tñ Petrus ait ſpiritum ſanctū loquutū per os Dauid.Cæterū quod Beda queritur per imperitum lectorē contextū pſalmorū eſſe corruptū,hodie nihil tale reperimus in codicibus noſtris. Queritᵉ enim priorē teſtimonij partē,quæ extat pſalmo.lxviij.fuiſſe additā pſalmo cviij.Qua de re nec Auguſtinus, nec Hieronymus queritᵉ in cōmētarijs.Et tamen probabile eſt Bedam hoc alicunde hauſiſſe.Nam adduntur hi uerſus in pſalterio quod dicitur Romanū.Verum interim dum hæc ſector in aliud incidi.Aliâs admonui commentarios quos habemus in pſalmos Hieronymi titulo,mihi uideri decurtatos alicubi,Contra locis aliquot ceu pannis aſſutis dilatatos.Quod eñ in hunc uerſiculum,Et epiſcopatū eius accipiat alter, additum eſt cōmenti, poteſt credi Hieronymi, eſt autem tale.Hoc & in actibus apoſtolorū manifeſtius interpretatum eſt.Quod ſequitur ambiguū eſt,Nō ſolū autē

in illo

in illo tempore de Iuda dictum est,sed usq; hodie dicitur & usq; in diem iudicij.Si ipse Iudas apostolatum perdidit, custodiant se sacerdotes & episcopi,ut non & ipsi suũ sacerdotium perdãt.Si apostolus cecidit,facilius monachus potest cadere.Hæc ille. Ne quid hic exagitem sermonis ineptiam,minime congruentem Hieronymo,usque hodie dicitur,& usq; in diem iudicij,subaudi dicetur, Quid refert dici, quid fiat refert.Præterea si ipse Iudas,quasi is fuerit apostolorum princeps,Non satis erat dicere Iudas.Et custodiãt se, pro caueant sibi,& ut non,pro ne,ut hæc inquã non excutiam,quid sibi uolunt quæ sequuntur,Si apostolus cecidit,facilius monachus potest cadere. An idem est apostolus & monachus? Amphora cœpit institui, currẽte rota quur urceus exit? Ad hæc qui cohærent quæ adijcit. Virtus non perit,licet homo cadat & pereat,tamen dominus denarios suos dat sub fœnore.Si ille non duplicauerit,accipitur pecunia eius & dabitur habenti. Pecunia domini ociosa esse non potest. Quis non uidet hæc esse non Hieronymi,sed hominis inepte loquacis,qui similibus emblematis totum hunc psalmum contaminauit,& utinam hunc solum.Qui uideri uolunt custodes scripturæ diuinæ,hæc æquis animis ferũt, & indignantur admonentibus,haud quaq; eadem usuri lenitate,si quis ad eundem modũ istis imponat in uino aut panno,& si quis monitor ibi depulerit impostură,magnas habituri gratias.

Alter.) ἕτερος, rectius erat alius,Nam Græci frequẽter usurpãt ἕτερος pro ἄλλος. Nam quod quidam alter refert ad duos designatos electioni, quorum alter succedat in locum Iudæ,coactius est.

Intrauit & exiuit.

Intrauit & exiuit.) Pro eo quod est perpetuã uitæ consuetudinem habuit. Dictũ est aũt figura puerbiali.Cæterũ hic sermo totus nonnihil habebat obscuritatis,nõ solũ in lingua Latina,uerũ etiã Græca.Proinde nos quantũ potuimus,conati sumus dilucidius uertere. Qui cognominatus est iustus.) ἰοῦστος nomẽ Romanum.Quod cognomen olim inditum fuit Aristidi apud Athenienses.Glossa ordinaria dubitat Latinum ne sit an Hebræum,& interpretatur tãq; Hebræũ, quasi nouum sit Iudæos Græcorum ac Romanorum designari cognominibus.Andreas Græcum est quemadmodũ Barptolemeus.Marcus & Lucas latina uocabula sunt,Nicodemus Græcum est. Et hoc citatur nomine Bedæ,quum in Bedæ cõmentarijs non habeatur.Paulo ante refertur opinio cuiusdam qui putarit hos duos de quibus fit sortitio fuisse è numero discipulorum septuaginta, quum Beda numeret septuaginta duos.Et tamen hic erat asscriptũ B.quid indicans nescio.

Qui corda nosti.) Græcis est dictio unica composita, καρδιογνῶστα, cognitor cordium. Et mox:

Ostẽde.) Est ἀνάδειξον, id est,Designa.Sic emẽ uertit,Designauit Iesus & alios septuaginta. Accipere locum.) λαβεῖν τὸν κλῆρον, id est, Vt accipiat sortem, siue hæreditatem aut successionem.

Vt iret in locum suum.) ἴδιον,id est,proprium. Velut ante occupasset alienum.

Et dederunt sortes eis.) καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν, id est, Et dederunt sortes eorum,nimirum duorum, de quibus sortiebantur. Sors enim illius dicitur cuius nomine mittitur.

Et annumeratus est.) Ϲ συγκατεψηφίσθη, id est,Suffragijs siue calculis additus est. Valæ placet cooptatus est,neq; mihi sanè displicet.Superius erat diuersum huic uerbum κατηριθμημένος σὺν ἡμῖν, id est, Numeratus nobiscum. Totum hoc caput,ac sequentis bonam partem recitat Augustinus libro,cuius paulo ante meminimus, sed nonnulla secus ẽq; nos legimus,quæ qui putabit operæprecium cognoscere,quo cõmodius liceat conferre nos hic asscripsimus:Et recitauit in actibus apostolorum,Primum quidem sermonem feci de omnibus ó Theophile,quæ cœpit Iesus facere & docere,in die quo apostolos elegit per spiritum sanctum:& præcepit prædicare Euangelium, quibus præbuit se uiuum post passionem in multis argumentis dierum,uisus eis dies quadraginta,& docens de regno dei,& quomodo conuersatus sit cum illis.Et præcepit eis ne discederent ab Hierosolymis,sed sustinerent pollicitationem patris,quam audistis,inquit,ex ore meo.Quoniam Ioannes quidem baptizauit aqua,uos autem spiritu sancto incipietis baptizare,quem accepturi estis non post multos hos dies,usq; ad Pentecosten.Illi ergo conuenientes, interrogabant eum dicentes,Domine si hoc tempore præsentabis regnum Israel? Ille autem

dixit

dixit, Nemo potest cognoscere tempus, quod pater posuit in sua potestate, sed accipietis uirtutem spiritus sancti superuenientem in uos, & eritis mihi testes apud Hierosolymam, & in tota Iudæa & Samaria, & usq; in totam terram. Cum hæc diceret, nubes suscepit eum, & sublatus est ab eis. Et quomodo contemplantes erant, cum iret in cœlum, ecce duo uiri astabant illis in ueste alba, qui dixerunt ad eos: Viri Galilæi quid statis respicientes in cœlum? Iste Iesus qui assumptus est in cœlum à uobis, sic ueniet quemadmodū uidistis eum euntem in cœlum. Tunc reuersi sunt Hierosolymam à monte qui uocatur eleon: qui est iuxta Hierosolymam, sabbati habēs iter. Et cum introissent ascenderunt in superiora, ubi habitabant Petrus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon zelotes, & Iudas Iacobi. Et erant perseuerantes omnes unanimes in orationibus, cum mulieribus & Maria, quæ fuerat mater Iesu, & fratribus eius. Et in diebus illis surrexit Petrus in medio fratrum & dixit: Fuit autem turba in uno, hominum quasi centum uiginti, Viri fratres, oportet adimpleri scripturam istam, quam prædixit spiritus sanctus, ore sancti Dauid de Iuda, qui fuit deductor illorum, qui comprehenderūt Iesum, qui annumeratus erat inter nos, qui habuit sortem huius ministerij. Hic igitur possedit agrum ex mercede iniusticiæ suæ, & collum sibi alligauit, & deiectus in faciē diruptus est medius: & effusa sunt omnia uiscera eius. Quod & cognitū factū est omnibus qui habitabant Hierosolymā, ita ut uocaretur ager ille ipsorum lingua acheldemach, id est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro psalmorum: Fiat uilla eius deserta, & nō sit qui inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiet alter. Oportet itaq; ex his uiris qui conuenerunt nobiscum, in omni tempore quo introiuit inter nos & excessit dominus Iesus Christus, incipiens à baptismo Ioannis, usq; in illum diem quo assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum esse. Et statuit duos, Ioseph qui uocatur Barsabas, qui & Iustus, & Matthiam, & precatus dixit: Tu domine cordium omnium intellector, ostende ex his duobus, quem elegisti ad suscipiendum locum huius ministerij & annunciationis à quo excessit Iudas, ambulare in locum suum. Et dederunt sortem, & cecidit sors super Matthiam, & similis deputatus est cum undecim Apostolis duodecimus, Tempore quo suppletus est dies Pentecostes, fuerunt omnes simul in uno. Et factus est subito de cœlo sonus, quasi ferretur flatus uehemēs, & impleuit totam illam domum in qua erant sedentes. Et uisæ sunt illis linguæ diuisæ quasi ignis, qui & insedit super unumquenq; illorum. Et impleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui uarijs linguis, quomodo spiritus dabat illis pronunciare. Hierosolymis autem fuerunt habitatores Iudæi, homines ex omni natione quæ est sub cœlo. Et cum facta esset uox, collecta est turba & confusa est, quoniam audiebat unusquisq; suo sermone & suis linguis loquentes eos. Stupebant autem & admirabantur adinuicem, dicentes: Nónne omnes qui loquuntur, natione sunt Galilæi? Et quomodo agnoscimus in illis sermonem, in quo nati sumus? Parthi & Medi, Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam & Cappadociam, Pontū, Asiam, Phrygiamq; & Pamphyliam, Aegyptum & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, & qui aduenerāt Rhomani, Iudæiq; & Proselyti, Cretenses & Arabes, audiebant loquentes illos suis linguis magnalia dei.

EX CAPITE SECVNDO.

Dies Pentecostes.) Dies singularis est numeri. Itaq; compleretur legendum est. Atq; ita sanè recitat Augustinus libro aduersus Felicem primo, cap. 5. ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν, qd' ultimus ille dies quinquagesimus sit dictus. Quanquam uulgo tēpus hoc uniuersum, quadragesima & quinquagesima dicitur.

Erant omnes pariter.) ὁμοθυμαδόν, id est, Vnanimiter, quod ita paulo ante uertit, Perseuerantes unanimiter in oratione. Interpres legisse uidetur ὁμαδόν, quam lectionem suspicor esse ueram. Aliquis interpretatus est, ὁμοθυμαδόν, ea uox quoniam magis arrisit, obtinuit.

Aduenientis spiritus.) φερομένης πνοῆς, id est, Flatus qui fertur, quod proprium est uenti impetu citato euntis. Id quod propemodū expressit Augustinus libro de origine animæ ad Renatū primo: Factus est subito de cœlo sonus, quasi ferretur flatus uehemens. Item in epistola centesima secūda ad Euodium. Rursum sermone de uerbis apostoli sexto. Iterum

aduersus Felicem libro primo,cap.quinto. Vehementis.) Magis est uiolenti, βιαίας.

Et apparuerunt illis.) καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς, id est, Visæ sunt illis,seu potius conspectæ.

Linguæ dispartitæ.) διαμεριζόμεναι præsentis temporis, id est,quæ dispartiebantur. Potest autem geminus intelligi sensus, ut uel accipiamus ipsas linguas fuisse sectiles,uel ut intelligamus eas è cœlo delapsas sese in singulos discipulos fuisse dispartitas.

Tanquam ignis.) Ignis hoc loco genitiui casus est, non nominatiui, ὡσεὶ πυρός, id est, Velut ex igni. Nos uertimus igneæ,quo uitaremus amphibologiam,

Varijs linguis.) ἑτέραις,id est, Alijs linguis.Ita citat & Hieronymus in quæstionibus ad Algasiam,iuxta uetustos codices,ut conueniat cum illo euangelico,Linguis loquentur nouis.Nam quod aliud est,idem est nouum.

Ex omni natione quæ sub.) τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν, id est,Earum quæ sub cœlo sunt.Siue.eorum qui sub cœlo sunt, ut referatur ad homines. Lubens rogarim istos, qui non recipiunt hyperbolen in sacris uoluminibus,an in hoc conuentu fuerint etiam Angli,aut Scoti.

Facta autem hac uoce.) γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης. Quidã interpretantur de sonitu flatus,quidam de uoce qua cœperunt apostoli loqui, quod mihi non displicet. Mihi uidetur uox,dictus rumor rem peractam diuulgans, quemadmodum aliâs indicauimus sermonẽ aut uerbum pro re gesta poni,quæ rumore dissipatur.

Et mente confusa est.) Mente non lego in Græcis codicibus. Tantum est συνεχύθη,confusa est, quod tamen ad perturbationem uel admirationem pertineat,non pudorem,quomodo solet hic uertere.

Et mirabantur dicentes.) Addunt Græci, πρὸς ἀλλήλους, id est, Alius alij,siue inter sese.

Et quomodo nos audiuimus.) ἀκούομεν, Audimus præsentis temporis, id quod à librarijs est deprauatũ. Linguam nostram.)ἰδίᾳ διαλέκτῳ,id est, Propria lingua,siue sermone, ut subaudiamus,loquentes eos. Græcis dialectus est, linguæ proprietas aut species. uelut apud Græcos cum una sit lingua,quinq; tamen sunt dialecti,ut qui Græce calleat mox possit agnoscere, Atticus sit qui loquitur an Doricus,Ionicus an Lacedæmonius. Probabilius est autem apostolos sua lingua fuisse locutos, & miraculo factum, ut nemo nõ intelligeret, perinde ac si suam quisq; linguã audisset.Nec unquam legimus hoc miraculi accidisse aliâs nisi forte semel atq; iterum. Cæterum illud ἡμῶν Latine commode reddi non poterat.

Et qui habitant.) καὶ κατοικοῦντες,id est,Habitantes. Alioqui si per uerbum libuit transferre,dicendum erat,Qui habitamus,propter uerbum quod præcessit,audimus.

Aduenæ προσήλυτοι ἐπιδήμοῦντες.

Aduenæ Rhomani.) Non est προσήλυτοι, quo mox utitur,sed ἐπιδημοῦντες, hoc est,illic uersantes. Cæterum Hebræi Proselytos Hebraice גרים uocabant, qui diuersæ factionis nati in ius Mosaicæ legis reciperentur. Hic sentit Iudæos quidem religione,uerum Rhomæ domicilium habentes.

Iudæi quoq;.) Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, id est, Iudæiq; & Proselyti, ut sit gemina coniunctio. Videntur hæ duæ particulæ referri ad id quod præcesserat Romani,Romani siue Iudæi genere, siue Proselyti, hoc est,non gente sed adoptione Iudæi. Rursus quod sequitur Cretes & Arabes incertum est,utrum referendum sit ad generalem partitionem gentium, an ad Proselytos tantum, quorum alij sint Cretenses alij Arabes. Beda putat hoc loco Iudæam accipi non pro tota regione Iudæorum,sed pro ea duntaxat quæ cõplectitur tribum Iudæ & Beniamin. Verum id uerisimile non est. Nam addidisset & Galilæos & Samaritanos & Decapolitas,nunc harum nullam commemorat, sed alias regiones in quas Iudæi suis finibus pulsi confugerant. Porrò quod in fine repetit, Iudæiq; & Proselyti, Iudæi,non ex gente dicuntur sed ex religione & origine,à quibus distinguit Proselytos natione paganos religione factos Iudæos. Verum Cretes & Arabes sic adiecti sunt,ut ad priorem recensionem referri possint,ut accipiamus ex cæteris quoq; nationibus uenisse Proselytos admixtos Iudæis.Ex Creta uero & Arabia nullos uenisse Iudæos,quod eò non profugissent,sed tantum Proselytos. Cretes interpres Græce dicere maluit quàm Cretenses.

Audiuimus eos.) Rursus ἀκούομεν, id est,Audimus,ut superius admonuimus.

Stupebant autẽ omnes & mirabantur.) Ἐξίσταντο. Id uerbum significat eos animo hæsitasse ac perplexos fuisse. Quo uerbo usus est de Herode, cum crederet Ioannem reuixisse διϊκπόρουν,quod illic uertit,hæsitabat. Cæterum aliquis mutauit hunc locũ ex superiori, quem tamen

tamen puto corruptũ, Ἐξίσαντο δὲ ☩ ἐθαύμαζον, quod plus sit prius illud, quàm hoc posterius.

Ad inuicem dicentes.) ἄλλος πρὸς ἄλλον λέγοντες, id est, Alius ad alium dicentes, siue inter se dicentes. Musto pleni.) μεμεστωμένοι, id est, Impleti sunt.

Pleni sunt isti.) Isti, redundat. Nec habetur in emendationibus Latinis.

Quum sit hora diei tertia.) Tempus erat Pentecostes, quo sol exoritur ante quintam, ni fallor. Quam igitur tertiam uocat Petrus, nobis esset octaua. Atqui prodigium non sit apud nationes quasdam hominẽ esse temulentum hora octaua. Verum in illis regionibus, iuxta Pauli dictum, qui erant ebrij, nocte erant ebrij.

Per prophetam Iohel) Testimonium quod citat est apud eum prophetam cap. 2. Ac mire declarat largitatem diuini muneris, quod solis Iudæis antea uidebatur deberi, iam in omnes orbis nationes redundantis. Cæterum Lucas nonnihil discrepat & ab Hebræis, & à Septuaginta, quibus hoc loco cum illis est ferè concordia. Nec est apud Hebræos, in diebus nouissimis, sed post hæc.

Et dicit dominus.) Lucas aut certe Petrus addit de suo, quod ea clausula prophetijs omnibus soleat apponi. Deinde, De spiritu, iuxta Septuaginta dixit, cum Hebræis sit, spiritũ meum. Porrò quod priori loco posuit iuuenes, deinde senes, cum & apud Hebræos & Septuaginta diuersus sit ordo, librariorũ errore factum suspicor. Præterea quod Latinus interpres uertit, Et quidem super seruos meos, legisse uidetur καί τοι. Hieronymus uertit, Sed & super seruos meos. Rursus post hæc uerba, In diebus illis effundam spiritum meum, Lucas addidit de suo, Et ꝓphetabunt. Quod nec apud Hebræos est, nec apud Septuaginta, si bona fide recensentur apud Hieronymum ab his uersa. Verum ut hoc huc translatum est ex initio huius uaticinij, ita ex hoc loco trãslata sunt in initium illa uerba, In diebus: nisi forte lectori malumus hoc imputare. Ac mox, Dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum. Sursum ac deorsum & signa, tria uerba de suo adiecit Lucas, quæ nec apud Hebræos sunt, nec apud Septuaginta. Deniq;

Lucas addit aliquid de suo.

Dies domini magnus & horribilis.) Pro horribilis Lucas posuit ἐπιφανὴς, id est, manifestus, siue illustris, cum Hebræis sit horribilis. Vt intellígere liceat, id quod frequenter admonuimus, apostolos & euangelistas nõ fuisse anxios in reddendis uerbis prophetarum, sed ipsam sententiam bona fide reddidisse. Quanquam potest aliquoties fieri, ut lector erudi-
tus nonnihil corrumpat, dum corrigere nititur ad æditionem Septuaginta. Cæterum quo lector ipse facilius hæc conferat, Hebræa sic uertit Hieronymus: Et erit post hæc effundam spiritũ meum super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri, & filiæ uestræ, senes uestri somnia somniabunt, & iuuenes uestri uisiones uidebunt. Sed & super seruos meos & ancillas meas, in diebus illis effundam spiritum meum, & dabo prodigia in cœlo, & in terra, sanguinem & ignem, & uapores fumi. Sol cõuertetur in tenebras & luna in sanguinem antequam ueniat dies domini magnus & horribilis. Et erit omnis qui inuocauerit nomen domini saluus erit. Iuxta septuaginta legimus ad hunc modum, καὶ ἔσαι μετὰ ταῦτα, καὶ ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, καὶ προφητεύσουσιν οἱ υἱοὶ ὑμῶν, καὶ αἱ θυγατέρες ὑμῶν, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται, ☩ οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσεις ὄψονται. καὶ ἐπὶ τοὺς δούλους μου, ☩ ἐπὶ τὰς δούλας μου ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου. καὶ προφητεύσουσι, καὶ δώσουσι τέρατα ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς αἷμα ☩ πῦρ καὶ ἀτμίδα καπνοῦ. ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς σκότος καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα, πρὶν ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ. καὶ ἔσαι πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου σωθήσεται, id est, Et erit post hæc, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ, & senes uestri somnia somniabunt, & iuuenes uestri uisiones uidebũt. Et super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo. Et dabo prodigia in cœlo, & super terram sanguinem, ignem & uaporem fumi. Sol cõuertetur in tenebras, & luna in saguinem, antequã ueniat dies domini magnus & illustris. Et erit, omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Illud obiter admonendum, quod apud Hieronymum non refertur, Et prophetabũt, haberi tamen in hac æditione, quam nobis nuper dedit officina Asulani. Et quod illic redditum est Dabo Græci legunt, dabunt, cum Lucas habeat δώσω. Annotauit Hieronymus hoc uerbum אשפך, quod Septuaginta uerterunt ἐκχεῶ, id est, effundam. Effundimus enim, non quod dispensamus ac parce damus, sed quod ampliter & effuse largiterq;

Iuxta Hebraicam ueritatẽ.

Iuxta Septuaginta.

Virum approbatum.) Interpres legisse uidetur, ἀποδεδειγμένον, ab ἀποδέχομαι, quod nonnunquam sonat approbo. Nostri codices habebant ἀποδεδεγμένον, id est, demonstratum, declaratum siue exhibitum. Vtraq; lectio tolerabilis est.

Præscientia dei traditum.) Variant hic Græci codices à nostris, ἐκδοτον λαβόντες, id est, traditum accipientes. Id annotauit & Rabanus. Cæterum sermo non caret amphibologia. Potest enim intelligi deum tradidisse filium, & potest accipi iniquos tradidisse. Prior sensus mihi magis arridet.

Affligētes interemistis.) Quū Græce sit προσπήξαντες dubitari nō pōt, quin interpres uerterit affigētes. Sic & Iren. citat, ac germana scriptura adhuc extat in uetustis exēplaribus.

Solutis doloribus) λύσας. Vnde necesse est intelligere deū soluisse dolores. Porrò qđ admonet Beda in Græcis codicib. haberi, soluēs p ipm, in nostris codicibus nō additur ἀπ' αὐτοῦ.

Doloribus inferni.) Interpres legisse uidetur ᾅδου, quum nostri codices habeant θανάτου. Vnde ab ea non ab eo uertendum erat.

Teneri ab illo.) Teneri est Græcis κρατεῖσθαι, quod sonat uinci siue captum esse.

Secundum quod.) καθότι, id est, Quatinus, siue propterea quod. & Ab ea, non ab eo, ut mortem referat. Ne commouear.) ἵνα μὴ σαλευθῶ. Quod est proprio loco moueri.

Liceat audenter dicere.) ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας, Cum liceat libere loqui. Est enim participium impersonale positum absolute, casu nominādi, quod alioqui fit in genitiuis apud Græcos. Sed interpres arbitratus est sermonem parum fore concinnum, nisi participiū mutasset in uerbum. Præmollit enim hoc procœmio Petrus sermonem, qui durior erat futurus auribus Iudæorum, si nude dixisset, hoc non fuisse prædictum de Dauid, sed de Christo. Sic nimirum interpretatus est Chrysostomus, prædicans Petri modestiam, qui non aperte negarit hoc esse dictum de Dauid, sed de Christo, uerum præfatus multum honorē prophetæ Dauid, præmollierit sermonem, ne quid offenderentur orationis libertate.

Quoniam defunctus est.) Quod & defunctus est Græce, ὅτι καὶ ἐτελεύτησε.

Iureiurando &c.) Græca plus habent q̄ Latina, ὅτι ὤμοσεν αὐτῷ ὁ θεὸς, ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τοῦ κατὰ σάρκα ἀναστήσαι τὸν χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου, id est, Quod iureiurando iurasset sibi deus, ex fructu lumbi sui, quantum ad carnem, surrecturum Christum, ut sederet in throno. tametsi uariant hoc loco Græci codices. Et suspicor adiectum ab eruditulo quopiam, cui alioqui sermo uidebatur parum absolutus. Cæterum in his uerbis iureiurando iurauit, non est apud Græcos ea uocum affinitas, ὄρκῳ ὤμοσεν. Ad hæc, De fructu lumbi eius sedere, supplendum erat, aliquem.

De fructu lumbi eius.) Græci plus habent quàm nostri, ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, τὸ κατὰ σάρκα ἀναστῆσαι τὸν χριστόν. Rursum in Græcis uerbis ambiguus est sensus. Nam καθίσαι sonat & sedere & collocare, & ἀναστῆσαι sonat excitare & resurgere. Sensus actiuus magis conuenit prophetiæ, quæ promittit, futurum ut deus excitaret illum & collocaret in throno Dauid. Is est thronus regni euangelici.

Prouidens) προϊδών, id est, Præuidēs. Quanq̄ in nōnullis erat προοράω, id est, præscius.

Neq; derelictus est in infer.) ὅτι οὐκ ἐγκατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, id est, Quoniam non est derelicta anima eius.

Effudit hunc.) ἐξέχεε τοῦτο. Græcus sermo est anceps, Potest enim intelligi effudit hunc spiritum, quod πνεῦμα apud Græcos sit neutri generis. Nam quod glossa ordinaria admonet in Græco esse, hoc donum, δῶρον in Græcis codicibus non reperio.

Certissime sciat.) ἀσφαλῶς οὖν, id est, Certo igitur.

His autem auditis.) ἀκούσαντες δὲ, id est, Cum audissent autem. Laudo tamen interpretem qui feliciter recessit à uerbis, cum nulla necessitas compelleret.

Pœnitentiam agite.) μετανοήσατε, id est, Pœniteat uos, siue resipiscite.

Vobis enim est promissio.) Addendum erat facta, siue ad uos.

Alijs etiam.) ἑτέροις τε, id est, Alijsq;.

Qui ergo receperunt.) οἱ μὲν οὖν ἀσμένως ἀποδεξάμενοι, id est, Qui libenter receperunt.

Præpositio subaudita.

In die illo.) τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, id est, Dici illi, nisi subaudias præpositionem ἐν.

Fractione panis.) καὶ τῇ κλάσει, id est, Et in fractione panis, ut sint quatuor, doctrina, communio, fractio panis, & precationes. Ita quidem constanter habent Græci codices & ita interpretatur

interpretatur Chryſoſtomus. Fortaſſe cõmunicationem uocat, cõmunionem facultatũ. Illud animaduertendũ, quod primo loco poſuit doctrinam, ſed Euangelicam, proximo mutuam charitatem, quæ faciebat inter eos omnia communia, tertio ſymbolum illud ſacrum Chriſtianæ conſpirationis, quarto precationes. Noſtra lectio tria duntaxat ponit, doctrinam, fractionem panis, quam uocant communionem & preces. Qui mos diu perdurauit apud ueteres, ut epiſcopi aut hoſpites alioqui graues cum epiſcopo, primum orarent, deinde ſumerent fracti panis partem, poſtremo colloquerentur. Ita dicebantur eiuſdem cõmunionis, quod ad eam communionem non admitterentur hæretici. Incertum an hic loquatur de pane conſecrato quum nulla fiat mentio calicis.

In Hieruſalẽ.) Hæc duo uerba nõ reperio in Græco codice. Nec addunt apud Chryſoſt.

Et metus erat magnus in uniuerſis.) At ne hæc quidem aſſcripta reperi.

Omnes etiam.) πάντας δὲ, id eſt, Omnes autẽ. Opinor interpretem legiſſe πάντες τε.

Erant pariter.) ἐπὶ τὸ αὐτό, Quod antea uertit in eodem loco.

Poſſeſſiones &.) Græce eſt, Et poſſeſſiones & facultates, geminata coniunctione καὶ τὰ κτήματα & τὰς ὑπάρξεις.

Circa domos.) κατ' οἶκον, id eſt, Per ſingulas domos, ſiue domeſticatim. Quemadmodũ κατὰ πόλιν, & καθ' ἡμέραν, id eſt, Oppidatim & cotidie.

Sumebant cibum.) μετελάμβανον, Quod eſt ab alio ſumere, & participem eſſe. Nos uertimus, Inuicem ſumebant. Ac rurſum.

Apud omnem plebẽ.) Omnem, pro totã dixit, & plebem pro populum, ὅλον τὸν λαόν.

Dominus autem augebat.) Græca ſic habent, ὁ δὲ κύριος προσετίθει τοὺς σωζομένους καθ' ἡμέραν τῇ ἐκκλησίᾳ, id eſt, Dominus apponebat eos, qui ſalui fiebant cotidie eccleſiæ. Suſpicor interpretem ſcripſiſſe, addebat, idq; ſcribam deprauaſſe, in augebat. Annotauit & hoc neſcio quis in gloſſa ordinaria Græcos codices à noſtris diſcrepare, quanquam ridiculo lapſu ſcribarum pro eccleſiæ poſitum eſt, ecce. *Addebat in augebat.*

In idipſum.) Id Latini referre uidentur ad ſuperiora, contrà Græci referunt ad ea quæ ſequuntur, ἐπὶ τὸ αὐτὸ δὲ πέτρος, id eſt, Simul autem Petrus, ut ἐπὶ τὸ αὐτό, non ſolum pertineat ad locum, uerum etiam ad tempus. Certe Chryſoſtomus ab his ἐπὶ τὸ αὐτὸ orditur nouũ caput cõmentariorum, Diſtinctionem uiciatam annotauit neſcio quis in gloſſa ordinaria.

EX CAPITE TERTIO.

Ad portam.) πρὸς τὴν θύραν, id eſt, Ad ianuam.

Incipientes introire.) μέλλοντας εἰσιέναι, id eſt, Ingreſſuros.

Rogabat ut eleemoſynam acciperet.) Græce tantum eſt, Rogabat eleemoſynam, ἠρώτα ἐλεημοσύνην. In nonnullis tamen additur λαβεῖν, ut cum noſtris conſentiant.

Intuens.) ἀτενίσας, id eſt, Defixis in eum oculis.

Reſpice in nos.) βλέψον εἰς ἡμᾶς, id eſt, Aſpice in nos, ſiue Aſpice nos.

Et apprehenſa manu.) καὶ πιάσας αὐτὸν τὴν δεξιᾶς χειρός. Pro πιάσας, in nonnullis erat κρατήσας, hoc eſt, Apprehenſa manu illius dextra.

Conſolidatæ ſunt baſes.) Βάσεις Græcam uocem reliquit interpres. Vertere poterat, greſſus, ſiue pedes. Aut quoniam ſequitur σφυρία uox penè idem pollens plantæ ac tali, ut baſis ſit infima pedis pars. Ireneus pro baſes legit greſſus.

Ambulans & exiliens.) καὶ ἁλλόμενος, id eſt, Saliens, ut ſignificaret non ſolum inceſſum more uulgari, uerũ etiam alacrem & geſtientẽ. Ita refert Ireneus. Ac paulo ante uerbum erat compoſitum, καὶ ἐξαλλόμενος ἔστη, id eſt, Et exiliens ſtetit.

Ad eleemoſynam ſedebat.) ὁ πρὸς τὴν ἐλεημοσύνην καθήμενος, id eſt, Ille ad eleemoſynam ſedens, ſiue qui ſederat.

Et ecſtaſi.) & ἐκστάσεως. Quod aliâs uertit ſtuporem. Verum quia ſic reddidit θάμβους, deerat quo redderet ecſtaſin. Poterat θάμβους uertere admiratione. Sic enim uſurpatur apud Homerũ θάμβος μ' ἔχει εἰσορόωντα. Deduci putant, à uerbo θήπω, quod eſt admiror.

Cum uideret autem &c.) Græca diuerſa ſunt, κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλὸν τὸν πέτρον καὶ ἰωάννην, συνέδραμε πρὸς αὐτοὺς πᾶς ὁ λαός, id eſt, Cum teneret autẽ is qui ſanatus fuerat claudus Petrum & Ioannem, concurrit ad eos totus populus. Quin & in noſtris codicibus ali

quot ſcriptum uiſitur pro uiderent, tenerent, unde ſatis conſtat ſcriptũ fuiſſe teneret. Chryſoſtomus hoc interpretatur argumentũ amoris erga Apoſtolos, à quibus non poterat auelli qui claudus fuerat.

In porticum.) ἐπὶ τὴν στοᾶν, id eſt, In porticu.

Videns autem.) ἰδὼν participium præteriti temporis, uerti poterat, Id cum uidiſſet Petrus, ſiue eo uiſo Petrus.

Noſtra uirtute aut poteſtate.) ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ, id eſt, Proprijs uiribus, aut religione, ſiue pietate. Apparet interpretem legiſſe ἐξουσίᾳ, pro εὐσεβείᾳ. Atq; ea ſanè lectio mihi magis probatur. Ireneus non meminit poteſtatis. In peruetuſto codice Conſtatienſi erat pietate.

Deus Abraham, & deus Iſaac, & deus Iacob.) Græci tantum ſemel ponunt deus, Deus Abraham, & Iſaac, & Iacob. Apud Chryſoſtomum quater repetitur ὁ θεὸς, atq; ita ſanè frequenter nominatur in ſacris literis. Sciolus aliquis offenſus, quod ex uno deo uiderentur fieri plures, ſuſtulit bis ὁ θεὸς.

Iudicante illo.) κρίναντος, præteriti tẽporis eſt, Cum iudicaſſet, ſiue cum ſtatuiſſet ille abſoluere. Virum homicidam.) Graphice ſanè maieſtatem illam Apoſtolicam expreſſit, quam illi fuiſſe in dicendo, uel una eius teſtatur epiſtola. Retulit inter ſe contraria non minus grauiter, quàm feſtiuiter. Homicida eripit uitam, huic Iudæi donarunt uitam & autorem uitæ traxerunt in mortem.

Facundia Petri.

Hunc quem uos uidiſtis.) τοῦτον ὃν θεωρεῖτε, id eſt, Quẽ uidetis uerbum præſentis tẽporis.

Et in fide nominis eius.) καὶ ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, τοῦτον ὃν θεωρεῖτε καὶ οἴδατε ἐστερέωσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Sermo Græcus multum habet ἀμφιβολογίας, quod incertum ſit quid referat αὐτοῦ, & quis ſit nominatiuus uerbi ἐστερέωσε, & ὄνομα rectus ſit caſus an accuſatiuus. Mihi uidetur hoc ſenſiſſe Petrus, Deus patrum noſtrorum confirmauit ſuum nomen, per fiduciam de nomine Ieſu, quam hic habuit, quem uidetis ac noſtis. Quod ſi hæc duo uerba amputarentur ὄνομα αὐτοῦ, tum ſenſus eſſet, Deus conſolidauit hunc quem conſpicitis ac noſtis fuiſſe claudum, ob fiduciã quam habuit uel ipſe, uel Petrus in nomine Ieſu. Quod ſi ὄνομα ſit rectus caſus, hic ſenſus erit, nomẽ Chriſti confirmauit hunc quem uidetis ac noſtis per fiduciam nominis ipſius.

Sermo ambiguus.

Nomen eius & fides.) Apud Græcos alia eſt diſtinctio, nomen eius referunt ad ſuperiora, fides ad ea quæ ſequuntur.

Et fides quæ per eum eſt.) Rurſus incertum, an αὐτοῦ referat Chriſtum, an nomen, per illum an per illud.

Dedit integram.) ἔδωκεν αὐτῷ, id eſt, Dedit illi.

Integram ſanitatem iſtam.) ὁλοκληρίαν ταύτην, id eſt, Integritatẽ hanc cui opponitur debilitas, quæ proprie ſignificat uitium membrorũ. Ireneus pro ὁλοκληρίαν legit incolumitatẽ.

Deus autem qui.) Non eſt qui Græce, ſed quæ, ἃ. Deus ea quæ prius nunciarat fore, idq; per omnium prophetarum ora ſic impleuit ut prædixerat.

Pœnitemini igitur.) μετανοήσατε. Demiror cur hic ſuo more non dixerit, Pœnitentiam agite. Verti poterat, Reſipiſcite quẽadmodũ legit Tertullianus libro de carnis reſurrectione, quanquam excuſi primum codices habebãt reſpicite pro reſipiſcite, ſiue pœniteat uos, uitæ prioris, aut aliud ſimile.

Pœnitemini p reſipiſcite.

Vt cum uenerint tempora.) Apparet hoc anapodoton eſſe, nec enim explet quod cœpit. Aut igitur aliquid ſubaudiatur oportet, ut ſalui ſitis, cum uenerint tẽpora refrigerij &c. Aut ὅπως ἄν poſitum eſt pro utcunq;. & ἄν accipiendum eſt ut ſit coniunctio expletiua, utcunq; ueniant tempora refrigerij. Nam interpres legiſſe uidetur, ὅπως ὅτε. Alioqui uertendum erat, Vt ſi uenerint tẽpora refrigerij. Tertullianus libro de reſurrectione carnis, tollit hoc incommodum ſublato uocabulo ὅτε, ut tempora uobis ſuperueniant refrigerij ex perſona dei. Nec aliter legit Ireneus, ut deleantur peccata ueſtra, & ueniant uobis tempora refrigerij domini. Cæterum illud à facie domini, referendum eſt ad dictionem refrigerij. ut intelligas aſpectum eum fore formidabilem malis, pijs tamen fore refrigerium. Hoc admonendum duxi, quod uideam recentiores interpretes ſecus interpretari.

Qui prædicatus eſt uobis.) Opinor errore ſcribarum accidiſſe, quod pro prædicatus

in quibuſdam

in quibuſdam Latinis habebatur prædicaturus. In nõnullis Græcorum exemplaribus pro προκεκηρυγμένον ſcriptum erat προκεχειρισμένον, id eſt, præparatũ. Nam hoc uerbo ſemel atq; iterũ uſus eſt circa cap. xxij. Nec tamen eſt ſimpliciter prædicatus, ſed ante prædicatus.

Tempora reſtitutionis.) ἀποκαταστάσεως, pro quo miror quid ſequutus Irenæus legit diſpoſitionis.

Per os ſanctorum.) Græci codices hic repetũt omnium, πάντων: quemadmodũ & apud nos additur in ijs, quæ præcedunt ac ſequuntur.

Moyſes quidem dixit.) μωϋσῆς μὲν γὰρ πρὸς τοὺς πατέρας εἶπεν, id eſt, Nam Moyſes quidẽ ad patres dixit. Exponit enim quare dixerit προκεκηρυγμένον.

Prophetam uobis ſuſcitabit deus.) Teſtimonium quod adducit extat Deuteronomij capite decimooctauo. Petrus ſententiam reddidit, non uerba. *Diſtinctio apud nos uitioſa.*

Tanquam meipſum.) Diuidenda eſt hæc dictio, ut me referatur ad ſuſcitabit, ipſum ad audietis. Id enim indicat ſermo Græcus προφήτην ἀναστήσει ὡς ἐμέ, αὐτοῦ ἀκούσεσθε, id eſt, Prophetam excitabit deus mei ſimilem, uos illum audietis. Porrò tanquam meipſum, paulo poſt dicit Similem tui, ὡσπερ σε.

Exterminabitur.) ἐξολοθρευθήσεται, Græca uox nõ ſonat eiectionem, ſed exitium ab ὄλεθρος. Verum ut ſalus eſt ex adiunctione ad eccleſiam ita exitium eſt in diſceſſu ab eccleſia.

Et omnes prophetæ à Samuel & deinceps.) Græci addunt coniunctionem καὶ, quæ ſermonem reddit inabſolutum, ea apud Latinos omittitur. Verum quoniam uidemus in oratione Petri, ſeu potius in ſermone Lucæ frequenter huiuſmodi incidere, haud ſcio an aliquis offenſus eam ſuſtulerit. Proinde cui uidebitur addenda, is ſubaudiat oportet aliquid, ut ſit ſenſus, non ſolum Moyſes, ſed & omnes prophetæ huiuſmodi quiddã polliciti ſunt quotquot &c. Nec eſt ſimpliciter, Et omnes prophetæ, ſed καὶ πάντες δὲ, id eſt, Sed & omnes, ut pertineat ad Moyſen qui præceſſit.

Omnes familiæ terræ.) Pro familijs Græce eſt πατριαὶ. quod aliâs uertit, paternitates, Ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Aliâs familiæ, De domo & familia Dauid. In nonnullis exemplaribus habebatur φυλαὶ, id eſt, tribus. *Familiæ.*

Vobis primum deus ſuſcitans.) ἀναστήσας, præteriti temporis, excitatum ſiue productũ. Nam ſuſcitari dicit exoriri, non reſurgere à mortuis. Reſpexit Petrus ad uerba Moyſi, Suſcitauit uobis deus prophetam.

A nequitijs ſuis.) ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν, id eſt, A malicijs ueſtris, tametſi recte mutauit interpres ſermonis formam, ut peregrinam Latinis auribus. Etiamſi Græca non carẽt amphibologia. Poteſt enim & hic ſenſus accipi, In hoc quod unumquẽq; ueſtrum auertat à uitijs ſuis. Benedictionem enim uocat fauorem ac beneficium dei. Id ſitum erat in hoc, quod auocauit nos à peccatis ad innocentiam. Qui ſuperſtitioſius obſeruant elegantiam linguæ Latinæ, docent nequiciæ uocem proprie congruere flagitijs, quæ luxu libidineq; committuntur, quanquam hanc præceptiunculam negligit aliquoties Seneca.

EX CAPITE QVARTO.

ET magiſtratus templi.) καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, id eſt, princeps ſiue dux templi. Nam magiſtratus hic ſingularis eſt numeri, & hominem quempiam ſignificat, cui commiſſa fuerit tutela templi.

Virorum quinque milia.) Fermè quinque milia, ὡσεὶ χιλιάδες πέντε, quod ante uertit circiter.

Et Caiphas.) Καϊάφαν, id eſt, Et Caiaphan, quatuor ſyllabis, & Hebræa deſinentia, ſicut & Annan.

Et ſeniores Iſrael audite.) Audite, non additur apud Græcos, uerum id aliquis adiecit de ſuo. In codice Conſtantienſi nec erat audite, nec Iſrael.

In benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſanus factus eſt.) Primum quis unquam dixit benefactum illius, qui beneficio ſit adiutus? Deinde quid eſt hoc, In quo iſte ſanus factus eſt? Niſi forte Petrus hoc interrogat, & ipſe ſibi mox reſpondet. Sanè Græca ſic habent, εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς, ἐν τίνι οὗτος σέσωται, γνωστὸν ἔστω πᾶσιν ὑμῖν, καὶ παντὶ τῷ λαῷ Ἰσραήλ, ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου. Quæ quidem ſic fuerãt reddẽda: Si nos examinamur hodie, de hoc quod benefecerimus homini infirmo, ſiue quod *Obſcurus ſermo.*

benefactum sit homini infirmo, in quo, siue per quem, aut quid hic saluus factus sit, notum sit omnibus uobis, & toti populo Israel, quod in nomine Iesu Nazareni &c. hoc est, Si hac de re quæstio est, & si hoc à nobis cupitis cognoscere, cuius uirtute, & cuius nomine hic claudus restitutus sit sanitati, scitote id esse factum nec arte magica, neque nostris uiribus, sed in nomine domini Iesu.

Qui reprobatus est.) ἠξουθενημένος, id est, Qui contemptus fuit, siue pro nihilo habitus.

Datum hominibus.) τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις, id est, Quod datū sit inter homines, hoc est, quod contigerit auditi inter homines. Iesus enim hominis est nomen. Inter homines addit, ob Moysen, cui fidebant Iudæi.

Petri constantiam.) πέτρου παῤῥησίαν, id est, Petri in dicendo audaciam siue libertatem.

Et cognoscebant eos.) Et Latinius & aptius ad Græca exprimenda uertisset, Et agnouerunt, καὶ ἐπεγίνωσκον.

Hominem quoque.) Græce est τὸν δὲ ἄνθρωπον, id est, Hominem autem. Interpres legisse uidetur, τόν τε ἄνθρωπον.

Quoniam quidem notum signum factum est.) Dilucidius fuerat, si uertisset ad hunc modum, Etenim manifestarium signum factum esse per illos, palàm est omnibus habitantibus Hierosolymis, nec possumus negare. γνωστὸν enim refertur ad signum, & φανερὸν ad ὅτι, & ea quæ huic adhærent.

Ne amplius diuulgetur in populum.) διανεμηθῇ. Maluissem serpat, & sic uertit alicubi, Vt cancer serpat νομὴν ἕξει, 2. Timot. 2.

Hebræum idioma.

Cōminemur eis.) ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα, id est, Minando minemur illis. Idq; Hebræorum more, quo uehementem & acrem significant interminationem.

Et uocantes eos denunciauerunt.) Quomodo denunciamus præsenti? Proinde παρήγγειλαν, maluissem præceperunt. Siquidem παραγγέλματα præcepta dici constat.

Ne loquerentur.) μὴ φθέγγεσθαι, quod plus est, quàm ne loquerentur. quasi dicas, ne hiscerent, aut ullam uocem ederent de Iesu.

In nomine hoc.) Hic sermo nobis frequenter obuius est in sacris libris. & aliquoties in præpositio non inepte uertitur in per, aliquoties melius omittitur. Hic quoniam neutrum satis quadrare uisum est, reliquimus id quod erat, petentes à lectore, ut hic nobis det eam ueniam, quam in alijs pauculis excepimus. Sub nomine non placet quibusdam, quod fictionem sonare uideatur, quod tamen non est illi perpetuum.

Si iustum est hominibus.) εἰ δίκαιον, id est, An iustū sit, siue, iustúmne sit. Ac mox:

At illi comminantes.) προσαπειλησάμενοι, id est, Additis minis. Prius enim tantū præceperant. Qua uia cum parum profecissent, addidere minas supplicij capitalis, ni parerent.

Clarificabant id quod factum fuerat.) ἐδόξαζον τὸν θεὸν ἐπὶ τῷ γεγονότι, id est, Glorificabāt deum super eo quod factum fuerat. Alioqui uidetur idem bis dictum, id quod fuerat factum in eo quod acciderat.

Quanta.) ὅσα, id est, Quæcunq;, alioqui dixisset πόσα.

Domine qui fecisti.) Apud Græcos plusculū est, δέσποτα σὺ ὁ θεὸς, id est, Domine tu qui es deus, siue tu es ille deus. Nisi eā subaudieris uerbū substantiuū, sermo nō erit absolutus.

Tu qui fecisti.) σὺ ὁ θεὸς, ὁ ποιήσας, id est, Tu es deus, qui fecisti.

Qui spiritu.) Hoc quoq; loco Græca nonnihil discrepant. Sic enim habent, ὁ διὰ στόματος Δαβὶδ παιδός σου, id est, Qui per os Dauid pueri tui.

Quare fremuerunt gētes.) Hos duos uersus ad uerbū reddidit iuxta æditionē Septuaginta. Cæterū illud σωνήχθησαν, nō est simpliciter cōuenire, sed in cōcionē aut cōciliū cōgregari, ac ueluti conspirare, quod Hebraica quoq; uox indicat. נוֹסְדוּ Item illud fremuerunt, ἐφρύαξαν Hebræis est רָגְשׁוּ, quod significat cum tumultu fremituq; conglobati sunt.

Vere in ciuitate ista.) In ciuitate ista, non reperio in Græco codice, & additum uidetur ab interprete quopiam.

Christus an recte dicatur seruus.

Aduersus puerum tuum Iesum.) Stomachatur hoc loco Valla, quod Iesu filio dei, serui cognomen tribuerit interpres. Quanquam & puer apud Latinos filiū significat, sed infrequenter. Seruum frequentius, frequentissime ætatis primæ hominem. At Christus cum salutem adferret, puer non erat. Siquidem morte sua nos seruauit, de qua loquitur hic. Et fortasse serui

taſſe ſerui appellatio,in hunc non conuenit, etiamſi obediuit & ſubditus fuit patri iuxta aſſumptum hominem,ſed ut filius,non ut ſeruus.Proinde uertendum erat hic παῖδα filium, non puerum.Licet non ſim neſcius id quod eſt apud Paulum, Formam ſerui accipiens,à quibuſdam referri ad naturam humanam aſſumptam, ut uere fuerit ſeruus. At mihi magis probatur ut dicatur inanitus,non quod eſſet homo,ſed quod ut ſeruus,& ſeruus flagitioſus flagris afficeretur,& cruce.Nam quod paulo ante Dauid puerum,hoc eſt,famulum dei uocat,recte facit.Si nuſquam interpres παῖδα uertiſſet filium, uideri poterat in hac opinione fuiſſe, non licere ſecus uertere. Nunc cum aliâs ſæpenumero ſic tranſtulerit,atque adeo paulo poſt,mirũ cur hoc loco uariarit. Certe Ambroſius locũ hũc adducens libro de uocatione gentium ſecundo,capite quinto,Filium legit nõ puerum, ne quis mihi moueat atrocem tragœdiam.Præterea ſanctus Hilarius in commentarijs quibus hunc enarrat pſalmum,filium legit non puerum aut ſeruũ.Ac rurſus libro de trin.undecimo,atq; his omnibus recentior Caſſiodorus.Et Chryſoſtomus enarrans hunc locum ex epiſtola ad Hebræos:Sedes tua dñe,negat filium appellari ſeruũ,cum angelos dixerit miniſtros.Neq; tamen me fugit Hieronymum multis locis contendere, in Chriſtum competere ſerui uocabulũ. At interim non uideo,cur aut ille laboret in hoc,ut Chriſtus alicubi dicatur ſeruus, aut alij tantopere abhorreant à ſerui uocabulo,Ieſu,ut homini tribuendo.Etenim ſi ſeruus eſt, qui bona fide obedit iuſſis domini,Chriſtus ut homo,cur non dicatur ſeruus? Sin ſeruus eſt, qui malo coactus,ſuum officium facit,non competit in Chriſtum ſerui cognomen.Hic cũ recenſuerim in prima æditione ſententiam Vallæ,tamen locus hic fuit acriter à duobus impetitus, quorum alteri reſpondi æditio in hoc ipſum libello. Alter nõ contentus impegiſſe imperitiam ſacrarum ſcripturarum,ſugillat me,quaſi cum Apollinari ſentiam, qui detrahã aliquid humanæ naturæ. Nam id auguror illum ſentire.Iam atrociorem etiam ſuſpicionem colligit ex his uerbis meis:Etiamſi obediuit & ſubditus fuit patri,ſed ut filius nõ ut ſeruus, quaſi cum Ario ſentiam filium non eſſe æqualem patri.Quid impudentius hac calumnia? Qui fatetur Chriſtum ſubditum patri, nónne fatetur hominem? Porrò filius dei dicitur, iuxta naturam utramq;. Nec alio ſenſu negant filium dei ſeruum, niſi quo Chriſtus negat ſuos diſcipulos uocandos ſeruos,ſed potius amicos. Si ſerui appellatio recte adimit apoſtolis, hæreſis eſt eam in Chriſto non admittere? Et non pudet homines,qui ſibi uidentur abſolute docti huiuſmodi nænias literis prodere,atq; ex uaniſſimis ſomnijs impingere geminã hæreſim? Atq; huiuſmodi periculoſos errores pollicetur ſe quamplurimos indicaturum. Si hæc lues habet literas theologicas, multo præſtat aut in poëticis philoſophicisq; literis conſeneſcere,aut fiſcellam hibiſco texere.Poſtremo non agitur hic an ſerui cognomẽ tribui poſſit Chriſto, ſed an tribui ſoleat in ſacris literis.

Herodes & Pontius Pilatus.) Ἡρῴδης τε καὶ Πόντιος.Græcis gemina eſt coniunctio, & Herodes & Pontius,aut,Herodes ſimul & Pontius.Delectatus uidetur hac congeminatione Paulus quoq;.Et omnino ambobus nonnihil eſt affinitatis in ratione ſermonis.

Et populis Iſrael.) Nonnulli codices habebãt, καὶ λαὸς & populus, magis probãt. Ὁ λαοῖς Interpretans enim pſalmũ,gẽtes refert ad cohortes Herodis ac Pilati, populos ad Iudæos.

Facere quæ manus tua.) Vertit Græcã figurã interpres,quã uitaſſet ſi dixiſſet, ut facerẽt.

Decreuerat fieri.) προώρισε γενέσθαι, id eſt, Præſtituerat ut fierent,ſiue præfinierat futura.

In eo quod manum tuam extendas.) ἐν τῷ τὴν χεῖρά σου ἐκτείνειν σε,id eſt,In extendendo manum tuam. Sentit enim ita futurum,ut libere & intrepide loquantur uerbum dei apud populum,ſi ille porrigat manum,& adiuuet loquentes,addita uirtute ſignorum.

Ad ſanitates.) εἰς ἴασιν,id eſt,Ad ſanationem.

Filij tui Ieſu.) παιδός.Eadem uox eſt Græca,quam modo uertit,pueri,haud ſcio quo conſilio uarietatem hanc affectans.

Cum fiducia.) μετὰ παῤῥησίας,id eſt,Audacter ac libere.

Multitudinis autem credentium) τοῦ πλήθους τῶν πιστευσάντων,id eſt,Eorum qui crediderant. Auguſtinus adducens hunc locum in epiſtola octaua ad Lætum, addit duo uerba: Dictum eſt,inquit,Erat illis in deum cor unum & anima una,licet ſtilus huius epiſtolæ, magis ſapit Paulinum,quàm Auguſtinum.

Ante pedes.) παρὰ τοὺς πόδας,id eſt,Iuxta pedes.

Ioſes. Ioſeph.) Ἰωσῆς, id eſt Ioſes.

Quod eſt filius conſolationis.) Barnabas. Eſt enim uox Hebraica. בַּר filius eſt נבש præter alia recreari ſignificat & refrigerari ac conſolari. Etiamſi Hieronymus uarie interpretatur, Filius prophetæ, filius uenientis, ſiue filius conſolationis. Quod extremum ſignificat plurimis placuiſſe. Eſt qui putet hanc uocem in Paulo deprauatam, ac pro Barnaba legendum Barnahum, ac uocem eſſe Syram non Hebraicam. Quod ut ego in tanto codicum conſenſu diuinare non audeo, ita non eſt animus acriter refellere. Hoc autem honoris habere uoluit illius pietati, qui ſyncere obtulerit ſua, quo deteſtabilius redderet exemplum diuerſum, quod ſequitur. In nonnullis Græcorum codicibus additū erat μεθερμηνευόμενον, id eſt, Quod eſt interpretatum, ſiue, ſi quis interpretetur.

EX CAPITE QVINTO.

VEndidit agrum.) ἐπώλησε κτῆμα, id eſt, Vendidit poſſeſſionem, hoc eſt, domū aut prædium.

Et fraudauit de precio.) ἐνοσφίσατο, hoc eſt, Sepoſuit & auulſit, quod tamen recte uertit interpres.

Adferens partem quandam.) ἐνέγκας μέρός τι, id eſt, Allatam partē aliquā.

Ad Ananiam.) Hæc duo uerba nec apud Græcos habentur, nec in uetuſtis codicibus Latinis.

Cur tentauit.) διὰ τί ἐπλήρωσεν, id eſt, Impleuit. Ita legit Auguſtinus in libello de tempore Barbarico, cap. tertio. Annotauit hic diuerſam apud Græcos lectionem, neſcio quis in Gloſſa ordinaria. Chryſoſtomus legit ἐπλήρωσεν. Opinor interpretem legiſſe, ἐπείρασεν.

Mentiri te.) Rurſum uertit Græcam figuram, Vt mentireris.

Mentiri ſpiritum. Et ſpiritu ſancto.) Græce eſt, ſpiritum ſanctum, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Siue quod ita loquantur Græci, mentior te, ſicut euangelizo te, & benefacio te, ſiue quod ſenſus ſit, eū mentiri ſpiritum ſanctum, qui ficte ſimulet & imitetur, quod cæteri inſtinctu ſpiritus ſancti faciebant. Nam mentitur non ſolum qui falſum dicit, uerumetiam qui ſimulat, ut, Faciem mentita Creuſæ. Et, æs mentitur aurum. Auguſtinus in libello quem modo citaui, legit mentiri apud ſpiritum ſanctum, quaſi Græce fuerit, πρὸς τὸ πνεῦμα. Chryſoſtomus legit quidem nobiſcum, cæterum ex interpretatione non ſoluitur ambiguitas lectionis.

Manens tibi manebat.) Rurſum Hebræorum more congeminatione uocis, expreſſit epitaſin μένον ἔμενεν, hoc eſt, Vere ac prorſus manebat, nemine ullo pacto cogente. Accuſat autem eum Petrus duobus gradibus. Primum manebat, cum nemo cogeret uendere. Deinde ſi uendere libuit, nemo cogebat adducere precium.

Dormitans interpres. Et uenundatum erat in tua poteſta.) καὶ πραθέν. Interpres diuerſas apud Græcos dictiones per eandem Latinam reddidit. Illis eſt κτῆμα poſſeſſionem, & χωρίον prædium aut uillam, hic utrunq; uertit agrum: & tamen oblitus ſui ſubiecit, uenundatum, reſpondens ad Græcam uocem, oblitus Latinæ, cum dicere debuerit, uenundatus.

Horarum trium ſpacium.) διάστημα, id eſt, Interuallum.

Dixit autem ei Petrus.) ἀπεκρίθη, id eſt, Reſpondit, cum nihil ſit interrogatum. Atque ita ſcriptū comperi in exemplaribus uetuſtioribus Latinis aliquot.

Conuenit uobis.) τί ὅτι συνεφωνήθη, id eſt, Quid conſpiratum eſt à uobis, & in hoc conſentitis, ut tentetis ſpiritum domini, aut quæ eſt inter uos conſpiratio.

Ad uirum ſuum.) πρὸς τὸν ἄνδρα. Cur non potius, luxta uirum.

Magis autem augebatur credentium in domino.) Græce paulo diuerſius eſt, μᾶλλον δὲ προσετίθοντο πιστεύοντες τῷ κυρίῳ, πλήθη ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν, hoc eſt, ut uerbum uerbo reddam: Magis autem apponebantur credentes domino, multitudines uirorumq; & mulierum. Cæterum illud, Ita ut in plateas eiicerent, aliquanto durius cohæret cum his quæ præcedunt, niſi ſubaudias unà cum turba famam item Apoſtolorum creuiſſe. Vtinam hæc attente legant iſti, qui toti addicti commodis huius mundi, Chriſti paupertatem & humilitatem uel contemnunt, uel irrident etiam. Quod regnum, quas opes, quam poteſtatem cum hac apoſtolorum gloria conferant? Omnia ſunt in Chriſto multo ſplendidiora, quàm hic mundus præbere poſſit. Cæterum alio modo. Nec ea communicat, niſi qui contemptis cæteris, huic regno toto pectore ſeſe addixerit. Ipſe ſpectaui primū Bononiæ,

Maieſtas apoſtolica uera.

deinde

deinde Romæ,Iulium pontificem Romanum, eius nominis secundum, splendidissimos agentem triumphos,ac prorsus tales, ut cum Pompeianis,aut Cæsarianis triumphis conferri possent. Verum quid illi ad hanc Petri maiestatem,non armis,non copijs,non machinis,non auro, sed sola fide totum orbem in sui miraculum conuertentis? Atq; eadem magnificentia & hodie sequeretur apostolorum successores,si pares essent spiritu.

Eijcerent infirmos.) ἐκφέρειν,id est,Educerent,siue exportarent. Inhumanũ enim eijcere. Nec est Græce ἐκβάλλειν,ut coactus fuerit ita uertere.

Et grabatis.) καὶ κραββάτων. Græca uox est, recepta tamen apud Latinos, mutatis duabus literulis.

Quenquam illorum.) Latinius,aliquem.

Et liberarentur ab infirmitatibus suis.) Non est in græcis exemplaribus, sed adiectum apparet à quopiã, qui uoluerit interpretari. Græcæ lectioni suffragantur uetustissimi codices sancti Donatiani.

Et omnes seniores.) πᾶν γερουσίαν,id est, Ordinem seniorum.

Et aperto carcere.) Non est carcere apud Græcos,sed tantum ἀνοίξαντες δὲ, id est, Cæterũ cum aperuissemus. Nam ianuarum modo meminerat.

Ambigebant de illis.) διηπόρουν. Plus quiddam dixit,perplexum esse,& ancipitis animi, consilijq; inopem.

Præcipiendo præcepimus.) οὐ παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν,id est,An non præcepto præcepimus,hoc est,acriter præcepimus,ut ante dixit,Minis commine mur.

Obedire oportet deo.) πειθαρχεῖν. Quod est proprie parêre principi aut magistratui, dictione composita,à πείθειν obedire,& ἄρχων princeps. Ac paulo post,τοῖς πειθαρχοῦσιν αὐτῷ, id est,obedientibus sibi. πειθαρχεῖν.

Quem uos interemistis.) διεχειρίσασθε. Quod est manibus uiolentis occidere. Hinc enim dicta uox Græca. Nam interimitur,& qui iure meritoq; plectitur.

Principem & saluatorem.) ἀρχηγὸν, Ducem & autorem. Quanquam non reprehendo quod uertit interpres.

Et nos sumus testes.) Græci addunt genitiuum αὐτοῦ,id est, Eius, quem Latinius poterat uertere in datiuũ,ei. Nec est simpliciter, Et spiritussanctus,sed,καὶ τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον,id est,Quin & spiritussanctus,ut sit ueluti correctio superioris dicti. Quasi diceret, non tam nos testes sumus illi,quàm ipse spiritussanctus,cuius uirtute hæc fiunt.

Et cogitabant interficere illos.) ἐβουλεύοντο,id est, Consultabãt ut interficerent. Interpres ἐθέλοντο legit,aut certe somniauit.

Homines fieri.) Græce est apostolos,non homines. Nec est fieri,sed facere, ποιῆσαι, hoc est,emittere foras.

Extitit Theodas.) Eleganter uertit,extitit,ἀνέστη,id est surrexit, siue exortus est. Græci codices habent Θευδᾶς, id est, Theudas, non Theodas. Hos Chrysostomus putat ob id sublatos è medio, quod uetuerint censum dari Cæsari, fuisseq; pharisæos. Vide Eusebium in historia Eccles. lib. 2. capite undecimo. Theodas.

Cui consensit.) προσεκολλήθη. Quod aliâs uertit,adhæsit, rectius & hic ita uersurus. Nõ solum enim consenserunt,sed & conspirarunt cum illo,& eadem docebant.

In diebus professionis.) ἀπογραφῆς. Quam in euangelio uertit descriptionem. Professio descriptio census.

Auertit populum.) Græci addunt ἱκανὸν,id est,Multum.

Consilium hoc opus.) ἡ βουλὴ, ἢ τὸ ἔργον τοῦτο,id est, Consilium aut opus hoc.

Ne forte.) μήποτε,id est,ne quando.

Et deo repugnare uideamini.) Καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε, Et cum deo pugnantes reperiamini. Græcis est dictio composita,deriuataq; à uerbo θεομαχεῖν. Cæterum recte uertit interpres.

Consenserunt autem illi.) ἐπείσθησαν,id est,Paruerunt siue obtemperarunt.

Ne omnino loquerentur.) Omnino, non inuenio in Græcis codicibus, tantum est, μὴ λαλεῖν,id est,ne loquerentur. Suffragabantur uetusti codices.

Et circa domos.) κατ' οἶκον,id est,Per singulas domos, siue domesticatim.

Docentes.) ἐπαύοντο διδάσκοντες. Vertendum erat, Cessabant docere & euangelizare, participio commutato in infinitum.

EX CAP.

EX CAPITE SEXTO.



Rescente numero discipulorum.) πληθυνόντων τῶν μαθητῶν, id est, Cum plures fierent discipuli. Quanquam periphrasin interpretis probo.

Murmur Græcorum.) Non est ἑλλήνων, sed ἑλληνιστῶν Hellenistarum. Nam Iudæi Græcos appellabãt omnes paganos & alienos à lege Mosaica. Et probabile est in hoc numero nondum fuisse quenquam gentium, proinde non ἕλληνας dixit sed ἑλληνιστὰς, Iudæos qui nati fuerãt aut uixerãt inter gẽtes, eiusq; gentis ubi uixerant, lingua loquebant. Itaq; qui nati erant in regionibus Iudæorũ, Iudæos alibi natos aliaq; loquentes lingua, pro semipaganis ducebant, quos hic non appellat Iudæos, quod religionis erat nomen, sed Hebræos, quod magis indicat gentem & nationem.

Eo quod despicerentur.) Et hic sensus anceps est, utrum ideo uiderentur despici, quod non admitterentur ad ministerium, ceu non uere Iudææ, an quod grauarentur onere sordidioris ministerij. Et ideo uidentur electi septem diaconi, non ut ipsi ministrarent omnibus, sed ut dispensarent ministrandi uices & ordines, ne similibus querelis interpellarentur apostoli.

Aduocati autem duodecim.) Obscure explicuit. Potest enim accipi ut fuerint aduocati duodecim discipuli. Iam in, Instantes erimus, quid opus erat paraphrasi? Rursum in, Multa etiam turba, τε est, id est, Que: nec aliud est ad quod respondeat etiam.

Non est æquum.) οὐκ ἀρεστόν, id est, Non est placitum, siue Non est gratum, aut Non est eiusmodi ut nobis placere debeat.

Boni testimonij.) μαρτυρουμένους, Quasi dicas, testimoniatos. Hoc est spectatæ probatæq; integritatis, de quibus alij bene testentur. Alioqui boni testimonij dici uidetur, qui bona fide fert testimonium.

Super hoc opus.) ἐπὶ τῇ χρείᾳ ταύτῃ, id est, In hoc usu, siue, Super hanc necessitatem, id quod magis blanditur Vallæ, mihi non item, quanquam functio magis quadrat.

Et Nicolaum aduenam.) Rectius dixisset proselytum, annotante Valla, ut intelligamus ad legem Mosaicam receptum, utpote patria Antiocheum, religione Iudæum. Hic post habitus est Hæresiarches, quanquam Clemens apud Eusebium ipsum diligenter excusat.

Et imposuerunt illis manus) Rabanus opinor admonet hunc esse modum in conferendis sacris ordinibus, ut populus eligat, episcopus ordinet. Ea certe consuetudo diutissime perseuerauit in ecclesia, uerum ob tumultus populares recte mutata est.

Duplex sensus.

Spiritui qui loquebatur.) ᾧ ἐλάλει. Quod sic accipi potest, ut sit sensus, Non poterant resistere spiritui quo loquebatur. Quanquam & altera lectio probe habet, ut ᾧ positũ sit pro ὅ, propter datiuum præcedentem πνεύματι. Hic in uetusto codice asscriptũ comperi, Propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia. Idem habebat æditio Hispanensis, uerum in Græcis non additur, nec in Latinis nisi paucis.

Nõ cessat loqui uerba.) ῥήματα βλάσφημα, id est, Verba blasphema siue maledica. Quanquam opinor blasphema additum. Quorsum enim opus cum sequatur aduersus locũ sanctum? Certe Chrysostomus hũc enarrans locum, nullam facit mentionem blasphemorũ. Nec additur usquam in Latinis codicibus uetustioribus.

Et mutabit traditiones.) τὰ ἔθη, id est, Consuetudines aut instituta.

Si hæc ita se habent.) εἰ ἄρα ταῦτα οὕτως ἔχει, id est, Num hæc ita se habent?

Qui ait.) Obsecro quæ tandem est hæc supinitas in uertendo? Quomodo cohæret cũ proximo sermone qui ait? Præcessit enim: Dixit autem princeps sacerdotum, si hæc ita se haberent. Atqui Græce est ὁ δέ φησι, id est, At ille ait.

EX CAPITE SEPTIMO.

Narratio uidetur dissonare.



Priusquam habitaret in Charran.) Videbatur nonnihil discrepare Stephani narratio, cum historia Geneseos capite 12. quod illic facta mentione Tharæ patris Abraham, post refertur cum illo colloquutus deus. Neq; satis conuenit de numero annorum. Verum hac de re nodum explicuerũt Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, & Augustinus libro de ciuitate dei 16. capite 15. Rursum in quæstionibus super Genesim libro primo.

Nec

Nec paſſum pedis.) οὐδὲ βῆμα ποδός, id eſt, Ne ueſtigium quidem pedis. Nam paſſus ali quot pedes complectitur, nec poteſt unius pedis eſſe paſſus. Tolerabilius igitur eſt quod legit Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Geneſim libro primo, Nec ſpacium pedis. Quo quidem loco ſimul illud excutit, qui fieri potuerit, ut qui prius legatur emiſſe agrum iuriſiurandi circa puteum, nunc ne pedis quidem ueſtigium illic poſſideret. Non poſſedit, nec tantillũ ex munere diuino, de cuius pollicitatione illic agit Stephanus. Nam pecunia licebat ubiuis parare agros. *Nodus ſolutus.*

Loquutus eſt autem ei.) οὕτως. Loquutus eſt autẽ ſic, eſt Græce, & non additur ei.

Quia erit ſemen eius accola.) ὅτι ἔσαι τὸ σπέρμα αὐτοῦ πάροικον. Vt conniueamus quod quia, abuſus ſit pro quod, quod accola poſuit genere neutro, Certe aliud eſt incola quàm accola. Siquidem accolæ dicuntur finitimi, ut accola Rheni. Incola qui non ſit αὐτόχθων. Quanquam Græcis eſt πάροικος, qui aliũde profectus alibi domum habet. Nos uertimus inquilinum, ad hunc modum, Loquutus eſt autẽ deus ſic, quod futurum eſſet ſemen eius inquilinum in terra aliena, quodq; ſeruituti illud ſubiecturi eſſent, &c. Mollius erat poſteri eius incolæ. Semen enim poſteros appellat. Nec in clauſula eſt, Dicit dominus, ſed εἶπεν ὁ θεός, id eſt, Dixit deus.

Male tractabunt.) Eſt κακώσουσιν, id eſt, affligent ſiue cruciabunt.

Annis quadringentis. In æditione peruetuſta, legebatur quadringentis triginta, atq; ita legit Rabanus ex ſupputatione temporum. Beda indicat hyperbaton, erit incola annis quadringẽtis, ut quod in medio interceſſit, & ſeruituti eos ſubiiciẽt & male tractabũt eos, non impediat contextum præcedentium & ſequentium. Quanquam mea ſententia non eſt opus, ad hoc hyperbaton confugere.

Et ſic genuit Iſaac.) Interpres, niſi mendum eſt, legiſſe uidetur οὕτως, cum in Græcis codicibus ſit οὗτος hic, ſiue iſte. Si legas οὕτως, ſenſus eſt, illum non genuiſſe Iſaac niſi circumciſum, cum Iſmaelem ſuſcepiſſet incircunciſus. Suſpicor factum, ut Græci odio circunciſionis mutarint οὕτως in οὗτος. Tametſi uariabant Græci codices, Chryſoſtomus & Hiſpanienſis æditio habebant οὕτως, mei codices & Aldina æditio οὗτος.

Et Iſaac Iacob.) ὁμοίως, Vt ſubaudias, genuit.

Et in ſecundo.) καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ, Et in ſecundo, ut uerbum uerbo reddatur, Altera uice, ſiue Cum iterum miſiſſet eos.

Non inueniebat cibos.) χορτάσματα. Vox eſt à ſaturando dicta.

In ſeptuagintaquinq; animabus deſcendit Iacob.) Et hunc locum annotauit Hieronymus in libro ad Pammachium de optimo genere interpretandi, qui ſecus habeatur in Geneſi, ubi legitur, quod Abraham emerit ab Ephron Etheo filio Saor, iuxta Hebron quadringentis drachmis ſpeluncam duplicem, & agrum circa eam, ſepelieritq; in ea Sarã uxorem ſuam. Atq; in eodem legimus libro, poſtea reuertentem è Meſopotamia Iacob cum uxoribus & filijs ſuis, poſuiſſe tabernaculum ante Salem urbem Sichymorum, quæ eſt in terra Chanaan, & habitaſſe ibi, & emiſſe partem agri, in quo habebat tentoria, ab Emor patre Sychem, centum agnis, & ſtatuiſſe ibi altare, & inuocaſſe deum Iſraël. Proinde Abrahã non emit ſpecum ab Emor patre Sychem, ſed ab Ephron filio Saor, nec ſepultus eſt in Sychem, ſed in Hebron, quæ corrupte dicitur Arboch. Porrò duodecim patriarchæ non ſunt ſepulti in Arboch, ſed in Sychem, qui ager non eſt emptus ab Abraham, ſed à Iacob. Hunc nodum illic nectit Hieronymus, nec eum diſſoluit. Nos aliò properantes in hoc proponimus, quo ſtudioſo lectori ſtimulos addamus ad excutiendum. *Locus diſſerens prima fronte.*

Quam profeſſus erat.) ἣν ὤμοσεν, id eſt, Quam iurauerat.

Qui non ſciebat.) ὃς οὐκ ᾔδει, id eſt, Qui non nouerat.

Ne uiuificaretur.) εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι, id eſt, Ad hoc, ut partus non eſſent uitales.

Gratus deo.) ἀστεῖος τῷ θεῷ. ἀστεῖος aliàs ſonat feſtiuus, ſiue urbanus. Abuſus uidet hac uoce pro χαρίεις, quod gratum ſignificat, & item urbanum.

Putabat enim intelligere fratres ſuos.) Hic fratres uocat ſuæ gentis homines, quod poſt translatum eſt ad Chriſtianos. Auguſtinus in quæſtionibus in Exodum, dubitat utrum homicidium Moyſi duntaxat indolis ſpecimen ſit, an laudi dãdum, quod ex hac oratione Stephani uideatur id feciſſe numinis admonitu. *Fratres qui eiuſdẽ gentis.*

Litigantes.) Græce est μαχομένοις, id est, pugnantibus. Recte tamen uertit interpres.

In igne flammæ rubi.) Græce est contrarius ordo ἐν φλογὶ πυρὸς, id est, In flamma ignis. Tametsi & alioqui sermo duriusculus est nobis ob proprietatem sermonis Hebraici.

Videns uidi.) Hebreum est schema, pro eo quod est, Attente uidi.

Et nunc ueni & mittam.) καὶ νῦν δεῦρο, id est, Et nunc uenito, siue nunc adsis, ut secundæ personæ sit uerbum, non primæ. Iubet enim Moysen adesse.

Tanquam meipsum audietis.) Audietis hoc loco in nonnullis exemplaribus Græcis nō scribitur. Donatiani codices suffragabantur Græcæ lectioni, in quibus erat, De fratribus uestris tanquam me. Apud Chrysostomum nec in contextu nec in enarratione sit huius clausulæ mentio. Quod autem dictum est tanquam me, Chrysostomus exponit, contemptum & insidijs appetitum, quod ut Christo puero insidiatus est Herodes, ita Pharao Mosi in Aegypto, & uterq; saluus euasit. Superius demonstratum est, ipsum, pertinere ad uerbum audietis, non ad me, quod pertinet ad uerbum suscitabit: Suscitabit uobis prophetā ut me, id est, similem mei, & uelut alterum me, ipsum audietis. Quanquam apparet interpretem legisse ὡς ἐμαυτὸν, nisi, quod probabilius est, hoc aliquis assuit de suo.

In ecclesia, & in solitudine.) Et, apud Græcos non est, sed ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν τῇ ἐρήμῳ, id est, In congregatione, in deserto, citra coniunctionē, cōsentientibus Latinis emendatioribus.

Verba uitæ dare uobis.) Nonnulli codices habebāt λόγον ζῶντα, id est, sermonem uiuū, Nonnulli λόγια ζῶντα, id est, Eloquia uiua. Sic enim solitus est uertere λόγια.

Patres uestri.) Vtroq; loco Græcis est ἡμῶν, id est, Nostri, primæ personæ.

Mosi enim huic.) ὁ γὰρ μωϋσῆς, id est, Nam Moyses iste; & sic habebat exemplar Constantiense. Quanquam id recte mutauit interpres.

Quas fecistis adorare.) Interpres non mutauit Græcam figuram loquendi, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς, id est, Quas fecistis ut adoretis eas. Sed mirum non addi articulum uerbo infinito.

Et transferam uos trans Babylonem.) In nonnullis exemplaribus repperi mutatum, trans in, In. Locus sumptus est ex Amos prophetæ capite quinto. Quanquā illic pro trans Babylonem legitur trans Damascum, ex autoritate ueritatis Hebraicæ simul & Septuaginta. Hieronymus sic excusat Stephanum, ut dicat eum magis sensum reddidisse quàm uerba, quod Iudæi trans Damascum ducti sunt in Babylonem, siue trans Babylonem. Sunt qui malunt fateri scripturam esse deprauatam, & pro Trans Damascum scriptum fuisse Trans Babylonem.

Cum patribus.) Cum, redundat.

Deus loquens.) ὁ λαλῶν, id est, Ille qui loquebatur.

Patres uestri, ἡμῶν Græce est, id est, nostri, quemadmodum admonuimus modo.

Sed non excelsus &c. in manu factis.) Græcus addit templis, ἐν χειροποιήτοις ναοῖς. Et Manufactis unica illis dictio est.

Oratio Stephani cū longa sit, est inabsoluta.

Dura ceruice.) Græcis epitheton est compositum, σκληροτράχηλοι, Quasi dicas, duriceruicos, ut Politianus dixit, incuruiceruicum pecus. Cæterum apparet orationem Stephani clamoribus obstrepentium Iudæorum interruptā fuisse. Neq; enim satis alioqui respondet hic finis, tam alte repetito principio, præsertim cum in ea multa sint, quæ non ita multū pertinere uideantur ad id quod instituit.

Restitistis.) ἀντιπίπτετε, id est, Resistitis.

Et homicidæ.) φονεῖς, id est, Occisores.

In dispositione.) εἰς διαταγὰς, id est, In dispositiones, siue ad dispositiones, à διατάττω quod est ordino. Augustinus libro de ciuitate dei x. citat aliquoties, In edictis angelorum, pro eo quod nos legimus, In dispositione angelorum.

Virtutis dei.) Virtutis, in Græco codice non reperio. Tantum est à dextris dei, suffragantibus & Latinis uetustioribus.

Obdormiuit in domino.) In domino non additum est in Græco exemplari, tantum est ἐκοιμήθη, id est, Dormiuit, Suffragantibus uetustis exemplaribus Latinis.

EX CAP.

EX CAPITE OCTAVO.

IN ecclesia.) ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, id est, In ecclesiam, siue Aduersus ecclesiam.

Curauerunt autem Stephanũ.) συνεκόμισαν δέ, id est, Simul aũt curauerũt.

Viri timorati.) εὐλαβεῖς, id est, Religiosi siue pij.

Per domos intrans.) κατ' οἴκους, id est, Domesticatim, ut ita loquar, siue per singulas domos, ut ostendat ingens studium perdendi.

Igitur qui dispersi erant.) οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες, id est, Igitur illi quidã dispersi. Iam enim dispergebantur.

In ciuitatem Samariæ.) Videtur appositiue dictum ciuitatem Samariæ, ut Samaria sit nomen non regionis, sed ciuitatis, unde tota regio nomen est sortita. Eadem autem dicta est Sebaste.

Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos clamantes uoce magna exibant.) Quæso qui nam exibant? num ipsi homines? Nec Græca reddidit ut habent, nec ita uertit ut possit sensus percipi. Quod genus est illud quod canitur in laudibus deiparæ uirginis, Cuius dominus humilitatem respiciens, angelo nunciante concepit redemptorẽ mundi. Ex his uerbis quid aliud Latinus intelligat, nisi dominum factum esse grauidum? usque adeo nihil interesse putant, quomodo loquamur, modo ipsi intelligamus quod loquimur. Sed quod ad hunc attinet locum, Græca sic habent, πολλῶν γὰρ ἐχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα, βοῶντα μεγάλῃ φωνῇ ἐξήρχετο. Ea quoniam ad uerbum reddi non poterant, nos sensum expressimus in hunc modum, Spiritus enim immundi, à multis qui ab illis tenebantur, clamantes uoce magna exibant. In duobus codicibus Donatiani non addebatur hæc particula, opinor, quod eam scriba prætermiserit offensus absurditate sermonis. Nam Græci codices consentiunt. *Locus ridiculo redditus ab interprete.*

In ciuitate magus.) ἐν τῇ πόλει μαγεύων, id est, artem exercens magicam.

Cui auscultabant.) Hoc auscultabant, & quod mox sequitur, attendebant, Græcis idem est uerbum προσέχειν.

Quæ uocatur magna.) Quæ uocatur, non additur in Græco codice, ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη, id est, Dei uirtus magna. Interpres studuit explicare uim articuli Græci ἡ μεγάλη.

Propter quod.) διὰ τὸ, id est, Propterea quod: & tamen hanc sermonis formam uideo fuisse familiarem priscis Christianis, quum longe aliud significet.

Magicis suis.) ταῖς μαγείαις, id est, Magijs siue magicis artibus.

Dementasset.) ἐξεστακέναι αὐτούς, id est, Stupefacti essent, & uelut à mente alienati.

De regno dei in nomine Iesu.) Græce est, Et nomine.

Stupens admirabatur.) ἐξίστατο. Interpres unam Græcam uocem, duabus Latinis reddidit. Stomachatur hoc loco nonnihil Laurentius, nec sanè prorsus absre, quod interpres tantum sibi permiserit, ut eandem dictionem Græcam eodem in loco trifariam reddiderit. Siquidem, quod paulo ante uertit, seducens, Græcis est ἐξιστῶν: Quod dementasset, est ἐξεστακέναι: Quod stupens admirabatur, est ἐξίστατο. *Copia interpretis.*

Et rogabant pro eis.) Dubium est an ipsi apostoli rogarint deum pro eis, an Philippus & qui cum illo erant rogarint apostolos, Posteriorẽ sensum sequi uidentur interpretes.

In quenquam illorum uenerat.) ἦν ἐπιπεπτωκὸς, id est, Erat elapsus siue delapsus.

Manus apostolorum.) χειρῶν, id est, Manuum. Sed interpres offensus concentu genitiuorum uariauit.

Si forte.) εἴ ἄρα. Coniunctionem expletiuam suo more uertit in forte.

In felle amaritudinis.) εἰς χολὴν πικρίας, id est, In bili amaritudinis, id est, Amara bili. Nõ irascebatur Magus, sed uitiatum animum expressit per bilis amaritudinem

Et in obligatione.) καὶ σύνδεσμον, id est, In colligatione. ,hoc est, In uinculis.

Quæ dixistis.) ὧν εἰρήκατε. Articulus postpositiuus congruit cũ casu antecedentis, dissidens à suo uerbo. Annotandum quod uni Petro respondens, multitudinis utitur uerbo, dixistis. Vnde probabile est, quod Petrus admonuit, cæteros item admonuisse.

Et multis regionibus.) πολλάς τε κώμας, uicis siue pagis. Apparet interpretem legisse κώρας.

Contra meridianum.) κατὰ μεσημβρίαν, id est, Meridiem uersus, siue Ad meridiem.

Quæ descendit ab Hierusalem.) καταβαίνουσαμ. Quod Hierosolymorum urbs in monte Sion sita sit ex parte. Nonnulli codices habebant φέρουσαμ, id est, Quæ ducit.

Gaza. Gazam.) Ciuitas est insignis Palæstinæ. destinata in sortem tribus Iuda, licet obtineri nō potuerit. Desertā addit quod uetus illa Gaza, de qua Sophonias, Gaza destructa erit, sic fu erit diruta, ut uix urbis extet uestigium, pro qua extructa est alia, sed non eodē loco.

Erat autem uir quidam.) Annotauit Hieronymus uirum dici qui sit eunuchus, cum pugnent inter sese, uirum esse & eunuchum esse, unde & euirati dicuntur. Verum in Christo neq; sexus est, neq; conditio, sed noua creatura.

Dynastæ præfecti. Eunuchus potens.) δυνάστης, id est, Magistratus siue præfectus. Græca uoce usus est & Cicero, Tetrarchæ & Dynastæ. Non enim dicitur reginæ eunuchus, sed reginæ præfectus, nimirum gazophylax.

Candacis.) καυδάκης, id est, Candaces, à nominatiuo Càndace. Quod nomē ita uidetur commune fuisse reginis, ob quandam reginam Aethiopiæ nomine Candacen de gente illa optime meritam, ut apud Aegyptios Pharao & Ptolemæus, regibus.

Venerat adorare.) προσκυνήσων, id est, Adoraturus.

Putaśne intelligis.) ἆρά γε. Num, siue an, siue Nunquid intelligis quæ legis?

Et quomodo.) Et, nō est apud Græcos, sed tantum πῶς γὰρ ἂν δυναίμιν, Qui enim possim, aut Qui nam possim. Subauditur enim negatio non intelligo.

Ostenderet mihi.) ὁδηγήσει με, id est, Duxerit me.

Locus, pro argumento. Locus autem scripturæ,) ἡ δὲ περιοχή. Quod continentiam possis dicere: Nos uertimus argumentum, poterat dici & sententia.

Tanquam ouis ad occisionem.) Locus est apud Esaiam capite 53. Verum apparet eunuchum hunc non ex Hebræo libro, sed ex Græco hæc legisse, quod omnia adamussim consentiant cum æditione septuaginta. Et Aegyptus id temporis græcissabat ob commercium cum Romanis & ante hoc cum Alexandro. Nam Hebræa Hieronymus ita uertit, Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de iudicio sublatus est, generationem eius quis enarrabit, quia abscisus est de terra uiuentium. luxta septuaginta legimus hunc in modum ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος ἄφωνος, οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ. Ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη. τὴν γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται, ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ, id est, Sicut ouis ad uictimam ductus est, & sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est, generationem illius quis enarrabit, quia tollitur de terra uita eius. Porrò pro tollitur αἴρεται perperam habetur in nostris codicibus tolletur, uerbum futuri temporis, quemadmodum & pro aperit legimus aperuit.

Consentit cū Septuaginta.

Dixit hoc.) λέγει τοῦτο, id est, Dicit hoc, quasi iam loquatur tibi, cuius scripta legis.

Quis prohibet.) τί κωλύει, id est, Quid prohibet, seu potius, Quid uetat, aut quid obstat quo minus baptizer.

Dixit autem Philippus, Si credis &c. usq; ad eum locum, Et iussit stare currum, non reperi in Græco codice. Quanquam arbitror omissum librariorum incuria. Nam & hæc in quodam codice Græco asscripta reperi, sed in margine. Certe apud interpretem Chrysostomum hæc non adduntur. Nec in æditione Hispanensi. In Aldina fuit additum.

Vterq;.) ἀμφότεροι, id est, Ambo.

Et Philippus & eunuchus.) ὅ τε φίλιππος καὶ εὐνοῦχος, id est, Et Philippus & eunuchus, conduplicata coniunctione.

Spiritus domini rapuit Philippum.) Rabanus in glossa ordinaria uidetur annotasse diuersam lectionem, quasi spiritus dictus sit irruisse in eunuchum, & rapuerit Philippum, uerum huiusmodi nihil reperio uel in Græcis uel in Latinis codicibus.

Azotum. Inuentus est in Azoto.) Quis quærebat illum, ut illic fuerit inuentus? Repertus est, erat tolerabilius. Est enim sensus, Philippum subtio fuisse Azoti. Ea ciuitas est Palæstinæ una è quinq; ciuitatibus Allophylorum. Hebræis dicta אַשְׁדּוֹד Aschdod.

EX CAP.

EX CAPITE NONO.

ADhuc ſpirans.) ἐμπνέων. Forte pro ἔτι mutatum eſt ἐμ. In alijs habetur utrūq; ἔτι ἐμπνέων, id eſt, Etiamnum ſpirans. Sed unde minarū? Neque enim ut dicimus, Cupit te, & cupiens eſt tui, ita dicere licet, Vox non ſonat hominem, & uox non eſt ſonans hominis, & Sapit uinum, & eſt ſapiens uini. Proinde meo iudicio uertendum erat, Spirans minas ac cædem, Et,

In diſcipulos domini.) Apertius erat Aduerſus diſcipulos domini.

Huius uiæ uiros.) φῆ ὁδοῦ ὄντας, id eſt, Qui eius eſſent ſectæ. Articulus enim pro nominis uice fungitur hoc loco. Et pro uiæ, multi codices habebant uitæ. *Articulus uice pronominis.*

Viros ac mulieres.) ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας, id eſt, Et uiros & mulieres, aut ſeu uiros ſeu mulieres.

Circumfulſit.) περιήστραψεν, id eſt, Circumfulgurauit, ſi ſic liceret loqui. Subitam enim lucem fulgur appellat.

Saule Saule.) σαοὺλ σαοὺλ, id eſt, Saul Saul. Cum Lucas alibi Saulum uocet ac Paulum, hic Hebræam uocem integram reliquit, quod Chriſtus illum Hebraice compellarit, ut & ipſe poſtea teſtatur. Atque item Ananias, σαοὺλ ἀδελφέ, id eſt, Saul frater, de quo nonnihil attingemus in Paulinis epiſtolis. *Saul.*

Durum eſt tibi.) In pleriſq; Græcis codicibus id non additur hoc loco, cum mox ſequatur, ſurge, ſed aliquanto inferius, cum narratur hæc res. Neq; raro contingit, ut ſcriba doctulus aliunde addat aliquid in ſpacijs, quod poſt alius indoctior referat in cōtextū. Certe Chryſoſtomus hoc loco nullam mentionem facit huius particulæ. Eſt autem ethnicis etiam in prouerbio πρὸς τὸ κέντρον λακτίζειν, id eſt, Aduerſus ſtimulum calcitrare. Translatum à bubus aut alijs iumentis quæ ſtimulo incitantur, ut equi calcaribus. In uetuſtioribus codicibus ne hæc quidem habebantur, & tremens ac ſtupens dixit, Domine quid me uis facere? & dominus ad eum, Tantum eſt, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris, ſurge & ingredere, &c. *Paræmia.*

Qui concomitabantur cum illo,) οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ, id eſt, Qui iter faciebant cum illo, ſiue comites itineris. Interpres nec Latine loquutus, nec Græco uerbo reſpondit

Stabant ſtupefacti.) ἐνεοί. Græca uox inde dicta eſt, quod rei nouitas hominem reddat attonitum.

Nihil uidebat.) οὐδένα ἔβλεπεν, id eſt, Neminem uidebat. Apparet interpretem legiſſe οὐδὲν ἔβλεπεν.

Ad manus autem illum trahentes.) χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν, id eſt, Manuducentes illum. Quorſum enim opus erat trahentibus, cum ſponte iret? Atque ita uertit ipſe paulo poſt, Ad manum autem deductus à comitibus.

In uicum qui uocatur rectus.) ἐπὶ τὴν ῥύμην. Vicus hoc loco non eſt pagus aut oppidulum, ne quis in hoc erret, nam id eſt Græcis κώμη, ſed pars urbis. Ciuitas enim diſtinguitur in uicos, uici in uias, uiæ in domos. *Vicus pars urbis.*

Quanta mala fecerit ſanctis.) ὅσα, id eſt, Quot, ſiue quæcunq;. Item paulo poſt, Quāta oporteat illum pro nomine meo pati.

Et hic habet.) Hic hoc loco aduerbium eſt, non pronomen ὧδε, id eſt, In hac ciuitate.

Vas electionis.) σκεῦος. Ego maluiſſem organum electum. Quanquam uaſa ueteribus omnis dicebatur ſupellex.

Saule frater.) σαοὺλ ἀδελφέ, id eſt, Saul frater, quod conſentaneum ſit Hebraice fuiſſe loquutum Ananiam. *Saul.*

Vt uideas.) ὡς ἀναβλέψῃς.) id eſt, Vt uiſum recipias. Sic enim idem uerbum paulo ante traduxerat. Ceciderunt ab oculis eius.) ἀπέπεσον, Deciderunt.

Qui expugnabat.) Græce militari eſt uſus uerbo. πορθῆσαι enim Græcis eſt urbem excindere ac depopulari.

Vt uinctos illos duceret.) ὡς ἀγάγῃ, id eſt, Ducat ſiue pertrahat, id quod mauult Valla.

Et confundebat.) Non eſt hic pudefaciebat, ut aliâs ſolet uti, ſed συνέχυνε, hoc eſt, Commouebat ac perturbabat, confirmans Ieſum eſſe Chriſtum.

Conſilium fecerunt in unum.) In unum, nō reperio in libris Græcorum, quos ego ſanè

uiderim,tantum est συνεβουλεύσαντο. Nisi forte uoluit exprimere uim præpositionis σύν.

Submittētes in sporta.) χαλάσαντες. Quod est funibus ex alto pensilē demittere,ut aliâs indicauimus.

Intrans & exiens.) In Græcis exemplaribus tantum reperio εἰσπορευόμενον intrans, ἐκπορευόμενον non inuenio. Quanquam ingrediens & egrediens Hebraica figura dictum est pro uersans,quomodo Latini dicunt,domi ac foris.

Fiducialiter agens.) παῤῥησιαζόμενος, id est,Libere siue cum fiducia loquens aut agens, sed magis ad sermonem pertinet,unde & Græca dictio composita est.

Et disputabat cum Græcis.) συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἕλληνιστάς, Disputabat aduersus Græcos. Rursus usus est uerbo Helleniſtæ, significat enim ludæos ibi natos. Nondum autem erat tempus disputandi cum gentibus. Cæterum illud quod præcessit,Cum gentibus, in Græcis codicibus non inuenio,ne in Latinis quidem uetustioribus. Et mox,

Quærebāt eum occidere.) Græcis est ἐπεχείρουν, id est, Conabantur siue aggrediebantur.

Ecclesia quidem.) αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι, id est, Igitur ecclesiæ quidem,numero pluratiuo, quod tum omnes congregationes Christianorum dispersæ dicerentur ecclesiæ,quæ tamen omnes in unam recidunt ecclesiam.

Per uniuersos deueniret.) Quidam addunt hoc loco fines,sed perperam,quandoquidē de hominibus sentit Paulus,non de locis.

Sanette dominus.) ἴαται. Poterat accipi & sanat,indicandi modo non imperandi.

Assaron. Lyddæ & Assaronæ.) λύδδαν τὴν Σαρῶνα. Haud scio an hæc sit quam in Hebraicis nominibus corrupte legimus Accaron, quam eandem quidam putarunt esse turrim Stratonis,postea Cæsaream nominatam. Vero proximum est,hanc esse regionem, quam *Saronas.* Hieronymus in nominibus locorum appellat Saronas, Id Hebræis sonat campestrem regionem. Est autem à Cæsarea Palæstinæ pertingens usq; ad oppidum Ioppe. Testatur sua etiamnum ætate illic agrum fuisse pascendis gregibus aptum. Porrò Ioppe non longe aberat à Lydde. Quanquam est & altera eiusdem nominis regio inter mōtem Thabor & stagnū Tyberiadis,cuius meminit Esaias, In paludes uersus est Saron. Verū priorem fuisse eam de qua hic sentit Lucas,indicat Hieronymus.

Capnion. Thabia Chaldæis capra. Nomine Tabitha.) Hoc certe loco Tabitha non potest esse uerbum. Ioannes Capnion Thabiam legendū esse putat,uocē enim Assyriā esse, quæ illis Capreā significat. Certe qui literas callent Hebraicas, fatentur hoc puellæ uocabulū nonnihil habere cognationis cum uerbo uidendi, quod illis dicitur צָבָה. Et Græcis ἰτὲ δορκὰς caprea,à δέρκομαι uideo deducta est,quod id animal acri oculorū acie putetur esse. Vnde & qui sunt perspicacibus oculis ὀξυδερκεῖς uocantur. Cæterū Laurentius maluit ab interprete Latinam uocē fuisse reddi tam,nempe capream. Nam Lucas Dorcadem interpretatur,sed Græce scribens.

Quam cum lauissent.) Glossa ordinaria submonet in quibusdam codicibus scriptum fuisse Lauissent unguentis. Sed more ueterum primū lauabant corpus, deinde ungebant. Quanquam probabile non est,hic tantum sumptus fuisse factum in Dorcade.

Miserunt duos uiros.) In plerisq; Græcis codicibus,tantū est ἀπέστειλαν, id est, Emiserunt. In uno reperi δύο ἄνδρες adscriptum,sed in spacio marginali.

Ne pigriteris.) Sine causa mutauit personam μὴ ὀκνῆσαι διελθεῖν ἕως αὐτοῦ, id est, Ne pigritaretur siue ne grauaretur pertransire usq; ad sese, siue ad ipsum.

Quas faciebat illis Dorcas.) ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν οὖσα ἡ δορκάς, id est, Quas faciebat secum uiuens Dorcas, siue quas faciebat dum cum ipsis esset Dorcas.

Et multi crediderunt domino.) ἐπὶ τὸν κύριον, id est, In dominum. Vnde apparet interpreti nihil retulisse, utrum dicas Credere domino, an credere in dominum.

Petrus hospes coriarij. Apud Simonem coriarium.) βυρσεῖ. Quod opificium non solum plebeium, uerum & sordidum habetur. O quantus hospes, & apostolici culminis princeps apud cuiusmodi diuersatur hospitem? Nunc in immensum creuerunt opes ecclesiæ. Gratulandum est felicitati, si modo uere sita est in hoc ecclesiæ felicitas, & si felicitati respondet pietas.

EX CAPITE

EX CAPITE DECIMO.

Enturio cohortis.) Minus ambiguũ erat, Ex cohorte. Neq; enim is erat princeps totius cohortis, quæ circiter mille milites continet, sed unus ex ea cohorte. Atq; ita est Græce ἐκ σπείρης. Spiram autem Chrysostomus aut quisquis is fuit interpretatur νούμερον, & hic Latine loquens.

Quis es domine.) τί ἐστι κύριε, id est, Quid est domine, hoc est, Quid reiest. Atq; ita legendum arguit ipsa etiam angeli responsio, Orationes tuæ &c.

Hic tibi dicet quid te oporteat facere.) Hoc non habebat in æditione Hispaniensi, & ui detur asscriptum ex capite quod proxime præcessit, & in hoc ipso mox repetitur inferius.

Duos domesticos.) δύο τῶν οἰκετῶν, id est, Duos famulorum.

Et militem timentem dominum.) στρατιώτην εὐσεβῆ, id est, militem pium. Quid hic opus erat periphrasi? Cæterum ne lector offenderetur, quod Cornelius ad pietatis negociũ uteretur milite, addidit pium.

Qui illi parebãt.) τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ, id est, Qui illi assistebant, siue ut alibi uertit, inseruiebant. Parebant & cæteri milites, uerum hi semper aderant ministerij gratia.

In superiora.) ἐπὶ τὸ δῶμα. Quod in euangelijs uertit, tectum. Apparet enim Petrũ conscendisse tectum, in quo soliti sunt inambulare quidam, ut oraret sub dio, ceu uicinior deo, tum etiam semotior ab hominum strepitu.

Et uidit.) καὶ θεωρεῖ, id est, Videt, præsentis temporis.

Vas quoddam uelut linteum.) Hieronymus in Esaiã citat, Vas quoddã linteum, nec id uno sanè loco. Vt accipiamus ipsum linteum fuisse uas, atq; ita mox appellat absq; ὡς.

Quatuor initijs summitti.) Græci legunt, Quatuor initijs alligatum ac demissum è cœlo, τέσσαρσιν ἀρχαῖς δεδεμένον καὶ καθιέμενον.

Quadrupedia &.) Græce sic habet τετράποδα τῆς γῆς, καὶ τὰ θηρία καὶ τὰ ἑρπετὰ, id est, Quadrupedia terræ, & bestiæ, & reptilia. Porrò θηρίον Græcis proprie noxiam bestiam significat, ueluti uiperam aut lupum. θηρίον.

Occide & manduca.) θῦσον καὶ φάγε, id est, Sacrifica, siue macta, & ede.

Absit domine.) μηδαμῶς, id est, Nequaquam.

Iterum secundo.) πάλιν ἐκ δευτέρου, Rursus iterum.

Tu commune ne dixeris.) Communia, uertendum erat. Quanquam Græce uerbũ est μὴ κοίνου, id est, Ne communica, hoc est, ne feceris communia. Sic enim Hebræi uocant impura & nefasta.

Per ter.) ἐπὶ τρίς, id est, Ad ter quanquam satis erat dicere ter. Nouum sermonis decus commentus est interpres. Atqui ex hoc solœcismo natus est, opinor, Apologus, qui uulgo fertur non infestiuus. Sacerdos quispiam rusticanæ plebis rusticior pastor, cum primum esset baptizaturus infantem, ac in libro unde solennia uerba pronunciabat, minio ascriptũ offenderet, Salta per ter, quibus uerbis librarius admonebat, tres retro paginas esse reuoluendas, mox iussit, ut ædituus adduceret hastile, quo crux impositа circumfertur. Eo accepto, bene sit, inquit, antehac nunquam idem expertus sum, sed ita res postulat, & hastili innixus, apsidem saxeam ter transilijt, atq; ita recepto codice, reliqua peregit. Per ter. Fabella.

Et statim receptum est.) καὶ πάλιν ἀνελήφθη, id est, Et rursus receptum est, nimirum quod inde uenisset.

Descendens autem Petrus ad uiros.) Post hæc uerba in nonnullis Græcorum exemplaribus additum erat, τοὺς ἀπεσταλμένους ἀπὸ τοῦ κορνηλίου πρὸς αὐτὸν, id est, Qui missi fuerant à Cornelio ad se.

Accersire te.) Rursum uertit figuram Græcam. Latine dixisset, Vt accerseret te

Introducens ergo.) εἰσκαλεσάμενος, id est, Introuocatos siue inuitatos.

Quomodo abominatum sit.) ὡς ἀθέμιτον ἐστι, id est, Vt nefas est. Nam parum erat ciuile, ut Petrus apud Ethnicum dicat, abominandum esse cum eo colloqui. Verũ ait ex consuetudine suæ gentis sibi non esse fas cum illo congredi. Et mox,

Adiungere se.) Græcis est κολλᾶσθαι adhærere siue adglutinare.

Sine dubitatione.) ἀναντιῤῥήτως, id est, Citra contradictionem, siue incunctanter.

Nudius quarto die &c.) ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἦμην νηστεύων, καὶ τὴν ἐνάτην ὥραν

ὥραν ἀπὸ τετάρτης μέχρι ταύτης, id est, Quarto ab hinc die, usq; ad hanc horam, sedebam ieiunans, & hora nona orans. Ex uerbis interpretis apparet Cornelium ieiunasse & orasse totum quatriduum. Sentit autem se ieiunasse & orasse die quodam, qui quartus esset ab eo quo colloquebatur cum Petro. Siquidem usq; ad hanc horam dixit, pro usq; ad hoc tempus, & pro ἄχρι νῦν sedebam, nonnulli legunt ἤμην eram, prima uocali attenuata.

In ueste candida.) λαμπρᾷ, id est, Splendida.

Et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt.) ἐμνήσθησαν, id est, In memoria habitæ. Nam memoratur quod narratur.

Simonis coriarij iuxta mare.) Sub hæc addunt Græci codices, quod in nostris omnino non habetur ὃς παραγενόμενος λαλήσει σοι, id est, Qui aduenies loquetur tibi.

In conspectu tuo.) Græci legunt in cõspectu dei ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Est autem sermo confirmantis animi simplicitatem, cuius deum facit testem. Annotat hic nonnihil & glossa ordinaria.

Adsumus audire.) Græcanici sermonis formam reddidit, πάρεσμεν ἀκοῦσαι pro eo quod est, Adsumus ut audiamus, siue ad audiendum.

Sed in omni populo.) ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει, id est, In quauis gente.

Ordo perturbatior.

Verbum misit filijs.) τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλεν, id est, Verbum quod misit. Offensus lector oratione non absoluta sustulit, quod. Aut enim anapodotos est oratio, aut accusatiuo abusus est loco nominatiui, hoc est, uerbum quod misit filijs Israël. Aut, quod mihi maxime probatur, accusatiuus hic λόγον referẽdus est ad uerbum quod sequitur οἴδατε, id est, scitis. Deinde quia intercessit hyperbaton, & item parenthesis, quod ante dixerat λόγον, alia uoce repetijt ῥῆμα, ut legamus ad hunc modum, Verbum quod misit filijs Israël, annuncians pacem per Iesum Christum: deinde per parenthesim interijciat (hic est omniũ dominus) moxq; sequatur, Ipsi nostis, uerbum inquam, quod factum est per omnem Iudæam.

Verbum res acta.

Incipiens enim.) Enim adiecit aliquis de suo. cum nõ sit in Græcis exemplaribus. Et incipiens ἀρξάμενον hoc loco neutri generis est, ut referatur ad uerbum. Porrò uerbum hoc in loco nihil aliud dicit, quàm rem populari sermone iactatam. Eum rumorem ait ortum ex Galilæa post baptisma Ioannis. Deinde ponit argumentum rumoris uidelicet de Iesu Nazareno.

De sermone apostolorum an è spiritu sancto.

Quomodo unxit eum.) Quidam codices habebant, ὡς ἔχρισεν αὐτὸν, id est, Quomodo unxerit eum. Quidã ὃν ἔχρισεν αὐτὸν, id est, Quem unxit eum. Cæterũ illud pronomen eũ, omittendum erat interpreti, quod ex idiomate sit sermonis Hebræi. Incertum Petrus hæc Hebraice dixerit an Græce. Tamen etiã cum Græce scribunt apostoli, multum referunt ex proprietate suæ linguæ. Quemadmodum & hodie qui latine loquuntur, parum alioqui literati, nõnihil admiscent ex sermone uernaculo, uel imprudentes, puta Gallus è sermone gallico, Britannus è britannico, Germanus è germanico. Nam apostoli Græcitatẽ suam nõ è Demosthenis orationibus, sed è uulgi colloquio didicerunt. Sic enim uisum est sapientiæ diuinæ, nullis eloquẽtiæ mortalis adminiculis orbẽ in suam sentẽtiã pertrahere. Neq; enim donum illud linguarum oportebat esse perpetuũ. Satis erat adesse quoties usus postulabat. Vt non semper excitabant mortuos, non semper sanabant ægrotos, sed tum demum cum ad religionis & euangelij negocium pertinebat. Semel duntaxat legimus apostolos nouis linguis loquentes miraculo fuisse. Et huius uoluminis cap. xix. narrantur, qui baptizati spiritum sanctum acceperant, linguis loquuti & prophetasse. Quanquam uero propius est apostolos id temporis unica lingua fuisse loquutos, ac uirtute diuina factũ, ut æqs ab omnibus intelligerentur. Neq; uero necesse est, opinor, quicquid fuit in apostolis, protinus tribuere miraculo. Homines erant, quædã ignorabant, in nonnullis errabant. Etiam post acceptum spiritum sanctum obiurgatur, ac docetur Petrus à Paulo. Paulus à Barnaba dissentit, usq; ad diuortium. Et haud scio an hoc magis congruerit Euangelio Christi, ut simplici inconditoq; sermone proderetur in uulgus, ac talis esset apostolorũ oratio, qualis cultus, qualis uictus, qualis omnis uita, exceptis ijs quæ sunt pietatis & animi, ne quid in hoc negocio sibi uindicare posset humanæ facũdiæ supercilium. Sæpe relinquebat discipulos suos Christus humanis uiribus, esuriebant, sitiebãt, fatigabant corporis laboribus, animi curis, sentiebant ingrauescentem ætatem, aliaq; fragilitatis humanæ incommoda.

Miraculũ linguarum raro legitur.

Homines erãt apostoli.

Sed idem

Sed idem aderat,quoties maiestatem suam mundo uoluit innotescere. Atq; ita temperabat organa suorum, quibus ad euangelij propagationem utebatur, quatenus intelligebat ad diuini sui consilij rationem, adq; mortalium salutem maxime conducere. Neque uero mirum,si cum Aegyptus ac Syria,Cilicia, totaq; penè minor Asia, primum ob imperium Alexandri,mox Romanorum, uulgo Græce loqueretur, apostoli citra miraculum Græce nouissent,præsertim cum postea tot annos inter Græce loquentes uersarentur. Neq; enim statim ab ijs conscriptum est euangelium.Qui inter Gallos uiuit, uno protinus anno Gallice loquitur,etiamsi prius nihil eius sermonis tenuerit.Et miramur apostolos tot annis mediocrem sermonis facultatem fuisse consequutos? Iam uero non sum nescius à Paulo commemorari genera linguarum & interpretationem sermonum inter dona spiritus. Et ipse gloriatur quod plus cæteris omnibus loquatur linguis. Verum id cuiusmodi fuerit,nō est fortassis huius loci persequi. Sed ut donemus interim simile fuisse ei,quod accidit à spiritu sancto in apostolos effuso, addamus & illud,nō contigisse illis hoc dono politam & exactam linguarum peritiam,sed eatenus duntaxat,quatenus maxime conducebat ad negocium euangelicum,sicut cui contigerat prophetiæ donum,ut hunc aut illum locum explanaret,non continuo quouis tempore, quemuis scripturæ locum poterat explicare, quod eas dotes deus singulis impartiret ad mensuram fidei, teste Paulo, ita si cui contigerat prò re nata linguarū peritia,non statim apud quosuis,in quouis argumento idem potuisse uidetur. Siquidē existimamus & Augustino prophetiæ donum adfuisse in explicandis sacris literis, & tamen alicubi non assequitur sensum scripturæ germanū. Neq; Hieronymo defuit,opinor,donum linguarum,& tamen in nonnullis dissentiunt ab eo,qui literas Hebræas profitentur.Quod si quis omnino contendat,apostolis infusam cœlitus omniū linguarum peritiam,atq; hoc donum illis fuisse perpetuum, cum ea quæ fiunt uirtute diuina perfectiora sint ijs,quæ fiunt iuxta naturæ ordinem, aut per humanam industriam, autore Chrysostomo,qui fit ut apostolorum sermo non solum impolitus sit & inconditus, uerum etiam imperfectus,perturbatus,aliquoties planè solœcissans? Neq; enim id negari potest, quod res ipsa clamitat.Placebat spiritui sancto sermonis simplicitas, sed pura tamen & integra,atq; ijs uacans incommodis,quæ solent auditorum intelligentiam impedire.Atq; in his passim desudant interpretes Græci,quibus Demosthenes & Plato facilis erat ac perspicuus.Quoties Origenes in Paulo desiderat Græcanici sermonis integritatē? Quoties hyperbatis, anapodotis,& amphibologijs offenditur? Neq; id negat Chrysostomus,& fatetur complurib̄ in locis Hieronymus, aperte Paulo tribuens Græcanici sermonis imperitiā. Idem Lucæ plus tribuit in literis Græcis quàm Hebræis,non ob aliud, nisi quod in his magis esset institutus,quippe Antiochenus. Idem fatetur Paulum disertiorem in lingua Hebræa quàm Græca,quod in illa natus esset, in hac institutus. Rursus alicubi, quod posterior epistola Petri dissideat à phrasi prioris, hanc adducit causam, quod in ea sit alio usus interprete.At quorsum opus interprete,si perfectam omnium linguarum peritiam dabat spiritus sanctus? præsertim cum extra controuersiam sit apostolos omnes Græce duntaxat scripsisse excepto Matthæo.Cur ausi sunt interpretari ueteres, quod Paulus ob id Titum desideraret,quod is in Græci sermonis facultate esset promptior? Hæc non multum absint à blasphemia, si quis hanc sententiam de dono linguarum mordicus teneat. Et tamen ea non ueriti sunt ecclesiæ probatissimi Doctores libris suis prodere. Atque hæc pluribus à me disserta sunt, quàm fortassis annotationum argumentum postulabat. Ne quis impie aut temere à me dictum existimet,apostolos sermonem Græcum non ex orationibus Demosthenicis, sed ex populari colloquio didicisse. Neque enim ex orationis,sed ex mentis habitu metienda est apostolorum autoritas. Neque magis pium hominem debet offendere in apostolis sermo incultus, quàm corpus illotum, aut uestis plebeia. Quin ipse Christus, ut multis colligi potest coniecturis, uulgatissimo maximeq; populari sermone est usus,Syriace loquens, & fortassis aliquando Chaldaice,& haud scio an Græce nonnunquam,ut erat id temporis populi sermo uarijs linguis corruptus,quandoquidem & apostoli Græce scribentes, Romanorū multis uocibus utunt̄. Atq; hanc de apostolorū sermone opinionē ipsa res nobis persuadet, etiamsi nō suffragaretur summorū uirorū autoritas. Mihi tamē nō est animus, neq; ꝑ hac,neq; ꝑ ulla alia digladiari, si diuersum sentit ecclesia.

Poterant apostoli & citra miraculum Græce scire.

Dona linguarum non erāt perpetua.

Apostolorum sermo obscurus sæpe & perturbatior.

Lectorem

Lectorē admonemus, non proponimus oracula, nusquam non parati cedere melioribus. Addam ridiculum quiddam. Quum alicubi scripsissem sermonem quo dominus est usus, fuisse non pure Hebraicum, sed Syra Chaldeaq; lingua corruptum, quidam trisme gistus theologus è Sorbona libro uulgato uociferatus est, μάλα τραγικῶς, quod domini & apostolorum sermonem dixerim corruptum. Idem clamaret opinor, si scripsissem dominum non bibisse syncerum uinum, sed aqua dilutum. Huc reciderunt Rabinorum quorundam iudicia. Quidam excusat soloecismum interpretis quod reddiderit figuram Græcam. Id si fecisset, dixisset ad ter non per ter. Quanquam reddere figuram Græcam Latine, frequenter est σολοικίζειν.

Omnes oppressos.) καταδυναστευομένους. Recte uertit interpres, modo intelligamus hic oppressos dici, qui tyrannide & potentia cuiuspiā opprimūtur, id enim sonat Græca uox.

In regione Iudæorum. ἔμπροσθεν τῆς χώρας, id est, Et in regione Iudæorum, conduplicata coniunctione.

Præordinatis à deo.) προκεχειροτονημένοις, Quod magis sonat delectis, ut sit, p suffragia. Græca uox dicta est, à porrigendis digitis, quo gestu suffragabatur olim populus.

Qui manducauimus & bibimus.) Glossa ordinaria monet in Græcis scriptū fuisse, Qui quadraginta dies &c. Quanquam id in nostris codicibus non reperitur.

Remissionem peccatorum accipere.) ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν, id est, consequi remissionē peccatorum, siue Remissionem peccatorum accepturum esse.

Omnes qui credūt.) πάντα τὸν πιστεύοντα, id est, Omnē qui credit, aut quisq; credidisset.

Ex circumcisione.) οἱ ἐκ περιτομῆς, id est, Qui erant ex circumcisione.

Et in nationes.) καὶ ἐπὶ τὰ ἔθνη, id est, Et in gentes. Nec est gratia χάρις, sed δωρεὰ donum. Et quia effusa est, dictum est, pro, Quod effusum esset.

Noua interpretatio.

Nunquid aqua.) Græci legunt in hunc modum, μή τι τὸ ὕδωρ κωλῦσαι δύναται τις, τοῦ μὴ βαπτισθῆναι τούτους. Et apparet hunc esse sensum: Num quis uetare potest, quo minus aqua baptizentur ij, qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Veluti plus sit spiritus quàm aqua, cumq; ille contigerit, nihil esse magni si hoc accesserit. Cæterum τὸ ὕδωρ accusatiuus aut pendet à præpositione subaudita ἐπί, aut adhæret uerbo βαπτισθῆναι, ea forma qua dicimus, βαπτίζομαι βάπτισμα.

EX CAPITE VNDECIMO.



Vare introisti.) ὅτι πρὸς ἄνδρας, Ad uiros præputium habentes introisti. Nam ὅτι hoc loco confirmantis est. Nec interrogant, sed accusant, aut certe expostulant.

Nequaquā domine.) μηδαμῶς. Idem uerbū quod superius uerterat absit.

Pœnitentiam dedit.) Græci codices addunt, εἰς ζωήν, id est ad uitam.

Sub Stephano.) ἐπὶ στεφάνου, id est, In Stephano siue Aduersus Stephanum. Nam sub eo res geri dicitur, qui imperio potitur. Sed tum Græci addunt paternum casum.

Loquebantur & ad Græcos.) Rursus non est Ἕλληνας sed Ἑλληνιστάς, significat enim religione & origine Iudæos, sed alibi natos, qui nondum crediderant euangelio. Alioqui uideri poterat exemplum baptizati Cornelij tantum animi addidisse Christianis, ut iam etiam gentibus auderent prædicare Christum.

Permanere in domino.) Plusculum hic habent Græci sic, προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ κυρίῳ, id est, proposito cordis adhærere domino, siue perseueranter adhærere domino. Latini addidere bis præpositionē. in. Quod autem dixit proposito cordis, perinde ualet quasi diceret ex animo & libera uoluntate, non metu neq; pudore humano.

Ita ut cognominarentur.) ἐγένετο δὲ αὐτοὺς ἐνιαυτὸν ὅλον συναχθῆναι τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ διδάξαι τὸν ὄχλον ἱκανόν, χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς χριστιανούς, id est, Accidit autem ut annum totum consuetudinem agerent cum congregatione, docerētq; turbam multam, & primum Antiochiæ discipulos uocarent Christianos. Nam illi uocabant eos Christianos, sed Lucas appellat eos discipulos. Sensum explicat historia Ecclesiastica. Ibi, inquit, primum discipuli, ueluti perhenni fōnte sumpto uocabulo, appellati sunt Christiani. Vsus est autem nouo uerbo χρηματίσαι, pro ὀνομάζεσθαι, quod idem usurpauit Paulus in

epistolæ

epistolæ ad Romanos capite septimo. Videtur autem inde dicta uox, quòd cognomẽ ex officio quo quis fungitur addi solet, uelut publicani dicuntur, quod publica uectigalia colligunt, ita Christiani, quod Christum profiterentur. Porrò quod actiuo uerbo uidetur abusus pro passiuo, simile est ei quod Latini dicunt, audit doctor, pro eo quod erat appellatur doctor.

In ministerium mittere.) εἰς διακονίαμ. Ministeriũ uocat subsidium, siue suppeditationẽ. Subministrat enim qui necessaria suppeditat. Sic appellat & Paulus.

EX CAPITE DVODECIMO.

Misit Herodes rex.) ἐπέβαλεμ, id est, Iniecit, siue iniiciebat. Quis fuerit hic Herodes tam est uaria scriptorum opinio, ut non existimem operæprecium an notationes his onerare difficultatibus.

Quia placeret.) ὅτι ἀρεσόμ ἐσι, id est, Placitum, siue gratum esse. Idem nomen quod ante uertit æquum est: Non est æquum relinquere uerbum dei, & ministrare mensis.

Apprehendere. συλλαβεῖμ, id est, Comprehendere.

Erat autem dies.) ἦσαμ, Erant, numero multitudinis.

Sine intermissione.) ἐκτενὴς, id est, Prolixa, ut uertit in euangelio. siue intenta.

Et calcia te caligas tuas.) καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σε, id est. Subliga sandalia tua. *Caliga pro sandalijs.*

Considerans{que}.) σωϊδών π, id est, Rec{que} perpensa, nisi mauis ad cognitam domũ referre.

Ad ostium.) Ad, redundat.

Ianuæ.) πυλῶνΘ, non θύρας. Cum enim dicat ostium ianuæ τὴν θύραμ τοῦ πυλῶνος, aut uestibulum ædium habebat ostium, quemadmodum & hodie uidemus in plerisq; ædificijs: aut ianuam uestibuli, dixit primum ostium quod expositum erat uestibulo.

Ad uidendũ,) ὑπακοῦσαι, id est, Vt subauscultaret. Sequitur enim. Et agnita uoce Petri.

Annuens autem,) κατασείσας δὲ, Mota manu innuens.

Quid nam factum esset de Petro.) τί ἄρα ὁ πέτρΘ ἐγένετο, id est, Quid Petrus esset factus, siue quia sic permisit sibi loqui Lucas, ut quemadmodum Græci dicunt, fecit illum, pro, fecit illi, ita per uerbum passiuũ dixerit, quid factus esset: siue quod suspicarentur Metamorphosi mutatum in aliud quiddam, iuxta uulgi stultitiam, qua creditum est magicis artibus homines uerti in aues, aut in Genios. *Quid factus esset.*

Iussit eos duci.) ἐκέλευσεμ ἀπαχθῆναι. Parum liquet an Lucas Romano more dixerit duci eos, qui ducuntur ad supplicium, an abduci à sese in carcerem.

Erat autem iratus Tyrijs.) θυμομαχῶμ. Quod Laurentius uertendum putat, Irate siue acerbe pugnans. Quanquam hic homini non assentior. nam dictio Græca composita est ex θυμὸς animus, & μάχεσθαι pugnare. Quod nondum indixissent bellum, sed iam animo bellum agitaret, ni placassent iratum. θυμομαχῶμ

Eo quod alerentur regiones illorum ab illo.) διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραμ ἀπὸ τῆ βασιλικῆς, id est, Eo quod iplorum regio aleretur à regia, ut subaudias annona pecunia aut alimonia, siue hoc intelligendum est de commercio Iudaicæ gentis siue de salario.

Dei uoces.) φωνὴ θεοῦ, id est, Vox dei. Interpres legisse uidetur φωναί. Cum in Græcis codicibus constanter habeatur φωνὴ ultima graui, tamen quidam contendit legendum φωνῆ ultima circumflexa, & interpretatur dei uocem, qua deo acclamamus non homini. Imò quũ Lucas memoret eum fuisse concionatum, rectius est, ut per adulationem acclamarint uocem non hominem sonare, sed deum. Quemadmodum apud Vergilium Aeneas ex uoce, agnoscit Venerem. In hanc certe sententiã narrat Iosephus, & interpretatẽ Chrysostomus.

Honorem deo.) δόξαμ, id est, Gloriam.

Et consumptus à uermibus.) καὶ γενόμεναΘ σκωληκόβρωτΘ, id est, Obnoxius factus morbo, quo qui laborant, exeduntur à uermibus. Opinor eundem esse quem medici pedicularem uocant, quo periit & Lucius Sylla, certe ibi non felix.

Reuersi sunt ab Hierosolymis.) εἰς ἱερουσαλὴμ, id est, In Hierusalem. Ita legunt Græci. Verum haud scio an perperam. Tametsi consentit æditio Aldina.

EX CAP.

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

Simon qui cognominatus est Niger.) Mirum est Latinam uocem ab Euangelista esse positam, etiam forma Latina. Nam eiusmodi nomina apud nos in er desinentia deflectere solent in ęos. Ad hæc pro Simon in nonnullis exemplaribus Græcorum scriptum erat Simeon, uoce trisyllaba.

Collactaneus.) σώτροφον, id est, Simul cum eo educatus, quanquam sciremus collactaneum legi apud iureconsultos dig. nouo Tit. de manumissis uindicta ex Vlpia. leg. §. Collactaneus.

Ministrantibus autem illis.) λειτουργούντων. Quod proprium est operantium sacris. Nullum autem sacrificium deo gratius, quàm impartiri doctrinam euangelicam.

Segregate mihi Saulum.) Interpres omisit δή, ἀφορίσατε δή μοι, id est, Separate iam mihi.

Assumpsi.) προσκέκλημαι, id est, Aduocaui, siue accersiui.

Abierunt Seleuciam.) Si regionem accipias, rectius erat, In Seleuciam. Sin ciuitatē eius nominis in Cilicia sic à Seleuco dictam, recte loquutus est. Est autem duplex Seleucia, una in promontorio Syriæ quæ Syria dicitur Antiochia, altera in Pisidia: de priore hic loquit.

Salamis in Cypro. Et cum uenissent Salaminā.) Græce, γενόμενοι ἐν σαλαμῖνι, Cum essent Salamine. Ea est ciuitas Cypri post dicta Constantia, autore Hieronymo, quam Iudæi funditus demoliti sunt Traiani principis temporibus, extinctis omnibus accolis.

Paphus in Cypro. Vsq; ad Paphum.) Ea est ciuitas Cypri quondam sacra Veneri. Vt autē Salamis extrema est Cypri ad Orientem, ita Paphus extrema est ad Occidentem, ut intelligas totā insulam peragratam. Hieronymus refert eam olim nobilem, suis temporibus frequenti terræmotu sic collapsam fuisse, ut uestigijs duntaxat quid aliquando fuisset ostenderet.

Barieu. Barieu.) Græci legunt βαρϊησοῦ, quod sonat filium Iesu, dictione tamen composita. Vt appareat quod superius adiectum est, ᾧ ὄνομα non fuisse scriptum à Luca, quæ uox explicuerit non ipsius hominis nomen, sed patris duntaxat, ipsius nomen paulo post adiecit. Verum cur addidit μεθερμηνευόμενον, ueluti translatum indicans? Aut quò refertur hæc interpretatio? Ad Barieſum? nō potest, cum illud sonet filium Iesu, aut certe filium Ieu, Elymas idem sit quod faciens præuaricari, siue ut Lyranus interpretatur mensura dei mei, siue dei mei census. Nam אלי deus meus, מס census, unde sunt qui missam pro sacrificio Christianorum deductam putant, mihi non fit ueri simile. An ad linguam diuersam? Iudæus erat, & Elymas neq; Græcū est, neq; Latinum. Quur igitur dicit interpretari Elymas? nisi forte Barieſu dictus sit à parentibus, deinde ob uitæ merita commutatum sit illi nomen Elymas. Beda indicat hanc uocem Bariehu seu Bariem corrupte scribi pro Barieu, Suspicatur autem scripturam corruptam hac occasione, quod βαρϊηοῦ, si superponas uirgulā abbreuiationis notam, significat idem quod βαρϊησοῦ plene scriptum. Non patitur autem hoc sanctum nomen imponi mago. Quasi magus ille prior non habuerit nomen cum Petro apostolo commune, dictus Simon.

Resistebat autem illi.) Græci legunt illis, ut referatur ad Barnabam & Paulum. Nam illi refertur ad uerbum dei.

Saulus autem qui & Paulus.) Laurentius hoc loco litigat de nomine Pauli, de quo nonnihil attingemus cum ad Paulinas epistolas uentum erit. Qui Laurentiana uolet cognoscere, ex ipsius petat libris. Certe ante hac perpetuo dictus est Saulus. Hic primum admonuit de Pauli uocabulo.

Fallacia. Et omni fallacia.) ῥᾳδιουργίας. Dolum ante dixit, hic magis addendū erat diuersum quiddam. Et Græca uox significat propensionem ad quoduis facinus patrandum, ἀπὸ ῥᾴδιον facile, & ἐργάζομαι operor. Licet Hesychius uocem existimat esse polysemon, significare eandem πλασογράφον, ταχυγράφον, πονηρόν, μηχανουργόν, πολυμήχανον, id est, Falso aut etiam celeriter scribentem, uersutum, artificem, uersipellem. Nec est proprie Subuertere, sed διαστρέφω, id est, inuertere, deprauare, hoc est, ex rectis facere flexuosa.

Qui ei manum darent.) χειραγωγούς, id est, Manuductores, ut uerbum uerbo reddam, siue qui se manu ducerent.

Paulus & qui cum eo erant.) οἱ περὶ τὸν παῦλον. Ad uerbum sonat, qui circa Paulū erant, sed iuxta sermonis Græci proprietatē, sonat Paulus. Verū ne abiret incomitatus, interpres

utrumq;

utrũq; ſenſum reddit,Paulus & qui cum eo erant.Abitror enim hic eadem figura dictum οἱ περὶ τὸν παῦλον, qua Græci dicunt,οἱ ἀμφὶ τὸν πλάτωνα, Platonẽ ipſum ſentientes.

Venerunt Pergen Pamphyliæ.) Prouinciæ nomen adiecit non ob diſcretionem, cum non ſit niſi una Perge,ſed quod oppidi uocabulum non perinde notum eſſet omnibus ut prouinciæ.At paulo inferius diſcernendi cauſa appoſuit prouinciæ nomen,Antiochiam Piſidiæ,quod duæ ſint Antiochiæ. Altera Syriæ Cœles,autore Hieronymo,in qua Barnabas & Paulus apoſtoli ſunt ordinati.altera Piſidiæ,in qua prædicarunt. *Perge.*

Pertranſeuntes Pergen uenerunt Antiochiam.) Græca nonnihil diſſident,αὐτοὶ δὲ διελθόντες ἀπὸ τῆς πέργης παρεγένοντο εἰς ἀντιόχειαν, At ipſi cũ peragraſſent relicta Perga,uenerunt Antiochiam.Siquidem ipſi,diſcernit illos ab Ioanne,qui recta reuerſus eſt Hieroſolymam,cum ipſi peragratis,quæ in medio erant,oppidis peruenerint Antiochiam.

Et manu ſilentium indicens.) καὶ κατασείσας τῇ χειρί. Idem hoc loco participiũ eſt,quod ſuperius uerterat,Annuens manu.Sonat autem mota manu.Nam hoc geſtu olim uerba facturi pro concione,ſilentiũ exigebant.Perſius.Feciſſe ſilentia turbæ Maieſtate manus.

Plebis Iſraël.) τοῦ λαοῦ τούτου, id eſt, Populi huius.

Mores eorum ſuſtinuit.) ἐτροποφόρησεν αὐτούς. Græcis unica dictio eſt conflata è duabus τροποφορεῖν,quod eſt ferre ac tolerare mores alicuius.

Quaſi poſt &c.) Græca nõnihil diſſident à noſtris, ὡς μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, ἔδωκε κριτὰς,id eſt,Et poſt hæc annis circiter quadringẽtis & quinquaginta.

Eduxit Iſraël ſaluatorem.) ἤγαγε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα, id eſt,Adduxit Iſraëli ſalutem. Eſt autem Iſrael hoc loco dandi caſus.

Ieſum.) Ieſum non additur apud Græcos in nonnullis exemplaribus,ſed tantum ſeruatorem.Et fortaſſe nondum erat tempus explicandi nominis apud eius ſermonis admodũ rudes.Etiamſi mihi probabile uidetur apud Græcos ortum hunc ſcripturæ errorem, ex illorum notulis.Fortaſſis enim ex σρα ιμ parum attentus ſcriba aut luſcioſus etiam, fecit σωτῆρα.Hoc,utcunq; habet,certe Chryſoſtomus interpres non addit,legens hũc in modum,τοῦτον ὁ θεὸς ἀπὸ σπέρματος κατ' ἐπαγγελίαν ἤγαγε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα,προκηρύξαντος Ἰωάννου.

Prædicante Ioanne.) προκηρύξαντος Ἰωάννου, id eſt, Vt ante prædicauerat Ioannes.

Quem me arbitramini eſſe,non ſum.) Aut Lucas abuſus eſt τίνα pro ὅν, aut ſecus eſt diſtinguẽdum,Quẽ me arbitramini eſſe: ut hic ſit interrogatio.Deinde reſpondeat,Non ſum ego ille.Nam Græcis eſt τίνα με ὑπονοεῖτε; Admonet & gloſſa quam uocãt ordinariã, Quem me eſſe dicitis,per interrogationem legi poſſe.

Et q in uobis timẽt.) mire miſcuit duas perſonas,ita ut ſeparari nõ queãt,uobis & timẽt.

Vt occideret eũ.)Poteſt accipi ut Pilatus occideret eũ,Nam græcus ſermo anceps eſt.

Adimpleuit filijs ueſtris.) τοῖς τέκνοις αὐτῶν, id eſt, Filijs illorum,nempe patrum.

Sicut in pſalmo ſecundo ſcriptum eſt.) Quidam codices habebant in pſalmo ſecundo, quidam in pſalmo,omiſſo numero.At Hieronymus hunc ediſſerens pſalmum,palàm teſtatur in actis hunc pſalmum,qui apud nos ſecundus eſt,primi titulo citari.Et hinc ſumit argumentum:aut primum illum:Beatus uir,præfationis additum uice,aut illum & proximum,Quare fremuerunt,eundem eſſe pſalmum.Idem prodit fermè Hilarius,illud ingenue teſtatus,hunc primum citari à Paulo.Quin & diuus Auguſtinus in commentarijs indicat hunc potius eſſe unum quàm primum.Proinde nos his autoribus germanam reſtituimus ſcripturam. *Secũdus pſalmus pro primo.*

Voluntati dei.) τῇ βουλῇ, id eſt, Conſilio dei.Senſus apud Græcos nonnihil habet ambigui, Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας,τῇ τοῦ θεοῦ βουλῇ ἐκοιμήθη, hoc eſt,Nam Dauid quidem,cum ſuæ generationi miniſtraſſet,dei conſilio dormiuit. Vt accipiamus Dauid nõ uixiſſe,niſi ſuam ætatẽ,& rebus bene geſtis obdormiſſe cũ cæteris,cæterum Chriſtũ eſſe immortalem.Interpres legit ἰδίᾳ γενεᾷ,ſubaudiens præpoſitionẽ ᾧ, & ὑπηρετήσας, refert ad conſiliũ,ſiue ut ille uertit Voluntatẽ dei.Mihi prior lectio uidetur ſyncerior. *Senſus anceps.*

Quod dictum eſt in prophetis.)Abuſus eſt numero pro numero, cum ſit apud Abakuk capite primo.Hoc quoq; Paulus adduxit iuxta ædition̄em ſeptuaginta. Siquidem Hieronymus iuxta ueritatem Hebraicam ita uertit,Aſpicite in gentibus & uidete & admiramini & obſtupeſcite,quia opus factum eſt in diebus ueſtris,quod nemo credet cum narrabitur. *Numeri ἑτέρωσις.*

narrabit. Et disperdimini.) ἠ ἀφανισθητε, id est, Euanescite. Est enim ita tolli è medio ut nusquā appareat, Pro quo Hieronymus uertit obstupescite.

Exeuntibus autem illis.) Et hoc loco nonnihil dissident Græca, ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων, παρεκαλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι, id est, Egressis è synagoga Iudæis, rogabant gentes, ut sequenti sabbato loquerentur. Quidam addunt αὐτοῖς τὰ ῥήματα, id est, Sibi uerba.

Et colentium deum.) σεβομένων, id est, Religiosorum.

Aduenarum.) προσκλύτων, id est, Proselytorum. Sic enim aliquoties uertit.

Contradicebāt ijs quæ dicebantur à Paulo blasphemantes.) Græci adijciunt uerbū unū, haud scio an recte, ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες, id est, Cōtradicentes & blasphemātes.

Constanter.) παῤῥησιασάμενοι, id est, Sumpta fiducia siue audacia.

Præordinati.) τεταγμένοι, id est, Ordinati ad uitam.

Disseminabatur autem uerbum.) διεφέρετο, id est, Differebatur, dispergebatur. Apparet interpretem legisse διεσπείρετο.

Mulieres religiosas.) σεβομένας. Idem participium quod modo uerterat, Colentes deum, uarietatis affectator.

Et honestas.) καὶ εὐσχήμονας. Quod ad cultum habitumq; corporis decorum ac probis dignum pertinet.

EX CAPITE DECIMOQVARTO.

Iconia duo.



Actum est autem in Iconio.) Cum Iconium ciuitatis sit nomen non regionis, Iconij dicendum erat, non in Iconio, Iconij habebat exemplar Constantiense. Sunt autem duæ huius nominis, altera Lycaoniæ ad montem Taurum, altera Ciliciæ. De priore, ni fallor, hic loquitur.

Suscitauerunt & ad iracundiam concitauerunt.) ἐπήγειραν καὶ ἐκάκωσαν, id est, Concitauerunt & corruperunt, Nam afflixerunt hic non congruebat.

Contumelijs afficerent.) ὑβρίσαι. Potius est hoc loco, ut uim facerent. Neq; enim usq; adeo timebant contumelias. Deinde quod sequitur de lapidando, uelut interpretatur superius uerbum, ὑβρίσαι.

Intelligentes fugerunt ad ciuitates Lycaoniæ.) συνιδόντες. Aptius erat, Re intellecta, siue Quod cum animaduertissent.

Et uniuersam in circuitu regionem.) καὶ τὴν περίχωρον, id est, Et in circumiacentem regionem. Quorsum autem hic attinebat addere uniuersam? Hoc loco Latini codices plus habent, quàm Græci. Nimirum hæc, Et cōmota est omnis multitudo in doctrina eorum Paulus autē & Barnabas morabantur Lystris. Quæ uerba Beda, ni fallor, in glossa quam uocant ordinariam, fatetur in nōnullis Latinorum codicibus non haberi, & certe in eo cō textu, non habentur. Nec hæc attingit Lyranus, cum scribat cōmentarium perpetuum. Cæterum in æditione cui sunt adiecti cōmentarij Carrensis, adiectum uidemus in spacio marginali. Aliâs non habet, sed est in Græco. Ne Chrysostomus quidem diligenter enarrans hunc locum, quicquàm horum uerborum attingit. Quin etiam paulo superius, post hæc uerba, Et uniuersam in circuitu regionem, Beda notat in Græcis codicibus plus esse, Deus autem pacem fecit, quod in nostris aliquot non habeatur. Cum hodie nec in Græcis, nec in Latinis haberi uideamus. Ac ne Chrysostomus quidem attingit quod indicauimus deesse, Surge super pedes tuos rectus. Et hic Beda in glossa quam uocant ordinariā, indicat in Græcis libris secus haberi. Nimirum hūc in modum, Dixit magna uoce, tibi dico in nomine domini nostri Iesu Christi, surge super pedes tuos rectus. Ac fieri potest, ut tale quippiam repertum sit in aliquo Græco codice, cum mire uarient in actis. Certe in his quos ego uiderim nihil hic discrepat à nostra lectione. Post additum comperi in æditione Hispaniensi, σοι λέγω ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. In Aldina non addebatur.

Lystra.) Ciuitas Lycaoniæ, quemadmodum & Derbe, ut tradit Hieronymus.

Dij similes facti hoīb.) ὁμοιωθέντες, Adsimilati, ut ita loquar, hoc est, dij specie humana.

Ante ianuas.) ἐπὶ τὰς πυλῶνας, id est, Ad fores siue ad uestibula.

Cum populis.) σὺν τοῖς ὄχλοις, id est, Cum turbis.

Volebat sacrificare.) Nonnulli codices habebant ἤθελον, uolebant, quod additum sit

Cum

Cum turbis,nonnulli ἤθελε uolebat. Id tamen nihil refert ad ſententiam.

Exilierunt in turbas.) ἐισεπήδησαν, id eſt,Inſilierunt in turbam. eſt enim ὄχλον.

Mortales ſumus ſimiles uobis.) καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμὲν, id eſt,Et nos ijſdem obnoxij ſumus paſſionibus,ſiue malis,homines. Necꝙ enim hoc ad mortem tantum pertinet ſed ad omnia quæ poſſunt homini accidere.

Omnes gentes ingredi uias ſuas.) ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, id eſt,Vijs ſuis.Nam ingredi poſuit pro uiuere,& uiam pro ratione uitæ.

Non ſine teſtimonio.) Græce eſt, ἀμάρτυρον, dictione compoſita, id eſt,Nõ expertem teſtium,ſiue teſtimonij.Et pro εἴασε Laurentius mauult permiſit.Ego malim.Non paſſus eſt eſſe ſe expertẽ teſtimonij,hoc eſt,aliquo modo teſtatã eſſe uoluit & illis ſuã diuinitatẽ.

Ne ſibi immolarent.) Sub hæc uerba nonnulli Græcorum codices hic addebant, ἀλλὰ πορεύεσθαι ἕκαστον εἰς τὰ ἴδια. διατριβόντων δὲ αὐτῶν καὶ διδασκόντων, id eſt,Sed iret quiſq; ad ſua.Cæterum cum illic uerſarentur,ac docerent,ſuperuenerunt &c. *In Græcis plus eſt quàm in noſtris.*

Et perſuaſis turbis.) Καὶ πείσαντες τοὺς ὄχλους,καὶ λιθάσαντες τὸν παῦλον, id eſt, Et perſuaſis turbis,ac lapidato Paulo. Verum pro his longe ſecus habebatur in nonnullis Græcorum exemplaribus, καὶ διαλεγομένων αὐτῶν παῤῥησία, ἀνέπεισαν τοὺς ὄχλους ἀποστῆναι αὐτῶν, λέγοντες ὅτι οὐδὲν ἀληθὲς λέγουσιν, ἀλλὰ πάντα ψεύδονται, id eſt, Et cum illi fortiter diſputarent, perſuaſerunt turbis, ut deſciſcerent ab eis, dicentes, quod nihil ueri dicerent, ſed omnia mentirentur. *Mire Græci diſſentiunt à noſtris.*

Et cum conſtituiſſent illis.) χειροτονήσαντες, Creatis ſiue delectis illis preſbyteris, ut intelligamus ſuffragijs delectos.Quanꝙ ſuperius nõnihil abuſus eſt eo uerbo.

Loquentes uerbum domini in Pergen.) λαλήσαντες τὸν πέργῃ τὸν λόγον, id eſt, Locuti Pergæ ſermonem,nec additum eſt domini,Articulus indicat,quem ſermonem dicerent. Ac mox:

Deſcenderunt in Italiam.) Græci legunt, εἰς ἀτταλίαν, id eſt,Attaliam.Quidam uetuſtus codex habebat Mattaliã,p Attalia.Ea ciuitas eſt Pamphyliæ maritima,autore Hieronymo. Nam Stephanus eam ponit in Lydia.Siquidem procul aberant ab Italia. *Attalia in Pamphylia*

Morati ſunt autem tempus.) Græcis additur ἐκεῖ,Cõmorati ſunt illic tempus.

EX CAPITE DECIMOQVINTO.

Acta autem ſeditione non minima.) Græcis pro una duæ ſunt dictiones,στάσεως καὶ συζητήσεως, id eſt,Seditione & diſceptatione.Alioquí non quadrat quod ſequitur,Cum Paulo & Barnaba.Nec eſt Non minima, ſed οὐκ ὀλίγης, id eſt,Non exígua.

Et quidam alij ex alijs.) Pro ex alijs,Græcí legunt ἐξ αὐτῶν, id eſt,Ex eis.

Ab apoſtolis & ſenioribus.) Pluribus uerbis agit hoc loco Laurentius,quoties dignitas ſignificat,Græca uoce fuiſſe utendũ preſbyteri.Sic eñ olim uocabant epiſcopi, teſte nõ uno in loco diuo Hieronymo.Quoties ætas indicat,Latine dicẽdũ erat ſeniores.Nũc interpres ſuo arbitratu,ne dicam abſq; delectu,modo preſbyteros uocat modo ſeniores. *Seniores honoris uocabulum.*

Pertranſibant Phœnicem.) Phœnícen legendum eſt per n,à φοινίκη, hoc eſt,Phœnice Phœnices,non à phœnix.

Et qui nouit corda.) Rurſus eſt dictio compoſita καρδιογνώστης,id eſt,Cordis cognitor.

Fide purificans.) καθαρίσας.Præteriti temporis,id eſt,Cum fide purificauerit corda eorum.Agit enim de ijs qui iam crediderant.

Simon narrauit quemadmodũ.) συμεὼν, Symeon.Haud ſcio utrum errore perperam ſcriptum,an quod nihil interſit inter Simonem & Symeonem: niſi quod forte Symeon Hebraice dicitur,Græce inflexa uoce Simon,ut à Saul Saulus.Sic enim diuinat Valla.

Et dirupta eius.) κατεσκαμμένα, id eſt,Diruta,atq; ita legitur & in Latinis emendatioribus.Cæterum teſtimonium quod adducit eſt Amos cap.nono.Quanꝙ Iacobus ita adducit ſenſum uaticinij,ut nec Septuaginta ſit uſus uerbis,nec ad Hebræorum lectionem per omnia reſponderit.Siquidem Hebræa ſic habẽt interprete Hieronymo,In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid quod cecidit,& reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant inſtaurabo,& reædificabo illud ſicut in diebus antiquis,ut poſſideant re *Dirupta pro diruta. Iacobus propheciã nõ adducit ad uerbum.*

ant reliquias Idumææ,& omnes nationes,eo quod inuocatũ sit nomen meum super eos, dicit dominus faciens hæc. Porrò iuxta æditionẽ Septuaginta legimus ad hunc modũ, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ, τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ ἀνοικοδομήσω τὰ πεπτωκότα αὐτῆς, καὶ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀναστήσω, καὶ ἀνοικοδομήσω αὐτὴν καθὼς αἱ ἡμέραι τοῦ αἰῶνος, ὅπως ἐκζητήσωσί με οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων, καὶ πάντα τὰ ἔθνη, ἐφοὺς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου, λέγει κύριος ὁ ποιῶν πάντα ταῦτα, id est, In die illo suscitabo tabernaculum Dauid quod ceciderat,& reædificabo ea quæ corruerant,& quæ suffossa sunt suscitabo,& instaurabo ea sicut dies antiquos,ut quærant me reliqui hominum,& omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum,dicit dominus faciens hæc omnia.Primum pro In die illo po

Suffusa, pro suffossa mendose.

suit,Et post hæc,ac reuertar addidit de suo.Cæterum in hoc,Vt quærant me reliqui hominum,septuaginta secutus est non Hebræorum libros.Deniq; quod nos suffossa citauimus,in uulgatis exemplaribus est suffusa,sed mendose.Respondet enim illi Græco,κατεσκαμμένα à καθαιρέω, quod est suffossione demoliri.

Super quas inuocatum est nomen meum.) Interpres recte omisit ἐπ' αὐτούς, quod additum est ex idiomate sermonis Hebraici,cũ tamen non addatur apud Septuaginta.

Notum à seculo.) Græce est γνωστὰ,numero multitudinis,id est,Nota sunt deo opera sua,& additur πάντα, id est, Omnia.

Ego iudico.) ἐγὼ κρίνω. Accõmodatius erat ego censeo.Deinde, Nõ inquietari, quod Græcis est μὴ παρενοχλεῖν, rectius uertisset, Non obturbandum esse, siue non addendam molestiam.Id enim sonat παρὰ præpositio.

A tẽporibus antiquis.) ἐκ γενεῶν, id est,A generationibus antiquis,si uoluisset ad uerbum reddere.Iam admonuimus aliquoties γενεὰν pro ætate poni.

Viros primos in fratribus.) ἄνδρας ἡγουμένους, id est,Præcedẽtes siue præminentes,hoc est primarios,magis quàm primos.

Antiochiæ,& Syriæ,& Ciliciæ.) κατὰ τὴν ἀντιόχειαν καὶ συρίαν καὶ κιλικίαν. Opinor hic Antiochiam regionem esse nõ ciuitatem.Vnde addenda erat præpositio,qui sunt in Antiochia & Syria & Cilicia.Interpres neque Græca reddidit bona fide, neque Latinitatis habuit rationem.

Quibus non mandauimus.) Ante hæc uerba Græci codices addũt λέγοντες περιτέμνεσθαι καὶ τηρεῖν τὸν νόμον, id est,Iubentes uos circũcidi & seruare legẽ. Indicauit hoc Beda.

Collectis in unum) γενομένοις ὁμοθυμαδόν, id est, Consentientibus, siue communi consensu animorum.

Ab immolatis simulacrorum.) τῶν εἰδωλοθύτων, id est,Ab ijs quæ immolantur simulacris.Suspicor interpretem scripsisse Ab immolaticijs simulacrorum. Nam hoc uerbo

Immolaticia.

frequenter utitur Ambrosius.Hunc locum quum aliquoties referat Irenæus,tamen non meminit suffocatorum,sed tantum idolothytorum sanguinis & fornicationis.

Verbo plurimo.) διὰ λόγου πολλοῦ, id est,Sermone multo,aut multis uerbis. Quid autẽ est uerbo plurimo: aut quid attinebat positiuum nomen uertere in superlatiuum?

Consolati sunt fratres & confirmauerunt.) ἐπεστήριξαν, hoc est,Addiderunt cõfirmationem,iam confirmatis ipsa epistola,ea uis est præpositionis ἐπί.

Ad eos qui miserant illos.) πρὸς τοὺς ἀποστόλους, id est,Ad apostolos.Apparet interpretem legisse, πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας.

Manere ibi.) ἐπιμεῖναι αὐτοῦ, id est,Permanere ibidem.Cæterũ post hæc uerba, quod sequitur in nostris exemplaribus,Iudas autem solus abijt Hierusalem,apud Græcos non reperio, imò ne hæc ipsa quidem, Visum est autem Silæ manere ibi, reperi nisi in uno dũtaxat codice,eaq; adiecta in margine. Verum id librariorũ errore factũ uideri potest.

Barnabas autem uolebat.) ἐβουλεύσατο, id est, Consulebat siue cogitabat. Interpres legisse uidetur ἐβόλετο.

Interpres mitigat Græca.

Paulus autem rogabat.) Videtur interpres mitigare uoluisse dissidij suspicionẽ.Nam Græce est ἠξίου, id est,censebat aut æquum iudicabat.Nec est simpliciter Discessisset,sed ὑπαποστάντα, id est,qui desciuisset,siue defecisset,participium eius uerbi,unde dictus ἀποστάτης, desertor siue defector.

Facta

Facta est autem inter eos dissensio.) Rursum studuit mitigare Græcam uocem, quæ est παροξυσμὸς, quæ plus significat quàm dissensionem, à παροξύνω irrito, prouoco, exacerbo. Significat igitur illos usq; ad cōmotionem hac in re dissensisse, & adeo ut diuellerentur. Apostoli erant, sed tamen homines erant. Origenes ingenue fatetur inter optimos quoq; uiros, huiusmodi incidere dissidia, dum in suo quisq; sensu abundat, quæ tamen non procedant eò, ut Christiana scindatur charitas, aut Christi religio labefactetur. Porrò stultum est, consentientibus exemplaribus Græcis, ad eum modum mederi uelle incōmodo. Nos uertimus, Tam acris autem fuit inter eos disceptatio. *Dissensio inter Paulū & Barnabam.*

Præcipiens custodire præcepta apostolorum & seniorum.) Hæc uerba in Græcorum codicibus non inuenio. Videntur huc translata ex capite quod proxime sequitur. Tradebant eis custodire dogmata.

EX CAPITE DECIMOSEXTO.

Filius mulieris uiduæ fidelis.) Apud Græcos ita legimus, υἱὸς γυναικός τινος Ἰουδαίας πιστῆς, id est, Filius mulieris cuiusdam Iudææ fidelis. Et ad hanc lectionē respondet, id quod sequitur, patre uero gentili. Nam gentilem patrem opponit Iudææ matri. At scriptor parū attentus ex Iudæa, uiduam fecit transpositis literis aliquot. Atque adeo in nōnullis libris scriptum fuisse Iudææ, submonuit & Rabanus in glossa, quam uocant ordinariam. Nec rursum est gentilis hic ἐθνικὸς, sed Ἕλλην, id est, Græcus, quam uocem uarie uertit interpres, nunc Græcum nunc gentilem. *Vidua pro Iudæa.*

Dogmata, quæ erant decreta.) κεκριμένα, id est, Iudicata, recte uertit in decreta. Cæterū dogmata Græca uox est, significans & ipsa decreta siue placita, non doctrinā ut uulgus existimat. Interpres aliàs decretum uertit δόγμα, aliàs edictum.

Loqui uerbū in Asia.) Asiam eam sentit nō quæ generali uerbo dicitur minor, undiq; mari cincta, præter eam partem qua spectat orientem, quæq; complectitur Phrygiam, Pamphyliā, Lycaoniam, Ciliciam, Galatiam, aliasq; nonnullas, Sed qua finitima est Epheso, Nam hæc proprie minor Asia dicitur, de qua hic uidetur sentire. *Asia minor.*

Descenderunt Troadem.) Nam ea ciuitas est Asiæ maritima, dicta eadem Antigonia. *Troas.*

Venimus Samothracen.) Ea est insula in sinu Pacusiaco, è regione Thraciæ, nomine composito ex Samijs & Thracibus. *Samothracē.*

Recto cursu uenimus.) Vnum uerbum Græcū tribus Latinis est circūlocutus εὐθυδρομήσαμεν, id est, Recto cursu contendimus. Cursus enim & nauigantium proprie dicitur.

Neapolin.) Non est ea, quam nunc in Italia tenent Hispani, sed altera Cariæ in Asia. De hac sensisse uidetur Hieronymus colligens nomina locorum in actis apostolicis, sed falsus opinor. Sūt qui malint Neapolin esse Thraciæ, siue Macedoniæ iuxta Ptolemæū, nō procul à Philippis. Et hæc opinio probabilior est, Nam sunt huius nominis cōplures. Philippi ciuitas est in prima parte Macedoniæ. *Neapolis.*

Diebus aliquot consistentes.) Indicat glossa ordinaria in nōnullis libris fuisse conferentes, pro consistentes. Nam διατρίβεται, qui cōmoratur, & διατρίβοντες, qui conferunt ac disputant, unde scholasticas disputationes Græci diatribas appellant.

Ciuitas Colonia.) κολωνία. Vsurpauit Lucas uocem Latinam, tum ut apparet & Græcis usurpatam. Addidit enim Coloniam, quod ea ciuitas ab aliunde deductis habitaretur. *Colonia.*

Consistentes.) διατρίβοντες, quod magis sonat cōmorantes.

Foras portam.) ἔξω τῆς πόλεως, id est, E ciuitate, siue omissa præpositione, Egressi sumus ciuitatem. Quod quæso sermonis schema est, foras portam? *Foras portā.*

Vbi uidebatur oratio esse.) οὗ ἐνομίζετο, id est, Vbi putabatur futura precatio, aut certe quod ego malim, Vbi solebat esse precatio: quandoquidem νόμος nonnunquàm & consuetudinem sonat, & νομίζεσθαι solitum esse.

Lydia purpuraria.) πορφυρόπωλις, id est, Purpurarū uenditrix, à nomine πορφύρα purpura, & πωλέω uendere. Nam purpurarij magis uidentur dici qui colligūt purpuras, hoc est, urinatores, aut qui tingunt. Purpuræ uenditricem interpretatur Hieronymus in dictione Thyatira, quæ dictio multitudinis numero effertur genere neutro, ciuitas est Lydiæ in *Thyatira.*

diæ in Asia. Vnde quod dictum est Lydia non uidebatur esse nomẽ puellæ, sed regionis, nisi additum fuisset, Nomine Lydia.

Et coëgit nos.) Ϲ παρεβιάσατο ἡμᾶς. Magis est Adegit nos quàm coëgit.

Puella pro ancilla. Puellam quandam.) παιδίσκην, id est, Ancillam quandam, quod mox fiat mentio dominorum, ut intelligamus conditionem explicatam, non ætatem mulieris.

Pytho. Habentem spiritum phytonem.) πύθωνα legunt Græci, hoc est, pythonis. Id erat nomen draconis, quem iaculis suis confecit Apollo, unde & ipse Pythius dictus. Deinde spiritus ille quo afflati prædicebant futura, pytho uocari cœptus est.

Tædio aũt affectus Paulus.) διαπονηθείς, quod aliàs uertit moleste ferre διαπονούμενοι.

Magistratibus.) τοῖς στρατηγοῖς, Quod magis sonat primores exercitus. Opinor autem hic στρατηγοὺς dici magistratus templi. Sic enim illos uocat alibi.

Morem quem non licet.) ἔθη, id est, Mores, sed recte mutauit numerum, quod mores aliud quiddam sonet quàm morem. Dicere poterat, Alias consuetudines, siue alia instituta, ut interim ne dicam, quod suo more ἱμάτια uertit tunicas.

Scissis tunicis eorum.) Græcus anceps est sermo, utrũ magistratus lacerarint apostolorum tunicas an suas ipsorum.

Strinxit ligno,) ἠσφάλισατο. Verbũ est cognatum aduerbio ἀσφαλῶς, quod modo uertit diligenter, aliàs caute. Significat autem tuto & sine periculo.

Adorantes, laudabant deum.) προσευχόμενοι ὕμνουν. Cur non potius orantes & adorantes? quandoquidem προσεύχομαι, utrunq; significat, imò precari potius & adorare, teste & Augustino. Et laudabant est ὕμνουν, id est, canebant & hymnis laudabant.

Introgressus est.) εἰσεπήδησε, id est, Insilijt siue introsilijt, aut irruit, siue irrupit, ut impetum ac celeritatem ingredientis exprimas, quemadmodum Græca uox facit.

Procidit Paulo & Silæ ad pedes.) Ad pedes interpres addidit de suo. Græce tantũ est, προσέπεσε τῷ παύλῳ. Verum recte addidit interpres uitans amphibologiam.

Et omnis domus eius.) καὶ οἱ αὐτοῦ, id est, Illius familiares siue domestici.

Cum omi domo sua.) πανοικί. Græcum aduerbiũ, tribus circũlocutus est dictionibus. Est autem cõmodius, ut πανοικὶ referatur ad participium proxime sequens πεπιστευκώς.

Nec est simpliciter Lætat⁹ est, sed ἠγαλλιᾶτο, id est, exultauit. Sic em̃ ferè solitus est uertere.

Lictores. Miserũt magistratus lictores.) ῥαβδούχους, A uirgis gestandis. Nos uiatores uertimus, quod his quoq; mos sit gestare uirgas. Nam ij proprie dicũtur per quos magistratus denunciant quid uelint.

Ipsi nos eijciant.) Paulo ante Occulte nos eijciunt, erat ἐκβάλλουσιν, hic diuersum est uerbum ἐξαγαγέτωσαν, id est, educant. Nam illud conueniebat clàm extrudendis, hoc cõuenit palàm educendis, non sine satisfactione.

Introierunt ad Lydiam.) Incertum an ad Lydiam mulierem paulo ante conuersam, an in regionem. Verum prior sensus mihi probatur. Nam Lydia in minore est Asia, moxq; peruenitur ad Amphipolim & Apolloniam, quæ minimum absunt à Philippis. Nec arbitror hic quicq; esse scrupuli, nisi quod præpositio graeca εἰς, nõ perinde uidetur cõgruere personæ, ut πρὸς, nisi Lydiam accipiamus pro domo Lydiæ.

EX CAPITE DECIMOSEPTIMO.

Ceterum Amphipolis, de qua hic sentit locus, & Apollonia ciuitates sunt Macedoniæ, quemadmodum & Thessalonica. Quãq; est altera Amphipolis in Syria. Apollonia item altera in Quincia Aphricæ, quæ & Pentapolis dicta est. Secundum consuetudinem autem.) Græcus sermo expressius dicit, κατὰ δὲ τὸ εἰωθὸς τῷ παύλῳ, id est, Paulus ut erat illi mos, siue ut solitus erat, siue pro sua consuetudine ingressus est.

Insinuans pro allegans. Et insinuans.) καὶ παρατιθέμενος, hoc est, citans siue allegãs. Nec est De scripturis, sed ἀπὸ τῶν γραφῶν, id est, è scripturis. Hinc enim adducebat testimonia. Demiror autẽ quid secutus interpres hoc loco posuerit insinuans, quũ præcedat adaperiens. Nam insinuare est latenter inducere, pugnans cum aperiendi uerbo, nisi forte pro παρατιθέμενος legit παρεντιθέμενος, ut Iudæis exposuerit scripturas, sed obiter ubi locus ferret, faceret mentionem

tionem Christi,quam illi laturi non fuerant,nisi delinitì scripturarum expositione.

Quem ego annuncio uobis.) Cum subito mutata sit persona,cur non & hic addidit,inquit:ut in initio huius operis fecit,Quem audistis,inquit,per os meum.

Et de colentibus gentilibusq;.) τῶν τε σεβομένων ἑλλήνων πολὺ πλῆθος, id est, Religiosorumq; Græcorum multitudo magna. Quis intellexisset,colentes significare pios ac religiosos? Iam nō semel admonui,Græcum,in literis apostolorum aliquoties pro gente, aliquoties pro ethnico poni. *Colentes pro religiosis.*

Zelantes autem Iudæi.) Græci nonnihil hic addunt uerborum ζηλώσαντες δὲ οἱ ἀπειθοῦντες ἰουδαῖοι,καὶ προσλαβόμενοι id est,Zelo autem cōmoti,ij qui non credebant Iudæi, & assumptis nōnullis circūforaneis.Nam Græce est ἀγοραίων,quod interpres uertit de uulgo, Quanquàm hoc in loco nonnihil uariabant Græcorum exemplaria.

Et assistentes domui.) Quid audio? Num defensabant domum Iasonis? Est autem ἐπισάντες, id est, Adorti,siue urgentes & imminentes. *Assistentes pro adorti.*

Et quosdam fratres.) Quoties fratres absolute ponit,Christianos intelligit, quos eosdem aliquando discipulos uocat.Hic Beda,qui citatur in glossa ordinaria notat in Græcis haberi,Et quosdam alios fratres,ex hoc colligens & Iasonem fuisse Christianum. Verum ἄλλους apud Græcos non repperi.

Hi qui urbem concitant.) Orbem haud dubie legendum, τὴν οἰκουμένην, quod frequēter uertit orbem terrarum.Nec est Concitant,sed ἀνασατώσαντες, id est,cōmouerunt,hoc est,qui rerū statum conturbarunt.Id quod fieri consueuit rebus nouatis.Sensus est,quod ubiq; fecerunt,hic quoq; facturi adsunt.

Quos suscepit Iason.) ὑποδέδεκται, id est,Clanculū siue furtim, ob præpositionē ὑπό.

Cōtra decreta Cæsaris.) τῶν δογμάτων.Quod paulo ante ut erat Græce extulit dogmata. *Decreta δόγματα.*

Dimiserunt Paulum & Silam.) ἐξέπεμψαν,τόντε παῦλον τόντε σίλαν, id est,Emisērūt, tū Paulum,tū Silam.Ac mox,Berrhœam legendum,non Beroam,neq; Beroeam.Est autem ciuitas Macedoniæ, non procul à Pella patria Alexandri Magni.

Qui cum uenissent in Synagogam Iudæorum introierunt.) Alius est ordo sermonis apud Græcos, οἵτινες παραγενόμενοι εἰς τὴν συναγωγὴν ἀπῆεσαν τῶν ἰουδαίων, id est,Qui postea quàm aduenerant,in Synagogam abierunt Iudæorum. Vt prius referatur ad ciuitatem,proximum ad conciliabulum.Deinde nobiliores,rectius uertisset in nobilissimos,tametsi uideo Catullum,& Plinium,cunq; his Q.Curtium,alicubi more Græcorum abusos comparatiuo uice superlatiui, εὐγενεστέρους, id est,summo loco natos inter eos qui erant Thessalonicæ. Quāq; Græci sermonis sensus prorsus anceps est,ac magis uidetur hic esse. Hi autem erant generosiores Thessalonicensibus, ut generositas ad animum referatur, promptiorem magisq; docilem.

Cum omni auiditate.) προθυμίας, id est,Animi promptitudine,siue libenter, aut propensis animis.Ac mox: Si hæc ita se haberent, εἰ uertendum erat in an.

Mulierum gentilium.) ἑλληνίδων, id est,Græcarum.Et mox,Honestarū, est εὐσχημόνων, quod ut diximus,ad habitus,cultus,& incessus honestatem pertinet.

In Thessalonica Iudæi.) ἀπὸ θεσσαλονίκης ἰουδαῖοι, id est,Thessalonicenses Iudæi.

Cōmouentes & turbantes.) σαλεύοντες τοὺς ὄχλους. id est,Cōmouentes turbas.Turbantes non offendi in Græcis exemplaribus,præterquàm in uno codice Græco,idq; asscriptum in margine, σαλεύοντες καὶ ταράσσοντες τοὺς ὄχλους. Opinor adiectum ab eo qui uoluerit uocem uoce simili explicare.

Vt iret usq; ad mare.) ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν, id est,Velut ad mare.Interpres legisse uidetur ἕως ἐπὶ τῆς θαλάσσης. Incertum est autē an Paulus Athenas peruenerit nauigio an itinere pedestri.Nisi quod probabilius est eum nauigasse,uel quia refertur deductus ad mare,uel quia nulla mentio fit eorum quæ Paulus in itinere gesserit,cui fuerant tot ciuitates peragrandæ,quum ille non soleat ullam ciuitatem transire tacitus,nisi forte solus & collegis destitutus tacuit.

Accepto mandato ab eo.) Ab eo,addidit interpres, quo sensus esset explanatior, καὶ λαβόντες ἐντολὴν πρὸς τὸν σίλαν, id est,Cum accepissent mandatum ad Silam.

Vt cẽ celeriter.) Vſq; adeó ne placet barbare loqui, ut hac gratia putemus eſſe recedẽdũ à uerbis Græcis, ne Latine loq̃mur? Siquidẽ Græce eſt ὡς τάχιστα, id eſt, cẽ celerrime.

Paroxyſmus. Incitabatur ſpiritus eius.) παροξύνετο, id eſt, Iritabatur. Idem eſt uerbum, unde deductum eſt nomen παροξυσμὸς, quod paulo ante tranſtulit diſſenſionem. Hoc ſanè loco melius reddidit.

In ipſo uidens.) Græcis eſt θεωροῦντι, id eſt, Videnti ſiue cũ uideret. Paulus eñ uidebat, deinde uidẽti cõmotus eſt animus. Interpres aut legit, aut certe ſomniauit, θεωρῶμ, p θεωροῦντι. Idololatriæ deditam.) Non male circũlocutus eſt κατειδώλομ, quaſi dicas obnoxiã ſimulacris, quod præpoſitio κατὰ ſubiectionem ſonet.

Colentes Et colentibus.) τοῖς σεβομένοις, id eſt, Religioſis, & diuino cultui deditis.

Audierãt, pro adierant. Ad eos qui audierãt.) πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας, id eſt, Ad eos qui forte accedebãt. Palàm eſt autem hoc nõ interpretis eſſe uitiũ, ſed librarij, qui ex adierant fecerit audierant.

Epicurei & Stoici.) Epicurei ab Epicuro, Stoici dicti à Stoa porticu. Rabanus hic ãnotat. Stoici, inqt, Græce, Latine elemẽta. Hoc quid ſibi uelit planè nõ intelligo, niſi quod diuino cauſam erroris. Quiſquis is fuit, habebat lexicum Græcarũ dictionum, male Græcis ſcriptum literis. ΣΟΙΧΟΙ aſſcriptum erat elementa, Is ex χ fecit κ, ita in elemẽta uerſi ſunt ΣΩΪΚΟΙ, iam facti ΣΟΪΧΟΙ.

Diſſerebant cum eo.) συνέβαλομ αὐτῷ, id eſt, Congrediebantur ſiue cõmittebant cum eo. Idem uerbum quo ſignificant conſerere manus in bello.

Incitabatur ſpiritus eius in ipſo.) Auguſtinus aduerſus Creſco, libro primo cap. xij, legit Iritabatur ſpiritu ſancto intra ſe. Eſt enim παροξύνετο.

Seminiuerbius.) Pro quo Auguſtinus citat, ſeminator uerborum, atq; adeo ſic ſcriptũ uiſitur in nõnullis noſtræ æditionis exemplaribus, ὁ σπερμολόγος. Interpres effinxit Græcanicam compoſitionem. Mirum autem cur id magis libuerit in hac una dictione, quàm in alijs multis. Sed quid tãdem ſignificat Latinis ſeminiuerbius? Fortaſſe felicius effinxiſſet, ſi dixiſſet uerbiſator, pro eo qui nouos rumores ſpargit in uulgus, ſiue ſeminilegus, p

Spermologus pro nugatore uulgatũ apud Atheniẽſes cõuicium. locutuleio, & ad quæſtum quiduis garriente. Heſychius interpretatur σπερμολόγος, ὁ φλύαρος, hoc eſt, nugator, aut ὁ τὰ σπέρματα συλλέγων, id eſt, qui ſemina colligit. Atq; hinc auẽ de genere graculorum dictam fuiſſe σπερμολόγον. Meminit & Athenæus Dipnoſophiſtarum libro ſecundo, ſed σπερματολόγος illic ſcriptum reperio, τέτρακές τε σπερματολόγοι, id eſt, Tetraces ſeminũ ſublectrices. Nam ſuſpicor tetracẽ, ſiue tetricem, quando utrunq; ſcriptum reperio, dici auem, quam ſentit Athenæus. Meminit idem auis σπερμολόγος li-

Atheneus Demoſthenes bro nono. Vſus eſt hoc uerbo & Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte: καὶ εἰ μὲν ἦν βουλὴ ἐξ ἀρείου πάγου τὸ πρᾶγμα αἰσθομένη, καὶ πλὴν ὑμετέραν ἄγνοιαν ἧν οὐ δέοντι συμβεβηκυῖαν ἰδοῦσα ἐπεζήτησε τὸν ἄνθρωπον, καὶ συλλαβοῦσα ἐπανήγαγεν ὡς ὑμᾶς ἐξήρπασε τοιοῦτος, καὶ τὸ δίκην δοῦναι δίκαιος ἐξεπέμπετ' ἂν ὑπὸ τοῦ σπερμολόγου τουτουί. Qui uoculas aliquot ex hoc ſublectas interpretatur, ait, hoc conuicium dici ſolere in hominem nequam, minimiq; precij & pro nihilo habitum, addubitans etiam, num conueniat in eum qui nõ ex ſuis alatur, ſed alieno paſcatur cibo. Metaphora ſumpta ab auicula cuius modo memi-

Aldina æditio deprauata. nimus. Etiamſi me non fugit in exemplaribus ab Aldo meo uulgatis pro σπερμολόγου legi σεμνολόγου, ſed appoſito aſteriſco. Nec dubium quin eam uocem ſciolus quiſpiam mutarit offenſus nouitate. Quin & Leonardus Aretinus huius orationis interpres uocem hanc prorſus omiſit, ut minus intellectam. Cæterum Demoſthenes Aeſchinem σπερμολόγον appellat, contumelioſo uocabulo, quod ad quæſtum quiduis diceret, quo conuicio nos rabulas dicimus. Huiuſmodi quiſpiam & Paulus adhuc incognitus, uiſus eſt quibuſdam Athenienſibus. Porrò non poteſt accipi pro ſeminatore uerborum, quod arbitratur Auguſtinus, cum uox compoſita ſit à σπέρμα, & λέγω τὸ συλλέγω, hoc eſt à colligendis ſeminibus, σπερμολόγος magis exprimeret quod ſentit Auguſtinus.

Nouorum dæmoniorum.) ξένων δαιμονίων, id eſt, Peregrinorum deorum: maxime cũ

Dæmonia pro dijs. hæc dicant ethnici, qui dæmonia deos uocant. Porrò ξένων, ut ſonat peregrinum, ita declarat & nouum & inauditum, nonnunquàm abſurdum.

Ad Areopagum.) ἐπὶ τὸν ἄρειον πάγον, id eſt, Ad Martium pagum. Sunt enim Græcis

cis duæ uoces. Est autem locus ædítus, ut uertex collis seu scopuli. Miror autem, cur Hie ronymus hoc loco pagum interpretetur uillam, Si tamen hoc opus est Hieronymi. Ego uicum maluissem, quandoquidem constat Martium uicum fuisse Athenis. Nec omnes erant iudices qui illic habitabant.

Noua enim quædam.) ξενίζοντα γάρ τινα. Participium uerbi deductum ab eo nomine quod modo uertit nouorum ξένων.

Et aduenæ hospites.) νῦν ἐπιδημοῦντες ξένοι, id est, Et qui illic uersabant hospites siue peregrini. Ad nihil aliud uacabant.) εὐκαίρων. Hoc bene reddidit, uelut ad cætera occupati. Verũ illud, aut dicere, aut audire, Laurentianis auribus nimis Græce transtulit, rectius dicturus, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid noui: quod tamen ipsum est καινότερον, ut extenuet etiam, quasi ad quæcunq; noua audienda fuisset illis ocium.

Superstitiosos uos uideo.) Sermo Græcus paulo ciuilior est, ὡς δεισιδαιμονεστέρους, id est, Ferè superstitiosiores. Certe superstitiosiores non superstitiosos habebant codices Donatiani. Mitigauit enim odium dicti, primum aduerbio ὡς, deinde comparatiuo. Hoc enim erat fieri omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret. *Pauli ciuilitas.*

Et uidens simulacra uestra.) ἀναθεωρῶν, id est, Considerans & inspectans, uelut ij, qui rem diu non uisam inspiciunt. Nec simulacra hoc loco est εἴδωλα, quod uerbum erat odiosius, sed σεβάσματα, quod uerbum complectitur omnia quæ ueneramur, nempe aras, delubra, statuas, monumenta, à uerbo σέβομαι, quod propriè ad religionem pertinet. Hieronymus citans hunc locum in commentarijs in epistolam ad Titum, ἀναθεωρῶν uertit contemplans, & σεβάσματα, culturas. *σεβάσματα*

Ignoto deo.) Et hic Hieronymus indicat Paulum pia quadam usum uafricie, quod nõ nihil mutauit in titulo, non pauca omisit, quo cõmodius detorqueret ad exordium prædicandi Christum. Titulus enim sic habebat autore, quem modo citaui Hieronymo, Dijs Asiæ, & Europæ, & Africæ, dijs ignotis & peregrinis. Ex dijs ignotis, deum fecit ignotũ, & mentionẽ cæterorum omisit. Quam equidem ciuilitatem imitandam arbitror ijs, quibus studium est ethnicos, aut principes mala educatione deprauatos, ad pietatem adducere, ne protinus cõuicijs rem agant & exacerbent, quibus mederi uolunt, sed multa dissimulantes, paulatim illos adducant ad mentẽ meliorem. Et fortassis reprehendi non oporteat, si boni uiri hoc animo in regũ aulis agant, quo paulatim irrepant in principum affectus, modo ne sint autores eorũ quæ palàm sunt iniqua, licet ad quædã conniueant inuiti. *Pauli uafricies pia. Titulus ignoti dei.*

Quod ergo ignorantes.) ὃ οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω, id est, Quẽ igitur ignorantes colitis, hunc ego annuncio. Loquitur enim de deo ignoto.

Manibus hominum colitur.) θεραπεύεται, pro quo Irenæus legit, tractatur. Nam & famuli & medici Græcis dicuntur θεραπεύται.

Vitam & inspirationem.) ζωὴν & πνοὴν, id est, Vitam & halitũ, uelut exponens quid sit uita animantis: in Græcis uocibus est iucundus concentus.

Fecitq; ex uno omne hominũ genus.) Græci legũt, ἐξ ἑνὸς αἵματος, id est, Ex uno sanguine, quod indicauit etiam Beda, Verũ haud scio an perperã à librarijs mutata scriptura. Deinde quod subijcitur, Inhabitare super faciem, infinitum mutandũ erat in gerundiũ, Ad inhabitandũ sup facíem terræ. Alioquí sensus erit, deũ effecisse, ut omne genus hominum habitaret in terra. Imò condidit omnes, & in hoc cõdidit, ut agerent in terris. *Græci addũt.*

Definiens statuta tempora.) ὁρίσας προτεταγμένους καιρούς, id est, Cum definisset prius statuta tempora. Tẽpora nõ est χρόνους, sed καιρούς, ut accipiamus à deo præfinitum, quid quaq; ætate fieret, Distinxit enim, imperia ad certum tempus duratura, exilia, migrationes. Item legem naturæ, Mosi & Euangelij. Neq; enim horum quicq; temere gestum est, sed suo quicq; tempore.

Et terminos habitationis.) νῦν τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν, id est, Præfixis terminis habitationis eorum. Nam ὁροθεσία est designatio terminorum.

Si forte attractent eũ.) ψηλαφήσειεν, id est, Palpent. quod est cæcorũ manu uestigantiũ.

Quidam uestrorũ.) τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν, id est, Vestratiũ poëtarũ. Augustinus explicans quæstiões aliquot in epistolã ad Romanos legit, Sicut & quidã secũdũ uos dixerũt. Itidem legit & Irenæus omissa mentione poëtæ.

Huius

Huius enim & genus sumus.) Hemistichium est heroicum, ex Phænomenis Arati. Ac mire quod dixit de Ioue, hic torquet ad uerum deum. Horum aliquot locorum patrocinio solet uti diuus Hieronymus, aduersus eos qui calumniabant quod sacras literas ethnicorum sordibus contaminaret. Verum Paulus id uno aut altero fecit loco, idq; penè cogente occasione prædicandi euangelij. Quid hæc ad istos, qui coacte & affectate non solum poëtarum & oratorum, sed omnium sophistarum, philosophorum, mathematicorum, deniq; & magorum literas inuehunt in doctrinam Christi, quam simplicissimam ac purissimam oportebat esse. In nonnullis Græcorum exēplaribus habebatur τ῀του γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, sed mendose, ni fallor, cum apud Aratum poëtico more τ῀το positum sit uice τ῀του. Interpres Arati admonet dictum esse iuxta illud quod apud Hesiodum & Homerum frequens est, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Nos hemistichium hemistichio reddidimus: Nam huius progenies etiam sumus.

Doctrina Christi pura.

Non debemus æstimare.) νομίζειν, id est, Existimare, siue putare.

Deinde aut lapidi sculpturæ artis.) Sculpturæ datiuus est, & appositiue refertur ad quodlibet illorum trium, lapidi, argento, auro. Nos igitur quo planior esset sensus, ita uertimus, Non debemus existimare auro aut argento, aut lapidi arte sculpto, & inuento hominis numen esse simile.

Despiciens deus.) ὑπεριδών. Interpres intellexisse uidet ex alto uidens, id enim dixit despicies. At ὑπερίδε῀ν, est ueluti dissimulare, & cū uideas perinde te gerere, quasi nō uideas. Et tēporis ratio erat interpreti seruanda in ὑπεριδών, hoc est, dissimulatis tēporibus ignorantiæ. Tū enim silebat, nūc omnibus denūciat, nō dissimulaturus amplius. Lyranus interpretās despicies, nempe deos, quod nollet eos amplius durare, quid senserit ipse uiderit.

Lyranus notatus.

In eo uiro in quo statuerat.) ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε, id est, In uiro quem definierat, siue statuerat. Græcis enim postpositiuus articulus sæpenumero congruit cum eo nomine quod antecessit non respondens sequenti uerbo.

Fidem præbens omnibus. Duo sunt participia præteriti temporis, quorum neutrum ut par erat uertit. Sensus autem est, deum iam fidem exhibuisse cūctis, Christum esse per quem statuerat innouare mundum, quod illum excitasset à mortuis, hoc unum nulli contigit mortalium, nec Mosi, nec prophetæ.

In quibus & Dionysius.) ἐν οἷς. Laurentius hoc loco refellit eorum opinionem, qui putant hunc Areopagitam fuisse autorem eorum librorum, quos habemus de Hierarchijs ac diuinis nominibus, & eundem esse, qui apud Lutetiam Parisiorum martyrio fuerit laureatus, è tribus, ni fallor, Dionysijs unum reddentes. Primum Areopagitæ iudices erant non philosophi. At isti Dionysium summum faciunt philosophum, qui ex eclipsi solis deprehenderit periclitari rerum naturam: cum consentaneum nō sit eas tenebras Athenas usq; peruenisse. Nam quod ait Euangelista tenebras factas super uniuersam terram, eius regionis terram intellexit, assentiente & diuo Hieronymo, & asseuerante Origene in homilijs, quas scripsit in Matthæum, ubi planè negat eas tenebras è solis accidisse deliquio, sed aut nubibus intercedentibus, aut alioqui aëris densitate coacta. Quod si hæ tenebræ tanto spacio cōtigissent per uniuersum orbem, aliquis certe seu Latinus, seu Græcus scriptor eius rei meminisset. Iam epistolam super hac re, uelut Dionysij nomine confictam deridet Laurentius. Mihi non uidetur priscis illis temporibus tantum fuisse Christianis cerimoniarum, quantum ille describit. Deinde mirum si tam priscus autor fuit, & tam multa scripsit, à nemine ueterum, seu Græcorum seu Latinorum fuisse citatum, non ab Origene, non à Chrysostomo, ne ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatū reliquit. Quin & Gregorius ipse uir probæ fidei, citans huius literas, nō indicat eum fuisse Dionysiū Areopagitam. Porrò quum in Ecclesiastica historia multa fiat mentio de libris Dionysij Corinthiorū episcopi, non est probabile taciturū fuisse Eusebiū de tanto Pauli discipulo, si tantū uoluminū reliquisset. Hieronymus in Catalogo scriptorū illustriū unū aut alterū Dionysiū recenset, huius libros nō recenset. Laurētius indicat fuisse suæ ætatis doctissimos uiros, qui iudicarint eos libros esse Apollinarij. Tametsi eius nominis duos cōmemorat Hieronymus, alterū Hieropolitanū episcopū, qui floruerit sub M. Antonino secūdo. Alterū Laodicenum in Syria episcopum. Neutri tamen huiusmodi quicq; tribuit operum. Neq; enim

Dionysius quis.

enim opinor hæc Apollinari hæretico tribuenda. Ante complures annos, ut memini, uir incomparabilis Gulielmus Grocinus, ut theologus summus, ita in nulla disciplina nō exquisite doctus & exercitatus, auspicaturus Londini in æde diuo Paulo sacra enarrationē cœlestis Hierarchiæ, meditata præfatiōe multū asseuerauit hoc opus esse Dionysij Areopagitæ, uehementer destomachans in eorum impudentiam, qui dissentirent. At idem priusquam operis dimidium confecisset, ubi gustū attentius cepisset, ingenue coram auditorio fassus est, sibi uerso calculo nō uideri id opus esse Dionysij Areopagitæ. Demiror aūt quur Beda putet hunc Dionysium factum episcopum Corinthiorum, quum Ecclesiastica historia palàm ostendat alium fuisse Dionysium episcopum Corinthiorum, qui multa conscripserit. Atq; huius autoritas ibi citatur, qui in epistola quadam quam scripsit ad Athenienses, ostenderit Dionysium Areopagitam à Paulo cōuersum, primū fuisse Athenis episcopum, ab eodem apostolo institutum. Nec aliud quicquàm apud priscos scriptores comperitur de Dionysio Areopagita. Verū hæc, ceu πάρεργα paucis indicasse sat erat. *Gulielmus Grocinus.*

EX CAPITE DECIMOOCTAVO.

Gressus ab Athenis.) χωρισθείς, id est, Digressus Athenis.

Ponticum genere.) Pontus enim Asiæ pars est. non enim à mari hic dictus est ponticus. Hunc salutat Paulus in epistola ad Romanos, nisi quod illic uxor pro Priscilla, Prisca nominatur, adnotante Origene. Hæc scribenti risus obortus est, quod in uoluminibus Origenicis primū à Badio nostro excusis, ita nescio quis scripturam deprauarat. Post hæc autem discedens Paulus ab Athenis, uenit Corinthum, & inuento ibi quodam Iudæo nomine Aquila, de pontificio genere, pro eo quod erat de Pontico genere. Offensus opinor, quod absurdum putaret, pontici generis dici qui Iudæus esset. Quasi id temporis non habitarint per omnes fermè regiones sparsi Iudæi. Certe Petrus nominatim scribit ad eos, qui in Galatia, qui in Bithynia, qui in Ponto habitarant, Iudæos. Verum hac de re nonnihil attingemus in epistola ad Romanos. *Ridicula deprauatio. Badius.*

Eiusdem erat artis.) ὁμότεχνοι. Dicuntur Græcis eiusdem artificij, siue opificij, uelut pictori pictor, faber fabro, sutor sutori, nauta nautæ, ὁμότεχνος est.

Scenofactoriæ artis.) ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην, id est, Erant enim aulæorū, siue tabernaculorum texendorum artifices. Interpres Origenis enarrantis epistolam Pauli ad Romanos, interpretatur σκηνοποιούς, artifices tabernaculorum, hoc est, sutores, ob id opinor, quod tabernacula apud priscos pellibus conficiebantur. Et nunc apud Hispanos siūt Aulæa. Idem testatur homilia in Numeros decimaseptima. O uere pontificē, uere suisq; dotibus maximum. Nos satellitio, copijs, censu, minis, magni uideri uolumus. Et disputabat in Synagoga per omne sabbatum, interponens nomen domini Iesu. Suadebatq; Iudæis & Græcis. Totum hoc non habetur in quibusdam codicibus etiam excusis. Vnus codex Donatiani consentiebat cum Græcis, qui cum cætera habeant, non addunt tamen Interponens nomen domini Iesu. *Apostolus sutor coriarius.*

Instabat uerbo Paulus testificans.) Græci longe secus legunt quàm nos, συνείχετο τῷ πνεύματι ὁ Παῦλος διαμαρτυρόμενος, id est, Coartabatur spiritu Paulus, testificās Iudæis. Vt intelligas illū inuitum, & animo reluctāte id fecisse, ceu præsentiret se lusurum operā.

Titi iusti.) Titi non reperio in Græcis codicibus, sed tantum iusti. Verum opinor incuria librariorū prætermissum. Quādoquidē Hieronymus, aut quisquis fuit is autor, huius meminit Titi in noibus scripturæ sacræ. Quāq; nec illic de iusti cognomine ulla mentio.

Propter quod ego tecum.) διότι, Propterea quod ego tecum sum.

Et nemo apponetur tibi.) ἐπιθήσεταί σοι, id est, Nullus adorietur, siue inuadet te. Quādoquidem id quoq; significat, ἐπιτίθεσθαι. Nec est: *Apponetur & inuadet.*

Vt noceat te, sed τοῦ κακῶσαί σε, id est, ut affligat te, siue Ad affligendum te.

Quoniam populus est mihi multus.) διότι. Cur non & hic transtulit, Propter quod, ut modo fecit. Aut cur non ante uertit, quoniam?

Procōsule Achaiæ.) ἀνθυπατεύοντος τῆς Ἀχαΐας, id est, Cū ageret proconsulē Achaiæ.

Persuadet

Persuadet hominibus.) ἀναπείθει, Suadet potius quàm persuadet, atq; adeo resuadet, si sic liceat loqui, quod Paulus à ueteri cultu deorum reuocaret.

Incipiente autem Paulo.) μέλλοντος δὲ τοῦ παύλου ἀνοίγειν τὸ στόμα. Cum autem aperturus esset os. Quod tamen aliquoties data opera sic uertit interpres, nec id sanè perperam.

Iniquitas aut facinus.) ἀδίκημα, Quod magis sonat iniuriam illatam, aut maleficium. Deinde qui hic uertit facinus ῥᾳδιούργημα, cur huic cognatam uocem ῥᾳδιουργίαν, superius transtulit fallaciam? Nec est pessimum, sed malum, πονηρόν. Nec est, Recte uos sustinerem, sed κατὰ λόγον, hoc est probabiliter, siue merito.

De uerbo & nominibus legis uestræ.) Deest apud nos una coniunctio, & περὶ λόγου καὶ ὀνομάτων καὶ νόμου τοῦ καθ' ὑμᾶς, id est, De uerbis, & nominibus & lege uestrate. Verba op posuit factis. Deinde quæstiones de communi & non communi, deq; genealogijs uocat nomina. Ceremonias Mosaicas uocat legem. Et uideritis, futuri temporis est, ὄψεσθε, quē admodum in Euangelio.

Et minauit eos.) ἀπήλασεν. Cur non potius Abegit, siue depulit? Nam minare sanè quàm insolens uerbum est Latinis auribus.

Fratribus ualefaciens.) ἀποταξάμενος, id est, Dimissis fratribus, siue uale dicto fratribus. Nec est, Nauigauit, sed ἐξέπλει, id est, Abnauigauit.

Ambiguus sermo. Qui sibi totonderat caput.) Ex ipso sermone Græco, nō liquet uter sibi rasérit caput, Paulus an Aquila. Ad hæc, participium est præteriti temporis κειράμενος τὴν κεφαλήν, id est, Tonso capite. Prius enim tonsus est in portu, deinde nauigauit. Et Cenchreis legendū est nomine trisyllabo Cenchreæ, sicut Athenæ. Portus est Corinthiorum.

Iterum reuertar ad uos.) In Græcis exemplaribus plus est, δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς ἱεροσόλυμα, πάλιν δὲ ἀνακάμψω πρὸς ὑμᾶς, id est, Oportet me omnino festū, quod instat, agere Hierosolymis, sed denuo conferam me ad uos.

Profectus est ab Epheso.) ὁ ἀνήχθη. Quod ego maluissem, Soluit Epheso.

Apollos. Apollo nomine.) ἀπολλώς, id est, Apollos, cuius genitiuus Apollo, non Apollinis. Meminit huius Paulus in epistolis.

Vir eloquens.) λόγιος, Quod & eruditum sonat & prudentem,

κατηχημένος Hic erat edoctus.) κατηχημένος. Participium ab eo uerbo, unde dicti sunt catechumeni. Non igitur erat edoctus uiam domini, quam mox discit à Priscilla & Aquila, uerū erat utcunq; initiatus baptismo Ioannis.

Cum autem uellet ire Achaiam.) Quum Græce sit εἰς τὴν Ἀχαΐαν, mirum cur interpres omiserit præpositionem, reclamantibus grāmaticis, eo quod Achaia regionis nomē est, non ciuitatis.

Contulit multum his qui crediderant.) Hic Græci codices addunt, διὰ τῆς χάριτος, id est, Per gratiam. Hoc adiectum est, ut intelligeremus muneris esse diuini, quod conduceret Christianis. Beda admonet in nonnullis codicibus pro contulit, scriptū fuisse profuit. Et Vehementer est, ἐυτόνως, acriter. Et publice, incertum utrò sit referendum, opinor, ad superiora. Nam id erat gratiæ, quod publicitus etiam ausus sit refellere Iudæos.

Esse Christum Iesum.) εἶναι τὸν χριστὸν Ἰησοῦν. Non negabant Iudæi Iesum esse, uerum negabant illum esse Messiam, quē expectabant. Vnde Christo præposuit articulum τὸν χριστόν, id est, illū Christū, siue ostendens quod Iesus esset Christus, siue Iesum esse Christum.

EX CAPITE DECIMONONO.

Si spiritum sanctum.) εἰ suo more uertit pro si, cum uertēdum fuerit per num, aut an, aut ne. Num spiritum sanctum accepistis? aut, Accepistis ne spiritum sanctum? Et mox:

Si spiritus sanctus est.) Pro eo quod erat, Sit ne spiritus sanctus.

Schola tyranni. In schola tyranni cuiusdam.) Ambigunt hic interpretes, tyrannus hoc loco primatem ac potentem significet, an proprium sit hominis uocabulum. Sed quid schola cum tyranno? Deinde si nomen est proprium, cur addidit τινός. Proinde suspicor fuisse secessum magnatis alicuius, in quo solitus sit otiari, quandoquidē schola Græcis sonat otium. Hieronymus alludens ad uoces magis quàm ad sensum, huc torquet alicubi, ut scholam tyranni uocet, ubi res non agitur argumentis, sed autoritate ac ui. Quod displi-

cuit etiam

cuit etiam Auguſtino,qui nec hæreticos uult cogi,niſi doceantur.Nunc ſatis eſſe iudica/mus,ſi dicatur,hic error eſt,recanta,hæc hæreſis eſt,abnega. Quaſi qui alios inſimulant hæreſeos,ipſi non poſſint errare.

Iudæi atq; gẽtiles.)Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας.i.Tũ Iudæi,tũ Græci,quos hic gentiles uertit.

Virtutesq; non modicas quaslibet.) Ita ſcriptum reperi in nõnullis exemplaribus Lati/norum. Verum ipſa res ſatis indicat id accidiſſe culpa librariorum,qui dictionem, modi/cas,quam quiſpiam interpretamenti uice adiecerat,retulerunt in contextum uelut à ſcri/ptore prætermiſſam δυνάμεις τε οὐ τὰς τυχούσας, id eſt,Virtutesq; non quaslibet,ſiue nõ uulgares,ad uerbum,contingentes.In alijs ſcriptum habebatur,Virtutes quaslibet, omiſ/ſa negatione.Carrenſis putat utrunq; poſſe legi,ſed reclamat ſermo Græcus. *Quaslibet.* *τυχούσας.*

Sudaria & ſemicinctia.) Vtrãq; uocem Latinam uſurpauit σουδάρια καὶ σημικίνθια.

Dæmonium peſſimum.) τὸ πνεῦμα τὸ πονηρόν id eſt, Spiritus malus. Cæterum in eo quod proxime ſequitur,Et dominatus,quidam Græci codices habebant, καὶ κατακυριεῦσαμ, ut referendum ſit ad dæmonium dominatum.Quidam κατακυριεύσας, id eſt,dominatus ut pertineat ad hominem in quo erat dæmonium.Porrò quoniam noſtri codices habẽt am/borum interpres pro αὐτῶν legiſſe uidetur ἀμφοῖν.

Confitentes & annunciantes actus ſuos.) Vel hinc colligi poteſt fuiſſe & antiquitus nõnullam confeſſionem malæ actæ uitæ,ſed apertam ut opinor, & in genere, quam nec ipſam legimus exactam abs quoquam.Cæterum quæ nunc recepta eſt clancularia & in aurem fit,uidetur ex conſultationibus priuatis eſſe nata,quæ ſolent apud epiſcopos fieri, ſi qui ſcrupulus urgeret animum.Et, Actus, τὰς πράξεις, facta,ſiue quæ feciſſent. *Olim fuit ali/qua cõfeſſio, licet nõ omni/no talis qua/lis nunc recep/pta eſt.*

Qui fuerant curioſa ſectati.) τὰ περίεργα πραξάντων, id eſt,Qui curioſas artes exercuiſ/ſent.Sic enim uocat artes magicas.

Pecuniam denariorum quinque milium.) ἀργυρίου μυριάδας πέντε, id eſt,Quinquagies mille numũm.

Turbatio non minima.) τάραχος οὐκ ὀλίγος, id eſt,Turbatio non exigua.Ac paulo poſt: Non modicũ quæſtũ.) ἐργασίαν οὐκ ὀλίγην,id eſt,Quæſtum non exiguum.

De uia dñi.) περὶ τῆς ὁδοῦ, id eſt, De uia,ſiue de hac uia.Nam articulus additus facit ut certã accipiamus uiã.Porrò dñi addiderunt,quo res eſſet explicatior,aut certe mollior.

Demetrius quidam nomine argentarius.) Argentarius aliâs Latinis & menſarium ſi/gnificat,& numularium,uerum hoc loco ſonat opificem,& ſculptorem argenti, quẽ nos aurificem,ſeu aurifabrum uocamus, quandoquidem quicunq; cudunt aurum,ijdem cu/dunt & argentum.Eſt enim ἀργυροκόπος, ab elaborãdo argento dictus,niſi mauis à κόπτω deducere,unde & monetam Græci κόμμα dicunt, πονηρὸν κόμματος. *Argentarius Aurifex.*

Aedes argenteas.) ναοὺς, id eſt, Templa,ſentit enim ædiculas,ſeu thecas effigie tẽpli, in quibus reponebantur ſtatuæ.Nos uertimus delubra.

De hoc artificio eſt nobis acquiſitio.) ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ εὐπορία ἡμῶν ἐστιν. Quod modo uertit quæſtum,nunc uertit artificium,& εὐπορίαν acquiſitionem.Ex hoc quæſtu nobis ſuppeditat rerum copia.

Non ſolum Epheſi.) Non eſt ἐν Ἐφέσῳ,ſed Ἐφέσου, ut referatur ad multam turbam. Vn de quoniã nõnullos offendebat amphibologia, pro Epheſi uertimus Epheſinæ ciuitatis.

Non ſolum autem hæc periclitabitur.) κινδυνεύει, id eſt,Periclitatur.Quanquam totus hic ſermo parum commode redditus eſt ab interprete Latino, οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν δὲ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερὸν,εἰς οὐδὲν λογι/σθῆναι, μέλλειν δὲ καθαιρεῖσθαι τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς, id eſt,Non ſolum autem hæc pars,ſi/ue hac parte nobis periclitatur,ne reprobetur,ſiue ne reprobemur, uerum etiam ne ma/gnæ Dianæ templum,pro nihilo habeatur.Porrò autem ne fiat,ut maieſtas quoque de/ſtruatur eius;quam tota Aſia & orbis colit.

Et deſtrui incipiet maieſtas eius.) Interpres legiſſe uidetur μέλλειν τε, atq; ita ſcriptum erat in pleriſq; Græcorum libris.In alijs rurſus erat μᾶλλον δὲ, magis autẽ,ut ſit corrigen/tis,quaſi grauiſſimum ſit omnium futurum, ſi maieſtas ac numen ipſius depereat apud uulgus.Hieronymus in prima præfatiõe cõmentariorũ,quos ædidit in epiſtolã ad Ephe/ſios,indicat hanc Epheſiorum Dianam non fuiſſe iaculatricẽ illam, ſed cognomento πο/ *Varia lectio apud Græcos*

λύμασον, id est, Multimammiam, quod eam omnium uiuentium nutricẽ haberi uolebãt.

Comitibus Pauli.) σωνεκδήμους, id est, Socios peregrinationis, qui & comites dicũtur.

Erat enim ecclesia confusa.) Cũ de promiscua multitudine loquatur, magis conueniebat concionem dicere, quàm ecclesiam.

Detraxerunt Alexandrum.) προεβίβασαν, id est, Prius instruxerunt. Nam id est προβιβάζειν. Et instruimus patronum, causam nostram acturum. Interpres, ni fallor, legit προεβίασαν, etiamsi προβιβάζεσθαι dicitur, qui cogitur prodire, ac protruditur.

Manu silentio postulato.) Mira uarietate ludit in hoc sermone reddendo interpres, καταστείσας τῇ χειρὶ, id est, Mota manu. Ita Persius, Et calidæ fecisse silentia turbæ, Maiestate manus.

Et cum sedasset scriba turbas.) καταστείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, id est, Vbi uero scriba compescuisset turbam. Verum ex uerbis Græcis parum liquet, uter sedata turba sit locutus, Alexander an scriba.

Cultricem esse magnæ Dianæ.) Vsus est peculiari uerbo, νεωκόρον. Quæ uox composita est ex νεώς, quod Attice sonat templum, & κορέω, purgo siue uerro, autoribus Hesychio, etymologico, & Suida, unde & acuitur penultima νεωκόρος. Solent autem qui impensius dediti sunt alicui diuæ, aram illius uarijs ornamentorum generibus cohonestare, quemadmodum facit apud Apuleium Psyche.

Cultrix. νεωκόρος.

Iouisq; prolis.) Græca longe secus habent, φησὶ μεγάλης Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ διοπετοῦς, id est, Magnæ illius Dianæ, & è cœlo delapsi, ut subaudias signi, aut simulacri. Siquidem articulus, τοῦ facit, ne possit, διοπετοῦς ad Dianã referri, sed ad ἄγαλμα, hoc est statuam Dianæ. Nam Diopetes Græcis dicitur, quod ab Ioue delapsum sit, ac è cœlo uenerit. Porrò opifices simulacrorum, quo maior esset superstitio uulgi, fingebant ea cœlitus delapsa, hoc est, esse διοπετῆ. Idem uulgo creditũ fuit de simulacro Dianæ Ephesiæ, ut testis est & Suidas in dictione διοπετές. Pro nobis facit & coniunctio καὶ, quæ fuerat superuacanea, si διοπετοῦς pertineret ad Dianam. Sensus igitur est. Apud Ephesios templum fuisse Dianæ, & huius simulacri, quod cœlo delapsum putabat. Quod ipsum Numa persuasit Romanis de ancylibus. Homerus hoc cognomenti tribuit regibus, uelut à Ioue profectis, id secutus uidetur interpres cuius liber fortasse non habebat additum articulum, τοῦ.

Contradici non possit.) ἀναντιῤῥήτων ὄντων. Poterat accipi, Cum his nemo cõtradicat.

Conuentus forenses.) Conuentus addidit explicandæ rei causa, cum Græce tantũ sit, ἀγοραῖοι ἄγονται, id est, Forenses aguntur, ut subaudiendum sit, cognitiones, aut lites.

Ecclesia pro concione.

In legitima ecclesia poterit absolui.) Cum de prophano promiscuoq; hominum cœtu loquatur, concio dicenda erat, potius quàm ecclesia. Atq; ita mox, Dimisit ecclesiam, pro concionem. Deinde legitima est, ἐννόμῳ, hoc est, Quæ non tumultu, sed legitimo more sit indicta. Nec est,

Poterat absolui.) Sed absoluetur ἐπιλυθήσεται.

Cum nullus obnoxius.) μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος, id est, Cum nemo sit in culpa, siue cũ nemo fuerit autor huius concursus. Nam illud, de quo poterimus reddere rationem, per parenthesim interiectum est. Quanquam in nonnullis exemplaribus reperio scriptũ περὶ οὗ οὐ δυνησόμεθα δοῦναι λόγον, id est, De quo non poterimus reddere rationem, hoc est, quod non sumus defensuri. Deniq; illud μηδενὸς αἰτίου, incertum est ad hominem referatur, ut sit masculini generis, an ad rem, ut sit neutri. Itaq; hic fuerit sensus, cũ nihil subsit causæ per quam poterimus defendere hunc populi concursum.

EX CAPITE VIGESIMO.

ET exhortatus eos ualedixit.) Græca dissonant à Latinis προσκαλεσάμενος ὁ Παῦλος τοὺς μαθητὰς καὶ ἀσπασάμενος ἐξῆλθε, , id est, Paulus uocatis ad se discipulis, & complexus eos exiuit. Interpres legisse uidetur προσκαλεσάμενος, pro προσκαλεσάμενος. Atq; id sanè mihi magis probatur.

Variant à nobis Græci.

Comitatus est autem eum Sosipater Pyrrhi Bercœensis.) Pyrrhi Græcis non additur. Sed ut hoc deest, ita supersunt hæc, usq; ad Asiam, quæ apud Latinos nõ inuenio, συνείπετο δὲ αὐτῷ ἄχρι τῆς Ἀσίας Σώπατρος Βερροιαῖος, Consecutus est autem illum usq; ad Asiam Sopater Berrhœensis. Nam & Sopater habẽt Græci, nõ Sosipater. Beda subin-

ſubindicat in uetuſtis exẽplaribus Latinis ſcriptum fuiſſe, Soſi pater Pyrrhi, quaſi filius fuerit notior patre.

Suſtinebãt nos.) ἔμενον ἡμᾶς, id eſt, Expectarũt nos, ſiue ut ad uerbũ, Manebant nos.

Vna ſabbati.) σαββάτων, id eſt, Vno die ſabbatorũ. Vna, dictum apparet pro prima.

Paulus diſputabat cum ijs.) διελέγετο αὐτοῖς, id eſt, Diſſerebat illis, ſiue collocutus eſt cum illis. Nec enim diſceptabat cum eis qui uenerant ad frangendum panem, Verum ille apud eos orationem habuit Paulus. Nam quod συνηγμένων τῶν μαθητῶν, id eſt, Cõgregatis diſcipulis uertit, cum conueniſſent, tolerabile eſt.

Profecturus in craſtinum.) μέλλων ἐξιέναι τῇ ἐπαύριον, id eſt, Profecturus ſiue diſceſſurus poſtridie. Nam craſtinum diem dicimus qui proxime ſequitur hũc in quo iam loquimur. Porrò quoties ad præteritum aut futurum aliquem diem reſpicitur, non dicendum eſt heri, aut cras, ſed pridie, aut poſtridie.

Cum mergeretur ſomno.) καταφερόμενος, id eſt, Cum deorſum traheretur, id quod accidit ei qui ſedens grauius obdormiſcat. Necꝫ tamen hic eſt Somno graui, ſed βαθεῖ, id eſt, alto, ſiue profundo. Interpres legiſſe uidetur βαρεῖ.

Diſputãte Paulo.) Et hic malim diſſerente. Ne quis imaginetur inter illos pure Chriſtianos diſputationem fuiſſe ſophiſticam.

Ductus ſomno cecidit.) κατενεχθεὶς, id eſt, Deorſum tractus, ſiue depreſſus, aut deuectus. Et fortaſſe deuectus ſcripſerat interpres. Cæterum illud ἐπὶ πλεῖον, quod interpres retulit ad ſuperiora, Græcis ſic eſt in meditullio poſitum, ut utróuis poſſit accommodari, ad diutius diſſerentem Paulum, & ad magis etiam depreſſum ſomno. Ac mea ſententia, ad ſequentem particulam referre ſatius eſt. Primum enim nutabat deorſum uergẽte corpore, deinde magis depreſſus cecidit.

De tertio cœnaculo.) ἀπὸ τοῦ τριστέγου. Verti poterat &, A tertia contignatione. Id enim adiecit Lucas, ut intelligeremus lapſum fuiſſe letalem, nimirum ex loco tam alto. Vox dicta eſt à τρὶς ter & στέγος tectum. Deum immortalem quas nænias adducit autor catholicon de hac uoce triſtegum. O miſerũ illud ſeculum, cũ ex huiuſmodi libris, uelut ex adytis petebant oracula literarũ. Cæterũ ſolũ primæ contignationis, tectũ eſt infimæ partis ædium. Rurſum ſecundæ ſolum, tectũ eſt primæ. Item tertiæ ſolum, tectum eſt ſecundæ. *Triſtegum.*

Et conſolati ſunt non minime.) οὐ μετρίως, id eſt, Non mediocriter. Quod equidem demiror cur interpres putarit immutandum.

Nauigauimus in Aſſon.) Nõnulli codices Thaſſon habebant pro Aſſon. Eſt enim & Thaſſus inſula Thraciæ oppoſita, de qua natum eſt prouerbium θάσου ἀγαθῶν, id eſt, Thaſſius bonorum. Cæterum complures ſunt urbes huius nominis Aſſos, una Lyciæ, in prærupto ſita, Altera in Aeolide, Tertia in Myſia, Quarta in Lydia, Quinta in Epiro minore, Cleantis patria. Diuus Hieronymus hãc ponit in Aſia, quæ eadem dicta ſit Apollonia, ſuffragante & Plinio libro quinto cap. xxx. Carrenſis facit nobis liberum, utrum malimus Aſſon inſulam eſſe an ciuitatem. *Aſſon.*

Ipſe per terrã iter facturus.) οὕτως γὰρ ἦν διατεταγμένος, μέλλων αὐτὸς πεζεύειν, Sic em̃ ordinauerat ipſe pedeſtri itinere uẽturus, ſiue pedibus iter facturus. Interpres uitaſſe uidet, ne gs Paulũ exiſtimaret, nõ equis, aut uehiculis, ſed pedibus eò ueniſſe. Atqui hoc ipſum accedebat ad Pauli gloriã, quod mallet iter laborioſius, modo maiore cum fructu. *Paulus pedes.*

Mytilene.) Ciuitas eſt littoralis Leſbi obuia ad dextrã nauigantibus in Chium inſulã. Samos inſula è regione Cariæ. Miletum oppidum eſt littoralis Cariæ.

Et ſequenti die uenimus cõtra Chium.) Hoc loco Græca diſſident ab ijs quæ nos legimus, τῇ ἐπιούσῃ κατλωτήσαμεν ἀντικρυ χίου. τῇ δὲ ἑτέρᾳ παρεβάλομεν εἰς σάμον, καὶ μείναντες ἐν τρωγυλίῳ, τῇ ἐχομένῃ ἤλθομεν εἰς μίλητον, id eſt, Poſtridie deuenimus cõtra Chium. Altero uero die appulimus Samum, & cõmorati Trogyllij, proximo die uenimus in Miletum. Cæterum Trogylliũ promontoriũ eſt è regione Sami autore Ptolemæo & Strabone, tametſi ſunt eiuſdem nominis alia. *Græca diſſonant.* *Trogylliũ.*

Tranſnauigare Epheſum.) παραπλεῦσαι τὴν ἔφεσον id eſt, Præternauigare, ſiue præuehi. Quid enim eſt omnino tranſnauigare ciuitatem, niſi nauis feratur in nubibus? Epheſus autem ciuitas littoralis prior occurrebat, q̃ Trogyllium.

Ne qua mora illi fieret.) μὴ γένοιτο αὐτῷ χρονοτριβῆσαι, id est, Ne contingeret sibi terere tempus in Asia. Interpres elegantius reddidit quàm uerius. Neq; enim Paulus timebat quamlibet moram, sed longiorem metuebat, nimirum properans Hierosolymam.

Maiores natu.) πρεσβυτέρους. Quos nunc seniores uocat, nunc presbyteros Græca uoce, nunc maiores natu, cum hoc loco magis quadraret Græca uox, honorem indicans potius q̄ ætatem. Quandoquidem hic episcopos intelligit & primores ecclesiarū, qui nonnunq̄ iuuenes erant, quemadmodum Timotheus.

Cum omni humilitate.) ταπεινοφροσύνης, Quæ est animi modestia, nihil altū de se sentiētis. O uocem dignam uere magno pontifice.

Vt nihil subtraxerim uobis.) Nunc uidetur id dicere, se nihil subtraxisse ab illis bonarum rerum, hoc est, in nullo fraudasse illos, cum contra sentiat Paulus, se nihil detrectasse, neq; periculi, neq; laboris, qui modo ad illorum pertineret utilitatem. Ac paulo post idē uerbum transtulit subterfugi. Non enim subterfugi &c.

Interpres obscure reddidit

Publice & per domos.) κατ' οἴκους, id est, Publicitus ac domestice, siue per singulas domos, quod respondere uidetur ei quod Latini dicunt priuatim. Hieronymus in præfatione cōmentariorum in epistolam ad Ephesios uertit, Publice ac domestice.

Vincula & tribulationes me manent.) μένουσιν. Idem est uerbum quod aliquanto superius uertit, sustinent.

Nihil horum uereor.) ἀλλ' οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι, id est, Nihil curo, siue nihil me mouet. Quomodo non uerebatur, cum sciret uentura? sed contemnebat.

Interpres non expressit sensum.

Nec facio animam meam precio siorem quàm me.) Quid mouit interpretem, ut neq; sensum exprimeret, neque uerba redderet Lucæ? οὐδένος ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, id est, Neq; habeo siue duco uitā meā precio sam mihi ipsi. Augustinus in Psalmo xxxvi. legit: Non facio animam meam precio sam mihi. Lyranus interpretatur animam intellectiuam. At Paulus sentit se contemnere uitam amore euangelij.

Lyranus delirans.

Vt consummem cursum meum.) Græcus addit μετὰ χαρᾶς, id est, Cum gaudio.

Omne consilium dei.) Mirum quid secutus Irenæus, pro consilio dei legit sententiam, Nam Græce est βουλὴν non γνώμην.

Regere ecclesiam dei.) ποιμαίνειν, Quod est pastorum more gubernare & curare gregem. Nam mox mentionem facit luporum.

Lupi rapaces.) βαρεῖς, id est, Graues, nō rapaces. Suffragabatur unus codex Donatiani. Nec aliter refert hunc locū Irenæus lib. tertio cap. xiiij.

Viri loquentes peruersa.) διεστραμμένα, id est, Distorta & obliqua, hoc est, minime simplicia, minimeq; syncera. Nam ueritatis, ut ait Tragicus, simplex est oratio.

Non cessauerim monens.) Et hic participium uertendum erat in uerbum infinitum, Non cessauerim monere.

Interpres dormitans.

Qui potens est.) Quod, erat potius q̄ qui, cum referat uerbum. Cæterum quia uerbū Græcis est masculini generis, id nimirū fefellit interpretem. Nec est simpliciter ædificare, sed ἐποικοδομῆσαι, id est, Superstruere, uidelicet his fundamentis, quæ iecerat Paulus.

Oportet suscipere infirmos.) ἀντιλαμβάνεσθαι, Quod est proprie porrecta manu retinere lapsurum alioqui, aut abiturum. Paulus, ne ullius omnino iacturam faceret, cauebat, ne quam ansam præberet infirmis & alienandis à Christo, quod nollēt grauari sumptu. Vti nam hoc exemplo delectent̄, qui dum decimas, tam nō sacerdotaliter exigunt à populo, sui officij prorsus obliuiscuntur, nō quod negem illas deberi, sed quod cæteri apostoli oblata dūtaxat acceperint, Paulus ne oblata quidem, cū unus plus omnibus laborarit.

Decimæ exactæ.

Beatius est dare magis q̄ accipere.) Neq; Latinitatis ratio patiebat cōparatiuū, neq; sermo Græcus habebat. Mirū itaq; quid interpreti uenerit in mentē μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον, ἢ λαμβάνειν, id est, Beatum est dare magis q̄ accipere. Cæterum hoc testimonium negant usquam inueniri dictum à dño. Vtinam autem hunc animū Pauli tam excelsum & ab omni specie quæstus abhorrentem, imitarentur nostri temporis cōcionatores. Fuit aliquis, qui sibi in omnem uitam interdixit esum carnium, inueniuntur qui imitentur: fuit qui semper nudis incesserit pedibus, habet imitatores: fuit qui funes se cinxerit, non desunt qui studiose æmulentur: fuit qui semper pullatus incesserit, repperit æmulatores: solū hoc

pulcher

pulcherrimum exemplum Pauli non habet æmulos.

EX CAPITE VIGESIMOPRIMO.



Enimus Coum.) Nonnulli codices habent κῶ, nonnulli κώμ. utroq; modo pronunciari fatetur Stephanus, quin & κέως dicta fuisse quondam. Vnde & Plinius admonet Ceam dictam & κόον. Insula notior est q; ut sit explananda.

Et inde Pataram.) πάταρα Græci pronunciant neutro genere numero pluratiuo. Quanquam utroque modo reperio usurpari huiusmodi nomina Lystra & Lystram, Pyra & Pyram.

Cum apparuissemus autem Cypro.) Suspicor interpretem ita uertisse, Cum aperuissemus autem Cyprum. Nam Græce est ἀναφάναντες δὲ τὴν κύπρον. Porrò qui nauigãt, nũc hanc, nunc illam terram dicuntur aperire, aut celare, cum incipit in prospectu esse, aut secus. Proinde uertimus, Cum autem cœpisset nobis apparere Cyprus. Consimili figura dixit Vergilius, Terræq; urbesq; recedunt. In codice diui Donatiani, apparuissemus erat deprauatum, sed Cyprum relictum, indicabat germanam lectionem fuisse, Cum apparuissemus Cyprum. *Locus depra-uatus.*

Venimus Tyrum.) Ciuitas est maritima, metropolis Phœnices, quondam insula septingentis passibus diuisa à continente, mari prælto, sed uix credibili opere comportatis aggeribus per Alexandrum magnum adiuncta continenti. Est in tribu Neptalim, uicesimo fermè miliario à Cæsarea Philippi.

Valefecissemus inuicem.) ἀσπασάμενοι ἀλλήλους, id est, Complexi alius alium, siue consalutatione mutua facta. Apparet interpretem legisse ἀποταξάμενοι.

Venimus Cæsaream.) Hæc est Cæsarea Palæstinæ ciuitas litoralis, primum dicta turris Stratonis. Deinde ab Herode instaurata in honorem Cæsaris Augusti, Cæsarea dicta est. Est altera Cæsarea Philippi, ad radices montis Libani, in honorem Tiberij Cæsaris Cæsarea dicta. Est tertia Cappadociæ, quò Paulus Epheso delatus salutauit ecclesiam. Autor Hieronymus.

Per dies aliquot.) ἡμέρας πλείους, id est, Dies complures.

Nos & qui loci illius erãt.) ἡμεῖς τε οἱ ἐντόπιοι, id est, Tũ nos, tũ ij qui erant illius loci.

Et cum suadere ei non possemus.) Quid est hoc? An non dixerat modo illos suasisse? Verum interpres abusus est suadere pro persuadere. Suadet enim qui consulit, persuadet qui quò uult inducit hominem. Græca uox anceps est ad utrunq;. πείθειν insuper conuenit, non solum suadenti aut persuadenti, uerumetiam obtemperanti. μὴ πειθομένου δὲ αὐτοῦ, Cæterum cum illi non persuaderetur, siue cum ille non obtemperaret, quieuimus. *Suadere, pro persuadere.*

Præparati ascẽdebamus.) ἀποσκευασάμενοι. Quod ego puto uertendũ, sublatis sarcinis.

Iasonem quendam.) Græci legunt μνάσωνί τινι, id est, Mnasonem quendam, ut dissimulem quod ἐνδόξαζον uerterit magnificabant, pro glorificabant.

Audierunt aũt de te.) κατηχήθησαν. Idẽ uerbũ unde diximus dici catechumenos. Eodẽ utitur paulo post. ὅτι ὦν κατήχηνται. Nec est discessionẽ, sed ἀποσασίαν, id est, Defectionẽ. Eorũ qui per gẽtes sunt Iudæorũ.) τοὺς κατὰ τὰ ἔθνη πάντας Ἰουδαίους, id est, Eos qui in gentibus sunt oẽs Iudæos. Offendit interpretẽ geminus accusatiuus additus uerbo docendi. *κατηχήθησαν. audierunt.*

Neq; secundum consuetudinem ingredi.) μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν, Neq; iuxta consuetudines ambulare. Nam ambulare uocat uiuere, & cõsuetudines, instituta & morem eius gentis. Nec est, Falsa sunt, sed οὐδέν ἐστιν, id est, nihil sunt. Atq; ex hoc sanè loco Iacobus uidetur, tum adhuc in ea fuisse sententia, ut existimaret Iudæis aliqua ex parte seruandam esse legem Mosaicam, cum Petrus & Paulus gentilium more uixisse legantur. Nõ quod illam existimaret necessariam ad salutem, sed utilem ad uitandum offendiculum infirmorum, cum Paulus putaret iam esse tempus negligẽdi eam superstitionem, utpote uergentem in magnum discrimen Euangelicæ doctrinæ. Nec est, Sanctifica te, sed ἁγνίσθητι, id est, Purifica te. Et paulo post, purificatus ἁγνισθείς.

Concitauerunt omnem.) συνέχεον, id est, Confundebant, siue conturbabant, & Totũ potius quàm omnẽ. Nec est populum, sed ὄχλον turbam, siue multitudinem. Et Succurrite, potius quàm adiuuate, βοηθῆτε. Nam adiuuat, qui est particeps operis. Et Hic est homo, ὁ ἄνθρωπος, id est, Ille homo.

Omnes ubiq; docet.) Periit apud nos gratia schematis, πάντας παντα χοῦ, id est, Omnes omni in loco. Nec est, Violauit sanctum locum istum, sed κεκοίνωκε, id est, prophanauit, siue ut Hebræi loquuntur, communem reddidit.

Certum cognoscere.) τὸ ἀσφαλές. Recte sanè hoc. At cur non itidem transtulit in præfatione Euangelij, τὴν ἀσφάλειαν certitudinem.

Iussit eũ duci in castra.) εἰς τὴν παρεμβολήν. Ita uocat locũ cõmunitum. Cæterum quidam ex castris fecerant carcerẽ, & ob id admonendũ duximus, ne serpat id mendi latius.

Nõne tu es Aegyptius ille.) Aegyptij male audiebant olim, tanquam malarum autores artium. Id quod non paucis locis indicat Iuuenalis, ac Lucianus. Quin & prouerbijs aliquot huius gentis mores notati sunt, quæ recensuimus in Chiliadibus nostris.

Et sicariorum.) Græce scribens, usus est uoce Latina, id quod iam nouum uideri non potest cum toties sit obuium.

Tarsus Ciliciæ

A Tarso Ciliciæ.) ταρσεὺς τῆς κιλικίας, id est, Tarsensis, quæ est ciuitas Ciliciæ. Est aũt metropolis eius regionis. Nec est Ignotæ, sed ἀσήμου, id est, obscuræ, nisi quod ignotos homines Horatius, dixit obscuros & ignobiles. Testatur idem Stephanus de nominibus urbium, hãc ἐπισημοτάτην appellans, hoc est, primariam ac præter cæteras insignem, olim dictam Terson p epsilon, siue quod illic à diluuio primũ apparuerit terra sicca, siue quod illic delapsus Pegasus, talo fracto, quem illi ταρσὸν appellant, claudicationem contraxerit. Porrò quãtumuis fuit celebris alijs nominibus, nullo tamẽ insignior, quàm quod illi Paulum debemus, usq; adeo præcipuum Christianæ philosophiæ præconem ac propugnatorem, ut ni ille nobis diuino munere contigisset, periculum fuerit futurum, ne Christiani omnes in seruilem illam & humilem Moysi legem relaberẽtur. Quanq; nũc quoq; ratione magis q; numero ceremoniarum ab illis differimus: eò Christus progressu tẽporum recidit. Est & alia eiusdem nominis in Bithynia. Rursus alia quæpiam in India, ut indicat Hieronymus in cõmentarijs quos conscripsit in Ionam. Iosephus putat Tarsum Ciliciæ esse in quam fugerit Ionas. Porrò quod quidam legunt municeps, quidã ciuis, Græcis est πολίτης, id est, ciuis. Verum opinor interpretem offensum affinitate uocum, ciuitatis & ciuis, quæ tamen eadem est in sermone Græco, πόλεως πολίτης, Subest & amphibologiæ nõnihil, uidetur enim πόλεως apposititiue iũgi Ciliciæ, quũ pertineat ad Tarsum.

EX CAPITE VIGESIMOSECVNDO.

Reddo rationem.) ἀπολογίας. Quod & defensionẽ & excusationẽ significat.

Iuxta ueritatẽ paternæ legis.) κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, id est, Iuxta exactam rationẽ patriæ legis, siue iuxta rigorem patriæ legis. Et patriæ potius q; paternæ, cũ non de patre suo, sed de omnibus maioribus sentiat.

Aemulator legis.) ζηλωτὴς τοῦ θεοῦ. i. Aemulator dei, legim⁹ apud Græcos.

Sicut princeps sacerdotum.) ὡς καὶ ὁ ἀρχιερεύς μαρτυρεῖ μοι, id est, Quemadmodum & pontifex mihi testis est. Et rursum αὖθις αὖ, Omnes maiores natu, cum Græce sit πᾶν τὸ πρεσβυτέριον, id est, Omnis presbyterorum ordo. Opinor enim hic de dignitate sentiendum, non de ætate.

Ad fratres.) πρὸς τοὺς ἀδελφούς, Aut fratres hic dicit Iudæos, aut πρός rectius uertisset aduersus, si fratres dixit Christianos.

Vt adducerem inde uinctos.) ἄξων καὶ τοὺς ἐκεῖσε ὄντας δεδεμένους, id est, Adducturus & eos qui illic essent, uinctos Hierusalem.

Circumfulsit me lux copiosa.) περιαστράψαι, est circumfulgurare, potius quàm circũfulgere. Quemadmodum indicatum est & ante.

Et decidens in terram.) ἔπεσά τε εἰς τὸ ἔδαφος, id est, Cecidiq; in solum, Id enim sonat ἔδαφος, etiam si saxeum sit, aut ligneum.

Saule Saule.) Græci legunt Saul Saul, Hebræorum more. Cũ illi Christus Hebraice loqueretur, ut posterius testatur ipse Paulus.

Et qui mecum erãt, lumen quidem uiderunt.) His addunt Græci, καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο, id est, Et territi sunt, deinde adijcitur, Vocem autem non audierunt, quæ loquebatur mecum. Equidem non possum, non uehementer probare diligentiã Laurentij Vallæ, qui cũ homo rhetoricus esset, ut uulgus existimat, certe theologiam non profiteretur, tamen uigilantia

Vallæ diligẽtia.

gilantia tanta ueſtigarit,quid in ſacris literis,aut diſſideret,aut conueniret,aut deprauatũ eſſet.Cũ hodie tot ſint Theologorũ,auſim dicere milia,qui uſqʒadeo nõ utant hac conſe rendi diſquirendiq; ſolertia,ut ne id quidẽ cognitũ habeant,q̃ lingua ſcripſerint apoſtoli. Et cũ forte fortuna audiunt Marcũ,Lucam,Paulũ, Petrum, ac Ioannẽ Græce ſcripſiſſe, uelut ad rem inauditã & incredibilẽ obſtupeſcũt.Alius putat illos nihil niſi Hebraice ſcri pſiſſe,cũ fuerint Hebræi.Alius hæc ab illis ædita credit,quæ nos uulgo legimus,tanta eſt in re tam neceſſaria ſocordia.Rogat aũt qui cõſiſtere poſſit,ut cũ Lucas ſuperius cap.ix. ſcripſerit eos qui Paulo comites erant,uocẽ quidẽ audiſſe,cæterũ neminẽ uidiſſe,hic ne/ get eos audiſſe uocẽ loquẽtis cũ illo,ſed tantũ uidiſſe lumẽ.Deinde qui cõueniat,ut cũ il/ lic dicant ſtetiſſe ſtupefacti,paulo poſt,nimirũ cap.xxvi.hãc eandẽ rem exponẽs Agrip/ pæ Paulus,dicat oẽs fuiſſe collapſos in terrã,quod hic de ſe tãtũ narrat. At illic, Die,inqt, media in uia uidi rex,de cœlo ſupra ſplẽdorẽ ſolis circũfulſiſſe me lumen,& eos qui ſimul mecũ erãt,oẽsq; cũ decidiſſemus in terrã,audiui uocẽ mihi Hebraica lingua dicentẽ, Saul Saul.Quomodo factũ eſt,ut pugnantia ſcripſerit Lucas,& illic ſub perſona ſua referat co mites audiſſe uocẽ loquentis,cũ Paulus hic rurſus ipſe narret uocẽ uni ſibi fuiſſe auditã? Nam quod differit de ſtando & cadendo,nõ ita magni negocij eſt diſſoluere.Siquidẽ fie ri poteſt,ut ad primũ pauorẽ collapſi,mox erexerint ſeſe,Paulo adhuc iacente. De uoce audita & non audita,durior eſt nodus.Recentiores utcũq; tergiuerſanť,cũ aiunt uocem quidẽ,hoc eſt,ſonitũ uerborũ auditũ, cæterũ uerba uni Paulo percepta,ita factum,ut au/ dita fuerit uox,& eadẽ non audita. Valla magis exiſtimat ſuperiorem locũ,in quo Lucas hanc hiſtoriam ſub ſua ipſius perſona recenſet,fuiſſe deprauatũ,tranſpoſitis duabus uo/ culis,ijſq; inter ſeſe nõ admodũ diſſimilibus apud Græcos dũtaxat,φῶς & φωνὴ, cæterũ à Luca ſic fuiſſe ſcriptũ, Videntes quidẽ lumẽ,neminẽ aũt audiẽtes. Huic ſentẽtiæ quantũ tribuendũ ſit,alij uiderint,Petrus Comeſtor per aliã rimã elabiť.In capite nono dicũť au/ diſſe uocẽ loquentis,nõ Chriſti cõpellantis,ſed Pauli reſpondentis.Hic quum Paulus ne gat illos audiſſe uocem,de Chriſti uoce ſentit.

Excuſſa le/ ctionis ueri/ tas.

Quæ te oporteat facere.)In nonnullis ſic habebatur,περὶ πάντων ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι, id eſt,De oẽibus quæ ordinata ſunt tibi ut facias.In alijs rurſus tantũ erat, τί σε δεῖ ποιεῖν, aut ποιῆσαι, id eſt,Quid te oporteat facere.

Cũ nõ uiderem præ claritate luminis.) ἀπὸ δόξης τοῦ φωτὸς ἐκείνου,id eſt, Præ gloria lu minis illius. Ananias quidã uir ſecundũ legẽ teſtimoniũ habẽs.) Græci codices nõni hil addunt, ἀνανίας δέ τις,ἀνὴρ εὐλαβὴς,κατὰ τὸν νόμον μαρτυρούμενος ὑπὸ πάντων, id eſt, Ana/ nias aũt quidam, uir pius, ſiue religioſus,in lege teſtimonio probatus omniũ habitantiũ in Iudæa. Laurẽtius indicat ſe in uno Latino codice reperiſſe additũ quod Græcæ uoci reſponderet,Ananias quidã,uir timoratus. Timoratum enim pro religioſo dixit. Cæterũ pro εὐλαβὴς in nõnullis exemplaribus erat εὐσεβὴς,hoc eſt,pius.Et quod hic uertit,

Secundum legem,uerti poterat & In lege.Poteſtq; ea particula utroq; uerſum referri, ad ſuperiora,ut ſit ſenſus,religioſus ſiue pius in lege,ſiue iuxta legem,non iuxta euange/ lium,aut ad ſequentia,Probatus omnium teſtimonio in lege,ſiue iuxta legem.

Ab omnibus cohabitantibus Iudæis.) Habitantibus eſt,ſiue inhabitantibus κατοικοῦ/ σιν.Et quidam Græcus codex habebat aſſcriptum,ſed in ſpacio dirimente uerſus,τῷ δα/ μάσκῳ, ab omnibus habitantibus Damaſci Iudæis.

Reſpice.)ἀνάβλεψον,hoc eſt,Recipe uiſũ,ſiue attolle oculos,ut mox,Et reſpexi,ἀνέβλεψα. Præordinauit te.) προεχειρίσατο,id eſt,Præparauit te,ſiue prius apparauit te.Niſi quis ma lit προεκυρώσατο,id eſt,prius ſtatuit.Cæterum id non erat in ullis Græcorũ exemplaribus. Nec Ananias hic agit de prædeſtinatione diuina,ſed de ruina ac cæcitate Pauli,quibus re bus Chriſtus iam agebat & aggrediebatur, ut hac occaſione cognoſceret euãgelij fidem. Nec annotatio mea excludit prædeſtinationẽ,ſed explicat,pprietatẽ Græcæ uocis.Chry ſoſtomus hunc enarrans locum nullam facit mentionem prædeſtinationis.

Reſpice ἀνάβλεψον.

Vt uideres iuſtũ.)τὸ δίκαιον,id eſt,Iuſticiã,ſiue Id quod iuſtũ eſt,hoc eſt, cernas id quod antehac zelo legis excæcat9nõ uidebas.Rurſum in alijs habebaťτὸν δίκαιον,hoc eſt,Iuſtũ illum,uidelicet Chriſtũ,idq; congruit cũ eo quod ſequiť,Et audires uocẽ ex ore eius. Vi/ deť em̃ ſentire de lucẽ quã uiderat,& uoce Ieſu quã audierat. q̃q; & mox narret quomõ

uiderit & audierit dñm in tẽplo. Quæ uidisti & audisti.) ὧν ἑώρακας. Articulus post positiuus, iuxta Græcorum idioma, congruit antecedenti pronomini quod subauditur, eorum, dissidens à suo ipsius uerbo. Interpres bene adiecit de suo eorum.

Ego stabam & consentiebam.) Hic Græci addunt duo uerba τῇ ἀναιρέσει αὐτου, id est, Morti eius, καὶ αὐτὸς ἤμην ἐφεστὼς καὶ συνευδοκῶν, id est, Et ipse eram assistens & comprobans interfectionem eius.

Tolle de terra huiusmodi.) τοιοῦτον, id est, Talem, ut ad Paulum referatur. Vnde nõ male addidisset, huiusmodi hominem. Et mox,

Non est, fas, sed καθῆκον, id est, Non conuenit siue non decet.

Et flagellis cædi & torqueri.) ἐκέλευσεν αὐτὸν ὁ χιλίαρχος ἄγεσθαι εἰς τὴν παρεμβολὴν, εἰπὼν μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτὸν, id est, Iussit eum tribunus duci in castra, dato mandato, ut flagris examinarent eum. Nec aliud fuisse iussum, indicant ea quæ sequuntur, ut illud interim dissimulem, quod Si hominem Romanum dixit, pro an hominem, quandoquidem adeo cõstanter id facit, ut suo iure uideatur facere.

Multa summa.) πολλοῦ κεφαλαίου. Ita Græci uocant supputationẽ in summam subductam. In nõnullis legimus Hanc ciuitatem, in alijs ciuilitatem, Græce πολιτείαν. Laurentius magis probat ciuilitatem, ego contra ciuitatem. Quandoquidem ciuitate donati dicuntur Latinis, quibus ius ciuitatis concessum: & ut Græcis à πολίτης πολιτεία, sic nobis, à ciue ciuitas dicitur. Beda subindicat in nonnullis codicibus sermonem fuisse magis dilucidum, in quibus sic erat scriptum, Dixit tribunus, tam facile dicis ciuem Romanum esse te. Ego enim scio, quanto precio ciuilitatem possedi istam. Nec est Consecutus sum, sed ἐκτησάμην, id est, Paraui, quod ante uertit, Possedit agrum de mercede iniquitatis.

Volens scire diligentius.) τὸ ἀσφαλὲς, id est, Certum, ut & superius uerterat certius, quod nunc uertit diligentius.

EX CAPITE VIGESIMOTERTIO.

Percutiet te deus.

Percutiat te deus paries.) In plerisq; Latinis exemplaribus, percutiet mutatum erat in percutiat, quasi Paulus imprecaretur pontifici malum. At Græci legunt τύπτειν σε μέλλει, id est, Futurũ est, ut te percutiat deus. Atq; ita citat Augustinus libro secundo commentariorum, quos scripsit de sermone domini in monte habito. Rursum in epistola quinta ad Marcellinum, ubi declarat & interpretatio quam subijcit, quod percutiet, legerit uerbo futuri temporis. Succedit enim, ut qui saperent, intelligerent destruendum esse aduentu Christi parietem dealbatum, hoc est, hypocrisin sacerdotij Iudæorum. Ad eundem modum legit & interpretatẽ Chrysostomus. Nec in his apud Græcos est facilis scripturæ deprauatio, nisi quis locum hunc studio mutauit, ne Paulus uideretur oblitus exempli Christi, qui similiter accepta plaga, mansuete tranquilleq; respondit, quicq; iussit ut bene precaremur male precãtibus, bene mereremur de male merentibus. At si Paulus tãtum prædixit futurũ ut deus illum feriret, cur mox uocant maledictum: & ipse ueluti redarguens seipsum, scriptum est inquit, Principi populi tui non maledices, nisi forte qui commoto animo prædicit euentu rum, is maledicit. Quanquam de conuicio facile sit explicare, quandoquidem in pariete dealbato manifestum conuicium est. Sed qui potuit fieri, ut Paulus non agnosceret primarium sacerdotem, uel ex ipso ornatu, præsertim homo Iudæus nusquam loci non uersatus: Deinde cur recantat, non quod homini maledixerit, sed quod principi populi: At sanè iudicem esse sciebat, etiam cum cõuicium diceret: Tu, inquit, sedens iudicas me secũdum legem. An cæteris licet maledicere, soli principi non licet: At Christus noluit cuiq; omnino maledici. Diuus Hieronymus adducens hunc locum in dialogis aduersus Pelagium, excusat quidem Paulum, attamen fatetur eum non præstitisse mansuetudinẽ eam, quam præstitit Christus. Verum hoc scripsit Hieronymus undecũq; suam muniens causam, & in ipso quoq; Christo aliquod imperfectæ pietatis uestigium inquirens. Nec ipse dissimulat, aliud esse colligare nodis aduersariũ, aliud docere discipulum. Aliud agit qui pugnat, aliud qui exhortatur, aliud qui deterret. Deinde ut sunt diuersa hominũ ingenia & instituta, ita sunt & diuersæ sententiæ. At nos nulla harum rerũ habita ratione, ex quouis cuiusuis operis angulo, tria uerba decerpimus, & inde contexto syllogismo, nouũ ædi-

mus

mus oraculum.Equidem non nego Paulum non caruisse prorsum humanis affectibus, cum ipse meminerit de stimulo carnis,& constet inter Barnabam & ipsum, nempe duos optimos uiros,dissidium aliquod extitisse.Cæterum hoc loco consentaneum est Paulum non ignorasse summum sacerdotem, nec tamẽ illi male precatum hoc animo quo uulgus iritatum solet,sed apostolico spiritu incanduisse aduersus eum,qui cum optimi uiri teneret locum,ne speciem quidẽ æquitatis præberet,quam præstabant etiam ethnici.Sic Petrus incanduit aduersus Ananiam & Sapphiram.Sic hic ipse Paulus aduersus Elymam magum.Quid igitur est quod excusat se,Nesciebam quod esset pontifex? Nimirum cessit tumultui,& se ignorasse pontificem dicit,qui se non pontificem, sed tyrannũ re declarabat.Itaq; gemino nomine concedit turbæ.Primum agnoscens esse pontificẽ,qui re ipsa non erat nisi paries dealbatus, deinde conuicium esse non negat,quod illis uidebatur cõuicium,cum non esset conuicium,sed libera obiurgatio.Chrysostomus indicat quibusdã hoc per ironiam uideri dictũ,Nesciebam quod pontifex esset. Verum ipse prorsus asseuerat illum uere ignorasse:uel quod diutius abfuisset à consuetudine ludæorum, uel quod Ananiam in turba multorum non agnosceret.Beda non dissentiens à Chrysostomo, addit argutam magis quàm ueram interpretationem:Nesciebam eum esse pontificẽ, quod per Euangelium iam cessasset sacerdotium Mosaicum,& tamen ita corrigit se quasi peccasset,ut alios doceret deberi reuerentiam ijs,in quorum potestate sumus.Porrò testimonium quod adduxit,extat Exodi capite uigesimosecundo:Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices.Siquidem illi iudices ac magistratus deos uocant.

Vafricies Pauli.

Nesciebam fratres quia pontifex est.) Quia,redundat Latinis,apud Græcos nonnunquam additur affirmandi causa.Annotauit & Augustinus libro de Geneseos locutionibus primo,quia,sæpe redundare in sacris libris,uelut illo loco,Et dixit,quia dominus est in loco hoc,ego autem ignorabam.

Quia,superfluum.

Et soluta est multitudo.) ἡ δὲ ἐχίσθη, id est secta est.Interpres legisse uidetur ἐλύθη,

Quid si spiritus aut angelus.) Græci secus legunt, εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, ἢ ἄγγελος, μὴ θεομαχῶμεν, id est, Quod si spiritus locutus est illi aut angelus,ne pugnemus cũ deo: quo uerbo usus est ante Gamaliel.Hæc clausula,Ne repugnemus deo, non habebatur in nostris exemplaribus Latinis,& asscriptam apparet ex superioribus.

θεομαχῶμεν

Deuouerunt.) ἀνεθεμάτισαν. Quod tamen eleganter uertit interpres.Demiror equidẽ quis hoc indicarit Carrensi, Græcis hoc loco scriptum anathematizauerunt. Et paulo post Deuotione deuouimus, ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν, id est,Execrari seipsum,ac dijs manibus,ut ethnici loquuntur,deuouere.

Deuouere.

Notum facite tribuno.) Græca nonnihil dissonant à nostris, νῦν οὖν ὑμεῖς ἐμφανίσατε τῷ χιλιάρχῳ, καὶ τῷ συνεδρίῳ, ὅπως αὔριον αὐτὸν καταγάγῃ πρὸς ὑμᾶς, ὡς μέλλοντας διαγινώσκειν ἀκριβέστερον, τὰ περὶ αὐτου, id est, Nunc igitur indicate tribuno & concilio,ut cras eum producat ad nos,uelut disquisituros exactius de causa illius.Cum hac lectione concordat Aldina æditio,tametsi nonnulli Græci codices propemodũ consentiunt cum nostris exẽplaribus,in quibus est, ὑμᾶς uos,pro ἡμᾶς,& μέλλοντες, pro μέλλοντας.Atq; ita sensus erit, Nos planè decreuimus quocunq; periculo Paulum occidere,uos adiuuate,ut tantũ producatur ad populum,abutentes hoc prætextu,quasi uelitis exactius de causa disputare. Alioqui sciebant tribunum non producturum Paulum cognitis insidijs.Atqui sic exponit Carrensis,uelut hoc ipsum uoluerint nunciari tribuno & concilio, quod destinassent per tumultum occidere Paulum.Iam uero Lyranũ apparet ita legisse, Nunc autem uos notum facite tribuno cum concilio,quomodo legitur in nõnullis Græcis exemplaribus. Id cum idem ualeat,sic interpretatur & ordinat, Vos,inquit,cum cõcilio,id est, uos simul conciliati Pharisæi & Sadducæi,ne per uestram dissensionem impediatis mortem Pauli. Eamus nunc & negemus quicquam referre utrũ Græca quis conferat an non. Iam non satis intelligo cur quibusdã hic magis arrideat,ut μέλλοντας uertat per debet uerbum.Fingit enim hoc futurũ, & ideo apponitur ὡς. Nec usquam comperi μέλλω sic usurpatũ,nisi quod indocti dicunt uult uenire,& debet uenire,pro, uenturus est.

Carrensis & Lyranus.

Tanquam aliquid certius inquisituri sint de illo.) Si πωθάνεσθαι referatur ad tribunum & consilium,fortasse cõgruentius erat,auditurí. Nam Græca uox anceps est, præsertim

cum

cum præcesserit διαγινώσκω, quod magis uidetur ad iudicem pertinere, quàm actorem. Atq; ita in priore parte legendum μέλλοντες, non μέλλοντας, & nominandi casus accipiẽdus esset pro gignendi casu, absolute posito. Iam πρὸς ἡμᾶς an πρὸς ὑμᾶς legendũ sit, expendendũ est. Quoniam hæc nota fecisset sibi.) Interpres bene mutauit personã secundã in tertiam. Nam Græce est παραγγείλας μηδενὶ ἐκλαλῆσαι, ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρὸς μέ, id est, Iussitq; ne cui efferret quod hæc indicaueris mihi. Nisi mauis infinitũ modũ positũ uice imperatiui, quemadmodum nos uertimus, μηδενὶ ἐκλαλῆσαι, ne cui patefacias.

Et lancearios ducentos.) δεξιοβόλους, quod dextra mitterent hastilia. Siue, ut in alijs legitur, δεξιολάβους. Nam olim ferè missilibus utebantur. Ac mox,

Et iumenta præparate.) κτήνη παρασχεῖν, id est, Iumentaq; exhibere. Et hic usus est infinito pro imperatiuo.

Desunt in Græcis.

Timuit enim, ne forte raperent eum Iudæi & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tanquam accepturus pecuniam.) Quæ hactenus recensui, omnia desunt in Græcis exemplaribus, quæ quidem mihi uidere contigit. Nec offendit hic locus Laurentium Vallam. Vnde apparet aut exemplar illius hæc habuisse, aut non animaduertisse. Certe Lyranus negat hæc haberi in libris emendatioribus, uerum hoc glossema adiectum fuisse in margine, quod inscius quispiam retulerit in contextum. Certum est autem hoc non somniasse Lyranum. Iam nec Chrysostomus enarrans hunc locum, legit aut exponit, quæ nos ostendimus in Græcis non haberi.

Optimus κράτιστε.

Optimo præsidi.) τῷ κρατίστῳ. Græca uox magis competit in potentem, quàm in bonũ uirum, ut dictum est in præfatione Lucæ in suum euangelium.

Per noctem in Antipatridem.) Nihil opus erat præpositionem apponere, cum Antipatris uocabulum sit ciuitatis Palæstinæ ab Antipatro patre Herodis sortita nomen.

De qua, puincia esset.) ἐκ ποίας ἐπαρχίας. Quod sanè nõ inelegãter reddidit interpres.

EX CAPITE VIGESIMOQVARTO.

Vi adierunt præsidem.) ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ τοῦ Παύλου. Sensum quidẽ probe reddidit interpres: Adeunt enim iudicem, qui deferunt reum. Cæterum ἐνεφάνισαν sonat significarunt, nisi subaudias ἑαυτούς. Quidam depraua te legebant audierunt pro adierunt.

Oratio rhetorica, nõ Apostolica.

Et multa corrigantur per tuam prouidentiam.) Græcis est non, ἀνορθωμάτων, sed κατορθωμάτων, quod rem cum uirtute & laude factam significat, interprete Cicerone, quod Latini uocant officium, à uerbo κατορθόω. Sensus enim est, cum per tuam prouidentiam multa fruamur pace, multaq; officia præstes huic populo.

Suscipere, pro approbare.

Suscipimus optime Felix.) ἀποδεχόμεθα. Quo uerbo nonnunquam & Paulus usus est pro approbare & amplecti.

Optime Felix.) Græce nõ est βέλτιστε, sed κράτιστε, quod ut modo dixi, magis sonat potentissime. Nos uertimus præstantissime.

Ne diutius te protraham.) ἐγκόπτω, id est, Impediam siue morer, aut detineam. Et pro tua clementia, est ἐπιεικείας, quod aliâs humanitatem, aliâs æquitatem uertunt.

Hominem hunc pestiferum.) Græcis non est pestiferum, sed λοιμὸν, hoc est, pestem. Quemadmodum exitialem uocant ὄλεθρον, id est, exitium. Nec est hominem, sed uirum.

Et autorẽ seditionis sectæ.) Seditionis, abest in Græcis codicibus, πρωτοστάτην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, id est, Autorẽ seu præfectũ sectæ seu factionis quæ dicit̃ Nazarenorum.

Etiam templum conatus est uiolare.) βεβηλῶσαι, id est, Prophanare, nimirum quod in duxerit Græcos. Ne quis imaginetur accusari Paulum quod uim admouerit templo.

Quem & apprehensum uoluimus secundum legem nostram iudicare. Superueniens autem tribunus Lysias, cum ui magna eripuit eum de manibus nostris, iubens accusatores eius ad te uenire.) Hæc omnia deerant in multis exemplaribus Græcis. In uno duntaxat reperi asscripta, sed minutissimis formulis, idq; in spacio marginali. Vnde & adiecimus. Quin & Beda, ni fallor, in glossa quã ordinariã uocãt indicat in Latinorũ codicibus aliquot uersus defuisse, qui Græcis legãtur ad hãc sententiã, Quẽ apprehẽdimus &c. quẽ admodum modo retulimus. Porrò non dissimile ueri est, Bedæ fuisse cõmentariolos aliquos Hieronymi qui nobis non extent. Siquidem Bedæ rarum est citare autorẽ, sed alienis ferè

nis ferè abutitur pro suis. Illud mirum, hæc quæ notat olim desiderata in Latinorum codicibus, nunc constanter in his haberi, & in pleriſq; Græcorum codicibus desiderari. In peruetusto codice, quē nobis exhibuit Constantia eadem desiderabantur. Fieri potest, ut alius adiecerit è narratione capitis prioris, ubi legitur, Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus, ne discerperetur Paulus, iussit milites descendere, & rapere eū de medio eorū. Aut potius ex epistola Lysiæ, Virum hunc comprehensum à Iudæis, & incipientē interfici ab eis, superueniens cū exercitu eripui. Porrò quod his è medio sublatis non uidetur cohærere sermonis ordo, secus habet. Potest enim sic legi, Quem & apprehensum uoluimus secundum legem nostram iudicare, à quo poteris iudicās ipse de omnibus istis cognoscere. De Paulo comprehenso fuerat mentio, & illū hic repetit à quo poteris. Nec erat opus narrare illum deductum ad Felicem, cum id ipsa res loqueretur. Pro superueniens, quidā Latini codices habebant intercedens.

A quo poteris ipse iudicans.) Cum Græce sit ἀνακρίνας magis hic quadrabat, Interrogans, siue facta interrogatione, aut ut nos uertimus, Inquisitione facta.

Annuente sibi præside.) νεύσαντος αὐτῷ τοῦ ἡγεμόνος, id est, Cum annuisset ipse præsul. Interpres legisse uidetur αὐτῷ, nec admodum refert.

Bono animo, p me satisfaciā.) εὐθυμότερον τὰ περὶ ἐμαυτοῦ, seu περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι, id est, Aequiore animo, p mea causa respōdeo. Est em̄ præsentis tēporis ἀπολογοῦμαι, qd̄ interpres uarie uertit. Est aūt ꝓprie apologia, oratio qua se defendit apud iudicem reus.

Neq; ꝓbare possunt tibi de qbus nūc me accusant.) οὔτε παραστῆσαί με δύνανται, περὶ ὧν κατηγοροῦσί μου, id est, Nec exhibere me possunt in his de quibus accusant me. Exhibere dixit, p cōuincere. Secundū sectam quā dicunt hæresim.) Cum hæresis apud Græcos, nihil aliud sit q̄ secta, quid uenit interpreti in mentē, ut Latinā uocem interpretaretur per Græcam, sed idem significantē? An uerebatur, ne quis parum intellecturus esset uocabulum sectæ, & ob id Græca uoce ceu notiore explicuit? Quapropter sciat lector Græcis non esse sectam, alioqui bis erat dicendū, secta, & secta, sed ὁδὸν, id est, uiam, κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, id est, Iuxta uiam quam dicunt hæresim, siue sectam. Exponit enim Paulus quid dixerit uiam, hoc est uitæ institutū, quod notiore uerbo sectam uocant. Sentit enim de secta Pharisæorum, quæ cæteris antecellebat eruditione. Cæterum hæresis apud ueteres non erat tam odiosum uocabulum, quàm est hodie apud Christianos. Quibus cum summa competat concordia, utpote eiusdem corporis membris, iure uidelicet optimo inuisum est, sectæ uocabulum, diuisionem sonans. Quod annotauimus de uia & hæresi, post comperimus à Beda notatum in glossa ordinaria. Quanquam illi non omnino assentior quod addit, ab incredulis hæresim appellari, cum eo seculo nondum esset infame uocabulum hæreseos, imò potius exponit nota uulgo uoce, quod Hebraice magis quàm Græce dixerat uiam.

Ridicule Latinam uocē per Græcam interpretatur.

Deseruio patri & deo meo.) Primum deseruio est λατρεύω, quod est cultum exhibere, à quo uerbo dicta est Theologorum latria. Quo quidē in loco nescio quid sibi uelit Hugo Carrensis, excusans Paulum quod sese hic æquarit prophetis, cum nihil huiusmodi percipi possit ex uerbis Pauli. Deinde non est,

Patri, & deo, sed patrio deo, τῷ πατρῴῳ τῷ θεῷ. Quod tamen haud accidit interpretis uitio, sed librariorum errore. Neq; uero hoc loco dormiuit Carrensis, addens quod deum patrem suum dixerit Paulus, cuius filius demonstraretur, non seruus. Quasi uero Paulus ullo titulo magis soleat gloriari, quàm quod seruus esset dei ac Iesu Christi. Se nunquam uocat filium, nisi cum de omnibus in genere facit uerba, ut illic, Quod sumus filij dei. Porrò patrium deum uocat, quod idem esset cuius cultum à maioribus suis accepisset, ne uideretur abrogare religionem Iudæorum.

Patri & deo pro patrio deo.

Sine offendiculo conscientiam.) ἀπρόσκοπον συνείδησιν, ueluti dicas, inoffensam cōscientiam, siue expertem offensæ, hoc est, quæ nusquam offendat.

Sermo inabsolutus.

Quidam autem ex Asia Iudæi.) Nō est absolutus sermo, nisi subaudias aliquid. Et, qd̄ demiror, sensit hoc Carrensis, ac supplendum autumat, uiderunt me in templo. Quasi uero id quicq̄ ad huius causæ defensionem pertineat, si uisus est ab Asianis Iudæis in tēplo. Ego puto è proximo sarciendum quod deest. Nam cum modo dixerit se fuisse purifica-

tum

tum in templo,sed citra tumultum,subijcit,Cæterum quidam Asiani Iudæi,subaudias, concitarunt eum tumultum,non ego.Ad hanc coniecturam facit,id quod legimus,cap. nono.Cũ autem septem dies consummarentur,ij qui de Asia erant Iudæi, cum uidissent eum in templo concitauerunt omnem populum,& iniecerunt ei manus. Chrysostomus in cõmentarijs Græcis,non addit coniunctionem δὲ,nec erat in æditione Hispaniensi. Potest & sic accipi,quasi Paulus interrogatus qui nam essent illi à quibus fuisset inuentus in templo,quia tantum dixerat inuenerunt,non designata persona,respondent,quidam aũt ex Asia Iudæi,atq; eos oportebat adesse.Potest & sic intelligi,non omnes fuisse Iudæos Asianos,sed aliquot ex illis:qui hoc commodius poterant adesse,quod essent Asiatici, quemadmodum erat Paulus.

Et apprehenderunt me clamantes & dicentes,tolle inimicũ nostrũ.) Hæc uerba in duo bus peruetustis exẽplaribus S. Donatiani non addebant, ne in Constantiensi quidẽ,qui/bus uerbis submotis una cum coniunctione,quidam ex Asia, refertur ad inuenerunt me.

Nisi de una hac uoce.) Interpres pro ἢ legisse uidetur εἰ μή. Quid autẽ? Agnoscit Pau/lus hoc unum crimen,quod ea uoce concitarit seditionem? Non opinor,ni forte data ope ra hoc admiscuit,quo rursus Iudæos inter se cõmissos à sese auerteret.Rabanus in glossa quam uocant ordinariam,indicat hoc dictum κατ' ἀντίφρασιν, quasi Paulus sensisset hanc uocem non posse uideri causam seditionis,nec in crimen uocandam ab Asianis,qua testa tus est se idem prædicare,quod ipsi crederent.Certe sic legunt Græci, ἢ περὶ μιᾶς ταύτης φωνῆς ἧς ἐκέκραξα ἑστὼς ἐν αὐτοῖς, id est,Aut de una hac uoce qua clamaui stans inter eos,ut sit sensus,Si nihil aliud habent,uel hoc obijciant crimen.Potest ἢ accipi pro ἤ,cum quo uim eandem habet aliquoties nisi,ut nihil aliud habẽt nisi uerba,nihil aliud ἤ uerba.Ac tũ qui dem oportet supplere,quod ultro uidet cõsequi quæ dicta sunt,Aut hi ipsi dicant si quid inuenerũt in me iniquitatis.Sed nõ habẽt qd obijciant,nisi de una hac solũ modo uoce.

Græci dissi/dent à nobis.

Certissime sciens.) ἀκριβέστερον εἰδὼς τὰ περὶ τῆς ὁδοῦ, id est,Cum exacte nosset eam uiã, abusus est comparatiuo uice positiui,ni referas ad Lysiam tribunum,ut intelligamus Fe/lici notiorem fuisse eam sectæ rationem quàm Lysiæ,quod diutius fuisset apud Iudæos magistratu functus.

Vt haberet requiem.) ἄνεσιν, id est,Relaxationem,hoc est,ne durius aut arctius habe/retur.Ac mox, Nec quenq; de suis, κωλύειν μηδένα κωλύσει τῶν ἰδίων αὐτοῦ, ὑπηρετεῖν ἢ προσέρχε σθαι αὐτῷ, id est,Et ne quem familiarium illius uetaret inseruire aut adire eum.ἰδίους enim uocat Pauli uel amicos familiares,uel ministros,uel discipulos.In nonnullis Græcis codi/cibus pro ἰδίων, scriptum erat Ἰουδαίων, id est,Iudæorum.At altera lectio uel hoc nomine mihi magis probatur,quod cum nostra consentiat æditione.

EX CAPITE VIGESIMOQVINTO.



Dieruntq; eum principes sacerdotum.) ἐνεφάνισαν δὲ αὐτῷ, id est, Significa runt ei,idq; priuatim.Superius uertit,notũ facere, ac mox, adire. Interpres legisse uidetur ἐνέτυχον. Nec mihi displicet.Præsertim cũ aliquanto post ubi res narratur Agrippæ,rursus æditio uetus habeat adierunt.

Postulantes gratiam aduersus.) αἰτούμενοι χάριν. Gratiam hoc loco uo/cat fauorem iudicis. Et mox,potentes δυνατοί, hoc est, qui possunt, & quibus commo/dum est,eò nos consequantur.

Dies non amplius quàm octo aut decem.) Græci legunt, πλείονας ἢ δέκα,id est,Plures quàm decem.

Si enim nocui aut dignum.) εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ, id est,Si lædo,aut si iniuriam facio.

Postulantes aduersus illum damnationem.) δίκαν. Quod causam,ac litem, siue ius si/gnificat,nonnũquam & pœnam.Nos uertimus sententiam,uerti poterat cognitionem. Quis enim postulat damnationem à iudice indicta causa? Sed postulabant,ut ficta specie cognitionis Paulus uideretur iure damnatus.Id enim indicant uerba Festi,Non est cõsue tudo Romanis donare aliquem hominem &c.Et tamen qui malunt δίκην uerti pœnam aut damnationem,uerbo magis à nobis dissident quàm sententia.Nec enim in aliud po/stulabant cognitionem,nisi ut damnaretur ficto iuris prætextu.Proinde in horũ gratiam posuimus sententiam pro cognitione.

Aliquem

Aliquem donare priusquam.) In nonnullis scriptũ erat damnare, pro donare, quod præcesserit de postulata damnatione. Cæterum Græce est χαρίζεσθαι εἰς ἀπώλειαν, id est, Donare in perniciem, siue in interitum. Est autem χαρίζεσθαι, in graciam alicuius donare. *Donare in damnare.*

Nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum.) Locus hic apud Latinos nonnihil est corruptus, cum apud Græcos syncerus habeatur, οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον ὧν ὑπενόουν ἐγώ, id est, Nullum crimen intentabant super hisce rebus, de quibus suspicabar ego. Suspicabatur enim eos accusaturos Paulum de alijs rebus, quàm de quæstionibus legis, quas ut superstitiosas negligebant Romani.

Cum multa ambitione.) μετὰ πολλῆς φαντασίας, id est, Cũ multa ostentatione. Nos strepitum siue apparatum dicere possumus. Annotauit hoc ante nos Beda.

Interpellauit me.) ἐνέτυχόμοι, id est, Adijt, siue conuenit me. Quanquam hoc sanè recte uertit interpres.

Adduxi eum ad uos.) ἐφ' ὑμῶν καὶ μάλιστα ἐπί σοῦ, Quod magis sonat Græcis, Ad cognitionem, siue iudicium tuum, quàm ad te, aut ad uos.

Sine ratione enim mihi uidetur.) ἄλογον, id est, Iniquũ, quod uulgo uocãt irrationabile.

EX CAPITE VIGESIMO SEXTO.

Aestimo me beatum.) Vt ne quid causemur, quod pro existimo dixit æstimo, cum Græce sit ἡγημαι, quod Cum sim defensurus, pro quod sim defensurus. Cæterum ἐπὶ σοῦ apud te, belle uertit, cum antea uerterit ad te. Iam cum præcesserit apud te, uide quàm concinne cohæreat, maxime te sciente. Verum illud omnium suauissimum, quod addit, omnia quæ apud nos sunt consuetudines & quæstiones, ceu fas sit ita loqui, omnia consuetudines & quæstiones. At qui Hieronymus in libro quem scripsit ad Pammachium de optimo genere dicendi, citans hunc locum, uertit ad hunc modum, De omnibus quibus accusor à Iudæis ó rex Agrippa, existimo me beatum, cum apud te sim hodie defendendus, qui præcipue nosti cunctas quæ in Iudæis sunt consuetudines & quæstiones. Atq; huius loci per Hieronymum restituti meminit Beda. Nos uertimus hunc in modum, Super omnibus de quibus accusor à Iudæis rex Agrippa, existimo me beatum, qui causam dicturus sim hodie apud te, quod tu maxime sis gnarus earum quæ apud Iudæos sunt & quæstionum, & consuetudinum. Græca sic habẽt, περὶ πάντων ὧν ἐγκαλοῦμαι ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων βασιλεῦ Ἀγρίππα, ἡγημαι ἐμαυτὸν μακάριον, μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ σήμερον, μάλιστα γνώστην ὄντα σε πάντων τῶν κατὰ Ἰουδαίους ἐθῶν τε καὶ ζητημάτων. Quanquam dure congruit, ὄντα σε, nisi forte scribendum erat, ὄντος σοῦ. Hic Beda refert aliam æditionẽ, quæ sic habuerit, Aestimo meipsum beatum apud te, incipiẽs reddere rationem hodie. Libens rogarim istos, qui contendunt hanc translationem esse Hieronymi, & afflatu spiritussancti proditam, & hæreticum esse quicquid ab ea diuersum est, quur Hieronymus ausus est eam immutare? Aut si post hæc emendauit, quur delectatus est inutili solœcismo, præsertim quum Græcus sermo tale nihil habeat. In ὄντα consentiunt Græci codices, nec uideo solutionem, nisi subaudiamus εἰδώς, id est, sciens. *Egregie dormitans interpres.*

Quæ ab initio fuit in gente mea.) Bis est hoc loco ἄνωθεν, quod interpres uertit Ab initio. Significat autem uitæ seriem ab initio usq; ad finem. *ἄνωθεν.*

Secundum certissimam sectam.) κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν. Pharisæorum sectam hæresim uocauit, haud dubie quin in bonam partem. Deinde quod hic uertit certissimam, Græcis est ἀκριβεστάτην, hoc est, Exactissimam ac diligentissimã, quod esset eruditior ac rigidior quàm Sadducæorum, proximeq; ad uerum accedens. *Hæresis in bonam uocem.*

Et nunc in spe quæ ad patres.) ἐπ' ἐλπίδι. Melius erat de spe. Et mox,

Duodecim tribus.) τὸ δωδεκάφυλον. Græcis unica dictio est, quæ significat non unam aut alteram sectã, sed uniuersam gentẽ Iudæorum in duodecim tribus distinctam, cui respondet participium λατρεῦον, quod ut sæpe iam diximus, cultum numinis significat, unde nos uertimus, Colẽtes deum. Cæterum apud nos desunt duo uerba, ᾧ ἐκτενείᾳ, id est, Acriter, siue assidue, ut legas, Duodecim tribus instanter nocte ac die seruiuimus.

Detuli sententiã.) κατήνεγκα ψῆφον. Incertum an sentiat illum adduxisse decretum à synagoga factum, an ipsum quoque suo suffragio damnasse Christianos. Nam fert sententiam iudex, fert suffragium qui dicit in concilio sententiam, & defert minister, aut exequutor.

In posteriore sententia est Lyranus, in priore Rabanus.

In quibus dum irem.) ἐν οἷς, hoc est, In his uersans, & hæc agens, qua figura sermonis & antea semel est usus.

Vt cõstituã te ministrũ.) προχειρίσασθαι, id est, Vt præparẽ, qđ ante uertit, Præordinare.

Eripiens te de populis & gentibus in quas.) Græcis est ἐκ τοῦ λαοῦ, id est, De populo, sentiens nimirum de Iudæis. Et nonnulli Græci codices pro Populo, habebãt, Iudæis. Repetit ad eundem modum paulo post, τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι, id est, Populo & gentibus. Verum apud illos non est, In quas, ut respondeat gentibus, sed οὓς, id est, ad quos, rei magis habita ratione quàm uocis.

Digna pœnitentiæ opera.) Si Digna sumis absolute, bene habet oratio, sin minus, opera digna pœnitentia seu pœnitentiæ sunt, quorum iure pœniteat. de quo nonnihil dictum est nobis, Matthæi capite tertio.

Interficere. διαχειρίζεσθαι

Volentes me interficere.) διαχειρίσασθαι, quod magis significat iniecta manu uiolare, quàm interficere.

Si passibilis Christus.) εἰ παθητὸς ὁ χριστός, An pati debuerit Christus. Sic enim disputabat ex prophetis, ut ostenderet illorum uaticinia competere in Christum. Siquidem hæc referenda sunt ad prædictionem prophetarum, non ad Christum passum, alioqui parum apte cohærebit, Lumen annunciaturus sit populo.

Neq; enim in angulo quicquam horum gestum est.) Nõ displicet quod legit interpres. Græci tamen aliquanto secus habẽt, οὐ γάρ ἐστιν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο, id est, Neq; enim hoc in angulo factum est.

In modico suades.) ἐν ὀλίγῳ με πείθεις. Primum modicum pro paulo, suo more usurpat. Deinde inter suadere & persuadere non sentit esse discrimen apud Latinos, etiamsi apud Græcos unicum uerbum nostris duobus respondet. Cæterum haud erat in procliui commode locum hũc uertere. Valla putat ita reddi potuisse, Parum abest quin persuadeas me fieri Christianum. Cui Paulus dixit: Optarim apud deum, siue parum, siue multum abest. Arbitror & ita reddi potuisse, Aliquantulum mihi persuades ut fiam Christianus. Et Paulus ait: Optarim à deo, ut non solum aliquantulum, uerumetiam multum, neque te tantum, sed & omneis qui audiunt me hodie &c. Neque enim opinor id sensisse Agrippam, parum abesse quin cuperet fieri Christianus, sed aliquantulum huc propensum esse reddi tum oratione Pauli.

EX CAPITE VICESIMOSEPTIMO.



T autem iudicatũ est eum.) ἐκρίθη, id est, Decretum est, siue cõstitutũ. Nec ad Paulum refertur, sed ad regem & præsidem, qui sic statuerant audito Paulo.

Tradiderunt Paulũ cum reliquis custodijs.) παρεδίδουν τόν τε παῦλον καί τινας ἑτέρους δεσμώτας, id est, Tradiderũt tum Paulũ, tum alios quosdã uinctos.

Nauim Adrumetinam.) Carrensis interpretatur Adrumetinam nauem quæ Rhomam petat. Cæterum Adrumetum siue Adrumetium ciuitas est Mysiæ, autore Stephano. Est & Adramyttis insula Lyciæ, & Adrumes Adrumetis ciuitas Aphricæ, unde dicendum erat Adrumetinam, licet in his uariẽt codices. Nam Hieronymus aut si quis alius fuit autor, in Catalago locorum huius operis, indicat Adrumetum esse ciuitatem in Bazatio regione Africæ. Plinius Adrumetum uocat neutro genere. In Græcis codicibus Adrumyttinã legimus. Et Stephanus ab Adramyttio oppido deformat Adramyttenũ.

Myra.

Peruenimus in Lystram quæ est Lyciæ.) κατήλθομεν εἰς μύρα τῆς λυκίας, id est, Deuenimus Myram, quæ est Lyciæ, siue ciuitatem Lyciæ. Pronunciatur autem bifariam, genere neutro & fœminino. Meminit huius Strab. lib. xiiij. Cæterum Lystra Lycaoniæ est, nõ Lyciæ. Carrensis homo uigilans admonet hoc loco apud Græcos haberi Smyrnam, sed ab Hieronymo poni Myrrham. Et omnino in recensione locorum huius operis meminit Smyrnæ Lyciæ, admonens in nonnullis exemplaribus fuisse scriptũ, Venimus in Lystrã quæ est in Cilicia. atq; eo loco pannum suum assuit, nescio quis. Porrò Hieronymus in libris Hebræorum nominum ponit Smyrnam, & interpretatur, amaram. Verum de locis accuratius disseremus in peregrinatione diui Pauli.

Tarde nauigaremus.) Græcis composita dictio est βραδυπλοοῦντες.

Gnidum.)

Gnidũ.) Gnidus insula est opposita Asiæ, spectans prouinciam Cathiam, atq; est eiusdẽ nominis oppidũ in insula Calymna, autore Hieronymo. Recenset & hanc Strab. lib. xiiij.

Iuxta Salmonem.) Salmon ciuitas est maritima insulæ Cretæ, autore Hieronymo. *Boni portus.*

Qui uocatur boni portus.) Boni portus, pluratiui sunt numeri, καλοὺς λιμένας, quanꝯ magis dixit, Pulchros portus quàm bonos. Sentit autem, ni fallor, de ciuitate Cretensium, cui nomen καλὴ ἀκτή, id est, Pulchrum litus, cuius meminit Stephanus.

Cui iuxta erat ciuitas Thalassa.) Indicat & diuus Hieronymus hunc locum corrupte legi Thalassa. Quanquam id ipsum quod uice corrupti uocabuli subiecit, in uulgatis codicibus corruptum erat. siquidem scriptum erat Laphet. Græci legunt Lassæa, quæ & ipsa ciuitas est litoralis Cretæ, haud procul à Bonis portibus. Quidam excusi codices pro Thalassa habebant Thessala. *Lassæa.*

Eo quod ieiunium iam præteriisset.) διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι. Non me fugit quibusdam hic ieiunium esse tempus aliquod, quo ex more soliti sint ieiunare Iudæi. Sed primum quid Centurioni & nautis cum huiusmodi ieiunijs? Deinde, si iam præterierat ieiunium, eo commodior debebat esse nauigatio. Proinde hac quidem in parte sequuti sumus Lyrani sententiam, qui putat illis cum suppeteret commeatus, tamen ob curã ac mœrorem non uacasse cibum sumere. Atq; ideo suadet manendũ, quo liceat reficere corpora.

Consolabatur eos Paulus.) Quid acciderat illis, ut egerent consolatore? Nam Græcis est παρῄνει, id est, Hortabatur siue admonebat, ne longius irent, quanquam ipsa Pauli oratio, quæ mox subijcitur, satis arguit illum non consolari, sed dare consilium. *Consolabatur, pro admonebat.*

Incipit esse nauigatio.) μέλλειν ἔσεσθαι, id est, Futuram esse nauigationem, quod tamen frequenter ad hunc uertit modum.

Deuenientes Phœnicem hyemare.) Phœnicem hic est accusatiuus à Phœnix, quæ Græcis palmam significat: unde & Phœnicen Syriæ partem apparet dictam. Ipse Lucas indicat esse portum Cretæ huius nominis. *Phœnix, portus.*

Ad Africum, & Chorũ.) Ventorum nomina sunt. Duos nominat, quod ad utrunq; uergeret is portus. Dixerit quispiam: Quorsum opus erat hoc admonere, quod nemo nesciebat? Imò quorsum attinebat, ut Hugo Carrensis tantus theologus asscriberet commentarijs, Chorum esse insulam, aut ciuitatem in Creta? Vsqadeo nihil referebat, utrum nouam extrueret insulam, an nouam conderet ciuitatem in uetustissima insula.

Cum sustulissent de Asson.) ἄραντες ἄσσον, id est, Cum sustulissent Asson. Incertum autẽ, an illuc appulerint, & rursum inde soluentes præteruecti sint Cretã, an Asso præterita, putarint se iam esse in tuto. Est enim Assos maritima Lyciæ ciuitas, in ædito sita promõtorio, adeo ut parum tutũ sit accedere. Vnde iocus Nicostrati Citharœdi, ἄσσον ἴθι ὡς κεν θᾶσσον ὁλέθρου πείρατ' ἵκηαι, id est, Asson eas ut citius ad exitij terminos peruenias. Ac Hieronymus quidem Asson ponit in Asia, maritimam urbem, quæ eadẽ dicta sit Apollonia, teste Plinio quoq; libro v. cap. xxx. Cæterum opinor Lucam sentire de Asso oppidulo Cretæ, unde dictus est & Iupiter Asius. Nam adhuc lambebant litora Cretæ. *Assos Cretæ.*

Ventus Typhonicus.) Vnus est è uentis subitis ac repentinis nomine Typhon. Quibus omnibus illud est commune, quod exhalante terra coorti, nubibus obductis inclusi non uno erumpant modo. Nam uagantes, ac torrentium more ruentes, tonitrua & fulgura ædunt. Cæterum maiore illati pondere incursuq;, si flatu siccam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ Græcis dicitur ἐκνεφίας. Sin uero depresso sinu arctius rotati effregerint sine igni, hoc est, sine fulmine, uorticem faciunt, qui typhon uocatur, id est, uibratus Ecnephias. Defert hic aliquid secum è nube gelida abreptum, conuoluens uersansq;, & ruinam suam illo pondere aggrauans, locum ex loco mutãs rapida uertigine. Quod si maiore depressæ nubis eruperit specu, sed minus alto quàm procella, nec sine fragore, turbo dicitur, proxima quæq; prosternens. Idem si fuerit ardentior accensusq;, prester dicit, amburens contacta pariter ac proterens. Porrò typhonẽ Plinius appellat præcipuam nauigantium pestem, ut qui non antemnas modo, uerum etiã ipsa nauigia contorta frangat. Cæterum tanto malo scribit tenui remedio occurri, si acetum in aduenientem effundas, cuius uis frigidissima est. Idem illisu ipso repercussus, correpta secum in cœlum refert, sorbetq; in excelsum. Dictus est autem typhon à Græco uerbo τύφω, quod est inflammo. Rabanus *Typhonicus uentus.*

in gloſſa ordinaria ſuper uerbo typhonicus aſſcribit, Alia translatio uentus tempeſtiuus. Suſpicor aliquem commenti uice aſſcripſiſſe, uentus tempeſtuoſus.

Euroaquilo. Qui uocat Euroaquilo.) Græci pro Euroaquilo legũt εὐροκλύδωμ. uox hinc dicta, quod ingentes excitat fluctus. Verum haud ſcio, an Lucas, tametſi Græce ſcribẽs, effinxerit uocem noſtram, dicens, εὐροακύλωμ. quemadmodum aquilam Paulus quoq; facit ἀκύλαμ. Addidit autem non ſolum cognomen typhonis ut periculum exprimeret, uerumetiam unde erumperet, ut intelligeremus hoc quoq; nomine incommodum, quod non faceret ad inſtitutum curſum, quum Notus ſit accommodus è Syria nauigantibus in Italiam.

Non poſſet conari in uentum.) ἀντοφθαλμεῖμ, quod Græcis ſonat obtueri, hoc eſt, ex aduerſo aſpicere. Porrò qui renititur, obuertit oculos.

Data naue flatibus.) Græcis unica dictio eſt ἐπιδόντες, & referri poteſt ad τῷ ἀνέμῳ, ut ea uox in confinio ſita, utroq; reſpondeat, ad obniti, & data.

Que uocatur Clauda.) Ptolemæo Claudos dicitur, ſpectans Cretam inter meridiem & occidentem, quo magis conſentaneum eſt huc depulſos fuiſſe flatu Euroaquilonis.

Suis manibus armamenta nauis proiecerunt.) αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐξέβαλομεν, id eſt, Noſtris ipſorum manibus armamenta nauis proiecimus. Apparet interpretem legiſſe ἐξέβαλλον, & ad ſenſum perpuſillum intereſt.

Multa ieiunatio.) ἀσιτία, id eſt, Inedia.

Audito me.) πειθαρχήσαντας, id eſt, Obtemperaſſe mihi, tametſi non uideo, cur hoc loco Valla notet interpretem. Nam audit qui obtemperat. Iuſtius annotaſſet quod πειθαρχεῖν proprie dicuntur Græcis, qui obtemperant principibus aut magiſtratibus.

Non tollere à Creta.) Græce eſt, μὴ ἀνάγεσθαι, hoc eſt, Non ſoluere à Creta.

Lucrifacere, pro accerſere Lucriq; facere iniuriam.) κερδῆσαι, hoc eſt, Accerſere ſine cauſa. id enim lucri facere ſonat hoc loco. Et ὕβριν, id eſt, iniuriam, uocat incõmoditatẽ cœli, ac uiolentiã maris. Nec eſt, Suadeo ſed παραινῶ, id eſt. Hortor

Angelus dei cuius ſum.) Incertum erat, utrum Cuius, referat deum, an angelum, niſi ad didiſſet ᾧ καὶ λατρεύω, id eſt, Quem colo, ſiue cui ſeruio.

Apparere ſibi.) προσάγειν, quod magis ſonat accedere, niſi forte interpres legit προσαυγεῖν, id eſt, Affulgere.

Bolis. Submittentes bolidem.) βολὶς dicitur à βάλλειν, quod eſt mittere. Id eſt, pondus funiculo affixum, quo deiecto nautæ explorant altitudinem maris. Idem aliquoties efficiunt haſtili aut conto prælongo demiſſo in mare. & miſſiles haſtæ Græcis bolides dicunt, autore Heſychio. Cæterum Lucas unico uerbo dixit, quod interpres duobus reddidit, βολίσαντες.

Inciperent ancoras extendere.) μελλόντων ἐκτείνειν, id eſt, Extenſuri, quod ſæpenumero fecit interpres. Verum hic duriuſculum erat. Ac paulo poſt, ἄχρι δὲ οὗ ἔμελλεν ἡμέρα γίνεσθαι, id eſt, Cum futurus eſſet dies, hoc eſt, Cum inſtaret dies, & non longe abeſſet.

Animæquiores autem facti.) εὔθυμοι, id eſt, Bono animo, ſiue Recreatis iam animis, poſitiuum eſt, non comparatiuum.

Litus in quem cogitabant.) ἔχοντα αἰγιαλὸν εἰς ὅν. Cur non potius in quod, quàm in quem? quandoquidem αἰγιαλὸς Græcis eſt maſculini generis, quemadmodum & κόλπος. nam terram, opinor, expetebãt. Et multa ſunt litora apud coſmographos, quæ proprio uocabulo Aegiali uocantur, uelut inter Sicyonem & Bupraſium. Eſt & alius finitimus Ponto, poſt promontoriũ Carambin, cuius meminit Homerus. Rurſus eſt Thraciæ apud fluuium Strymonem. Poſtremo eſt Aegialus, cognomento magnus, inter Aegyptum & Aethiopiam. Et Hieronymus hunc locum citans, Aegiali meminit.

Aegiali.

Leuantes artemonẽ.) ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα, id eſt, Sublata artemone. & τῇ πνεύσῃ, quod interpres uertit, Secundũ auræ flatum, puto ad ἐπάραντες eſſe referendũ. ut accipiamus carbaſa oppanſa flatibus, antemna in altum ſubrecta, quo magis uenti arbitrio ferrentur in litus. Cæterum artemon uidetur hic pro ueli genere poſitũ, quod indicauit & Beda in gloſſa ordinaria, à ſuſpendendo nomen habet, ſiue ab aſſuendo. Solet em̃ imis uelis affigi pars aliqua, quo plus uenti concipiant. Sunt qui pro artemone antemonem malint ſcribi.

Dithalaſſus. In locum Bithalaſſum.) Nec expoſuit Græcam uocem interpres, nec nos eam incorruptam ſeruauimus, pro dithalaſſo legentes bithalaſſum. Nam Lucas ſcripſit εἰς τόπον δι-

θάλασσον

διάλασσον, id est, In locum bimarem. Sic enim Horatius in Odis: Bimarisue Corinthi Mœnia. Quod ea sit Isthmos, & utrinque mari alluatur. Contendebant, ut si possent in sinum impellerent nauim. Verum id non contigit, uentis impellentibus in Isthmum aliquam in mare prominentem.

EX CAPITE VIGESIMOOCTAVO.

OVia Mitilene insula uocabatur.) Hugo Carrensis liberum nobis facit, utrum malimus Militenem legere, an Miletum. etiamsi sunt qui corruptius legunt Mytilene. Græci legunt Melite. Ea est insula inter Epirum & Italiam, spectans Siciliam ad septentrionem. Vnde melitæi dicti canes in delicijs habiti. Cuius meminit Strabo libro sexto. Quanquam est Militene Cappadociæ ciuitas. uerum hic insulam uocat. *Melite insula.*

Reficiebant nos omnes. προσελάβοντο, id est, recipiebant.

In tumorem conuertendum.) μέλλειν πίμπρασθαι, id est, Inflammari, siue incendi, quanctę inflammationem comitatur tumor.

Benigne triduo habuit.) φιλοφρόνως ἐξένισεν, id est, Amice tractauit, aut, si dicere liceret, Hospitatus est. Cæterum demiror, qui uerbum tam elegans in mentem uenerit interpreti, tantum abest ut reprehendam quod ille uertit, Habuit, pro tractauit.

Cui erat insigne castrorum.) Castorum esse legendum, indicant etiam recentiores, Lyranus & Carrensis. Nam Græcis est διοσκόροις. Id enim nominis est Castori & Polluci, filijs Iouis & Ledæ. Nam & Beda in glossa quam uocant ordinariam, indicat in nonnullis codicibus scriptum fuisse, pro Castorum, Iouis filij. Credidit antiquitas eos esse deos salutares nauigantibus, si simul apparerent. Apparent autem ignis specie, malo aut antemnæ insidentes, contra diros si singuli aut solitarij. Horum igitur insigne habebat ea nauis. Quæso te lector si libet ridere, legito quæ prodiderit hoc loco Carrensis de insigni castrorũ, quanquam adiecit denicę nescio quis, ueram ac seriam interpretationem. Mihi uidetur totum hoc opus, quod Hugoni tribuitur à multis fuisse cõflatum. Neqę uero minus festiua sunt, quæ prodidit de tribus tabernis. Cæterum ambo Castores nonnunquam uocantur, quũ alteri duntaxat id nominis fuerit. Nos quo minus posthac erraret lector, uertimus Castor & Pollux. *Lyranus & Carrensis.*

Deuenimus Rhegium.) Nam ea ciuitas est Siciliæ maritima, à promontorio Peloro distita uiginti milia passuum, nomen Græcum à ruptura sortita, quod ea Siciliæ pars olim cohærens cum Brutio agro Italiæ, postea mari interfuso sit reuulsa, fretũ quindecim millibus passuum latum intercurrit. In eo Scylla est scopulus, & Charybdis mare uorticosum.

Vsqę ad Appij forum.) Quoniam præcessit, Et sic Rhomam uenimus, ac postea mentio fit de Appij foro, quidam putant Appij forum in urbe Rhoma esse, idqę legitur & in catalogo locorum, quos indicauit diuus Hieronymus in actis apostolorum. Verum ut illinc complura detracta suspicor à compendiarijs, quibus impendio placet adagium illud inter pocula natum: Gaudent breuitate moderni, ita uideo nõnulla ab alijs adiecta, quorũ hoc unum esse crediderim. Alioqui constat oppidum, quod Appij forum dicitur, longius abesse à Rhoma, quàm sit Aritia, id quod declarat Horatius in sermonum libro primo, satyra quinta. *Appij forum.* *Error quorundam.*

Egressum magna me accepit Aritia Rhoma,
Hospicio modico, rhetor comes Heliodorus
Græcorum longe doctissimus, inde forum Appi.

Proinde quum Paulus in summa dixisset Rhomam esse itum, retrocedit nonnihil, ut occursum fratrum describat apud Appij forum, ac tres Tabernas. Sic enim legimus in emendatis exemplaribus Latinis, quum in nonnullis scriptum sit, Et tribus Tabernis. Alioqui si Appij forũ & tres Tabernæ Rhomæ sunt, quid sibi uult quod mox subijcit: Vt uenimus autem Rhomam permissum est Paulo manere?

Hic Græci plus habẽt. ὅτε δὲ ἤλθομεν εἰς Ῥώμην ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκε τοὺς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῃ. τῷ δὲ παύλῳ, id est, Cum autem uenissemus Romã, Centurio tradidit uinctos principi exercitus, siue Tribuno. Permissum est autem Paulo.

Manere sibimet.) μένειν καθ' ἑαυτὸν, id est, Manere apud semetipsum, hoc est, solum & sine reliquis captiuis.

Aure audietis.) ἀκοῇ ἀκούσετε, id est, ut ad uerbum reddamus, Auditione audietis. atque ita uertit Hieronymus interpres Didymi, de spiritu sancto. Est autē conduplicatio Hebraica, perinde quasi dicas, Audientes audietis, hoc est, prorsus audietis. Nec improbo, quod hic uertit Aure, nisi quod ego malim auribus. Sic enim loquuntur Latini, hisce oculis uidi, hisce auribus audiui.

Et quum hæc dixissent exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se quæstionē.) Hæc uerba in aliquot uetustis codicibus non repperi.

Sine prohibitione.) ἀκωλύτως. Quod bifariam accipi potest, à nemine prohibitus siue uetitus, aut hoc animo, ut à nemine possit impediri.

ANNOTATIONVM IN ACTA APOSTOLORVM PER ERASMVM ROTERODAMVM, FINIS.

ANNOTATIONES D. ERASMI ROTERODAMI IN EPIstolas Pauli apostoli, diligenter recognitas ab eodem, primum ad Græcam ueritatem, deinde ad uetustissimorū exemplarium Latinorum fidē, postremo ad probatissimorum autorum citationes simul & interpretationes.

De nomine Pauli.

Vide in meis translatione in argumento Epte ad Rom.

PAVLVS.) Sunt qui putent Saulo commutatum fuisse uocabulum à conuersione, atque inter hos est Ambrosius, licet 2
diuus Hieronymus enarrans epistolam ad Philemonem arbitretur pro Saulo, Paulum uocari cœptum ob Sergiū Paulum proconsulem, quem hic apostolus primum omnium ex gentibus Christo lucrifecit, sicut legimus actorum apostolicorum cap. decimotertio. Chrysostomus putat illi diuinitus 3
fuisse mutatū nomen, quemadmodū apostolorum principi, qui pro Simone dictus est Cephas, seu Petrus. Sunt rursum, 4
qui putant illū fuisse binominē. id quod mea sententia uero propius est. Quanquam arbitror Paulo primum Hebræo, nomē Hebraicū inditum Saul. Nā hoc nomine cōpellat illū Christus in uia, σαοὺλ σαοὺλ τί με διώκεις, id est, Saul Saul, quid me persequeris? Deinde quoniā Aegyptus, Cilicia, & huic finitima Syriæ pars, propter Alexandri magni imperium, & postea Rhomanam administrationem, iam ferè Græco sermone utebatur, Hebraicam uocem in Græcam formā fuisse deflexam, quod Græci nullum habeant uocabulum in λ desinens, atq; ita ex Saul factū esse Saulum, quemadmodum & hodie Latini ex Adam faciunt Adamum, ex Abraham Abrahamum, ex Ioseph Iosephum. Deniq; quoniam Pauli nomen iuxta Græcis ac Rhomanis erat familiare, è Saulo rursum factum esse Paulum, ut uocabulum etiam lubentius agnoscerent, quorum se doctorem profitebatur, & hic quoq; omnia fieret omnibus. Ipse certe hoc nomine perpetuo est usus in scriptis suis. Saul שָׁאוּל Hebræis sonat petitum, passiuum à שָׁאַל, quod ascitus fuerit ad munus apostolicum. Ambrosius indicat Saulum dici tentationem seu inquietudinem. Addunt alias item interpretationes nescio quas in nominibus Hebraicis, quæ uocum allusionem modo tenuem habent, quas, quoniam nō est huius instituti, non anxie discutiam. Cæterum Græcis σαῦλος, ὑ duntaxat abiecta, commotionem ac tumultum sonat propriè maris ac fluctuum, σάλος. Paulus autem Græcis sonat quietū, à uerbo παύομαι, inde & παῦλαν quietem appellant. Rhomanis pusillum sonat. Nam quod Hieronymus admonet Paulum Hebræis sonare mirabilem, demiror ipsum committere quod aliās reprehendit in aliis, qui uocum etymologias è diuersa lingua petebant. Etenim

Saul quid sonet Hebræis.

quum

quum constet Paulum aut Rhomanã esse uocem, aut certe Græcam, non conueniebat eius etymologiam ab Hebræis mutuari. Hæc obiter admonui, quo facilius intelligantur ea quæ sancti interpretes de nominum ratione, uel attingunt, uel alludunt in suis commentarijs.

Non uocatus apostolus ut uocat9 abbas

Vocatus apostolus.) κλητὸς ἀπόστολος. Vocatus, hoc loco non est participium, dictus, aut nominatus, quemadmodum nunc uulgo quidã modestiæ causa scribunt, uocatus episcopus, significantes non tam modeste quam uere, se magis nomine q̃ re episcopos esse. etiamsi in hoc κακόζηλον incidit diuus Bernardus, uir alioqui & Christiane doctus, & sancte facundus, & pie festiuus, sic sui nominis titulum moderans, uocatus abbas, uerum nomen est substantiuum uelut apostolus κλητὸς non κλητὸς, aut κεκλημένος, quemadmodum & paulo inferius, Vocati Iesu Christi, κλητοί, & subinde κλητοῖς ἁγίοις, id est, Vocatis sanctis. Est autem Vocati, nomen absolutum, quemadmodum olim apud Rhomanos euocati dicebantur, qui uelut amici ad bellum accersebantur, & hodie quoq; Gallis nonnulli uocantur electi, qui proximi sunt senatoriæ dignitati. Valet autem fermè perinde quasi dicas, uocaticius apostolus, siue uocatione apostolus, & uocatione sanctis. Statim enim in ipso exordio suum agit negocium, conciliatq; sibi fidem & autoritatem. Primum cum ipso nomine præ se fert nouatum uitæ genus. Deinde cum seruum se uocat, indicat se nõ suum negocium agere, sed eius à quo missus fuerat. Ad hæc quum addit, Iesu Christi, excludit Mosen, qui sic insederat animis Iudæorum, ut periculum esset, ne gentes etiam in seruitutẽ Mosaicæ legis abducerentur. Et planè futurum erat, nisi Paulus acerrime manibus pedibusq; restitisset ut per hunc athletam, euangelium Christi ueluti renatum uideri possit. Post hæc adijcit, apostolus, quod significat legatum, siue ab alio missum. Et quoniã id temporis erãt multi pseudapostoli, qui sese famæ, quæstuue gratia in hoc munus ingerebant, adiecit κλητὸς, uocatus, quod geminam habet sententiã: Siue quod ad hoc munus fuerit ab ipso Christo uocatus, hoc est, accersitus, nec sibi uindicarit apostolicam functionem, imò nec ab homine susceperit hoc muneris, sed ab ipso Christo, Siue quod hoc uerbo meritum operaq; legis excludat, & euangelij gratiam asserat, quæ datur omnibus, non è Mosaicæ legis cerimonijs quibus fidebant Iudæi, non ex humana sapientia, cui nitebantur Græci, sed ex uocatione numinis. Nam id potissimum agit in hac epistola diuus Paulus, ut utriusq; detrahat supercilium, & Iudæis adimat Mosaicæ legis fiduciam, & Græcis philosophiæ præsidium, atque ita utrosque ex æquo coniungat in Christo. Habent apostoli sua quædam peculiaria uerba, gratiam, uocationem, electionem, præscientiam, destinationem, ac prædestinationẽ, quæ fermè semper legis fiduciæ opponuntur, quod inde tum præcipuum periculum imminere uideretur. Non me clam est, quædam ab Origene differi ex huius uocis occasione de uocatis quidem, sed desciscentibus à muneris fructu, sanè argute & erudite, quæ mihi non est animus reijcere, sed magis arrident in literis diuinis quæ simplicissima sunt, miniméq; coacta. Quanquam haud inficias iuerim hanc uocem κλητὸς, aliquoties sic usurpari, ut non multum absit à natura participij, uelut apud Matthæum, Multi sunt uocati, pauci uero electi, ἐκλεκτοί legitur & κλητοί. Hæc uox peculiaris est Paulo, cui studium est omnibus adimere fiduciam operum humanorum, totamq; gloriam transferre ad uocantem deum, cui uocanti qui auscultat saluus est. Ita Paulus è cœlo uocatus mox obedit.

Consilium Pauli.

Origenes uolentior interpres alicubi.

Segregatus.

Segregatus in euangelium dei.) ἀφωρισμένος. Mira epitasi commendat suum officium, qui non solum uocatus fuerit ad apostolici muneris functionem, uerumetiam ut uas electũ sepositus sit & separatus in munus euangelij prædicandi. Est enim ἀφορίζω, non solum separare, uerumetiam iudicio seponere ac secernere, unde medici ἀφορισμοὺς uocant leges absolute breuiterq; pronunciatas, quemadmodum uocantur & sapientum ἀποφθέγματα. Neq; simplicem ἔμφασιν habet hæc dictio. Primum enim deprecatur inconstantiæ crimen, quod à Mosaica lege desciscere uideretur: Vocatus, inquit, & segregatus, uelut eximium quoddam & electum organum, ipso testante Christo: Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus. Deinde allusit ad factionem suam, quam sequebatur in Iudaismo. Cum enim Iudæorum populus, quanquam eandem legem amplecteretur, in uarias sectas esset diuisus, Samaritanos, Essenos, Nazarenos, Sadducæos, Herodianos, Pharisæos, Paulus pharisaicæ hæreseos erat, quæ sic appellatur ab Hebræa uoce, pharas פָּרַשׁ. quod ob insignem uitæ sanctimoniam, & excellentem doctrinam, semoti sepa-

Sectæ Iudæorum uariæ.

Paulus pharisæus.

ratíq; à uulgo uideri uellent. Cœpit igitur Paulus esse in euangelio, quod fuerat in Iudaísmo, sed alio pacto. Illic supercilij titulus erat, hic mire separatus erat, à Mose ad Christum, à litera ad spiritum, à fiducia operum ad gratiam.

Qui factus est ei.) τὸ γενομένου. Laurentius Valla mauult genitus, aut natus, quàm Factus, cuius equidem sententiam in præsentia nec probo, nec improbo. Certe genitus esset, si scriptum fuisset γεννηθεὶς, aut γεννομένου. Augustinus libro aduersus Faustũ undecimo, capite quarto, testatur in nonnullis Latinis codicibus pro Factus scriptum fuisse natus. Et tamen idem alibi reddit causam cur apostolus maluerit dicere Factus est, quàm Natus est: nimirum quod non ex semine uirili, sed ex opificio spiritus sancti conceptus ac natus sit. Et tamẽ hæc causa nõ obstat quo minus alibi dicatur natus. Cæterum pronomen Ei, quod additur in Latinorum codicibus, in nullis Græcorum inuenitur. Sed quoniam subabsurdus sermo uidebatur si dixisset, Qui factus est ex semine Dauid, explicandi causa adiecit,

Ei, additum temere.

Ei. Quanquam huius pronominis additamentum adeo nihil facit ad sensum, ut officiat quoq;. Neq; enim hoc agit Paulus, ut appareat cui natus sit Christus, uerum ut liqueat eũ à quo segregatus fuerat in præconium euangelij, fuisse deum uerum, & eundem item uerũ hominem. Hominem ex eo, quod natus esset ex semine Dauid secundum carnem: Deum ex hoc, quod uirtus eius diuina declarata sit per spiritum sanctificationis & resurrectionẽ à mortuis. Quod si quid ad rem pertinuisset definire, cui natus aut factus esset, nobis natus erat potius, quàm patri, quorum negocium agebatur. Quod si cui nõ satis arridet uer-

Factus est, p cœpit esse.

bum illud Natus, & mauult illud quod habet uulgata æditio, Factus, equidem non admodum refragabor, modo intelligat hoc loco factũ dici, pro eo quod est, esse cœpisse. Quod genus est & illud: Qui post me uenit, ante me factus est, hoc est, Qui me sequebatur, cœpit esse prior, & præcessit me, quemadmodum in euangelicis annotationibus indicauimus. Is enim qui nunquam cœpit esse deus, homo tamen esse cœpit.

Qui prædestinatus est.) Magno consensu Græci codices habent ὁρισθέντος, id est, Qui finitus seu definitus erat, hoc est, iuxta Græcorum scholiorum interpretationem, certo pro nunciatus, demonstratus, ac declaratus. Atque ita legit Chrysostomus & Theophylactus, ac legendum esse nominatim etiam admonet Origenes, enarrans hunc locum. In quo tamen illud obiter succurrit admirari, quomodo Origenes eo in loco citet exemplaria Latinorum, in quorũ pleriſque fatetur, pro Destinatus, haberi prædestinatus. nisi forte interpres aliquid addidit de suo, aut Origenes quo studio peruestigarat Hebræorum fontes, non contentus tot æditionibus, eodem Latinos quoque codices lustrauit. Dictu mirũ est, quàm se torqueat hoc loco Thomas Aquinas, uir alioqui non suo tantum seculo magnus. Nam meo quidem animo nullus est recentium theologorum, cui par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio: planeq; dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaq; bonarum literarum supellex contingeret, qui ijs quæ per eam tempestatem dabantur tam dextre sit usus. Quare si magni scriptores nonnunquam hæsitant in Paulinis epistolis, id partim imputandum est sermonis ac sensuum obscuritati, partim infelicitati temporum, quibus bonæ literæ penè funditus interierant. Vir igitur uigilans & ingenioſus, omnem hoc loco mouet lapidem, ac ceu Proteus quispiam semet in omnia uertit, si quâ possit elabi, nunc lectionem Origenicã sequens, nunc ad nostram se recipiens, & nunc interpretatur Destinare, pro mittere, nunc ordinare, rursum prædestinare, nunc præscire, nunc aliud quiddam esse uult, ac uarias inducit destinationis, ac prædestinationis relationes. Atqui Origenes quidem expedite definit prædestinationem ac destinationẽ, ita pronuncians, Destinari eum qui iam est, prædestinari qui nondũ sit. Vnde notat diuus Hieronymus, enarrans primũ caput epistolæ ad Ephesios, ex huius, opinor, sententia, Paulũ his uerbis προορίζειν, non uti, nisi quum de nobis loquitur, ac palàm admonet hoc loco de filio dictum esse ὁρισθέντος, non προορισθέντος, id est, Destinati, non prædestinati. Cæterum si hoc nos offendit, quod prædestinari ob additam anteceſſionis præpositionem referatur ad aliquid quod nondum sit, idem scrupulus manet in uerbo simplici. Quum enim destinare sit non mittere, quemadmodum uulgus illiteratũ putat, sed certum aliquid in animo præfigere, nimirum ipsa uerbi natura rei futuræ significationem habet, quemadmodum sperare, timere, decernere, deliberare, statuere. Nihil enim horũ fit, nisi ad aliquid futurum

Theophylactus.

Origenes adducens testimonia Latinorum uoluminum.

Thomas Aquinas laudatus.

Destinari, prædestinari, quid interſit.

Expensa Origenis sentẽtia

referatur

referatur. Rursum, si malumus hunc futuri respectum alió deriuare, quàm ad ipsam filij dei rationem, ut is qui ab æterno genitus fuit dei filius, idem destinatus fuerit & ordinatus ad hoc aut illud faciendum, iam nihil etiam obstat præpositio præ. Quandoquidem ad hunc modum nihil prohibet dei filiũ prædestinatũ uocare, ad id quod postea accidit. Nisi forte placet quod Origenes sensisse uidetur, in prædestinare duplicem esse respectum futuri, in destinare duntaxat unicum. Etenim si filio iam mihi nato, destinem sponsam, persona cui destino, ad præsens tempus pertinet, id quod destino ad futurum. Cæterũ si in animo statuo filium qui primus mihi nascetur, theologicis literis dedicare, persona simul & res ad futurum tempus pertinẽt. & ad huiusmodi uoluit Origenes pertinere prædestinandi uerbũ. Verum siue destinatus legas, siue prædestinatus, & quocunq; referas eam futuri rationẽ, constanter obstrepit id quod sequitur, Filius dei secundum spiritum sanctificationis, & ex resurrectione mortuorum. Fac enim destinationem æternam, ut semper destinatus fuerit ad hoc ut esset filius dei, quomodo iam cohæret per spiritum sanctificationis, & Ex resurrectione mortuorum? Quid enim hæc ad illam destinationem? Vnde Ambrosius laborans & ipse in his angustijs, addit, haud scio unde, duo uerba, Vt manifestaretur filius dei. Et Thomas admonet nonnunquam in diuinis literis dici fieri, quum aliqua intelligũtur fieri & innotescunt. Atq; hæc quum dicunt, ueluti diuinant, id quod nos sentimus. Quanquã nihil erat necesse aliũde petere quod in ipsis Pauli uerbis inest. Nam ipsa Græca uox ὁρίζω, non solum significat definire, ac decernere, uerum certo pronunciare ac prouulgare quod decreueris, unde certam de rei natura sententiam, ὅρον appellant. Et indicatiuum modum quod certum aliquid indicet ac declaret, ὁριστικὸν appellant grammatici. Proinde si pro prædestinatus, legas declaratus, tota undiq; sententia uel ad amussim quadrabit, neq; quicquã usquam occurret salebræ. Hominem fuisse Christum, euidens est argumentum quod natus sit ex semine Dauid. id ipsis comprobatum est sensibus. At declarandum erat, eundem esse filium dei, id quod semper fuerat, sed ignotum erat mundo. Quem igitur cõstabat esse hominem, is declaratus est esse filius dei. Caro declarauit hominem, uirtus & spiritus sanctificationis declarat filium dei ac deum. Idq; declaratum est cum alijs quidẽ modis, nempe uaticinijs prophetarum, signis innumeris, tum uero præcipue ex resurrectione mortuorum. Ad hunc modum interpretantur, ut dictum est, & Græcorum scholia, è quibus ipsa subscribam uerba, ne quis nobis diffidat, ὁρισθέντος τοῦτ' ἔστιν ἀποδειχθέντος, ἀποφανισθέντος, διὰ τῶν προφητῶν, διὰ τῶν τοσούτων θεοσημείων, διὰ τῆς ἀναστάσεως, id est, Definiti, hoc est, demonstrati, declarati, tum per prophetas, tum per tot diuinitatis signa, tum per ipsam resurrectionem. Hactenus Græcorum scholia. A quibus adeo nõ dissentit Theophylactus, ut non aliam, quàm hanc adducat interpretationẽ, exponens ὁρισθέντος γνωσθέντος, Cogniti pro filio dei, tum ostensi, confirmati, indicati. nam ijs uerbis utitur interpres operis, falsõ inscripti Athanasio: quum id quod ante suspicabamur, mox collato Græco Latinoq; compereri mus esse Theophylacti. Cuius uerba sunt hæc, ἀποδειχθέντος, βεβαιωθέντος, κριθέντος, id est, demonstrati siue declarati, confirmati, iudicati, siue decreti. Chrysostomus hisce uerbis exponit, δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος, ὁμολογηθέντος, id est, demonstrati, declarati, iudicati, confessi. Semper quidem fuerat filius dei, sed paucis cognitus, uidelicet Iudæis, & horum etiam paucis, Verum post declaratus est talis uniuerso mundo. Quo magis autẽ liqueat hic non fieri mentionem æternæ prædestinationis, Chrysostomus addit, Iudicati omnium suffragio, ex prophetis, ex mirabili natiuitate secundum carnem, ex uirtute signorum, ex spiritu per quem dedit sanctificationem, ex resurrectione, per quam mortis soluit tyrannidem. Hæc satis arguunt ὁρισθέντος aliud sonare Græcis, quàm interpretantur Latini.

Ambrosij sententia.

declarare.

In uirtute dei.) ἐν δυνάμει. Recte quidem uertit, si modo recte accipiamus. Nam Latina uox anceps est, & aliquoties sic accipitur, ut opponatur uitio, & respondeat Græcæ ἀρετῇ, nonnunquam ut pugnet cum imbecillitate. Proinde nos maluimus alicubi uertere potentiam, siue potestatem, quandoquidem à δύναμαι dicta est δύναμις. Miro autem cõsilio Paulus contraria contrarijs opposuit. Primum enim Paulum opposuit Saulo, seruũ Iesu Christi, Mosaicæ legis seruituti, uocatum apostolum, ijs qui se ingerebant, segregatum in euangelium, pharisaismo quẽ ante profitebatur. Atq; hactenus se suumq; commẽdauit officiũ.

Consilium Pauli.

Quæ

Quæ sequuntur pertinent ad commendationem Christi, qui promissus fuit, nō à quouis, sed ab ipso deo, nec per quosuis, sed per prophetas suos, hoc est, ueros ac diuinos, nec id quibuslibet instrumentis, sed in scripturis sanctis. Deinde Christi geminam in eadem hypostasi naturam, mira uerborū emphasi describit, de homine dicit, Factus est, ut intelligas aliquid accessisse quod non erat, de diuinitate dicit, Declaratus est. Illic addit Secundum carnem, cuius comites sunt infirmitas, & impuritas. unde, Spiritus quidē promptus, caro uero infirma. Et concupiscētias carnis uocant affectus ad uitia sollicitantes. Proinde carni opposuit uirtutem dei, & spiritum sanctificationis, hoc est, potentiam imbecillitati, & sanctificationem immundiciæ. Assumpsit igitur nostram carnem, & ostendit suam potentiā: idq; potissimū ex eo, quod suapte uirtute resurrexit à mortuis, & animā quam uolens deposuerat moriens, cum uisum est recepit. Ac rursum, quoniam carnis est mortalitas, & huic opposuit resurrectionem mortuorum, quæ est immortalitas. Illud uerbo uisum est admonere ἐν δυνάμει, id est, In uirtute, præpositionem hanc in euangelicis & apostolicis literis nonnunquam sic usurpari, ut idem sit fermè, quod per. ut sit sensus, In uirtute dei, id est, per uirtutē diuinam, siue ex uirtute, quemadmodum interpretatur Chrysostomus. A Dauid accepit ut mori posset, à patre ut nos redderet immortales.

Per spiritum sanctificationis.) Thomas indicat fuisse qui hæc uerba torquerent ad particulam incarnationis, Qui factus est ex semine Dauid, idq; non uulgari coitu corporum, sed per spiritum sanctificationis, ex quo conceptus fuit mirabilis ille fœtus. Verū hæc opinio absurdior est, quàm ut uel refelli mereatur. Vnde non laborabimus in explodenda ea, quam & ipse Thomas reiecit. Illud est admonendus lector, huiusmodi sermonis typos peculiareis esse uiris apostolicis, ut pro Filijs inobedientibus, dicant, Filios inobedientiæ, pro saxo offensorio, petram scandali. ita hic quoq; pro spiritu sanctificante, spiritum sanctificationis dixit Paulus. Cæterū quod hic meminit Origenes suæ diuisionis de carne, anima, & spiritu, quanquam id suo loco belle dicebatur, tamen hoc loco alienius est & coactius.

Ordo uarius

Spiritus sanctificationis.

Iesu Christi domini nostri.) Id quoq; lector in Paulo comperies, quemadmodum annotauit & Ambrosius, atq; item in cæteris apostolis. Patri ferè tribuunt cognomen dei, Christo domini, quum utrunque uocabulum utriq; pariter competat, eo quod idem est dominium patris & filij.

Gratiam & apostolatum.) χάριν καὶ ἀποστολήν. Gratia quoq; Paulinum est uerbum, quod libenter inculcat, excludere cupiens carnalē fiduciam legis Mosaicæ. χάρις autē apud Græcos nonnunquam beneficium significat, quod cōfertur gratuito. unde & χαρίζομαι uerbū, largior, siue gratuito dono, nonnunquā fauorē, ut, Inueniſti gratiā apud deum, nonnunq; obligationem beneficij, ut ἔχω χάριν, οἶδα χάριν, καὶ μεμνήσομαι χάριν. Iam uideo fuisse quosdam, quos offendat uox apostolatus parum probata Latinis auribus, & Græcam uocem malint ἀποστολήν. Quorum ego sententiæ facile subscriberem, si perinde multi intelligerent apostolen ut apostolatum. Ad hæc uideo Christianos scriptores, coactos opinor, formā hāc in plerisq; recepisse, clericatus, diaconatus, episcopatus. Nos uertimus, Apostolici muneris functionem, ne quis dignitatem à Paulo putet significari. ut enim ἐπισκοπὴ, est ipsa functio episcopatus, sic & ἀποστολή, apostolatus. Gratiam hic uocat, quod ab errore sit reuocatus, nec reuocatus modo, uerum etiam ad hoc delegatus, ut alios cum autoritate uocaret ad euangelij gratiam.

Gratia quid sonet Græcis.

Ex resurrectione mortuorum Iesu Christi.) Locus hic multifariam legi potest. Nos rationes omnes simpliciter, id quod huius est instituti, proponemus. penes lectorem erit, & iudicandi ius, & eligendi potestas. Primam lectionem ueteres fermè sequuti uidentur, uidelicet ut sensus sit, uirtutem diuinam, & spiritum sanctificationis fuisse declaratū, ex hoc quod multa corpora sanctorum resurrexerunt cum Christo, quemadmodū recensuit Matthæus euangelista. Cui sententiæ non admodū refragor, præsertim cum uideam non displicuisse Origeni, Hieronymo uero etiam placuisse, maxime quū Paulus Colossensibus scribēs, Christum appellet primogenitum ex mortuis, & in priore ad Corinthios epistola uocet primitias dormientium. Super omnia, quod capitis & membrorum eadem sit resurrectio, ut quemadmodum Origenes scribit, Christi gloriam quodammodo nondum esse perfectam, nisi collectis totius corporis membris, ita resurrectio illius non sit perfecta, nisi reli-

Prima lectio.

Capitis et membrorum uidetur eadem resurrectio.

nisi reliqua etiam membra suo capiti sociẽtur. In Christo igit̃ cœpta est resurrectio, & spes præbita membris, unde sic accipi potest, ut mortuorum Iesu Christi, & ipsius eadem sit resurrectio. Alioqui quod Paulus scribit Corinthijs, Nunc autem Christus surrexit primitiæ dormientium, non pertinet tantum ad pauculos illos, qui tum apertis monumentis surrexerant, sed ad omnia Christi membra, quibus Paulus resurgendi spem conatur infundere ex eo quod ipse Christus resurrexerit. Nec enim cõsentaneum est, caput & tale caput, cum uiuat & regnet deserturum sua membra. Primum autem illud constat, opinor, Paulũ hoc agere ut persuadeat Christum hominẽ fuisse, qui pro nobis immolarit seipsum, & eundem deum, cuius uirtute simus sanctificandi, & immortalitatem assequuturi. Atq; in transcursu attingit ex argumentis præcipua, nempe genus Dauid, tum mortem, quæ præcesserit oportet resurrectionem: deinde resurrectionem à mortuis, unde totus fidei nostræ cardo pendet. Porrò de his mortuis qui cum Christo resurrexerunt, Paulus nusquam alibi fecit mentionem in suis epistolis, quũ sæpius conetur astruere resurrectionẽ mortuorũ, imò ne euangelistarũ quidẽ quispiam, excepto Matthæo, qui tamẽ ipse paucis hoc, ac uelut obiter attingit, non explicans uel, qui fuerint qui resurrexerãt, uel quibus apparuerint. Quod sane non ideo dixerim, quasi minus certa sit Matthæi narrantis fides, cũ̃ si idem literis prodidissent omnes. Nec enim ad eandẽ coticulam, euangelistarum ac cæterorum historicorum fidem exploramus: sed quod probabile sit, si ea res proprie pertinuisset ad Christi diuinitatem comprobandam, cæteros euangelistas rem tanti momenti nõ fuisse omissuros, præsertim quum nusquam fuerint diligentiores, quàm in resurrectionis argumẽtis approbandis. Vt ne dicam interim, quod ex Matthæi uerbis, horum resurrectio uideatur Christi resurrectionem præcessisse. Sic enim legimus apud hunc, Iesus autem iterum clamans emisit spiritum. & ecce uelum templi scissum est in duas partes, à summo usq; ad imum, et terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorũ qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis, post resurrectionem uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Atq; id magis apparet ex ipsis Græcis, ut suo indicauimus loco, hæc uerba, Post resurrectionem, referenda esse ad proxima, nempe ad hæc, Apparuerunt multis, aut certe ad id quod proxime præcessit, Egressi de monumentis, ut accipias statim in ipsa morte reuixisse corpora mortuorum, at non apparuisse nisi post resurrectionem Christi, ut quemadmodum Ioannes prædicationis & passionis Christi, ita hi resurrectionis πρόδρομοι fuerint. Neq; uero me clàm est Hieronymum, cumq; hoc complures interpretes in hac esse sententia, ut dicant monumenta duntaxat aperta fuisse moriente Christo, uerum nõ resurrexisse quenquã nisi post peractam illius resurrectionẽ. Et facile cedimus autoritati. Quanquam si quis expenderit ipsa Matthæi uerba, deprehẽdet hãc interpretationem nonnihil esse detortam. Porrò si quem hoc torquet, ne Christus non sit primitiæ dormientium, quemadmodum scripsit Paulus, quid is dicet quod Lazarus & præter hunc multi reuixerunt ante Christum? At illi resurrexerũt denuo morituri, hi semper uicturi. fateor, interest omnino nõnihil. Verum ut demus hos priores reuixisse, nihilo secius primitiæ dormientium erit Christus, qui princeps & autor fuerit omnis resurrectionis, per quem & illi reuixerunt qui priores illo reuixerunt: uerum hac de re nihil digladior. Illud propius ad rem nostram pertinet, Paulus cum obiter & in transcursu uoluerit asserere diuinitatem & uirtutem Christi, magis debebat, ut uidetur, ipsius adducere resurrectionem quàm aliorum, de quibus haud scio, an Rhomani quicquam audierant: & sicut proposuit ipsius natiuitatem per quam declararet hominem, ita & eiusdem proponeret resurrectionẽ, per quam declaratus fuerit filius dei. Aut igitur de tota resurrectione accipiendũ est quæ cœpit in Christo, aut de ipsius Christi resurrectione. Ad quem sensum proxime accedit secunda lectio, quã uideo Laurentio Vallæ placuisse, acerrimi sanè iudicij uiro, ut genitiuus Latinus, Iesu Christi, uertat̃ in ablatiuũ. nam apud Græcos genitiuus τοῦ κατὰ σάρκα, potest utrolibet referri, uel ad mortuos, uel ad id quod præcessit, περὶ τοῦ γενομένου κατὰ σάρκα, id est, De filio suo Iesu Christo: deinde post hyperbaton, quo sæpe Paulus utitur, reddatur Iesu Christo. Hanc equidem Laurentij sententiam adeo non improbo, ut admirer nec Origeni, nec Chrysostomo, nec Theophylacto, nec Augustino, nec Ambrosio tale quicquam in mentem incidisse, præsertim quum locus nonnihil torqueret. Sensit enim

Euangelistarum fides.

An aliqui reuixerunt ante resurrectionẽ Christi.

Christus primitiæ dormientium.

Secunda lectio.

enim Augustinus incommodum, quod sic adijci uideretur Iesu Christi, quasi alius esset filius dei, alius Iesus Christus. qua de re disseruit enarrans psalmum sexagesimum septimũ. Atqui hoc incommoditatis effugerimus, si Laurentianam amplectemur lectionem. Alij sic medentur, ut dicant hanc eiusdem dictionis iterationem esse ex idiomate sermonis Hebraici, qui uice pronominis proprium nomen repetunt, Quod genus est illud, Fecit Moses sicut præcepit dominus Mosi, pro eo quod erat sicut præcepit dominus ei. Tertia lectio sic habet, ut Iesu Christi, sit casus paternus, sed ad resurrectionem tantum referatur, nõ ad alios mortuos, non quod eos excludamus à resurrectione, sed illud perpendimus quid hic agat Paulus. Nam quod additum est mortuorum, non efficit ut de alijs mortuis intelligamus, quàm de Christo. Sed quoniam anceps erat apud Latinos resurrectionis, apud Græcos ἀναστάσεως uocabulum, resurgit enim & is qui sedebat aut iacebat, & dicturi sententiam in senatu ἀνίστανται, addidit Mortuorum, ne quis esset amphibologiæ locus. Duo igitur hæc uerba, Resurrectio mortuorum, uelut periphrasi rem eandem explicantia, complexim referuntur ad Iesu Christi. ut hic sit sensus, qui sicuti factus fuit homo, iuxta carnem natus ex Dauid, ita declararus est filius dei, in uirtute dei per spiritum sanctificationis. Declaratus, inquam, ex eo quod resurrexit à mortuis, quod quidem solius est dei. Porrò si quem etiam ille scrupulus habet, quod iuxta nostram sententiam Græca præpositio ἐξ, fuerit addenda, ἐξ ἀναστάσεως, ἐκ τῶν νεκρῶν ἰησοῦ χριστοῦ, huic responderi potest, præpositionẽ quæ præcessit facile repeti posse, præsertim cũ eadẽ fuerit repetẽda, & uel ob hoc omissam uideri posse, deinde passim apud Græcos omitti præpositiones, præsertim ἐν, σὺν, κατὰ, ἐξ, ἀπό. Id quod hic quoq; fit mollius, propterea quod ἀνάστασις in se uim obineat præpositionis, et motũ à loco quopiã significet. In quod genus uerbis, Latini quoq; non infrequenter omittunt præpositionem si libeat, ut surrexit terra, & surrexit à terra, deiecit cœlo, deiecit è cœlo. Deniq; si quis Resurrectionis mortuorum, complexim accipiat, ita ut ostendimus antea, ne opus quidem fuerit ulla præpositione, quum duæ dictiones pro unica ponantur. Cæterum quod nos uertimus Iesus Christus, nominandi casu, primum nihil uariat Pauli sententiam, & tamen effugimus duo pariter incommoda, nempe sermonis ambiguitatẽ, & hyperbati molestiam. Alioqui ad uerbum reddi poterant ad hunc modum, De filio suo genito ex semine Dauid secundum carnem, declarato filio dei, in potentia, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christo domino nostro. Quin & illud diligens lector expendat uelim, num hic ἀνάστασις accipi possit transitiue, ut perinde ualeat ac si dicas, resuscitatione mortuorum. Quod quidem propemodum subindicauit Chrysostomus & huius imitator Theophylactus, quũ ait, Christum primũ omnium ac solum fuisse qui seipsum suscitarit, atque hoc potissimum argumento liquere, quod fuerit filius dei. Illud certe recte monstrauit Augustinus, Ex resurrectione mortuorum, referendum esse non ad proxime præcedentia, sed ad id quod præcessit, Qui prædestinatus est. Atqui illud prædestinatus est, dure cohæret, cum Ex resurrectione, nisi interpretemur Declaratus est. Idem Augustinus Prædestinatus ex mortuis, interpretatur, Prædestinatus in hoc, ut primus resurgeret, ut præpositio præ, pertineat ad ordinem resurgendi. Cæterum hunc sensum ipsa Pauli uerba non satis exprimunt. Vt igitur sermonem prolixum conferam in epilogum, si legimus Iesu Christi, triplex est uarietas, prima ut anastasis accipiatur actiue siue neutraliter, idq; gemino sensu, siue ut pater intelligat̃ suscitasse filium à mortuis, siue ut filius suscitarit seipsum. Nam uterq; sensus pius est. Deinde ut resurrectio dicatur passiue, sentiamusq; mortuos suscitandos ad uocem filij dei, quemadmodum & Lazarum præter alios suscitauit. Quanquam nihil uetat hic resurrectionem accipi pro resurrectione uniuersali, quæ est & capitis & totius corporis mystici. Postremo genitiuus hic mortuorum refertur ad Iesum Christum, cuius mortui dicuntur qui moriuntur in fide, ut intelligas hic tantum fieri mentionem de resurrectione iustorum. Potest & complexim legi, resurrectio mortuorum, pro resurrectione à mortuis, ut Iesu Christi pertineat ad ἀνάστασιν non ad mortuos. Cæterum si legimus Iesu Christo, pertinebit ad superiora, de filio suo Iesu Christo, qui prædestinatus est &c. Hæc paulo uerbosius disserui, quàm huius instituti fortasse patiebatur ratio, sed id cõsulto fecimus, ne quis clamitet me temere, præter omnium superiorum sententiã huius loci mutasse lectionem. Quod superest, ego

Tertia lectio.

Præpositio omissa

Resurrectio actiue qua erigit aliquis.

sum in

ſum indicis officio functus, lectori iudicium deferens.

Ad obediendum fidei.) Nomen eſt apud Græcos non infinitum, εἰς ὑπακοὴν πίστεως, id eſt, Ad obedientiam fidei. Verum quoniam is ſermo Latinis anceps erat, interpres explicuit per gerundium, nos per uerbum, Vt obediatur fidei. Vocat autem obedientiam fidei, quemadmodum exponit Chryſoſtomus, quod non accipiatur curioſis ratiocinationibus, ſed ſimplici obedientia, & tacita auſcultatione, idq; ad utrunque populum pertinet. & Iudæorum, qui ſigna requirebant, & gentium, quæ philoſophicas rationes flagitabant: & hodie fortaſſis, ad quæſtionum ſcholaſticarum labyrinthos inexplicabiles, de his rebus quæ pie neſciuntur. *Obedientia fidei.*

Pro nomine eius.) ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, id eſt, De nomine, ſiue ſuper nomine eius. Nam Græca præpoſitio ancipiti eſt ſignificatu, ſicut ſunt apud illos pleræq;, ut ſit ſenſus, Accepimus apoſtolicum munus in hoc, ut in omnibus gentibus, non ſolum apud Iudæos obediatur fidei, quæ eſt de nomine Ieſu Chriſti. Idem indicāt Græcorum ſcholia, ut hæc uerba, De nomine ipſius, referantur ad obedientiam fidei. Tametſi diſſentit eximius ille uir & amicus noſter incomparabilis, Iacobus Faber Stapulenſis, quem ego quoties nomino, honoris cauſa nomino, nempe cuius ardētiſſimum in reſtituendis bonis literis ſtudiū magnopere comprobo, eruditionem tam uariam minimeq; uulgarem admiror, rarā quandam morum comitatē ac facilitatem adamo. Porrò ſingularem uitæ ſanctimoniam uenēror etiam & exoſculor. Verum quis unquam fuit uel adeo doctus, uel attentus, qui nō hallucinatus ſit ac dormitarit alicubi, præſertim in tot uoluminibus, totq; rerū difficultatibus uerſans? Neq; quicq; addubitarim, quin ipſe ſua relegens, alicubi facturus ſit quod in ſuis libris fecit Auguſtinus. Proinde memo ueluti cōtumelioſum interpretetur, ſi locis aliquot ab eo diſſentiens, pro mea uirili patrocinor ueritati. Quod ego uiciſſim in me fieri non ſolum æquo feram animo, uerum etiā ſummi beneficij loco ducturus ſum, modo abſit procacitas. Quanquā hoc in loco nec mihi ſanè Fabri diſplicet ſententia, ut Super nomine eius, referatur ad illa ſuperiora, Accepimus apoſtolatū, hoc eſt, functionē apoſtolicam & legationem hanc qua fungimur, ſed qua de re? nempe de nomine Ieſu prædicando. Proinde utraq; lectio probe quadrat, adeo ut difficile ſit pronunciare utrū alteri præferri oporteat. Chryſoſtomi interpres ſequi uidetur poſteriorē ſententiam. Sic enim exponit, Nō miſſus ſum, ut ratiocinarer, ſed ut quod mihi commiſſum eſt redderem. *Duplex ſenſus.* *Laus Fabri Stapulenſis.*

In quibus eſtis.) ἐν οἷς, id eſt, inter quas, uel quarum de numero, hoc eſt, Gentium uocatarum. Quod genus eſt illud, In omnibus gentibus, ἐν πᾶσιν τοῖς ἔθνεσιν, id eſt, Inter omnes gētes. Quanquam haud me fugit ad Græcanicum modum & Latinos autores aliquoties fuiſſe loquutos. At nos quod dilucidius erat ſequuti ſumus. Annotauit hoc Chryſoſtomus, quod Paulus Romanis rerum dominis nihil eximium attribuerit, ſed in euangelij ratione unam è numero cæterarum gentium fecerit. *In quibus, p inter quos.*

Omnibus qui ſunt Rhomæ.) πᾶσιν τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ. Quoniam Græce per participium extulit, poteſt accipi uel tertia uel ſecunda perſona, Omnibus qui ſunt, aut Omnibus qui eſtis. Ad uerbum ſonat Omnibus entibus Rhomæ, quanquam ea res nihil ad ſententiam pertinet. Et iam ſolenne eſt nomen eius quē ſalutamus epiſtola, in tertia perſona aſſcribere: Plinius Tacito ſuo S.D. Atq; hactenus quidem totus ſermo ſuſpenſus fuit, nunc demum abſoluto commate principali redditur altera pars. Hoc loco coarguendus uel ridēdus magis error eorum, qui putāt Paulum Rhomanis, lingua Rhomana ſcripſiſſe, ſicut Hebræis ſcripſit Hebraice, & Græcis Græce. Neq; enim ſcribit Rhomanis tantum, ſed omnibus qui Rhomæ agerent. At eò iam confluxerat tota ferè Græcia, adeo ut Iuuenalis Græcā urbē appellet. Certe Græcorū linguam iam, non Italia ſolū, uerumetiam Syria, Aegyptus, Cilicia, ac bona orbis pars receperat. Quod ſi Rhomane ſcripſit, immerito queritur Origenes hāc interpretans epiſtolam, Græcam dictionem eſſe perplexam, & hyperbatis obſcuratam, & è Cilicum idiomate, quædam parum Græca peregrinitatem reſipere. *Longum hyperbaton.* *Error exiſtimantiū Paulum Rhomanis ſcripſiſſe Rhomane.*

Dilectis dei.) ἀγαπητοῖς θεοῦ. Hæc eſt ea uox, quam ſubinde uertunt in chariſſimos. Eſt autem Græcis non participium, ſed nomen, quaſi dicas, amicus, & idcirco apud illos mollius adhæret nomini dei.

Vocati sancti non nati,

Vocatis sanctis.) κλητοῖς ἁγίοις. Superius admonui uocatis, hoc loco nō esse participiū, sed nomen, & perinde ualere, quasi dicas, uocatis ad sanctimoniam. Gentiū enim nomen Iudæis inuisum erat, quod hos haberent tanq; prophanos, & à deo Moseq; alienos. Amolitur igitur hanc opinionē Paulus, cum ait Rhomanos, quod ad genus attinet, esse de numero gentium, cæterū hoc pares esse Iudæis, quod diligantur ab eodem deo, uocatiq; sint ab eodem ad eandē sanctimoniam. Iudæi sua opinione nascebant sancti, è sanctis oriūdi, & in sancta lege nati, at quod his præstare uidebatur genus, hoc gentibus præstabat fauor & uocatio dei. Gratiā autem uocat gratuitam munificentiā, Prius dixerat ἀγαπητοῖς, mox κλητοῖς quoniā autē potest aliquis suo merito uocari ac diligi, addit gratiam, Gratia data parit remissionem peccatorum, quam suo more pacē uocat, Peccatū enim inimicitiam ponit inter deum & homines. Ille nos uocauit, non nos illum quæsiuimus, ille nos dilexit prior, quū essemus inimici, ille pœnā cōmeritis impartijt spiritus donum, Per spiritū autē peccatorum ueniā & abundantiam charismatum.

Duplex lectio

A deo patre & domino nostro Iesu Christo.) Sermo quidē Græcus anceps est. Siquidē accipi potest, A patre nostro & domini Iesu Christi, ut intelligas patrē nobis cum illo communem. Aut à patre nostro & domino Iesu Christo, ut intelligas gratiam, quam illis precatur, proficisci simul & à patre, quem, ut modo dictum est, suo more ueluti peculiari uerbo deum uocat, & à filio, quem plerunq; dominum appellare gaudet, deum perq; raro: quū in hac ipsa epistola palàm hominem dicat capite quinto, Multo magis gratia dei & domini, in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundauit. & Petrus in actis apostolorum uirum appellat, Virum approbatū à deo. Item Paulus apud Athenienses, In uiro quo statuit. Atq; hanc posteriorē lectionem magis approbo, præsertim quū id annotatum sit, & ab Ambrosio, & Didymo, in libro de spiritu sancto ij. sed ita ut ea sermonis forma, nec patri auferat dominationē, neq; filio deitatē. Siquidē eadē ratione qua pater dominus est, & filius deus est, sic & spiritus sanctus dominus nuncupatur. nam his uerbis usus est Didymus. Siquidē hæc annotatio non aliò spectat, quàm ad indicandū morem apostolici sermonis. Annotauit idem Tertullianus libro quem scripsit aduersus Praxeam. Huius uerba præstiterit subscribere. Itaq; deos omnino nō dicā nec dominos, sed apostolum sequor, ut si pariter nominandi fuerint pater & filius, deum patrē appellem & Iesum Christum dominum nominē. Solum autē Christum potero deum dicere, sicut idem apostolus, Ex quibus Christus, qui est, inquit, deus super omnia benedictus in æuum omne. Nam & radium solis seorsum solem uocabo, solem autē nominans cuius est radius, non statim et radium solē appellabo. Nam etsi soles duos faciam, tamen & solē & radium eius tam duas res & duas species unius & indiuisæ substantiæ numerabo, quàm deum & sermonem eius, quàm patrem & filium.

Primum, pro principio.

Primum quidem gratias ago.) Quis satis admiretur Origenis in excutiendis sacris literis diligentiam? Hoc quoq; torsit hominem, cum Paulus hic dicat primum, quæ pars huc respondeat, quæ sit secunda, & dubitat, an illic reddatur: Nolo autem uos ignorare fratres. Verū in exordio cuiusuis argumenti, fortassis non absurdū sit dici primum, etiamsi nihil proprie reddas. In uniuerso mundo.) Cum Græce dictū sit ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, In toto mundo, idq; iuxta Græcos interpretes dictum sit ὑπερβολικῶς, pro eo quod est, In multis partibus mundi, quorsum attinebat, ut Latinus interpres exaggeraret etiam dicens, In uniuerso mundo. Nam quod Origenes post indicatam Hyperbolen, philosophari pergit de mundo angelico & hoc nostro, non inelegantem habet anagogen. Cæterum nos simplicia & γνήσια magis delectant, quæ sensum apostoli potius ostendunt, quàm interpretis ingenium ostentant. Testis enim mihi est deus.) μάρτυς γάρ μου ἐστὶν, id est, Testis enim meus est deus. Quanquam interpres belle uertit, & magis seruiuit Latinis auribus, quàm exprimendo Græco sermoni. nisi forte legit μοι pro μου.

Hyperbole autore Origene.

Seruire pro colere.

Cui seruio.) ᾧ λατρεύω, id est, Quem colo. Diuersum enim est ab eo quod est Græcis δουλεύω. unde λατρείαν uocant cultum, qui præstatur diuis aut deo. Græci uocem deductā putant ex λα, quæ particula uehementiam significat apud illos, & τρέμω, quod est tremere siue metuere. Quanquam interpres & aliâs nunc obsequium, nunc seruitutem uertit λατρείαν, rectius uersurus cultum. Subindicat enim Paulus religionis & cultus ratione esse nouandam

Spiritus opponitur cerimonijs.

dam,urgentibus Iudæis,ut ad Mosaicæ legis cerimonias pertraherentur ethnici. Proinde quanquam ipse Paulus à Mose prouectus ad Christum,iam non immolaret pecudes, tamen eundem deum alio ritu colebat,nempe prædicando filij euangelio,qui cultus spiritualis esset,& ob id deo longe gratissimus. Cum enim dicit,In spiritu meo,excludit corporeas uictimas.Iam in spiritu, præpositionem in,additam esse datiuo instrumenti aut modi,iuxta proprietatem sermonis Hebræi,frequenter iam ostendimus.

Memoriam uestram.) μνείαν ὑμῶν. Cum Græcis ad utrumq; sit anceps uox, & Facio me moriam non dicamus Latine,commodius uertisset mentionē.quandoquidem orare nihil aliud est quàm colloqui cum deo,ne quis putet durius dictum,mentionem uestri facio. *Memoria pro mentione.*

Si quomodo.) εἴπως ἤδη ποτὲ,id est,*Si* quo pacto,iam aliquando,siue Tandem aliquando.Nam ἤδη apud Græcos nonnunquam urgentis uim habet. Cæterum hæc aduerbiorū & coniunctionū congeries, πῶς, ἤδη, ποτὲ,mirū quoddam & impatiens exprimunt desiderium ac studium festinandi, quemadmodū admonent & Græcanica scholia. *Epitasis.*

Prosperum iter habeam.) Græcis est, εὐοδωθήσομαι. Verbum duabus è partibus compositum,εὖ bene,& ὁδὸς uia,εὐοδόω. quo uerbo utuntur quoties res succedit ex animi sententia. Idem est in psalmo primo, Et omnia quæcunque faciet prosperabuntur,εὐοδωθήσονται. Significat enim Paulus hactenus non successisse.

In uoluntate.) ἐν τῷ θελήματι. Admonuimus,cum aliàs,tum paulo superius,hanc præpositionem ἐν,nonnunquam usurpari pro per, figura loquendi, sicut opinor, ab Hebræis sumpta.Proinde nos exprimentes sensum magis quàm uerba,uertimus, Volente deo.

Veniendi ad uos.) ἐλθεῖν. Rectius erat uenire,siue ut ueniam.ut infinitum uerbum referatur ad participiū quod paulo ante præcessit,δέομαι. Orans ut ueniam ad uos,siquando mihi contingat,uolente deo,prosperum iter.Nam hæc est uerborum Græcorū sententia.

Aliquid impartiar gratiæ.) ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα,id est,Donū non gratiam,χάριν. Quam interpres in hac uoce lusit copia suo more.Nā alicubi uertit donum,ut illic,Sed non sicut delictum,ita & donum,ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα,οὕτως καὶ τὸ χάρισμα. Alibi Græcā uocem reliquit,quasi deesset quo redderet eam Latine,ut illic, Sectamini charismata meliora, ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα. Porrò quid interfit inter χάριν & χάρισμα,alijs expendendum relinquo.Illud cōstat et χάριν pro beneficio poni,& χαρίζομαι,beneficiū largior,siue ad gratiā facio.unde uerbale nomē deductū χάρισμα.à χάρις, χαρίζομαι,à κεχάρισμαι,χάρισμα, profectū est. Vtrunq; competit ubi quid gratis donatur,aut benefit alicui. *Gratia pro dono.* *χάρισμα.* *χάρις.*

Simul consolari.) Laurentius hic interpretem μασιγοῖ, nec prorsus abs re. Quid enim erat causæ cum Græcis utrobiq; uerbum sit infinitū,συγκυχθῆναι & συμπαρακληθῆναι, ut alterū relinqueret, alterum redderet per gerundium? Apparet utrunq; pertinere ad accusatiuum ὑμᾶς,quia præcedit in ordine.ut sit sensus,ut uos confirmemini,simulq; consolationem accipiatis mutuam inter uos.Siquidem illud, *Simul* consolari,subiecisse uidetur, non ad diuersa digrediens,sed uelut expositione molliens quod dixerat, Ad confirmandos uos, ne quid offenderetur Rhomanorum arrogantius ingeniū,si uiderentur egere confirmatione ceu uacillantes ac nutantes.Sed eam confirmationē, mutuam consolationē interpretatur, suo more modestissime loquēs. tametsi Græcanica scholia posteri⁹ uerbū συμπαρακληθῆναι referunt & ad Paulum,ut intelligas illos confirmandos & fulciendos aduentu Pauli, Paulum autem solatium mutuum accepturum ex illorum confirmata fide.Quod si placet,subaudiendum est pronomen primæ personæ,ἐμὲ siue ἡμᾶς,id est,me uel nos.Et ad hanc quidem sententiam interpretatē Origenes ac Theophylactus, mihiq; hoc magis ea probatur quod addidit coniunctionē δέ,τοῦτο δέ ἐστι,quæ palàm indicat mitigari & corrigi quod præcessit.Quod genus est & illud,Sacramentum hoc magnum est, ego autē dico in Christo & ecclesia.Deinde si sensisset inter uos,ἐν ὑμῖν,magis dixisset,ἐν ἑαυτοῖς.Deniq; magis quadrat quod sequitur,διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ,id est,per mutuam fidem uestrā simul & meam.Illorum fides prædicabatur in toto mundo,& Paulus habebat fidem. Itaq; collatione facta,futurum erat, ut utrinq; in sua,hoc est,communi fide,alteri ab alteris fulcirentur.Quemadmodum fit,quoties duo rem à diuersis acceptam autoribus inter se conferunt,uterq; certius credit quod audierat ob narrationis mutuæ consensum.Illud adijciam, ne quid fugiat lectorem,συμπαρακληθῆναι referri posse, uel ad mutuam consolationem,uel *Duplex expositio.*

ad mutuam exhortationem. Et cum mox loquutus sit de confirmandis illis, ad id magis quadrat exhortatio mutua quàm consolatio. Theophylactus admonet hoc loco consolationem pro gaudio non inepte posse accipi. Chrysostomus refert ad lenimentum afflictionum, quas ob Christi nomen perpetiebantur qui credebant euangelio, simul indicãs gradus quibus apostolus leniit ac temperauit sermonem. Quum enim dixisset, confirmari, metuens ne Romani arrogantes dicerent, Quid? An uacillamus, ut tua lingua simus fulciendi, mitigauit hoc, & uerbũ confirmandi, uertit in consolandi, nec hoc contentus, nõ dixit παρακληθῆναι, sed συμπαρακληθῆναι, quasi nõ minus ipse egeret illorũ cõsolatione. Deniq; iunxit fidei communionem, deponens doctoris personam, & induens condiscipuli. Sic Paulus fit omnia omnibus, ut omnes lucrifaciat. Hæc est pia uafricies, & sancta, ut ita dixerim adulatio.

Hyperbaton. Nolo autem uos.) Origenes hoc loco commonstrat Hyperbaton, hoc est, cõfusum orationis ordinem, putans nonnihil etiam deesse. Sed existimat orationis seriem ad hunc modum posse restitui, Sicut fructum habui in cæteris gentibus (Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipiẽtibus debitor sum) ita quod in me est, promptus sum, si liceat, etiã uobis qui Rhomæ estis euãgelizare. Hoc obiter annotaui, quod ad scripturæ distinctionẽ pertineat.

Et prohibitus sum.) ἐκωλύθην, quod magis sonat præpeditus sum, q̃m prohibitus, nimirum obstantibus negocijs, quod Græci dicunt ἐμποδίζω. Prohibet enim proprie, qui interdicit ne facias.

Et in uobis, in uobis quoq; Habeam in uobis.) ἔχω καὶ ἐν ὑμῖν, id est, Habeam & in uobis. Nec enim emphasi caret &, coniunctio. Apud Græcos omneis, aliquid fructus collegerat, idẽ optat & apud Rhomanos. Rursum In uobis, positum est pro eo quod est, inter uos.

Græci & Barbari. Græcis ac Barbaris.) Apud Græcos gemina est copula, ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, id est, Græcisq; ac Barbaris. Ac rursum σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις, id est, Sapientibusq; & insipiẽtibus. Nec est ociosa coniunctionis iteratio, significans Paulum esse debitorem ex æquo omnibus citra ullum gentis delectum. Idq; inculcat ob Iudæos, qui prædicationem euangelij ad se solos attinere uolebant. Cæterum hic σοφοῖς non tam sapientes significat quàm eruditos, & ἀνοήτοις, crassos potius & indoctos quàm stultos. Sapientiam enim, hoc est, eruditionem sibi uendicabãt Græci. Porrò Græcos quos aliquoties pro quibusuis gẽtibus positos reperies, hic Barbaris opposuit, quos ἀνοήτους uocat, ceu rudes philosophiæ & indoctos.

Sophi docti.

Stulti rudes.

Promptũ pro promptitudine. Itaq; quod in me promptum est.) Laurentius admonet hoc loco promptum accipiendum substantiue, nempe pro ipsa promptitudine, quemadmodum illi χρηστὸν uocant χρηστότητα, ταχὺ, ταχύτητα, appositiuis abutẽtes pro substantiuis nominibus. ut sit sensus, ita pro mea uirili promptus sum, et promptitudo animi mihi adest, etiam uobis qui Rhomæ estis euangelizare. Atq; ita sanè legit Ambrosius. Itaque quod in me est, promptus sum &c. At sunt qui malint infinitum εὐαγγελίσασθαι referre ad nomen uerbale ὀφειλέτης, & οὕτως aduerbium sic accipere, non ut connectat hanc orationis partem cum superioribus, sed referatur ad reliquos quibus iam prædicauerat euangelium Paulus. ut sit sensus, Sicut aliis gentibus iam prædicaui, cum omnibus debeam, sic quantum ad animi mei promptitudinẽ attinet, debeo & uobis, qui Rhomæ agitis, tametsi sapiẽtes, potẽtes, & docti sitis, prædicare euangelium Christi. Atq; id sanè belle quadrat cum iis quæ mox sequuntur.

Erubesco hoc aut illud an Latine. Non enim erubesco euangelium.) οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον. Interpres aliquando uertit confundor, aliquando erubesco, adiungẽs accusandi casum. Latinius erat, Nõ enim me pudet euangelij. Quanquam apud Q. Curtium scio legi erubescit fortunæ, quod si crebro occurreret in bonis autoribus non pigeret imitari. Græci codices aliquot addunt Christi. τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ, quod Christi nomen adhuc apud multos præsertim sapiẽtiæ persuasione turgidos, contemptum haberetur, apud quos Platones, Pythagoræ, Zenones, Aristoteles erant in precio. Quanquam Chrysostomus nõ addit τοῦ χριστοῦ, sed articulus indicat de euangelio sentiendum de quo prius dixerat, Euangelium dei.

Erubescit fortunæ apud Q. Curtium.

Dei enim uirtus est.) δύναμις γὰρ θεοῦ, id est, Potentia enim dei est, ut ostendat ne Rhomanis quidem rem esse aspernandam, ceu humilem & inefficacem. Hoc admonui quod uirtus apud Latinos sit anceps, quæ nonnũquam sic usurpatur, ut respondeat ei uoci quæ apud Græcos est ἀρετὴ, & opponatur κακίᾳ, hoc est, uitio, aliquoties ut respondeat Græcæ

quæ est

quæ eſt δώναμις,& opponatur imbecillitati ſiue impotentiæ. Addidit autem dei, ne Chriſtus,ut homo contemneretur ab infirmis & incredulis.

Omni credenti.) παντὶ τῷ πιστεύοντι.Dilucidius erat,Cuiuis credenti.Non enim uult haberi delectum gentis,aut fortunæ,modo fides ſit communis.

Iudæo primũ & Græco.) Et hic gemina Græcis eſt coniunctio, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλλησι, id eſt,Et Iudæo primum & Græco. Primum autem hoc loco perinde ualet,quaſi dicas potiſſimum:quod Iudæis promiſſus eſſet Chriſtus,à quibus & exortus eſt, & Græci ſapientia præſtarent. Cæterum hoc loco Græcum accipit pro ethnico,atq; ita uertit alibi non uno in loco. Tametſi ſuperius Græcis ac Barbaris,pro peculiari gente poſuerit. *Græcus pro ethnico.*

Ex fide in fidem.) Sermo latinus nullã habet uocẽ ſatis reſpondentẽ πίστει,Latinis enim habere fidem alicui dicitur,qui credit dictis illius,& dare fidẽ dicitur, qui ſancte promittit, & aſtringit fidẽ ſuam, qui ſe obligat alicui. Liberat autẽ fidem ſuã, qui præſtat quod promiſit.Fide caret cui nõ creditur,Fronti nulla fides.Fidẽ uiolat,qui nõ præſtat conuenta, unde & perfidus dicitur & perfidia.Fidẽ derogat alicui,qui facit ne illi credat, fidẽ conciliat,qui cõtra. Deſideramus fidẽ in eo,qui nõ præſtat ea quæ recepit,Probamus fidẽ illius,qui qđ potuit fecit ſedulo.Et in fidẽ alicui tradimus,quod illius fidei committimus. Et bonæ fidei poſſeſſor dicit,qui ſine dolo cœpit poſſidere.Qui cõtra,malæ fidei. De fide ſeruorũ in dominos,multa legimus. Et fidẽ facit qui perſuadet, & fidus dicitur, qui bona fide rem gerit, itẽ fidelis.Fides igit,apud Latinos interdũ eſt promittentis,interdũ præſtãtis promiſſum, interdũ credentis, interdũ eius cui credit,interdũ generale nomẽ,ut quũ dicimus fidẽ ſublatã è moribus hominũ,ſentientes neminẽ præſtare quod promittit, neq; quenq; alteri fidere.Et Græce πίστις,nonnunq; ſonat fidẽ præſtantis aut promittẽtis,nõnunq; probationẽ per quã perſuademus.Et πιστὸς dicitur qui nõ fallit,ἄπιστος infidus,ſiue diffidens. πιστεύει,qui credit ſiue confidit,aut qui cõmittit,& ἄπιστ qui nõ fidit.Apud Latinos incredulus eſt qui diffidit,Credulus enim & credulitas in uitiũ fere ſonant,& credere uarium eſt. Credit qui aſſentit dictis,& credit qui fidit,& credit uxorẽ alteri qui cõmittit.Iam & fidentẽ & fiduciã dicimus in bonã partẽ,quæ tantũ eſt in credente. Cõfidere itẽ & fidere in bonã partẽ,Cõfidentẽ & confidentiã in malã partẽ. Verũ his uocibus frequenter abutunt ſacræ literæ,Nã fidẽ frequenter uſurpant pro fiducia erga deum,ut nõ multũ differat à ſpe. Interdũ pro credulitate ſiue perſuaſione, qua aſſentimur his quæ de illo nobis tradita ſunt, qua credũt & dæmones.Nonnunq; hæc omnia complectit fidei uocabulũ, aſſenſum illum & in narratis & in promiſſis,& fiduciã ex illius omnipotẽte bonitate conceptã,nõ ſine ſpe,hoc eſt expectatione promiſſorũ.Et hactenus quidẽ dicitur fides hominis,Cæterũ & dei fides dicitur, quã ille præſtat in promiſſis,unde deus fidus ſiue fidelis,hoc eſt πιστὸς dicit, eo quod nõ fallat:ſed homo fidelis dicit, qui credit promittẽti, præter uſum Latini ſermonis,& tamen ſic frequenter loquunt ſacræ literæ.Nã diſpenſator fidelis Latine dicitur, Infidelis autẽ nõ Latine ſed in ſcripturis dicitur, qui diffidit,Græce melius ἄπιστος ſiue ἀπειθὴς. Nonnunq; fides dei dicitur,qua nos illi fidimus potius q; homini,cuius dicitur & ob hoc quod ab illo donatur, nõ ſolũ quod in illũ tendat.Interdũ utriuſq;,ut Iuſtus ex fide uiuet, dei qui non fallit in promiſſis,& hominis, qui deo fidit. Ad utrũq; pertinet quod hic dicit ex fide in fidem. Quemadmodum enim deus ſtatis temporibus aperire cœpit qualis eſſet, & præſtare quæ promiſerat,ita creuit per gradus hominibus erga deũ cognitio et fiducia.Prophetis pauci credebant priusq; dominus exhibuiſſet oculis quæ illi promiſerant. Rurſus ex his quæ uidimus,& uidemus confirmatur fides de iis quæ prædicta ſunt de poſtremo aduentu.

Ex fide uiuit.) Viuet,legendũ eſt uerbo futuri temporis, ἐκ πίστεως ζήσεται. Atq; ita citat & apud hunc in epiſtola ad Galatas,& in epiſtola diui Iacobi. Sic interpretatur Chryſoſtomus,exponẽs de futura uita,quũ hic interim affligatur & occidatur: ideo dictũ eſſe uiuet, non uiuit.Locus autẽ quem adducit Paulus, eſt apud prophetã Abakuk,cap.ij.Quẽ ſeptuaginta ſic interpretati ſunt,Iuſtus autẽ ex fide mea uiuet. Vnus Symmachus ſignificantius expreſſit,ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσεται,id eſt,Iuſtus autẽ per propriam ſuã fidem uiuet,ſiue uicturus eſt. Hieronymus putat ſeptuaginta lapſos Hebraicorum elementorũ ſimilitudine, quæ mẽſura tantum inter ſe diſtant. Nam באמונתו ſonat Hebræis in fide ſua, quod ו uau litera, cum eſt appendix dictionis,uim habet huius pronominis ſui aut eius. *Iuſtus ex fide uicturus eſt.* *Paulꝰ ex prophetia pronomen omiſit.*

iod י item adiecta, uim habet huius pronominis mei בְּאֶמוּנָתִי, id est, in fide mea. Porrò uiuet futuri temporis esse uerbum, non solũ indicat æditio Græca, quã citat Hieronymus, quæq; extat in uulgatis Græcorum codicibus, uerumetiam in Hebræo uerbo יִחְיֶה. additũ enim י à principio tertiã personã futuri masculini efficit. Opinor autem Paulũ utrunq; pronomen omisisse, siue quod Rhomanis nota esset æditio septuaginta, & ob id ab ea dissentire nollet, neq; rursum Hebraicam ingerere, quã nesciebant. Siue quod huiusmodi pronomina passim soleant subaudiri, siue quo sententiã redderet absolutiorẽ, magisq; catholicã.

ἐκ πίστεως.) Præpositio significat originem. Vita enim ex hoc habet initiũ quod submittentes humanũ sensum credimus uerbis diuinis. Hoc aduersus philosophos dictum est.

Reuelatur quod aperitur.

Reuelatur.) ἀποκαλύπτεται, id est Retegit & aperitur, cum palàm fit quod ante tectũ fuerat. Nam ante proditum euangelium Christi, in solos Iudæos uidebatur aperta, reseratacq; ira dei, si peccassent. Atq; ob id addit, Super omnẽ impietatem, quod ad omneis ex æquo pertineret euangelij gratia. Iam illud uel citra monitorem opinor intelligi, iram ex consuetudine sermonis Hebræi frequenter usurpari pro ultione supplicioq;.

Dei additum.

Veritatem dei.) Dei apud Græcos non additur, nec in uetustis Latinorum exẽplaribus, nec attingit Chrysostomus, Sentit enim ueritatem cognitam philosophis, quæ ipsorũ potius est quàm dei. Nam dei ueritas confert uitam, Philosophorũ ueritas inflat. Sed ueritatẽ unde debebant ad altiora proficere detinebant in iniustitia.

Quod notum est dei.) τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, id est, Quod cognobile est dei, hoc est, quod de deo sciri cognoscíq; potest, astipulantibus & interpretibus. Est enim in deo, ad quod nulla humanæ mentis imaginatio possit ullo modo pertingere.

Manifestum est in illis.) In illis noue dictum est pro apud illos siue inter illos. Nec enim in illis referri potest ad res conditas, de quibus nondum facta est mentio, sed ad philosophos. Cæterum adiecit In illis, ut eos distingueret à Barbaris & uulgo indocto.

Creatura Græcis ambigua uox.

A creatura mundi.) κτίσις. Ambigua uox est apud Græcos, ut quæ uel creationẽ ipsam significare possit, hoc est, actum creandi, siue condendi, uel creaturam ipsam, hoc est, rem creatam. Interpres κτίσιν ad hominem referre uidetur, τὰ ποιήματα ad res creatas, ut intelligas à creatura, hoc est ab homine creato conspici animo, quæ corporeis oculis cerni nõ possunt, idq; per res creatas, in quibus extant diuinitatis uestigia. Alij contra, hoc, ad hominẽ referre malunt, illud, ad mundi creationem. Quanq; utrobiq; idem redditur sensus. Mihi uidetur utrunq; ad mundum conditũ non absurde referri posse, ut intelligas inuisibilia dei cerni ex ipsa mundi creatione, dum intelliguntur per opera, quæ dei conditoris potẽtiam, sapientiam, ac bonitatem præ se ferunt. Vt datiuus Græcus ποιήμασιν, pertineat nõ ad uerbum καθορᾶται, sed ad participium νοούμενα, id est, quæ intelliguntur. per quæ enimirũ τοῖς ποιήμασιν, hoc est, per opera, ueluti per instrumentum. Quandoquidem Græcis dandi casu exprimitur instrumentum, ut nobis auferendi casu. Iam illud admonere nõ ita magni refert, νοούμενα, quod uertit intellecta, participium esse præsentis temporis, non præteriti. Nõ enim ita conspiciuntur, ut prius sint intellecta, sed tum conspiciuntur, cum ex rebus conditis intelliguntur, uelut exponat quid senserit cum ait conspiciuntur. Sic enim intelliguntẽ ex rebus conditis, tanquam in speculo cernas imaginem, unde & κάτοπτρον habet nomen. Quin & pronomen αὐτοῦ utrolibet potest referri, ad τὰ ἀόρατα, ut accipias, dei naturam, ac uirtutes quæ cerni non possunt, uel ad id quod proxime sequitur τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ, id est, à creaturis illius. Sempiterna quoq;,) καὶ θειότης αὐτοῦ δύναμις. Græce non est quoq;, qua cõiunctione illi prorsus carent, sed q;. Quanq; interpres probe reddidit, si modo uera est Origenis interpretatio. ut inuisibilia referat ad creaturas inuisibiles, uidelicet substãtias separatas, nõ ad ipsum deũ, quẽ postea subijcit separatim. Mihi sanè nõ displicet Origenica diligẽtia, quæ nusq; nõ philosophatur, uerũ ea sententia quã sequitur Ambrosius & Chrysostomus mihi uidet simplicior. Ita ut sint.) Ita nõ solũ redundat, uerũ etiã subuertit sensum, si addat. Græci sic habẽt, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, id est, Vt sint inexcusabiles, siue in hoc, ut sint inexcusabiles. Siue quod per dei cognitionẽ eò deducti sint, ut ignorantiã nõ queant prætexere cum peccant, siue quod deus in hoc ipsum indulserit eis sui cognitionem, ut postea nihil haberẽt, quod prætexerent suæ incredulitati si Christũ reijcerẽt. Etiãsi Theophylactus indicat, Paulũ abusum hoc typo sermonis, cũ nõ sentiat de fine, sed de consequentia

Nouã interpretatio.

Intellectu conspiciuntur.

Origenis & Ambrosij interpretatio.

sequẽtia,qd' genus est & illud è psalmo,Quoniã malum corã te feci,ut iustificeris in sermonibus. Neq; enim hoc sentit,ideo se peccasse, ut deus appareret iustus, sed hoc cõsecutum, ut dum ille peccare nõ desinit,eluceſcat dei iustitia,qui peccanti quoq; promissa præstet. *Finis & sequela.*

Sed euanuerunt.) ἐματαιώθησαν, id est, Vani siue superuacanei facti sunt, aut frustrati sunt. μάτην enim frustra,inde μάταιος superuacaneus & nullius usus.hinc ματαιόομαι frustror. Vulgo uanũ uocant glorioſum ac superbũ,& ad eum sensum exponit Lyranus. Qui Latine callẽt,uanũ dicũt,aut quod uerũ non est, aut quod friuolũ est & inane,nihil habens solidi.Cæterũ euanescere dicitur,quod cũ prius falsa imagine offerret oculis, deinde desinit apparere ueluti fumus. At Paulus sentit illos frustratos fuisse suis cogitationibus, hoc est, lõge secus euenisse q̃ putabãt.id quod declarãt quæ mox sequũtur, Dicẽtes se esse sapiẽtes stulti facti sunt.Id enim est frustrari, cum summã sapientiã tibi speraris, in summã incidere stultitiã. Et cum clarissimã lucẽ somniaris,in altissimas demergi tenebras: & cũ raram quandam gloriã apud mortales tibi proposueris, in adeo probrosas ,plabi cupiditates, ut ab ijs & brutorum animantiũ natura abhorreat.Est autẽ διαλογισμὸς non simplex cogitatio,sed cogitatio raciocinantis & expendentis ac dijudicantis, quod alieniſſimũ est à fide Christi, ad quam illos uocat Paulus. Taxat enim obiter dialecticas philosophorũ argutias, quibus frustra freti,sapientiam absolutam & sibi uindicabant,& alijs pollicitabantur. *Euanuerunt pro frustrati sunt.* *In cogitationibus.*

Dicentes se esse sapientes.) φάσκοντες εἶναι σοφόι. Si nihil licet immutare in arcanis literis, cur hic interpres ausus est Græcam sermonis figuram Latinam reddere? Quanquam nec sic quidem ad plenum expressit sententiam.Nam φάσκοντες εἶναι magis sonat,qui cum putarent,aut profiterẽtur se sapientes. Siquidem ob rerum affinitatẽ abutuntur sæpe φημὶ pro ὄιμαι. Iam coniunctio enim,quæ additur in nostris plerisq;,nec habetur in Græcis uoluminibus, nec in uetustis Latinorum, nominatim ijs, quæ nobis præbuit bibliotheca collegij, quod est Brugis S.Donatiano sacrũ. Stulti facti sunt.) Græcis unica dictio est, ἐμωράνθησαν,id est,Infatuati sunt. Incorruptibilis dei.) ἀφθάρτου.Quod aliãs uertit,immortalis. Vt 1. Timoth.1.immortali deo ἀφθάρτῳ θεῷ.& hoc sanè loco magis quadrabat. Opponit enim deum immortalẽ simulacro hominis mortalis,φθαρτῷ,nisi quod ἄφθαρτον plus quiddam significat,quàm ἀθάνατον,Nam hominum animi ἀθάνατοι sunt, ἄφθαρτοι nequaquam. *Dicentes pro putantes.*

In similitudinem imaginis.) ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος,In similitudine imaginis,uel potius in effictione siue assimulatione imaginis.Neq; enim sentit illos uertisse dei gloriam in imaginem hominis,sed aliter sensisse de deo quàm oportebat,cum illi cui simile nihil est in rebus corporeis affingerent imaginẽ hominis.Atq; ita dictum est in similitudine,quasi dicas,per assimulationẽ imaginis. Ad eundem modũ paulo post μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν αὐτοῦ ἐν τῷ ψεύδει,id est, Transmutauerunt ueritatem eius in mendacio.ut utrobiq; sit auferendi casus, non accusandi.Nec enim uerterunt ueritatem dei in mendacium,sed cum ipsi uersarentur in mendacio, sibi mutauerunt dei ueritatem, aliter de illo prædicantes quàm est. Certe In mendacio habebat uetustissimus codex è bibliotheca S. Donatiani. Si hominem pro deo coluissent magna erat in conditorem contumelia,leuior tamen fuisset insania,nunc simulachrum mendacium uocat,quod specie mentitur hominem aut aliud animal,quum nec uiuat nec sentiat.Præstabilior enim uiua simia,quàm simulacrum hominis. *In similitudine,pro per assimilationẽ.* *In mendacio, pro per mendacium.*

In desideria cordis.) ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν, id est,In concupiscentijs cordiũ suorum,non cordis,nec In desideria.Quo sanè loco uideri poterat abusus præpositione,id quod & aliãs facit,nisi magis quadraret,ut intelligamus tradidit positum pro destituit.Nõ enim illos deus adegit in concupiscentias fœdas,sed destituit suopte uitio illuc euntes.Potest & sic accipi,ut in cõcupiscentijs dictum sit,per concupiscentias.In tantas turpitudines prolapsi sunt,illecti & abstracti suis ipsorũ cupiditatibus,permittẽte deo.Nec emphasi caret quod cordium,dictum est multitudinis numero. ut intelligas diuersos esse stultorũ affectus,nec in his unum cor,aut ullum consensum. *In cõcupiscentias, pro per cõcupiscẽtias*

Corpora sua in semetipsis.) ἐν ἑαυτοῖς, id est,Inter sese.Significat enim,ni fallor,masculorum mutuum inter ipsos stuprum,& mutuum item coitum fœminarum inter ipsas.

Veritatem dei.) τὴν ἀλήθειαν αὐτοῦ, id est, Veritatẽ eius,nempe dei.Alioqui cũ mox præcesserit deus,duriusculum est subito repetere,quanq; hic uariabant Græcorum codices.

Et coluerũt.) ἐσεβάσθησαν,id est, Venerati sunt.quod proprie dicimus de ijs quibus diui-

num quiddam ac maiestatē tribuimus,quæ & σεβασὰ,id est,augusta dicūtur.Quod sequitur ἐλάτρευσαν seruierunt,nos uertere maluimus coluerunt.

Potius quàm creatori.) παρὰ τὸν κτίσαντα, id est, Vltra eum, siue supra eum qui creauit. hoc est,plus honoris exhibuerunt rebus creatis,q̄ illi qui creauerat. Hilarius libro de tria/de 12. Seruierunt inquit,creaturæ,præterito creatore:pulchre sensum exprimens.

Benedictus laudandus.

Qui est benedictus.) ἐυλογητὸς, Quod nos ob rudiores uertimus laudandus. ἐυλογία enim Græcis est honorifice loqui de quopiam. unde & episcoporū benedictiones opinor dictas, quod populo bene precentur,beneq; ominentur.Etiamsi hoc uerbum adeo passim receptum est in sacris literis,ut uix liceat mutare.

Passiones πάθη.

In passiones ignominiæ.) εἰς πάθη ἀτιμίας. πάθη apud Græcos nonnunquam perturbationes animi sonat, aut motus,aut morbos,aut quod maxime placet Fabio affectus. In tanta copia probatorū nominum, quorsum opus erat nouo & factitio passionis uocabulo? Hoc loco maxime quadrabat morbos. quandoquidem effœminatam libidinem & Horatius morbum appellat. Cum grege turpium morbo uirorū.Porrò quod addidit ignominiæ,ex Hebraica sermonis proprietate sumptum apparet, pro eo quod est, In affectus de/decorosos,siue cōtumelios os, & ignominiosos.Siquidem libidinem cōtumeliam corporis appellat,ut paulo superius, τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα ἀυτῶν. Et Petrus interprete Hieronymo honorem uocat uxoris,si coitu non cōtaminetur.Honori uero opponitur ἀτιμία.

Passiōes ignominiæ, pro ignominiosis.

Nam & fœminæ illorum commutauerunt naturalem usum fœminæ.) Postrema uox fœminæ θηλείας additur in nonnullis Græcorum codicibus, sed mendose,ni fallor, uidelicet ex proxima parte huc adiecta. In desideriis suis.) ἐν τῇ ὀρέξει ἀυτῶν, id est, In appetētia sua,siue quod malim sui.ut intelligas masculorum mutuam inter ipsos appetentiam.

Merces. ἀντιμισθία.

Et mercedem quam.) Græce significantius est ἀντιμισθίαν. quasi pensationem dicas, aut repensationem, ac præmij retributionem, seu mercedem meritis respondentem. Sunt enim quædam flagitia eiusmodi,ut nō solum ipsa sint scelera,uerum etiam scelerum pœnæ.

Duplex sensus.

Et sicut non probauerunt.) Sensus est geminus, sed uterq; redditur Græcis uerbis, καὶ καθὼς ἐυκ ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει. Siue enim accipis hunc sensum,Et quemadmodum non probauerunt,hoc est,noluerunt deum habere in agnitione. nam hic agnitio magis est quàm cognitio,& cognitum utcunq;, noluerunt agnoscere. Videtur deesse articulus τὸν θεὸν ἔχειν.Siue hunc, quemadmodum non probauerunt quod deus agnosceret & sciret omnia, quo ueluti nihil intelligente licenter peccabant. uidetur accusatiuus deesse quem exigebat uerbum ἔχειν, qui exprimeret quid deus haberet in notitia. Et quanquam alicubi uidentur usurpare ἐπίγνωσιν pro γνῶσιν,id est,Agnitionem pro cognitione,tamen horum nominum differentia notatur & ab Hieronymo nostro, & à Græcis interpretibus. Hoc sanè loco pulchre cōueniebat agnitum. Siquidem ante dixit deum ab illis cognitum, at hic negat agnitum.Cognoscere est intelligentis.agnoscere grati ac memoris.Ingratus nouit beneficium, uerum dum dissimulat se debere, non agnoscit. Theophylactus admonet hic ἐδοκίμασαν positū pro ἔκειναν,id est,nō uisum est eis,ut intelligas incusari non inscitiam sed peruersam uoluntatem. Nam probandi uerbum Latinis anceps est,Probat qui approbat,probat,qui tentat,probat, qui docet argumentis.Sensus igitur iuxta Græcos interpretes sic fermè habet,Nō uisum est illis deum quem cognoscebant,agnoscere ac uenerari.

Cognoscere Agnoscere.

In reprobum sensum.) εἰς ἀδόκιμον νοῦν. Nō est hic sensus ἀισθησις,quod genus sunt,uisus, auditus, sed νοῦς,hoc est,mens.unde dilucidius erat,in reprobam mentem.Est autem festiua uocum affinitas in ἐδοκίμασαν ,& ἀδόκιμον, id est,Probauerunt & reprobum.Nam hic probari dicitur quod placet,& ἀδόνιμον, quod omnibus displicet. Huiusmodi sunt hæc quæ commemorat flagitiorum portenta,quæ execrantur & ipsi ethnici.

Quæ non conueniebant.) τὰ μὴ καθήκοντα. Sensus est, indigna se,hoc est, quæ tales uiros dedecebat facere.

Repletos.) Interpres hos accusatiuos retulit ad uerbum quod præcessit,tradidit.At commodius referunt ad infinitū uerbū ποιεῖν. quod posteaq̄ mutauerat in aliū modū,mutandi simul erāt accusatiui in nominatiuos, ut facerēt q̄ nō cōueniebant,repleti in omni iniqtate.

Auaricia πλεονεξία.

Auaricia.) πλεονεξία. Quod aliquoties uertit rapinam,aliquoties fraudem, nonnunquā auariciam. Est autem πλεονεκτεῖν uerbum compositum à πλέον ἔχειν, hoc est,à plus habendo.quo

do.quo Græci utuntur cum quis sibi plus usurpat quàm ius est, aut potiores partes, fraudatis etiam cæteris occupat.inde πλεονέκτης & πλεονεξία. Non solum autẽ nullus auarus est qui non sit idem fraudator,sed ne diues quidem ullus,qui nõ aut iniquus sit,aut iniqui hæres,si prouerbio credimus.Cæterum quoties incidit huiusmodi nominum catalogus,non nihil dissonant exemplaria siue Græca consulas, siue Latina.id quod obliuione notariorũ accidit,quod difficile sit huiusmodi meminisse. Nec usq; quaq; probo quorundam nimis anxiam in hisce rebus diligentiam,qui numerum quoq; putant obseruandum in congesta nominũ sylua.uelut cum alijs aliquot locis,tum in epistola ad Galatas,quorsum attinet numerare fructus spiritus,cum opera carnis,neq; numero, neq; generibus respondeant? deniq; catalogo adijcitur & his similia. *Anxia diligẽtia in nominibus cõgestis.*

Nequitia.) κακία. Quæ dictio Græcis nunc uitium sonat,& opponitur ἀρετῇ. Aliquando ignauiam,unde ἐκκακῶμ deficere ac delassari.nonnunquã afflictionem,quod rectius tamen κάκωσιμ dicimus.Hoc loco maluissem uertere,maliciam, quæ apud Senecam simpliciter usurpatur pro uitio.alioqui peruersitatem sonat,cum quis data opera male agit. At πονηρίαμ uertit,maliciam.quæ uox aliquando non solum maliciam significat, sed uersutiam & astutiam. unde proxime præcedit auariciã uelut illius germana. Nequitia uero proprie ad libidinem & luxum pertinet,quod hæc uitia hominem perditum & nihili declarent,& ab omnibus contemni soleant his obnoxij. Est autem Græca legentibus non ingrata affinitas in πορνεία & πονηρία. *Nequitia,pro malicia.* *πονηρία.*

Inuidia,homicidijs.) Apud Græcos iucunda uocum affinitas est in φθόνου,φόνῳ.Quanquam cæde,potius est,singulari numero quàm homicidijs. *Adnominatio*

Malignitate.) κακοηθείας. Quod magis sonat morum asperitatem ac difficultatem. Nam apud nos malignitas opponitur benignitati seu cãdori,& maligne laudat,qui parce ac propemodum inuide laudat.& maligne dat,qui contracte dat. *Malignitas pro asperitate morum.*

Detractores.) Significãtius apud Græcos καταλάλους, id est, Obtrectatores.nam detrahit qui minuit laudem alicuius.Obtrectat qui male prædicat de alio.

Deo odibiles.) Vnica uox est apud Græcos θεοστυγεῖς, & magis sonat,quibus deus est inuisus,q̃, quos deus habet inuisos. Atq; ita interpretant Græcanica scholia, licet Theophylactus utroq; modo interpretetur. Cyprianus item in epistola quarta libri primi legit, deo abhorrentes.nimirum ex eorum genere qui dicunt deo,recede à nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus.

Contumelios os.) ὑβριστὰς,id est,Feroces & per uim alios opprimentes. quasi dicas,iniuriatores.unde mox subijcit huic cognatum uitium, ὑπερηφάνους,superbos.

Elatos,) ἀλαζόνας.Plautus ἀλαζόνα uertit glorioſum, quẽ & fastosum recte dixeris. Vox dicta Græcis παρὰ τὸ ἀλῆ γῆμ, quod impostores eiusmodi subinde mutare solent locũ,quo facilius fallant quibus sunt ignoti.ἀλαζὼμ diuersus est ab eo quem εἴρωνα uocant Græci. Si quidem ille præ se fert & ostentat quod non est,hic dissimulat quod est.

Inuentores malorũ.) ἐφευρετὰς, id est, Adinuẽtores.Siue quod in rebus per se bonis aliquid admisceãt mali,siue qd' semper addant mala malis.Semper enim malũ è malo gigniť.

Non obedientes) ἀπειθεῖς, id est,Immorigeros seu inobedientes, siue intractabiles, nec hic opus erat periphrasi.

Sine intellectu,incompositos.) Rursus est iucundissima uocum affinitas in Græco sermone,quam interpres nec affectauit,nec potuit reddere, ἀσυνέτους,ἀσυνθέτους.Theophylactus incompositos,interpretatur, infidos,minimeq; tenaces pactorum, ac lubricæ fidei inconuentis.quod paciſci Græcis dicatur & συντίθεσθαι, & cõuenta συνθήκαι. Porrò ἀσυνέτους uocat,quos nec ratio cohibet homini peculiaris,& sine qua homo desinit esse homo. *Adnominatio*

Sine affectione.) ἀστόργους. Vt ne excutiam interim quod interpres abusus est, affectione pro affectu,cum multũ intersit.Affectibus carere iuxta Stoicos summa laus est,sic apud nos quoq; malis uacare affectibus,laudi ducitur.At στοργὴ non simpliciter affectum significat,sed potius affectum illum pietatis aut charitatis, quo parentes tanguntur erga liberos, ac uicissim illi erga eos,quo frater erga fratrem. Vnde qui eò processerũt in uitijs,ut ad hos quoq; cõmunes affectus,& ad ipsum naturæ sensum obsurduerint, ἄστοργοι uocãtur.Quales erat ille de quo Satyricus, Nec amat,nec amatur ab ullo.

Sine fœdere.) Quæso quid hoc est, sine fœdere? Num damnat eos qui non pangunt fœdera, *Sine fœdere.*

ἄσπονδοι. fœdera,an eos potius,qui nullis fœderibus coercentur,quo minus quod libet faciant? Vnde fœdifragos dicere potius debuit. Quanꝯ aliâs Græci ἄσπονδον uocãt irreconciliabilem, ut ἄσπονδος πόλεμος. & σπονδὴ sodalitatem quoq; significat. ut intelligas,intractabiles, sibi uiuentes,erga neminem iure necessitudinis utentes. Hic συναθροισμὸς, id est, Cõgeries uocum,& ἀσώδεσμον mire facit ad orationis impetum ac uehementiam. Et πλεονασμία non solum ad iucũditatem facit,uerum etiam ad odium & inculcationem rei molestæ.ueluti si dicas,de manifesto mendacio,hoc neq; scriptum,neq; pictum est usquam.

Sine misericordia.) ἀνελεήμονας, id est, Immisericordes. Mirum cur hic interpretem delectarit periphrasis.

Diuersa apud Græcos lectio

Qui cum iusticiã dei.) Hoc loco Græcorũ codices longe à nostris dissident. Sic enim est apud illos, οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν, id est, Qui cũ iusticiã dei cognorint, nimirũ hãc, qd' qui talia agũt, digni morte sint, non solũ eadẽ faciũt, sed etiã consentiũt facientibus ut itelligas graui⁹ esse approbare aliorũ malefacta q̃ teipsum malefacere tacitũ. Sed deprauationis occasio fuerũt hæ duæ uoces ποιοῦσιν & συνευδοκοῦσιν, q̃ uoces apud Græcos cõueniunt cũ datiuis participiorũ pluratiuis, & cũ tertijs personis uerborũ. Primũ enim ponit iusticiã dei, deinde uelut exponit quæ sit ea iusticia. nẽpe qd' qui talia agũt, digni sint morte. Cæterũ unde hæc duo uerba, Nõ intellexerũt, accesserint in nostris exẽplaribus, equidẽ nõ satis intelligo. Quãꝯ etiã illis additis idem erit sensus, si legas p interrogationẽ negatiue. ut intelligas fieri nõ potuisse quin hoc quoq; intellexerint. Ex Origene nihil certi potest colligi quod ad hanc rem pertineat, nisi quod suspicor in eo locũ hunc esse deprauatũ. At Græcorum scholia tantũ indicant nonnullis hunc locũ aliter legi solere, ut facere grauius esset, consentire leuius. Verũ nostri quoniam, opinor, ad explendũ hunc sensum sentiebant aliquid deesse, addiderũt hæc duo uerba de suo. Nõ intellexerũt. Cæterũ magno consensu Græcorum qui nunc extant codices, indicãt diuersum esse Pauli sensum, nempe grauius esse comprobare aliorũ malefacta, quàm si ipse labaris in peccatũ, propterea quod hoc sæpenumero uel casus est, uel infirmitatis, illud uel pestilẽtissimæ adulationis, uel deploratissimæ maliciæ. Sapientũ erat plebem indoctam ab his uitijs cohibere. At nõ solum eadem fecerũt, uerum etiam autoritate sua cõfirmarunt populi uesaniam. Ad eum modum interpretatur Chrysostomus & Theophylactus, sed dissentiẽte Cypriano, libri primi epistola quarta, cumq; hoc Ambrosio. Cæterũ ob δυσεθεῖς quosdã præstiterit ipsius Chrysostomi uerba subscribere. δύο τιθεὶς ἐνταῦθα ἀντιθέσεις ἀνῆλε αὐτὰς πλοκυσμένως. τί γὰρ εἶπας φησὶν ὅτι οὐκ οἶδα τὰ πρακτέα; μάλιστα μὲν οἶδας. σὺ αἴτιος, ἀφεὶς τὴν γνωρίζοντά σοι θεόν. νῦν δὲ διὰ πολλῶν δείκνυμί σε εἰδότα, καὶ ἑκόντα πλημμελοῦντα. ἀλλ' ὑπὸ τοῦ πάθους ἕλκει; τί οὖν καὶ συμπάσχεις καὶ ἐπαινεῖς; οὐ γὰρ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράττουσιν. τὴν γοῦν χαλεπωτέραν πόπτερον θεὶς καὶ ἀσύγγνωστον, ἵνα ἕλκῃ, καὶ γὰρ τοῦ πλημμελοῦντος τὴν ἁμαρτίαν, ἐπαιρῶν πολλῷ χαλεπώτερος. τοῦτ' οὖν πρῶτον εἰπὼν, διὰ τούτου σφοδρότερον πάλιν, ἐμπῖς ἑξῆς χρῆται αὐτῶν οὕτως λέγων, διὸ ἀναπολόγητος εἶ ὦ ἄνθρωπε, id est, Duas hic propositas obiectiones dissoluit in primis. Etenim quid inquit habes qd' dicas, non noui quæ essent agenda? Maxime sanè noueras. Tu in culpa, qui deum per quem hæc noueras reliqueris. Nunc uero multis argumentis conuinco te, scientem ac uolentem peccare. Sed cupiditas te pertrahit ad peccandum. Quur igitur & eadem facis & laudas? Non enim solum eadem faciunt sed & comprobant facientes. Grauiorem igitur culpam & nequaquã ignoscendam prius posuit, ut capiat. Etenim qui delinquentis peccatum exaggerat, multo uehemẽtior est. Hoc igitur prius loquutus, per id uehemẽtius etiam in his quæ sequuntur stringit illos, sic dicens, Quapropter inexcusabilis es ô homo. Theophylactus hunc in modũ ἐδίδαξεν ὅτι ἀπὸ τοῦ μὴ θέλειν γιῶναι θεὸν ἐπλησθήσαν πάσης κακίας, δείκνυσι νῦν ὅτι οὐδὲ συγγνώμης εἰσὶν ἄξιοι. οὐ γὰρ ἔχουσιν εἰπεῖν ὅτι ἠγνοοῦμεν τὸ καλόν. οἴδασι γὰρ τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ, ἑκόντες ἄρα ποιοῦσι, καὶ ὃ χεῖρον τούτου, ἐπευδοκοῦσι τοῖς πράττουσι, τοῦτ' ἔστι συνηγοροῦσι τῷ κακῷ, ὅπερ ἀνίατα νοσεῖν ἐστίν. id est, Demonstrauit quod ex eo quod nollent agnoscere deum, repleti essent omni malicia, Demonstrat nunc, quod ne uenia quidem digni sunt. Non enim possunt dicere, non nouimus quid esset honestum. Nouerunt enim iustitiam dei. Volentes igitur faciunt, &, quod hoc peius est, insuper & approbant eos qui faciunt, hoc est patrocinantur maliciæ, qui morbus est immedicabilis.

Non intellexerunt, additum apud nos.

Ex Capite

EX CAPITE SECVNDO.

PRopter quod.) Origenes indicat rectum ordinem totius huius disputationis Paulinæ, quod sit alioqui perplexior, propterea quod ter iteretur tradēdi uerbum, & aliquot tradendi causæ referantur, sed quæ non satis apte uideantur ad singula respōdere. Proinde rectius existimat omnes tradendi causas, quæ separatim hic singulis traditionibus præferūtur, in unum coaceruare, ac rursum traditionis species coniungere. ut ordinemus hoc pacto, Quoniam quidem homines mutauerunt immortalis dei gloriam imagine efficta ad similitudinem mortalis hominis, & uolucrum & quadrupedum ac serpentium, Et quoniam adulterauerunt ueritatē dei mendacio, & coluerunt ac uenerati sunt creaturam potius quàm creatorem, nec placuit illis deum agnoscere. ut hactenus sit congeries causarum, mox coniungantur malorum species in quæ tradiderit illos, Propter hæc omnia tradidit illos deus in desideria cordis sui, & in immundiciam, ut contumelijs afficiant corpora sua. & tradidit eos deus in affectus probrosos, ut fœminæ eorum inuerterent naturalem usum in eum qui est contra naturam, similiter & masculi. Sed & tradidit illos deus in reprobam mentem, ut faciant ea quæ nō conueniunt, qui erant repleti omni iniquitate, libidine, fraude, auaricia, malicia, plenicq; erant liuore, homicidijs, cōtentione, dolo, ac cæteris malis quæ commemorat. Quicq; cum cognouissent iusticiam dei hanc esse, ut qui talia agunt, digni sint morte, non solum qui faciunt illa, sed & qui consentiunt facientibus. Et ideo pro omnibus his malis inexcusabiles erunt, dum alios iudicant ac damnant super his quæ committunt ipsi. Nam de se pronunciat, qui alterum punit ob ea quæ ipse committit. Hunc lectionis ordinem indicauit Origenes. Sed interim ex hoc loco conijcere licet illum secus legisse quàm hodie legunt Græci, non finiens orationem ubi nos finem facimus capitis, sed connectens cum initio proximi capitis, propter quod inexcusabilis es ὁ homo. Atq; hic sensus probe constaret, si ex Græcis uerbis elici quiret. Posset autem, unico addito articulo οἱ, ut legamus hoc pacto, οὐ μόνον οἱ ἃ αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. Neq; enim cōuenit, opinor, tam crassum solœcismum tribuere Paulo, ut datiuum usurparit uice recti, hoc est, ποιοῦσιν, & συνευδοκοῦσι pro ποιοῦντες & συνευδοκοῦντες. Et haud scio an interpres mutarit Græcam lectionem, Certe locis aliquot utitur paraphrastæ libertate.

Ordo perturbatior.

Origenes secus distinguit quàm Græcorum libri.

Omnis qui iudicas.) πᾶς ὁ κρίνων, id est, Quisquis iudicas, uel quisquis es qui iudicas.

In quo enim alterum.) ἐν ᾧ γὰρ. Sensus est, alium iudicando teipsum condemnas. hoc est, eo ipso quod iudicas, te condemnas. id habet proprietas Græcanici sermonis.

Eadem enim agis quæ iudicas.) τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων, id est, Eadem facis tu qui iudicas, uel tu ille iudicans. Quanquā hic error uetustos etiam codices occupauit, siue quod facillimus sit lapsus in qui & quæ, siue quod nōnulli legerint pro ὁ κρίνων ἃ κρίνεις. Cæterū nec ex Origenis, nec ex Chrysostomi, nec Theophylacti interpretatione, nec Ambrosij, liquet quid legerint hac quidem in parte, nisi quod in Græcis constanter habetur ὁ κρίνων.

Iudicas. condemnas.) κρίνεις, κατακρίνεις. Iucunditas Græcanicæ figuræ non potuit ab interprete reddi, quod prosonomasia non respondeat in Latinis uocibus.

προσονομασία non reddita.

Diuitias bonitatis eius.) τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος. Diuitiarum uocabulo delectatus est Paulus, uel hoc argumento, quod eo frequētius utitur, quoties ingentem rei cuiuspiam uim & copiam uult intelligi. Porrò bonitatis non est ἀγαθοσύνης, quod eam significat bonitatem quæ opponitur πονηρίᾳ, id est, malicia, sed χρηστότητος, quæ benignitas Latine dicit. eam ita finiunt philosophi, Benignitas est uirtus sua sponte ad benefaciēdum exposita. unde Græca uox ab utilitate dicta est. Quanquam eadem accipitur pro commoditate suauitateq; morum, qua nos faciles ad uitæ consuetudinem præstamus. Siquidem usum pro familiaritate siue consuetudine dicunt & Latini. Et Græci uehementer comes ad cōgressum ac blandiores χρησολόγους appellāt. Nec multum abest bonitas à benignitate. Etenim cum deos bonos uocant, beneficos intelligi uolunt. Verum nos id quod præterquam quod certum, etiam dilucidius erat, & ad hunc locum accōmodatius, sequi maluimus. Lenitatē autem & mansuetudinem dei, quodq; minime sit austerus, χρηστότητα uocat.

Diuitiarum uocabulo delectatus Paulus.

Bonitas pro benignitate.

Ignoras.) ἀγνοῶν, id est, Ignorās, astipulante uetustissimo codice Donatiani. Participiū est apud Græcos, & à superioribus pendet. Et ita refert Hieronymus in Ezechielem.

Quod

Quod bonitas dei.) ὅτι τὸ χρηστόμ. Adiectiuum nomen posuit loco substantiui, estq; eadem dictio quam mox exposuimus.

Adducit, pro inuitat aut prouocat.

Ad pœnitentiam te adducit.) ἄγει, id est, Ducit, hoc est, allicit & inuitat. Hieronymus in Ezechielem uertit, prouocat. Alioqui idem est adducere, quod perducere.

Impœnitens.

Cor impœnitens.) Significantius Græce ἀμετανόητον, quasi dicas, impœnitibile, quodq; nulla dei beneficentia possit ad pœnitentiam adduci. Porrò μετάνοιαν recte uertens, & resipiscentiam, & μετανοῆσαι resipiscere. Nam hinc uox est dicta, quod post admissum scelus sentiat se peccasse, à μετὰ post, & νοῆσαι intelligere.

Thesaurizo, recondo.

Thesaurizas tibi.) θησαυρίζεις σεαυτῷ, id est, Thesaurizas tibi ipsi. Nec enim hic ociosum est pronomen compositum, significans ipsum sibi causam esse tanti mali, cum bonitas dei illum aliò prouocet. Miror autem cur interpretem Græca uox tantopere delectet, cum dicere potuerit, colligis, recondis, reponis. Significat paulatim aceruari diuinã iram, ut tandem uniuersa depromatur more thesauri.

Variant Græci.

Reuelationis iusti iudicij.) Græci diuidunt hæc interposita coniunctione, ἀποκαλύψεως καὶ δικαιοκρισίας, id est, Reuelationis & iusti iudicij. Quanquam Græcis iusti iudicij unica dictio est, & ob id uenustior, ut distingueret nouato uerbo, diuinum iudicium à nostris iudicijs in quibus non raro nocens elabitur, & innocens damnatur. Tribus notis significauit eundem diem. Iræ quod tum misericordiæ locus non erit. Reuelationis, quod omnia nuda erũt quæ nunc latent. Et iusti iudicij, quod recte pro cuiusq; meritis pronũciandum est. Atq; ita deprehendet legisse Theophylactum, quisquis huius interpretationem attentius legerit. Certe contextus sic habet, & apud hunc & apud Chrysostomũ. Attamen in nonnullis Græcorum exemplaribus non additur tertia coniunctio. ut sit sensus, In eo die quo impij non bonitatem dei quam contempserũt, sed iram, hoc est, iustitiam & ultionem experturi sunt, quoq; aperietur diuinum iudicium, quod interim latet apud mortales.

Secundum opera eius.) κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, id est, Iuxta facta. & Sua, non eius. Nisi magis ipsius, quod pronomen ad reciproci naturam proxime accedit.

Secundum patientiam.) καθ' ὑπομονήν, id est, Perseuerantiam aut sustinentiam boni operis, hoc est, quod perseuerarit in bono opere.

Manifesta de prauatio ĩ nostris libris.

Quærentibus uitam.) Et huius loci sententia mire subuersa est, cum Græca lectio, si quis attendat, pulchre habeat, ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ, δόξαν καὶ τιμὴν & ἀφθαρσίαν ζητοῦσι, ζωὴν αἰώνιον, hoc est, Qui reddet unicuique iuxta opera sua: his quidẽ qui per perseuertẽiam operis boni, gloriam, & honorem, & immortalitatem quærunt siue quæsierunt, uitam æternam. ut ζωὴν αἰώνιον referatur ad uerbum ἀποδώσει, id est, reddet, τοῖς articulus ad participium ζητοῦσι. ut sit sensus, his qui hic quærunt gloriam illam, & honorem, & immortalitatem, perseuerantes in bonis operibus, per quæ ista parantur, reddet uitam æternam, nimirum id quod quæsierunt. Ediuerso qui maluerunt esse contentiosi, nec obedierunt ueritati, ijs uentura est ira &c. Ad hunc modum uidetur legisse & Origenes, cum ait, Quærentibus, inquit, gloriam & honorem & incorruptionem, pro boni operis patientia uita dabitur æterna. Ad eundem modum legit & exponit Theophylactus Archiepiscopus Bulgarienſis & Chrysostomus, ac cætera Græcorum scholia. ut intelligamus hoc egregium præmium dari, sed ijs modo qui ambierint, ambiri autem recte factis. & ingens est exemplariorum consensus. Cæterum ut hallucinaretur interpres, participium ζητοῦσι, quærentibus, in causa fuit, cuius uox per omnia conuenit cum uerbo tertiæ personæ pluralis quærunt. Nescio quid sequutus Ruffinus libro περὶ ἀρχῶν tertio, locum hunc ita refert, Iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloria & incorruptio, qui quærunt uitam æternam. His autem qui ex contentione, & qui non credunt quidem ueritati, credunt aũt iniquitati, ira & indignatio, &c. Vt in utraq; parte subaudiatur uerbũ erit. Porrò ne quem offendat quod nos pro incorruptione uertimus immortalitatẽ, uertit ad eundem modum Ambrosius in epistola priore ad Timotheum capite primo, ἀφθαρτῷ, immortali deo, & eodem pacto legit Ecclesia. Imò ea uis est Græcanicæ dictionis. Nam incorruptio an Latina uox sit nescio.

ἀφθαρσία immortalitas.

Ex contentione cõtentiosi.

Ex contentione.) τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας, id est, Cõtentiosis, ut annotauit & Theophylactus, siue Qui sunt ex cõtentione. Nam Græci τοὺς ἐκ σάρκος Stoicos uocant, & Paulus τοὺς ἐκ περιτομῆς circumcisos appellat.

Non

Non acquiescunt.) Græcis unica uox est,& participium ἀπειθοῦσι,id est,Non parentibus siue obtemperantibus,neq; redditur apud nos iucūditas Græci sermonis quā habet ἀναντίωσις ἀπειθοῦσι & πειθομένοις, id est,Non obtēperantibus & obtemperantibus.

Iudæi primū & Græci.) In his quoq; est geminatio cōiunctionis quā superius ostendimus,τε καὶ,Iudæiq; primū & Græci.Opinor aūt aduerbiū primum,ad utrāq; gentē pertinere,Iudæorū & Græcorū,ut accipiamus,sicut Christi gratia primū prodita est Iudæis & Græcis,ita pœnam his potissimum infligendam,si donum oblatū aspernentur.

Personarum acceptio.) προσωπολημψία. Vnica uox est,quæ significat respectū personæ, cum huic magis fauemus q̄ illi,non ob ipsius rei,sed personæ discrimen.Huic opponitur quod paulo superius dixit,δικαιοκρισίαμ, id est, Rectum iudiciū.Acceptio personæ Latinis auribus nihil significat,tametsi frequens est in sacris litteris, προσωπόληπτοι uero magis uidentur appellari,quos cepit personæ fauor,q̄ qui accipiunt, quemadmodum & ἐρωτόληπτοι & νυμφόληπτοι dicuntur.Nec magis ad personam pertinet hæc uox quàm ad faciē. Certe sic alicubi,negat deum iudicare secundum faciem. *Personarum acceptio.*

Sine lege peccauerunt.) Græcus sermo festiuior est per aduerbium ἀνόμως,quasi dicas, illegaliter siue exlegaliter,quod utrobiq; dictū est. Nam exlegem legimus pro ἄνομον. Quanq; totus hic sermo,repetitione dictionum,& cōtrarijs inter se relatis,picturatus, ac membrorū numeris modulatus est,ἀνόμως ἀνόμως,ὧν νόμῳ,διὰ νόμου,ἥμαρτον ἥμαρτον,ἀπολοῦνται, κριθήσονται. *Sine lege.*

Sine lege peribunt.) Græcis est καὶ ἀπολοῦνται, id est,Et peribunt,ut intelligas reddi similitudinem,& talem fore exitum,qualis fuerat uita.

Sed factores legis.) ποιηταὶ, id est,Qui operantur & faciunt legis præcepta.Alioqui faciunt legem qui condunt legem. *Factor legis.*

Eiusmodi legem.) Græcis est οὗτοι, id est,Hi,non eiusmodi.

Scriptum in cordibus.) Scriptum,nomen est Græcis,non participium.γραπτόμ,quasi dicas,scripticiū,ut opponat illi quod ἄγραπτομ uocant iurecōsulti,ius non scriptum.

Testimonium illis reddente &c.) συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, id est,Simul testificante ipsorum conscientia.Nam illis,apud Græcos non est:ut intelligas conscientiam illorum consentire cum iudicio dei.

Cogitationum accusantiū.)Mire dormitauit interpres,cū uerso altero genitiuo Græco in ablatiuum Latinum συμμαρτυρούσης, alterum relinqueret.Vertendum erat, Cogitationibus inuicem accusantibus,aut etiam defendentibus.Atq; ita recenset Hieronymus, edisserens Ezechielis caput decimumsextum. Ad eundem modum legit Ambrosius interpres.Itidem Augustinus cum aliâs frequenter,tum libro de ciuitate dei uigesimo,cap. xxvi.Quāq; aliter citat exponens sermonem domini in monte habitum,si tamen codex mendo uacat.Nec secus legit interpres Origenis in hanc epistolam, quisquis is fuit. Qui nolunt interpretem usquàm errasse,& eum spiritu sancto suggerente uertisse, uel unum hunc locum si possint expediant.Atqui huius unius loci tam insignis supinitas & oscitantia tam euidens,satis argumento potest esse,quantum illi fidendum sit in alijs. De cōmoditate sermonis loquor,nō de sentētijs.Nec est necesse ut spiritui sancto tribuamus omia. *Interpres palam dormitās*

Si autem.) Verior & antiquior apud Græcos scriptura est, ἰδέ, id est, Ecce,non εἰ δέ, id est,si uero.Alioqui nō satis cohæret ordo cum eo quod sequitur,Qui ergo alium doces. Quanq; Ambrosius legit εἰ δέ, si modo libri nō fallunt,tum Origenes & Theophylactus. Neq; quod ad sensum attinet quicquàm est incōmodi,nisi quod,ut modo dixi,duriuscule cohærent quæ sequuntur,Qui igitur doces alium &c.Quanquàm hoc quoq; neq; nouum est,in Paulo,& alioqui tolerabile. *ἰδέ. εἰ δέ.*

Probas utiliora.) τὰ διαφέροντα, id est,eximia siue egregia.Interpres legisse uidet συμφέροντα, id est,utilia siue conducibilia.Demiror autem cur Theophylactus διαφέροντα uoluerit interpretari pro συμφέροντα, nisi forte loquuntur Græci more Latinorum,ut dicant interesse cuiuspiam,quod ad rem illius pertineat.Cæterū probas hoc loco est δοκιμάζῃς, hoc est,Comprobas,quod est iudicio ac uelut exploratum approbare. *Διαφέρειν differre. διαφέρειν excellere.*

Instructus per legem.) Græce est κατηχούμενος, id est,Eruditus siue initiatus,& institutus.Est autem uerbū Paulo peculiare,quod uidetur esse dictum à uoce qua olim mysteria trade

ria tradebantur,quæ nefas erat libris cõmittere.Eodem usus est huius discipulus Lucas in præfatione Euangeliorum, ut illic indicatum est.

Infantes νήπιοι, quod solet uertere, paruulos.

Magistrum infantium.) διδάσκαλον νηπίων, ut iam aliquot admonuimus locis, cum ad ætatem refertur,significat infantem,cum ad animum, significat parum eruditũ, parum ingenio & usu rerum callentem.Hic tempestiuius erat,stultorum,insipiẽtium aut puerorum. Quis enim docet infantes? Paruulorum erat tolerabilius,ut sæpe uertit aliâs. Nam hoc loco nõ est magister qui regat,sed διδάσκαλος,hoc est,qui doceat.Porro quod mox præcessit παιδευτὴν anceps est nomen,cõmune tum ei qui instituit pueros,tũ ei qui castigat & corrigit errantes.Apparet hic Paulum tacite alludere ad locum qui est apud Esaiam cap. xxxiij. Vbi est scriba? ubi legis uerba ponderans? Vbi doctor paruulorũ?

Forma μόρφωσις.

Habentem formam.) μόρφωσιν, id est,Formationem,quasi dicas,instituendi, formandi ratione quam alijs præscribat,ut sunt & hodie qui profiteantur se posse formare conscientias singulorum.Itidem Iudæi sibi placebant,quod proselytis ueluti stupidis,formã uitæ præscriberent.In hanc sententiam enarrat & Theophylactus,sed illud adijciens,fuisse qui μόρφωσιν hoc loco interpretarent non formam,sed mentitam & adumbratam imaginem iusticiæ,cum ita præciperent,Ne tetigeris,ne gustaueris,ne contrectaueris.

Inhonoras.) ἀτιμάζεις, id est,Dehonestas,siue ignominia afficis.

Blasphematur.) Græcis uox est βλασφημεῖται,quod Latine uertas licet,Male audit,siue maledictis afficitur. Testimonium quod adducit Paulus, Origenes refert ad Esaiam, apud quem legis cap.lij.Quoniam ablatus est populus meus gratis,dominatores eius inique agunt,dicit dominus,& iugiter tota die nomẽ meum blasphematur. Porrò hæc duo uerba,In gentibus,addita sunt ex æditione septuaginta,qua Paulus hoc loco uidetur abusus.Alioqui ueritas Hebraica habet,Et iugiter tota die nomen meum blasphematur.Diuus Hieronymus locum hunc apud Esaiam edisserens,indicat & ad Ezechiel referri posse,apud quem legis cap.xxxvi.Et ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt & polluerunt nomen sanctum meũ,cũ diceretur de eis,Populus domini iste est,& polluerunt nomen sanctum meũ.Cæterũ quid sibi uoluerit hoc loco Lyranus,uiderit ipse.Cõsentit enim nostra æditio cũ septuaginta & Hebraica ueritate. Nec hoc sanè loco ullũ discrimen est, si qua fides habẽda est uulgatis exẽplaribus. Iam uero de Lyrano minus admiror.At Aquinas longe diligẽtior,hoc loco nescio qua de causa,duplicem inducit lectionem, cuius equidem uerba non grauabor ascribere,quo facilius sit lectori super hac re,uel iudicare, uel inquirere.Cum enim citasset locum qui est apud Esaiam,Dominatores eius inique agunt,& iugiter tota die nomen meum blasphematur,subijcit ex Hieronymo nimirum alterum testimonium his quidem uerbis:Et Ezechielis xxxvi. secundum aliam literam, ubi nostra sic habet,Non propter uos ego faciam domus Israël, sed propter nomen sanctum meum,quod polluistis in gentibus.Hactenus Aquinas.Quæso quæ nam est alia lectio,siue ut ipsi uocant,litera, quæ dissideat ab altera? Excute,disquire,nihil huiusmodi reperies.Proinde conijcio Thomam aliò properantem,hæc non hausisse ex ipsis fontibus, sed ex aliorum collectaneis,Sunt enim apud Ezechielem in eodem capite duo loca in cõsimilem sententiam.Prior est,quem nos modo citauimus,in quo nulla pugna est inter Hebræam ueritatem & æditionem septuaginta. Alter qui non magno sequitur interuallo,repetens quod iam dictum erat,quem citat Aquinas,Non propter uos ego faciam domus Israël,sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus ad quas intrastis.Ac ne hic quidem ulla discordia est inter translationem Hieronymi & septuaginta. Quod si quis nobis diffidit,conferat utranq; æditionem coniunctam in operibus Hieronymi proxime æditis Basileæ.Iam uero quod Paulus admonuit Iudæos, id multo magis cauendum est nobis Christianis,quorum uita si nihil differat ab Ethnicorum uita,ni si titulo Christiani nominis,ac ceremonijs,cæteris in rebus par,aut etiam cõtaminatior, periculum est, ne sanctissimum illud Christi nomen polluatur,& contumelijs afficiatur inter inimicos fidei,Iudæos & Turcas,si cõspiciant nos nõ minus abiecte seruire libidini, nihilo moderatius inhiare lucris,non minus cupidos uindictæ,non minus timidos mortis,& auidos uitæ,non minus furiose belligerantes, tumultuantes, digladiantes quãlibet leuibus de causis.

Expensa Lyrani ac Thomæ opinio.

Impia uita Christiano rũ facit,ut Turcæ de Christo male sentiant.

Per uos

Per uos blaſphematur.) Græce eſt δι' ὑμᾶς, id eſt, propter uos, ut intelligas non inſtrumentũ, ſed cauſam. Non enim qui in manifeſto Iudæus.) Hoc loco breuitatem quam Græcis adferũt articuli præpoſitiui, nos quo dilucidior eſſet ſenſus, cõpluſculis uerbis explanauimus, ſed ita, ut ne tãtulum quidem de ſenſibus immutaremus, in hunc modum, Non is qui manifeſto Iudæus ſit, Iudæus eſt, nec ea quæ in manifeſto ſit carnis circũciſio, circũciſio eſt, ſed qui in occulto Iudæus fuerit, is Iudæus eſt, & circũciſio cordis circũciſio eſt, quæ ſpiritu conſtat non litera.

EX CAPITE TERTIO.

Quid ergo amplius.) περισσὸν Græce aliquãdo ſuperuacaneum ſignificat, aliquando eximium, hoc eſt, ἐξαίρετον. Hic eximium pro excellentia accipit. Sequitur enim τοῦ Ἰουδαίου, id eſt, In quo excellit Iudæus?

Multum.) πολύ. Sic & apud Græcos habetur per hypſilon. Quanquam legendum uidetur πολλή, & per duplex λ, & ita, ut ſit epitheton huius nominis utilitas, ὠφέλεια. πρῶτον, primum, hic ordinem ſignificat ſermonis, potius q̃ præcipue.

Illis eloquia.) Illis, apud Græcos non eſt, ſed interpres addidit neceſſario, ἐπιστεύθησαν, id eſt, Crediti ſunt eloquia, pro eo quod eſt, Cõcredita ſiue cõmiſſa ſunt illis eloquia dei. Sic enim Græci loquuntur, creditus eſt hanc rem, & commiſſus ſum hoc negocium. Porrò quod nos legimus eloquia, Paulo eſt λόγια. Philoſophatur nonnihil in hoc uerbo Origenes. Cæterum λόγια dixit oracula, quod is populus ſeruabat oracula, alijs magis, p futura q̃ ipſi, & tenebat nõ intellecta. Sic enim Heſychius interpretatur, λόγια, θεόσφατα μαντεύματα, φήμαι, χρησμοί, id eſt, Numinum reſponſa, uaticinia, rumores, oracula. Apud Latinos eloquiũ, pro eloquentia uſurpauit Iuuenalis: Eloquiũ & famam Demoſthenis.

Credita commiſſa.

Euacuauit.) Græcis futuri temporis eſt καταργήσῃ, id eſt, Abolebit, obliterabit, irrita reddet, ſiue antiquabit, quo uerbo frequẽter utitur diuus Paulus. Interpres ſæpenumero uertit deſtruere. ἀργὸν ocioſum, inde καταργῆσαι, ocioſum & ſuperuacaneum reddere.

Euacuare pro abrogare.

Eſt autẽ.) γινέσθω Græcis eſt, ſit, ſiue fiat autem deus uerax. Fortaſſis interpres uerterat eſto, quemadmodum uertit interpres Theophylacti, falſo Athanaſij inſcripti hactenus, poſitum eſt autem pro appareat. Neq; enim fieri poteſt, ut deus uerax non ſit, ſed noſtra refert, ut talem eſſe intelligant homines.

Eſt, pro eſto.

Abſit.) Frequenter obuium apud Paulũ, Græce eſt μὴ γένοιτο, id eſt, Ne ſit, aut Ne cõtingat, ſiue Deus auertat, aut prohibeat. Eſt autem abominantis ſermo.

Vt iuſtificeris in ſermonibus.) Teſtimoniũ eſt ex pſalmo quinquageſimo, Vt iuſtificeris. Et cum iudicaris, apud Græcos uerbum eſt paſſiuum ἐν τῷ κριθῆναί uel κρίνεσθαι, ut alij legunt, Cæterum Hebræis בְּשָׁפְטֶךָ anceps eſt, utrum de iudicato deo, an de iudicante loquatur. Hieronymus uidetur ita locum hunc interpretari, ut intelligat deum iudicatum, ſed dum iudicatur ab incredulis, & ipſius declarari fidem in promiſſis & illorum uanitatem in iudicando. Sic eſt Omnis homo mendax, uel quia præſtare non poteſt, quod pollicetur quantum in ipſo eſt, uel quod mendax ſit quiſquis diffidit dei promiſſis, cum ille nihil non præſtet.

Mendax non qui mentitur, ſed qui mentiri poſſit & ſoleat.

Quod ſi iniuſtitia noſtra iuſtitiam dei cõmendat.) συνίστησι, id eſt, Conſtituit, hoc eſt, ſtabilit ac confirmat, fulcitq;. Quanquam & cõmendat recte uertit. Nam ſi Heſychio credimus, συνιστάνει Græcis multa declarat, ἐπαινεῖ, φανερῷ, βεβαιῷ, παρατίθεναι, id eſt, Laudare, illuſtrare, confirmare, adiungere ſiue cõmendare. Origenes ipſe paulo poſt ediſſerens eum Pauli locum, Commendat autem charitatem ſuam deus in nobis, indicat, commendat idem pollere, quod confirmat aut amabilem facit.

Nunquid iniquus deus qui iram infert.) Origenes hunc ediſſerens locum, ſiue mauis Hieronymus, oſtendit in nonnullis Græcorum ſimul & Latinorum codicibus legi, Qui infert iram aduerſus hominem: nimirum ut pro κατὰ ἄνθρωπον λέγω, id eſt, iuxta hominem dico, ſcribatur κατὰ ἀνθρώπου, id eſt, aduerſus hominem, omiſſo uerbo λέγω. Cum autẽ neutram reijciat lectionẽ, liberũ erit cuiq; utram malit ſequi. Certe Chryſoſtomus ac Theophylactus legunt ſimul & interpretantur κατὰ ἄνθρωπον λέγω, id eſt, Iuxta ſenſum humanum loquor reſpondens pro deo, quum illius iudicia ſint inſcrutabilia.

Diſtinctio uaria.

Iudicabit deus hunc mundum.) τὸν κόσμον, id eſt, Mundum, non hunc mũdum, quaſi

sit alius mundus,nisi quod articulus additus aliquoties facit,ut res certa designetur.

Sicut blasphemamur.) Vsus est Græca uoce βλασφημόμεθα, id est,Male audimus,siue Male de nobis loquuntur homines.

Faciamus male.) Non inepte omisit ὅτι, quod aliâs solet libenter addere, cum alioqui nihil sit opus.

Præcellimus eos.) προεχόμεθα. Eos,apud Græcos nō additur,sed tantū est præstamus, siue præcellimus.Siquidem Græci distinctionem subijciunt his uerbis,Quid igitur? Alioqui legi coniunctim poterat,In quo igitur præcellimus.

Præcausati sumus.) προητιασάμεθα, id est,Ante causam reddidimus.

Et omnes sub peccato.) Et,coniunctio redundat.

Quia non est iustus.) ὅτι, Quia,redundat,quod erat omittendum hoc sanè loco, quē admodum paulo ante fecit.

Iustus quisquàm.) οὐδὲ εἷς, id est, Ne unus quidem.

Exquiro, Requiro.

Requirens.) ὁ ἐκζητῶν, id est, Qui exquirat.Nam requirimus non quod uestigamus, sed quod abesse dolemus,requirimus in amico fidem.

Testimonium ex uarijs locis cōtextum.

Maledictione.) ἀρᾶς, id est,Deuotione,execratione,siue imprecatione.Cæterum illud obiter admonitum lectorem uolo,testimonium hoc quod Paulus de ueteri sumpsit instrumento,uarijs ex locis esse contextum,atq;,ut ita dicam,consarcinatum. Nam prima pars sumpta est de psalmo xiij.sed ita ut sententiam magis quàm uerba reddiderit apostolus.Proximi duo uersus,Sepulchrum patens est guttur eorum. Linguis suis dolose agebant,quinti psalmi sunt.Illud autem quod sequitur,Venenum aspidum sub labijs eorum, centesimi xxxix.psalmi est.Rursum quod annectitur,Quorū os maledictione & amaritudine plenum est,è nono psalmo desumptum est.Porrò tres qui sequūtur uersiculi,Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.Contritio & infelicitas in uijs eorum. Et uiam pacis non cognouerunt &c.ex Esaia decerpti sunt. Vltimus autem uersiculus, Nō est timor dei ante oculos eorum,in trigesimi quinti psalmi principio est.Hos octo uersiculos intertexuit nescio quis psalmo decimotertio,quod idoneum locum non inueniret ad quem hoc Pauli referret testimonium,cum in Hebraicis codicibus non habeantur. Id indicauit Hieronymus,modo citatū Esaiæ locū edisserens,& iterū copiosius, præloquēs in commentarium decimum sextum.Cæterum quæ ex Esaia mutuatus est,habentur apud eum prophetam capite lviiij.iuxta Hebraicam ueritatem ad hunc modum,Cogitationes eorum cogitationes inutiles,uastitas & contritio in uijs eorum.Viam pacis nescierunt,& non est iudicium in gressibus eorum.

Subditus obnoxius.

Subditus.) ὑπόδικος. Quasi dicas obnoxius & reus.Nam δίκη Græcis,& crimen significat & causam,& uindictam,siue pœnam,uelut obligatus ad pœnam.

Cognitio peccati.) ἐπίγνωσις.Elegantius ac significantius erat agnitio.

Et egent.) Græce est ὑστεροῦνται, id est,Carent siue destituuntur.Et Gloria, Græcis est, non gratia,sicut legimus & in Latinis codicibus emendatioribus, δόξης τοῦ θεοῦ, Glorificatur enim deus in hoc,quod ex sua bonitate seruat humanum genus.

Iustificati gratis.) δικαιούμενοι. Participium est passiuum,sed præsentis temporis,un de nos uertimus, Iustificantur autem, addita de meo coniunctiuncula,quo sensum rederem dilucidiorem.

Redemptio.

Per redemptionem.) διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως. Quæ proprie est redemptio captiui, persoluto pro capite illius precio,quod Gallorum uulgus appellat rainson. τῆς ἐν χριστῷ ἰησοῦ, & hic ἐν posita uidetur pro διὰ, quæ redemptio contingit per Christum Iesum,hoc enim repetit,ut rursus excludat gloriam operum humanorum.

Propiciatorem.) ἱλαστήριον, id est,Propiciationem seu magis propiciatorium, ut quod Origeni placet,respiciat ad propiciatorium Iudæorum,Christi nostri typum, quēadmodum & sanguinis meminit.Ad eundem modum exponit Theophylactus & ante hunc Chrysostomus:forte interpres masculino genere accipit ἱλαστήριον.

Ambrosius diuersa legens.

Propter remissionem.) Mirum quod exemplar secutus Ambrosius legat,Propter pro positum præcedentium delictorum.Nam Græci πάρεσιν habent,non πρόθεσιν,nisi forte mendosus est codex Ambrosianus. Quanquā quod interpretās subijcit,Sciens deus pro positum

positum benignitatis suæ,subindicat illum propositum legisse non remissionem.

In sustentatione.) ἐν τῇ ἀνοχῇ, id est,In patientia & tolerantia.

Vbi est ergo.) Est & tua,addidit interpres.Nam Græce est ποῦ οὖν ἡ καύχησις, id est, Vbi igitur gloriatio? atq; ita sanè absolutius est. Plurimum acrimoniæ addunt orationi percontationes eiusmodi,præsertim re iam argumentis euicta.

Arbitramur enim.) λογιζόμεθα οὖν,Reputamus siue colligimus igitur.Nam Theophylactus interpretatur συλλογιζόμεθα, uelut hoc iam argumentando collegerit.

Imò & gentium.) Pro imò,Græcis est καὶ, quod est affirmantis aduerbium, quasi dicas,nimirum & gentium.

Qui iustificat.) δικαιώσῃ,Iustificabit futuri temporis.Respexit enim ad eos qui adhuc essent in Iudaismo seu paganismo.In codice diui Donatiani scriptũ erat iustificauit,b mutato in u,consonans,qua quidem in re subinde peccant scribæ.

Legem ergo destruimus.) καταργοῦμεν, id est,Irritam facimus,siue abolemus,ut paulo superius ostendimus.Porrò quod sequitur,Legem statuimus, ἱστῶμεν dictum est pro fulcimus seu stabilimus,& facere ut stet aliquid,alioqui uacillans.Alioqui latinis aliud sonat statuere,nimirum decernere.

EX CAPITE QVARTO.

QVid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnẽ.) Incertum est utrò referatur hæc particula,secundum carnem, ad Abraham patrem,an ad inuenisse.Scio in plerisq; Græcorum codicibus hunc esse ordinem,Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum inuenisse secũdum carnem? Verum secus legit Origenes,secus Ambrosius,secus habetur in uetustis Latinorum codicibus,nimirum hac distinctione,ut patrem nostrũ,proxime adhæreat ad hanc particulam,Secundum carnem.Sentit enim Paulus, Abraham iuxta uocationem ad fidem,& gentium esse patrem,cæterum Iudæorum esse patrem dũtaxat iuxta carnem.Sic etiam interpretatur Theophylactus, πατέρα δὲ, inquit, κατὰ σάρκα καλῶ τοῦτον, ἐκβάλλων αὐτοὺς οἳ κατὰ πνεῦμα συγγενείας, μᾶλλον δὲ καὶ ἀνάγκην αὐτοῖς περιτιθεὶς, τῷ μιμήσασθαι αὐτὸν κατὰ πάντα, id est,Patrem autem iuxta carnem uocat illum excludens eos à cognatione spirituali, seu potius compellens eos, ut illum imitentur in omnibus. Similia Chrysostomus πατέρα δὲ αὐτὸν κατὰ σάρκα ἐκάλεσεν ἐκβάλλων αὐτοὺς οἳ πρὸς αὐτὸν γνησίας συγγενείας, καὶ προοδοποιῶν τοῖς ἔθνεσι πρὸς αὐτὸν ἀγχιστείαν, id est,Patrem autem illum dixit,excludens eos à uera Abrahæ cognatione,simulq; uiam aperiens gentibus ad affinitatẽ Abrahæ consequendam.Et tamen alium sensum indicat ordo Græci sermonis,unde hyperbaton accipiamus oportet,Alioqui legendum erat, τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν κατὰ σάρκα πατέρα εὑρηκέναι.Proinde non ueriti sumus pristino ordini reddere hunc sermonem.Quanquã haud me fugit Ambrosium sic locum hunc interpretari, ut Secundum carnem, referatur ad inuenisse,ut intelligamus adeo Mosaicam legem non posse præstare salutem, ut nec Abraham ipse quicquã consecuturus fuerit secũdum carnem,hoc est,per circũcisionem, nisi fidei merito placuisset deo. *Distinctio uaria.*

Habet gloriam.) καύχημα,Gloriationem magis significat quàm gloriam,quemadmodum & καύχησις, hoc est,Habet quod glorietur & iactet se.

Credidit Abraham.) Argutatur nonnihil Origenes,subhæsitans an hic uicio librariorum legatur Abraham pro Abram,hoc est trisyllabum nomen pro disyllabo,quod id tẽporis quo promittenti credidit deo,nondum esset Abraham,sed Abram. Vnde consentaneum est illic apud Hebræos non haberi,Credidit Abraham, deo, sed credidit Abram. Equidem laudo hominis diligentiam,& pudet nostræ oscitantiæ. Tamen hoc sanè loco, si sermo referatur ad eum qui scripsit,siue Moses is fuit,siue Esdras,siue alius quispiam,illi certe fuit Abraham.Cæterum ubi deus narratur illum nominatim compellare, Abram dicitur non Abraham, donec illi nomen auctum esset accessione syllabæ. *Abram Abraham.*

Et reputatum est.) ἐλογίσθη, id est,Imputatum est,hoc sanè loco.Nam Græca uox anceps est.Cæterum longe aliud est reputare quàm imputare.Nec iniuria Valla taxat hoc *Valla taxat interpretem.*

loco puerilem affectationem copiæ in interprete,dum idem uerbum Græcum, eodem in loco,nunc uertit reputatur,nunc accepto fert,nunc imputatur, quasi nefas esset eandem uocem sæpius repeti.

Ei uero qui non operatur,credenti aũt.) Vtrũq; Græcis participium est,μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δέ, id est,Non operanti,tamen credenti.Et rursum Reputatur,pro imputatur.

Secundũ propositum Gratiæ dei.) Hæc clausula non est in Græcis codicibus. Etiamsi Ambrosius ita legit & exponit nominatim hæc uerba. Vnde apparet illũ diuerso usum exemplari.In codice peruetusto,cuius copiam fecit Ioannes Coletus è Paulina bibliothe ca,non erant in contextu, sed diuersa ac recentiore manu in ima margine adiecta.

Accepto fert.) λογίζεται,id est,Imputat,siue acceptũ fert. Est autem acceptũ ferre pro accepto habere quod nõ acceperis,quæ apud iurecõsultos,ni fallor,uocatur acceptilatio.

Non imputauit.) λογίσεται. Futuri tẽporis est,tametsi esse potest aoristus subiunctiui si scribatur per,η, λογίσηται, ut sit imputauerit,licet hæc quoq; pro futuris usurpentur.

Tantum manet.) Manet,apud Græcos non inuenio.Sic habent Græci codices ὁ μακαρισμὸς οὖν οὗτος ἐπὶ τὴν περιτομὴν, ἢ καὶ τὴν ἀκροβυστίαν; Beatitudo igitur ista,siue beatificatio,aut beatio,utrum in circũcisionem an in præputium? ut subaudias, uenit, aut simile uerbum,& ita Græcorum scholia legunt & interpretãtur. Theophylactus enarrãs, pro uerbo subaudito quod interpres reddidit,manet,supponit πίπτει, id est,cadit. Atque adeo haud scio,an interpres cupiens explicare Pauli mentem scripserit,Manat in circũcisionem,quod postea mutatum sit in manet. Annotandũ & illud apud Origenem & Ambrosium addi,tantum,quod in uulgatis Græcorum codicibus non reperio,ne in uetustis quidẽ Latinorũ exemplaribus. Certe in Paulino illo codice sic reperio scriptũ: Beatitudo ergo hæc in circũcisione,an etiã in præputio? Quãquã nõ negarim uim eius aduerbij late re in cõiunctione καὶ,an etiam in præputio,quod ut fieret explanatius, adiecerũt tantũ.

Manat depra/ uatum in ma/ net.

In circũcisione.) ἐν περιτομῇ ὄντι, id est, Cum esset in circũcisione,quod perinde ualet ac si dixisset ἐμπεριτόμῳ, id est,circumciso,sicut ἐν ἀκροβυστίᾳ, pro eo quod erat ἀκροβύστῳ. Præter interrogationis gratiam multum lucis addit δίλημμα, cuius altera parte reiecta, alteram euincit.Nullum enim argumentandi genus,uel apertius uel uiolentius.

Signaculum.) Duo uerba ponit Paulus σημεῖον & σφραγίδα posterius est, σφραγίδα, id est,Signum ac notam impressam.Nam fidei causa solemus obsignare, quod certum esse uolumus.Atq; ad hunc modum obsignamus,quod ad tempus sepositum ac reconditum esse cupimus,suo loco depromendum. Alioqui uideri poterat Paulus,bis idem dixisse,cũ paulo ante dixisset signum,mox repetens signaculũ. Alterum est Græcis σημεῖον,signũ, quo aliud significatur.Siquidem iam tum carnalis illa circũcisio,typum gerebat Christia næ circũcisionis,quæ non aufert pelliculã à glande, sed amputat omnes noxias cupidita tes à corde.Erat & signaculũ quod ad tẽpus tegeret mysteriũ post aperiẽdũ,uidelicet iu stitiæ quæ confertur per fidem.Potest aũt aliquid esse signum quod non sit signaculũ,ut statua signum est, at anuli symbolum affixum syngraphæ σφραγίς est. Est autem in his duabus dictionibus appositio.Eadem enim res dicitur σημεῖον, quatenus declarat iustitiã ex fide quæ erat in Abraham ante circũcisionem, & σφραγίς, quatenus exemplo Abrahæ,omnibus credentibus promittebatur iustitia ex fide sine circumcisione. Annotatum est hoc diligenter ab Origene.

Tantum non suo loco.

Non his tantum qui sunt ex circũcisione.) Græca multo secus habent τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι, id est,Qui non tantum sunt ex circũcisione, sed etiam incedunt per uestigia &c.ut intelligas non esse satis Iudæum fuisse natum,ad hoc ut sis filius Abrahæ,nisi eiusdẽ ingrediaris uestigijs,id quod est filiorum.Mecum facit Ambrosius legens ad hunc modum,Vt sit pater circumcisionis eorum,qui non solum ex circumcisione sunt,sed & eorum qui insequũtur uestigia fidei.Nec abhorret ab hac lectione Origenis interpretatio,significans ita demum Iudæos patrem habituros Abraham,si ad fidẽ pertinerent quæ illi nondũ circũciso iusti cognomen conciliasset.Certe mecũ facit Chrysostomus,etiamsi Theophylactus aliquanto secus exponit.In codice quo sum usus scriba per negligentiam omiserat οὐ.Eam uoculam aliquis asscripserat nõ suo loco,οὐ τοῖς μόνον

νομ, quum Chryſoſtomus legat τοῖς οὐ μόνον, Non enim hoc ſentit Abraham eſſe patrem & Iudæorum & gentium,ſed non eſſe patrem Iudæorum niſi ſequãtur illius ueſtigia.

Non enim promiſſio Abrahæ.) τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου, Melius hic addidiſſet,Contigit quod hæres eſſet mundi,uel hæredem mundi futurum.

Abolita eſt.) κατήργηται. Quàm uarie tranſtulit eandem uocem,tamen hoc loco recte,Irrita facta eſt,abrogata eſt, antiquata eſt.

Non ei qui ex lege eſt ſolum.) Apud Græcos Abrahæ uidet datiui caſus,ut pertineat ad pronomen ei,alioqui addidiſſet τοῦ Ἀβραάμ, οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ, id eſt,Non ſolum ei Abrahæ,qui eſt ex lege peculiaris Iudæis,ſed etiam ei qui eſt ex fide cõmunis oñibus gentibus,ut duos Abraham imagineris in uno. Tametſi ſenſus alter mihi non diſplicet,ſed hic poſterior argutior. Etenim ut duos facit Adã,ita duos facit Abraham. Quanquam uideo pleroſq; diuerſam ſequi ſententiam. Verum quod legimus,Non ei qui ex lege ſolum,magis conueniebat quod, quum præceſſerit ſemen, Semen autem hic poſteros dixit ex Hebræi ſermonis proprietate. *Duo Abrahæ duo Adæ.*

Quia patrem multarum gentium poſui te.) Si fas non eſt omittere quicquam, cur alibi omiſit ſuperfluã coniunctionem ὅτι, ſin licet alicubi, hic certe fuerat omittenda. Thomas Aquinas indicat quoſdam codices,pro poſui habere cõſtitui,uidelicet annotaturus & alia quæ maioris ſunt momenti,ſi id illi per linguarum peritiam licuiſſet. Nam unicam duntaxat linguam nouerat,nec eam ſanè ad plenum. Quanquam apud Græcos ponere, frequenter uſurpatur pro facere. Porrò locus eſt Geneſis decimotertio. Quo loco & illud obiter annotandum,prophetico more tempus præteritum poſitum eſſe pro futuro, conſtitui pro conſtituam. *Aquinatis annotatio.*

Cui credidiſti.) Græce eſt κατέναντι οὗ ἐπίστευσε θεοῦ, id eſt, Coram deo cui credidit,ſiue Ad exemplum dei,cui credidit. Nam hoc Paulus ad ſuam retulit perſonam. Sentit enim quemadmodum deus non eſt deus huius,aut huius nationis tãtum,ſed cõmunis omniũ, ſic & Abraham fore patrem omnium credentium. Nam ad hunc modum interpretãtur Chryſoſtomus Theophylactus & Græcorum ſcholia κατέναντι τοῦ θεοῦ. ne quis ut noſtrum ſomniũ aſpernetur. Exemplar eñ ex aduerſo poſitum reddimus. Tametſi Ambroſius legit ἐπίστευσας, id eſt,Cui credidiſti,ut referatur ad ethnicum quem alloquitur. Sic enim ait, Vt unum deum omnium doceat,alloquitur gentiles. Nec eſt quod offendat numerus ſingularis,cum huiuſmodi ἐπιφώνησις crebræ ſint apud Paulum. Origenes item indicat hanc clauſulam,Coram deo cui credidit,ex Pauli perſona fuiſſe additam,ſed Cui credidit legit,non cui credidiſti. *Duplex ſenſus.*

Tanquam ea quæ ſunt.) ὡς ὄντα, id eſt,Tanquam ſint,neq; enim eſt τὰ ὄντα. Plus autẽ dixit non eſſe q̃ mortuum eſſe. Ac iuxta Græcam ueritatem adducit hunc locum Auguſtinus explicans pſalmum ciiij. Nam ille uocauit famem,qui uocat ea quæ nõ ſunt tanq̃ ſint. Nec ibi Apoſtolus dixit,Qui uocat ea quæ non ſunt ut ſint, ſed tanq̃ ſint. *Non entia dicuntur contẽpta.*

Contra ſpem.) παρ' ἐλπίδα, id eſt,Præter ſpem ſiue ultra ſpem,hoc eſt,cum non appareret quod ſperari poſſet,tamen ſummam habuit fidem pollicenti deo.

In ſpem.) ἐλπίδι ἐπίστευσεν, id eſt,Spei fiſus eſt,ſiue ſpei credidit. Quanquam nõnulli codices habebant ἐπ' ἐλπίδι, in ſpe,ſiue ſub ſpe. Eſt autem iucunda uocis eiuſdem traductio, tum contrariorum inter ſe relatio,quaſi dicas,Sperabat in rebus deſperatis, & cum ſpes non eſſet,tamen ſperabat,ſibi diffidens,deo fidens. Atq; ea demum eſt deo gratiſſima fides,quoties deſtituti noſtris opibus toti pendemus à deo. Sic enim expedite diſtinguit Chryſoſtomus παρ' ἐλπίδα τοῦτ' ἀνθρωπίνως, ἐπ' ἐλπίδι τῇ τοῦ θεοῦ, id eſt, præter ſpem humanã, in ſpe dei. Spem autem dei uocat,quam habebat in promiſſis dei.

Vt fieret.) εἰς τὸ γενέσθαι, Melius erat, Fore ſe patrem. Nam id erat quod præter ſpem ſperauit. Et apertius erat,Iuxta id quod dictum fuerat,quàm dictum eſt. Cæterum ei,pro nomen interpres addidit explicandi gratia.

Sicut ſtellæ cœli,& harena maris.) Nihil horũ uerborũ habetur in Græcis codicibus, tantum eſt, ſic erit ſemen tuum. Cætera nec apud Chryſoſtomum,nec apud Theophylactum,nec apud Ambroſiũ addunt. Quãq; qui uertit Theophylactum adiecit ex æditione uulgata. Verũ apparet addita à quopiam,cupiente ſenſum reddere dilucidiorẽ. Re-

tulit enim Paulus uerba dei,stellas cœli ostendentis Abrahæ.Quemadmodum legis Genesis capite decimoquinto.Numera stellas si potes,sic erit semen tuum. Hic uero parum apte cohæret sermo, Sic erit semen tuum sicut arena maris &c.Satis erat dicere, erit semen tuum ut stellæ cœli.

Non est infirmatus in fide.) μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, id est,Non infirmatus fide,hoc est, haud debilitatus paruméq; firmus ac robustus fide.Nam in,præpositio supest, apud nos.

Corpus suum.) ἑαυτοῦ σῶμα, id est,Suũ ipsius corpus.Quanq; Paulus suo more libenter utitur hoc pronomine simplici pro cõpositio,hic tamen nõnullam habet emphasim.

Ferè centum esset.) ἑκατονταέτης ὑπάρχων coniunctio expletiua addita,fecit annos incertos.Nam id temporis Abraham nonaginta nouem habebat annos, ut indicant Græca scholia,& ita scriptum est in Genesi.

Emortuum. Abrahã post genuit ex Cethura.

Mortuam uuluam.) νέκρωσιν τῆς μήτρας, id est, Quasi dicas,mortificationem uuluæ. Cæterum emortuum hic uocat effœtum νενεκρωμένον, ne quis eum iam cadauer fuisse putet,sed inualidum senio,non simpliciter,nam postea sustulit liberos ex Cethura,nullo insigni miraculo,sed hactenus emortuum,ut citra opem diuinã non posset gignere ex anu. Nam Cethuram integra etiamnum ætate mulierẽ duxisse legitur.Huiusmodi fermè Augustinus in quæstionibus super Genesim libro primo. Vuluam autem uocat, non membrum muliebre pudendum,ut indoctum uulgus accipit,sed matricem qua concipitur fœtus,quæ cum destituitur ui attrahẽdi ac retinendi semen,sterilescit mulier.

In repromissione etiam dei.) εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν, id est,In ꝓmissione uero dei.Et sic legit Ambrosius,ut hæc pars aduersetur superioribus,Non est infirmatus,non considerauit &c.sed nihil diffisus est,nihil hæsitauit in promissis dei, siue potius ad promissa dei. Est enim Græce εἰς ἐπάγγελίαν.

Non hæsitauit.) οὐ διεκρίθη, id est,Non dijudicauit aut disquisiuit,quod est diffidentis. Dispicit enim ac dijudicat qui non plene confidit.

Confortatus est.) ἐνεδυναμώθη, id est,Inualuit & potens factus est,ut respondeat illi superiori μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, id est,Non debilitatus fide. Nec hic additur in, coniunctio, ne in uetustis quidem Latinorum codicibus.Quanquã ea est in uerbo compositio.

Plenissime sciens.) πληροφορηθείς, id est,Certus factus & certa accepta persuasione,qua si dicas certificatus,ut copiosius explicuimus in præfatione Lucæ in euangelium.

Quod εἰδικῶς.

Quæcunq; promisit deus.) ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι καὶ ποιῆσαι.Quia quod promissum est,potest etiã facere.Et coniunctio,quia,hoc loco posita est,ꝓ ὅτι quod, εἰδικῶς accepto nõ αἰτιολογικῶς,hoc est,nõ ita ut causam declãret,sed exponat qd habuerit ꝓfuasum.

Quia reputatum est ei.) Hic ubi tertio iam repetitur Genesis testimonium,Latini codices addunt,ad iusticiam.Nam Græci tantum legunt ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ, id est, Imputatum est ei.Atq; id satis erat.Notat enim quod superius dictum est ueluti iam cognitum. Et exemplar omnium quæ uiderim antiquissimum ex bibliotheca diui Pauli consentit cum Græcis exemplaribus.

Quibus reputabitur.) οἷς μέλλει λογίζεσθαι, id est,Quibus imputabitur.Miror Iacobum

Faber.

Fabrum in examinationibus suis uertisse,debet imputari.Quasi debet significationẽ habeat futuri temporis,ut apud Græcos μέλλει.Et quasi idem sit debet imputari,& imputabitur,quemadmodum uulgus ineruditum putat. Nisi forte uisum est illi docendi gratia ad hunc loqui modum.

Qui suscitauit Iesum Christum.) χριστὸν apud Græcos non additur.

EX CAPITE QVINTO.

Varia lectio.



Acem habeamus ad deum.) ἔχομεν.In plerisq; Græcorum codicibus est,id est,habemus.In alijs rursum ἔχωμεν,habeamus.Posteriorem lectionem secutus fuisse uidetur Origenes,interpretans his uerbis nos inuitari ad pacẽ mutuam.Et haud scio an apud Græcos primæ personæ πρὸς αὐτοπροσακτικῶν congruant cum indicatiuis ,quemadmodum secunda ἔχετε. Apud Theophylactum contextus habebat ἔχομεν,enarratio ἔχωμεν,apud Chrysostomum utrobiq; repperi ἔχωμεν.

Accessum.) προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν, id est,Aditũ habuimus,siue nacti sumus. Tametsi

non

non me clam est Græcos in nõnullis uerbis prætertito pro præsenti abuti, præsertim affectuum, ut γέγηθα, δέδια, & in hoc quod paulo post sequitur, ἑστήκαμεν stetimus, pro stamus. Vbi illud annotandum, ἐν ᾗ, in qua stamus, incertum an articulus postpositiuus referat gratiam an spem. Ambrosius uidetur ad fidem referre cum ait, Ideo stantes quia prius iacuimus, credentes autem erecti sumus &c.

In spe filiorum dei.) Græci legunt In spe gloriæ dei, ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ. Nec addunt filiorum. Palàm est Origenem legisse in spe gloriæ dei, ex ipsius enarratiõe. Nec ullum uestigium deprehendi potest ex interpretatione Ambrosiana, quo sentiri queat illũ addidisse filiorum. Sic enim scribit, Credentes autem erecti sumus, gloriantes in spe claritatis quam promisit deus nobis, non abhorrens ab Origene qui interpretatur, Gloriantes in spe uidendæ gloriæ dei. Theophylactus interpretatur, in spe bonorum quæ nobis contingent non ex merito nostro, sed ut glorificetur deus. Nec secus legit Chrysostomus. *Additũ apud nos.*

Non solum autem.) οὐ μόνον δέ. Sermo Latinus hanc loquendi formam non agnoscit, mollius erat si addidisset pronomen, Neq; id solum, aut neq; hæc solum. Siquidem Origenes existimat hanc particulam non solum esse referendam ad id quod proxime dictũ est, gloriamur in spe gloriæ dei, sed ad cætera quoq;, quæ docuerat nos esse cõsecutos per Iesum Christum: uidelicet iustificatos esse ex fide per illum, per eundem aditum esse datum in gratiam istam, per eundem contigisse, quod licet gloriari & sperare gloriam dei. Mihi uidetur ad horum postremum non inconcinne referri.

Non confundit.) οὐ καταισχύνει, id est, Non pudefacit aut pudore afficit, Quis Latinus intelligeret cõfundit pro pudefacit. Augustinus libro de doctrina Christiana quarto cap. septimo, indicat huius loci schemata, quorum unũ appellatur Græce κλῖμαξ, Latine gradatio, multum faciens ad iucunditatem orationis. Ea fit, quoties membrum sequens uocẽ postremam excipit præcedentis, ut ita per gradus quosdam deueniatur ad ultimum, uelut hic, Ex tribulatione patientia, ex patientia probatio, ex probatione spes connectitur. Indicat & cõpositionis decus, quod orationem colis & cõmatis modulatam absoluit periodus. Primum membrum est, Quoniam tribulatio patientiam operatur. Secundum, patientia autem probationem. Tertium, probatio uero spem. Deinde additur periodus, & ipsa constans tribus membris, quorum primum est, Spes autem non confundit: secundũ, quia charitas diffusa est in cordibus nostris: tertium, per spiritum sanctũ qui datus est nobis. Huiusmodi fermè Augustinus. Quanq; mea sententia nihil uetat, quo minus priorẽ cõpositionem quatuor membris absoluamus, ut quartum sit, spes autẽ non confundit: hic enim est finis gradationis. Deinde accinitur periodus uel unico uel duobus membris constans, Quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Quin & superiora cola possunt in bina cõmata diuidi, ut cõma sit, quoniam tribulatio, & post minimum respirationis, succedat, patientiam operatur, atq; item de cæteris. Hæc diuus Augustinus fatetur nequaq; fuisse ab apostolo affectata, sed eloquentiam ultro comitem fuisse sapientiæ, nec sapientiam talem aspernari comitem.

Diffusa est.) ἐκκέχυται, id est, Effusa est, uel effusa fuit, ut intelligas largiter effusam.

Vt quid enim.) Græce secus est, ἔτι γὰρ Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, id est, Nam Christus cum adhuc infirmi essemus. Apparet codicem quem secutus est interpres habuisse εἰς τί, id est, ad quid? Vterq; sensus est tolerabilis. Ad quid enim subaudi, ne spes confundat. Et ut quid legit Ambrosius quoq;, Theophylactus legit & interpretatur ἔτι.

Secũdum tempus.) κατὰ καιρόν. Si referatur ad infirmos, mitigat quod dictum est, quasi infirmitas illorũ tẽpori sit imputanda, quo nondũ apparuerat gratia euãgelij. Sin referat ad mortuus est, intelliges illum idoneo tẽpore & à patre præscripto, mortem oppetisse. Atq; ita Græca interpretantur scholia. Eamq; sententiam sequitur Ambrosius, ita scribẽs Si pro incredulis ac dei inimicis Christus ad tempus morti se dedit. Ad tẽpus enim mortuus est, quia tertia die resurrexit. Ac mox, Apud homines igitur, id est, secundum tempus mori uisus est. Consentit & Origenes, & huic penè succinens Theophylactus, interpretans secundum tempus, opportuno destinatoq; tempore. *Duplex lectio*

Pro iusto moritur.) ἀποθανεῖται, id est, Morietur. Porrò iustum & bonum hoc loco nõ personam aliquam significat, sed rem, hoc est ipsam iustitiam & bonitatẽ, ut sit neutri generis *Locus anceps*

neris non masculini,quemadmodum putat diuus Hieronymus in epistola ad Algasiam, quæstione septima.Origenes utroq; modo edisserit,p iusto uiro & iusta causa. Ambrosius diuersum sensum sequitur, ad personam referens iusti uocabulum.

Audeat mori.) Et audet,uel etiam ausit mori,καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. Quanquàm hic rectius uertisset sustinet,quo uerbo in consimili sensu usus est Suetonius.

Quoniam si.) Secus est apud Græcos, ὅτι ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν, id est, Quod cũ adhuc peccatores essemus,ut hæc particula pendeat à superioribus, Fortassis erit q pro bono moriatur.Attamen dei erga nos charitas in hoc insignis est,& humanã uincit quantumuis magnam,quod pro impijs & indignis,filium unicum mori uoluerit,deinde colo interposito sequatur,Multo magis ergo nunc iustificati &c.Ea distinctio si quis mihi diffidit,extat in exemplari Paulino,cuius sæpe meminimus.Cõmendat autem suam charitatẽ deus in nobis,hic interposito cõmate sequit,Quoniã cũ adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est,hic periodi nota interiecta,quod sequitur à maiuscula incipit.Multo igitur magis &c.Quãq; posterior quispiam,uolens opinor,emendare quod erat scriptum,in spacio quod dirimit uersus asscripserat,si.Quoniam si cum adhuc peccatores &c.Eandem distinctionem habebat meus codex ueteris typographiæ,nec addit si.

Distinctio.

Sed & gloriamur.) ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι, id est,Sed & gloriantes.Quanq; ad sententiã haud ita magni refert.Et in nonnullis Græcorũ exemplaribus καυχώμεθα, reperi scriptũ, uelut in eo quod nobis exhibuit monasterium prædicatorum apud Basileam.

Propterea sicut per unum hominem.) Sic quidem est apud Græcos, διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου, sed non respondet quod sequitur ad ὥστε,nisi ὡς legat pro quia, aut ὥστε pro ὡς,aut nisi accipias ὥστε pro tanq;,nisi quis malit hoc quoq; ἀναπόδοτον esse, qualia multa uidetur Paulus habere.Origenes duas refert opiniones.Iuxta priorem uult Paulũ non ob insciti am Græcanici sermonis hanc partem imperfectam reliquisse,sed data opera suppressisse,quod alioqui subijciendum erat,quia commodius iudicaret utrũq; subaudiri quàm palàm explicari.Nam si adiecisset eam partem quæ respõdet sicut &c, Sic per unum hominem uenit iustitia in mundum,& per iustitiam uita in omnes homines pertransiuit,periculum erat ne qui hoc audito securiores ac negligentiores redderentur, aut iam nunc inciperent expectare quod postea continget, aut ne putarent hic oscitantibus obtingere quod non sine cura studioq; consequimur.Proinde in cæteris,alteram partem commutato tempore reddit per uerbum futuri temporis,Sicut in Adam omnes moriuntur,ita & in Christo omnes uiuificabuntur.Iuxta posteriorẽ,uult alteram partem, in posterioribus esse redditam,licet interuallo longiore,nempe illic,Sed non sicut delictum,ita & donum.Si enim unius delicto mortui sunt,multo magis gratia dei,& donum per gratiam unius hominis Iesu Christi in plures abundauit.Mihi uero uidetur & alia superesse ratio,qua huic sermonis incõmodo medeamur,si quod apud Græcos frequens est in coniunctione ᾠδὴ subaudiatur οὕτως, cuius exemplum habes in euangelio, ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, id est,Sicut in cœlo,ita & in terra,οὕτως subauditum est.Hic igitur erit sensus, Quapropter sicut per unum hominem peccatum in mundum intrauit,ita & per unum hominem intrauit mors,ut intelligas utrunq; nobis ab Adam esse profectum. Ille peccauit & ob peccatum incidit in mortem. nos item quoniam illum sequentes peccamus,in mortem incurrimus.Atq; ita factum est,ut & mors & peccatum in omnes dimanarit.

Sermo Pauli uidetur inabsolutus

Tertia ratio explicandæ quæstionis.

In quo peccauerunt omnes.) In quo,quidam referunt ad Adam,quorum est Ambrosius,qui in hoc quoq; philosophatur,cur dixerit in quo,nimirum Adam, & non in qua, cum ab Eua sit ortum peccatum,uidelicet Origenem secutus ut ferè solet.Quidã ad peccatum cuiusq; proprium,in qua sententia uideo Chrysostomum ac Theophylactum esse.Quãquàm utraq; sententia recidit eodem.Mihi non absurdum uidetur si ἐφ' ᾧ accipiatur pro quatenus, siue quandoquidem,ut sit sensus,per unum hominem uenisse peccatũ in mũdum ,peccati uero comitem fuisse mortem,proinde ad omnes peruenisse mortem, quatenus omnes peccatum habuerunt.Nam ad hunc modum reperire licet & aliâs, ni fallor,apud Paulum ἐν ᾧ siue ἐφ' ᾧ pro In eo quod,siue inquantum,aut quatenus. Huic sententiæ minus fidebam priusquàm comperissem positam ab eo cuius sunt scholia in omnes epistolas Paulinas,uiri,quod res ipsa declarat,eruditi,licet præfationem addiderit impostor,

In quo, uarie expositum.

impostor,qui quo uendibilius esset opus,finxit Hieronymum autorem.Scholium sic habet, In quo oēs peccauerunt,hoc est,in eo quod omnes peccauerūt,exēplo Adæ peccāt.

Vsq; ad legem enim peccatum.) ἄχρι γὰρ νόμου.Origenes interpretatur,Vsq; ad finem legis Mosaicæ,hoc est,usq; ad Christum.

Non imputabatur.) οὐκ ἐλλογεῖται, id est, Imputatur, præsentis temporis,ut sermo sit absolutior.Nam μὴ ὄντος νόμου ad utrunq; tempus quadrat,quasi dicas in genere,nō ente lege non imputatur peccatum,id est,ubicunq; non est lex,ibi peccatum non imputatur.Atq; ita sanè legit Origenes.Itaq; scriptum comperi in uetustissimo nec minus emendato codice Paulino.Hic quidam interpretantur ἐλλογεῖται non pro imputatur, sed pro reputatur,hoc est,iudicatur,ut intellígas nulla lege lata,peccantes non habere pro peccato quod cōmittunt cum nulla lege facere prohibeantur.Quidā non inerudítus libro ædito,putat Græcam lectionem esse deprauatam, & pro ἐλλογεῖται, scribendum ἐλλογεῖτο. Quasi uero non sit impudens dissentire à tanto consensu Græcorū uoluminum,aut quasi si quis tempus præteritum imperfectum postulet,ἐλλογεῖτο dicendum sit,ac non potius ἐνελογεῖτο.Atq; hic est qui sibi miram eruditionem uindicans,me sine fine iactat nihil omino scire.In codice Donatiani scriptum erat.Quum lex non est. Vnde coniectare licet & illud imputabatur,deprauatum, pro imputatur.Illud obiter annotādum,Paulū hoc loco promiscue uti his duobus uocabulis, ἁμαρτία & παράπτωμα, cum Hieronymus alicubi putet παράπτωμα leuius esse quàm ἁμαρτίαν. ἁμαρτία παράπτωμα.

In similitudinem.) ἐν ὁμοιώματι, id est, In similitudine,non in similitudinē præuaricationis Adæ.Potest autem hæc particula In similitudinem referri uel ad illud superius,Regnauit mors in similitudine,uel ad propius hoc,Qui non peccauerūt in similitudine.Origenes & Ambrosius, atq; etiam Augustinus libri de peccatorum meritis & remissione, primi,capite undecimo,indicant duplicem huius loci fuisse lectionem. Vnam, regnauit mors etiam in eos qui peccauerunt in similitudine Adæ.Atq; hanc uidetur habere potiorem Origenes,ut quam priore loco ponat,quemadmodum & Ambrosius.Alteram,quā indicat haberi in nonnullis exemplaribus,Regnauit mors ab Adam etiam in eos qui non peccauerunt.Prioris lectionis in qua non additur negatio hæc est sententia, Mortem regnasse non solum in Adam,sed in omneis etiam,qui ad illius exemplum peccauerant.Posterioris lectionis duplex est sensus.Prior est,mortem regnasse non solum in Adam & in eos qui ad illius exemplum peccauerunt,uerum in eos quoq; qui aut non peccauerant, aut certe non perinde grauiter peccauerant atq; ille.Posterior sensus est, mortem regnasse & in eos qui non peccassent,regnasse autem non ob ipsorum commissa,sed in similitudine præuaricationis Adæ,hoc est,perinde quasi & ipsi præuaricati fuissent quemadmodum Adam.Iam cum alibi dixerit,Conclusit deus omnia sub peccato,& omnes peccauerunt & egent gloria dei,quomodo nunc dicit quosdam non peccasse? Verum non peccauerant ad illius similitudinem,hoc est,non tam capitaliter,nec accepto mandato,quæ ꝓprie præuaricatio dicitur.Nam Adæ merito est imputatum peccatum,ut cui præscriptū esset,quid sequi,quid fugere deberet.Sed ante Moysi legem nō imputabatur peccatum, hoc est,non uidebatur imputandum,quod non esset lex quæ prohiberet peccatum. Illud addendū,non esse ὁμοιώσῃ,sed ὁμοιώματι, quod magis assimilationem sonat quàm similitudinem,ut accipias eos qui peccant in hoc referre parentem peccatorem. Vsus est eodem uerbo aliquanto superius,In similitudine imaginis hominis. Cæterum haud me fugit quosdam totum hunc locum ad peccatum originale referre. Quibus equidem non admodum repugno, tamen & alteram interpretationem indicare uisum est, quam nec Ambrosius omnino prætermisit,Origenes penè solam sequitur. Is cuius scholia legimus titulo Hieronymi similiter,Sic enim loquitur,Quum enim exposuisset eos qui non peccauerunt in similitudinē Adæ,esse qui ante legē Mosi peccarūt,explicat quod dixit his uerbis,Hi sunt qui nō ad similitudinē præuaricationis Adæ,peccauerūt,qui ꝓ naturalē legē transgressi sunt,& non sicut Adam ꝓ mandatum.Ac mox subijcit,Sicut enim Adam primus mandatū dei præuaricatus exēplū est legē dei præuaricari uolētibus,sic & Christus uolūtatē patris cōplexus exēplū est imitari eū cupiētibus.Sed quid hæc ꝓsequor,quū is totū caput interpretet de peccatis quæ cōmittūt hoīes imitatiōe primi parētis. Qd si qs

Varia lectio.

nobis

Peccatū originale negabāt Pelagiani.

nobis proferat exemplum uirginis, ueteres neminem à peccato liberarunt in totum præter unum Christum, Si infantes, de his hic non uidetur agere Paulus, nec ea quæstio tum mouebatur, quum nondum esset receptum infantes baptizari. Quin & illud nobis uidendum, ne plus satis oderimus Pelagianos, non quod nolim illorum explodi sententiam, qui negant ullum esse peccatum originale, sed quod nolim illud per occasionē affectate admisceri ubi non est opus, siue quod in ea disputatione libeat argutari, siue ut quemadmodū astrologi repertis epicyclis sese è multis difficultatibus expediunt, ita nos affectate ad hoc quæstionum κεκσφύγετον passim recurramus. Nisi forte nobis permittimus, ut in disputando cum aduersario qui uincendus est magis quàm docendus, scripturæ uerba ad uictoriam nostram utcunq; detorqueamus. Quod aduersus Iouinianum pugnans Hieronymus facere uidetur nōnunquam, & Augustinus aliquoties. Hæc dixerim inquam, non quod faueam negantibus esse peccatum originis, sed quod nolim, si fieri possit, ullam uim fieri scripturis diuinis. Quin potius ex ipsa disputationis consequentia diligenter expendamus, quid senserit Paulus, dispicientes quid hic agat, unde cœperit, quorsum tendat, & num consentaneum sit illum statim mysterium hoc gentibus aperire uoluisse, quod hodie quoq; magis creditur quàm intelligitur, nimirum cōmuni sensu reclamante. Frustra uero quidam calumniātur, quod hac annotatione uidear labefactare peccatum originis, quum tot locis in scriptis ingenue profitear & asseram. Verū hic locus mihi uidetur mollius exponi de personalibus commissis posterorum Adæ, sic tamen ut nullius sententiæ præiudicem.

Forma futuri quò referēdū.

Forma futuri.) τύπος τοῦ μέλλοντος, id est, Figura seu typus futuri, hoc est, uenturi Christi, ut futuri nomen nō pertineat ad tempus quo hæc scribebat Paulus, sed ad Adam qui præcessit Christum cuius typum gerebat. Quo elocutionis genere scripsit Colossensibus de Sabbatis & Neomenijs agens: Quæ sunt umbra, inquit, futurorū. Iam enim illa Paulo futura non erant sed præsentia. Coactius enim mihi uidetur, quantumuis argutum dixeris, quod Origenes indicat hæc & ad uenturi seculi conditionē posse referri. Forma igitur & typus erat Christi Adam. Quanq; ea figura in diuersum recidit & analogia potius est q; similitudo. Nam ut ille princeps peccādi & moriendi, ita hic dux & autor innocentiæ & immortalitatis. Proinde eleganter scripsit Origenes & hūc secutus Ambrosius, iuxta genus cōstare similitudinem, iuxta speciem repugnantiam esse. Vt ab Adam quidā dimanauit in omnes, ita & à Christo, hic genus est. Cæterum ab illo mors & peccatum, ab hoc innocētia & uita, hic species est. Porrò forma Græcis est typos, quod uelut exemplar sonat, unde aliud exprimitur simile. Potest autem & illud τοῦ μέλλοντος absolute sumi neutro genere, ut referatur non ad posteriorem Adam sed ad ipsum peccatum quorū libet Adam parentem imitantium. Is enim fuit exemplum peccandi posteris. Oftēdi quis sensus è uerbis Græcis excerpi possit, sequetur prudens & cordatus lector quod optimū iudicabit. Illud adijciendum, quod interpres hoc loco nunc uertit plures, nūc multi, Græcis eadem est dictio πολλοί, quam Origenes positam putat pro oīnibus, quo magis respondeat unius. Etenim ubi sunt omnes, ibi sunt & multi.

Multi pro oēs

Obscurus sermo Pauli.

Et non sicut per unum peccatum.) Apud Græcos obscurius est, καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα, id est, Et non sicut per unum qui peccauit donum. Sic enim ad uerbū uertere licet, & necesse est nōnulla uerba subaudire, id quod admonent etiam Græcorū scholia. Et non sicut per unum qui peccauit, subaudi ingressa est mors, ita per unum uenit donū, hoc est, non eodē modo. Nam ex uno peccato moriunt oīnes, sed ex multis peccatis per unū iustificantur omnes. Quodq; uulgati codices habent per unū peccatū, Ambrosius legit peccantē nō peccatum, δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, id est, Per unum qui peccauit. Atq; ita legisse Theophylactum ex ipsius interpretatione licet colligere. Certe sic legit Chrysostomus, q; q; mox ἑνὸς refertur ad peccatum, τὸ μὲν κρῖμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα, quia sequitur, τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων. Quum unum peccatum dicit Adæ peccatum significat, quum multa, cætera peccata intelligit, quæ sibi quisq; addit.

Ex uno peccato.

Nam iudicium quidem ex uno.) Ex uno, non refertur ad personam Adæ, sed ad peccatum, ut subaudias παραπτώματος, cui paulo post respondet, ex multis, ut sit sensus, Nam iudicium quidem ex uno peccato in condemnationem, donum autem ex multis peccatis in

tis in iuſtificationem. Quanquam conſentiunt hic interpretes omnes. Auguſtinus de nuptijs & concupiſcentia ad Valerium libro ſecundo, cap. uigeſimoſeptimo, palàm aſſeuerat, Ex uno peccato ſentiendum non ex uno homine, ut reſpondeat ad id quod ſequitur, gratia autem ex multis delictis: ut intelligamus unum peccatum ſuffeciſſe ad condemnationem uniuerſi generis humani, gratiam autem unam ad uniuerſa peccata delenda. Idē affirmat aduerſus Iulianum Pelagianum libro primo.

Gratiam ex multis delictis.) χάρισμα. Quod modo donum uerterat, & recte, nunc gratiam uertit haud recte, niſi prorſus idem eſſe putamus gratiam & donum.

Itaq; ſicut per unius delictum in omnes homines.) Hic ſermo mutilus eſt, & opus habet quæ ſubaudiantur, uidelicet quid per utrunq; ſit inductum. Itaq; ſicut per unius delictum irrepſit peccatum ad condemnationem, ita per unius iuſtitiam ingreſſa eſt ſalus ad iuſtificationem omnium. Ita propemodum Theophylactus, in enarrando ſupplens, quæ deſunt orationi. *Sermo mutilus.*

Abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes.) Legendum eſt doni iuſtitiæ, ut intelligas ipſam iuſtitiam eſſe donum, κρὶ δωρεᾶς δικαιοσύνης, Sublata cōiunctione: iamq; nō erit opus illa diſtinctione Thomæ, explicantis quid interſit inter gratiam, donationem, & iuſtitiam. Quanq; Ambroſius addit, noſtro more coniunctionem, legens, et iuſtitiæ, ſed arbitror mendum eſſe codicis, quandoquidem tale nihil indicat illius enarratio. Certe Chryſoſtomus ac Theophylactus nobiſcum faciunt.

Lex autem ſubintrauit.) παρεισῆλθεν. Quaſi dicas obiter irrepſit, ob præpoſitionē Græcam quæ fermè in malam partem additur.

Superabundauit gratia.) Hic χάρις eſt, non χάρισμα, id eſt, Gratia, non donum. Quām quam χάριν, id eſt, gratiam Græci aliquoties accipiunt pro beneficio. Cæterum quod Latinus interpres dixit ſuperabundauit, Græce eſt ὑπερεπερίσσευσεν, quod non perinde ualet quaſi dicas, ſic abundare liquorem, ut effundatur quod ſuperfluum eſt, ſed quaſi dicas uehemēter ac ſupra modū abundare. Auget enim ὑπὲρ apud Græcos non aliter atq; quàm aut per, apud nos. Vnde nonnulli Græcorum more loquentes, ſed parū Latine, dicunt ſuperbenedictus, pro eximie benedicto, ſuperexcelſus pro uehementer excelſo. *ὑπὲρ auget Græcis.*

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt.) Illud ad ſenſum nihil attinet, quod in noſtris habetur tertia perſona, Cōſtituti ſunt, quod habebatur in nonnullis Græcorum codicibus, κατεστάθησαν, cum in pleriſq; Græcis habeatur κατεστάθημεν, quemadmodum & in æditione Aldina.

Vt ſicut regnauit peccatum in morte.) Origenes putat ſub mortis nomine diabolum poſſe intelligi, in hoc uelut & in ſuperioribus locis, quod Græcis mollius eſt, quibus θάνατος mors, maſculini generis eſt. Ambroſius putauit ad animi mortem referendū ſenſum. Origenes & de corporali morte interpretatur, diſputās de Enoch à morte ſubducto. Porrò cum ait, Regnauit peccatum in morte, ἐν τῷ θανάτῳ, apparet Paulū abuſum eſſe præpoſitione ἐν pro εἰς: debebat enim hæc particula congruere illi quæ ſequitur, ut gratia regnaret per iuſtitiam in uitam æternam, ubi non dixit ἐν ζωῇ αἰωνίῳ, ſed εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.) Dominum noſtrum, hoc loco non adijcitur apud Græcos, nec in uetuſtis Latinorum exemplaribus, etiamſi apud Ambroſium additur, ſed ita ut ex interpretatione non poſſit eſſe compertum ita legiſſe. Quanq; in nōnullis Græcis exemplaribus dominum noſtrum additum repperi, eodem, opinor, caſu quo apud nos, duobus uocibus aliunde huc tranſcriptis.

In mortem.) ἐν τῷ θανάτῳ, id eſt, In morte, hoc eſt, per mortem, quemadmodum ſuperius admonuimus.

EX CAPITE SEXTO.

QVi enim mortui ſumus peccato.) Enim, redundat οἵτινες ἀπεθάνομεν, id eſt, Quicunq; mortui ſumus, aut qui mortui ſumus peccato, & peccato dandi caſus eſt non auferendi, quaſi quis alloquens peccatum dicat, tibi mortuus ſum ſed Chriſto uiuo.

Viuemus in illo.) ἐν αὐτῇ. In ipſo, aut in eodem fuerat ſignificantius.

An ignoratis fratres.) Fratres, additum eſt ab interprete aut ſcriba, ἢ ἀγνοεῖτε, id eſt, *Fratres additum.*

An ignoratis. Atq; ita sanè legit Origenes & Ambrosius, neq; secus habent uetustissimi codices Latini manu descripti.

Baptizari in Christum. Baptizati sumus in Christo Iesu.) Græcis est in Christum Iesum, & in mortem, εἰς χριστὸν Ἰησοῦν, & εἰς τὸν θάνατον. Quanq; ea præpositio ancipitis est naturæ apud Græcos. Hic tamen magis congruebat in Christum, quod per baptismū inserimur in corpus Christi mysticum.

Si enim complantati facti sumus.) σύμφυτοι. Hoc est, insiticij & participes. Alluſit eñ ad insitionem plantæ quæ respondet communioni corporis Christi. Quemadmodum surculus decerptus è sua arbore, particeps fit humoris eius arboris cui inseriť, ita qui per baptismum, Christi corpori inseruntur, cōsortes fiunt bonorum illius. Vide uero an præpositio σὼ pertineat ad Iudæos & gentes simul in unum Christum collectos.

Duplex sensus. Simul & resurrectionis.) Græcis est, ἀλλὰ καὶ τῆ ἀναστάσεως, id est, Igitur & resurrectionis. Interpres legisse uidetur pro ἀλλὰ, ἅμα. Cæterum ἀλλὰ coniunctio est ratiocinādi, quā uertimus nimirū, & Resurrectionis erimus, bifariā accipi potest: erimus resurrectionis, id est, Pertinebimus ad resurrectionē, aut erimus cōplantati similitudini resurrectionis eius. Nos priorē sententiā secuti, uertimus addito uerbo, Et resurrectionis erimus participes.

Quia simul etiam uiuemus cum Christo.) Græcis est συζήσομεν αὐτῷ, conuiuemus illi. Quanquam interpres bene reddidit sententiam.

Resurgens à mortuis.) ἐγερθεὶς, id est, Excitatus siue qui resurrexit à mortuis. nam præteriti temporis participium est. Quanquam aliàs huiusmodi participijs abutitur.

Vltra non dominabitur.) οὐκ ἔτι κυριεύει, id est, Non amplius dominatur, præsenti tempore non futuro, quemadmodum illud non moritur. Reddit enim causam, quare nō moritur, Quia per illum sublatum est mortis dominium, Nam hæc uerba non solum pertinent ad Christum, uerum etiam ad mysticum corpus Christi, cui sensui magis congruebant uerba præsentis temporis.

Excusa Valle annotatio. Quod enim mortuus est.) ὃ γὰρ ἀπέθανε. Laurentius castigat, quod enim mortuū est, neutro genere. Nam apud Græcos ὃ articulus est postpositiuus non coniunctio. Ac sanè iuxta Laurentij sentētiam legit Hilarius libro de trin. ix. iuxta fidem uetustorum codicū, mortuum referens ad corpus humanum, uiuit, ad naturam diuinam, sed mea sententia, melius ad Christum simpliciter refertur ἀπέθανεν, ut sit sensus, hoc ipsum quod mortuus est Christus, semel dūtaxat mortuus est, idq; peccato, quod autem uiuit &c. Quasi dicas mortē eam quam mortuus est, mortuus est peccato, uitā quā uiuit, uiuit deo. Est autē iuxta Græcorum distinctionem signandum cōma post ὃ γὰρ ἀπέθανε, ut quod sequitur, Mortuus est semel, ad peccatum referatur, quæ uox hic datiui casus est, quemadmodum deo, non ablatiui. Consimili modo dixit in epistola ad Galatas, ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκὶ, ἐν πίστει ζῶ, id est, Quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo. Cæterum quis tādem sensus est, si legas, Id quod mortuum est &c. Quin potius agit Paulus, ut quemadmodum Christus semel mortuus peccato, semper immortalis manet, ita nos semel mortui peccato, per baptismum & in illo renati, deinde non recidamus in peccatum. Hac ratione interpres à germino solœcismo absoluetur, quem illi noster impegit Stapulensis.

Stapulensis. Existimate uos mortuos.) ἑαυτοὺς, id est, Vos ipsos. quod sæpius obuium interpres uidetur neglexisse. Et existimate Græcis est λογίζεσθε, uerbum cogitantis, ut annotauit & Origenes, quod ea res à cogitatione potissimum pendeat. Quoties enim cogitamus nos esse mortuos cum Christo, premuntur & euanescūt carnis cupiditates. Vnde magis quadrabat, reputate, hoc est considerate.

In Christo Iesu.) Græci addunt, domino nostro.

Vt obediatis concupiscentijs eius.) εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ, id est, Ad obediendum ei, in cōcupiscentijs ipsius, ut pronomen ei referat peccatum, ipsius rei rat corpus, ut intelligas obediri peccato per affectus corporis ad peccatum sollicitantes.

Sed neq; exhibeatis.) μηδὲ παριστάνετε, id est, Nec exhibete siue accōmodate, sed redūdat.

Gratias autem deo.) χάρις δὲ τῷ θεῷ, id est, Gratia autem deo, ut subaudiatur sit.

Serui facti estis iustitiæ.) Iustitiæ, datiuus est casus, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ, hoc est, Cœpistis esse serui iusticiæ & addicti.

Humanū

Humanum dico.) ἀνθρώπινον λέγω. Hac loquendi figura mitigare solet Paulus, si quid durius dicere uidetur, aut inconsideratius, Secundum hominem loquor.

Seruire immundiciæ.) Græce nomen est, & iucundius δοῦλα, id est, Serua, uel seruientia membra, ac uelut obnoxia.

Liberi fuistis iusticiæ.) Peccati, hoc loco genitiuus est apud Græcos, iusticiæ datiuus, hoc est liberi à iustitia. Et eratis, potius quàm fuistis, eo quod præcedit, quū essetis.

Finem uero uitam æternam.) Faber Stapulensis legit in uitam æternā. Verū in emendatis codicibus reperio uitam æternam absq; præpositione, cōsentientibus & Græcis & Latinis exemplaribus, ut sit appositio. Illud uisum est submonere lectorem, hoc loco, atq; etiam in eo quod præcessit, finis illorum mors, τέλος accipi posse pro tributo siue uectigali, quod colligitur è seruitute peccati. Nam mox sequitur, ὀψώνια. Tametsi secus interpretatur Ambrosius & Chrysostomus. Videtur ὀψώνιον esse quod datur alendo militi, τέλος extremum præmium quo iam sibi uiuat missione donatus. Obstat huic sensui quod adfert Chrysostomus, in mentione peccati nominari opsonia, hoc est, stipendia, in mentione uitæ æternæ, non nominari mercedem. *Faber.*

Stipendia enim peccati mors.) τὰ γὰρ ὀψώνια, id est, Obsonia. Milites enim cibis allitiebantur ac donarijs, siue autoramentis, ut hominum genus omnium longe uilissimū, quippe quod cibi uentrisq; causa, uitam habet uenalem, sed in quod olim ab imperatoribus Romanis, oia fermè dignitatū insignia collata sunt. Ambrosius legit merces & quæstus. *Obsonia.*

Gratia autem dei.) τὸ δὲ χάρισμα, id est, Donum, ut opponatur τοῖς ὀψωνίοις, quod est uile uerbum, cum illud sit ingenuum.

EX CAPITE SEPTIMO.



Ex dominatur homini q; diu uiuit.) Nobis ambiguum est, accipiendum ne sit q; diu uiuat homo, an quàm diu uiuat lex. Atq; eadem ambiguitas est in uerbis Græcis. Mihi uidetur uiuit, uerbum referendum ad lex potius quàm ad homo, idq; ut malim, faciunt ea quæ mox sequuntur. Porrò licebat amphibologiam ad hunc modum effugere, Lex dominatur homini quo ad ea uixerit, aut quod fuerit elegantius, tantisper dum ea uixerit. Hæc ubi scripseram, consulo Origenem, & comperio id ab eo diligenter annotatum fuisse, quod in conferenda similitudine Paulus, legem uiri loco posuit, & hominem uxoris uice. Vt morte uiri liberatur uxor, ita antiquata lege, liberatur obnoxius prius legi. Legem autem uiuere dicit, q; diu ualet, mortuam esse posteaq; desijt habere uigorem. Iam κυριεύει non tantū Græcis est dominatur, sed etiam ius habet & autoritatem. Illud obiter annotandum, exemplum adduci de muliere non de uiro, quod apud Iudæos ius esset uiris diuertere ab uxoribus, cum illas sola mors à maritali iure liberaret. Nec est quod ex hoc loco magnopere ratiocinemur, Christianis modis omnibus interdictum esse diuortium, cum enim addit, Nam scientibus legem loquor, palàm indicat sese non legem condere Christianis de matrimonio, sed ex Mosaica lege similitudinem docendi gratia ducere. Neq; uero necesse est ut quod similitudinis gratia producitur, quadret per omnia, satis est si ad id quadret, cuius docendi probandiq; causa adhibetur. Aduentus Christi in Euangelicis libris comparatur nocturno suffossori domus, non quod undiq; congruat furis & Christi aduenientis similitudo, sed hactenus modo congruit, quod uterq; non expectatus adest. *Amphibologia.* *Ius diuortij.* *Parabola non semper quadrat per oia.*

Quæ sub uiro est.) ἡ γὰρ ὑπανδρος γυνή, id est, Obnoxia uiro, quasi dicas subuiralis, & γυνὴ significat & uxorem & mulierem.

Viuente uiro alligata est lege.) τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ, id est, Viuenti uiro alligata est lege, hoc est per legem. Legem autem matrimonium siue ius matrimonij uocant etiam Græci, ut mox A lege uiri.

Adultera uocabitur.) χρηματίσει. quod Græcis est χρηματίσει, non χρηματίσεται proprietas est Græci sermonis. Quemadmodum enim dicimus, Audit pater, audit princeps, qui pater & princeps appellatur, Ita Græcis χρηματίζει ἐκτως, qui profitetur rhetorem, aut qui habetur pro rhetore. Vsus est hoc uerbo Lucas in actis cap. xi.

Si fuerit cum alio uiro.) ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ, id est, Si contingat alteri uiro, aut Si

cœperit esse alterius uiri, nisi malumus subaudire præpositionem σάω. Augustinus indi-

Tropus Hebraicus. cans tropos ueteris instrumenti, & hunc ostendit ex Leuitici cap. xxij. Et filia sacerdotis si fuerit uiro alienigenæ, pro eo quod erat, si nupserit uiro alienigenæ. Et tamen hunc locũ calumniatus est quidam ædito libello, cum sic interpretetur Augustinus, nisi forte aliud est iungi uiro, aliud nubere uiro.

Si autẽ mortuus fuerit uir eius.) Eius, apud Græcos nõ additur. Itẽ postea, Soluta est à lege uiri, uiri non est apud Græcos, nec ad rem pertinet. Quanẽꝫ τοῦ ἀνδρὸς in quibusdã inuenio codicibus. Nec est Græce Liberata est, sed libera est, ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τοῦ νόμου.

Liberata est à lege uiri.) κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου. Verbum κατήργηται significat ius abolitum & antiquatum, ut & aliquanto post, νυνὶ δὲ κατηργήθημεν.

Vt sitis uos alterius.) Inepte addit uos in uertendo, etiamsi apud Græcos additur. Satis erat, ut sitis alterius, etiamsi Græce est alteri, non alterius, id est, ut alius uos habeat, & non sitis uestri iuris.

Vt fructificetis deo.) ἵνα καρποφορήσωμεν, id est, Vt fructificemus. Sequitur autem ὅτε γὰρ ἦμεν, in eadem persona, id est, cum essemus. Alluśit autem ad uxorem, cuius modo meminit, quæ parit suo uiro.

Passiones. Passiones peccatorum.) παθήματα, id est, Morbos, cupiditates, siue affectus, siue perturbationes.

Quæ per legem erant.) τὰ διὰ τοῦ νόμου. Hoc loco, quæ, non refert peccata, sed passiones παθήματα, ut intelligas legem excitasse peccandi libidinem.

Operari ἐνεργεῖν. Operabantur in membris.) ἐνηργεῖτο. Quod magis significat uim habebant, siue secreto agebant. Nam occulta uis dicitur ἐνέργεια, uelut in semine, & uis mentis in homine.

In qua detinebamur.) ἐν ᾧ ad legem refertur, non ad mortem. Nec enim in plerisque Græcis est mortis, sed mortui ἀποθανόντος. Origenes testatur utranꝫ lectionem sibi notã fuisse. Verum hanc quam nos sequimur magis approbat. Ambrosius diuersam sequitur, utraꝫ satis congruit his quæ sequũtur. Dicta est autẽ lex mortis, pro lex mortifera. Proinde illud, In qua detinebamur, referri potest uel ad legẽ, ut sit sensus, Nos iam mortui in Christo, liberati sumus à iure legis in qua detinebamur, uel ad mortui, ut subaudias pronomen, mortui ei legi in qua detinebamur.

Occasione autẽ accepta.) ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία. Interpres non ineleganter mutauit genus participij, & actiuum uertit in passiuum, ut conueniret tempus. Nam λαβοῦσα præteriti temporis est. Nec uideo cur hic Stapulensis debuerit offendi.

Faber. Ego autem mortuus sum.) ἀπέθανον, id est, Mortuus eram, siue mortuus fui, ut sit præteriti temporis, & respondeat illi reuixit. Transfert eñ Paulus docendi gratia rem in suã

Paulus alienã personã in se transfert. personam, & retulit inter se pugnantia. Nam uita peccati, mors est hominis. Proinde si reuixit peccatum, ilico consecuta est mors hominis.

Seduxit me.) ἐξηπάτησέ με, id est, Decepit me, & ab uia abduxit. Hoc enim proprie sonat ἐξαπατᾶν.

Distinctio uaria. Sed peccatum ut appareat &c.) Vitiosa distinctiõe sensum huius loci corrumpimus. Sic autem distinguunt Græci, Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit, sed peccatum, ut subaudias mihi factum est mors. Ad eum modum interpretatur & Theophylactus, licet secus distinguat Augustinus, sermone de uerbis Apostoli undecimo. Græca sic habent, τὸ οὖν ἀγαθόν, ἐμοὶ γέγονε θάνατος; μὴ γένοιτο, ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία.

Operatum est mihi.) κατεργαζομένη, id est, Operans participium, infiniti uerbi uice positum, id est, ut uideatur peccatum per id quod bonum est mihi operari mortem, non operando, quemadmodum placet Laurentio.

Peccans peccatum. Supra modum peccans peccatum.) καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία. Quod ita sonat quasi dicas, sceleśtum scelus, aut ut si quis dilucide potius quàm Latine uertat, peccaminosum peccatum. Nam quod uertit peccans, Græcis non participium est, sed nomen adiectiuum. Annotauit hoc diligenter siue Origenes, siue huius interpres, à Paulo ceu personam quandam fingi peccati, quod Græcis est generis fœminini, ut liceat apud illos dici, peccatrix peccantia. Quod si apud nos peccatũ esset generis masculini, ut uelut de homine liceret dicere, peccatum uehementer peccator, minus esset elocutio dura. Neqꝫ uideo

deo tamen cur Hieronymus dicat se malle uicium sermonis admittere, quàm nō satis in tegre exprimere sensum Pauli. Siquidem Græcis non est solœcismus ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία, certe iuxta dialecton Atticam. Porrò quis Latinus intellecturus sit, quid sit peccatum peccator, pro peccato insigni & euidenti, aut cur potius peccator peccatum, quàm peccatrix peccatum? Et tamē ita legit Augustinus, libro primo ad Simplicianū, quæstione prima, nisi quod in æditis exemplaribus mendose legitur, Super modum peccator aut peccatū, pro eo quod erat, Supra modum peccator peccatum. *Peccatrix peccatum.*

Venundatus sub peccato.) πεπραμμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, id est, Venditus siue addictus sub peccatum, id est, In seruitutem & iugum peccati. Neque uideo quæ obscuritas hic offenderit Fabrum. *Faber.*

Non enim quod uolo bonum.) Bonum & malum apud Græcos non est, οὐ γὰρ ὃ θέλω τοῦτο πράσσω, ἀλλὰ ὃ μισῶ, id est, Non enim quod uolo hoc ago, sed quod odi. At paulo inferius, hæ duæ uoces, bonum & malum adduntur. Non enim quod uolo facio, nempe bonum.

Iam nō ego.) οὐκέτι ἐγώ. Quod eleganter & Latine uersum ab interprete, miror quā obrem cuiquam mutandum uideatur.

Repugnantem legi.) ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ. Quasi dicas contramilitantem & rebellantem. Gaudet enim Paulus metaphoris quæ militiam sapiunt. Velut ante meminit de stipendijs.

Inuenio igitur legem uolenti mihi facere bonum.) Origenes ut & aliâs in Paulo desiderat elocutionis integritatem, ita putat hunc sermonem parum constare, uel quod coniunctiones sint superfluæ, uel quod non adhibitæ ut oportet. Putat autem incommodum hoc, tali ordine posse tolli, si legamus hoc pacto, Igitur quia malum adiacet, uolens facere bonum, inuenio legem dei, & condelector ei secundum interiorem hominem, &c. Mea sententia potest & sic accipi, ut coniunctio ὅτι, non sit hic causalis, quemadmodum accipit Origenes, sed accipiatur εἰρικῶς, sitq; sensus, Dum conor parêre legi bonæ, & uincente cupiditate petrahor ad malum, sentio malum illud in me esse, nō in lege. Atq; hic quidem sensus probe habet. Verum si hunc probamus, necesse est, ut Paulum fateamur hoc sermone balbutisse, nec absoluisse quod instituerat. Apparet enim tale quiddam dicturū fuisse, Comperio igitur legem, si quando coner benefacere, hoc efficere in me, ut intelligā peccandi malicq; fontem in meipso esse, non in lege. Theophylactus restituit hunc in modum, Inuenio ergo legem fauentem, uolenti mihi quod bonum est facere, sed non facienti, eo quod adiacet mihi malum. Fatetur autem obscurum esse sermonem, quod uideatur deesse nonnihil. Idem indicat alios ad hunc ordinare modum, Inuenio igitur legem nemini alteri esse, nisi mihi facere bonum uolenti. Nam qui recte cupit agere, ei demum lex est lex, ut quæ id faciendum præscribat, quod ille cupit facere. Atque hæc est sententia Chrysostomi, ad quam congruit quod sequitur. Condelector enim legi. Quemadmodū lex mihi fauet uolenti quod bonum, ita & ego quod honestū est cupiens, probo legem. *Sermo Pauli parū integer.* *Paulus Græce balbutiens.*

Captiuantem me in lege peccati.) αἰχμαλωτίζοντί με τῷ νόμῳ, id est, Qui reddit me captiuum legi peccati.

De corpore mortis huius.) ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου. Græca magis ita sonant, ut huius ad nomē corpus referatur, quàm ad mortem, ex hoc corpore mortis. Nam mortis corpus, uocat corpus obnoxium affectibus peccandi. Et addit, ex hoc corpore, quod in se sumpserit personā hominis sentientis huiusmodi affectus. Quādoquuidem hæc est uelut una clauis ad intelligentiam Pauli, si quis animaduertat mutationem personarum, de quibus & ad quas loquitur. Certe palàm est Theophylactum idem sentire, quod nos indicauimus, si quis obseruet, non quid uerterit interpres, sed quid interpretetur ipse: subiicit enim, id est, morti subiecto. Neq; secus interpretatur Origenes mortem interpretans peccatum, & ob id uocari corpus mortis in quo habitet peccatum. Et hijs ferè subscribunt recentiores. Nam quod quidam exponit corpus mortis, de turba malorum ingruentium, durius est. *Corpus mortis quid.*

Gratia dei.) εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, id est, Gratias ago deo. Atq; ita legitur in emendatis Latinorum codicibus, ut sermo sit ostendentis per quem sit liberatus, nempe per eū cui gra-

tias agit. Tametsi Laurentius indicat in quibusdam exemplaribus scriptum fuisse χάρις τῷ θεῷ, id est, Gratia deo, quod uerbis diuersum, re idem est. Ex Origenis interpretatione non liquet quid legerit, sed tamen conijcere licet illum legisse quod nos ostendimus esse apud Græcos, uel ex hisce uerbis, Respondetur uero ad hoc quod dixerat, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Iam nō ex illius, sed ex apostolica autoritate, gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Vnde apparet quod propterea hæc omnia describit Apostolus, & mala quæ intra nos gerebantur, exposuit, ut ad ultimum ostenderet & doceret, de quantis nos malis, & de quantis nos mortibus, Christus eripuit. Hactenus Origenes, indicans quæ hactenus dicta sunt à Paulo sub eius persona dicta, qui nondum gratiæ diuinæ particeps, luctetur adhuc cum carnis affectibus, impar illis. Verum quod exclamatione respondetur non sub eadem dici persona, sed sub eius qui non per legem, sed per gratiam Christi liberatus sit ab illa miserrima seruitute. Ambrosius item interpretatur ex his uerbis accipiendum, hominem gratia dei liberatum esse de corpore mortis huius, non liberandum. Astipulantur his quæ mox sequuntur, Lex enim spiritus uitæ, in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis. Atqui si legi Iet gratia dei, non cōgruebat hæc particula in Paulum, qui non liberandus erat, sed liberatus, nec consistūt ea quæ scribit Ambrosius, Igitur aut gratia deo legendum aut gratias ago, quibus uerbis iam liberatus gratias agit deo, per cuius gratiam assequutus sit, quod nec naturæ, nec Mosi lex, nec conscientia, nec opera præstare poterant. Et tamen si corpus mortis accipimus procliuitatem ad peccādum, quasi dicas moribundum, nihil uetat, quo minus hæc omnia quadrent & in Paulum, iuxta Latinorum lectionem.

Mutata persona in Paulo.

EX CAPITE OCTAVO.

Ex enim spiritus uitæ.) Spiritus, hoc loco genitiuus est casus, ut intellígas legem, non carnis, quæ mortem adfert, sed spiritus, qui uitam largitur, ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος. Quanquam Græca sunt huiusmodi, ut hic sensus esse possit, lex spiritus qui est uita, τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς, quoniam uitæ præponitur articulus. Lex autem spiritus perinde sonat, quasi dicas, legem spiritualē iuxta proprietatem sermonis Hebraici. Etiamsi me non fugit Theophylactum duos genitiuos ad eandem uocem referre, legem spiritus, legem uitæ. Redarguit enim eos qui legē uitæ, Moysi legem interpretantur. His penè eadem differit Chrysostomus.

Lege peccati & mortis.) ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου. Et hic elegantius uertisset A iure peccati. Cæterum sermo Græcus anceps est. Potest enim sic accipi, à lege peccati & mortis, ut lex ad utrūq; ex æquo referatur, siue à lege peccati, & à morte, quæ comes est peccati. Porrò quod apud Chrysostomum, pro liberauit me legitur, liberauit te, nihil refert ad sensum.

Nam quod impossibile erat legi.) τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου. Græce est legis, paterno casu, non legi, dandi. Atq; ita sanè legit Ambrosius. Verum habet hic sermo nonnihil difficultatis. Siquidem intelligi poterat, ἡ γὰρ ἀδύναμις τοῦ νόμου. Impotentia enim legis, siue imbecillitas legis, per quam erat infirma & inefficax. Verum iam non congruunt ea quæ sequuntur, nisi fateri uelimus Paulum uel obliuione, uel imperitia uel neglectu Græci sermonis, non reddidisse reliquam partem. Nam mihi quidem locum hunc pro mea uili perpendenti, uidetur aliquid uerborum deesse ad explendam sententiam, ueluti si sic legamus, Nam quod lex Mosaica non potuit iuxta partem carnalem, secundum quam erat imbecillis & inefficax, hoc deus præstitit misso filio suo, qui spiritualem legis partem absoluit. Atque id ut magis probem, facit coniūctio quæ sequitur, Et de peccato damnauit peccatū. Nisi enim subaudias uerbum præstitit, aut effecit, aut aliud his simile, cōiunctio uidetur ociosa. Nisi placet ut ἀδύνατον nominatiuus, positus sit absolute loco genitiui: ut sensus sit, cum enim esset impossibile, &c. Alioqui hæc pars, Nam quod impossibile erat legis, in quo infirmabatur, referenda esset ad quod sequitur, De peccato damnauit peccatum, id quod lex facere non poterat.

Sermo imperfectus Pauli.

In quo infirmabatur.) ἐν ᾧ ἠσθένει. Potest & sic accipi, In eo quod infirmabatur, hoc est, quatenus infirmabatur, ut ἐν positū sit pro διὰ. Porrò Infirmabatur dixit, pro eo quod est, Inualida, parumq; efficax erat. Et ne legem uideretur incusare, addidit per carnē, hoc est per

est per carnalem legis intelligentiam,siue carnis infirmitatẽ,cui deerat Euangelica gratia.

In similitudinem carnis peccati.) ἐν ὁμοιώματι, id est,In similitudine,quod ut superius indicatum est,magis sonat assimulationem & imaginem. Nam quod Christus nocentis personam assumpsit,hypocrisis quædam erat absit inuidia dicto. Porrò iuxta proprietatem Hebræi sermonis,carnem peccati dixit,carnem peccato obnoxiam.Et ideo complexim esse legendum admonet Augustinus,sermone de uerbis apostoli trigesimoprimo. Vere carnem habebat Christus,peccati carnem uidebatur habere,cum non haberet. *Similitudo falsa species.*

De peccato damnauit peccatum.) Indicauit Origenis interpres, nam id de suo addidit,Græcis non esse De peccato,sed pro peccato:ut intelligamus peccatum fuisse damnatum de peccato.Neq; enim accipi potest,peccatũ ex peccato damnatum,cũ sit περὶ ἁμαρτίας. & tamen ita uidentur interpretari.Mihi uidetur non absurde hic sensus accipi posse.Christus missus damnauit etiam peccatum de peccato,hoc est,cõuicit,& coarguit peccatores,ut qui antehac falsa iustitiæ imagine deceperant,nũc palàm esset eos impios fuisse:cum Christum legis finem sub prætextu legis seruandæ occiderent.Alij de peccato,exponunt accipi pro uictima, quæ solet iuxta ritum Mosaicæ legis immolari pro delicto. Atq; id sanè pulchre quadrat in Christum,tantum obstrepit præpositio περὶ.Mollius erat si fuisset παρά. Græcæ lectioni magis congruit quod adfert Theophylactus,peccatũ suo quodam iure sæuisse in peccatores.Cæterum ubi impegit in innocentem dominum,iam quodammodo deprehensum est in peccato.Verũ hæc curiosus lector,exactius ppendet. Nos in hoc argumento potissimũ ea persequimur,quæ faciũt ad lectionis synceritatem. *Varius sen.*

Quæ spiritus sunt sapiunt.) φρονῦσι, non repetitur apud Græcos.Et magis sentiunt siue curant quàm sapiũt.Mirum autem cur hic interpres inutilem affectarit copiam, quæ officiat etiam intelligentiæ.Etenim idem uerbum quod modo uertit sapiunt,nunc uertit sentiunt.Dices, Quid refert? Plurimum ei qui uelit in his tractandis philosophari.

Quoniam sapientia carnis.) φρόνημα. Idem uerbum quod modo sæpius uerterat Prudentiam.Est autem uerbale nomen à uerbo quod modo uertit,Sapiunt & sentiunt, cum potius significet affectum animi:ut μέγα φρονεῖν, elato esse animo,& θνητὰ φρονεῖν, humana curare.Ita hoc loco φρόνημα, non tam significat sapientiam,aut prudentiam, quàm affectum,& curam,seu cogitationem.Nec est apud Græcos,Inimica est deo,sed inimicitia est aduersus deum, ἔχθρα εἰς θεόν. Et ad hunc modum citauit diuus Hieronymus non semel aduersus Iouinianum.Nec aliter Augustinus, quum aliàs aliquoties,tum explicans aliquot huius epistolæ locos, ni fallor. Supereſt enim in uulgatis codicibus hæc scriptura: Quia carnis prudentia, inimica est in deum:probabile est, inimica mutatum pro inimicitia.At Græcis sanè si accentus transferatur in extremam syllabam ἐχθρὰ, sonabit inimicam.Verum id φρόνημα præcedens neutri generis nomen, non sinit, quum magis dicendum foret ἐχθρόν. *Prudẽtia,pro affectu.* *ἐχθρὰ,pro ἔχθρα.*

Si tamen spiritus dei.) εἴπερ est Græce,quod ualet fermè, sanè, aut siquidem. Quanq; hoc loco non est dubitantis,sed ratiocinantis.quasi dicas,quandoquidem spiritus dei habitat in uobis.Quanquàm Origenes & Ambrosius ambigue legit & exponit. Probabilius tamen est Paulum illis tribuere spiritum quos alloquitur, mox enim durius loquens auertit ab illis sermonem dicens. Si quis autem spiritum Christi non habet,quod annotauit & Theophylactus.

Corpus quidem mortuum est, spiritus autem uiuit.) Pro uiuit, Græcis est, Vita est. atq; ita citat Augustinus in explanandis quæstionibus huius epistolæ.Ac rursum edisserens psalmum septuagesimumquintum. Item libro de ciuitate dei tredecimo. & contra Faustum libro uigesimoquarto,capite secundo.Item Hilarius libro de trinitate octauo. Consimiliter Athanasius in libello de spiritu sancto ad Serapionem. Atq; item Ambrosius hunc explanans locum,suffragantibus & uetustis Latinorum exemplaribus manu scriptis.Fortassis efficacius est, Vita est,q; uiuit.Siquidẽ uita est,quod uitã præbet. Agit eñ,ni fallor,de spũ Christi,nõ nostro.quod propemodũ indicãt quæ mox cõsequuntur, Quod si spũs eius qui suscitauit Iesum à mortuis,habitat in uobis.Est aũt facilis lapsus in ζωὴ & ζῆ, uita & uiuit,ac minimũ interest,quantũ ad sententiã attinet, iuxta proprietatẽ sermonis Hebraici. *Vita est, pro uiuit.*

Propter iustificationem.) διὰ τὴν δικαιοσύνην, id est,Propter iu-

ſtitiam,ut & aliâs ſæpe uertit.Nam δικαίωσις magis ſonat iuſtificationem.

Propter inhabitantem ſpiritum eius in uobis.) Hilarius libro de trinitate ſecundo legit.Propter ſpiritum ſuum qui habitat in uobis,& Latinius. Quanꝯ id minutius eſt,ꝯ ut de eo ſit contendendū. Variabant hic quædā exemplaria Græcorum,quum in pleriſque eſſet, διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν, id eſt,Propter ſpiritum ſuum qui habitat in uobis.In nonnullis, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν, id eſt, Per ſpiritū ſuū qui habitat in uobis. Ad ſenſum haud magni refert. Licet enim διὰ præpoſitio genitiuo addita ſignificet inſtrumentum, accuſatiuo adiuncta cauſam, tamen nihil uetat quo minus alicubi res eadem,tum cauſa ſit,tum inſtrumentum.

Varia lectio.

Iterum in timore.) εἰς φόβον, id eſt, Ad timorem, ſiue terrorem.

Spiritum adoptionis filiorum dei.) Pro tribus uocibus una eſt apud Græcos υἱοθεσίας, quæ uox filiorum adoptionem ſignificat. Imò adoptionem eorum qui natura filij non ſunt,in locum filiorū.Nam adoptantur & nepotes,licet hæc ſit adoptio chariſſima. Porrò genitiuus Dei,additus eſt,cum in Græcis codicibus nō habeatur.Non enim hic diſcernit filios dei à filijs hominum,ſed diſtinguit filios gratiæ à ſeruis legis.

Abba pater.) אַב, ſiue אַבִּי Hebræis,imò Syris,quemadmodū indicat Hieronymus, ſonat patrem,dictio è duabus primis literis compoſita, Aleph & Beth. Sed uocem Hebræam reliqt,quo ſignificaret peculiare quiddā eſſe in ipſo uocabulo,quod & patres libēter audiunt,& pueri primum ſonare diſcunt.Nam hoc ſtatim implorant patris opem,cuiuſmodi eſt apud Latinos pappus,uox infantibus peculiaris. Cæterum quod addidit ὁ πατήρ,Græcis incertum eſt,utrum conduplicatio ſit ad emphaſim affectus faciens,an interpretatio peregrini Rhomanis uocabuli,maxime cū additum ſit nominandi caſu. Quā quàm mihi uero propius uidetur κατ' ἀναδίπλωσιν dictum, quum is loquendi colos Hebræis ſit penè peculiaris, ἐπιτάσεως gratia,nunc eandem uocem iterantibus,nunc eādem alia idem pollente reddentibus.ut,Non omnis qui dicit mihi domine domine, &, Deus deus meus,&,Ficus bonas bonas,&,Dñe dominus noſter.Nam in hoc poſtremo exemplo,Hebræis diuerſæ ſunt dictiones,prior eſt uocabulum dei,tetragrammaton,conſtans hiſce literis,Iod,He,Vau,He,quod illi uocant ἄῤῥητον, id eſt,ineffabile, poſterior eſt אֲדֹנָי Adonai,quod commune eſt,ac ſæpenumero tribuitur & hominibus.Sunt autem hic eadem uerba,quibus Chriſtus utitur,orans patrem apud Marcum, capite decimoquarto Abba pater.Cæterum librariorum uitio factum arbitror, quod Auguſtinus epiſtola centeſimaſeptuageſimaoctaua, ſcribit abba Græcū eſſe uocabulū,pater Latinū,quum neqꝯ Paulus Latine ſcripſerit Rhomanis,& extra controuerſiam ſit Abba Syriacum, aut Hebræum eſſe uocabulum.Sed Auguſtini uerba ſubſcribam:Non accipiatur Paulus, qui dicit Rhomanis ſcribens:In quo clamamus abba pater.In uno nomine duabus utiꝫ linguis, dicit enim abba Græco uocabulo patrem,& Latine nominat identidem patrem. Equidē arbitror hæc uerba aſſuta ſcriptis Auguſtini.Melius Thomas qui dicit abba uocem eſſe Hebraicam,pater Græcam ſiue Latinam:ſimiliter Græci compellant patrem & Latini.

Expenſa Auguſtini ſententia.

Teſtimonium reddit.) συμμαρτυρεῖ. Redditur,uel quod refertur,uel quod debetur.At Græcis eſt, Atteſtatur,ſiue ut magis ad uerbum reddam,Conteſtatur,ut intelligas geminum eſſe teſtimonium duorum ſpirituum,noſtri & dei. Porrò teſtimonium ſpiritus noſtri,confirmatur teſtimonio ſpiritus diuini.

συμμαρτυρεῖ.

Si tamen compati.) εἴπερ, id eſt, Siquidem.quod hic quoqꝫ poſſet accipi ratiocinatiue,non dubitatiue.Item hoc loco compati,eſt non quod uulgo accipiunt indocti, moueri malis alterius,ſed ſocium eſſe & imitatorem,atqꝫ æmulum afflictionum Chriſti.

Vt & glorificemur.) Vnà glorificemur, συνδοξασθῶμεν. ut intelligas cōmunē nobis cū Chriſto gloriā. Exiſtimo enim.) λογίζομαι, id eſt,Perpendo,ſiue reputo. Nec enim id opinatur Paulus ceu dubitans,ſed certus ita eſſe,perpendit in animo ſuo.

Quæ reuelabitur in nobis.) Dubium eſt apud Græcos,an uerbum ἀποκαλυφθῆναι, debeat referri ad præpoſitionem πρὸς, an ad participium μέλλουσαν. Nam ſi referatur ad præpoſitionem,erit ſenſus,ad hoc,ut futura gloria reueletur in nobis,ac tum uidetur deeſſe articulus τὴν,ſolitus præponi uerbis infinitis.Interpres ſic ordinaſſe uidet, πρὸς τὴν δόξαν τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι, id eſt,Ad gloriam quæ reuelabitur.Nec eſt,In nobis,ſed

In

In nos.quanquàm præpositio εἰς, uti sæpius admonui,Græcis anceps est.

Nam expectatio creaturæ.) ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία, quod non significat simpliciter expectationem, sed uehementem & anxiam expectationem, ut testantur & Græca scholia, quæ Græcanicæ uocis emphasim indicant,quum ex corde quippiam expectatur. unde nos uertimus,Sollicita expectat. ἀποκαραδοκία.

Nam uanitati creatura subiecta est.) Vanitas non hic sonat mendacitatem,sed potius frustrationem ματαιότητι.quod creatura interim non assequatur, quod utcunq; conten/dit efficere. Verbi causa,dum aliud ex alio propagans,indiuiduis uicissim cadentibus ac renascentibus speciē tuetur ne intercidat,meditatur immortalitatē quandam,sed frustra.

Qui subiecit eam.) Eam,additum est explicandi causa, διὰ τὸν ὑποτάξαντα. Et in spe, ἐπ' ἐλπίδι, magis est sub conditione spei. Cæterum quod sequitur, Quia & ipsa creatura liberabitur,&c.connecti poterat superioribus:Subiecit sub spe,nimirū hac, quod & ipsa liberanda sit à seruitute:sed creatura repetita,duriusculā reddit orationem.

Liberabitur à seruitute corruptionis.) ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, id est, Libera reddetur,siue in libertatem uindicabitur.Et φθορὰ corruptio, Græcis quoq; uox est anceps.nam & de uitiato dicitur,& de pereunte,hic interitū sonat.Atq; ita legit Au/gustinus explanans epistolam ad Galatas.Sensus autem est,Creaturam quæ nunc obnoxia est exitio,asserendam in libertatem,hoc est,In gloriam filiorum dei.

Omnis creatura ingemiscit & parturit.) Aptius Græce συστενάζει καὶ συνωδίνει, id est, Congemiscit & comparturit siue condolet,ut ita loquamur.Certe congemiscit citat Hie/ronymus in cōmentariorum Esaiæ libro octauo.& Augustinus octogintatrium quæstio num sexagesimaseptima,legit Cōgemiscit & dolet.Pro Dolet,parturit legit Ambrosius, ut præpositio σὺν, uel ad nos referatur,uel ad uniuersam inter se creaturam. Origenes item nominatim annotat dictum esse Congemit,pro eo quod est, Cum alio gemit, haud tamen dissimulans uariare libros,in nonnullis enim fuisse συνάζει.

Non solum autem illa.) Illa,non additur apud Græcos οὐ μόνον δέ. Sed tamen ex ijs quæ mox sequuntur apparet subaudiēdum.Quid hic faciant,qui nec apicem mutari uo/lunt in literis sacris? frequenter indicat hanc elocutionis formam in Paulo Origenes. Nō *solum pe/culiare Paulo*

Primitias spiritus habentes.) τὴν ἀπαρχὴν. Mirum quid sequutus Ambrosius lege/rit, Sed & nos qui receptaculum spiritus habemus. Quanquàm ex enarratione, non sa/tis perspicuum est quid legerit. Nisi forte quod ille scripserat inceptaculum,scriba uertit in receptaculum. *Receptaculū, pro primitijs.*

Intra nos gemimus.) ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν, id est, In nobis ipsis ingemiscimus, siue in/tra nos ipsos,hoc est,taciti.

Adoptionem filiorum dei.) υἱοθεσίαν, id est, Adoptionem. Sed interpres explicandæ rei gratia adiecit quædam uerbula.Idq; perpetuo facit in hac dictione. Augustinus libro aduersus Faustum,tertio,capite tertio,non addit Filiorum,tātum citat adoptionē. Quis enim adoptat suos filios?

Redemptionem corporis.) ἀπολύτρωσιν. quæ proprie dicitur,quum dato pretio redi muntur captiui,uelut à piratis,aut in bello capti.Corporis dictum est, pro à corpore,ut liberemur à corpore illo,quod ante mortis corpus uocauit.Videtur autem hoc ita adie/ctum,quasi uoluerit interpretari υἱοθεσίαν adoptionem,quæ adoptio nihil aliud est,quàm ut ab hoc corpore liberemur,& immortale corpus recipiamus.

Quid sperat?) τί καὶ ἐλπίζει; Quid etiam,aut quid insuper sperat?Non ociosa erat cō/iunctio,significans frustra iam sperari quod uideas.

Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem.) Græcis est numero pluratiuo,Infir/mitates,siue imbecillitates nostras, συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. Est autē συναν/τιλαμβάνεσθαι, in re quapiam suscepta,auxilio adesse laboranti. & idcirco addidit ὡσαύ/τως, id est,Consimiliter.Sicut nos per patientiam expectantes nitimur,ita etiam spiritus admouet auxilium suum deficientibus,ceu manum porrigens laborantibus. *Adiuuat* συναντιλαμ/βάνεται.

Nam quod oremus.) τὸ γὰρ τί προσευξόμεθα. Interpres non expressit uim articuli τὸ, qui refertur ad totum hoc quod mox sequitur.unde nos uertimus,Siquidem hoc ipsum quid oraturi simus ut oportet,non nouimus,hoc est,Tantū abest,ut ipsi nobis possimus esse

esse præsidio,ut nesciamus quibus præsidijs sit opus.

Spiritus postulat.) ὑπερεντυγχάνῃ. Quod aliquando uertit postulat, aliquando interpellat,aut intercedit.Est autem quoties quis conuenit aliquem super negocio alterius,uelut si quis adeat principem,commendaturus causam amici.Illud annotandum,quod non simpliciter dixit,ἐντυγχάνῃ, sed ὑπερεντυγχάνῃ. Nam hæc præpositio solet excellentiam significare Græcis.Sensus enim hic est,ni fallor,etiamsi spiritus hominis aliquãdo petit nocitura,tamen spiritus sanctus affians animos aliquorum corrigit quod male petebatur, ueluti præfectus omnibus interpellationibus.

Desiderium φρόνημα.

Quid desiderat spiritus.) τὸ φρόνημα, id est,Sensum,siue quid sentiat spiritus,hoc est,affectum spiritus,quod Terentius uertit sensum:Illius sensum pulchre calleo.Eadẽ est uox Græca,quam toties iam uertit Prudentia.

Duplex sensus.

Cooperantur in bonum.) συνεργεῖ, referri potest apud Græcos,uel ad spiritum,uel ad omnia:ut iuxta priorem sensum intelligas,spiritum sanctum omnia uertere in bonum suo auxilio,iuxta posteriorem accipias,omnia etiam mala adiumento esse sanctis ad felicitatem,& hic sensus magis mihi arridet,atq; hunc sequitur Chrysostomus ac Theophylactus.Nec est quod moueat quenquam uerbum singularis numeri συνεργεῖ,cum πάντα,nominatiuus sit neutri generis.

Duplex sensus.

Iuxta propositum.) κατὰ πρόθεσιν, id est, Iuxta animi destinationem:ut propositũ referatur non ad sancti,aut ad hominem recti propositi,sed ad prædestinationem dei.Ita Origenes ac Thomas,etiamsi Ambrosius utrunq; sensum uidetur attingere.Quãquàm & Origenes aliquanto inferius explicans qui dicantur uocati & non electi,qui uocati & electi, nonnihil à seipso dissidet,interpretans secundum propositum uocatos dici, qui priusquã uocarentur,propenso iam tum erant animo ad cultum diuinum,quorũq; promptæ iam uoluntati tantum deerat uocatio,uidelicet ut propositum,nõ ad deum destinantem, sed ad hominem in animo statuentem pertineat,nisi forte interpres hæc adiecit de suo. Ambrosium sequitur Augustinus in libello de correptione & gratia capite. vij.Electi,inquit, sunt,quia secundum propositum uocati sunt,propositum autem non suum sed dei. Nam Paulus proximo huius epistolæ capite,simili sensu dixit propositum dei. Rursus Ephes. cap.primo.Neq; uero apud Græcos adiungitur sancti,tantum est uocati.Atq; ita legisse Origenem ex ipsius liquet interpretatione,cum ait, Videndum est,ne forte ex hoc quod dicit,Iis qui secundum propositum uocati sunt,& quos præsciuit,& quos prædestinauit & cætera.Neq; secus legit Ambrosius,sic enim edisserit,Hi autem secũdum propositum uocantur,quos credentes præsciuit deus futuros sibi idoneos,ut antecq; crederẽt scirent. Legit idem Augustinus libro de correptione & gratia.Sequitur hãc tum lectionem tum sententiam Chrysostomus & Theophylactus,quanq; refragatur Thomas,& uetusti Latinorum codices.Apparet autem Sancti,additum ex alijs locis,in quibus hæ duæ uoces, Vocati sancti,sæpenumero copulantur.

Vocati sunt sancti.) κλητοῖς οὖσιν. Qui sunt uocati.Primum sancti,ut dictum est,redundat:deinde Vocati,hic non participium est,sed nomen, ut in initio indicauimus, ut rursus excludat opera legis, quibus male fidebant Iudæi,& ostendat ueram sanctimoniam contingere ex uocante deo.

Noua interpretatio.

Quos præsciuit.) οὓς προέγνωκεν, siue ut quibusdam legitur προέγνω. Iam superius admonuimus apud Græcos hoc uerbum aliquoties accipi pro statuit, siue decreuit, quod cognitio coniuncta sit deliberationi,& uidentur hæc nõ tam genere, aut ratione inter se dissidere,quàm gradibus quibusdam & interuallis inter se distincta connecti,quo magis rem Paulus exponat oculis,ut προεγνῶναι, sit deliberantis, ac statuentis,quod tamen aliquo modo possit immutari,ut hominum more loquamur.Deinde, προορίζειν, siue ὁρίζειν, quod decretũ fuerit iam palàm pronũciantis,quod fieri non solet,nisi cum ita decretũ est aliquid,ut mutari non possit.Porrò ubi pronunciaris quod decreuisti, supereſt ut exhibeas ac præstes quod es pollicitus. Incipit autem exhibere,qui uocat & inuitat. Deinde ne uideatur frustra uocasse,uocatos iustificat etiam,sine quo non sumus capaces promissi.Deniq; iustificatis datur præmium.Igitur προέγνωκεν, deus ab æterno,quos decreuit ac statuit ad immortalitatem uocandos esse, προώρισεν, de quibus iam per prophetas suos,

Prædestinare Vocare.

ac multo

ac multo magis per filium pronunciauit promulgato decreto suo. Vocauit autē per præ dicationem Iesu, iustificauit per mortem illius, glorificauit per resurrectionē, ac præmiū immortalitatis. Siue uocauit p doctrinā Euangelicam, iustificauit per baptismum, glorificauit per dona spiritus. Ad hunc modū Paulus gradibus quibusdā, ab eo quod est omniū primum, peruenit ad id quod est omnium summum, quo res esset firmior & absolutior. Quod si quis durius existimet, me tollere præscietiam hoc loco, sciat ad eum modum interpretatum esse Theophylactum Græcum interpretem, & quo quidā credent libētius, recentem, qui hoc putat interesse inter πρόγνωσιν & προορισμὸν siue ὁρισμὸν, quod illud sit minus firmum, hoc firmius. quin etiam ubi Petrus scribit προεγνωσμένως γὰρ πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου. quo loco Præscitos, erat uertendum iuxta horum sententiam, nec Lyranus ueretur exponere præordinatos. Et Thomas indicat fuisse, qui hoc loco præscientiam aliud quiddam fuerint interpretati, nempe præparationem ad gratiam, quam pro tempore deus ostendit in sanctis, ne uidelicet nihil interesset inter præscire & prædestinare, quorum cōmentum idem merito reiecit. Quāq; nec Origenes hoc loco probat, ut πρόγνωσιν, id est, Præscientiam iuxta cōmunem sensum accipiamus, iuxta quē deus & perituros præsciuit, ut iam falsum sit, quoscunq; præscierit, eosdem & prædestinasse. Verum sicuti diuina scriptura iuxta consuetudinē sermonis sui, cognosci dicit eos, quos deus affectu cōplectitur, Nō noui uos, &, Nouit dominus uiam iustorum, ita hic præcogniti dicūtur. Neq; uero me clam est quosdam ex hoc loco quæsisse campum exercendi ingenij, in quo de præscientia, deq; prædestinatione dei philosopharentur, uidelicet Origenem, diuum Augustinum, Thomam Aquinatem, & post hos omnes theologorum scholas, quorum ego industriam non improbo. Verum hic sensus quem ostēdimus, mihi uidetur simplicior magisq; germanus. Quod si cui diuersa placent, per me suo quisq; iudicio fruat. Nos admonemus, non præimus, & ita nostra conferimus in medium, ut nullius omnino sententiæ præiudicemus.

Iustificare.
Glorificare.

Non quisquis præscitus, idē & prædestinatus.
Prædestinatio, campus ingeniorum.

Illos & magnificauit.) Græce est, ἐδόξασε, id est, Glorificauit, nimirum per dona spiritus & adoptionem cœlestem, & rectius erat Eosdē, quàm illos. Ambrosius legit, Magnificauit. Origenes edisserens hunc locum legit, Glorificauit, licet asscripserint contextum ex nostra æditione uulgata.

Qui proprio filio suo.) Suo, redundat apud nos, nam satis erat ἰδίου, id est, Suo uel proprio. Certe Suo non additur in uetustis exemplaribus, nec apud Augustinum, qui hunc locum adducit libro de doctrina Christiana quarto, capite uigesimo.

Omnia nobis donauit.) χαρίσεται, id est, Donabit, futuri tēporis, atq; ita exponit Ambrosius, & huic consentiēs Theophylactus, etiamsi reclamant antiqui codices & ueterū citationes. Proinde suspicor uariatū in Græcis exemplaribus, in quorū nonnullis scriptū fuerit, ἐχαρίσατο, p χαρίσεται. Vterq; sensus bene habet. Suspicor offensum quēpiā, quod nondum omnia nobis uideant donata à deo, mutasse uerbi tempus. Sed nihil uetat donationem iam peractam esse, quæ decreto constat, licet nondū sit plena donati possessio.

Quis accusabit aduersus electos dei.) τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν τοῦ θεοῦ; id est, Quis accusabit, aut quis crimen intendet aduersus electos dei? Faber ita legit, ut ב accipiatur pro ὑπὲρ, id est, Quis accusationem instituet pro electis dei, in defensionē electorum aduersus inimicos. Verū hoc quidem loco sensus Pauli manifestus est, si interrogationē intelligamus efficere negationē, ut sit sensus, neminem ausurū criminari eos, quos deus non solū uocauit, sed etiam elegit. Proinde quæ sequuntur, usq; ad illū locum, Quis nos separabit à charitate? sub eadem interrogatione sunt legenda, ut intellīgas ἀδύνατον. Quāquā audimus hæc etiam in templis publicitus pronunciatiue legi, nō interrogatiue, idq; perperam, imò cōtumeliose in Christum, nisi tantū crimen excusaret imperitia, non admodū honesta patrocinatrix. Sic em̄ habēt plerīq; codices uulgati. Quis est, q cōdemnet? Huic percontationi uelut respondentia subiiciunt: Christus Iesus qui mortuus est, imo & resurrexit, qui est ad dexterā dei, qui etiā interpellat p nobis. Annotauit hūc locū Augustinus lib. de doct. Christ. tertio cap. iij. Quanq; ille quidē aliquanto secus distinguit hūc sermonē, q̄ nos uulgo facimus. Cū enim indicasset differentiolam inter percontationē & interrogationē, quod ad percontationē multa responderi possent, ad interrogationem uero,

Fabri sententia perpensa.

Sensus et pronūciatione uariatur, adeo ut sermo perperam pronūciatus, sensum faciat hæreticū interdum.

non

non aut etiam,subijcit,pronũciabitur ergo ita,ut post percontationẽ qua dicimus, Quis accusabit aduersus electos dei? illud quod sequitur sono interrogantis enuncietur: Deus qui iustificat? ut tacite respõdeatur,nõ. Et iterum percontemur,Quis est qui cõdemnet? Rursusq; interrogemus,Christus Iesus qui mortuus est? Magis autẽ qui resurrexit,qui est in dextera dei? qui & interpellat pro nobis? ut ubiq; tacite respondeatur,non. Ad eundem modum distinxisse Ambrosium,colligere licet ex his uerbis,quibus hunc enarrat locum:Deum qui nos iustificat,accusare nos negat.Simul & Christum damnare nos non posse,quia eo affectu dilexit nos ut moreretur pro nobis,& resurgẽs semp causas nostras agit apud patrem.Origenes uidetur more nostro duas particulas hasce cõiungere:Deus qui iustificat,quis est qui condemnet? pugnant enim iustificare & condemnare.Deinde, Christus Iesus qui mortuus est &c.non uidetur legere uelut à percontante dicta, sed ab enunciante,non ut respondeatur superiori interrogationi quæ iam absoluta est, subaudito,nullus,sed ut sit noua coaceruatio argumentorum,sitq; hic sensus, Deus est is qui iustificat,quis erit ille qui condemnet? Christus est is qui mortuus est pro nobis,imò qui & resurrexit,& sedens ad dexteram dei patris interpellat pro nobis,quis accusabit electos,aut quis condemnabit? ut ex tot argumentis simul congestis pariter consequatur, neminem fore qui nos uel criminetur,uel cõdemnet.At mihi quidem hæc lectio germanior esse uidetur,uel ob hoc quod alioqui nihil magnum colligi uidebatur,si cõficiatur,patrẽ non accusaturum electos,quum iustificet,aut Christum non condemnaturum, quum interpellet pro nobis.Multũ autem lucis accessisset orationi,si interpres addidisset,unam syllabã, Deus est,qui iustificat,&,Christus est qui mortuus est.

Augustini distinctio.

Origenis distinctio.

Origenis distinctionem præfert cæteris.

Quis ergo nos separabit?) Ergo,additum est à Latinis,& melius omittitur.Nam si separes hũc sermonem à superioribus uidetur Paulus ueluti subito raptus affectu in hanc ceu exclamationem prorupisse ob tanta fiduciæ argumenta quæ præcesserunt.Ita uidet Theophylacto,qui separat.Sin coniunctim legas,melius cohærent, sublata coniũctione, quum deus & Christus sit talis erga nos,quis nos separabit à charitate? Charitas autem hic actiue uidetur accipi, ἀγάπην, nempe qua nos dilexit deus, & ad redamandum prouocauit.Minoris est momenti, quod Ambrosius legit, à charitate Christi, Origenes à charitate dei. Totum autem hunc locum Augustinus libro de doctrina Christi.4. capite xx.profert uelut exemplar orationis,quæ uehementiam,hoc est, δείνωσιν cum ornatu cõiunxerit.Iucũditas eñ orationis partim est in gradationibus,præsciuit,prædestinauit, uocauit,iustificauit, magnificauit, partim in similiter desinentibus & cadentibus, προώρισεμ, ἐκάλεσεμ &c.Rursus ὑπὲρ ἡμῶμ, κα[illegible]μ, partim in eiusdem uocis iteratione,quam traductionẽ uocant,ut in proximo exemplo, ἡμῶμ ἡμῶμ. Tum in contrarijs,iustificat & condemnat,mors uita,instantia futura,altitudo profunditas.Nam comparia & asyndeta faciũt etiam ad δείνωσιν,quemadmodum & interrogatio.Totus autem hic sermo percontationibus & interrogationibus scatet.Quod si quis distinguat acrimoniam seu cõtentionem orationis,à granditate,qui tertius est apud rhetores dictiõis character,ad acrimoniam facit interrogatio,uehementior etiam asseueratione.Nam uehementius est,quomodo etiã non cũ illo nobis omnia donabit? q̃ si dixisset:haud dubie & omnia nobis cum illo donabit.Hac eñ fiducia manifestæ ueritatis sic urgeẽ auditor,quasi non habeat quod respondeat.Item acrius est, an tribulatio,an angustia, an persequutio, an fames, q̃ si negasset. Ad idem faciunt incisa,ab eadẽ dictione incipientia,sicut modo retuli,uelut & in illo,neq; mors,neq; uita,neq; angeli &c.Grandem autem orationem illa proprie reddũt, quod uelut afflatus numine nihil humile loquiẽ.Proponit enim magnifice,Scimus quod diligentibus deum omnia &c.Deinde totus sermo constat magnificis tum rebus,tum personis, mors,uita,fortitudo,altitudo,deus,Christus,ad dexteram dei, angeli, principatus, uirtutes.Quin & illud magnificum,In his omnibus ὑπερνικῶμεν, & Certus sum enim.Quid unq; Cicero dixit grandiloquentius?

Sicut oues occisionis.) Testimonium sumptum est ex Psalmo xliij.Porrò quod interpres uertit,Occisiõis,Hebraice est, טִבְחָה,quod magis apud illos sonat mactationẽ,ea est quum lanius contrectat & explorat pecudem,num idonea sit ut iuguletur. Siquidẽ simile quiddam est apud Latinos mactatio. Vnde Horatius: Mactata ueniet lenior hostia.

Proinde

Proinde oues occisionis dixit, pro eo quod est, oues occisioni destinatæ. Cæterũ hoc loco fuerat interpreti prætermittenda coniunctio ὅτι, Quid enim hic sermo significat Latinis, Scriptum est, quia propter te mortificamur? Apud Græcos uaria est huius coniunctionis uis, apud nos non item. *Oues occisionis.*

Superamus propter eum.) ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ, id est, Superuincimus, ut plus aliquid intelligas, quàm uincimus: sed res tantas etiam facile uincimus, omnibus illis malis superiores. Ita Theophylactus. Deinde, per eum qui &c. non propter eum, διὰ τοῦ. Augustinus lib. de ciuitate dei xxij, capite xxiij. refert hunc ad modũ: In his omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos. Ad eundẽ modum citat lib. de doctrina Christi. iiij. cap. xx. Itidẽ legit & Origenes sic edisserens: Et ideo, inquit, in his omnibus superamus, non nostra uirtute, sed per eum qui dilexit nos. Ambrosius tamen legit, propter, intelligens nos in tantis afflictionibus infracto animo perdurare amore Christi, qui nobis tantũ impenderit, quodammodo rependentes illi moriendi uices. Ipsius Ambrosij uerba sunt hæc, si quis forte requiret: Et quid mirũ, si serui moriantur pro bono domino, quando dominus mortuus est pro seruis & malis? Vincunt ergo beneficia & exhortantur animum ad perseuerandũ propter eum qui dilexit nos. Nobiscum faciunt Chrysostomus & Theophylactus, & legẽtes & interpretantes, non mirum esse si tantis malis superiores euadimus, quum deum habeamus propugnatorem. Certus sum enim.) πέπεισμαι γὰρ, id est, Persuasus sum siue confido, ut uertit diuus Hieronymus ad Algasiam quæstione nona. Atq; ita legit Ambrosius.

Neq; futura neq; fortitudo.) Fortitudo apud Græcos non legitur, nec habet ad quod respondeat, quũ instantia, id est, præsentia respondeant futuris, altitudo profunditati. Quam quam in eo quem modo citaui loco, diuus Hieronymus addit Fortitudo, sed omissis uirtutibus quas Græcus δυνάμεις legit, quas Hieronymus ut uidetur dixit potestates. Apud Ambrosium nonnihil ab hac diuersa reperitur lectio, nouem duntaxat partes recensentẽ: Neq; mors, neq; uita, neq; angelus, neq; uirtus, neq; altitudo, neq; profundum, neque præsentia, neq; futura, neq; alia creatura. Atq; ita legisse Ambrosiũ palã arguit & ipsius interpretatio. Ex quo liquet, quod loco fortitudinis apud nos non suo loco positæ, ille posuerit proximã angelis uirtutem, quam refert ad miraculum. Cæterum principatuum nõ meminit, etiamsi Origenes inter enarrandum nonnihil attingit de principatibus, nec alioqui anxius hoc loco in recensendis huius synathrœsmi partibus. Augustinus in explicandis huius epistolæ quæstionibus aliquot, recenset mortem, uitam, angelum, principatum, præsentia, futura, uirtutem, altitudinem, profundum, & aliam creaturam. Verum ferè fit, ut in huiusmodi singulorum catalogo nominum uarient alicubi codices, labentibus memoria scribis. *Additum aliquid.*

EX CAPITE NONO.

Optabam enim ipse ego.) Anathemata Græcis dicũtur res diis dicatæ, & in hoc sepositæ. Vide lector, num accipi possit ηὐχόμην ἄν, δυωκτικῶς, pro optarẽ, siue optarim, etiamsi non additur ἄν, ut accipias, optarem, si fieri posset. Porrò illud, A Christo, refertur ad anathema, quasi dicas, quiddam sepositum & alienum à Christo. Siquidem ἀναθήματα dicuntur dona in templis dicata numinibus. unde & Latini ueteres, sacrum, in malum sensum usurpabant. ut Horatius, Sacer intestabilis esto. & Vergilius. Auri sacra fames. Hieronymus ad Algasiam quæstione nona, putat hic anathema accipi posse pro occisione corporali, non pro exitio mentis, uerum reclamat quod sequitur A Christo. Proinde ridet Chrysostomus quorundam nugale commentum, qui uoluerint ἀνάθεμα positum pro κειμήλιον, hoc est, Pro re chara sepositа, quam uulgo uocamus cleinodium. Notat & illud, quod dixerit αὐτὸς ἐγὼ, quũ alterum pronomen uideatur supersesse, uerum emphasim habet, ipse, qui tantum laborarim, ne seiungar à Christo. Mihi uidetur & singularitatis habere significationem, Vnus pro tam multis optarim perire, si liceat. *Anathema.*

Quorum adoptio.) ὧν ἡ υἱοθεσία, id est, Quorũ adoptio, sicut admonuimus & antea. Interpres uoluit explanare uim Græcæ uocis, quod adoptentur & fratres aut nepotes. Augustinus non addit Filiorum libro aduersus Faustum tertio, capite tertio.

Et testamentum.) καὶ διαθῆκαι, id est, Testamenta. Atq; ita refert Augustinus libro aduersus Faustum xij. in libris manu descriptis, ac mox differẽs in hunc locũ repetit testamenta.

Ad filios enim tabulæ testamenti pertinēt, quanquam Hieronymus putat hoc uerbū apud Hebræos, unde ductum est à nostris, magis sonare pacta quàm testamenta.

Legislatio.) ἡ νομοθεσία. Græcis unicum est uerbum, quod ad omnes leges condendas pertinet, non solum ad unam. Augustinus in libello quem scripsit aduersus aduersarium legis, legit Legis constitutio. Sentit enim Paulus gloriam à deo conditæ legis, penes illos fuisse. Rursus & testamentum.) Græce est Testamenta numero multitudinis. Ita legit Hieronymus ad Algasiam quæstione nona, interpretans alterum in litera, alterū in spiritu. Atq; ita scriptum est in uetustissimis exemplaribus Latinis.

Obsequium, pro cultu.

Et obsequium.) ἡ λατρεία, id est, Cultus, siue religio, quod alibi uertit, Seruitutem. Sentit autem officia sacerdotalia, & ritus ac ceremonias sacrorum, interprete Origene. Quis autē per obsequium quicquam tale Latinus intelligeret?

Et promissio.) ἐπαγγελίαι, id est, Promissiones aut promissa, ut legit Ambrosius.

Qui est super omnia deus.) Hoc certe loco Paulus palàm Christum pronunciauit deū, & consentiunt, quæ quidem uiderim Græcorū exemplaria. Theophylactus admonet hoc loco refelli Arrianorum impietatem, qui solum patrem uoluerunt uere ac proprie deū dici. Similia differit Origenes, indicans iam tum fuisse, qui non audebant Christum appellare deum, ne plures deos facere uiderentur. Sed suspicor hunc locum, quod intolerabilis esset Rhomanis auribus, mutatū ab Origenis interprete, aut ab alio quopiam quisquis is fuit, qui declarat sese etiam initio operis nonnihil adiecisse de suo. Et Hieronymus obijcit Ruffino, quod in libris quos uerterat, omneis Origenis errores reliquerit, præterq; de personis diuinis, quod eam blasphemiam nullas Rhomanorum aures laturas sciret. Itidem in his commentarijs reperies quædam, licet obscurius obiter insperſa, de diabolo redimendo, capite tertio, de animabus quæ peccarint antequam nascerētur, aliaq; id genus multa. At hic etiam aduersus Arianorum dogma differit, qui suum errorem ex Origenis hauserāt libris. At diuus Hieronymus scribens aduersus Ruffinum, negat inueniri in Origenicis libris, ubi catholice loquutus sit de rebus hisce, de quibus in libris περὶ ἀρχῶν hæretica scripsit, id quod affirmabat Ruffinus. Quin & Ambrosius hoc loco subindicat fuisse, qui conarētur hæc ad patrem non ad filium detorquere, quod aliàs apud Paulum dei uocabulum, patri soleat tribui, filio domini, non quod minus competat in filium quàm in patrem, sed quod sic magis expediebat illis temporibus ad prædicationem euangelij, ut ostendemus alibi copiosius. Verum hoc loco nulla patris fit mentio, ut ulla ratione possit hæc pars ad illum accommodari. Theophylactus legit, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν. Chrysostomus hunc in modum legit, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν. Fortasse deum subaudit ex superioribus. Commentum quod scribit in hunc locum sic habet, ἀπὸ ἁπάντα ἐννοήσας καὶ λογισάμενος πόσην ὁ θεὸς μετὰ τοῦ ἑαυτοῦ παιδὸς ἐποιήσατο τὴν σωτηρίαν σῶσαι αὐτούς, ἀνεβόησε μέγα καὶ εἶπεν, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν, τῶν ὑπὲρ πάντων εὐχαριστίαν ἀναφέρων αὐτὸς τῷ μονογενεῖ τοῦ θεοῦ. τί γὰρ εἰ ἕτεροι βλασφημοῦσί φησιν, ἀλλ' ἡμεῖς οἱ τὰ ἀπόρρητα εἰδότες αὐτοῦ καὶ τὴν σοφίαν τὴν ἄφατον, καὶ τὴν πρόνοιαν τὴν πολλήν, ἴσμεν σαφῶς, ὅτι οὐ τοῦ βλασφημεῖσθαι, ἀλλὰ τοῦ δοξάζεσθαι ἄξιός ἐστιν, id est, Quæ quidem quum intellexisset ac perpendisset omnia, quantam deus una cum suo filio curam adhibuisset ut illos seruaret, uehementer exclamauit & dixit, qui est benedictus in secula, Amen, Gratiarum actionem super his omnibus ipse referens ad unigenitum dei. Quid enim inquit, si cæteri maledicunt? Sed nos qui occulta illius nouimus, & sapientiam ineffabilem, & prouidentiam plurimam, certo scimus eum esse dignum qui glorificetur, nō qui blasphemijs incessatur. Tantū Chrysostomus, ex quibus apparet illum non legisse, deum quemadmodum nos legimus. Reperiuntur autem huiusmodi clausulæ locis aliquot additæ, uelut ad finiendam lectionem, quemadmodum apud nos solenne est addere, Tu autem domine, Gloria patri, Gloria tibi domine, sic apud Græcos ad calcem orationis dominicæ hanc adiecerunt coronidē, Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum, amen. Consimilem ad modum uideri poterat hæc addita clausula, ad finitam disputationis partem, & noui capitis initiū, nisi tantus esset omnium exemplarium consensus. Quanquam Cyprianus aduersus Iudæos libro secundo, capite quinto, adducit hunc locum omissa dei mentione. Verum id factum suspicor incuria scribarum. Quanquam & aliàs docuimus orationem sic posse distingui,

Christus olim raro dictus deus, obscādali periculum.

Mirum Origenem dispu tare aduersus suam ipsius opinionem.

Insperſa quædam in Origenis cōmentarijs, quæ uidcātur ab Hieronymo correcta.

Coronides.

Cyprianus nō addit deus.

Distinctio uariat sensum.

gui,ut Qui est super omnia, referatur ad Christum, deinde interiecto silentio, subijciatur uelut epiphonematis loco: Benedictus deus. ut intelligamus Paulum agere gratias patri, qui filium omnibus rebus præfecerit

Super omnia deus.)Incertum est,an distinguendum sit, Deus super omnia,an super omnia benedictus,hoc est,celebrandus ac laudãdus. Deinde incertum est,an sit Super oẽs, an super omnia,Postremo potest esse,& In omnibus ἐπὶ πάντων.

Non autem quod exciderit uerbum dei.) οὐχ οἷον δέ, ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.Quod ita uertas licebit,Non autem uelut exciderit uerbum dei,id est,quod sic opto,ceu desperãs illos,non est tale,ut putem promissa diuina irrita fuisse,quum deus promiserit salutẽ Israeli, & tropus habet eclipsim,Non autem hæc dico quod &c.Sic & Latini, nõ quod,sed addita coniunctio facit orationem aliquanto duriorem. *Excidit quod irritum est factum.*

Non enim omnes.)Ex circuncisione,non est apud Græcos,sed ad hunc modum, οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ, οὗτοι Ἰσραήλ. Non enim omnes qui sunt ex Israel, hi Israel, ut subaudias sunt.nam secundo loco gentem ipsam uocat Israel. Non omnes orti ex stirpe Israelis, sunt Israelitæ.Nec id rarum est in sacris libris,Iudam non pro homine poni,sed pro gente, & Iacob pro Hebræis ipsis usurpari. Cæterum uideo ueteres ferè consentire in interpretatione huius nominis,quorũ de numero est & Origenes & Hieronymus,ut Israel interpretentur, uirum uidentem deum,quum hæc uocis interpretatio nõ quadret loco Genesis xxxij. ubi nomen commutatur Iacob,Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum,sed Israel,Quoniam si contra deum fortis fuisti,quanto magis contra homines præualebis? Hic enim indicat ideo commutatum nomen,quod aduersus angelũ in lucta præualuisset. Hæc est em̃ illa uis,qua deus gaudet nos irrumpere in regnum cœlorum, fide ac precibus improbis ab eo extorquere benedictionem,quam non promerebamur, quaq; martyres dum tentantur uarijs afflictionibus usq; ad uitæ contemptũ perseuerant in professione nominis Iesu. Solus Tertullianus mihi uidetur rectam interpretationem attingere, libro aduersus Marcionem quarto.Et alius inquit,inscribitur in nomine Israelis. Quid enim sapientius & inconcradicibilius confessione simplici & exerta,in martyris nomine cum deo inualescẽtis,quod est interpretatio Israelis.

Neq; qui semen sunt.) οὐδ' ὅτι,id est,Neq; quod,siue quia.Atq; ita legit ambrosius. Consentit cum hoc uetustissimũ exemplar Paulinæ bibliothecæ.unde hoc à librarijs est deprauatum. Alioqui interpres pro ὅτι, legisse uidetur ὅσις. Neq; ideo statim sunt filij Abrahæ, quod ex illo ducant genus. *Qui,pro quia*

Promissionis enim uerbũ.) ὁ λόγος,Sermo, siue oratio,neq; enim unũ ponit uerbum.

Secundum tempus hoc.) κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον,id est,in tempore hoc.

Non solum autem illa.) οὐ μόνον.Illa, pronomen addidit interpres, ut mitigaret Græcam figuram,idq; haud perperam,quod tamen alijs non est ausus.

Ex uno concubitu.) ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα,id est,ex uno concubitum habens. Potest bifariam legi, ex uno Isaac,atq; ita genitiuus Græcus uertendus erat in ablatiuum Latinum,πατρὸς ἡμῶν,id est,Patre nostro:aut ex uno,subaudi filio,deinde,Concubitum habens,id est, Connubium patris nostri Isaac. ut intelligas ex una prole constitisse promissionem, uidelicet,Iacob,Nam Esau reiectus est.Postremo,nisi intelligas ἦν,id est,Erat habens,oratio uidetur imperfecta,nisi repetas superiora. Imputabatur in numero filiorum Abrahæ quantũ ad filios attinet, cum eos pariter ex eodem patre sustulisset,sed qui reprobatus est, non habitus est pro filio,nec huic profuit ex eodem patre progenitum fuisse. Porrò cubile habẽs, uerecunde dixit pro eo quod est,Concepit.Laurentius Valla optimo iure refellit eos, qui hoc loco putant Rebeccam ex eodem concubitu concepisse geminos, quasi illud ad hanc rem pertineat,quoto coitu concepti sint Iacob & Esau. Imò Paulus ut adimat parentum fiduciam, proponit duos fratres ex eodẽ patre,eadẽ matre, simulq; eodem die progenitos, quorum alter tamen reiectus sit. Quid, quod ne potest quidem uno concubitu cohærere, cum κοίτη apud Græcos fœmininí generis sit,ἑνὸς masculini. Nec κοίτης legitur,sed κοίτην,id est,Cubile.Proinde quidam offensi uerbis nihil significantibus, adiectis uerbis aliquot ita legebant,Sed & Rebecca ex uno concubitu,habens geminos filios, quemadmodum indicat ac reprobat Lyranus.Et tamen ita uertit interpres Theophylacti,quum apud autorem *Duplex lectio*

Locus palàm depranatus.

Græcum sit alia dictio. Ac mihi uidetur hoc ipsum quod supereſt incommodi posse tolli, si nominatiuum participij pro genitiuo absolute posito accipias, ἔχουσα pro ἐχούσης. id quod
Ordo. Græci nonnunquam faciunt. At tum hic erit ordo: Nō solum autem Sara, quin etiam cum Rebecca grauida esset ex uno, eoq; patre nostro. Deinde ueluti per parentheſim interijcian tur illa, Nondum enim natis pueris, cum neq; boni quippiam fecissent neq; mali, ut secun/ dum electionem propositū dei maneret, non ex operibus, sed ex uocāte, succedat. ad quod respondet, Dictum est illi, ac deinde Maior seruiet minori. Sanctus Augustinus in expli/ candis aliquot huius epistolæ quæstionibus, refert hunc in modū: Nondum enim nascen/ tium nec agentium aliquid boni aut mali.

Maior. Minor. Maior seruiet minori.) Maior & minor hic non ad ætatem proprie referuntur, sed ad ui/ res & præcellentiam, μείζων, ἐλάσσων. Quanquam Hebræis altera uox est, רַב quæ dignitate præeminentem indicat. unde & Rabbi dictum, צָעִיר altera quæ nonnunquam adolescen/ tulum significat.

Miserebor cui misertus sum.) Apud Græcos secus est, ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτίρω, id est, Miserebor cuiuscūq; misereor, & commiserabor quemcunq; cōmiseror, id est, quemcunque decretum fuerit commiserari. Certe in priore sermonis huius parte nobi/ scum faciebat codex Donatiani, in quo sic habebatur scriptum, Miserebor, cui misereor. Hic quoq; interpres minus feliciter copiam, ut solet, affectat. Hebræis diuersa sunt uerba, quemadmodum & Græcis, quasi dicas, Miserebor & condonabo, siue gratiā faciam. Porrò noue dictum est quod sequitur, Scriptura dicit Pharaoni, pro eo quod erat, Scriptura re/ fert dictum Pharaoni.

Igitur non est uolentis neq; currentis.) Hanc particulam Chrysostomus antitheſin uo/ cat, quasi obijciatur ab aduersario, qualis est et illa, Ergo cui uult miseretur. Sed ubi solutio? O homo tu quis es, &c.

Queri Conqueri. Quid adhuc queritur.) τί ἔτι μέμφεται, id est, Quid adhuc conqueritur, aut incusat? sub/ audi deus. Etiamsi Laurentius ac Stapulensis dissentiunt, quorum hic queritur, impersona liter accipi uult, ille passiue, quanquam Laurentius nostram adiungit sententiam, ad quam interpretantur omnes Græci interpretes. Primum μέμφεται, nō inuenio ad istum modum positum, ut persona non addatur. deinde mea sententia probe quadrat ijs quæ sequuntur: O homo tu quis es, qui respondeas deo. Ruffinus libro περὶ ἀρχῶν tertio, sententiam reddit mutatis uerbis, Quid ergo adhuc culpamur? Illud tantum admonendus est crassus lector, queritur hoc loco, à queror deponenti uerbo, non à quæro actiuo dictum esse.

O homo tu quis es qui &c.) μενοῦνγε ὦ ἄνθρωπε. Atqui ô homo quis es. Cæterum inter/ pres inferius uertit, Et quidem μενοῦν, hic dissimulauit. Est autē ἐναντίωσις tacita in uocibus, homo, & deus, præterea emphasis, haudquaquam ociosa.

Qui respondeas deo.) ὁ ἀνταποκρινόμενος, id est, Contra respondens, ut sanè adducitur ab Origene homilia in exodum quarta, uel Qui respondes aduersus deum, quia dixerat, quid igitur habet quod queratur, si quæ uult, facit? Ac mea quidē sentētia rectius erat, Qui respondes, q̄ Qui respondeas. Iam enim fecerat respondentē. Nec enim indignat quod respondeat sed quod impie respondeat. Quanquam interpretatio Origenis haud multū abest à uulgata lectione, eamq; clarius etiam sequitur Augustinus in octoginta trium quæ/ stionum sexagesimaoctaua, refellens hæreticorum calumnias, colligentium ob id Paulū ad conuicia subito deflexisse, quod nodum quæstionis propositæ explicare non posset.

Et qui se finxit.) Qui finxit est Græce, & satis erat, τῷ πλάσαντι, se pronomen superuaca/ neum est. Ex eadem massa.) ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος, quod Augustinus adducit ex eadem conspersione. Sentit enim argillam humore maceratam, temperatamq;

Contraria. Aliud in honorem.) τιμὴν καὶ ἀτιμίαν. Laurentius rectius uerti posse putat, decus ac de/ decus, maxime quod in uasa non cadat contumelia. Atqui cum à contemnendo dicatur cōtumelia, quid obstat, quo minus in rem inanimam competat contumelia, quum ea & ex petatur, & contemnatur? Quod si minus quadraret, tamen metaphora gratiam etiam ad/ iungeret. Veluti si quis Bassum aureis uasis excipientem onus uentris apud Martialem, di cat aurum afficere contumelia. Illud uerum est, in decus ac dedecus, schematis iucunditatē reddi, quæ perit, in honore & contumelia.

Quod

Quod ſi deus uolens.) Ad hanc orationis partem nihil ſequitur quod reſpondeat, quapropter ad ſuperiora referamus oportet, uel ad illud, Quis es tu homo, qui reſpõdeas deo? uel ad illud, An non habet poteſtatem? Origenes exiſtimat orationem alioqui incompoſitiorem componi poſſe ad hunc modum, Volens deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinet in multa patientia uaſa iræ, apta in perditionem, ut notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in uaſa miſericordiæ. Quod ſi ſupplere placet aliquid, quãdoquidẽ deeſſe conſtat, ſubaudiri poteſt, non habent quod incuſent aut diſceptent cum deo. Quidã Latini codices habebant, Quid ſi deus, uerum Græcis eſt εἰδέ. *Ordo uarius.*

Tulit in multa patientia.) ἤνεγκεν. Græcis uerbum anceps, quod Auguſtinus in quæſtionibus in Exodum ita legit: Attulit in multa patientia uaſa iræ. Rurſus aduerſus Fauſtũ lib. xxi. cap. ij. Neq; enim Græce eſt ἔφερεν, quod ſignificat ferre, ſed ἤνεγκεν, quod magis ſonat in medium adducere, aut offerre. Et ne quid hoc loco cauſemur ſcripturam caſu uiciatam, citat idem ad eundem modum, quum aliâs, tum libro ſecundo, contra duas epiſtolas Pelagianorum, ad Bonifacium. Quod ſi uera lectio eſt, ſenſus erit, Ea uaſa parata in interitum, diu expectata, tandem adducta in ſuam pœnam, quanquã Origenes planè interpretatus eſt, Suſtinuit ac tolerauit, atq; hunc nõ illibenter ſequi ſolitus Ambroſius. Conſentiũt cum his Chryſoſtomus, & huic accinens Theophylactus. *Tulit, attulit, aut pertulit.*

Apta in interitum.) κατηρτισμένα, id eſt, Aptata, ſiue parata.

Vaſa miſericordiæ.) σκεύη ἐλέους. Recte illud annotauit Auguſtinus σκεῦος Græcis dici, nõ proprie uas excipiendo liquori paratum, ſed quodcunq; pertinens ad uſum domeſticum. Proinde apud Liuium in conceptis legatorum orationibus, puerorum & uaſorũ nomine, tota ſupellex ſignificatur. Cæterum liquoris capax uas, ἀγγεῖον appellant Græci. *Vaſa, σκεύη.*

Præparauit in gloriam.) Græci in nonnullis codicibus addunt αὐτοῦ, id eſt, Suam. Mihi magis probatur altera lectio, ne bis idem dicere uideat. Quod enim antea uocauit, τιμὴν, hic uocat gloriam.

Quos & uocauit.) οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς, id eſt, Quos & uocauit nos, quanq; illud ἡμᾶς in quibuſdam Græcis codicibus non adſcribitur. Additum eſt aũt explicandi cauſa, Quos & uocauit, nempe nos. ac rurſum, ne Nos, uideretur ad ſolos Iudæos pertinere, ſubijcit Nõ ſolum ex Iudæis, uerum etiam ex gentibus.

Et non miſericordiam conſequutam, miſericordiam conſequutam.) Id in Græcis codicibus non habetur adſcriptum, nec additur ab Auguſtino qui teſtimonium hoc refert libro aduerſus Fauſtum xxij. cap. lxxxix. Porrò Ambroſius nec legit hanc partem, nec interpretatur. Origenes in commentarijs locum hunc apud Paulum recenſet his uerbis: Qui ante non eramus plebs eius, nunc plebem ſuam uocauit, & nõ dilectam dilectam, &c. unde apparet hunc unicam tantũ particulam legiſſe, ἠγαπωμένην. Quin & Chryſoſtomi pariter ac Theophylacti interpretatio, palàm declarat illos non aliter legiſſe quàm legit Origenes & Ambroſius. Cæterum apud Oſee cap. ij. quo ex loco teſtimonium hoc aſſumpſit Paulus, nec habetur, Miſericordiam conſequuta, nec dilecta, ſed duntaxat, Et erit in loco ubi dicẽt eis, Nõ populus uos, dicetur eis, filij dei uiuentis, niſi quod ibi præceſſit, & miſerebor eius, quæ fuit abſq; miſericordia. Siquidem apoſtolus magis ſententiam reddidit, quàm uerba prophetæ. Quanq; diuus Hieronymus ediſſerens huius ῥπhetæ caput primũ, unde locus hic pendet, indicat geminam fuiſſe lectionẽ, in alijs ſcriptũ fuiſſe, quemadmodũ nos habemus οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην in alijs οὐκ ἠλεημένην. Ac poſteriorẽ ceu ueriorẽ magis approbat, tum quod ita legatur in emendationibus exẽplaribus, tum quod aptius reſpõdeat ad Iſrael non conſequutum miſericordiam, cum è diuerſo ſequatur: Et domui Iuda miſerebor. Rectius autem congruit & cum eo quod in fine capitis ij. legimus. Et miſerebor eius quæ fuit abſq; miſericordia. Cum autẽ hic locus è ſuperiore pendeat, ubi dicitur, Voca nomen eius abſq; miſericordia, probabile eſt & hic fuiſſe ſcripturam uariam. Proinde lector aliquis offendens diuerſam lectionem, arbitratus eſt in utraque ſcriptura particulam orationis eſſe omiſſam, & addidit quod putabat deeſſe. Auguſtinus exiſtimat ex eodem prophetæ loco ſumptum, quod ſcribit Petrus apoſtolus in epiſtolæ Petri prioris capite ſecundo. Qui aliquando non populus, nunc autem populus dei, quorum aliquando nnn miſertus eſt, nũc autem miſeretur. Videtur Petrus in hoc diſſidere à Paulo, quod Miſertus legit *Additum aliquid, fatente & Hieronymo.*

pro dilectus, sed in ordine æque dissidet cum propheta, apud quem prior est filia, cui nomen absque misericordia, cui succedit filius, cui nomen non populus meus. Idem est ordo in commutatione priorum nominum in fine cap. ij. Et miserebor eius, quæ fuit absq; misericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu. Porrò quod sequitur apud Paulum, Et erit in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea uos, ibi uocabuntur filij dei uiui, è primo capite sumptum est. Quod autem apud prophetam dictum est de populo Israelitico, Paulus per similitudinem detorsit ad gentes. In codice peruetusto Donatiani, alteram particulam omissam repperi. Sic enim habebat: Vocabo nō plebem meam, plebē meam, & nō misericordiam consequutam, misericordiam consequutam.

Ibi uocabuntur.) ἐκεῖ additum est ab apostolo, quum in propheta non sit, uidelicet, quo magis dilucide diceret. Dei uiui.) Viuentis est Græce, ζῶντος.

Pro Israel.) Super Israel, siue de Israel ὑπέρ, quanquam præpositio hæc anceps est.

Si fuerit numerus.) Testimonium est apud Esaiam cap. x. in quo quum consentiant Septuaginta cum Hebraica ueritate, Paulus tamen nonnihil dissidet, licet in uerbis magis quàm in sententia. Siquidem septuaginta uerterunt, τὸ ὑπόλειμμα ὑποστρέψει, id est, Residuū conuertetur. At Hieronymus uertit in hunc modum, Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi harena maris reliquiæ conuertentur ex eo.

Verbum consummās, quomodo accipiendum.

Verbum enim consummans.) Verbum, accusatiui casus est, consummans & abbreuiās, masculini generis, ut subaudias, est, nempe deus, λόγον γὰρ συντελῶν, id est, Sermonē enim consummans. Id palàm aperit Chrysostomus ac Theophylactus hunc enarrantes locum. Nec obstrepit huic annotationi, quod Origenes & Ambrosius de uerbo abbreuiato interpretantur, cum hic utrunq; positum sit, Qui consummat & abbreuiat pater est, qui cōsummatur & abbreuiatur uel Christus est, uel huius doctrina. Quanquam hæc quoq; nonnihil dissentiunt ab Hebraica ueritate, iuxta quam ita legimus autore Hieronymo: Consummationem enim & abbreuiationem dominus deus exercituum faciet, in medio omnis terræ. Locus est huic affinis sententiæ apud eundem prophetam cap. viij. Consummationem enim & abbreuiationem audiui à domino deo exercituum super uniuersam terram. Porrò quod adiecit, Prædixit Esaias, non est uaticinantis de futuro, sed quod hoc testimonium præcesserit illud quod prius adduxit, unde commodius erat, Sicut superius dixit Esaias. Porrò צבאות sabaoth Hebræam uocem reliquit apostolus, quam Septuaginta bifariā solent uertere, aliquando ὁ κύριος παντοκράτωρ, id est, Dominus omnipotēs, aliâs ὁ κύριος τῶν δυνάμεων, id est, Dominus uirtutum, solus Aquila uertit ὁ κύριος τῶν στρατευμάτων, id est, Dominus exercituum. Paulus, ut dixi, uocē Hebraicam non putauit esse mutandam, opinor ob id quod in ea lateat nonnihil mysterij, quod aliena lingua reddi nō potuerit.

Reliquisset nobis.) ἐγκατέλιπεν, id est, Reliquisset in nobis. Testimonium sumptum est ex Esaiæ capite primo.

Pronunciatio

Quid ergo dicemus?) Quod sequitur, pronunciatiue legendū est, non interrogatiue: Quid ergo dicemus? Nēpe hoc dicemus, gentes ex fide iustitiam consequutas, &c. Annotauit hunc quoq; locum Augustinus lib. de doctrina Christiana iij. Et ad hunc modū edisserit Theophylactus.

Peruenit, pro assequutus est

Non peruenit.) οὐκ ἔφθασε, quod uerbum uarie uertitur. Est autem proprium festinantis ad occupandum aliquid. ut intelligas & Israelitas eò contendisse per opera legis, uerū gentes exclusis illis occupasse.

Quasi ex operibus.) ὡς ἐξ ἔργων, id est, Tanquam ex operibus, & addunt Græci νόμου, id est, Legis, ut intelligas de operibus fide charitateq; uacuis. Annotauit Theophylactus, uoculam ὡς, quasi significet ludæorum opera, non fuisse uere opera legis. Mihi uidetur & ad imputationem referri posse, Nam ludæi salutem acceptam ferebant suis operibus exclusa gratia dei. Petram σκανδάλου.) Græcam uocem hanc libenter usurpant interpretes, quū possent dicere, offensæ siue offendiculi, aut obstaculi, licet haud nesciam interim manere dialecton Hebraicam, lapis offendiculi, pro lapide offensorio, aut lapis in quē offendūt. Nec uideo quid offendat quosdam in προσκόπτω, quod haud dubie significat impingo, uel offendo. Cæterum testimonium hoc contextum est è duobus Esaiæ locis. Initium enim, nempe, Pono in Sion lapidem, & finis, nempe, Et omnis qui credit in eo non confundetur, sumpta

Faber uidetur designari.

sunt ex

sunt ex Esaiæ capite uigesimo octauo. Cæterum quod in medio intertexuit, Et lapidem offensionis & petrā scandali, sumptum est ex eiusdem capite octauo. Quanquam hoc quoq; loco Paulus magis studuit sensum reddere quàm uerba. Cum enim Hebraica ueritas habeat, Qui crediderit non festinet, iuxta Septuaginta æditionem dixit, Non confundetur. *Paulus septuaginta sequutus.*

Non confundetur.) οὐ καταισχυνθήσεται, id est, Non pudefiet.

EX CAPITE DECIMO.

VOluntas quidem cordis.) ἡ μὲν εὐδοκία. Quod significat aliquid animo gratū & acceptum. Aurelius Augustinus explicans carptim aliquot huius epistolæ quæstiones, legit pro εὐδοκία bona uoluntas, quemadmodū hic interpres uertit in Luca. Græcæ uoci ad Hebræā afflictæ, nihil habet sermo Rhomanus, quod proprie respondeat. Nam nemo laturus sit, opinor, si quis dicat, delitiū cordis mei. Item quæ sequuntur non per omnia quadrant, sic enim Græci, καὶ ἡ δέησις ἡ πρὸς τὸν θεὸν, ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ ἐστιν, εἰς σωτηρίαν, id est, Et deprecatio quæ fit ad deū, pro Israel est ad salutem. Sentit enim se præstare Iudæis quod potest, propensam animi uoluntatem & precationes apud deum. *εὐδοκία.*

Quod æmulationem quidem.) ὅτι ζῆλον θεοῦ, id est, Aemulationem dei, sine quidem. Et scientia, magis cognitionem sonat κατ' ἐπίγνωσιν. Aderat studiū, sed sine iudicio: ut sedulitas, quem stulte diligit urget. *Aemulatio. Studium.*

Et suam quærētes statuere.) Hic Græci repetunt iustitiā. Est enim sermo ex traductione uocis eiusdem festiuior. Subest & ἐναντίωσις, in suam & dei. Item, in statuere & non sunt subiecti. Hæc enim inter se pugnant sensu magis quàm uerbis. Est autem ἰδίαν, id est, Propriam, significantius quàm suam.

Finis enim legis Christus.) τέλος hoc loco consummationem ac perfectionem sonat, nō interitum, quod indicauit & Augustinus explanans psalmum quintum. Nam Græci quod absolutum, & omnibus quæ solent requiri, perfectum est, τέλειον appellant. Summa igitur legis est Christus. Et in psalmis, quorum titulus habet, In finem, existimant aliquid recondi/tius & secretius esse uestigandum. quod hic dixit τέλος, aliās uocat πλήρωμα. *Finis, pro perfectio.*

Moses enim scripsit.) Hic locus deprauatus est apud nos, apud Græcos recte sic habet, μωσῆς γὰρ γράφει, τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ὁ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς, id est, Moses enim scribit iustitiā quæ est ex lege, quod qui fecerit hæc homo, uiuet in eis. Laurentius argutatur hoc loco, sed obscurius, id sentiens, nō totā orationē ad Mosen esse referendam, nempe hanc, Quoniam iustitiam quæ ex lege est, homo uiuet in ea, quasi totū hoc scripserit Moses, uerum posterius hoc duntaxat, Qui fecerit hæc homo, uiuet in eis. Retulit enim uerba quæ sunt Leuitici cap. xviij. Custodite leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo. uiuet in eis. Itidem legis Ezechielis xx. Iudicia mea proiecerūt, quæ faciens homo uiuet in eis. Siquidem Paulus docendi gratia geminam facit iustitiam, alteram Mosi, quæ requirit opera legis, alteram euangelij, quæ fidem requirit in Christum. *Nostra deprauata.*

Deducere.) καταγαγεῖν, uelut ex alto deorsum ducere, quod interpres uertit Reuocare, ceu studens interpretari quod obscurius erat dictum. Nam mihi uidentur hoc loco præsertim Latini interpretes uehementer laborare, cum sensus perspicuus sit. Dixerat enim ab euangelio, tantum requiri fidem. Porrò fides non flagitat experimentum, animo cernit, & suis quibusdam oculis uidet qui credit. at qui diffidit, etiam sensuum exigit testimonium, dicens apud se id quod legitur Deuteronomij cap. xxx. Quis ascendit in cœlum. idq; Paulus interpretatur accommodans Christo. Nam id, inquit, est Christum è cœlo detrahere, ut aut non credatur illic esse, aut cogatur huc reuersus, denuo se nostris exhibere sensibus. Aut quis descendit in abyssum? hoc est, quis credat quæ de inferis dicuntur, nisi uiderit? Hoc est, inquit, Christū à mortuis reducere, uel quasi non descenderit ad inferos, uel quasi flagitent, ut iterū uidentibus illis descendat ad inferos, cum haud ita procul petenda sint argumenta rerū, si fides assit in corde. Iam illud, Sed quid dicit, ambiguum uideri potest, utrò referatur Dicit, ad Mosen, an ad iustitiam fidei, quæ Christus est, quam mox loquētē fecit, ut putat Origenes, quanq; & aliās Paulus posuit Dicit, ad hunc eundē modum, ut subaudias Scriptura. Proinde interpres haud inepte adiecit de suo, sermonis explicandi gratia. *Sensus apud nos obscurus.*

Prope est uerbum.) ἐγγύς σου τὸ ῥῆμα, Prope te est uerbum, hoc est, non opus est tam pro/

Collata Pauli citatio cũ nostra editione.

cul è cœlo aut abyſſo petere,cum ſit intra te.Cæterũ teſtimonium, ut modo dixi,ſumptum eſt ex Deuteronomĩ cap.xxi.Quod indicauit primum Origenes,deinde Auguſtinus,niſi quod hic addit,ualde,Prope eſt uerbum hoc ualde in ore tuo, quemadmodũ legitur & in noſtra uulgata æditione. Quanq; alia quoq; nonnihil diſcrepant in uerbis Paulinis ab Hebræis,imò à noſtra æditione,quæ habet ad hunc modum, Mandatũ hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neq; procul poſitũ, nec in cœlo ſitum,ut poſſis dicere,quis noſtrum ualet ad cœlũ conſcendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atq; opere compleamus,neq; trans mare poſitũ,ut cauſeris & dicas,Quis è nobis poterit transfretare mare,& illud ad nos uſq; deferre,ut poſſimus audire & facere id quod præceptũ eſt? ſed intra te eſt ſermo ualde,in ore tuo,& in corde tuo, ut facias illum. Primũ quod illic poſitum eſt, Quis è nobis poterit transfretare mare,Paulus uertit,Quis deſcendet in abyſſum. Cæterũ quod legit Auguſtinus in quæſtionibus in Deuteronomion, prope eſt uerbũ hoc ualde in ore tuo,& in corde tuo,& in manibus tuis facere illud, extremã particulam,Et in manibus tuis,quam exiſtimat à Paulo prætermiſſam,noſtra certe uulgata æditio nõ habet. an apud Hebræos ſit,uiderint earum literarum peritiores. Fieri poteſt,ut hunc locum è Paulo correxerit aliquis. Certe apud ſeptuaginta habetur,ἡ δὲ χειρί σου ποιεῖν αὐτό.

Iudæi & Græci.) Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος. Rurſus congeminata coniunctio uehementiorem facit orationẽ, quàm nos uertimus in,uel cõiunctionem, eandẽ exprimentẽ ſententiæ uim.

Diues in omneis.) Græce participiũ eſt πλουτῶν, id eſt, Diuitijs abundans,ſiue affluens.

Quẽ non audierũt.) Poterat uerti,De quo non audierũt, ſic eñ eſt Græce,οὗ οὐκ ἤκουσαν.

Quàm pulchri pedes.

Quàm ſpecioſi pedes.) Paulus hoc teſtimonium retulit iuxta ueritatem Hebraicam,iuxta quam ita legis Eſaiæ cap.lij. interprete Hieronymo: Quàm pulchri ſuper mõtes pedes, annunciantis & prædicantis pacem,& annunciantis bonũ,prædicantis ſalutem. Nam Septuaginta uerterunt,ὡς ὥρα, quæ dictio ſi cum aſpiratione ſcribatur, aut tempus ſignificat, ut duodecim ſunt horæ diei:aut anni partẽ, uarijsq; mundũ temperat horis,unde & ἔξωροι dicuntur quorũ flos ætatis præterijt:aut pulchritudinem,unde ὡραῖον pulchrum dicunt.ſin abſq; aſpiratione ὥρα, curam ac ſolicitudinẽ. Vnde iuxta ſeptuaginta ſic legimus:Sicut hora ſuper montes,ſic pedes euangelizantis.At diuus Hieronymus magis probat quàm pulchri, quanquam hæc lectio non multum abeſt à Græca lectione Septuaginta, modo ὥραν accipias pro pulchritudine.Sic enim legitur:Sicut amœnitas ſuper montes,ita pedes &c.

Obediunt euangelio.)Obedierunt eſt Græce ὑπήκουσαν,uerbum præteriti temporis.

Paulus ſequens ſeptuaginta.

Domine quis credidit auditui noſtro?) Id teſtimoniũ ſumpſit ex Eſaiæ cap. liij. Septuaginta ſequutus æditionem,qui dictionem hanc,domine, addiderunt explicandæ perſonæ gratia,cum in Hebræo non habeatur,ſed tantũ,Quis credidit auditui noſtro? Quod idẽ obſeruatum eſt & ab Origene.Illud admonendus lector,hoc loco auditum, poni pro ipſo ſermone qui auditur.proinde dilucidius erat,Quis credidit uerbis noſtris, aut quis credidit auditis nobis.

Auditus,pro ſermone.

Per uerbum Chriſti.) Θεοῦ dei,non Chriſti.

Primus,pro prior.

Primus Moſes.) πρῶτος μωσῆς. Quo Græci ſæpius abutuntur pro comparatiuo,prior Moſes. Refertur enim ad Eſaiam,quem mox citat. licet aliud commentum attulerit Thomas Aquinas,quaſi primus dictus ſit,quia præcipuus,uel primus,quia primus inter cæteros hoc dixerit, quanquam poſterior illius ſententia non multum abhorret à noſtra.

Ad æmulationem uos adducam.) παραζηλώσω,id eſt, Ad æmulandum prouocabo,& quaſi ſtimulabo inuidia ac dolore.

In non gentem.) ἐπ' οὐκ ἔθνει, id eſt, In non gente. nam Græce datiuus eſt,item mox,In gente inſipiente.

Eſaias autem audet.) Coniunctio δὲ connectit hanc partem cum Moſe qui præceſſit,ut oſtendimus.Nec eſt ſimpliciter audet τολμᾷ,ſed ἀποτολμᾷ,quaſi ſumpta ab illo fiducia,qui prior illud dixerit.

Paulus ſentẽtiam reddens non uerba.

Inuentus ſum à non quærentibus.)Locus eſt apud Eſaiam lxv.ſenſus ferè idẽ apud Hebræos & Septuaginta.Hebraica ueritas ſic habet,Quæſierunt me,qui ante me non interrogabant. Inuenerunt qui non quæſierunt me. Iuxta ſeptuaginta ſic legimus, Apparui non quærentibus me,inuentus ſum ab his qui me non interrogabant.Paulus nec Hebræam ueritatem,nec Septuaginta æditionẽ anxie uidetur ſequutus, ſententiã contẽtus reddere.

Ad Iſrael

Ad Iſrael autem.) πρὸς δὲ τὸν Ἰσραήλ. Poteſt accipi & aduerſus Iſrael, non enim alloquitur Iſrael, ſed contra Iudæos facit quod dictum eſt. Siquidem præpoſitio πρὸς anceps eſt Græcis. Annotauit hoc & Thomas Aquinas. Teſtimoniū quod adducit Paulus eſt apud Eſaiā cap. lxv. Origenes indicat in exemplaribus Hebræorum non adiici particulam, & contradicentem mihi, uerum eam additam fuiſſe à Septuaginta ſenioribus. Idq; uerum eſſe declarat interpretatio Hieronymi ex Hebraica ueritate, quæ ſic habet, Extēdi manus meas tota die ad populum incredulum. Aeditio Septuaginta ſic habet, Expandi mandi manus meas tota die ad populū incredulū & contradicentem. *Paulus ſequutus Septuaginta.*

Et contradicentem mihi.) ἀντιλέγοντα. Mihi, à nobis additum eſt. Satis erat contradicentem, hoc eſt, rebellem & immorigerum, quemadmodum legunt Græci. Et comperi non additum in codice Donatiani.

EX CAPITE. VNDECIMO.

Dico ergo, nunquid deus.) Græcis tantū eſt, μὴ, num: ſeipſum interrogat ac ſibi reſpondit, quo ſchematis genere ſcatet omnis Pauli ſermo. Plurimum autem lucis & acrimoniæ adducit, præſertim in argumentando. Quidam appellant ratiocinationem.

Quem ante cognouerat.) προέγνω. Illud admonendum hoc loco, uerbum γνῶναι apud Græcos non ſemper ſignificare ſcire ſiue cognoſcere, ſed aliquoties decernere ſiue iudicare, unde & γνῶμαι dictæ ſunt. Et apud Latinos legimus, populus ſciuit & ſcita populi. Quanquā plus aliquid indicare uidetur προορίζειν quàm προγνῶναι, quod poſterius pertineat ad animi decretum, quod integrum eſt cuiq; mutare, prius illud ad certam ſententiæ pronunciationem, quam reſcindere non ſit integrum. Vnde nec Lyranus ueretur exponere hoc loco præſciuit, prædeſtinauit, atq; ita ſanè interpretatur Auguſtinus libro de bono perſeuerantiæ ij. cap. xviij. Nos maluimus uertere, Quos ante cognouit, iuxta proprietatem ſcripturæ diuinæ, qua deus cognoſcere dicitur, quibus fauet, quosq; amplectitur, ut & ſuperius admonuimus ex Origenis ſententia. Nec enim conſentaneum eſt quod deus populum reiecerit, quem ante ſic adamauit, & ueluti peculiarem complexus eſt. Chryſoſtomus putat additum προέγνω, propter electos ex Iudæis. Inter quos commemorat ſeipſum, ne ſolus uideatur, ſubijcit & de ſeptem milibus uirorum. *Scire & ſcita.*

Quemadmodum interpellat.) Ambroſius legit poſtulat, Græce eſt, ὡς ἐντυγχάνῃ.

Suffoderunt.) κατέσκαψαν. Quod ſignificat aliquando ſubruerunt ſiue ſubuerterunt.

Diuinū reſponſum.) χρηματισμός, id eſt, Oraculum, quod explicuit interpres περιφράσῃ.

Curuauerunt genua.) Genu eſt Græcis. & Baal, datiuus eſt ſine præpoſitione ante, quam addunt Latini, & τῇ Βάαλ, ut intelligas imaginem non ipſum hominem. Nam præfectū & idolū Hebræis ſonat בַּעַל, unde Beelphegor idolū cadaueris, Beelzebub muſcarū idolum. *Baal idolum.*

Saluæ factæ ſunt.) γέγονεμ, id eſt, Factæ ſunt. Saluæ, redundat, ſicut & dei ſupereſt, tantū eſt, οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν, id eſt, Sic & hoc in tempore reliquiæ iuxta electionem gratiæ ſunt. Non enim illud agit hoc loco Paulus, cuius ſit gratia, ſed gratiam opponit operibus legalibus, & electionem opponit generis affinitati. Et tamen haud ſcio qui factū ſit, ut in expoſitione Origenica legatur, Saluæ factæ ſint, etiamſi dei, non additur. Quanquam admonui iam interpretem in illis cōmentarijs ſibi multum iuris ſumpſiſſe. Certe nec apud Chryſoſtomum, nec apud Theophylactum addunt. *Additum in noſtris.*

Si autem gratia.) εἰ δὲ χάριτι. Gratia ablatiuus eſt, non nominatiuus.

Alioqui gratia.) ἐπεί, id eſt, Quoniam ſiue quandoquidem.

Alioqui gratia iam non eſt gratia.) Græci codices aliquanto plus habent hoc loco quàm noſtri. repetunt enim, in operibus quæ non ſint opera, quod noſtri de gratia tantum pronunciant ad hunc modū, εἰδὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων, ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις. εἰδὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ δὲ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον, id eſt, Quod ſi per gratiam, non iam ex operibus. quandoquidem gratia iam non eſt gratia. Sin uero ex operibus, iam non eſt gratia, quandoquidem opus iam non eſt opus. Atq; ita ſanè legit atque etiam interpretatur Theophylactus. Verum quoniam hanc additionem non reperio apud Origenem, nonnihil addubito num ea ſit germana lectio, præſertim quum Chryſoſtomus hunc enarrans locum tantum legat εἰδὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων, ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι *Græci plus habent quā nos.*

οὐκ ἔτι γίνεται χάρις. Nec addit his quicquam. Præterea partes sermonis uidentur inuersæ hoc ordine potius digerēdæ, Quod si per gratiam, iam non ex operibus, quandoquidem opus iam non est opus. Sin ex operibus, iam non ex gratia, quandoquidē gratia iam nō est gratia. Nisi in ἐπεὶ subest tacita exceptio, ut & aliâs hac uoce usus est Paulus. Ita sensus erat, Si gratia, non igitur ex operibus, quod ni esset, gratia non esset gratia, hoc est falsō dicere/tur gratia. Atque ut Latinæ lectioni magis faueam, facit quod Paulus nō hic agit, an opus sit opus, sed gratiam astruit, quam Iudæi conabantur expellere. Et tamen Aldina æditio, quin & Hispaniensis, consentit cum eo quod nos repperimus in Græcorū exemplaribus.

Sicut scriptum est.) Incertum an hæc particula referatur ad superiora, an ad ea quæ se/quuntur. Origenes fatetur sibi nusquam lectum in libris diuinis, Dedit eis spiritum com/punctionis. Sic autem excusat, ut Paulum accipiamus Esaiæ sententiam suis uerbis expli/cantem, & nonnihil de suo addentem. Id probabilius facit quod in fine adiecit, usq; in ho/diernum diem. Nam summa sententiæ est apud Esaiam cap. vi. Auditu audite, & nolite in/telligere. & uidete uisu, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggra/ua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus audiat, & corde intelligat, & conuertatur & sanetur. Citatur hic locus & in actis apostolorū cap. xxviij. sed iuxta trans/lationem Septuaginta, qui sic interpretati sunt, ut dominus prædicat illorum cæcitatem, nō ut imperet: Aure audietis & non intelligetis, & uidentes uidebitis, & non perspicietis. In/crassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos cōpres/serunt, ne forte uideant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertāt se, et sanem illos. Quo quidem in loco, Hieronymus edisserens Esaiam, sic excusat Lucam, qui referat Paulum cum Hebraeis differentem, non iuxta Hebraicum, quod rectum esse cogno uerat, sed iuxta Septuaginta producere testimonia, quod magis Græcas literas sciuerit q̄m Hebræas, unde & sermonem huius esse comptiorem ac secularem redolere eloquentiam.

Paulus apud Lucā & Hebraeis loquens sequitur Septuaginta.

Spiritum compunctionis.) κατανύξεως, quod significat cum aliquis mordetur & pungit dolore. unde superius dixit παραζηλώσω.

Fiat mensa eorum in laqueum.) Locus quem adducit, extat psal. lxviij. Ne hic quidē Pau/lus curauit prophetæ testimonium ad uerbum adducere. Primum enim omisit Corā ipsis, deinde addidit, Et in captionem, quod nec apud Hebræos habetur, nec apud septuaginta, quod ante nos indicauit Origenes.

Captio, pro uenatu.

In captionem.) Captio, non est hic decipula proprie, unde captiosos dicimus, sed pro ue/natu positum est quo capimus feras, quasi dicas, capiantur sua mensa qua laxare animum debebant: non enim timemus hostem inter epulas. Est autem Græce θήραμ.

Nunquid sic offenderunt ut caderent.) μὴ ἔπταισαν ἵνα πέσωσι, id est, Num lapsi sunt ut concíderent, siue ut caderent, nimirum in terrā. Nam πταίειν proprie est impingere ad quip/piam, ac labi leuius est quàm cadere, quemadmodum & impingere potest, qui non planè concidat: interpres de suo addidit, sic, Nunquid sic offenderunt ut caderent. Et probarem additum, si hoc loco, sic aduerbium positum est ut respondeat adeo, ueluti cum dicimus, sic me ōdit, ut nec salutet. adeo metuit, ut loqui non possit. Atqui Græca uox ἵνα finē magis significat, diuersæ naturæ ab ea quæ est ὡς aut ὥστε. Non potest igitur hic accipi sensus, num adeo impegerunt siue offenderunt, ut ceciderint? Igitur ἵνα referendum uidetur ad deum. Num ideo deus passus est Iudæos labi, ut in totum concíderent? Non, sed ut ad tempus locum faciant gentibus, & ijdem rursus gentium pietate prouocati resipiscant & seruētur. Verbum offenderunt eleganter quidem usurpatum est ab interprete, cæterum offendere di/citur & qui lædit. Augustinus explicans quæstiones aliquot huius epistolæ, pro offende/runt legit deliquerunt. Ac prorsus recte dixeris πταῖσμα lapsum siue delictum, at non item delinquere pro impingere.

Illorū delicto.) τῷ αὐτῶν παραπτώματι, id est, Per illorū lapsum potius q̄m delictū. Respe/xit eō ad id quod modo dixit, Iudæos impegisse, & ab eodē uerbo ductū est παράπτωμα.

Vt illos æmulentur.) εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. Quod rectius uerti poterat, Ad prouocan/dum eos, ut ad deum referatur actus uerbi, qui isto modo uoluerit extimulare Iudæos inuidentia quadam ac zelotypia, cum uiderent quod ipsis erat promissum, in gentes esse translatū. Vnde nos quo sermonis ambiguitatē excluderemus: uertimus, Vt eos ad æmu/landum

Obscure uer/tit interpres.

landum prouocaret, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. Neq; quicquam erat opus quadriga interpretationum, quam in hũc locum inuexit Thomas Aquinas. Ne sic quidem germanam attingens sententiam, quod haudquaquam illi, sed interpreti imputandũ est. Quis enim Græce ignarus ex his uerbis percipiat quid senserit Paulus? Sic & paulo post Paulus usus est hoc uerbo εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα. Et proximo capite, ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει. Quo tamẽ uerbo aliâs usi sunt interpretes in malam partem, quemadmodum psal. lxxvij. καὶ ἐν τοῖς γλυπτοῖς αὐτῶν παρεζήλωσαν αὐτόν. Porrò quidam accommodat uerbum παραζηλώσαι ad Iudæos, ut αὐτοὺς referatur ad gentes. Neq; quisquam interpres hoc sensit, neq; ratio Græci sermonis patitur, sed hunc sensum maluit extorquere, quàm nõ carpere nostram annotationem. *Quadruplex interpretatio Thomæ.*

Quàmdiu quidem ego sum apostolus.) ἐφ' ὅσον μὲν εἰμι. Origenes uidetur ἐφ' ὅσον accipere pro quamdiu, ut subaudias χρόνον, dubitatq; utrum accipiendum sit, quamdiu sum in hac uita, & ad affectus emphasim pertineat, quemadmodum uulgo dicimus, nõ deseram uos quoad uiuam, an Paulum post obitum etiam inuisibilibus apostolum futurũ. Verum quoniam id duriusculum est, malim ἐφ' ὅσον accipere pro quatenus, siue inquantum. Atque ita uidetur Theophylactus sensisse, quantum conijcere licet ex illius interpretatione. Cæterum Chrysostomus plane interpretatur Paulum ex delegato munere cogi, ut aliquot Iudæos prouocet atq; ita seruet. Sic enim prouocatos seruabit, si quamplurimos è gentibus pertrahat ad euangelium. Neq; enim de temporis modo loquitur, quasi mox abdicaturus apostolicũ munus, sed quandoquidem uocatus erat apostolus gentibus, adnititur ut gnauiter obiens sibi commissam prouinciam exornet & illustret eam.

Glorificabo.) δοξάζω, id est, Glorifico, ita citante locum hunc Augustino locis complusculis, nominatim libro aduersus Faustum ix. capite ij. Faber Stapulensis mauult existimo. Quanquam haud scio an δοξάζω reperiatur apud Græcos pro existimo. Et probe quadrat sensus, ut accipias Paulum celebrius reddere suum ministerium in euangelio gentium, ut æmulatione saltem prouocaret Iudæos ad Christum. Interpres Origenis uertit δοξάζω, illustro & exorno, multis uerbis in hanc disserens sententiam. *Faber.*

Amissio eorũ,) ἀποβολὴ, id est, Abiectio, siue reiectio. Nam hanc opponit assumptioni. Reiectio pro amissio, citat Augustinus libro aduersus Faustum ix. capite ij. iuxta fidẽ uoluminis antiqui manu descripti.

Quæ assumptio.) τίς ἡ πρόσληψις, id est, Adiunctio qua quempiam nobis comitem asciscimus, id est adiungimus. Nam assumptionem, ut dixi, opposuit reiectioni.

Quod si delibatio.) Delibatio ἀπαρχὴ, id est, Primitiæ. Theophylactus interpretatur ἀπαρχὴν, τὴν ζύμην, id est, Fermentum, ut massa respondeat arbori, fermentum radici. Mihi magis probatur, ut ipsum frumentum intelligamus, unde conspersio sumitur. Cæterum ex uitioso tritico non possis facere bonam conspersionem. Primitias autem dixit, quod laudatissima soleant dicari numini, unde et ἀκροθίνια uocantur, quasi præcipua. Porrò conspersionẽ non ad farinam humore temperatam referri puto, sed magis ad molas, siue collyridas, ea erat farina oleo conspersa, quæ olim iuxta ritum Mosaicæ legis immolabantur, unde & sanctam uocat. Et oleaster Græcis est ἀγριέλαιος, quod sonat agrestem siue syluestrem oleã, cui respondet καλλιέλαιος, quæ est olea frugifera.

Insertus es.) ἐνεκεντρίσθης, id est, Insitus es, quoties fisso arboris ramo inseritur surculus. Est enim hoc unum insitionis genus. Quanquam hic magis significare uidetur inoculationẽ, quum perterebrato qua se protrudit gemma cortice, inseritur stolo. *Insitio.*

Insertus es in illis.) ἐν αὐτοῖς. Apertius erat Inter illos, hoc est, Insitio tibi dedit quod illis natura.

Socius radicis.) συγκοινωνὸς, id est, Particeps, aut potius simul particeps siue consors, hoc est, unà cum cæteris ramis quibus insitus es.

Bene.) Separandum est, ut sit respondentis ad superiora, καλῶς & approbãtis, quod sub persona ethnici dixerat, eaq; pronuncianter sunt legenda. Atq; ita sanè distinguit Augustinus in epistolis, hunc adducens locum.

Noli altum sapere.) μὴ ὑψηλοφρόνει, id est, Ne superbias, ne tibi placeas, ne efferaris animo, Siquidem hic sapere uocat affici animo φρονεῖν quod aliâs dicitur μέγα πνέειν. Nec enim hic agitur

agitur de sapientia siue stultitia, sed de arrogantia & modestia.

Ne forte nec tibi.) μήπως. Aut omittenda erat expletiua cõiunctio, aut uertenda erat, Ne quâ, aut ne quomodo. Nam forte nihil facit ad hanc sententiam.

Vide ergo bon.) In plerisq; Græcis codicibus habebatur, ἴδε, id est, Vide. Quanquã hoc ad sensum nihil attinet.

Bonitas. Seueritas.

Bonitatem & seueritatem.) τὴν χρηστότητα, καὶ τὴν ἀποτομίαμ. Bonitas est hæc, quam ante uertimus benignitatem, diui Hieronymi sequuti sententiam, quæ est quædam animi propensio ad bene merendum de quopiam, quam non inepte uertisset indulgentiam, cui opponit ἀποτομίαμ, quæ ad uerbum sonat relectionem: ea est, quoties res ad uiuum exigitur, quem & rigorem dicas licebit.

Alioqui.) Rursum ἐπεὶ, id est, Quandoquidem.

Olea. Oleaster.

In bonã oliuã.) καλλιέλαιομ, quæ cõtraria est ἀγριελάιῳ, id est, Oleastro, ut modo dictũ est.

Fratres, mysterium hoc.) μυστήριομ. Hoc loco mysterium nihil aliud sonat quàm rem arcanam & paucis cognitam, neq; communicandam nisi initiatis.

Vobisipsis sapientes.) παρ' ἑαυτοῖς, id est, Apud uosipsos prudentes, & φρόνιμοι magis ad affectum refertur quàm ad prudentiam. Ne sitis insolentes, animiq; elatioris. Alioqui sibi sapit qui elatioris est animi.

Iniquitatem) ἀσεβείας, id est, Impietates. & eripiat, ὁ ῥυόμενος, id est, Qui liberat, quasi dicas, ille liberator. Et auertet, non auertat ἀποστρέψει futuri temporis uerbum. Testimonium adductum est ex Esaiæ cap. lix. apud quem ita legimus iuxta ueritatem Hebraicam, Et timebunt qui ab occidente nomen domini, & qui ab ortu solis gloriã eius, cũ uenerit quasi fluuius uiolentus, quem spiritus domini cogit, & uenerit Sion redemptor, & qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit dominus. hoc fœdus meũ cum eis, dicit dominus. Iuxta Septuaginta ad hunc modum, καὶ φοβηθήσονται οἱ ἀπὸ δυσμῶν τὸ ὄνομα κυρίου, καὶ οἱ ἀπ' ἀνατολῶν τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνδοξον. ἥξει γὰρ ὡς ποταμὸς βιαῖος ἣν ὀργὴ παρὰ κυρίου. ἥξει μετὰ δυμοῦ, καὶ ἥξει ἕνεκα σιὼν ὁ ῥυόμενον, καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ ἰακώβ, καὶ αὕτη αὐτοῖς ἣν παρ' ἐμοῦ διαθήκη εἶπε κύριος, id est, Et timebũt qui ab Occidẽte nomen domini, & qui ab ortu solis nomẽ inclytũ. Veniet eñ quasi fluuius uiolentus ira domini, ueniet cum furore, & ueniet de Sion qui liberet, et auertet impietates à Iacob, & hoc erit eis à me testamentũ, dicit dominus. Ex quibus liquet Paulum hunc locum adduxisse iuxta æditionem septuaginta, nisi quod de suo addidit, Cum abstulero peccata eorum, quod nec apud Hebræos habetur, nec apud Septuaginta, sed addidit uelut explicans prophetæ sensum. Nam διαθήκη testamentum, Hebræis est fœdus, & quod Septuaginta uerterũt ex Sion, Hebræis est, propinquus Sion. Origenes indicat Hebræis esse, propter Sion. Atq; ita sanè scriptum est in æditione Septuaginta. suspicor id Librarij culpa depraua tum, cum scriptũ fuerit, prope Sion. Hieronymus Græce etiã interpretatur ἀγχιστεύς, id est, propinquus, nisi quis probat, propter dictum esse pro prope. Præterea quod apud Hieronymum refertur, Ira domini, illis est ὀργὴ παρὰ κυρίου.

Paulus sequutus Septuaginta.

Et hoc illis à me testamentum.) Est quidem Græce διαθήκη, cæterum indicauit hoc & Augustinus libro de loquutionibus Geneseos primo, frequenter in arcanis literis pro pacto poni testamentum. Quanquam Græcis διαθήκη non dicta est à testando, sed ab ordinando disponendoq;.

Ratio casus à Paulo neglecta.

Secundum electionem autem charissimi.) ἀγαπητοί, id est, dilecti, quam uocem tamen ita sæpe uertit. Porrò duo nominatiui casus, inimici & charissimi, iuxta ordinem grammaticum non habent unde pendeant, nisi subaudias sunt, sed uerisimilius est casus rationem à Paulo fuisse neglectam. Alioqui dicendum erat, charissimorum & inimicorum.

Sine pœnitentia.) ἀμεταμέλητα, id est, Quorum non possit pœnitere eum, qui dedit, aut qui promisit, quasi dicas, impœnitibilia. Ambrosius huc detorquet, ut dicat in baptismo gratis remitti peccatum, nec requiri luctum aut planctum, aut aliud opus bonum, sed tantum ex corde professionem. Quæ quidem interpretatio mihi uidetur coactior, nec attingitur ab Origene. Thomas eam sententiam extremo tandem attigit loco, ueluti non admodum probans.

Propter propter.

Propter incredulitatẽ illorũ.) τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, id est, Per horũ incredulitatẽ, nõ propter.

In uestram misericordiam.) τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, Per uestri misericordiam. Est enim similis

datiuus

datiuus ei qui præcessit, τῇ τοῦπρο ἀπωθείᾳ. Sensus enim est, sicut illorum defectio uobis fecit aditum ad fidē, ita uestra fides quam miserante deo estis cōsecuti, prouocabit illos ut resipiscant, secq; dignos præbeant qui à deo recipiantur.

Conclusit enim deus omnia.) τοὺς πάντας, id est, Omnes, non omnia. Porrò quod sequitur, incredulitate, potest accipi & inobedientia. Est enim ἀπιθεία. Et in incredulitatē est Græcis, ut dicimus, Concludam me in angulum.

O altitudo.) ὦ βάθος, id est, O profunditatē. Miror cur interpti placuerit uox ambigua.

Diuitiarum sapientiæ.) Hæc duo nomina Græci diuidunt interiecta coniunctione πλοῦτος καὶ σοφίας, cōsentientibus quotquot uiderim exemplaribus, etiam apud Chrysostomū. ut intelligas Paulum tria demirari in deo, Diuitias, qui tam beneficus fuit erga gentes: Sapientiam, qui tantam eis sapientiā impartierit: cognitionem, qui prudenter dispiciat quid cui expediat. Ad hunc modum exponit Theophylactus. Mihi magis probatur, ut ad totam huius consilij dispensationem pertineat, qua factum est ut gentes ante dæmonijs seruiētes, nunc subito ad Euangelij gratiam uocentur: & Iudæi, quibus ea peculiariter promissa uidebatur, ab eadem exciderint. *Theophylactus.*

Incōprehensibilia.) ἀνεξερεύνητα, id est, Inscrutabilia. atq; ita subinde citat Hieronymus.

Inuestigabiles.) ἀνεξιχνίαστοι, id est, ininuestigabiles quemadmodū legit diuus Hilarius libro de trinitate 8. iuxta fidem uetutissimorum exemplariorum, id est, non uestigabiles, siue imperuestigabiles. Notauit enim huius uocis emphasim Chrysostomus, Nō dixit δυσνόητα aut ἀκατάλκπτα, sed inscrutabilia & inperuestigabilia. Tanta est profunditas, ut nec scrutari fas sit. Cæterū diuus Hieronymus existimat Paulum retulisse locum qui est apud Esaiam cap. undecimo, Et non est inuestigatio uiæ eius. *Inuestigabiles*

Sensum domini.) νοῦν, id est, Mentem.

Quoniam ex ipso & per ipsum.) In his tribus præpositionibus philosophantur Theologi ueteres. Thomas interpretatur, ex ipso uelut ex prima omnium causa. Per ipsum tanquā operantem & administrantem. In ipso tanquam in fine. licet haud me præterit hæc uarie ab illo differi. Non abhorret autem multum à sententia Origenis, qui sic explicat: Quod dicit, ex ipso, hoc ipsum quod sumus indicat. Per ipsum autem, quod per eius prouidentiam dispensamur in uita. In ipso uero, quod perfectio omnium & finis in ipso erit, tunc cum erit deus omnia in omnibus. Cæterum quod Thomas indicat præpositionem de, idem pollere ferè quod ex, nisi quod addit consortium substantiæ, Augustinum, ut coniectare licet, secutus, qui libro quē de natura boni scripsit aduersus Manichæos, fermè in eam sententiam differit, cap. xxvi. an apud Latinos uerū sit, alij uiderint. certe apud Græcos eadem est præpositio. Et cum dicimus, de illo loquitur, nulla est communis essentiæ significatio. *Ex ipso, per ipsum, in ipso*

Honor & gloria.) Græcis gloria tantum scribitur, ἡ δόξα. honor non additur.

In secula seculorum.) Seculorum additum est à nobis. nam Græcis tantum est, εἰς τοὺς αἰῶνας, nec additur apud Origenem, nec apud Theophylactum, nec apud Chrysostomū.

EX CAPITE DVODECIMO.



Obsecro uos.) παρακαλῶ. Idem hortor poterat accipi, siue adhortor. nam Græca uox anceps est, nisi quod id quod mox sequitur, Per misericordiā, magis uidetur obtestantis & obsecrantis quàm adhortantis.

Per misericordiam.) διὰ τῶν οἰκτιρμῶν, id est, per miserationes. Cōsentientibus in lectione Chrysostomo ac Theophylacto. Annotauit numeri rationem & Origenes, putans in eo esse emphasim immensæ dei misericordiæ. *Miserationes.*

Rationabile obsequiū.) τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν, id est, Rationalē cultū, ut appositiue cohæreat cū superioribus, idq; indicat Græcus articulus τὴν, perinde quasi dicat, Si mactaueritis & immolaueritis deo corpora uestra, hoc est, corporeos affectus, nō iugulātes brutas ac mortuas pecudes, quod antehac factitatū est à Iudæis, ita demū exhibebitis illi uictimam acceptam. Et rationalem uocat, non ut intelligas cultum moderatum, hoc est, moderatā corporis macerationem, quemadmodum hodie passim citare solet concionatorum uulgus, ut ipsis quidem uidetur erudite, cæterum ijs qui Græce norunt admodum ridicule, sed uictimam uiuam ac rationis compotem. Quanquam his quoq; ueniā dandam arbitror, quandoquidem ad eundem modum interpretati sunt, ut cæteros sileam, Thomas Aquinas, qui *Locus hactenus uulgo parum apte recitatus.* *Rationabile obsequium.*

non temere labi ſolet,ac Lyranus. Verũ quid faciant,ubi ſententiæ uis à Græco pendet idio mate,& interpres eius linguæ prorſus ignarus eſt? Deniq; ſic interpretatur,is cuius in hãc epiſtolam extant ſcholia titulo Hieronymi. Obſequiũ hic poſuit pro ſacrificio,idq; ſuo mo re. Cæterum ut oſtẽderet Chriſtianorum cultum diſſimilem eſſe Iudaicis ceremoniis,qui bus immolabant brutas pecudes,adiecit rationale,nimirum ipſum hominem ſentiens, qui uictima eſt rationalis,& ob id deo acceptior. Et in hunc ſenſum palàm citat diuus Hierony mus,cum aliis aliquot locis,tum uero in epiſtola ad Pammachium, cuius initium, Sanato uulneri. Neq; ſecus interpretatur Origenes,ſic inquiẽs,Qui cultus quoniam dudum in pe cudum mutorum corporibus conſiſtebat,nunc in corpore rationalis hominis offeratur,& corpora magis ueſtra quàm pecudes fiant ſacrificium deo &c.

Sed reformamini.) μεταμορφοῦσθε, id eſt, Tranſformamini, ſiue tranſformemini. Poteſt enim utrouis accipi modo,uel ut ſit indicandi modo,uel ut ſit imperandi modo dictum.

In nouitate ſenſus.) τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς, id eſt, Renouatione mentis,hoc eſt,per inno uationem mentis,nimirũ alludens ad reprobam illam mentẽ in quam traditi fuerant ante, ſimulacris pro deo deferentes honorem.

Quæ ſit uoluntas dei bona,& beneplacens,& perfecta.) Mirum quod exemplar ſecutus Auguſtinus legit ad hunc modum libro de ciuitate dei decimo, atq; item in epiſtola octo geſimaſexta,Ad probandũ quæ ſit uoluntas dei, quod bonũ & beneplacitum & perfectũ, quaſi hæc tria epitheta non pertineant ad uoluntatem dei, ſed ad cõplexum illum uerborũ præcedentium,Exhibeamus corpora noſtra &c.& non cõformemur huic ſeculo,ſed refor memur &c. ut pareamus non noſtris cupiditatibus, id quod faciunt ethnici, ſed uoluntati diuinæ.Id ſi fecerimus,inquam,ſacrificium fuerit bonum,placitũ & legitimum deo. Atq; ut in hunc ſenſum accipi poſſit,facit articulus additus, τὸ ἀγαθὸν,καὶ εὐάρεστον,καὶ τέλειον. Nam τέλεια proprie dicuntur in quibus nihil poſſis deſiderare eorum quæ ad ſacri rationẽ ac ri tum religionis pertinent.& paulo ante à ſacrorum metaphora cœperat.Interpres Origenis indicat hic Latinos nonnihil diſcrepare à Græcis, ſed quid ſibi uelit,nõ ſatis intelligo, cum Græcus ſermo ad utrunq; ſenſum ſit anceps. Certe Ambroſius conſentit cum Auguſtino.

Articuli uis.

Dico enim uobis.) λέγω. Dico dixit,pro iubeo ſiue moneo, quemadmodum & Latini, lubet ſaluere,& dicit ſalutem,conſimilem in modum Græci, ὁιμώζειμι λέγω. atq; ob id addi tur,Per gratiam quæ data eſt mihi,ne uel arroganter uideretur eis præcipere,uel citra auto ritatem admonere.præcipit ut Apoſtolus,ut intelligens quid ſit deo placitũ, ſed hoc ipſum beneficentiæ diuinæ fert acceptũ.Niſi malis dicta ſic interpretari, ut Paulus explicet & ex planet quæ ſuperius dixerat de immolando corpore, de fugiendis huius ſeculi cupiditati bus nam additis exemplis rem facit euidentiorẽ.Arrogãtia in primis eſt mactanda deo.

Dico, pro iubeo.

Omnibus qui ſunt inter uos.) παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν. Origenis interpres annotandum pu tauit quod apud Græcos nõ habeatur,Omnibus qui ſunt inter uos,ſed omni qui inter uos eſt. Id cum ad ſententiam nihil intereſſe conſtet,miror cur admonendum duxerit.Nos ma luimus uertere,cuilibet ſiue cuicunq;. Videbatur enim aliquis faſtus tribuendus iis qui for tuna aut dotibus præcellerent,Eum perſonarum delectũ prorſus tollens Paulus denunciat quiſquis ſit ille,modo uerſetur apud Chriſtianos,ne ſe cuiquam anteponat,ſed ſuam quiſq; dotem à deo acceptam,conferat ad commoditatem proximi.

Interpres auſus eſt mutare numerum.

Sapere ad ſobrietatem.) εἰς τὸ σωφρονεῖν,. Diuus Hieronymus contra Iouinianum dimi cans,ſtudio tuendæ uirginitatis legendum putat, Ad pudicitiam. ſed σωφρονεῖμ eſt tempe ratum,modeſtum,ac ſobrium eſſe.nonnunq; & ad pudicitiam pertinet,at nõ hoc quidem loco.Idem interpres Origenis in epiſtolam ad Romanos,mauult temperantiam quàm ſo brietatem,quod ea uirtus quã Græci σωφροσύνην appellant,Latinis doctis uocetur tempe rantia,quæ ſit moderatio cupiditatum & actionum. Atq; ita uidelicet adducit hunc locum Auguſtinus epiſtola xlvij. Hilarius libro de trinitate 10. Græcam uocem ὑπερφρονεῖν, reddi dit ſuperſapere. Quanquã uerum eſt quod alibi ſcribit Paulus, Scientia inflat, ni comes ſit charitas,ſed hic non proprie de ſcientia fit ſermo. Eſt autẽ iucunda uocum alluſio in ſermo ne Græco,quam Latinus interpres reddere non potuit,ὑπερφρονεῖν,φρονεῖν,εἰς τὸ σωφρονεῖμ.Nec hoc loco φρονεῖμ, id eſt,ſapere,pertinet ad eruditionem,ſed ad cogitationẽ & opinionem, ueluti cum quis effertur animo,& magnifice de ſe ſentit, quemadmodũ & ſuperius admo nuimus.

Σωφρονεῖν.

Adnominatio

nuimus. Id ita esse satis declarat Origenes, statim indicans hunc sermonē pertinere ad eos qui ex oleastro insiti oleæ ferocirent & superbirent aduersus ramos ex olea defractos: & qđ hic dixit, perinde ualere atq; id quod alibi, Noli superbe sapere. Porrò quod adducit ex philosophorum fontibus, de uirtutis habitu, è duobus extremis redacto, subindicat se magis iuxta alienam quàm suam sententiam interpretatum.

Et unicuiq; sicut deus diuisit.) Sic quidem habent & Græca. Verum unicuiq; non habet quò referatur. Vnde necesse est fateri & hic Paulum spectasse sensum magis, quàm sermonis integritatem, nisi malumus sic ordinare, Quisque sapiat ut cuiq; deus distribuit mensuram fidei. Origenes subindicat aliquid subaudiēdum, cum ait, Vt custodiat unicuiq; sicut diuisit deus mensuram fidei. *Paulus negligens sermonis integritatem. Deest aliquid*

Singuli autem alter alterius membra.) ὁ δὲ καθεὶς ἀλλήλωμ μέλκ, id est, Singuli autem alius alius membra. Siue ut nos uertimus, Singuli autem alij aliorum membra. significat cōmunionem membrorum inter ipsa mutuam.

Habentes donationes.) Interpres, siue quod magis arbitror, scriba, prætermisit coniunctionem, quæ partem hanc cum superiore commodissime connectebat, ἔχοντες δὲ χαρίσματα. Cum enim dixisset, singuli sumus alius alius membra, ne confusionem imaginaremur, adiecit: sumus quidem membra eiusdem corporis, sed habentes donationes. alioqui inabsolutus fuerat sermo. Quare offensus aliquis, & putans hanc partem nō pendere à superioribus, cōiunctionem expunxit. Certe autē additur apud Ambrosium & in exemplari Paulino, licet apertius & aptius erat, Sed, quàm, autē, quemadmodū & paulo ante, sicut enim in uno corpore multa mēbra habemus, omnia autem membra e.a.h. Sed nō oīa mēbra. *Omissa coniunctio nō recte.*

Donationes.) χαρίσματα. Vt affectat copiam cum nihil sit opus, præsertim cum donationes hoc loco uox sit parum Latina.

Differentes,) διάφορα, id est, Diuersas, seu potius dona diuersa.

Secundum rationem fidei.) κατὰ τὴν ἀναλογίαμ, id est, Iuxta proportionem: ut intelligas hoc esse maiora dona, quo fides tua fuerit integrior. Interpres Origenis indicat ἀναλογίαμ non satis commode uersam esse rationem, cum potius sit mensura competens, quàm ratio. Certe quod hic dixit Paulus ἀναλογίαμ paulo ante dixit μέτρομ, hic dilucidius erat, pro portione siue iuxta portionem fidei: est enim analogia congruentia rei ad aliquid relatæ, uelut quū dicimus, Cicada magnas habet alas, pro portione corporis, Nam paruæ sunt alæ, si ad alas conferantur Papilionum. *Ἀναλογία proportio siue modus.*

In ministrando & in exhortando.) Nomina sunt, ἐν τῇ διακονίᾳ, ἐν τῇ παρακλήσει, id est, In ministratione & exhortatione. Quanquam ea res nihil uariat sensum Apostoli. Origenes putat singulas partes referri posse ad id quod præcessit, Siue habentes prophetiam iuxta mensuram fidei, ne quis plus sapiat quàm oportet, sed in ea sobrius, & item de cæteris.

Odientes malum.) ἀποστυγοῦντες, id est, Odio habentes. Quanquā hic eleganter erat Abhorrentes à malo. ut respondeat ei quod sequitur, adhærentes. Cæterum bono & malo, hic ad personam referri non potest, cum sit τὸ ἀγαθόμ, ad rem referatur oportet. Bonum dixit honestatem, malum turpitudinem.

Charitatem fraternitatis inuicem diligentes.) Alius sensus est apud Græcos, τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, id est, Fraterna charitate ad mutuo uos amandum propensi. Plutarchus libellum scripsit περὶ τῆς φιλαδελφίας, id est, de charitate fratrum inter se: quo uerbo Apostoli frequenter utuntur pro studio & amore Christianorum inter ipsos mutuo, unde & uox Græca composita est. Ambrosius legit, Fraternitatis amore inuicem benigni. Nam φιλόστοργος Græcis dicitur qui est propenso affectu erga cognatos aut affines. ediuerso qui non tanguntur pietatis affectu, ἄστοργοι uocantur. Vult enim Paulus hoc uno nomine, Christianum esse charum Christiano quod Christianus est. Mihi planè subolet librariorum uitio charitate uersum in charitatem. Charitate fraternitatis, id est, fraterne diligentes inuicē, & ablatiuus charitate, respondet ei quod sequitur, honore inuicem præuenientes. Ex altero enim alterum nascitur, ex amore beneficentia. *Φιλαδελφία*

Honore inuicem præuenientes) Sensus omnino Græcis anceps est, τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι. Nam προηγεῖται τῇ τιμῇ, qui præcellit honore. Et tamen Græci προηγεῖσθαι hic interpretantur προλαμβάνειν, id est, præuenire siue occupare. Si scriptura mendo uacat, noue addi

dit participio casū accusandi, cui magis cōgruebat patern⁹. Cæterū honorē uocat subsidiū.

Sollicitudine non pigri.) σπουδῇ μὴ ὀκνηροί. σπουδὴν, uocat sedulitatem & studium exhibendi officij, & ὀκνηρὸς dicitur, qui grauatim aliquid facit. unde iubet ut nō solū amemus, & honorem deferamus alius alij, uerum etiam alacres ac prompti succurramus inuicem.

Græcorum diuersa lectio.

Domino seruientes.) Origenes aut certe huius interpres, indicat in nōnullis exemplaribus scriptum fuisse, tempori seruientes, & accipi posse, diligenter utendum temporis occasione, quandoquidem breue est. Mihi uidetur recte intelligi, boni cōsulendum, si quid pro tempore inciderit incommodi: nam id opinor, est seruire tempori. cum hoc cohæret quod sequitur, spe gaudentes. Si quis exigit tributum, pende, si quis uectigal, solue, si quis exigit honorem redde; si quis affligit, patere, nec ea res tristem reddat, sed spes erigat in malis animum. Item quod præcedit, spiritu feruentes, feruor enim spiritus cōtemnit obstacula, & rapit omnem occasionem benefaciendi proximo. Testatur & Ambrosius sibi narratū fuisse in Græcorum codicibus haberi τῷ καιρῷ δουλεύοντες, tempori seruientes. Atq; obiter admiror cum Græce sciret, cur nō ipse potius consuluerit Græcorum exemplaria. Quin & glossa quam uocāt ordinariā admonet duplicis lectionis ex Bedæ, opinor, autoritate. Diuus Hieronymus in epistola quadam ad Marcellam, præfert hāc lectionem qua uulgo utimur, nec tamen ullam reddit causam quur præferat. Sit cuiq; liberū quod uolet sequi. Mihi magis arridet, tempori seruientes. Sed ea sententia, quoniam ethnici philosophi nomine uulgo circumferebatur, & uafriciem quandam præcipere uidebatur, offensus aliquis mutauit in Domino seruientes, nō satis animaduertens, domino seruientes, cum toto sermonis huius contextu non perinde cōgruere. Quanquā autē in uocibus Latinis tempori & domino, nulla est affinitas, tamen in Græcis est nonnulla, καιρῷ & κυρίῳ, maxime quū scribæ soleant in pingēdo, decurtare syllabas. Chrysostomus & Theophylactus legūt & interpretant domino seruiētes, atq; ita cōnectunt, amantes, honorantes, & adamantes inuicē, domino cultū gratissimū exhibebitis. Chrysostomus notat emphasim seu potius epitasim, in singulis uerbis, quibus hic usus est Paulus. Non enim dixit tantū μεταδίδοτε, id est, impartiamini, sed μετὰ ἁπλότητος, hoc est, largiter & alacriter: neq; dixit προῖσασθε, id est, prouidete, sed addit μετὰ σπουδῆς, id est, studiose: nec dixit, ἐλεᾶτε, id est, misereamini, sed ἀγαπᾶτε, id est, diligite, idq; sine simulatione: neq; dixit ἀπέχεσθε τῶν κακῶν, id est, abstinete à malis, sed μισεῖτε, id est, odio habete: neq; dictū est, ἔχεσθε τῶν ἀγαθῶν, id est, adhærete bonis, sed κολλᾶσθε, id est, adglutinemini: neq; tantum ait φιλεῖτε, sed addidit, φιλοσόργως, id est, amico affectu: neq; dixit simpliciter σπουδάζετε, id est curate, sed addidit, μὴ ὀκνηρῶς, id est, non pigre: neq; dixit, πνεῦμα ἔχοντες, id est, spiritum habentes, sed πνεύματι ζέοντες, id est, spiritu feruentes.

Necessitatibus pro memorijs.

Orationi instantes.) τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες, Quod assiduam sonat instantiam.

Necessitatibus sanctorū cōmunicantes.) Ambrosius legit Memorijs sanctorum cōmunicantes: & Origenis interpres fatetur sic haberi in Latinis exemplaribus. Neq; admodum dissimile ueri est ex μνείαις factum esse χρείαις à scriba quopiā eruditulo, præsertim cū in memorijs uideretur subabsurdus sensus. Videtur autē hoc agere Paulus, ut nō solū præsentes præsentibus impartirent charitate mutua, sed absentium quoque memores essent, iuxta id quod Paulus à Petro monitus facit in epist. ad Galatas, ut pauperū memor colligeret donaticiā pecuniā. Chrysostomus ac Theophylactus legūt pariter atq; exponūt χρείαις, id est necessitatibus. Necessitates enim dixit nō delicias, & cōmunicantes dixit, nō subueniētes, quod cōmercium sit inter dantē & accipientē, & plus lucri facit qui dat beneficiū, q̄ qui accipit. Nec tamē est ἀνάγκαις, sed χρείαις, qd' magis sonat usum, siue opus habere. Hoc ideo submonui, qd' quidā non nisi in extrema necessitate putant nos debere subuenire proximo.

Benedicere pro precari.

Benedicite persequentibus uos.) Græce quidem est εὐλογεῖτε, benedicite, hoc est, bene loquamini, quod Origenis interpres exponit, bene precemini, opinor, quod sequatur, μὴ καταρᾶσθε, id est, ne deuoueatis. Solent enim uulgo qui non possunt ulcisci iniuriam, deuouere diris eos, à quibus læsi sunt. εὐλογία aliquoties est laudare, quo pacto hic sanè non potest accipi. Neq; enim iubet ut laudetur insectator, sed ut ei bene precemur, aut uerbis benignis admoneatur erroris.

Nolite maledicere.) μὴ καταρᾶσθε, id est, Ne male precemini, ne quem deuoueatis. Si Paulus sic inculcat, ne cui male precemur, ubi sunt, qui sanctū putant iugulare hostē, aut ne hostem

ſtem quidem? Gaudere.) χαίρειν. Græcis eſt mos infinitiuum pro imperatiuo ponere, gaudere pro gaudete,& flere pro flete,opinor quod ſubaudiant oportet. Reperitur ſimilis tropus apud Latinos hiſtoricos potiſſimum,uenari,pro uenabatur,in quo ſubauditur ſolet aut cœpit. Verum hũc tropũ nemo Latinus eſt imitatus. Chryſoſtomus annotauit ordinem uerborum,exiſtimans plus eſſe gaudere cum gaudẽtibus quàm flere cum flẽtibus. eo quod calamitas uel inuitis excutit miſerationem, felicitas autem mouet inuidiam. Hic perinde loquitur Chryſoſtomus,quaſi quod præcipuum eſt,ſoleat priori loco poni.

Idipſum inuicẽ.) τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες,id eſt,Idem alij in alios, ſiue de alijs ſentientes. Refertur & hoc ad affectũ animi modeſti,quo nemo putat alium ſe minorẽ,ſed omnibus ſeſe accõmodat, de omnibus ex æquo bene ſentiens. Vult enim Paulus in Chriſtianis affectum eſſe cõmunem,ut omneś non opibus, non genere,non eruditione, non honoribus,ſed Chriſto metiantur qui eſt omnibus ex æquo communis. Nunc generoſus faſtidit obſcurum, diues pauperem uix hominis habet loco,eruditus cõtemnit idiotam, ſacerdos execratur laicum,monachus laicos uix pro Chriſtianis ducit, Italus cæteros omnes ut barbaros,ac penè pecudes aſpernatur & horret, Germanus odit Gallum, Anglus Scotũ, atq; ex his & id genus alijs ſtultiſſimis affectibus,bella,lites,atq; hi rerũ tumultus,quos iam annis aliquot uidemus exoriuntur. At Paulus ſic uoluit unũquenq; Chriſtianum affectũ eſſe erga cæteros,quomodo ſingula membra corporis affecta ſunt erga cætera membra,quemadmodum alibi dilucidius explicat,idq; uocat τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Atq; in hanc ſententiam ediſſerit Chryſoſtomus ac Theophylactus,ſi quem magis autoritas,quàm ratio commouet. *Ex latinis quis percipiat ſenſum.*

Alta ſapientes.) Idem participium eſt quod modo φρονοῦντες, id eſt, Sentientes,ſeu cogitantes,ut ad affectũ animi referatur.Et cõnectenda eſt hæc particula cũ ſermone ſuperiori, quã interpres male ſeparauit. adiecit enim hoc Paulus,uelut explicans quid dixiſſet, Idem inuicem ſentientes.Nam ubi quiſq; magnifice de ſe ſentit ac ſuis,alios deſpiciat oportet.

Sed humilibus conſentientes.) τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. Humiles hic uocat, non modeſtos,ſed humilis ſortis homines,ueluti pauperes,ignobiles,indoctos,plebeios.Et nõ eſt, conſentientes,ſed potius obſecundantes,& accommodantes uos,ut ſuæ quiſq; oblitus magnitudinis,deſcendat ad affectus inferiorum.Id quod mira diligentia,multis locis inculcat Paulus,haud ignarus ex hoc fonte maximas uitæ peſtes ſcatere. *Humilibus cõſentientes.*

Nolite fieri prudentes.) φρόνιμοι, φρόνιμον uocat, non qui ſapiat,ſed qui parum modeſte de ſeipſo ſentiat,ut mox admonuimus.& ad eum modũ interpretantur Græcorum cõmentaria.Alioqui quid affinitatis eſt prudentiæ cum uindicta? At arrogantia uindex eſt,dum quiſq; ſe meliorem putat,quàm ut alteri cedere debeat. *Prudẽtes prolati.*

Prouidentes bona.) Hæc uerba,Non ſolum coram deo,ſed etiam, non ſunt apud Græcos,ſed tantum καλὰ πρόνοιμον πάντων ἀνθρώπων,id eſt,Coram omnibus hominibus. Proinde nec adduntur apud Origenem,nec apud Chryſoſtomum aut Theophylactum: apparet addita ab explicante Pauli ſententiam. Non enim hic opponit Paulus homines deo, ſed perfectos & imperfectos,bonos & malos componit, quibus tamen omnibus uult nos probari ſi liceat. Atq; hoc quod ſequitur εἰ δυνατὸν, mea ſententia rectius ad ſuperiora referretur,cũ ſequens particula habeat ſuum ἐξ ὑμῶν, quod idem pollet,tametſi diuerſam diſtinctionẽ ſequuntur alij. Qui addidit,non ſolum coram deo,uoluit explere ſententiam, ne Paulus uideretur eſſe contentus hominum laude. *Additum aliquid.*

Defendentes.) ἐκδικοῦντες,id eſt, Vindicantes. Eſt enim participium eiuſdem uerbi,cuius eſt nomen ἐκδίκησις, quam uertit,uindictam. *Defendetes p ulciſcentes.*

Chariſſimi.) ἀγαπητοὶ, id eſt, Dilecti. Hoc adiecit,uelut eblandiri cupiens, quod alioqui durum erat.

Mihi uindictam.) ἐμοὶ ἐκδίκησις, id eſt,Mihi uindicta, ſiue ultio,nominandi caſu.Atque ita citat Hieronymus aduerſus Ruffinum in epiſtola,cuius initium,Lectis literis prudentiæ tuæ.Proinde dilucidius explicatur Deuteronomij xxxij.unde locus hic deſumptus eſt, Mea eſt ultio,hoc eſt,meum eſt ulciſci,qui ſum iudex.Nec additũ eſt in Græcis codicibus, Et ego retribuam,ſed,ego retribuam citra cõiunctionem, quemadmodum extabat ſcriptũ in uetuſtiſſimo codice Conſtantienſi. *Mea uindicta*

Ciba illum ψώμιζε. Quod quidem haud caret emphaſi,Nec enim ψωμίζειν eſt ſimpliciter ψωμίζειν.

paſcere,ſed indulgẽter paſcere,ueluti minutim inſipato pane,aut fruſtulatim conciſo cibo, id quod apud nõnullos fit erga eos,quibus faueẽ in cõuiuijs,cũ alijs interim liceat eſurire.

Si ſitit potum da illi. Hoc in nonnullis Græcorum exemplaribus non erat additum. Ex Origene non ſatis liquet quid legerit. apud Ambroſium additur, atq; item in uetuſtis exemplaribus:præterea apud Theophylactum & Chryſoſtomum. Quanquam cibi nomine continetur & potus.

Carbones ignis. Cõgeres ſuper caput.) σωρεύσεις,id eſt,Accumulabis,ſiue coaceruabis.Et carbones ignis, Hebraica figura dixit,pro carbonibus ardentibus,quod ita interpretatur Theophylactus: Vis magnifice ulciſci inimicum tuum? accumula in illum beneficia. Sic enim futurum eſt, ut atrocius à me puniatur.Mihi uidetur accommodatius doctrinæ Chriſtianæ, ſi intelligamus benefactis obruendum inimicum,quo tandem reſipiſcat, & meritis lenitateq; noſtra uictus,ex hoſte fiat amicus.

Vinci à malo quid. Noli uinci à malo.)Bonum & malum hic non refertur ad hominẽ improbũ,aut probũ, ſed ſignificat ipſum beneficium aut iniuriã. Vincitur igitur à malo qui prouocatus iniuria non temperat animo,ſed adducit ad retaliandã iniuriã. Vincit malũ bono, qui malefacta benefactis repenſans,efficit ut inimicus reſipiſcens fiat amicus.Hoc præceptũ quoniam durum erat humanis affectibus,adiecit autoritatem domini, dicit dominus.Atq; idem Chriſtus præcepit in Euangelio,& tamen haud ſcio quo pacto fit,ut hanc doctrinam nõ negligant ſolum,uerũ etiam palàm irrideant,qui ſibi uidentur admodũ eſſe Chriſtiani, & quorum piæ uidelicet aures, ne ſuperſtitioſum quidẽ Chriſtophori, Barbaræ, aut Eraſmi cultũ uerbo notari ferunt, ad hæc Chriſti ſanctiſſima præcepta,non uerent cachinnos tollere,& quod ante Chriſtũ ethnicos docuit Socrates,hoc ab ipſo traditũ Chriſto,ab apoſtolis toties inculcatum irrident Chriſtiani,cum hoc inſigni præcipue Chriſtus ſuos à mundo diſcreuerit. Verũ hæc cõploratio non huius eſt loci. Et ex hoc capite diuus Auguſtinus profert exemplum moderatæ ſimul ac modulatæ dictionis. Certe uix alius eſt apud Paulũ locus cõpoſitior, atq; ut ita dicam,picturatior. Vt autẽ inſigniora tantũ indicemus,quãtum dignitatis habet illa diſtributio,ſic enim uocant rhetores,qua unũquodq; reddit ei cui conuenit,Habentes donationes ſecundũ gratiam quæ data eſt nobis differentes. Siue prophetiam ſecundũ rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, Qui exhortatur in exhortãdo,qui tribuit in ſimplicitate,qui præeſt in ſollicitudine,qui miſeretur in hilaritate,cæteraq; quæ ſimili modulatione ac iucũditate decurrũt uſq; ad bimembrem periodum,Nõ alta ſapientes,ſed humilibus conſentientes. Interim nõ parum eſt gratiæ in ijſdem uocibus per traductionem,aut ſimilibus per adnominationem repetitis,item ex contrarijs inter ſe redditis. Quod genus ſunt illa, gaudere cum gaudentibus.Item malũ pro malo. ἐναντίωσις in illis eſt, flere cum flentibus, gaudere cum gaudẽtibus. Item in illis, Benedicite & nolite maledicere.Item,noli uinci à malo,ſed uince in bono malũ. Item in alta ſapientes,& humilibus cõſentientes. Cæterum comparibus membris & inciſis,ſimiliter cadentibus ac deſinentibus ſic totus ſermo modulatus eſt,ut nulla cantio poſſit eſſe iucundior. Verum his perſequendis nõ eſt animus immorari,ne ſimul & lectorem defatigem,& ipſe uidear ab argumento ſuſcepto digredi.

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

Expenſa Origenis ſentẽtia Omnis anima dixit pro omni homine. Nam quod Origenes hic philoſophatur animam dici hominem,iuxta partem ſpiritu inferiorem,ſicut caro dicitur,iuxta partem deteriorem,& ob id animã intelligi hominem,qui non ſit omnino purus à rebus mundi,atque ideo merito debere parere ijs, qui mundi res adminiſtrãt,mihi uidetur argutius quàm uerius. Haud ſcio an librariorum errore factum ſit,quod in Ambroſio ſecus quàm nos habemus legitur,Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote.

Sublimioribus.) ὑπερεχόσαις,id eſt,Præcellentibus.poſitiuum eſt non comparatiuum.

Diſtinctiuaria. Quæ autem ſunt à deo.) Secus diſtinguũt Græci, αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ θεοῦ τεταγμέναί εἰσιν, id eſt, Quæ uero ſunt poteſtates,à deo ſunt ordinatæ,ut comma ponas poſt poteſtates:repetit enim quod ſupra dixerat,non eſt poteſtas niſi à deo. Atq; ita legit & interpretatur Ambroſius,Quæ autem ſunt,à deo ordinatæ ſunt. Rurſus in Lucæ caput 3. Quæ autẽ

ſunt,

sunt, à deo inquit, ordinatæ sunt, nō datæ sed ordinatæ: atq; ita distinguūt uetustissima exemplaria, nominatim quod exhibuit collegiū ecclesiæ Constantiensis. Rursus in meo codice uetustæ typographiæ. Et in Constantiensi habebat̄ ordinatæ, non ordinata, ut appareat hoc à librarijs uitiatū. Neq; secus distinguit Augustinus hoc adducens testimoniū epistola ad Macedoniū liiij. nisi quod potestates non repetit, ita legens, Nō est enim potestas, nisi à deo, quæ autē sunt, à deo ordinata sunt, ut à uerbo sunt, succedat hypostigme. Theophylactus nō repetit potestates, quæ autem sunt à deo, ordinatæ sunt, sed ita ut subaudiri uelit. Apud Chrysostomum repetitur. Quanquam totam hanc clausulam apud Origenem non reperio, ne in interpretatione quidē ulla huius rei fit mētio. Videri poterat adiecta ab interprete quopiam, qui uolens confirmare, quod omnis potestas sit à deo, asseueratione gradum sententiam eandē repetiuerit. itaq; qui resistunt, dei ordinationi resistunt, faciens ad ea quæ mox sequētur: etiāsi Chrysostomus ac Theophylactus more nostro distinguit. Quoniam Paulus intelligebat nōnullos Christianos prætextu religionis detrectare principum iussa, atq; ita futurum, ut ordine perturbato, sursum ac deorsum omnia miscerentur, præcipit, ut quibuslibet potestate publica præditis obtēperēt, excepta fidei & pietatis causa. Ipsi quidem ethnici sunt, ac mali, sed ordo tamen bonus, & ob hunc mali quoq; principes nonnunquam ferendi sunt pijs hominibus. Notauit Chrysostomus ὑποτασσέσθω, Non enim dixit πειθέσθω quod est simpliciter parere, sed subditi estote. Et significantius est animæ quàm hominis uocabulum, ne quis omnino putaret se exemptum ab obedientia principum, siue apostolus esset, siue propheta. Annotauit & illud quod non dixit, Omnes principes ordinatos à deo, sed potestatem. Quemadmodum matrimoniū est à deo, sed non omnes coniuges iungit deus. Damnationem acquirunt.) λήψονται, id est, Accipient, ut futuri sit temporis. Cæterum κρίμα, id est, Iudicium, haud male uertit, in damnationem.

Non sunt timori boni operis.) οὐκ εἰσὶ φόβος τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ, id est, Nō sunt terror siue timor bonorum operum, hoc est, non sunt formidandi bene agentibus. Non enim deterrent benefacta, sed maleficia.

Dei enim minister est.) διάκονος, id est, Ministrator. Nam de potestate loquitur. Quanquam ut magistratus nonnunquam homo dicitur magistratu fungens, ita & potestas homo potestate præditus. Et Græci addūt pronomen σοι, Dei minister est, sed in tuum bonū, quo minus est causæ quur metuas aut oderis.

Ideoq; necessitati subditi estote.) Græcis alius est sensus, διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, Quare necesse est subijci. Interpres legisse uidet, ὑποτάσσεσθε, per epsylon, non per αι dipthongum. Quanquā si ὑποτάσσεσθε sit ὁριστικὸν, idem erit sensus qui per infinitum, cum infinitū uerbū indicatiui uice usurpetur. Etiamsi necessitatis uerbum apud Ambrosium omnino nō legitur. Origenes suo more detorquet eam necessitatē ad eos dūtaxat, qui nondū pure spirituales sunt. Quanq; mea sententia cæteris quoq; ferendi sunt principes, ne magna grauiq; rei publicæ ruina, prouocētur, & hanc, ni fallor, appellat necessitatem. Cæterū iram Hebræorū more uocat, ultionē ac supplicium, quo castigātur admissa. Cōscientia potest accipi bifariā, uel illius qui non obtemperat ei, cui deus uult obtemperari, uel illius qui tuo exemplo putat sibi contemnendū esse magistratum, quē uidet abs te negligi, & recte negligentē, nō recte imitatur. Augustinus interpretatur necessitatem, autoritate principum in tollendis rebus suorum. Nō dissimulabitur & illud, apud Theophylactum & Chrysostomum, hæc uerba διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, sic esse interiecta, ut cōtextum superiorē cum posteriore cōnectant, Dei minister est, Oportet igitur obedire, quemadmodum initio dicere cœperam. Quoniā autem ob longius hyperbaton, hæc uerba, Nō solum propter iram. &c. durius cohærebant cum eo quod præcesserat, Omnis anima subdita sit, aliquis repetijt quod præcesserat, quo mollior esset orationis ordo. Id esse uerum perspiciet, qui inspexerit codicem peruetustum ac diligentissime scriptū, quē nobis exhibuit collegiū Dominicaliū Basileæ, & codicē Chrysostomi, qui mihi hæc scribenti subseruiebat. Nō reprehēdo tamen sed laudo qd̄ factū est.

Obedire malo principi ferre est.

In hoc ipsum seruiētes.) προσκαρτεροῦντες. Quod paulo superius trāstulit instantes, nūc uertit seruiētes: nos uertimus, incūbentes, hoc est, operā dantes & adnitentes. Pro me facit Augustinus hūc adducēs locū lib. de doctrina Christ. 4. cap. 20. legēs, In hoc ipso pseuerātes.

Nemini ququā debeatis,) ὀφείλετε. Incertum an sit debetis indicandi modo, an debete.

Sensus autem Græci sermonis anceps est, potest enim sic accipi, Soluite unicuiq; quod debetis, quo soluto, desijstis debere. At sola charitas non desinat deberi, sed semper persolua-

Charitas semper debetur.

tur, & nihilominus semper debeatur, ut non sit finis benemerendi. Ad eum modum enarrat Origenes Chrysostomus ac Theophylactus. Potest & ita intelligi, ut superiora referantur ad magistratus ethnicos, uti tum erant omes: quod sequitur, nemini quicquam &c. ad Christianos, Soluite illis quod debetis. Cæterũ Christianus Christiano nihil debet, nisi mu-

Pax, dilectio.

tuam charitatem. Atq; hunc sensum amplexus est Ambrosius, sic edisserens, Pacẽ uult nos

Distributio schema.

habere si fieri potest cum omnibus, dilectionem uero cum fratribus. Annotauit distributio nis gratiam Augustinus, quo dictum est loco, qua singula singulis apte redduntur, modulato sermonis cursu, cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorẽ: cui honorem, honorem. Atq; hæc membratim, inquit, fula, clauduntur etiam ipso circuitu, quẽ

Periodus.

duo membra connectunt, Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Quanquã est in hoc multum iucunditatis: ex cõparibus, asyndetis, & eiusdem uocis traductionibus, deniq; & in repetitionibus uocis initio iteratæ, cui, cui, cui. Qui enim diligit proximum.) ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, id est, Qui enim diligit alterum. Interpres legisse uidetur, τὸν πλησίον. Etiamsi id ad sensum minimũ habet momenti. Nam non adulterabis.) Vt modo, ita nec hic reddidit uim articuli Græci, εἰμὴ τὸ ἀγαπᾶν, quod nos expressimus, Nisi hoc, ut inuicem diligatis. Et, τὸ γὰρ οὐ μοιχεύσεις, Nam illa, non adulterabis. &c.

Instauratur pro recapitulatur.

In hoc uerbo instauratur.) ἀνακεφαλαιοῦται, id est, Recapitulat, hoc est, Summatim in hoc uerbo cõtinetur. Augustinus in epistola quadam uertit, recapitulatur. Sumptum est ab epilogis rhetorum, in quibus tota causa summatim repetitur, quam ἀνακεφαλαίωσιν uocant illi. Nam instauratur, quod instar priorum restituitur. ita dicimus collapsum ædificiũ instaurari. Nos consummationem uertimus.

Lectio duplex.

Dilectio proximi.) Τοῦ πλησίον, id est, Proximo, dandi casu, ut referatur ad uerbum, operatur. Confirmat enim ratione quod dixerat, epilogum, hoc est, totius legis esse compendium in charitate. Lex diuersis mandatis deterret à lædendo proximo. Non peierabis, nõ furaberis, non adulterabis, non dices falsum testimonium, non occides, & quid non? At qui charitate Christiana præditus est, is nullum omnino lædit mortalem, prodest omnibus quibus potest, & bonis & malis. Etiamsi altera lectio τὸν πλησίον probe habet.

Tempus, καιρός.

Et hoc scientes tempus.) Hoc, pronomẽ apud Græcos, nõ refertur ad tempus, cum tempus illis sit masculini generis. Verum ita loquitur, Et hoc, siue idq;, cum sciamus, nempe tempus, καὶ τοῦτο εἰδότες τὸν καιρόν. Vt & hoc, uim habeat exaggerãdi, ueluti cum dicimus, scortaris, & hoc in quadragesima: ut intelligamus quæ præcepit, nunc præcipue præstanda esse in lege euangelica, quæ plus aliquid exigit supra Moysi, naturæq; legem. Tempus autẽ hoc loco significat opportunitatem & occasionem καιρόν, pro quo usurpant ὥρα.

Propior nobis.

Nunc enim propior est.) ἐγγύτερον ἡμῶν, id est, Propius nos est, siue propius abest à nobis: ut propius sit aduerbium, habeatq; casum præpositionis unde fluxit. Nam Græci dicunt ἐγγύς σου, id est, prope te. Proinde ἐγγύτερον comparatiuo conuenit duplex casus paternus, alter thematis, alter comparationis. Hoc igitur ἡμῶν, non est comparationis, sed thematis. Veluti apud nos si dicas: Sum abũdantior pecunijs te, pecunijs ablatiuus est thematis, te cõparationis. Nũc interpres genitiuũ ἡμῶν retulit ad σωτηρίαν, quũ pertineat ad ἐγγύτερον. Sentit enim salutẽ nũc per Euangelij fidẽ uiciniorẽ esse, q; tum erat, quũ sibi fiderent in philosophia & operibus legis. Alioqui si sensisset nostra salus, dixisset ἡ σωτηρία ἡμῶν, aut ἡ ἡμῶν σωτηρία. Nunc est ἡμῶν ἡ σωτηρία. Loquitur absolute de salute omnibus aduentante.

Quàm cum credidimus.) ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν. Certe dilucidius erat non modo Latinius, Quàm tum cum credebamus. Siquidem in lege Moysi opinio magis fuit salutis quàm salus, & umbra potius quàm res. Vnde noctem uocat procul adhuc agente sole, quæ paulatim rarescit accessu luminis.

Præcessit, pro processit.

Nox præcessit.) προέκοψεν, id est, Processit, siue progressa est, & tendit ad interitum, hoc est, nox maxima ex parte peracta est, & instat dies, paulatim illucescente Euãgelio. Cyprianus in sermone de zelo & liuore, legit, nox transiuit. Origenis interpres homilia trigesimaquinta, legit, nox promouit: ut dubitandum nõ sit, quin errore librariorum ex processit, factum sit, præcessit

Appropinquauit

Appropinquauit.) ἤγγικεν. Est quidem præteriti temporis, sed quod Latinius reddatur Latine per uerbum præsentis temporis, incolumi sensu. In plerisq; codicibus uideo depra/uatum, appropinquabit. Sentit enim diem aduentus Christi iam instare, noctem superio/ris ignorantiæ iam ad finem tendere.

Honeste ambulemus.) εὐσχημόνως, id est, Cõposite, siue modeste. Cyprianus eo quẽ mox citauimus loco, uertit decenter. Nam orta luce ob pudorem homines se gerunt uerecundi/us, componuntq; mores ad hominum iudicia. Nox enim uacat pudore.

Non in comessationibus.) Græce abest præpositio in, μὴ κώμοις, id est, Non comessatio/nibus: etiamsi non omnino displicet addita. Comos autem Græcis deus est temulentiæ, & eodem nomine uocatur conuiuium procacius ac iuuenile. *Comos, unde comeßari.*

In desiderijs.) εἰς ἐπιθυμίας, id est, Ad concupiscentias, hoc est, ad necessitatem, nõ ad uo/luptatẽ. Curam autẽ uertit πρόνοιαν, id est, Prouidẽtiam: sic enim legit Origenes homilia in Exodũ nona. Item Augustinus adducẽs hunc locũ lib. de doctrina Christiana quarto, cap. xx. cum fateatur reliquam orationẽ, modulatam ac numerosam esse, tamen offenditur ne/scio quid extrema clausula, Et carnis curam ne feceritis in desiderijs: mallet enim hanc com/positionem, Et carnis prouidentiã in desiderijs ne feceritis. Eant nunc ac meam μικρολογίαμ damnent in sacris literis, cum tam minutula curæ sint tanto episcopo. Et tamen quid hoc sit quod offenderit Augustinum nequeo diuinare. Porrò in concupiscentijs nõ ob id tantum in fine ponitur, ut cõsentiat cũ ordine Græci sermonis, uerumetiã quod illic magis ferit au/res. Nam carnis curam haberi nõ uetat, ideo uelut ἐπιφωνẽ, in concupiscentijs. Apud Græ/cos prior pars, καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαμ, iuxta rationem accentuũ quam in compositione ma/gis spectamus, est trochaicus dimeter catalecticus, posterior est trochaicus trimeter brachy catalecticus. Hunc sanè locũ adducit Augustinus, ut exemplũ mediocris characteris, quẽ arbitratur exhortationi cõpetere. Quanquã insunt & alia multa decora, uelut ἐναντίωσις & ὁμοιοτέλευτον in illis, Nox præcessit, dies appropinquauit. Item ἐναντίωσις in abijciendo & induendo, in luce ac tenebris. Ad hæc metaphora in unica uoce arma lucis. Rursus colla/tio, sicut in die, sed iucundior est Græcorũ uerborũ sonus, ἀποθώμεθα, ἐνδυσώμεθα, σκότους φω/τός, in uerbis plenũ est ὁμοιοτέλευτον, in nominibus ex parte ὁμοιόπτωτον, quum apud nos omnino nõ sit. Subest & catachreseos gratia in εὐσχημόνως, & περιπατῶμεν. Neutrum enim proprie dictũ est. Ne quid interim dicã de cõcinnitate mẽbrorum, articulorũ & cõparium, quæ tamẽ euidẽtior est in his quæ sequuntur. Quanq; totus hic sermo uideri potest allego/ria, Nox præcessit, dies appropinquauit, abijciamus opera tenebrarum, sicut in die honeste ambulemus. Nullũ enim hic uerbũ est proprium. Modulatior ac numerosior cursus est in illis: nõ in comessationibus & ebrietatibus, nõ in cubilibus & impudicitijs, nõ in cõtentiõe & æmulatione. Vnũquodq; membrũ, cõstat iugo uitiorũ inter se cognatorũ, ut interpreta/tio schema uideri possit, nec caret gratia uox eadẽ in initijs mẽbrorũ repetita: Adde his parẽ ferè numerũ colorũ & cõmatum, deinde ὁμοιόπτωτον. Tametsi hæc nõ semper respondent in Græcis. Nã in κώμοις & μέθαις, numerus par est, ὁμοιότωτον nõ pinde plenũ est ut in La/tinis. Rursus in cõtentiõe & æmulatiõe: apud nos ὁμοιόπτωτον est, apud Græcos nequaq;, ἔριδι καὶ ζήλῳ. In summa schemata quæ sita sunt in dictionibus nõ ppetuo cõueniunt nobis cũ Græca lectione, Verũ quæ sita sunt in rebus, communia sunt omnium linguarum.

EX CAPITE DECIMO QVARTO.

INfirmum autem.) τὸν δὲ ἀσθενοῦντα, id est, Eum qui infirmus est. Nec est, In fide, sed fide: ut referatur ad participium ἀσθενοῦντα, non ad sequens uerbum susci/pite, uos qui firmiores estis, suscipite eum qui nondum firmus est fide.

Et assumite.) προσλαμβάνεσθε, id est, Vobis adiungite, & recipite in uestrum contubernium. Qui nondum perfecte credit, non est reijciendus, ne linum fu/migans extinguatur, sed tolerandus & alendus, donec proficiat ad meliora. Illud obiter an/notandũ, quod Paulus abstinentiam ciborũ, infirmitati fidei tribuit, nõ de his loquens, qui quo corpus habeant obtẽperantius, à lautioribus edulijs abstinent, sed de his, qui ludaico more, certos fugiũt cibos, Et tamẽ hos uult tolerari, sed hac spe, ut proficiant in fide, & eius/modi ceremonias negligãt. At hodie uidemus inter Christianos propè plus esse superstitio/nis in ciborũ delectu, q; unq; fuerit apud Iudæos. Nec ista iam tolerant, sed in his quidam absolutam *Assumere adiungere.* *Infirmitas fe/rẽda nõ alẽda*

absolutam constituunt pietatem,pro illis omni telorum genere depugnamus, ex his iudicamus,auersamur,execramur proximũ,ceu parũ Christianum,ex his nobis stultissime placemus,alioquí teterrimis animí morbis infecti,superbia,ira,liuore,amore nostrí.

Non in disceptationibus cog.) μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν, id est, Non ad díjudicationes disceptationũ,hoc est,nõ in anxijs disceptationibus, per quas futurũ est ut ille alienet.

Credit mãducare. Manducare omnia.) φαγεῖν καὶ ἐσθίειν, quæ significant edere, seu uescí,hic perpetuo uertit,manducare,cum mandere uel manducare sit proprie cibum dentibus cõminuere. Porrò πάντα significantius uertisset quæuis,id est,sine delectu quemuis cibũ. Nam hoc quoq; significat πᾶν.Quis autem possit unus edere omnia? Illud indicandũ paucis. Credit manducare,nouam esse sermonis figurã,& Græcis & Latinis.Nam Græcis sonat,putat se manducare omnia,cum sit sensus,putat sibi licere uescí quibuslibet cibis, citra delectum. Vnde rectius uertisset infinitum per gerundium,Credit sibi uescendum esse quibuslibet.

Manducet olus. Qui autem infirmus est.) ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει, id est, Qui autem infirmus est, oleribus uescitur,ut sit indicatiui modi,non imperatiui.Totidem sanè uerbis adducit Hieronymus in Ecclesiastæ caput secundum.Non enim iubet ut uescatur oleribus,quem mallet firmiorem redditum uescí quibuslibet,sed ostendit quid faciat infirmus,suæ obtemperans superstitioní.Nam quod dixit infirmus,nõ ad ualetudinem corporis referendum est,sed ad animí superstitionem.unde Latini quoq; infirmitatem uocant.Horatius in Satyris.

At sum unus mi paulo infirmior. In nonnullis Græcorũ exemplaribus habebatur, ὃς ἀσθενῶν. Solet autem Paulus in huiusmodi abuti articulo postpositiuo loco præpositiui. Vertendum igitur erat, Alius credit uescendum esse omnibus, aut quibuslibet. Alius rursus qui infirmus est,oleribus uescitur.alioquí alius,quod præcedit in priore diuisionis parte non habet quod ipsi respondeat.

Non spernat.) ἐξουθενείτω. quasi dicas,nihili faciat,& pro nihilo ducat,ut Græca uox indicat ex nihilo composita.

Domino suo stat aut cadit.) Stabit autem, σταθήσεται δέ. Quod adducens Cyprianus in epistola libri quarti secunda,non inscite uertit proximum uerbum στῆσαι, stabilire,quod tamen idem est cum superiore,Potens est enim deus stabilire illum.

Sermo Pauli peregrinus. Nam alius iudicat.) ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν, ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν. ἕκαστος, id est, Hic quidem iudicat,diem iuxta diem,ille uero iudicat omnem diem.unusquisq; &c.Quod si liceat,ut par est,neglecta uerborum superstitione sententiam bona fide reddere,uerti poterat in hunc modum. Hic quidem existimat aliquid interesse inter diem & diem, ille uero perinde sentit,de quouis die.Augustinus in quæstionibus huius epistolæ legit,Alius quídem iudicat alternos dies,alius autem iudicat omnem diem.At pudet me interpretatiõis,

Expensa Augustini interpretatio. quod idem eodem asscribit loco,haud quaquam asscripturus,si aut Græca consuluisset,aut interpretatio melior contigisset.Ipsius uerba subscribam,ne quis mihi diffidat,Sequestrata iam,inquit,meliore consideratione, non de duobus hominibus mihi uidetur dictum, sed de homine & deo. Qui enim alternos dies iudicat, homo est.Potest enim hodie aliud,cras aliud iudicare,id est,ut quencunq; hodie malum,cõuictum,confessumq; damnauerit, cras bonum inueniat deprauatum. Qui autem iudicat omnem diem,deus est, quia nouit qualis quisq; sit. Vnusquisq; in suo intellectu abundat,inquit,id est,quantum humano intellectui,uel unicuiq; homini cõcessum est,tantum audeat iudicare.Qui sapit,inquit,diem,domino sapit, id est,quia hoc ipsum ad præsentem diem bene iudicat, domino sapit.Hoc est autem bene iudicare ad diem, ut noueris non esse de correctione eius desperandum in futurum,de cuius culpa manifesta in præsentia iudicaueris . Hactenus Augustinus. Quæso te lector, nónne uidetur in alio mundo uersari, cum hæc asscribit? Quod nolim ita rapiat aliquis,uelut in Augustini dictum contumeliam, cuius & eruditionem suspicimus & sanctimoniam ueneramur,sed ut tanti uiri lapsus,nobis persuadeat non esse negligendã Græcorum uoluminũ collationem. Diuus Hieronymus secundo aduersus Iouinianũ libro uertit ad hũc modũ,Alius iudicat diẽ plusq; diem:ut παρὰ accipiatur pro supra,siue ultra, quẽ in modum aliquoties inuenitur apud Græcos. Quanq; Græcis παρὰ nonnunq; relationem habet,uelut illorum prouerbio dictum est, τὴν πορφύραν, παρὰ πορφύραν, id est,Purpuram iuxta purpuram . Etenim qui confert, is putat alterum altero melius esse. Iudæis alius dies

prophanus

prophanus erat,alius ſanctus. At Chriſtianis quilibet dies æque ſanctus eſt: non quod obſeruandi non ſint feſti dies,quos deinde ſancti patres inſtituerunt, quo commodius plebs Chriſtiana conueniret ad cõcionem eccleſiaſticam & cultum diuinum, ſed eos perpaucos, nempe diem dominicum,Paſcha,Pentecoſten,,& aliquot huiuſcemodi,quos recẽſet Hieronymus. Verum haud ſcio an expediat,quibuslibet ex cauſis feſta feſtis accumulare,præſertim cum uideamus eò rediſſe Chriſtianorum mores, ut quàm olim conducebat ad pietatem hæc inſtituere,tam nunc conducibile uideatur eadem antiquare. *Multitudo feſtorũ noxia.*

In ſuo ſenſu.) ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω, id eſt,Propria mente,ſiue animo certus ſit,ſiue certã habeat perſuaſionem, hoc eſt,acquieſcat in ſua opinione. Ambroſius interpretatur, unuſquiſq; ſuo conſilio remittatur. Quid Auguſtinus interpretur,modo oſtendimus. Alioqui abundare in ſuo ſenſu,eſt hominis præfracti & obſtinatæ mentis.

Et qui nõ manducat,domino non manducat.) Græci addunt,Ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν κυρίῳ οὐ φρονεῖ, id eſt,Et qui nõ ſapit diem,domino nõ ſapit. Deinde ſequitur,Et qui edit, domino edit,Gratias enim &c. Alioqui nõ reddetur quod priori parti repugnet, Qui ſapit diẽ, dño ſapit. Certe apud Theophylactũ addit hæc particula. Verũ quoniã noſtrorũ codicũ magnus cõſenſus eſt,nec apud Ambroſiũ reperit,nec apud Origenẽ,fieri poteſt, ut quod in Paulo defuit,de ſuo ſuppleuerit aliquis. Atq; haud ſcio an gratias agit,referri poſſit ad illum qui diſtinguit diẽ. Nam qui ueſcitur, & qui nõ ueſcit,utercq; tamẽ edit, & pro eſu licet diuerſo,pariter gratias agunt. Annotandum & illud,quod Paulus haſce partes firmi & infirmi uario ordine proponit: cum primũ ait,Alius credit edere omnia,is uero qui infirmus eſt,oleribus ueſcitur: quod firmi eſt,præpoſuit,quod infirmi,poſterius fecit. Ac mox eodẽ ordine repetit,Itaq; qui edit,nõ edentẽ non ſpernat. Qui non edit, edentẽ non iudicet. Ac paulo poſt inuertit ordinẽ,Nam alius quidẽ iudicat diem inter diem,alius uero iudicat omnem diẽ,hic qd' infirmi eſt,priore loco poſuit. Cæterũ in his quæ ſequũtur rurſus inuertit ordinẽ,cũ enim ait,Qui ſapit diẽ,domino ſapit,quod infirmi eſt præpoſuit Nam ſapere hoc loco curare eſt,& ſentire diſcrimen inter diẽ & diem quod eſt ludaicæ ſuperſtitiõis. Et nõ ſapere,eſt nõ curare diſcrimen diei. Ac mox,Qui edit,dño edit,& qui non edit, domino nõ edit,quod firmioris erat præpoſuit,quod infirmioris poſterius fecit. Niſi quis malit, ſapere diem,in diuerſum ſenſum interpretari. Certe Thomas Aquinas ſic exponit,ut ſapere diẽ,dicatur,qui diſcernit inter diẽ & diẽ, etiamſi hoc detorqueat ad dies feſtos noſtros, & dies ieiuniorum,quod ille laudi tribuit. Quæ ſi uera eſt interpretatio, nõ erit infirmitatis iudicare inter diem & diẽ, ſed perfectæ pietatis, & iudicare omnem diem, nõ erit firmæ fidei,ſed impietatis. Ambroſius & ipſe neſcio quo detorquet hunc locũ, hoc commenti uice ſubijciẽs, Verum eſt,quia qui ſemper abſtinet ſe,deo placere ſe putat. ſemper abſtinere perfectius eſt,quàm interim abſtinere, interim nõ abſtinere. Quod ſi ſemper abſtinet,qui iudicat omnem diem,cum ante nõ manducantẽ fecerit infirmiorem, quomodo hic uerſa uice firmior eſt,qui prius habitus eſt infirmior? Sed quod Paulus dixit de delectu ciborum iuxta morẽ ludaicũ, item de delectu dierũ iuxta ritus eorundem,hoc Ambroſius & Thomas deflexerunt ad poſteriora tempora,quibus per epiſcopos & feſti dies ſunt indicti, ſed pauciores quàm nos habemus,& certa ieiunia,quorũ nihil adhuc opinor ætate Pauli fuiſſe: de indictis loquor. Origenes interpretatur ſapere diẽ,qui nõ diſcernit diem à die, copulans manducantem omnia,& ſapientẽ omnẽ diem. Ex quo mihi uenit in mentẽ,hanc particulam ad utrunq; referri poſſe,diſtinguentẽ & non diſtinguentẽ. Etenim cum ſapiat diẽ, qui de quouis die idem ſentit,& ſapiat diem, qui de alio atq; alio aliter atq; aliter ſentit,generali ſermone duas partes complexus eſt. Qui ſapit diem,ſiue ſic ſapiat, ſiue ſecus,domino ſuo ſapit, non tibi ad quem nihil attinet. Atque hanc apparet fuiſſe cauſam, quare huic parti nulla ſit reddita contraria, cum edenti ſit oppoſitus non edens: ſanè Chryſoſtomus nec enarrans attingit hanc particulam. Quo quidem loco nos maluimus uertere, ueſcitur & non ueſcitur: quod non ſimpliciter agat de edendo,aut non edendo, ſed de genere cibi, hoc eſt,de idolothyto. Porrò quoties de cibi genere loquimur,elegãtius eſt ueſci quàm edere. Porrò pro ſapit maluimus curat, quod uerbum φρονῆμ apud Græcos ſit πολύσημον, & nunc pro ſentire ponatur,nunc pro ſapere,nũc pro cogitare, aliquoties pro affectum eſſe. Nonnunquam uix habet ſermo Latinus quo reddat quod ſentit. *Varia lectio.* *Veſcẽs & nõ ueſcẽs utercq; edit.* *Ordo partiũ expenſus.* *Sapere diem quid ſit.* *Aquinatis expenſa ſentẽtia* *Ambroſij ſententia.* *Opinio Eraſmi.*

Mortuus

Mortuus est & resurrexit.)Hic addunt Græci codices, καὶ ἀνέζησεν, id est,Et reuixit. Etiamsi Theophylactus ἔζησεν legit,id est,uixit,non ἀνέζησεν. quod si sequimur,accipiendum est tempus præteritum pro præsenti,quod in huiusmodi uerbis solet fieri, in hoc mortuus est,in hoc resurrexit,& in hoc nunc uiuit,ut &c.Ambrosius ita legit & interpretatur,In hoc enim Christus & uixit & mortuus est,& resurrexit.In Paulino codice, qui mihi multorum instar erat,cum hæc adderem,ad hunc modum scriptum erat,In hoc enim Christus & mortuus est & reuixit ut &c.In hoc certe cõsentienti cum Græcis exemplaribus, quod conduplicat cõiunctionem.Atq; ita legisse Origenem,declarat ipsius interpretatio,cuius hoc est initium,Mortuum dicit esse Christum,dispensatione sine dubio passionis,uixisse autẽ per sacramentum resurrectionis.Atq; hæc lectio respondet cum eo quod sequitur, Vt & mortuorum & uiuorum dominetur. Nam hoc ordine legitur & apud Græcos & apud Origenem edisserentem his uerbis,Sed mouerit aliquem fortassis quod dixit Apostolus,idcirco mortuum esse & uixisse,ut mortuorum & uiuorum dominetur. quasi hoc dederit intelligendum,quod nisi mortuus fuisset,& nisi post mortem rursus uixisset,non tenuisset dominationem uiuorũ.Idem est ordo apud Ambrosium,idem in uetustissimo exemplari,quod modo citaui,ut mortui præcedant,uiui sequantur.prius enim est mori,posterius uiuere,præsertim in Christo,quantum ad humanam naturam assumptam,quæ mortalis erat.& tamẽ in superioribus præcesserant,uiui,siue uiuimus, domino uiuimus, siue morimur, domino morimur.Apud Chrysostomum tantum est ἀπέθανεν,ἔζησεν uideri poterat prætermissum librariorum incuria,nisi quod nec in enarrando uerbum hoc attingit.

Aut tu quare spernis.) ἢ καὶ σὺ, τί ἐξουθενεῖς,id est,Aut etiam tu,cur aspernaris.ut illud prius tu,referatur ad non edentem,posterius ad edentem,ut non sit ociosa coniunctio καὶ.nam non edens ob superstitionem iudicat edentem.Rursus edens ob scientiam, cõtemnit non edentis infirmitatem.Ambrosius additis uerbis aliquot ita legit,Tu autẽ quid iudicas fratrem tuum in nõ edendo? Aut tu quare spernis fratrem tuum in edendo? Quanquam arbitror in edendo & non edendo,de suo addidisse,explicandæ rei gratia.

Omnes enim stabimus.) πάντες γὰρ παρασταθησόμεθα,id est, Omnes sistemur,siue sistendi sumus ad tribunal Christi.Nam rei siue iudicãdi,sisti iudicio dicunt, dum coguntur adesse.

Mihi flectetur.) ἐμοὶ κάμψει, id est,Mihi flectet,ut subaudias se.Certe in uetustissimo codice uno atq; altero flectet scriptum comperi, non flectetur. Testimonium extat apud Esaiam cap.45.quod Paulus sic adduxit, ut nec ad uerbum respondeat Hebraicæ ueritati, nec æditioni Septuaginta.Siquidem iuxta hos ita legimus,Per memetipsum iuro,nisi egrediatur de ore meo iustitia,sermones mei non auertentur,quia mihi incuruabit omne genu, & iurabit & confitebit omnis lingua dicens.Iuxta Hebræos ita uertit Hieronymus,In memetipso iurauí,egrediatur de ore meo iustitiæ uerbum,& non reuertetur,quia mihi curuabitur omne genu,& iurabit & confitebitur omnis lingua deo.

Locus obscurus. Sed hoc iudicate magis.) Ambrosius legit, Et in hoc uel in eo iudicate magis, haud scio quod exemplar secutus.Nam & Græci codices,& nostri uetusti refragantur.Hieronymus aut quisquis fuit Origenis interpres,in enarratione indicat hic iudicate dictum nõ pro condemnate,sicut antea,sed pro statuite.Iudicium enim pro cõdemnatione ponere peculiare

Iudicate,id est statuite. est Hebræis.Græcis uox anceps est κρίνειν, quæ nũc iudicare sonat, nunc statuere siue decernere. Quod si cui nõ placet aliter accipi iudicandi uerbũ,quàm in cæteris acceptum fuerit, poterit & hic esse sensus, Nõ conuenit ut quisquam uestrum alterum iudicet, qui seu recte agit seu secus,domino suo iudicandus seruatur. quod si quid de quoquam fas sit iudicare, is potius iudicandus,qui ob cibum corporalem noluerit uitare fratris offensam, quàm qui uel suspicatur illum nõ syncera conscientia uesci,uel exemplo eius prouocatur ad id faciendum,quod arbitratur non recte fieri.

Scio & confido.) οἶδα καὶ πέπεισμαι, id est, Scio & certus sum,siue persuasum habeo.

δι' ἑαυτοῦ. per se. Nihil commune per ipsum.) Interpres legisse uidetur δι' ἀυτοῦ, alpha tenui,atq; ita legit Ambrosius interpretans beneficio Christi nihil esse cõmune. sed rectius est quod habetur δι' ἀυτοῦ, alpha aspirato, siue δι' ἑαυτοῦ, id est, per se ipsum, siue per se, quia sequitur, Sed ei qui immundum existimat, immundum est, atque ita legit Origenes, & huic consentiens Chrysostomus ac Theophylactus.

Contristatur

Contriſtatur,) λυπεῖται, id eſt,Dolet ſiue moleſtia afficitur.

Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum.) Veſtrum eſt Græcis ſecundæ perſonæ, ὑμῶν τὸ ἀγαθὸν, id eſt, Veſtrum bonum.Id quod recte facitis curandum eſt, ne cui præbeat obtrectandi materiam.Aut ueſtrum bonum,recta opinio ueſtra qua ſentitis fas eſſe quibuslibet ueſci.Ad eũ modũ declarat Theophylactus.Hic ſermo ſimilis uidet illi, ἡμῶν ἡ σωτηρία, Verum hic bonum appellat non quod ſimpliciter bonum ſit, ſed quod illi bonum,qui bono animo facit:& idcirco diſtinxit articulo.Quãcp qui contendat omnino ſimilem eſſe ſermonis formam,cum hoc non eſt quur debeam digladiari.

Iuſtitia pax & gaudium in ſpiritu ſancto.) Et hic præpoſitio ἐν, Hebræorũ more uſurpata uidetur pro διὰ, hoc eſt,per,id quod ſatis indicat Origenes ediſſerens hunc locum. Spiritum ſanctum opponit diſceptationi de cibis.illa iram parit,triſtitiam & iniuſtitiam, hic pro ira pacem,pro triſtitia gaudium,pro offenſa & iniuria iuſtitiam.

Qui enim in hoc ſeruit Chriſto.) Græci legunt In his,quod idem pollet.quaſi dixiſſet, per hæc ὁ γὰρ ἐν τούτοις δουλεύων. Fœminina nomina retulit per pronomen neutri generis,ut ſimul intelligas & alia eiuſdem generis,cuiuſmodi ſunt iuſtitia,pax & gaudium.Ita quidem legit atcp enarrat Theophylactus, ſed tamen refragante Ambroſio, refragante Origene,qui in hoc refert ad ſpiritum ſanctũ:quaſi dicas in carne ſeruire Chriſto, qui de cibis contendant,in ſpiritu ſeruire,qui contemptis iis,ea modo ſectẽtur,quæ pacis ſint & concordiæ,refragantibus & uetuſtis Latinorum exemplaribus. *Duplex lectio*

Et quæ ædificationis ſunt inuicẽ cuſtodiamus.) καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους, id eſt,Quæ ad mutuam pertinent ædificationem,& ſubauditur διώκωμεν, id eſt,ſectemur. Porrò Paulus ſuo more ædificare uocat prodeſſe.Etiamſi τῆς εἰς ἀλλήλους nihil uetat quo minus & ad pacem referatur,ut intelligas pacem mutuam & mutuum auxilium. Cæterum uerbum cuſtodiamus,quod neſcio quis adiecit,in Græcis codicibus non inuenitur, nec opus eſt cum præceſſerit ſectemur.Nec additum erat in peruetuſto codice Conſtantienſi,niſi quod quidam inter uerſus aſſcripſerat manu barbarica. *Aedificare prodeſſe Paulo.*

In quo frater tuus offenditur.) Græce eſt προσκόπτει, id eſt,Impingit.Et in codice Donatiani ſcriptũ erat offendit,nõ offendit.Cõſentiebat uetuſtiſſimũ exẽplar Conſtantiẽſe.

Tu fidem quam habes.) Quam relatiuum apud Græcos abeſt, σὺ πίστιν ἔχεις, καὶ σαυτὸν ἔχε, id eſt,Tu fidem habes,in teipſo habe,ſiue apud te ſolum.Atcp ita ſcriptum comperi in exemplari Paulino,ſi quis parum tribuit Græcis,etiamſi cum Græcis cõſentit Ambroſius ac Theophylactus.Et eſt omnino ſermo uiuidior omiſſo quam. *Noſtra lectio depraua ta.*

Qui autem diſcernit.) ὁ δὲ διακρινόμενος, id eſt,Qui uero hæſitat.Quanquam participium eſt medium,ut poſſit accipi qui dijudicatur.

Ei autem qui potens eſt.) Hanc partem uſcp ad,Debemus autem,quidã codices omnino nõ habent,quidam in fine adijciunt epiſtolæ.Chryſoſtomus interpretatur in fine,Theophylactus hoc loco,quum is qui hunc uertit Latine nec hic,nec in fine tranſtulerit, quod arbitror accidiſſe caſu.Hic prætermiſit,ut cõſentiret cum noſtris codicibus,ad finem ubi uentum eſt,oblitus non adiecit.Nos quoniam id non uidebatur ad hunc locum pertinere,ſemouimus in finem huius epiſtolæ.Marcion hic finiebat epiſtolam ad Romanos, affirmans reliquam appendicem eſſe notham. *Coronis epiſtolæ Paulinæ*

EX CAPITE DECIMOQVINTO.

Nos firmiores.) ἡμεῖς οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν, id eſt, Nos qui potentes ſumus,impotẽtium infirmitates portare.Laurentius mauult,ualidi inualidorum.Sic enim redditur ſchema ἐναντιώσεως & προσονομασίας, quod eſt in Græcis uocibus, quod idem licuiſſet ſi uertiſſet, firmi infirmorum,aut ualidi inualidorum.Nam hic pro infirmorum Ambroſius legit inualidorum.

Vnuſquiſcp ueſtrum.) Variant hic Græci Latinicp.Quiddam habent ἕκαστον γὰρ ἡμῶν, id eſt,unuſquiſcp enim noſtrum,quidam coniunctionem γὰρ non addunt. Tolerabilius quod quidam loco γὰρ habent δέ.Ex noſtris quidam habent ueſtrum pro noſtrũ, cum Græcis ſit ἡμῶν primæ perſonæ.nec additur apud illos ſuo,tantum eſt τῷ πλησίον

ἀρεσκέτω, proximo placeat. Ambrosius sine pronomine legit, Et unusquisq; proximo placeat.

Sibi placere, nouę positū.

Christus non placuit sibi.) Quid erat in Christo, cur ipse sibi displiceret? Sed hoc loco placet sibi, qui suo seruit cōmodo, & quod agit, ad suum trahit compendium, quod genus homines Græcis φιλαυτοί dicuntur, non tantum ob arrogantiam, uerumetiam ob priuati commodi studium. A quo uitio Christus longissime abfuit, qui totum sese nobis impendit. Subnotauit & Origenes hic damnari uitium φιλαυτίας.

Sermo Pauli diminutus.

Nam quemadmodum scriptum est imperia &c.) Et hic sermo parū est absolutus, sed contraria pars subaudienda est, Christus non sibi placuit, sed sibi displicuit, hoc est, non inseruiuit suis commodis, sed suo incommodo, nostris consuluit cōmodis, quemadmodum scriptum est &c.

Quæcunq; enim scripta sunt.) Græcis non est simpliciter scripta, sed utrobiq; προγεγράφθαι, id est, præscripta siue ante scripta. Atq; ad eum sanè modum adducit Augustinus hūc locū, epistola centesimatrigesimaseptima: Quæcunq; enim ante scripta sunt, ut nos doceremur, scripta sunt. Item aduersus Faustum libro xiij. cap. ultimo. Sentit enim hæc prius scripta quàm fierent, & promissio præcedit, res sequitur, scripturæ promittunt quod post exhibebitur. In lectione consentiunt & Chrysostomus & Theophylactus. Eodem uerbo usus est in epistola ad Galatas capite tertio, Ante quorū oculos Christus præscriptus est. Non igitur fuerit absurdum, si præscripta accipiamus, quæ proposita sunt imitāda. unde & præscriptum dicimus. Ex Origenis interpretatione conijci nō quitum est quid legerit. Ambrosius legit scripta sunt: ad sensum haud ita magni refert.

Per patientiam & consolationem spem.) Ambrosius pro consolatione legit exhortationem. Est enim παράκλησις uocabulum ad utrunq; commune. Quanquam ad sensum huius loci non ita magni refert utrum legatur.

Idipsum.) τὸ αὐτὸ, id est, Idem. & ἐν ἀλλήλοις, id est, Inter uos mutuo uel inuicem, de quo superius admonuimus.

Vt unanimes.) ἵνα ὁμοθυμαδὸν, id est, Vt unanimiter. Interpres legisse uidetur ὁμόθυμοι. Neq; magnopere refert ad sensum.

Suscipite qđ aliàs assumite

Suscipite inuicem.) προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, id est, Assumite inuicem, hoc est, alius aliū sibi adiungat & opituletur, ut respondeat illi, Infirmum in fide suscipite.

In honorem.) εἰς δόξαν, id est, In gloriam. Interpres lasciuit affectatione copiæ. sentit enim Paulus ferendum fratrem, ut hoc redundet in gloriam dei, qui laudatur per benefacta profitentium illum. Ita prorsus explicat Chrysostomus ac Theophylactus.

Locus obscurus.

Ad confirmandas promissiones patrum.) Interpres dum alterum uerbum infinitum uertit in gerundium, alterum relinquit, obscurauit sententiam, quæ quidem est huiusmodi, Paulus ueluti nōnihil digressus, redit ad id quod instituerat: Dico, inquit, hoc est, quæ diximus hactenus, huc tendunt, ut intelligas Christum autorē esse noui testamenti, quod primum administrauit Iudæis, ut patrem ostenderet esse ueracē, qui illis promiserat per prophetas. Cæterum id uoluit esse cōmune gentibus, non ex promisso, quanquam & de illis erat prædictum, sed ex misericordia, & hoc gratius esse donum, quod non expectantibus obtigisset. Oppositum igitur misericordiam promissis, nam in illis ius quoddam esse uidetur, hic fauor merus est. Habet enim quod expostulet, cui pollicitus sis, nisi præstiteris, & tamen plus adfert uoluptatis ac laudis, quod præter omnem spem obuenerit boni.

Explanatio.

Proinde clare uerti poterat hunc in modum. Cæterum illud est quod dico, Iesum Christū in hoc suo functum officio erga Iudæos, pro ueritate dei, ut ea confirmaret, quæ fuerant promissa patribus: cæterum ut gentes pro misericordia glorificarent deum, quibus nihil erat promissum, & tamen idem contigit quod illis. Mirum est autē quanto artificio Paulus sermonem suum moderetur: quo gentes agnoscant dei in se clementiam, uocat misericordiam: rursus ne Iudæi non ferrent illos ad cōmunem gratiā admissos, subijcit Iudæorum testimonia, quibus declarat & illis esse promissum, licet non tam euidenter.

Artificiū Pauli.

Propterea confitebor tibi in gentibus domine.) Extat hoc uaticinium Psalmo xviij.

Lætamini gentes cum populo eius.) Eius αὐτοῦ ad deū refertur, ueluti cōmunem futurum utriq; populo. Nam populum dei dixit Iudæos. Totidem uerbis hæc habentur in cantico

cantico Deuteronomij. Mirum autem cur Thomas citarit ex Esaiæ cap.xxxv.siue lapsu memoriæ,siue quod illic simile tractatur argumẽtum.Rursus mirum est nostram æditionem cum Paulo dissentire,quæ sic habet:Laudate gentes populum eius, Hebræi habẽt, Cantate gentes populum eius.

Et magnificate eum.) καὶ ἐπαινέσατε,Et adlaudate,quasi laudibus respondete, quale est ἐπαιάζῃμ. Ambrosius item legit magnificate.Quanquam magnificare dictum est pro extollere & laudibus efferre.Origenes admonet in Psalmo pro magnificate scriptum fuisse collaudate.Vnde liquet in illius codice fuisse μεγαλώσατε pro ἐπαινέσατε.

Et erit in die illa radix iesse.) Hoc testimonium extat apud Esaiam cap.xi. quod tamẽ Paulus adduxit iuxta translationem Septuaginta,sicuti pleraq; solet.Iuxta Septuaginta sic legimus,Et erit in die illa radix Iesse,& qui cõsurget ut princeps sit gentiũ,in ipso gentes sperabunt & erit requies eius honor.Iuxta Hebraicam ueritatẽ hoc modo,In die illa radix Iesse,qui stat in signum populorum,ipsum gentes deprecabuntur,& erit sepulchrũ eius gloriosum.Hieronymus admonet pro requies eius,apud Hebræos haberi מְנֻחָתוֹ in qua dictione cõsenserunt omnes interpretes,quod tamen Hieronymus uertit, sepulchrũ eius,uolens explicare sensum alioquin obscuriorem.Nam menucha requiem sonat, sed proprie eam quam precari solemus defunctis. Ita licet uerbis dissonant Septuaginta & Hieronymus,tamen in sententia consentiunt.Cæterum quod uertit,stat in signum, Hebræis est עֹמֵד לְנֵס. Porrò נֵס uexillum sonat siue trophæum,item miraculum re testatũ. sensus ferè idem est,quod sub uexillo principis agat populus.Porrò deprecabuntur Hebræis est יִדְרְשׁוּ quod est requirent:petit autem qui requirit,& sperant qui concurrunt ad aliquem.Illud adijciam,particulam Et erit requies eius honor,licet sit apud Esaiam & apud Origenem in contextu,tamen non apparet additam à Paulo, cum nec apud Græcos reperiatur,nec ab Origene explicetur,nec apud nostros usquam asscribatur.

In uerbis dissonãtia,in sensu concordia.

Et qui exurget.) ὁ ἀνιστάμενος, Exurgens:quod tametsi præsentis temporis est, tamen interpres non absurde uertit in futurum,quod adhæreat uerbo futuri tẽporis ἔσται, id est, erit.Alioquí poterat & ita uerti καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν, id est,Et q exurgat ad imperãdũ.

Certus sum autem.) πέπεισμαι, id est,Persuasum habeo.

Pleni estis dilectione.) ἀγαθωσύνης, id est,Bonitate.Interpres legisse uidet ἀγαπωσύνης. Est aũt hic bonitas,quæ opponitur malitiæ,nõ quæ respondet χρηστότητι,ut sit benignitas.

Nostrã æditionẽ hic præfert.

Ita ut possitis alterutrũ.) δυνάμενοι καὶ ἄλλους νουθετεῖν, id est,Potẽtes & alios admonere. Atq; ita quidẽ interpretat Theophylactus. Apparet interpretẽ legisse ἀλλήλους ꝓ ἄλλους, & sanè ἀλλήλους magis probo.Sensus est enim,tantũ ualetis scientia & charitate, ut citra admonitionẽ meã,possitis ipsi uos inuicẽ admonere si sit opus.Adq; eũ modũ Ambrosiũ legisse,declarat ipsius interpretatio:Nõ dixit,inquit,ut inuicẽ se doceant,sed admoneãt. Nec eñ ociosum est αὐτοὶ, quod apud Græcos sæpenumero sonat sponte aut ultro,uelut apud Homerũ, τί μεσεν/δοντα καὶ αὐτὸμ ὀτρύνεις; id est,Cur me festinantẽ & ultro incitas? Nec est ociosa cõiunctio apud Paulũ,ut nec apud Homerũ,refertur eñ ad Paulũ admonentem:ut intelligas,etiã si ego non admonerem uos,ipsi uos inuicẽ admonere possitis.

Audacius autem.) Audacius dixit pro familiarius siue liberius,& referendũ est ad partem superiorẽ:Non est opus uobis mea admonitione,cum ipsi possitis inuicem id facere, tamen fretus bonitate uestra,non ueritus sum ad uos scribere,cõmonefaciendi gratia magis q̃ docendi. Quod quo dilucidius esset lectori,nos uertimus,Sed tamẽ audacius. Hoc schemate frequenter utitur Paulus,quo lenimus quod poterat offendere.

Ex parte.) ἀπὸ μέρους. Hoc adiecit,mitigans quod dixerat audacius,perinde ualet quasi dicas aliquantulum:admiscuit enim nonnulla liberius dicta,de stulta sapientia, de idolis, de libidine præpostera.Proinde dicit se quædam liberius locutum, non quod illos contemneret,sed quod illis fideret,ueluti peculiaris illorum Apostolus. Plus enim audemus apud illos,quos familiarius amamus.

Sanctificans euangeliũ dei.) ἱερουργοῦντα. Quasi rem sacram operans,ut respondeat ad λῃτουργὸν, qui ꝓprie sacrorũ minister est:& ἱερουργεῖν fungi administratione sacrorum.Augustinus in libello quo quæstiones aliquot explicat in epistolã ad Romanos,pro sanctificans legit consecrans,propius exprimens Græcam uocem.Voluit enim Paulus prædica-

Sãctificare ꝓ ἱερουργεῖν.

tionem euangelij rem uideri cum primis sacram, ac ueluti uictimam deo gratissimam, quod gentes redderet Christo dignas. Atque huius sacri se ueluti sacrificum facit. Id autem solet requiri in hostijs, ut pura sit ac sancta, & ad rem diuinam legitima, quod alibi Paulus τέλειον uocat. Annotauit hac de re nonnihil Hieronymus Origenis interpres. Vox Græca composita est ab ἱερὸν sacrum, & ἔργον opus, inde ἱερουργῆν operari sacris, inde sequitur προσφορὰ, id est, Oblatio.

Accepta & sanctificata.) Et, copula redundat, nec addebatur in codice Constantiensi. Nam sanctificata refertur ad id quod ꝓxime sequit, In spiritu sancto, hoc est, per spiritũ sanctum: ut ostendat nihil deesse suo sacrificio, quod ipse spiritus sanctus consecrarit.

Habeo igitur gloriã.) καύχησιν, id est, Gloriationem, hoc est, habeo de quo glorier.

Ad deũ.) τὰ πρὸς τὸν θεὸν, id est, In his quæ ad deũ pertinẽt. Interpres omisit articulũ τά.

Non enim audeo.) τολμήσω, id est, Audebo uel ausim. Nam hoc ceu proœmiolo, pariter & arrogantiæ crimen excludit, & sibi fidem apud lectorem conciliat.

Ambrosij interpretatio. Eorum quæ per me non effecit.) Ambrosius sic interpretatur, quasi Paulus non possit quicquam cõmemorare eorum quæ ad laudem prædicationis pertinent, quæ per ipsum præstita non sint auxilio dei. Ipsius uerba subscribam: Gloriam habere se dicit apud deũ per Christum Iesum. Credens enim & seruiens Christo Iesu in cõscientia pura, meritum sibi fecit apud deum patrem, intantum ut nihil deesse dicat quod non per illum operatus sit Christus, ad exhortationem gentium. Ac mox, Seruiens enim Christo, gloriam habet ad deum, intantum ut indigere non habeat aliquid diuinæ uirtutis, quod sibi præstitũ nõ sit à deo, sed omnia se, quia idoneus inuentus est dispensator, consecutum quæ ad conuersionem gentium per signorum uirtutem proficerent. Origenes diuersam sequitur sententiam, nimirum hanc, Nolim alienorum factorum laudem mihi arrogare, tantũ ea dicam quæ per meipsum effecit Christus: & huius uerba subscribã: Quæ loquor, inquit, nõ sunt alieni operis uerba, nec alienorum gestorũ laudator efficiar, sed quæ scio Christum ꝑ me effecisse, hæc uobis scribo quæ per obedientiam gentium uerbo in me & opere expleuit.

Origenis interpretatio. Origenis interpretatio mihi magis probatur, non modo quia modestior est, magisq; cohærens cum his quæ sequuntur, Sed sic prædicaui euangelium (Nam hanc partem opponit superiori, quod pugnent inter se, narrare ab alijs facta, & ita prædicare, ut nusquã prædices, ubi prædicarint alij) uerumetiã quod non uideam, quomodo sensus qui placet Ambrosio ex Græco sermone possit elici. Is ad hunc habet modum, οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν τι ὧν οὐ κατειργάσατο χριστὸς δι' ἐμοῦ. Illud certum, eorum non posse referri ad cæteros apostolos, sed ad ipsa facta. Poterit & hic esse sensus tertius, Nõ ausim quicq; loqui de factis meis, sed tantum de ijs quæ Christus per me gessit. Verum Origenicæ interpretationi palmam tribuo. Emphasis enim totius sermonis est in pronomine me, per quod excludun-

Tertia exposi tio.

Emphasis uni us ꝓnominis.

tur aliena facta. Vtrãq; sententiam interpretatione miscet ac complectitur Theophylactus. Nõ iacto quod ipse non fecerim, imò quod feci, non ego feci, sed Christus per me. Et effecit, præteriti temporis est, non præsentis: cõmemorat enim quæ iam gesserat.

Per circuitum.) καὶ κύκλῳ, id est, Et in circuitu, siue undiq;.

Prodigiorum in uirtute spiritus sancti.) Græce est spiritus dei, ἐν δυνάμει πνεύματος θεοῦ. Atq; ita sanè legit Origenes, & huic consentiens Theophylactus. Quanquam secus habet Ambrosius ac uetusta exemplaria.

Sic autem prædicauerim.) Græca nonnihil dissonant à Latinis, οὕτως δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, Sic autem adnitens prædicare euangelium. Est autem φιλοτιμεῖσθαι, ueluti amabitiose conari quippiam. Ita Paulus sancta quadã ambitione abstinuit ab his locis in quibus reliqui apostoli prædicauerant, ut ipse esset pater & autor suæ gentis. Cæterum conιũctio δὲ, etiamsi cõmode reddi non poterat, tamen Græcis haud quaquam est ociosa, significat enim adijci quiddam magni momenti quod rem uehementer augeat, id quod nos per adeo, siue porrò solemus efferre: ueluti si dicas, Alui cunctos, atq; adeo solus, siue alui cunctos, porrò solus alui.

Ambitio Pauli.

Additum. Et qui non audierunt de eo intelligent.) De eo, redundat. Quanquam intelligitur è superiore parte repetitum.

Propter quod impediebar plurimum.) διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην τὰ πολλὰ τοῦ ἐλθεῖν, id est, Quapro-

Quapropter etiam impediebar sæpenumero. Nam id quoq; significat τὰ πολλὰ aduerbij uice positum: & ita exponunt Græcanica scholia, nominatim & euidenter Theophylactus: sæpius enim conabatur, & semper obsistebant negocia, quibus detinebatur. Porrò illud Impeditus sum, est ἐνεκοπτόμην, quod significat rem cœptam interrumpi, ut aptius futurum fuerit, Inhibitus sum, siue præpeditus sum.

Locum habens.) μηκέτι τόπον ἔχων, id est, Cum nō amplius habeam locum. Cæterū locum intelligit uacuū, quem ob id quærebat, quod plus esset fructus sicut ante dixerat.

A multis iā præcedētibus annis.) ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν .i. A multis ānis, siue multis iā annis: nec uideo cur interpres putarit addēdū aliqd: cū sermo de secuturis ānis nō possit ītelligi.

Cū in Hispaniā, pficisci cœpero.) ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν σπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς, Vt si proficiscar in Hispaniam, ueniā ad uos. Quāq; quidam Græci codices habebāt, ἕως nō ὡς. Cæterum Græci scriptores Paulū sequuti fraudant Hispaniam prima regionis syllaba, quam illi solent huiusmodi dictionibus addere, dicentes, espero pro spero, expecto, p specto, idem facientes in hac dictione quod Latini facimus in Iscariote. *Spania pro Hispania.*

Spero enim quod præteriens uideā uos.) ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος, θεάσασθαι ὑμᾶς, καὶ ὑφ' ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ. Quando uideo Fabrum offendi sermone, sic Latine uerti poterat. Nam spero futurū, ut istac iter faciens uideā uos, & à uobis producar siue deducar illuc.

Quod præteriens.) διαπορευόμενον, id est, Pertransiens, siue istac iter faciens. *Præterire pro pertrāsire.*

Fruitus fuero.) ἐμπλησθῶ, id est, Expletus fuero: quod quidem multo significantius est ad explicandum ingens Pauli desiderium. Atq; ut magis intendat epitasin, addit ex parte, significans inexplebilem cupiditatem.

Nunc autem proficiscar.) πορεύομαι, id est, Proficiscor, præsentis est temporis, uelut & participium quod sequitur διακονῶν, id est, Ministrans: iam enim hoc agebat. Demiror autem cur interpres participiū mutarit in uerbum infinitum, nisi forte legit διακονῶμ.

Probauerunt enim Macedones.) εὐδόκησαν, id est, Approbarūt, &, Ita uisum est illis. At idem uerbum mox uertit Placuit illis: adeo interpres nefas iudicauit idem uerbum iterare, quod tamen ipse Paulus nō est ueritus facere. Porrò εὐδοκεῖν, non solum sonat probare, uerum ex animo probare, quoties res non solum utcunque placet, sed bene & ex animo placet: ut intelligamus huiusmodi munera, si ultro offerantur, accipienda eis quibus fuerit opus, non exigenda: quandoquidem ipse Paulus maluit manibus laborare, quàm alieno cibo uiuere. *εὐδοκεῖν.*

Collationem.) κοινωνίαν, id est, Cōmunionem, siue cōmunicationē: sic enim uocat eleemosynam missam, ciuili nimirum uocabulo: quasi non sit beneficium iuuare pecunia, sed censum quem habemus cum alijs cōmunem, cum opus est illis impartiri. Cæterum quod uertit, In pauperes sanctorū, nimium fidus fuit interpres, ut qui schema quoq; & idioma Græci sermonis expresserit. Alioqui dicendum erat Pauperibus sanctis, ne quis suspicet sanctos habuisse pauperes, qui sancti non essent. Illud annotandum, quod Paulus uidetur iungere duo inter se pugnantia, εὐδόκησαν & ὀφειλέτης. Etenim qui sponte & bona animi uoluntate offert, non uidetur debere. unde diuinam erga homines beneficentiam, εὐδοκίαν appellat. Atqui cum hoc uideatur adiecisse ciuiliter magis quàm ex animo, tamen addit hanc unam causam, quod illi spiritualia impartissent, uelut alioqui nihil deberetur. At hodie nulli magis tyrannice exigunt decimas, quàm qui nihil impartiunt spirituale. Sic enim Paulus appellat doctrinam euangelicam. *Interpres dormitans.*

Cum consummauero.) ἐπιτελέσας, id est, Vbi perfecero. *Exactores decimarum.*

Et assignauero.) σφραγισάμενος, id est, Obsignauero, uel obsignatū reddidero: sic eā reddi solet pecunia. Sentit enim Paulus se diligenter ac certa fide uelle reddere hoc munus. Quod omnis pecuniæ tractatio suspecta soleat esse, præsertim Iudæis auarissimis: subindicat tale quidam & Theophylactus.

Fructum hunc:) Fructum Theophylactus refert non ad accepturos, sed ad eos qui cōtulerant: quasi in beneficijs Christianorum lucrum penes dantem sit, non penes accipientem. Quod si Paulus integre ac tuto reddidisset eam pecuniam, futurum erat ut Macedonibus cæterisq; qui cōtulerant, ceu thesaurus quidam in tuto reconditus uideretur. Hoc admonui ut lector intelligat, eis pronomen non referre sanctos, sed Græcos.

In plenitudine bene. &c.) ἐν πληρώματι εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ χριστοῦ, id est, In plenitudine benedictionis euangelij. Benedictionem Paulus aliquoties uocat eleemosynam. Atque hic uidetur uerecunde significare, ut Romani quoq; conferant. Quanq; Chrysostomus mauult hic generaliter accipi, pro omni uirtutum & officiorum genere, propterea quod additur Euangelij. Atqui quod Euangelij nomine datur εὐλογία est Euangelij. Simili tropo εὐλογίαν dixerunt eleemosynam, quæ uerbis amicis dabatur, quo conuiuiū pauperibus dari solitum ἀγάπλων.

Obsecro ergo uos.) παρακαλῶ δέ, id est, Hortor aūt uos. Tametsi hoc sanè loco nō admodū male quadrabat obsecro, propter ea quæ sequunt̄, Per dñm nostrum Iesum Christū.

Per charitatem spiritus sancti.) Sancti supereſt, διὰ τῆς ἀγάπης τοῦ πνεύματος, id est, Per dilectionem spiritus.

συναγωνίσασθαι. Vt adiuuetis me.) συναγωνίσασθαι. Quod est opitulari, sed certanti & laboranti: quod ante nos annotauit & Origenes, sed tamen eò detorquens, quod inter orandum certamē sit cum impijs dæmonibus, preces piorum interpellare solitis. Quanquam Ambrosius legit, Vt sollicitudinem impartiamini. Interpres rectius expressit quā Ambrosius, mea quidem sententia. Et in orationibus dixit, pro per precationes, quam sermonis formam oportet iam nobis esse familiarem.

Aliud legit interpres. Obsequij mei oblatio.) καὶ ἵνα ἡ διακονία μου, id est, Ministeriū meū. Ambrosius uelut exponens legit, ut munerum meorum oblatio. Quanq; mihi uidetur aliud quiddam legisse, forte προσφοράν, quo uerbo usus est ante: quandoquidem & paulo superius usus est uerbo apto sacrificijs, λειτουργῆσαι, quod interpres uertit ministrare. Nos addidimus pronomen, Vt ministerium hoc meum, propter articulum Græcum, ἵνα ἡ διακονία μου.

Accepta fiat in Hierusalem.) Græci nonnihil diuerse legunt. Nōnulli sic habent, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου, ἡ εἰς ἱερουσαλὴμ εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις, id est, Vt ministerium meū, quod est in, uel erga Hierusalem, acceptum sit sanctis. Quidam codex sic habebat, ἡ διακονία μου ἡ ἱερουσαλὴμ, id est, Ministerium meum quæ est Hierusalem. Ac Theophylactus, nec legens, nec interpretans addit hanc particulam, quemadmodum nec Chrysostomus. Porrò modeste uocat ministeriū, cum sit alienæ liberalitatis minister dūtaxat.

EX CAPITE DECIMOSEXTO.



Væ est in ministerio.) οὖσαν διάκονον, id est, Quæ est ministra. Per hanc Phœben putant redditam epistolam Romanis.

Quæ est Cenchris.) Cenchreis Græce est κεγχρεαῖς, aut ut in nōnullis habetur scriptum κεχρεαῖς dictiōe trisyllaba, quod nos uertimus Cenchreensis. Cæterum cum plura sint huius nominis loca, nempe in Troade oppidum, atq; aliud item in Italia, tamen magis consentaneum est, Paulum sentire de Cenchreis statione nauali Corinthiorum, quandoquidem constat hanc epistolam è Corintho missam. Hæc etiam Origenes indicauit.

Digne sanctis.) ἀξίως τῶν ἁγίων. Verti poterat, Vt decet sanctos, ut dignum est sanctis.

Priscam & Aquilā.) Origenes putat Priscam eandē esse quā Lucas in Actis cap. xviij. Priscillā appellat, cuius maritus erat Aquila Ponticus genere, Iudæus religione & origine stirpis, Paulo ὁμότεχνος, nimirū artifex tabernaculorū, & ut Origenes interpretat̄, lutor. Mouet Origenē qui fieri potuit ut Aquila Romæ fuerit, cū Claudius imperator eos oēs abegerit, ut refert̄ capite modo citato. Sed fieri potuit, ut cessante sæuitia edicti, Corintho relicta, Romam redierit Aquila: quandoquidem illic multos Iudæos ipse Paulus post offendit: quod palàm est ex historia capitis quod est eiusdem uoluminis ultimum.

Claudius Iudæos abegit Roma.

Suas ceruices.) τὸν ἑαυτῶν τράχηλον, id est, Suam ipsorum ceruicem.

Quæ multum laborauit in uobis.) εἰς ὑμᾶς, id est, Erga uos. Idem enim satis colligitur ex interpretatione Origenis, apertius etiam ex Ambrosiana, apertissime ex Theophylacti. Quanquam non sum nescius in nonnullis Græcorum codicibus haberi scriptum, εἰς ἡμᾶς. Siquidem in his facillimus est scribarum lapsus.

Sed & omnes ecclesiæ gentium.) Disputat Origenes qui potuerit Paulus omnium ecclesiarum nomine salutem asscribere, cum uerisimile non sit omnes adfuisse Corinthi cum hæc scriberetur epistola. Sed quoniam cognouit omnium erga Romanos studium,

omnium

omnium nomine salutat illos.

Et domesticam ecclesiam.) κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν. Familiam Christianam & si qui accesserant,ecclesiam uocat:unde nos maluimus congregationem appellare.

Salutate Ephenetum.) Epænetus dicitur,non Ephenetus, ἐπαινετὸς, quod Latine sonat,laudatus siue laudabilis.

Qui est primitiuus ecclesiæ Asiæ.) ἀπαρχή, id est,Primitiæ,siue quod hūc primū Achiuorum conuerterit ad Christum,siue quod hic esset præcipuus. Ac mox,

Ecclesiæ Asiæ.) τῆς Ἀχαΐας, id est,Achaiæ est Græce,nō Asiæ,licet refragante uetustissimo codice Paulino.Chrysostomus ac Theophylactus legit Achaiæ.Nec additur ecclesiæ apud Græcos,uel in uetustis Latinorum exemplaribus,ne apud Ambrosium quidē. Addit autem In Christo,uidelicet interpretans cur uocarit primitias. *Asiæ pro Achaiæ.*

Andronicum & Iuliam.) Ἰουνίαν, id est,Iuniam.Nam Iuliam posterius suo loco refert. Consentiebat cū Græcis uetustissimus codex è Constantia præbitus.

Qui sunt nobiles.) ἐπίσημοι, id est,Insignes.Ne quis eum de genere loqui putet.

Ampliatum.) Ἀμπλίαν, id est,Ampliam,nisi forte Romanam uocem deprauauit ad,pnunciationem Hebraicam.Nec est dilectissimum,sed dilectum ἀγαπητόν.

Salutate Apellem.) Origenes addubitat num hic sit Apollo Alexandrinus, uir in scripturis eruditus,cuius mentio fit in Actis apostolorum cap. decimooctauo.

Ex Aristoboli domo.) τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου, id est,Eos qui pertinent ad Aristobulum, ut penultima sonetur accētu acuto,est enim Græcis diphthongus:nomen ab optimo cōsilio dictum:domo,non addebatur in exemplari quod præbuit Constantia.

Asineretum,Plegontam.)Legendum est,Asyncritum,Phlegontem ἀσύγκριτον,φλέγοντα.Asyncritus sonat incomparabilem, Phlegon incendens.

Hermen,Patrobam,Herman.) Diuersa nomina sunt:prius est Ἑρμᾶν Herman,alterum Ἑρμῆν,,quod Latine sonat Mercurium,atq; ita nos uertimus,ne quis in illis forte ξενίζηται. Origenes in libris περὶ ἀρχῶν arbitratur hunc Hermen esse autorem libri apocryphi, cui titulus pastor,unde frequenter adducit testimonia,& putat scriptū afflatu diuino,q̄q̄ non negat à multis contemni.Mira fuit in his ueterum uel credulitas uel ciuilitas,qui tantum tribuerint libris quos titulo Clementis habemus,quū in his tam manifestus appareat fucus hominis qui talia scripsit.

Olympiadem.) Græce Ὀλυμπᾶν Olympam. Apparet enim uiros esse,non mulieres,è duobus articulis Græcis αὐτῶν & σὺν αὐτῷ. At ex Olympiade non potes uirum facere.

Per dulces sermones & benedictiones.) διὰ τῆς χρηστολογίας & εὐλογίας. Ne quis imaginetur benedictiones uulgo dictas episcoporum,Græcis sunt duæ dictiones χρηστολογία. quam blandiloquentiam seu blandiloquiū recte dixeris. Vnde Cæsares quosdam oratione q̄ re benigniores,uulgo Chrestologos dictos accepimus: & εὐλογία ad uerbum quidem sonat benedicentiam,cæterum hic pro laudatione siue adulatione positum est,incul cauit enim idem dictum odio uitij, nempe assentationis. *Benedictio.*

Corda innocentium.) Græce est ἀκάκων. Quod magis significat simplices, minimeq; subdolos quàm innocētes. Siquidem innocens Latinis dicitur qui uacat omni crimine uitæ,ἄκακος qui expers est fraudis ac suspicionis. Siquidem innocentiæ uerbum unum est ex eorum numero quæ Cicero dicit Græcis deesse. *Innocens ἄκακος.*

Vestra enī obedientia. Appositius erat hoc loco,Nam uestra obedientia. Occurrit enī tacitæ quæstioni,cur dixerit corda simplicium.Nam uestra qui prudentes estis &c.

Timotheus adiutor meus.) ὁ συνεργός μου. Quod socium & consortem operis significat Græcis,quasi collegā dicas aut cooperariū. Ambrosius nō ineleganter uertit, cōsors laborū meorū. Ego Terentius.) Tertius legendū est,non Terentius, τέρτιος. Quāq; in nōnullis habet Terentius. Ambrosius legit Tertius:addit enim nomine, non numero. Atq; ita legit Chrysostomus ac Theophylactus Græcus interpres. Sic enī hic dictus est Tertius ut apud Romanos dicebantur Sexti Quinti ac Decimi.

Arcarius ciuitatis.) ὁ οἰκονόμος, id est,Dispensator:unde nos Quæstorem ærariū uertimus. Theophylactus putat præfectum fuisse. Et prorsus hactenus erat præfectus . Arbitror significari præfectum ærario.

Et uniuersæ ecclesiæ.) Latinus sermo habet amphibologiã, quod incertũ sit an Gaius hospes Pauli, Romanos salutet unà cum tota congregatione, an intelligendus sit hospes non Pauli solum, sed totius etiam ecclesiæ. Apud Græcos tantum posterior sensus accipi potest, atq; ideo nos uertimus, Hospes meus & totius ecclesiæ.

Gratia domini nostri &c.) Quoniam eadẽ ferè uerba paulo superius posita sunt, apud Ambrosium & Origenem hic non repetuntur: nec apud Chrysostomum, nec in uetustissimo codice, quem exhibuit bibliotheca Constantiensis.

Ei autem qui potens.) Hæc est pars quæ in plerisq; Græcorũ codicibus non additur. In nõnullis alio additur loco, nempe in fine cap. xiiij. sicut indicauimus eo loco. In quibusdã adijcitur in fine epistolæ. Id quod & nos fecimus, præsertim assentientibus Latinis exẽplaribus, etiam uetustis, & Ambrosio, cumq; his Origene, qui docet non solum hãc partẽ resectam fuisse à Marcione, qui quasdã Paulo inscriptas epistolas reiecit totas, quasdã truncauit mutilauitq;: uerũetiã totũ hoc quod sequitur ab eo loco quo dixit Paulus: Omne autẽ quod nõ est ex fide, peccatũ est, hoc est, à calce cap. xiiij. quod cætera adhortatiõibus tantũ & salutationibus occupata, parũ uiderent respondere Paulinæ grauitati. Sed huius sententiam iam olim ab omnibus explosam, quid attinet refellere? Mirũ est aũt qui acciderit ut hæc pars suo loco fuerit mota. Etenim si ob id loco mota est, quod cũ his quæ præcederent ac sequerentur parũ cõcinne cohæreret, ne hic quidẽ cohæret. Nam quod sermonis ordo nec apud Græcos, nec apud nos consequitur, minus admiror in Paulo, apud quem frequẽter eiusmodi occurrũt incõmoda. Etenim ut negligamus hyperbaton, quod adijcitur in fine honor & gloria, quo minus ad initiũ orationis referatur, Ei aũt qui &c. obstat dictio cui, quẽadmodũ annotauit & Thomas sequutus Augustinũ, qui utcũq; explicat alteram cõstructionis incõmoditatem, ut, per Iesum Christũ nõ referatur, ad sapienti: ne deus pater per filiũ sapiens esse uideretur, sed ad id quod sequitur: Sit honor & gloria, quod is patrem sua morte illustrarit apud homines. Verũ quid faciemus ly cui, sic em̃ ille loquitur, quod ita cõstanter obsedit omnes Græcorũ ac Latinorũ codices, ut nisi summa impudentia nõ possit expungi? Quod si locũ tuetur, nec superiora cohærent, nec inferiora, nec ipse sanè reperio quid hic cõminiscar, nisi libeat ingenue fateri, Paulum suo more hanc orationem imperfectam extulisse, ut subaudiamus, gratias agamus, aut simile quippiã. Ambrosius connectit superiora cum extremis, Sit honor & gloria, dissimulato incõmodo cõstructionis, quo tamen offensus est Thomas. Sed multo ante hũc Augustinus libro aduersus Maximinũ Arrianorum episcopum tertio, cap. decimotertio, putat autẽ sic ordinari posse, Ei gloria, cui per Iesum Christum gloria. Licet fateatur omissa uoce, cui, sermonem esse magis usitatum. Porrò quod nos legimus per scripturas prophetarum, Græcis est διὰ π γραφῶμ προφητικῶμ, id est, Perq; scripturas propheticas, cum neq; præcedat aliquid ad quod referatur coniunctio π, neq; sequatur καὶ, quæ consueuit huic subnecti, ni uis alterius cõiunctionis subaudiatur in nunc, atq; hũc accipiamus sensum, quod mysterium patefactum nunc per Euangelium, & olim per scripta prophetica.

Dubitatũ est de posterioribus capitulis huius epistolæ, num essent Pauli.

Thomæ sententia.

Missa fuit è Corintho.) Hoc è Græcis uoluminibus adiecimus, nisi quod ἐγράφη uertimus in missa est, Missa est per Phœben, cæterum scripta manu Tertij, dictante Paulo. Atq; illud interim subit admirari, cuiusmodi legatis tunc usi fuerint illi uere maximi pontifices, cũ Paulus ad Romanos adhuc florẽteis, de tam arduis rebus scripserit p mulierculam. Deinde ridere libet nouam Nicolai Lyrani diligentiã, qui cũ Origenes & diuus Hieronymus, cumq; his omnes antiqui cõfirment hanc epistolam è Corintho fuisse missam, ipse tamen ambigit, nimirum quod Aymo scripsit ex Athenis missam. Verum hũc plusquam Gordianum nodum, uide quanta dexteritate mirus explicat artifex: Partẽ, inquit, scripsit Athenis, deinde quod supererat addidit Corinthi, atq; ita Romam misit. O hominem suauem, mallet opinor Paulum quamlibet magnum itineris facere dispendium, ne quid patiatur autoritas Aymonis, perinde quasi ille uno aut altero in loco labatur.

ANNOTATIONVM IN EPISTOLAM AD ROMANOS, FINIS.

IN EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS PRIOREM ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI.

EX CAPITE PRIMO.



OCATVS & uocatis ſanctis.) κλητὸς & κλητοῖς nomina ſunt,non participia,ut ſuperius admonuimus, non perinde quod iam ſancti ſint,ſed quod uocati ſint ad ſanctimoniam. Quemadmodum indicauit & Ambroſius. Quanquã olim omnes Chriſtiani dicebantur ſancti,ad diſcrimen prophanorum,nec erat titulus uirtutis ſed profeſſionis. *Vocati ſancti non nati.*

Ipſorum.) Latinius erat,ſuo. Eſt autẽ Græcis duplex coniunctio, αὐτῶν τε & ἡμῶν, id eſt,ſuoq; & noſtro. Porrò ſenſus nonnihil eſt anceps. Theophylactus exiſtimat ſuoq; & noſtro,referri poſſe ad dñm,quia præceſſit dño noſtro: deinde repetens addat, Non ſolum noſtro,ſed & illorũ quicunq; inuocant. Ad eũdem modũ ordinat Chryſoſtomus in cõmentarijs Græcis nondum uerſis quos in hanc ſcripſit epiſtolam,ſi modo non fallit titulus. Eius codicis copia nobis facta eſt ex bibliotheca Prædicatorum apud Baſileam. Verum hæc interpretatio mihi uidetur affectata. Quidam ſimpliciter interpretantur,ſiue in ſuis locis in quibus agunt,ſiue in his in quibus nos agimus. Tertius autem ſenſus mihi uidetur argutior,& ad Paulinos affectus accommodatior. Quem hac lege referam,ut liberum ſit lectori nihilo ſecius quod malit ſequi. In quouis loco,ſiue ipſorum,ſiue meo,aut & ipſorũ & meo:ut intelligas Paulum omnem locum ſuum ducere,in quo ſint qui inuocant nomẽ dñi,quod inter Chriſtianos charitas cõmunia faciat omnia. Nec abhorret ab hac ſententia Theophylactus, indicans Paulum obiurgaturũ Corinthios ob coortum inter illos diſſidium, hac uſum paraſceue:quaſi diceret,Si omniũ qui quouis loco credunt Chriſto,una eademq; eſt eccleſia, cur uos eiuſdem reip. ciues inter uos diſſidetis? Ambroſius uidetur ipſorum,referre ad loca gentiũ,noſtro,ad Iudæorum,ſic eñ aſſcribit,Cũ Iudæis ueris iungit & gentes. Niſi mauis inuertere ut prius ad Iudæos pertineat,noſtro ad gẽtes:quod in Iudæa tantũ ſoleat in uocari nomen domini,& Paulus ut gentium apoſtolus noſtro dixerit. Coactius eſt quod addit Thomas,ipſorum referri ad epiſcopos eius loci, quibus licet eſſent ſubiecti, non tamen per hoc eximebantur à ditione apoſtoli. Certe nomen ditionis inauditum fuit inter apoſtolos. *Prima lectio Chryſoſtomi & Theophylacti. Secũda lectio Tertia Eraſmi. Ambroſij ſententia. Thomæ opinio.*

A deo patre noſtro & domino Ieſu.) Anceps eſt ſenſus apud Græcos, ꝓpterea quod hic genitiuus referri poteſt & ad præpoſitionem ἀπὸ, ut ſit ſenſus,à patre pariter atq; à filio pacem proficiſci:& ad nomen patre, ut accipiamus patrem eſſe cõmunem Chriſto & nobis. Priorem tamen ſenſum ſequuntur omnes. *Amphibologia.*

In omnibus.) ἐν παντὶ, id eſt,In omni,hoc eſt,in quauis re. Quanquam id quidem ad ſenſus integritatem nihil refert.

Sicut teſtimonium.) καθὼς, id eſt,Quemadmodum,quod ad ſuperiora referendũ eſt, id eſt,per quæ ſiue quibus rebus,nempe ſermone & cognitiõe. Etẽ quo magis illi abundabant dotibus ſacris,hoc teſtatior reddebatur euangelij ueritas. In eum ſenſum prorſus interpretatur Theophylactus. Nec ab hac ſententia multum abeſt Ambroſius. Thomas pro una uarias inducit ſententias. *Obſcurior ſermo.*

Vt nihil uobis deſit.) ὥστε ὑμᾶς μὴ ὑστερεῖσθαι ἐν μηδενὶ χαρίσματι, id eſt, Vt non deſtituami ni in ullo dono. Et ut,hoc loco,nõ notat finẽ,ſed conſequentiã,uelut adeo ut. Itẽ hoc loco gratia eſt non χάρις, ſicut paulo ſuperius,ſed χάρισμα,quod ſæpenumero donum uertit.

Sine crimine.) ἀνεγκλήτους. Quaſi dicas,incriminabiles,inculpatos, ab ἐγκαλῶ, quod eſt in ius uocare. & ἔγκλημα crimen eſt Græcis,indidem dicta uox. Eſt autem perfectius atq; *Sine crimine ἀνέγκλητοι.*

atq; etiam difficilius ἀνέγκλητον esse quàm innocentem. Siquidem ipsa etiam innocentia non uacat aliquoties crimine.

Fidelis deus.) πιστός. Paulus hanc dictionem uarie usurpat. Nonnunq; πιστοὶ dicuntur qui credunt, ut ἄπιστοι increduli, aliâs πιστοὶ qui sunt bonæ fidei, præstantes quod recepe/rint, ut hoc in loco, teste & Theophylacto, qui fidelem deum, uerídicum interpretatur ac mentíri nescium. Interim ad rem refertur, ut πιστὸς ὁ λόγ☉, pro sermone certo & indubi/tato. Porrò fidelis uocabulũ etiam superiori cõpetere testatur Horatius, Vnde mihi tam fortem, tamq; fidelem. Loquitur enim de eo, quem certe uolebat superiorem uideri.

In societatem.) εἰς κοινωνίαμ, In cõmunionẽ siue cõsortium. licet recte uerterit interpres.

Obsecro uos.) παρακαλῶ. Hortor esse poterat. Quanquã & obsecro satis quadret, siue obtestor, præsertim quia sequitur, Per nomen domini nostri Iesu. Sic enim interpretatur & Theophylactus, Paulum obtestari Corinthios per nomen illud quod omnibus Chri/sto initiatis sacrosanctum esse debet.

Idẽ dicere, cõsentire dictis.

Vt idipsum dicatis.) τὸ αὐτὸ, id est, Idem loquamini, hoc est, consentiatis. Quod ad Ro manos scribens dixit, τὸ αὐτὸ φρονεῖμ, id est, Idem sentire, siue ut ille uertit, sapere. quod hæc inter se cognata sint, dissentire animo & dissidere uerbis. Ad hũc modũ exponit & Theo phylactus. At huius præcepti non meminerunt quidam, quorum alius mordicus tenet Scotisticam sectam, alius Thomisticam, alius Occanisticam, alius Albertisticam. Aliud loquuntur nominales, aliud reales, aliud iurisperiti, aliud theologi, rursus aliud transalpi/ni, aliud cisalpini.

Perfecti, integri corporis.

Schismata.) Græcã uocẽ reliquit. dicere poterat, sectiones, aut dissensiões, aut dissidia.

Sitis autem perfecti.) κατηρτισμένοι, siue ut quidã habebant ἀπηρτισμένοι, quod signifi/cat perfectum, ut corpus est, in quo nullum sit membrum mutilum aut mancum, aut in/æquale, ab ἄρτι☉ & ἀρτίζω. Vnde nos explicandi causa uertimus, Sitis integrũ corpus. Etenim cum dicitur perfectum, uulgus intelligit absolutam uirtutem: de qua nondũ agit Paulus apud seditiosos. Si uertissem integri, uisus essem dicere incorruptos ac probos. Monet enim Paulus, ut non solum concordes sint lingua idem loquentes, uerumetiã ut sicut integri corporis membra eodem aguntur spiritu, ita & illis mens sit eadem. Porrò quod dissidet, diuulsum est ac dissipatum, non integrum ac solidum.

Sensus pro mente.

In eodem sensu.) αὐτῷ☉ νοΐ, id est, Eadem mente. In, præpositio posita est pro per, ideoq; ea omissa, sensum eundem reddidimus.

Scientia pro sententia de/prauatum.

In eadem scientia.) αὐτῇ γνώμῃ, id est, Eadem sententia. quod aut mutatum est à libra/riis, aut interpres legit γνώσ☉, sicut habẽ in æditione Aldina, pro γνώμῃ. Sed hoc mihi ue/risimilius est, cum & Græcorum codices consentiant, & in uetustissimis Latinorũ exem plaribus habeatur sententia pro scientia, nominatim in exemplari Paulino probatissimæ fidei, quodq; multorum instar esse possit: rursum in eo quod nobis præbuit collegium Ca nonicorum Constantiensiũ. Ad hæc Ambrosius deprehenditur sententia legisse, nõ scien tia, si quis attentius obseruet ea quæ cõmenti uice subijcit, Perfectos uult eos esse in eodẽ sensu quem illis tradiderat, ut non discreparent. Ad illorum enim exemplum quos supra laudat, hos prouocat, ut hoc sentiant ac defendant. Hactenus Ambrosius. Sensum refert ad id quod illis fuerat à Paulo traditum, sententiam ad defensionem. Nam sententia uo/catur ferè quæ profertur ac recitatur, sensus apud nos est. Certe palàm pro scientia, sentẽ/tiam legit Hilarius in psalmũ cxxxij. Itidẽ legisse Theophylactum deprehendet qui per/

Thomas.

penderit attentius illius interpretationem. Thomas detorquet sensum ad eã uim animi, qua iudicamus de agendis: scientiã qua iudicamus de cognoscendis. Id cõmentũ mihi sa/nè nõ admodũ arridet, cũ mente potius iudicemus cognoscenda. Neq; eñ sensus hic acci pi potest pro sensu corporalis organi, qualis est uisus aut auditus. Erroris ansa hinc præbi ta est, quod paulo superius habebat γνώσ☉, ᾧ πάντι λόγῳ, & πάσῃ γνώσ☉. Verũ illic loquebat apostolus de abundantia scientiæ & eruditionis, hic agit de consensu. At fieri potest, ut non sit eadem scientia, quum mens sit eadem.

Ab his qui sunt Chloës.) Theophylactus Græcus interpres, Chloën familiæ Corin thiensis nomẽ esse putat: ut intelligas eius gentis aliquos fuisse qui Paulo significarint de Corinthiorum dissidio. Quemadmodum ad Romanos scribens dixerat, ἐκ τῶν ἀριστοβού/

λου, gen

λύ, gentiles illius ac familiares intelligens. Thomas ambigit utrum Chloën uicum fa- *Thomæ la-*
cere malit, quæ pertinuerit ad ditionem Corinthiorũ, an matronam. Ambigit & Ambro- *psus.*
sius, homines sint, locus, an fœmina. Etiamsi apud Græcos locorum nominibus addi so-
let præpositio. Neq; enim apud illos receptum est τοῖς οὖσι ξώμης, quemadmodum apud
nos, ijs qui Romæ sunt, sed addita præpositione efferunt, ἐν τῇ ξώμῃ. Certe apud Hora-
tium in Odis Chloë fœminæ uocabulum est:

Me nunc Cressa Chloë regit,
Dulces docta modos, & citharæ sciens.

Miro uero consilio Paulus fidei causa familiæ nomen expressit, at rursus hominum nomi- *Consilium*
na suppressit, ne quid illis conflaret inuidiæ. *Pauli.*

Deo meo.) Meo, apud Græcos non est, nec apud Ambrosium, nec in antiquis exem-
plaribus, nominatim in Paulino & Constantiensi. Et absolutius est, ut sit deus omnium.
Nam quod paulo superius dixit, Gratias ago deo meo, annotatum est à Theophylacto,
quod deum omnium communem, affectu quodam summo, suum deum appellarit, & hic
annotaturo, si suum dixisset deum.

In nomine meo baptizati estis.) ἐβάπτισα, id est, Baptizaui, primæ personæ, licet cõ-
stanter refragantibus Latinis exemplaribus: & ad sensum nihil interest. Ex Theophyla-
cti cõmentarijs non admodum liquet quid legerit, nisi quod coniectura magis eò uergit,
legisse ἐβάπτισα ὅτι ἐβαπτίσθητε. Subijcit enim Paulum complures baptizasse, sed in Chri-
sti nomine, non suo. Hac æditione quarta quoniam ad manum erat Græcus codex, com-
peri scriptum ἐβάπτισα. Certe Augustinus libro aduersus Cresconium, tertio, cap. unde-
cimo, legit iuxta Græcos. Verum ne quid erres lector, in hac uoce sæpe repetita, In primo
loco, aut in Pauli nomine baptizati estis, consentiunt Latini codices cum Græcis, In alte-
ro loco, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizaui, Græci consentiunt, Latini dissen-
tiunt, eo quod quidam legunt baptizati sitis, alij baptizaui.

Si quem alium uestrum.) εἴ τινα ἄλλον, id est, Nunquem alium, nam uestrum redũdat,
nec additur apud Ambrosium, nec apud Theophylactum.

Non in sapientia uerbi.) οὐ σοφίᾳ λόγου, id est, In eruditione sermonis. Siquidem σοφὸν *Sapiẽtia pro*
appellant non solum quod sapit, uerumetiam quicquid elegans est & eruditũ. Græcis au- *eruditione.*
tem placebat eruditio, sicuti Iudæis miracula ac prodigia. Et in, præpositio loco per, posi-
ta est, & Hebraica figura dictum est, In sapientia sermonis, pro eo quod erat, erudito ser-
mone, siue per eruditum sermonem. Porrò cum λόγῳ sermonẽ significet potius quàm
uerbum, cur hoc in loco libuit abuti uerbo? Et mox ad eundem modum, uerbũ enim cru-
cis, neq; enim hic significatur dei filius. Vbi & illud obiter annotandum, hic geminũ addi
articulum, ὁ λόγος γὰρ ὁ τοῦ σταυροῦ, quo sit euidentior discretio huius sermonis de cru- *Articuli uis.*
ce simplicis & incompositi, suoq; congruentis argumento, à sermone philosophorum &
rhetorum fucato compositoq;.

Vt non euacuetur.) ἵνα μὴ κενωθῇ, id est, Vt non fiat inanis. Nam inane dicitur quod
non est solidum, sed specie blanditur. Illud obiter annotabis optime lector, quàm sollicite
curarit diuus Paulus ut euangelium Christi purissimum esset ab omnibus humanis admi- *Doctrina*
niculis, ne quid inde sibi uendicare posset hic mundus, adeo ut nec eloquentiam uoluerit *Christi pura.*
adiungere, aut eruditionem humanam. At his temporibus cum oneremus Christum opi-
bus, negocijs prophanis, honoribus, imperijs, exercitibus, uoluptatibus, & quibus tandẽ
non? solam eloquentiam execramur. Et hac una in parte uel anteimus apostolos. nam il-
li simpliciter dixerũt, sed cordate, sine lenocinijs, at rursum sine spurcitia sine portentis, in-
affectate locuti sunt, sed prudẽter, & ut paucis dicam, quemadmodũ alio modo potentes *Sermo apo-*
erãt ac diuites, alio modo nobiles & inclyti, ita diuerso modo tũ eruditi, tum eloquentes. *stolicus.*

Id est nobis.) Id est, addidit nescio quis, nam Græce est, τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν, id est,
Nobis autem qui salutem consequimur. Apud Ambrosium ita legitur, His autem qui sal-
ui fiunt, dei uirtus est, omisso ut apparet ἡμῖν.

Virtus dei est.) δύναμις. Vt opponatur infirmitati & impotentiæ, quod Rhomani tu-
merent imperij gloria & laude bellica.

Perdam

Perdam ſapientiam ſapientium.) Teſtimonium eſt apud Eſaiam cap. xxix. quod ſuo more adduxit, non iuxta ueritatem Hebraicam, ſed iuxta Septuaginta, licet in ſenſu nulla ſit diſcrepantia. Sic enim habet Hebraica ueritas, Peribit enim ſapientia à ſapiẽtibus eius, & intellectus prudentium illius abſcondetur. Septuaginta ſic, Et perdam ſapientiã ſapientium, & intellectum prudentium abſcondam.

Et prudentiam.) τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν, id eſt, Intelligentiam intelligentium, ſi quis ad uerbum reddat.

Vbi ſcriba.) γραμματεύς. Id Theophylactus ad Iudæos referri putat, apud quos ſapiẽtiæ profeſſio penes ſcribas erat, alioqui γραμματεὺς ad uerbum literatorem ſonat. unde & literatus dicitur. Neq; enim ſcriba ſimpliciter is dicitur Hebræis qui ſcribit, ſed qui conſultus de rebus perplexis, ex oraculis ſcripturarum ſacrarum reſpondet, quemadmodum annotauimus in Euangelijs. Sumptum apparet ex Eſaiæ cap. xxxiij. ubi iuxta Hebraicã ueritatẽ ita legit Hieronymus, Vbi ſcriba? ubi legis uerba ponderãs? ubi doctor paruulorum? Iuxta Septuaginta ad hunc modum legimus πῦ εἰσιν οἱ γραμματικοί; πῦ εἰσὶν οἱ συμβουλεύοντες; ποῦ ἐστὶν ὁ ἀριθμῶν τοὺς συσχεφομένους μικρὸν καὶ μεγάλον λαόν; id eſt, Vbi ſunt grãmatici? ubi cõſiliatores? ubi eſt qui numerat eos q̃ nutriunt paruũ & magnũ populũ?

Diſputator. Vbi inquiſitor.) συζητητὴς, id eſt, Diſputator. ad uerbũ ſonat cõquiſitor, nam συζητεῖν eſt diſputare. Atq; ita legit Ambroſius. itaq; ſcriptum comperi in exemplari Paulino, & Conſtantienſi. De hoc uerbo nonnihil admonuimus in Euangelijs, Vbi eſt ſcriba? ubi eſt legis uerba ponderans? Vbi doctor paruulorum?

Gentibus autem ſtulticiam.) ἔθνεσι δὲ, id eſt, Græcis autem, quo nomine ſolet omneis complecti, qui Iudæi non eſſent.

Ipſis, pro ijſdem. Ipſis autẽ uocatis.) αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς. Dilucidius erat, Sed ijſdem uocatis: ut intelligas utriuſq; gentis Chriſtianos, quibus ex æquo Chriſtus probatur. Cum unus utrunq; ſit, quod utraq; gens requirebat. Quid quæris Iudæe? Signa. hic eſt dei uirtus. Quid tu Græce? Sapientiam. hic eſt ſapientia patris æterni. Nam id ſenſiſſe Paulum teſtantur & Græci interpretes.

Stulticia dei. Quod ſtultum eſt dei.) ὅτι τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ ἀσθενὲς, id eſt, Stulticia dei & infirmitas dei, ut adiectiuum in genere neutro poſitum intelligatur uice ſubſtantiui nominis. Annotauit hunc locum Auguſtinus in opere de doctrina Chriſtiana libro ſecundo cap. xiij.

Amphibolo gia. oſtendẽs in hac interpretatione, licet abſit ſolœciſmus, non abeſſe tamen amphibologiã, quod incertum ſit, an hominibus ſit dandi caſus, an auferendi. quaſi dicas, ſtultum eſt tibi, ſed ſtultius huic. Id incõmodi uitari poſſe putat, ſi uertas, fortius eſt quàm homines, & ſapientius eſt quàm homines. Atq; ita ſanè refert lib. aduerſus Fauſtũ xij. capite. xxiij. Cæterum ſi interpres uertiſſet ad uerbum, Sapientius & fortius eſt hominum, duplex fuiſſet incõmodum, non ſolum enim admiſiſſet ſolœciſmum, uerumetiam amphibologiam: quod peruerſe poterat accipi, quod ſtultum eſt hominum, ſapientius eſſe quàm dei, & infirmum hominum, fortius quàm dei. Porrò ſtulticiam & imbecillitatem dei, uocat prædicationem crucis, ſiue quod ea res ſtulta & imbecillis uideretur impijs, ſiue quod ad ineffabilem illam dei ſapientiam ac potentiam, hæc quodammodo ſtulta eſſet & imbecillis. Vt enim omnes iuſtitiæ hominum coram deo ſunt ueluti pannus mulieris menſtruo fluxu pollutæ, ita uniuerſa mortalium ſapientia, ſi componatur ad incogitabilem illam ac cœleſtem ſapientiam, ſtulticia quædam dici poſſit. Nec eſt quod abominemur hunc ſermonẽ, ſtulticia dei, quam non horruit Auguſtinus epiſtola cij. ſcribens ad hunc modũ, Hæc ſtulticia dei, & ſtulticia prædicationis multos contrahit ad ſalutem. Si deus demiſit ſe ad noſtram imbecillitatem, ut fortes redderet, quid nouum, ſi ſe demiſit ad noſtram ſtulticiam, ut ex ſtultis redderet ſapientes?

Nõne ſtultam fecit.) οὐχὶ ἐμώρανεν, id eſt, Nónne ſtultificauit, ſiue infatuauit, ut ita loquamur. Fatuum enim & ſapidum pugnant inter ſe.

Videte enim.) βλέπετε γάρ. Tametſi Græca uox anceps, tamen ſenſui magis congruit uidetis, quàm modus imperatiuus, uidete. Nec enim admonet ut uideant quod ſciebant, ſed quod perſpicuum erat, trahit in argumentum. Ambroſius Græcam uocẽ ancipitem

ancipiti

ancipiti Latina explicat,legens,Intuemini enim fratres. Theophylactus interpretatᷣ per imperandi modum.

Vt confundat.) καταισχύνῃ, id eſt, Pudefaciat,aut ſuffundat,potius quàm confundat: nam confundi dicitur qui perturbatur. *Cõfundat pro pudefaciat.*

Vt confundat ſapientes.) Mirum eſt, cur Paulus non ſeruauerit utrobiq; generis ſimilitudinem.Nam ſtulta opponit ſapientes,non σοφὰ, id eſt,ſapientia ſiue docta, & tamen in cæteris reddit neutrum genus,fortia & non fortes.

Et ea quæ non erant.) καὶ τὰ μὴ ὄντα.Cum ante dixiſſet, ἐξουθενημένα, hoc eſt,Pro nihilo habita,ſiue ad nihilum redacta,Hebraica figura rem auxit,quemadmodum & in ſuperiori epiſtola,uocat ea quæ non ſunt tanquàm ſint,non eſſe intelligens quæ ſint contemptiſſima,ſiue perditiſſima. Vnde nihili hominem dicimus,nullius precij hominem. *Nõ ſunt quæ contẽptiſſima ſunt.*

Vt ea quæ ſunt deſtrueret.) καταργήσῃ. Quod aliquoties uertit,euacuaret.Eſt autẽ antiquare & uelut obliterare:ut frequenter iam admonuimus.

Omnis caro.) πᾶσα σάρξ. Mollius erat,ulla caro. Quod & ipſum Hebraica figura dictum eſt.Siquidem hic carnem pro homine poſuit,ut ſuperius animam:Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus &c.

In conſpectu eius.) Græcis eſt dei pro eius.Atq; ita ſanè ſcriptum comperimus apud Theophylactum. Quãq; exemplaria Græca uariant.Sunt enim quæ habeant αὐτῷ pro θεοῦ. licet hoc ad ſententiam perpuſillum referat.

Ex ipſo autem.) ἐξ αὐτοῦ γάρ, id eſt,Ex eodem enim,hoc eſt,nec ex diuitibus,nec ex ſapientibus,ſed ſine diſcrimine ex eodem.Etiamſi Ambroſius refert ad patrem, atq; item Theophylactus:ut ſit ſenſus,Non eſt quod alius alium oderit,aut faſtidiat:omnes ex eodem patre nati eſtis,nempe filij dei,idq; per Chriſtũ.Quo loco palàm indicat Theophylactus, præpoſitionem ἐν poni loco διά.quod & nos & aliàs indicauimus. *Ipſo,pro eodẽ*

Qui factus eſt nobis.) Hoc perinde ſonat Græce,quaſi dicas,Cœpit nobis eſſe ſapientia,uel fuit nobis ſapientia, ὡς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία. Velut illud, Ante me factus eſt,id eſt, cœpit eſſe prior me.

Qui factus eſt nobis ſapientia.) Poſt ſapientia,Græci habent ἀπὸ θεοῦ, id eſt, à deo, quod in noſtris aliquot exemplaribus non legitur,cum habeatur apud Ambroſium,& in exemplari Paulino.Ambroſius etiam interpretatur,atque item Theophylactus indicat non ſine cauſa adiectum à deo.Ne quis addubitet in noſtris ubi deeſt, incuria ſcribarum omiſſum eſſe. *Deeſt in noſtris.*

Vt quemadmodum ſcriptum eſt.) Nõ dubium eſt quin Hieremiæ cap.nono,Hæc dicit dominus,non glorietur ſapiens in ſapientia ſua,& non glorietur fortis in fortitudine ſua,& non glorietur diues in diuitijs ſuis,ſed in hoc glorietur,qui gloriatur ſcire & noſſe me,quia ego ſum dominus qui facio miſericordiam, & iudiciũ & iuſtitiam in terra.Hæc eñ placent mihi, dicit dominus.

EX CAPITE SECVNDO.

IN ſublimitate.) καθ' ὑπεροχὴν, id eſt, luxta eminentiam:nam hoc uerbo uſus eſt Ambroſius.Nec eſt,in,apud Græcos, ſed κατὰ iuxta,aut ſimile quippiam. Ambroſius legit,Cũ eminentia.Paulinus codex habebat Per ſublimitatẽ ſermonis. Teſtimonium Chriſti.) Dei eſt apud Græcos,nõ Chriſti:idq; proſpicuum eſt ex interpretatione Theophylacti: Dei, inquit, teſtimoniũ uobis pronunciaturus,id eſt,Chriſti mortem.Ambroſius legit,prædicans uobis myſteriũ dei, nec ita legit ſolũ,uerumetiam interpretatur. Vnde diuerſo uidetur uſus exemplari Græco.Siquidem apud illos inter μαρτύριον & μυστήριον nonnulla uocum affinitas eſt. *Varia lectio.*

Non enim iudicaui me ſcire.) οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τί, id eſt,Non enim iudicaui ut ſcirem aliquid.Fortaſſis iudicaui,refertur ad conſilium ueniendi.Siquidem Græci interpretes diſſimulant huius articuli uim τοῦ,qui præponitur uerbo infinito.Aut quod magis arridet,iudicaui poſuit,pro æſtimaui,uelut in epiſtola ſuperiori:Alius iudicat diem ad diẽ. Senſus igitur erit,nõ æſtimaui me alicuius precij,ob id quod ſcirem aliqd inter uos &c. Nam ubi cauſa ſignificatur,ſolet in his ſubaudiri ἕνεκα, ut ſit ſenſus, ἕνεκα τοῦ εἰδέναι. Certe

Hilarius libro de trinitate x. citans hunc locum, non addit pronomen me.

Non in persuasibilibus.) πειθοῖς, id est, Suasorijs, & ad persuadendū appositis: & σοφία sæpe doctrinam significat, ut iam admonuimus.

In, pro per.

In ostensione spiritus.) ἐν ἀποδείξει. Quod propemodum sonat ostentationem. Nam Rhetores ἀποδείξεις uocāt orationes, quas ostentandi ingenij gratia recitant auditoribus: quod genus extant aliquot Luciani & Apulei. Mathematici quoque uocant ἀπόδειξιν, ubi rem picturis ostendunt: & dialectici syllogismum è principijs rem certam colligentem, ἀπόδειξιν appellant. Paulus ἀπόδειξιν appellat, cum ipsa re præstatur ac declaratur spiritus Apostolicus.

Stulticia Christi.

Sapientiam autem.) Ex hoc loco apparet quid Paulus senserit, cum tribueret deo stulticiā, nimirū ad collationem huius sapientiæ, quā loquebatur inter perfectos, ne quis alteram illam sentētiam arbitretur omnino reijciendam quam proximo capite recensuimus.

Ordo lectionis uariat sensum.

In mysterio absconditam.) Græcis absconditam, non pendet ab ijs uerbis quæ proxime præcedunt, In mysterio, quasi dixerit, recōditam in mysterio, sed loquimur, inquit, nō ꝑpalàm aut passim, ne simus offendiculo, sed secreto, nec inter quoslibet, ne rosas obijcia mus porcis, sed inter perfectos: neq; quamlibet sapientiam, quam alij philosophi publice profitentur, sed arcanam illam & reconditam. Id ita esse arguit articulus Græcus additus participio τὴν ἀποκεκρυμμένην. Atq; ita legisse uidetur, quisquis fuit qui libros Origenis transtulit aduersus Celsum. Sic enim adducit hoc testimonium: Sapientiam autem loquimur in perfectis, sapientiam uero non huius seculi, nec principum huius mundi, qui destruuntur, sed loquimur dei sapientiam in mysterio, quod absconditum est, quod prædestinauit &c. Neq; secus legit Augustinus in collectaneis Bedæ: nisi quod Græcis est, quæ abscondita est, non quod absconditum. Ad eundem modum adducit Hieronymus præloquens in tertium cōmentarium, in epistolam ad Galatas, Sed loquimur dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Atq; ita scriptum comperi in uetustissimo codice Paulino. Consentiebat uterq; codex è Constantia nobis suppeditatus. Neq; secus adducit hunc locum Ambrosius libro de fide tertio capite tertio. Conuenit enim ut quæ sunt arcana, non palàm effutiantur, sed secreto qui digni sunt, cōmunicentur.

Principes huius seculi.

Aut principum huius seculi.) ἀρχόντων. Quod quidam interpretati sunt dæmones, reclamante Chrysostomo simul & Theophylacto, qui principes exponunt, philosophos, oratores, & alioqui doctos, qui olim in republica regnabant. Nam quod Origenes homilia in Matthæum quarta, principes huius seculi uult esse dæmones, quibus pater ob salutem humani generis tradiderit filium, per quos deinde traditus sit in manus impiorū hominum, mihi sanè uidetur paulo coactius, licet ea sententia placuerit Ambrosio. Porrò quod apud Ethnicos erant oratores & philosophi, hoc apud Iudæos scribæ & pharisæi. Qui destruuntur καταργουμένων, uidetur referri posse ad utrūq;, huius seculi & principū, quæ abolentur: ut intelligamus utrūq; abolendū, & seculū hoc & huius seculi principes.

Nūquam, pro nequaquā.

Nunq; dominum gloriæ.) οὐκ ἄν est Græcis, hoc est, nequaquàm. Id quod incuria librariorum uideri poterat immutatum, ni tantus esset codicum nostrorum consensus.

Sicut scriptum est.) ἀλλὰ καθὼς γέγραπται, id est, Sed sicut scriptum est: ut coniunctio connectat sermonem cum superioribus: Non loquimur sapientiam huius mundi, sed ea loquimur quæ nec oculus uidit, nec auris &c. Porrò quod mox præcessit: Quam prædestinauit deus, ἣν προώρισεν, rectius est præfiniuit, siue præordinauit, uidelicet suo tempore reuelandam, ne rem putarent nuper inuentam.

Ascendit, pro ascenderunt.

Quod oculus non uidit.) Recte quidem admonet Laurentius, uerbū singulare descendit, uertendum fuisse in plurale, propter nomen neutri generis. Atque ita citat diuus Hieronymus, cum alijs aliquot locis, tum aduersus Ruffinum, ascenderunt, non ascendit, ἀνέβη. & quæ, non quod. Eandem scripturam comperi in altero exemplari Constantiensi miræ uetustatis. Verū magis mouet articulus postpositiuus ἃ in initio sermonis: nam is reddit orationē inabsolutam, tam apud Latinos quàm apud Græcos, nisi subaudias, sunt. Quanq; huiusmodi quædam & alias apud Paulum licet reperire: nisi interpres pro ἃ legit ὅτι, aut nisi quis coniunctionem, quod, de suo adiecit. Faber legisse uidetur ἃ pro ἅ. Verum uideo ἅ referri ad id quod præcessit, Nemo principum seculi huius nouit, sed nobis reue

bis reuelauit.Porrò teſtimonium hoc Paulus ſumpſit ex lxiiij.capite Eſaiæ,ſententiæ magis exprimens ueritatem,quàm uerba annumerans.Nam illic iuxta ueritatem Hebraicã ita legitur,A ſeculo non audierunt,nec auribus perceperunt.Oculus nõ uidit deus abſq; te,quæ præparaſti expectantibus te.Apoſtolus legiſſe uidetur, לְמחכה לו, quod eſt, diligentibus ſe, per ב beth,à uerbo חִבֵּב quod eſt uehementer dilexit. Septuaginta uero per ב caph,à uerbo חָכָה quod eſt expectauit.Præterea apud Hebræos eſt pronomẽ tertiæ perſonæ לוֹ ſicut apud Apoſtolum αὐτόμ. *Paulus ex Hebraica ueritate citat.*

His qui diligunt illum.) τοῖς ἀγαπῶσιμ αὐτὸμ, id eſt,Diligentibus ſe.Apud Septuaginta non uerba ſolum diuerſa ſunt,ſed ſenſus ipſe plurimum ab hoc diſcrepat.Sic enim legit, ἀπὸ τοῦ αἰῶνΘ οὐκ ἠκούσαμεμ, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶμ εἶδομ θεὸμ πλὴμ σοῦ, καὶ τὰ ἔργα σου ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομενοῦσιμ ἔλεΘ, id eſt, A ſeculo nõ audiuimus,neq; auribus pcepimus,neq; oculi noſtri uiderunt deum abſq; te,& opera tua quæ facies expectantibus miſericordiam. Atq; ad eum modum adducit Hilarius libro de trinitate quinto. Vnde fuerũt qui locum hunc ex apocryphis Iudæorum peterent,ſed uehementer refragante Hieronymo, Sanè hic unus eſt inter paucos,quos Paulus adduxerit ex Hebraica ueritate, licet ſenſum magis expreſſerit q̃ uerba annumerarit. *Paulus Hebraicam ueritatem ſequẽs.*

Etiam profunda dei.) καὶ τὰ βάθη, id eſt,Etiam profunditates. Quanquàm id quidem ad ſenſum perparui refert.

Quis enim ſcit hominum,quæ ſunt hominis.) τὰ τοῦ ἀνθρώπου. Quod Auguſtinus libro de ciuitate dei primo,non ineleganter explicuit,Quid agatur in homine:uertere poterat,Et ſtatum hominis, aut res hominis.

Sed in doctrina ſpiritus.) Græce ſic habet, οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλὰ ἐν διδακτοῖς πνεύματΘ ἁγίου, id eſt,Non in doctis humanæ ſapientiæ uerbis,ſed in doctis ſpiritus ſancti,ut ſubaudias,uerbis.Doctis autem hoc loco nomen adiectiuum,non participium:& genitiuus ſapientiæ,ad doctis refertur magis,quàm ad uerbis.Quaſi dicas, nõ in uerbis callentibus humanam ſapientiam,ſed in uerbis peritis ſpiritus,hoc eſt, quæ habent doctrinam ſpiritus,quæ numinis afflatu contigerit.In paucis Græcorum exemplaribus ſcriptum erat, διδακτικοῖς, quod uerbũ aliâs Paulus uſurpauit actiue,uelut in epiſtolæ ad Timotheum ſecundæ,cap.ſecundo, πρὸς πάντας διδακτικὸμ, id eſt, Erga omnes paratum ac propenſum ad docendum.Ad eundem modum hic legas licebit,non in uerbis quæ doceant humanam ſapientiam,ſed quæ doceant ſpiritum dei.At mihi magis probatur,ut hic intelligamus ſermonẽ apoſtolorum non conſtare doctrina humana,ſed afflatu diuino.Nam huiuſmodi θεοδίδακτοι dicuntur,id eſt,diuinitus docti.Id quanquam eſt aliquanto durius citra compoſitionem,tamen ita Ioannes extulit in euangelij ſui cap.ſexto, καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ θεοῦ. Quo loco certum eſt diuinitus afflatos intelligi. Ambroſius ſenſum magis exprimit,quàm reddit uerba,legens ad hunc modum,Non in doctrina uerborum humanæ ſapiẽtiæ,ſed in doctrina ſpiritus. Theophylactus ſentit ea quæ didicerit Paulus à ſpiritu.Id Auguſtinus exprimens in epiſtola cl.Non in doctis humanæ ſapientiæ uerbis,ſed docti ſpiritu. Quid hic dicent Theologi quidam, qui tradendo ſacras literas,nihil crepant,niſi philoſophiam Ariſtotelicam? *Doctis ſpũs, pro doctis à ſpiritu.*

Spiritalia comparantes.) συγκρίνοντες, id eſt,Conferẽtes,componẽtes, ne quis accipiat cõparare, pro parare. Nec enim ad homines refertur ſpiritualibus,ſed ad res,quibus accõmodandam putauit Paulus eloquentiam item ſpiritualem,ne uideretur abſurdum, cœleſtem illam philoſophiam,humanis uerborum ornamentis cõmendari. Nam quod admonet Theophylactus de ſacramentis euangelij,cum ueteris inſtrumenti ſacramẽtis cõferendis,ut uerum eſſe fateor,ita parum exiſtimo quadrare ad huius loci ſententiam. *Sermo rei aptus & perſonis.*

Animalis autem homo.) ψυχικός. Velut animum,hoc eſt,affectus ſequens humanos. Etenim cum Paulus hominem diuidat in treis partes,carnem,animam,& ſpiritũ,hic animæ uocabulo,pro carne uidetur abuſus. *Tres hominis partes iuxta Paulum.*

Stulticia enim eſt illi.) Eſt,pluratiue erat uertendum ſunt,ut intelligas ea quæ ſunt ſpiritus,illi eſſe ſtulticiam.Fefellit interpretem uerbum ſingularis numeri,ſed quod uice pluratiui poſitum eſt.

Spiritualiter examinatur.) ἀνακρίνεται, id eſt, Dijudicatur:quod uerbum mox ſæpius

Duplex sensus. uertit,iudicatur.Rursum hic examinantur,erat dicēdum multitudinis numero,ut subaudias quæ præcedunt,nempe Ea quæ sunt spiritus. nisi ὅτι sit articulus non coniunctio, quod:ut hic sit sensus,non potest intelligere ea spiritualiter dijudicari,cum sit ipse carnalis.Et tamen Ambrosius accipit singulari numero.

Sicut scriptum est,quis enim cognouit.) Sicut scriptum est,in Græcis codicibus non inuenio,nec in uetustissimo codice Donatiani. Consentiebat utercȝ codex è Constantia

Excußum uaticinium. missus. Cæterū testimonium quod sine nomenclatura retulit,est apud Esaiam cap. quadragesimo.Quancȝ Paulus expressit potius quàm appendit uerba.Siquidem Septuaginta uerterunt ad hunc modum,indicante Hieronymo,τίς ἔγνω νοῦν κυρίου,καὶ τίς αὐτῷ σύμβουλος ἐγένετο; id est, Quis nouit mentē dñi,& quis consiliarius eius fuit? Iuxta ueritatē Hebraicam ita transtulit Hieronymus,Quis adiuuit spiritū dñi,aut qs cōsiliarius eius fuit,& ostēdit illi? Cū quo iniit cōsiliū & instruxit eū? Porrò qđ Paulus ait συμβιβάσῃ, Theophylactus interpretatur διορθώσῃ, id est, corriget,siue corripiet: quod equidē non admodum probo. Cæterum quod Hieronymus uertit adiuuit,Paulus cognouit,Hebraice est חִבֵּן. Quod Hieronymus uertit spiritum, Paulus mentem,apud Hebræos est רוּחַ.

Aut quis instruxit eum.) ὃς συμβιβάσῃ αὐτόν, id est,Qui instruet aut docebit eum.Donatiani codex habebat,Qui instruat eum,nō multum dissidens à Græcis. Suffragabatur exemplar utrūcȝ Constantiense.Quancȝ Græcis ambiguum est,qui, pronomen utrum ad mentem referatur,an ad dominum. Tametsi ipse malim in eam legi sententiam,in quā legunt omnes,Quis cognouit mentem domini,qui instructurus sit illum? Quod ut fieret euidentius,explicuerunt per coniunctionem disiunctiuā. Videri poterat referre eam sententiam,quæ est cap.Sapientiæ nono:Quis enim hominum poterit scire consiliū dei: aut quis poterit cogitare quid uelit deus? Ac paulo post,Sensum autem tuum quis sciet? Nisi apud Hebræos liber Sapientiæ extra canonem esset. Vnde satius est,ut quemadmodū ostendimus,ad Esaiam referamus testimonium.

Nos autem sensum.) νοῦν, id est,mentem: & tenemus magis quadrabat quàm habemus,ut accipiamus domini mentem perfectis esse cognitam.

EX CAPITE TERTIO.

Distinctio. QVasi spiritualibus.) ὡς ubicȝ est: quod iste nunc quasi uertit, nunc tancȝ, per tancȝ,recte uertisset ubique. Quanquàm hic quocȝ sermo iuxta rationem grammatices habet nonnihil imperfectum,plenus erat futurus,si dixisset,Non potui uobis loqui tanquàm spiritualibus,sed loquendum fuit tanquàm carnalibus.

Tancȝ paruulis in Christo) ὡς νηπίοις.νήπιος, significat infantem adhuc pusillū & stultum,parumcȝ prudentem,potissimum ætate.Poterat igitur dicere,Infantibus in Christo. Porrò datiuus hic paruulis,ad superiora pertinet,hoc est,ad loqui,non ad id quod sequitur:Lac potum dedi,id quod ex Græco liquet sermone.Atque ista distinctio seruatur in uetustissimis Latinorū exemplaribus. Nō potui uobis loqui quasi spiritualibus,sed quasi carnalibus,tanquàm paruulis in Christo. Quæ distinctio si placet, subaudiendū est, loquendum erat.

Absurditas sermonis. Non escam.) Aut ferenda est, ἀκυρολογία, aut aliquid subaudiendum est, γάλα ὑμᾶς ἐπότισα καὶ οὐ βρῶμα,quod ad uerbum ita sonat,Lacte uos potaui & non cibo.Quis autem potat hominem cibo? Vnde Theophylactus enarrans addidit προσκύνεγκα, id est, obtuli,ut hoc ad cibum pertineat.Nos quo sermonis absurditatē effugeremus,ita uertimus, Lactis potu uos alui,non cibo.In uetustiore codice Constantiensi,tantum erat, lac uobis dedi non cibum.

Sed ne nunc quidem potestis.) ἀλλ' οὔτε ἔτι νῦν δύνασθε, id est,Imò nec adhuc nūc potestis.Quanquàm id nihil ad sententiam.

Zelus & contentio.) Græci ita ponunt, ζῆλος καὶ ἔρις καὶ διχοστασίαι, id est, Aemulatio,& lis,& seditio.

Varia lectio. Nōne homines estis?) Et hic,p homines,Græcis est, σαρκικοὶ,id est,carnales.Tametsi in castigatioribus exemplaribus nostris scriptum reperio carnales,uelut in Paulino,consentiente utrocȝ Constantiensi.Atcȝ ita subinde adducitur ab Augustino, cum aliàs frequenter

quenter,tum libro de Continentia capite quarto, quemadmodum legimus apud Græcos,consentiente Græcis Ambrosio.Nam mox sequitur,Et secundum hominem ambulatis:quæ pars parum apte cohærebit cum superiore,Homines estis,cum idem bis dicere tur.At paulo post,homines uocat,idem tamen intelligi uolens, Ego quidem sum Pauli, ego uero Apollo,nõne homines estis?

Quid igitur est Paulus?) Quis est,Græce,non quid, τίς,sed refragantibus nostris oñi bus,& haud scio an Græci legant deprauate,præsertim cũ sequatur:Itaq; neq; quid plantat est aliquid.Quid enim posuit,pro cuius momenti:ut alibi dicit ea quæ non sunt, pro ijs quæ nullius sunt precij.Et Apollos est nominandi casus,non Apollo, ἀπολλώς, cuius genitiuum facit Apollo. *Apollos.*

Eius cui credidistis.) ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε, id est,Nisi ministri per quos credidistis,hoc est,non autores fidei uestræ,sed ministri duntaxat.Atq; hanc scripturam comperimus apud Theophylactum.Ad sensum haud magni refert.

Et unicuiq; sicut dominus dedit.) Hic sermo parum est absolutus,nisi legas,pro ut unicuiq; dominus dedit.Consimilem huic ostendimus in epistola ad Romanos capite duodecimo.Et unicuiq; sicut diuisit deus mensuram fidei. *Sermo imperfectus.*

Vnum sunt.) ἓν εἰσιν, hoc est, Idem sunt & nullius discriminis. Quantum ad hoc quod uterq; alienum agit negocium,neuter suum,ut ab ijs uelut autoribus debeant sibi cognomentum ascisscere,& factionibus inter se dissidere.At si diuus Paulus ita stomachatur aduersus Corinthios,quod ab his mutuarentur cognomina,à quibus baptismum acceperant,& Christi mysterijs primum erãt initiati,quid diceret de nostræ tempestatis factionibus,qua mille cognomentis,mille cultibus,ceremonijs, regulis inter sese dissident, qui uocantur religiosi? Quibus ex rebus quantum Christianæ concordiæ nascatur inter hos,non libet hic commemorare.

Dei enim adiutores sumus.) συνεργοί, Cooperarij legit Augustinus. Ambrosius legit operis participes,uelut explicans Græcam uocem

Dei agricultura.) θεοῦ γεώργιον, id est,Dei agricolatio.Estis,uerbum tantũ apud Græcos apponitur in proxima orationis parte:Dei ædificatio estis.Atq; ita legit Ambrosius.

Vt sapiens architectus.) ἀρχιτέκτων, Qui princeps & autor est fabricæ.Nam in iacendo fundamento summum est negocium.Hic σοφὸν planè posuit pro docto & scito.

Fœnum,stipulam.) καλάμιλω, id est, Culmum.Illud obiter admonendum,quod dixit, aurum,argentum,& lapides pertinere ad pios,lignum,fœnum, stipulam ad improba facta,ut palàm est ex primo libro Hieronymi aduersus Iouinianum.Tribus enim duratu ris in igni,tria oppositi peritura,si ignis inciderit.Neq; secus adducit Origenes, homilia in Exodum sexta: Triplex namq; est,inquit,etiam bene agendi uia. Nihilominus enim uel opere,uel cogitatione,uel uerbo boni aliquid agitur.Hoc enim significat & Apostolus cum dicit,Qui autem ædificat super fundamentum hoc,aurum,argẽtum,lapides precioso,triplicem bonorum indicans uiam,subiungit nihilominus triplicem etiam malorum cum dicit,ligna,fœnum,stipulam.Hæc ideo dixi,quod sint qui hæc non ad mala & bona opera,sed bonorum operum gradus referant.Nec admodum ad rem pertinet, huc purgatorij mentionem admiscere.Quandoquidem diem posuit pro perspicua operis inspectione.Nam noctu & quæ bella sunt displicent,& quæ fœda placent,diei certiora sunt iudicia,Deinde ignẽ posuit pro exacta exploratiõe. Quin & illud annotauit Ambrosius, nõ esse dictũ,saluus erit per ignem,sed quasi per ignem ut similitudinem intelligas esse nõ rem.Atq; apud inferos aiunt esse uerũ ignẽ materialẽ. Denicq; nec Gregorio displicet hic sensus,ut per ignem intelligamus afflictionem temporalem.Neq; uero sum nescius,locũ hunc ab Augustino,& ueteribus,Thoma præcipue,torqueri ad uarios sensus, quos omneis excutere non est huius instituti.Mihi ut simplicissimus maxime placet,si accipiamus de doctrina apostolorum Paulo succedentium.Ille bonum posuerat fundamentum, uideant,inquit,cæteri quid superstruant.Si digna Christo,durabit opus,etiam in luce conspectum.Sin Iudaicum adiunxerint,fallent quidem ad tempus,cæterum patefiet illorũ impostura,simul atque uero iudicio perpendi cœperit.Atque hos secutus tantum ope- *Lignum fœnũ stipula.* *Vera germana; interpretatio.*

ræ luserit,cogeturq; destructo quod ædificatum est,aliud superstruere.Id quod euenit in Romanis & Galatis, quos Paulus iterum parturijt Christo.Atq; hanc sententiam sequitur diuus Ambrosius. Ne quis meum somnium esse suspicetur:Opus,inquit,quod arde/re dicitur mala doctrina est.Idem in uerbis quæ sequuntur pœnam ignis interpretat̃ ex/cussionem ac refutationem falsæ doctrinæ.Et aliquãto post:Sed cum dicit,inquit,sic qua/si per ignem,ostẽdit saluum quidem illum futurum,sed pœnas ignis passurũ,ut per ignẽ purgatus fiat saluus,& non sicut perfidi æterno igni in perpetuum torqueatur, ut aliqua in parte operæprecium sit credidisse in Christum.Semper enim erubescat necesse est,qui se uidet falsum defendisse pro uero.Et simili modo semper fiduciam habebit dei,qui abie/cto falso,sequutus est uerum.Ex his palàm est Ambrosium non sentire de igne purgato/rio apud inferos,sed de correctiõe huius uitæ.Ab Ambrosiano cõmento non omnino dis/sentit is cuius extant in oẽs epistolas Paulinas scholia,Hieronymi titulo.Theophylactus de gradibus bonorum ac malorum operum interpretatur,subindicãs alijs uideri,ligno si/gnificari leuioris culpæ commissa,grauiora per fœnum,grauissima per stipulã,alijs con/tra.In bonorum ordine primum locum dedit auro, proximum argento, tertium lapidi/bus preciosis,de Marmoribus enim ac similibus sentit opinor,non de gemmis,quibus ne mo struit ædificium.Consentaneũ est eundẽ ordinẽ seruatum in his quæ nõ ferunt ignẽ. Vt doctrina leuius recedens à uero sit lignum,quæ longius abest, fœnum, quæ longissi/me,stipula. Cæterũ ut & hoc obiter annotem,apostolus uidetur alludere ad locũ qui est apud Esaiam cap.primo.Et erit fortitudo uestra,ut fauilla stupæ,& opus uestrum quasi scintilla & accendet̃:uterq; significat inanem fiduciã periturã,sublato opere, cui fidebat.

Vniuscuiusq; opus.) Hic Ambrosius legit,Qui facit hoc opus,manifestus erit,si mo/do codex mendo uacat.

Dies non dies domini.

Dies autem domini.) Domini,additum est à scriptore,siue ab interprete uolẽte sermo nem facere explanatiorem,cum apud Græcos non sit,atq; adeo in Paulino exemplari nõ erat asscriptum ,sed posterior quispiam diuersa manu adiecerat in margine. Theophyla/ctus,nec legit,nec interpretat̃,etiamsi interpres hoc addidit de suo.Nox ignorantiæ mul ta celat,dies retegit,uidelicet cum erumpens & emicans ueritas factis ac rebus ipsis sese declarat.Sed tamen articulus facit propemodum, ut de certo die debeat accipi, ἡ γὰρ ἡμέρα, quasi dicas,Nam ille dies.

Reuelatur.

In igni reuelabitur.) Reuelatur est præsentis temporis, ἀποκαλύπτεται, ut sensus sit ab solutus,omne opus igni perspicuum fieri.Nam duo uerba futuri tẽporis inter se respon/dent,declarabit & probabit,cæterum reuelatur,annectitur superiori uerbo Nam dies ille declarabit,opus huius aut illius per ignem aperiri ac patefieri quale sit. Siquidem inter/pres quia posuit pro quod,etiamsi apud Græcos parum liquet, ὅτι coniunctio sit,an arti culus postpositiuus pro ὅ.

Detrimentum patietur.) ζημιωθήσεται, id est,Damno afficietur.Veniam consequẽtur utcunq;,si resipiscant,cæterum nihil auferent præmij,qui luserunt operam.

Violat,dispердet.) φθείρει, φθερῶ, id est, Destruit, destruet.iucunda uocum allusio.Et idem uerbum uariauit interpres,sed recte,quod apud Latinos non responderet allusio. Est enim Græcis φθείρω corrumpo,ut corrumpitur uirgo,aut res sacra,est & perdo. Ma lim enim perire allusionem,quàm quod uertit Hilarius in commentario psalmi lxiiij. Si quis templum dei corruperit,corrumpet & hunc deus.

Quod estis uos.) οἵτινες ἐσὲ ὑμεῖς, id est,Qui estis uos:sicuti paulo superius, quod est Christus Iesus,siue qui est Christus Iesus,uti comperio in uetustissimis exẽplaribus. Ta/metsi hoc nihil ad sensum. Testimonium adductum est ex Iob capite quinto.

Stultus fiat ut sit sapiens.) Cum Græcis sit γενέσθω & γένηται, fortassis utrunq; uerten dum erat eodem uerbo,Stultus fiat,ut fiat sapiens,siue stultus sit,ut sit sapiens,

Cõprehendo.

Comprehendam,) ὁ δραστόμενον, id est,Qui comprehendit, Est enim δράσεσθαι, fu/gientem è cursu reprehendere, manuq; iniecta capere. Ambrosius legit reprehendam, uerbo sanè eleganti,sed ambiguo.Reprehendit enim & qui carpit.

In astutia eorum.) Eorum,referendum est ad sapientes,unde Latinius erat ipsorum, ut acci/

ut accipiamus ſtulte ſapientes,ſua ipſorum aſtutia fuiſſe captos ac reuictos, dum ipſa re comperiunt,ſapientiam ſuam nihil profuiſſe ad ueram felicitatem.

Omnia enim ueſtra ſunt.) Non repetitur ſecundo loco,enim,& officit ſententiæ.Itera tur enim hæc particula confirmandi gratia,quaſi diceret,Omnia,inquã,ueſtra ſunt. Hoc loco conſentit Ambroſius cum Græcis.

EX CAPITE QVARTO.

DIſpenſatores miniſteriorum.) μυςηρίων, id eſt, Myſteriorum ſiue arcanorũ, conſentientibus omnibus,etiam Thoma,præter paucos codices deprauatos,ſed tamen euulgatiſſimos.Et melius erat æſtimet, quàm exiſtimet: non enim ad hunc modum quiſquam loquitur Latine,exiſtimas me ut regem, ſed exiſtimas me regem.Nec hic agitur de exiſtimatione ſed æſtimatione. Non enim uult Paulus apoſtolos pluris fieri quàm fieri debeant ij,qui rem adminiſtrant alienam. Et diſpenſatores hic œconomi uocãtur,qui adminiſtrant quidem,ſed rem alienam & rationem reddituri. *Epiſcopi diſpẽſatores doctrinæ myſticæ.*

Hic iam quæritur.) ὃ δὲ λοιπὸν ζητεῖται, id eſt,Quod autẽ ſupereſt quæritur,ſiue deinceps,ſiue poſthac quæritur.Interpres legiſſe uidetur ὧδε, non ὃ δὲ, id eſt,hic, non, quod autem,ſed magno conſenſu refragantibus Græcis omnibus. Proinde lectoris eſt deligere,utram lectionem ſequi malit.Nos quod in Græcis codicibus reperimus uertimus, ne Latina diſcreparent à Græcis. Quæritur,autem hoc loco ſignificat ſpectatur ſiue requiritur,nam fides in œconomo potiſſimum ſpectari ſolet:autoritas penes dominum eſt. *Duplex lectio.*

Aut ab humano die.) Hunc locum alicubi citat Hieronymus,ut oſtendat Paulum nõ admodum elegantem fuiſſe in lingua Græca,ſed quædam Cilicum more dixiſſe:nam Cilix erat Tarſi natus.Hic cum nihil eſſet contumelioſe dictum in Paulum, tamen magnis tragœdijs exagitauit quidam hunc locum,ex hoc declarans me nihil prorſus intelligere omniũ quæ lego uel apud Hieronymum,uel apud alios eccleſiæ doctores.Ob huiuſmodi calumnias Hieronymi uerba ſubſcribam ex epiſtolæ ad Algaſiam, quæſtione x.Illud, inquit,quod crebro diximus,&ſi imperitus ſermone,non tamen ſcientia, nequaq; Paulũ de humilitate,ſed de conſcientiæ ueritate dixiſſe etiam nunc approbamus. Profũdos em̃ & reconditos ſenſus lingua nõ explicat.Et cum ipſe ſentiat quid loquatur,in alienas aures puro nõ poteſt transferre ſermone, quem cũ in uernacula lingua habeat diſertiſſimũ, quippe Hebræus ex Hebræis,& eruditus ad pedes Gamalielis uiri in lege doctiſſimi, ſeipſum interpretari cupiens inuoluitur.Nõne palàm hic fatetur Hieronymus Paulum minus calluiſſe Græcam linguam quàm Hebraicam,quod alterã didiciſſet à maioribus & à doctiſſimo præceptore,alteram è cõmercio Cilicum.Nonne comprobat hic quod aliàs oſtendit Paulum imperite loqui,ob inſcitiam ſermonis Græci?Porrò qui puro ſermone nõ poteſt eloqui quod ſentit,nõne utcũq; eloquitur ſermone parũ eleganti,parumq; puro?Ac mox Hieronymus oſtendit illum ex idiomate Cilicũ multa dixiſſe: quod genus ſunt, ἀπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας pro humano iudicio,& ἀνθρώπινον λέγω, cum quid dicit humilius parumq; perfectũ, & οὐ κατενάρκησα ὑμᾶς, cum quis alteri grauis imminet,& καταβρᾶβεῖον ubi quis in certamine præripuit alteri præmium iniuſte.Hæc Hieronymus ita uult eſſe dicta Paulo,ut Vergilio dictum eſt ſceleratũ frigus.Necq; uero me fugit hæc uarie uata frecq; ſcribi ab Hieronymo,nec excutio,quantum apud me ualeant hæc quæ ſcribit.Tantũ indico me non temere indicaſſe locum.Si Paulus non poteſt explicare pure quod ſentit, aut ipſius imperitia fuit in cauſa,aut ipſe ſermo parũ expolitus,aut res ipſa. Sed rem explicat in Hebræa lingua in qua fuit diſertiſſimus,ſupereſt ut aut Cilicum lingua minus fuerit elegans,aut eam minus calluerit Paulus.Et utrũq; fuiſſe uerũ ſubindicat Hieronymus,cũ & fateat Paulum imperitũ fuiſſe ſermonis Græci,non quod more uulgari nõ potuerit loq,ſed quod animo declarando defuerit ſermo purus & elegãs,& oſtẽdat quædã eſſe peculiaria eius gentis in qua natus eſt,quibus abuſus ſit ad explicandum utcunque *Paulus impolitus in lingua Græca.*

quod ſenſerat. Neq; uero contra me facit ſi Tarſus prodidit aliquot eruditos uiros, Aratum & Oppianum, quaſi uero non & Scythia nobis dederit Anacharſidem. Non refert ubi natus ſis, ſed unde didiceris. Neq; qui ſcribunt, utuntur omnibus quæ uulgaris habet ſermo. Nam & ætate Ciceronis uulgo quædã ferebãtur, à quibus ipſe abſtinet. At Pauli ſermonem fuiſſe uulgarem, nemo puto negauerit. Diſertius autem dicturus erat, opinor, ſi Athenis cum Demoſthene, Platone, & Iſocrate uerſatus fuiſſet, & purius quæ ſenſerat eloqui potuiſſet. Vtinam deus det mentem meliorem iis, qui huiuſmodi ſycophantiis, & ſuum perdunt ocium & alienum. Cæterũ ut paulo ſuperius diem dixit pro iudicio, quo modo alibi ſæpe diem domini uocat, ita hic humanum diem dixit, pro iudicio humano, reis enim dies dicitur.

Aratus. Oppianus.

Nihil mihi conſcius ſum.) An Latine dicatur, nihil ſum conſcius, quemadmodum dicitur, non ſum id neſcius, non ſatis apud me liquet, Græce uerbum eſt, nihil mihi conſcio. Sic & Horatius,

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα.

Itaq; nolite.) ὥστε μὴ πρὸ καιροῦ τι κρίνετε, id eſt, Ne ante tempus aliquid iudicetis. Auguſtinus legit, Nolite ante tempus quicquàm iudicare, cum aliis aliquot locis, tum explanans pſalmum lxxxviij. Item ad Probam uiduam de orando deo.

Transfiguraui in me & Apollo.) μετεσχημάτισα, id eſt, Transfiguraui, hoc eſt, aliorum perſonam in nos duos tranſtuli, & ſub perſona noſtra de malis diſpenſatoribus locuti ſumus, ne quos offenderemus. Item Apollo hoc loco accuſandi caſu debet accipi, In me & in Apollo. Atq; hic nonnulli Latini codices habent mendoſe, Vt in uobis diſcatis, ſecundæ perſonæ, pro nobis, primæ.

Perſona aliena in Paulo.

Ne ſupra quàm ſcriptum eſt.) Græce paulo diuerſius eſt, μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς μὴ φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου, id eſt, Non ſupra id quod ſcriptũ eſt ſentire, id eſt, de uobis ipſis ſentire, quemadmodum crebro iam indicauimus: Ne unus p uno infletur aduerſus alterum. Eſt autem ſermo perturbatior, uerum dilucidior erit, ſi unus p uno ptineat ad ſingulos diſcipulos ac præceptores, ut hic infletur nomine Apollo, ille nomine Pauli, hic nomine Cephæ: & quod ſequitur, Aduerſus alterum, pertineat ad Chriſtianos inter ſe diſcordantes, ob ſtudia præceptorũ, qui mos eſſe ſolet cõtentioſis. Quandoquidem unus pro uno, poſitũ eſt pro, alius pro alio, ſiue, ut melius dicam, alius de alio, ſiue ſuper alio. Illud nouum quod ἵνα μὴ indicandi modo adiungitur, niſi forte pro φυσιοῖσθε deprauatum eſt φυσιᾶσθε, aut niſi uariat hic quoque ſynæreſeos ratio, ſicut in aliis nonnullis. Et in nonnullis Græcorum exemplaribus congeminatur μὴ, in nonnullis ſemel duntaxat ponitur.

Locus obſcurior.

Quis enim te diſcernit?) διακρίνει, id eſt, Diiudicat. Diuus Auguſtinus in epiſtola ad Valentinum ac rurſus in libro ad eundem de gratia & correptione, interpretatur, diſcernit pro ſeparat à maſſa Adæ, qui ſenſus pius quidem eſt ac uerus, q̃q̃ hic Paulus nõ agebat de peccato primorum parentum, ſed aduerſus illos diſputabat, qui ſe cæteris præferebant, quod eſſent à præcipuis apoſtolis baptizati, quum baptiſmus ſit æqualis omnium. Ita ſanctus Ambroſius: Et Theophylactus diſcernit interpretatur iudicat ἀκρίνει, addens hominum iudicia falli. Cæterum διακρίνω in ſacris literis aliquoties uſurpatur pro dubitare ſiue hæſitare, nonnunq̃ pro anteponere, quemadmodum διαφέρω interdum ſonat differre, interdum excellere.

Sine nobis regnatis.) Regnaſtis eſt Græce ἐβασιλεύσατε, & utinam regnetis, ἐβασιλεύσατε, id eſt, regnaſſetis. Quanquàm in huiuſcemodi Græci nõnunq̃ præteritis pro præſentibus abutuntur. Verti poterat, Regnum cõſecuti ſiue adepti eſtis, & conſecuti ſitis.

Tanq̃ morti deſtinatos.) ὡς ἐπιθανατίους, id eſt, Obnoxios morti. Quanquàm interpres belle uertit. Sentit enim de iis qui iuxta morem Romanum incluſi caueis, ſpectante populo beſtiis obiiciebantur.

Interpres laudatus.

Spectaculum ſumus.) θέατρον, id eſt, Theatrũ, quod tamen & apud Græcos à ſpectando dictum eſt. Atque apud ueteres nocentum ſupplicium ſpectaculi uice exhibebatur populo

populo,uelut homo cõmíſſus cũ leone, aut urſo. Vocẽ Græcam uſurpauit Hieronymus enarrans caput epiſtolæ ad Galatas quartum,ſimul admiſcens ſimilitudinem de fabularum actoribus, quibus hoc unicum eſt ſtudium ut populo placeat fabula. Mutabat,inquit,Paulus uocem ſuam,& in hiſtrionum ſimilitudinem,factus eſt ſiquidem Theatrum mundo,& angelis & hominibus,habitũ in diuerſas figuras uertebat & uoces,non quod id eſſet,quod ſe eſſe ſimulabat,ſed quod id tantum uideretur eſſe,quod cæteris proderat. Nemo dubitat quin hæc pie Hieronymus,ſed quas calumnias excitarent quidam,ſi hæc dixiſſet Eraſmus.Paulus hiſtrioni comparatur,& ſimulare dicitur,ſed quid ſit hiſtrio, nõ intelligitur,& ex ſimulando,calumniam ſtruit ſimulator.

Nobiles,ignobiles.) ἔνδοξοι,ἄτιμοι, id eſt,Glorioſi & infames,ſiue clari & obſcuri, aut in precio habiti & contempti.Nec enim hic nobilis eſt eadem uox,quæ ſuperius fuit εὐγενὴς & ἀγενής. Nam illa ad genus referũtur,hæc ad famam & opinionem.Nec eſt in uerbis Græcis illa πρωτονομασία, nobilis & ignobilis.

Inſtabiles ſumus.) ἀστατοῦμεν. Non habemus certam ſedem. Vnde nos uertimus,Incertis uagamur ſedibus.Eſt autem una tragicarum imprecationum, τὸ εἶναι ἀνέστιον.

Maledicimur & benedicimus.) Participia paſſiua præſentis temporis,interpres reddidit per uerba,adiecta coniunctione, λοιδορούμενοι,δίωκόμενοι,βλασφημούμενοι, id eſt,Dum maledicimur,ſiue conuicijs afficimur,dum perſecutionem patimur,dum blaſphemamur.

Omnium peripſema.) πάντων περίψημα. Interpres Græcam uocem reliquit, quam Laurentius putat uerti potuiſſe,puluis ueſtigiorum. Græca ſcholia dicunt περίψημα eſſe reticulum, quo ſudantes ſe abſtergunt, alij ſoleæ ſuppactum corium, alij puluerem quem calcamus, alij quod abijcitur in mare, quo nauis ſit incolumis. Videtur omnino peripſema apud Græcos quiddã eſſe tale,quale apud nos eſt nauci,quiſquiliæ & ſterquilinium.Addit Suidas ita uocari ſolere hominem iugibus obnoxium malis. Theophylactus putat idẽ eſſe περικάθαρμα & περίψημα, nempe ἀποσκόβισμα, id eſt,id quod abſtergit,περιψᾶν em̃ eſſe abſtergere.Heſychius adijcit,Græcis & precio quo redimit captiuus aut uita cuiuſpiã περίψημα, dici,denicq; quod omniũ pedibus cõculcat. Ambroſius explanans pſalmũ:Beati immaculati,ſermone octauo refert his uerbis. Tancq; luſtramẽta huius mundi facti ſumus,Omniũ luſtramenta uſcq; adhuc:quod Latinis quæ purgantur,luſtrari dicantur.Ac mox idem Ambroſius luſtramenta,purgamenta interpretatur. *Peripſema quid ſit Græcis.*

Non ut confundam.) οὐκ ἐντρέπων, id eſt,Non cõfundens. Quanq; melius erat ſuffundens,aut rubore ſuffundens:ſiquidem ἐντρέπεσθαι dicitur Græce,cui ſuum probrum ingeritur,ut ipſe ſemet agnoſcat:hinc enim dicta uox eſt.

Chariſſimos.) ἀγαπητά. Quod ita perpetuo ferè transfert, cum ſit dilectos,niſi quod ſuſpicor id data opera factum, quod ea uox Græcis plus quiddam ſignificat quàm nobis dilectus.

Si decem milia.) μυρίους. Quod aliquoties decem milia ſignificat,aliàs ingentem numerum,pro quo Latini abutuntur mille aut ſexcentis. μυρίους igit̃ dixit pro quamlibet multis.Et pædagogi ſerui erant,quibus patres liberorum moderandorum curam mandabãt, unde Græca uox dicta eſt.Multum autem intereſt inter pædagogum & patrem. Pædagogus ſæuit pro imperio,pater etiam uitam ſi neceſſe ſit impendit. *Decem milia.*

Rogo ergo.) παρακαλῶ. Quod plerunq; uertit obſecro,atque ita legit Ambroſius, nõ nunquàm adhortor.

Imitatores mei ſitis.) γίνεσθε. Quod uerti poterat &, fiatis. Cum enim dixiſſet genui uos,adiecit,Igitur imitemini me, quo perſpicuũ ſit uos eſſe uere filios meos, id fiet ſi me parentem expreſſeritis:Nam ut elegãter inquit Flaccus,

Laudantur,ſimili prole puerperæ.
At multo magis laudantur ſimili prole patres.

Sicut & ego Chriſti.) Hæc particula nec apud Græcos additur,nec apud Ambroſiũ, in exemplari Paulino,diuerſa manu ſubnotatum erat in margine uelut adiectum ab alio quopiam:licet ita legat Thomas Aquinas,& interpreteť. In codice Donatiani,nõ addit, nec in duobus quos exhibuit Conſtantia.Aſſcriptũ uidetur ex capite xi.huius epiſtolæ, Imitatores mei eſtote,& illic additur,Sicut ego Chriſti.Quanquàm illic aptius congruit: præceſſerat *Additum alio quid.*

præcesserat enim,Sine offensione estote Iudæis & gentibus,& ecclesiæ dei,sicut & ego per omnia oīibus placeo,nō quærens quod mihi utile est,sed quod multis,ut salui fiant: atq; huic respondet quod mox sequitur:Imitatores mei estote sicut & ego Christi.Sentit idem quod scripsit ad Romanos capite decimo quinto,Debemus autē nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere,& non nobis placere:unusquisq; uestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.Etenim Christus non sibi placuit,sed sicut scriptum est,Improperia improperantium tibi,ceciderunt super me.Cæterum haud scio,an quem admodū dicimur renasci in Christo,siue per Christum,ita legatur Christus genuisse nos deo.Sic enim interpretatur Aquinas.

Filius meus charissimus.) ἀγαπητός, Dilectus.de quo modo meminimus.

Tanq; non uenturus sim.) ὡς μὴ ἐρχομένου, id est, Tanq; me non ueniente ad uos,seu tanq; non ueniam.Quanquàm hoc uerbū inuenitur aliquoties in significatione futuri. Et Hebraico tropo dixit,In uirga,pro eo quod Latinus diceret,cū uirga,aut per uirgam.

EX CAPITE QVINTO.

Fornicatio p scortatione siue stupro an Latinum uerbum.

Nter uos fornicatio.) Fornicari pro illicita uti libidine,& fornicationē pro stupro,nondum apud idoneos autores reperi:licet fornicem pro lustro sciam inueniri.Nos aliquando stuprum,aliquando scortationem uertimus. Siquidem à scorto dicta Græcis πορνεία.

Qualis nec inter gentes.) Deest in Latinis codicibus ὀνομάζεται,id est,Nominatur.Nec erat ociosa huius uerbi emphasis,quod hoc libidinis genus non solum non cōmitteretur inter ethnicos,uerū ne nominaretur quidem:quod annotauit & Theophylactus,etiamsi parum pudens uidetur hyperbole,nisi mauis nominatur,simpliciter positū pro auditur.Quanq; & sic hyperbolæ locus est,cum inter ethnicos audiantur turpiora, nisi negat audiri,quod rarum est.Certum est nec apud Ambrosium,nec apud Thomam, nec apud Augustinum,nec in peruetustis exemplaribus addi:unde puto nostram lectionem esse synceram,etiamsi Græca sensu nihil discrepant.

Paulus imperitus Græce.

Absens corpore,præsens autem.) Hoc est quod quodam in loco annotauit Hieronymus,Paulum ob imperitiam Græcanici sermonis aliquoties non reddere has inter se cōiunctiones μὲν & δὲ, per quas Græci plerūq; connectunt orationis partes. Mollius erat, corpore quidem absens,spiritu uero præsens:& tamen in Græcis autoribus probatæ elegantiæ,licet reperire similem orationis formam.

Eum qui sic operatus est.) τὸν οὕτως τοῦτο κατεργασάμενον, id est,Eū qui sic hoc fecit,siue magis perpetrauit.Id quod mox ad eundem repetit modum.In nonnullis uero Græcorū exemplaribus prior pars non addit οὕτως,sed posterior.Ambrosius in posteriore legit. Iam iudicaui ut præsens,eum qui sic operatus est,cum in priore legat, qui hoc opus fecit:unde coniectare licet,apud Græcos ex utraq; utriq; nonnihil additum fuisse, τοῦτο, ex priore,& οὕτως ex posteriore.

Additum in Græcis.

Congregatis uobis & meo spiritu.) συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος, id est, Conuocatis siue congregatis uobis & meo spiritu.Faber Stapulensis amicus noster hūc locum mutauit,uolens συναχθέντων deduci à συνάχθομαι, cuius in hac quidem parte nō subscribo iudicio,etiamsi aliàs eruditissimo,pariter ac diligētissimo uiro lubens assentior, & reclamant cum alia,tum Græca scholia.Ad hæc interpretes,quos ego uiderim,omnes qui testantur Paulum hoc ideo dixisse,ut ostenderet hanc tam seueram sententiam nō profectam ab ipso proprie,sed à cōmuni ecclesiæ consensu:nam & synagoga hinc dicitur ἡ συναγωγή,quod est congrego siue conuoco.Porrò addidit,Et spiritu meo,quod ipse corpore,tum non esset præsens,sed spiritu dūtaxat adesset in ea sententia pronuncianda.

Fabri excussa sententia.

Cum uirtute domini nostri Iesu Christi.) σὺν τῇ δυνάμει τοῦ κυρίου. Incertum utrò referatur,ad participium ne cōgregatis, an ad Tradi hominem satanæ. Ambrosius uidetur ad participium referre:ut intelligamus concilium illud ex tribus cōstare,ex Pauli decreto,ex consensu multitudinis,ex autoritate Christi.Alioqui σὺν præpositio Græcis nonnunq; non comitem,sed fautorem & adiutorem sonat,ut σὺν ταῖς μούσαις,Musis adiuuantibus, σὺν θεῷ, id est, Deo fauente. De uirtute quæ hic potestatem aut uim significat,non probitatem,crebro iam admonuimus.

In diem

In diem domini nostri Iesu Christi.) ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου ἰησοῦ, id est, In die domini Iesu, nec additur Christi. Rursus diem appellat iudicium, ut indicatum est antea.

Modicum fermentum totam massam corrumpit.) Hieronymus in epistolam ad Galatas libro tertio taxat interpretem, quod perperam uerterit, citans hunc locum, & emendat ad hunc modum, Modicum fermentum, totam conspersionē fermētat. Ego uero maluissem dicere, & paululum fermenti, cū modicū fermentū, quod quælibet fermenti pars fermentū sit, ut quæuis aquæ pars, aqua. Iam si nouum testamentum habemus ab Hieronymo restitutum, ut quidam autumant, quomodo taxat hic quod nos legimus? *Hieronymus taxat interpretem.*

Totam massam corrumpit.) Quod hic massam uertit, mox conspersionem transtulit, Græce φύραμα, ea est farina aqua conspersa siue temperata, à uerbo φυράω, quod significat miscere, ueluti cū argilla humore maceratur, farina liquore aquæ oleiue, aut aliud simile. In hūc sensum cōsperſio inuenit̄ apud probatos autores. Quanq; & massulas salis legimus apud Columellam. Interpres mutauit, cū nihil esset cur foret affectanda uarietas.

Pascha nostrū.) Deest pro nobis, ὑπὲρ ἡμῶν, id est, Pro nobis immolatus est &c. sed reclamantibus oīnibus libris nostris, quibus hac in parte, ut dicam ingenue, magis accedo. *Supersit in Græcis.*

Itaq; epulemur.) ἑορτάζωμεν, id est, Festum agamus diem: ita sanè uertit interpres Origenis homilia in Leuiticum quinta. Solent autē ī dies solēnibus epulis celebrari.

Et nequitiæ.) καὶ πονηρίας. Quod significat & maliciam & uersutiam. Duo proposuit κακίας καὶ πονηρίας, quibus respondent, quæ postea sequuntur εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας, nam malicia opponitur synceritati, uersutia ueritati, hoc est, simplicitati: sic & Ambrosius, Vt synceritas mundam uitam faciat, ueritas omnem fraudem excludat.

Sed in azymis.) Azymi uocem, quam ubiq; relinquit, infermētatum uertere poterat, aut expers fermenti: subaudiendum autem, opinor, panibus, ἐν ἀζύμοις. Deinde explicans quid dixerit infermētatum, adiicit synceritatis ac ueritatis, perinde quasi dixisset, hoc est, infermentatis celebrare pascha nostrum, syncero ueroq; esse animo erga omnes.

Cum fornicariis.) πόρνοις, id est, Scortis: est enim uox quæ cōmunis sit cuiuis corpori meritorio. Prostabant enim Corinthi non solum puellæ, sed & catamyti: etiamsi sunt, qui uelint πόρνον, & scortatorem dici, non solum scortum. Putant autē dictum à πέρνω, quod est uendo, id quod magis competit in scorta: & πορνοβόσκους Græci dicunt lenones, quos Itali uulgo uocant ruffianos. Cæterum quod dixit commisceri, Græce est συναναμίγνυσθαι, quod accipi potest denuo cōmisceri: ut significet eos id facere solitos anteqū initiati essent Christo. Et cōmisceri, non solum est habere rem cum illis, uerum etiam habere consuetudinem & cōmercium, idq; inculcat cum adiicit, οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου, quod intelligeret difficillimum esse uersari inter tot illecebras eius regionis, nec pellici in peccatum. Quanq; non me fugit alium sensum adduci à pleriscq; ueterum, nimirum hūc, Paulum non uetare quo minus habeant cōsuetudinem cum ethnicis inquinatis, alioqui totam Græciam esse relinquendam, sed ut uitarent si quis Christianam religionem profitetur, esset huiusmodi. Nam quod dixit mundi huius, non est accipiēdum quasi sit alius mundus. Mundum hunc Græciam intelligit, ac præcipue Corinthū huiusmodi uoluptatibus corruptissimam. Ad eum modum interpretatur Chrysostomus, si modo illius sunt Græci cōmentarij qui illi inscribuntur, & huic consentiens Theophylactus: is sermonem ordinat in hunc modum, Scripsi uobis paulo ante in hac ipsa epistola, ne commisceamini scortatoribus aut scortis, cum dicerem expurgandum uetus fermentum. Quod tamē ita nolim accipi, quasi iubeam uitari consuetudinem omnium scortatorum huius mūdi. Sed si quis dictus frater sit eiusmodi, hic adeo uitandus est, ut nec cibum cū eo capi uelim. Lyrensis docte exponit fornicarios huius mundi, qui cōmuniter, inquit, uocantur ribaldi. O grauem diuinæ scripturæ interpretem. Si tamen hoc ab illo scriptum est, ac nō potius ab alio quopiam male feriato adiectum. *Fornicarij, ne scio an Latina uox.* *Huius mundi id est, Græciæ* *Lyranus.*

Non utiq;.) καὶ οὐ πάντως. Et non omnino, siue in totum: ut intelligas ab omnibus abstinendum: siue quod placet Ambrosio, ut sit exponentis, non abstinendum à fornicarijs huius mundi, sed à fratribus, hoc est à Christianis fornicarijs, inter quos erat is, quem iubet tradi satanæ, hoc est, eiici è contubernio cæterorum Christianorum, quo magis pudore corrigeretur. Nam erant fortassis, qui crederent uitandos dūtaxat ethnicos sceleroſos,

Christianos

Christianos autem non uitandos. Paulus contra iubet uitari fratres, cum ethnicis nō prohibet cibum capere. Ad hunc sensum faciunt quæ sequuntur: Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Quanq; ut ingenue fatear, totus hic sermo mihi uidetur perturbatior, ac Delium aliquem natatorem desiderans. Præsertim cum mētionem faciat idololatriæ, quam uerisimile non est tum inter Christianos fuisse. Illud opinor non opus esse ut admoneam, cōmisceri hic non pertinere ad coitum, sed ad uitæ consuetudinem.

Delius natator.

Alioqui debet.) ἐπεί, id est, Quoniam siue quādoquidem: quod hic subinde transfert alioqui, & aliquoties apte, nimirum quoties subest tacita exceptio, quēadmodum & hic accipi licet. Abstinendum omnino à scortis omnibus Græcanicis, id si non potestis, fugiendum potius è tota Græcia. Aut non in totum ueto cōsuetudinē cum improbis, alioqui si conemini, fugiendum sit ex hoc mundo, cum tales nusq; non sint.

Debueratis ex.) ὀφείλετε, id est, Debetis, legitur apud Græcos per o paruum. Quando quidem debetis exisse ex hoc mundo, hoc est, esse alieni à mundo, quando non conuenit cōmisceri scortatoribus. Duriusculum est quod interpretatur Ambrosius, satius esse mori & decedere ex hoc mūdo, quàm habere rem cum sceleratis: etiamsi Græci interpretantur de relinquenda Græcia, ut sæpe iam dictum est. Si non licet alia ratione effugere commercium scortorum & scortatorum, satius est infectam ac pestilentem relinquere regionem. Verum id non audet ab illis exigere, quod tamen malit. Illud certe exigit, ne cōmisceantur, hoc est, ne familiare m cum illis agant cōsuetudinem, ceu uitijs illorum fauentes: & ideo sequitur, Nunc autē scripsi uobis, hoc est mitius. Apparet interpretem & Ambrosium legisse ὠφείλετε per ω mega. Cæterum ut & de meo, superiorū studijs nonnihil adijciam, mihi uidetur ὀφείλετε hoc loco esse signum optantis, positumq; pro εἴθε, id est, utinā, siue ó si. Alioqui si non sitis temperaturi à cōmercio taliū, utinam potius exissetis ex hoc mundo, & quouis exulatum abissetis. Thomas Aquinas pro uno sensu multos producit, ut est fœcunda ignorantia: quorum primus est, Alioqui debueratis ex hoc mundo exisse, hoc est, si uelitis omnium malorum uitare consuetudinem, profugiendū erat ex hoc mundo, cum mundus undiq; malis sit refertus. Alter hic est, Nihil erat opus super hac re commoneri, quādoquidem à baptismo iam ultro à mūdo semoti estis. Tertius sic habet iuxtà Ambrosium, Præstabat mori quàm cum sceleros is habere consuetudinem. Hugo Carrensis addit quartum, Debebatis ex hoc mundo exisse, id est, cōfugisse ad religionem, sic eā appellat uitam monasticam. Sed omnium maxime placet Chrysostomi interpretatio, ut intelligamus Paulum explicare quid sensisset, cum literis suis iuberet illos fugere cōmercium & consuetudinem scortatorum, rapacium, & eorum qui simulacris immolarent. Id cum perperam intellectū durius uideretur Corinthijs, ait sese non hoc iussisse ut ab ethnicis sceleros is abstinerent: quod licet optandum esset, tamen fieri non posset, cum ubiq; sceleratorum hominum plena essent omnia, sed quoad liceret ab istiusmodi Christianis abstinerent: ideoq; uelut obiter interijcit, Alioqui debueratis ex hoc mundo exisse, hoc est, utinam id esset quod opto, ut in totum huiusmodi consortia possitis uitare. Nunc quoniā frustra opto, quod fieri non potest, illud scribo quod ante scripsi, ut Christianos tam fœdis uitijs infames arceatis à uestro contubernio, partim ne ipsi uideamini factis illorum assentiri, partim ut illi pudore correcti resipiscant.

Aquinatis sententiæ.

Secunda.

Carrensis interpretatio.

Si is qui frater nominatur.) Hic Latini addunt de suo, Inter uos, quæ duo uerba non sunt in Græcis codicibus, nec apud diuū Ambrosiū, nec in codice Donatiani, nec utroq; Constantiensi. Iam quanquā ad sensum nō magni refert, Græce est: Si quis frater noīatus aut cū frater nominet, ut subaudias uerbū substantiuū est, aut fuerit. Nisi malumus uideri participiū, uerbi uice positū, ὀνομαζόμενος, pro ὀνομάζεται. Sic em habebat uetustissimus codex Paulinus: Si quis frater nominatur inter uos fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens &c. ut nominatur adiungatur ijs quæ sequuntur, scortator, idololatra, auarus. Nam Græci referunt ad superiora: ut intelligamus eum qui sit eiusmodi probris obnoxius, titulo duntaxat esse Christianum, cum Christianismus uerus sit innocentia uitæ. Quin & illud expende lector, utrò referenda sit hæc orationis pars, Si is qui frater nominatur &c. ad superiora, an ab illis absoluta, pertineat ad ea quæ sequūtur. Si ad superiora referas, superest in ordine quod sequitur, Cum eiusmodi nec cibum sumere. Sin ad inferiora, quomodo

Sermo Pauli perturbatus.

modo corrigit quod scripserat, ne se commiscerent, si nihil addatur quod sententiam generalem explanet? An hic quoq; fatebimur Paulũ siue imperitia, siue neglectu Græci sermonis perturbatius explicare quod sentit? Et, si is qui frater nominat̃, referendum ad id quod præcessit, Scripsi uobis non commiscerι, si quis frater nominetur scortator, aut &c. ac deinde neglecto sermonis ordine per epitasin additum, cum huiusmodi ne cibum quidem capere, perinde quasi dixerit, hoc senseram si quis Christianus istiusmodi flagitijs sit infamis, adeo non oportere cum eo commercium habere, ut ne mensam quidem communem esse uelim: quod uestra referat illum corrigi, & periculũ sit ne cæteros exemplo suo corrumpat, cum in ethnico non sit eadem ratio.

Quid enim mihi.) τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν, id est, Quid enim mea, etiam eos qui foris sunt iudicare? hoc est, quid ad me attinet, ut cum satis molestum sit iudicare de his quæ ad nostrum gregem pertinent, de ijs etiam feram sententiam, qui sunt à cõtubernio nostro alieni? Iudicare dixit pro condemnato habere. Habet autem qui uitat hominis consuetudinẽ. Quod si uitemus ethnicos, quomodo conuertentur ad Christum? ferendi sunt in hoc ut sanentur. Et si salem non admisceas, quomodo salietur, quod est insulsum? *Dissimulanda ethnicorũ uicia.*

Auferte malum.) καὶ ἄρατε τὸν πονηρὸν, id est, Tollite scelerosum illum, ut ad hominem referatur non ad rem, propter additum articulum. Quod annotatum est & Augustino in quæstionibus super Deuteronomium, admonenti hoc sermonis colore solitam uti scripturam sacram, quoties iubet de nocente capitis supplicium sumere. Non quod Paulus idem senserit, sed quod excommunicatio apud Christianos instar capitalis supplicij sit. Etiamsi uidetur hic locus nonnihil torsisse diuum Augustinum, qui usus est adeo abhorruisse ab occidendis improbis, ut crebris epistolis obsecret & obtestetur præfectos Cæsaris ne capitis supplicio afficerent Donatistas, qui non solum pertinacissime segregabant sese à consortio Christianorum, uerumetiam crudelissimis supplicijs in orthodoxos sæuiebant. Proinde confugit ad hanc interpretationem, ut intelligamus iubere Paulum, ut quisq; malum hominem exuat, iuxta illud quod dictum est Ephesijs: Exuite ueterem hominem cum actibus suis. Sed hæc sanè coactiora uidentur, ut ingenue quod sentio dicam. *Excommunicatio.*

EX CAPITE SEXTO.

AUdet aliquis.) τολμᾷ. Nonnunquam significat sustinet, aut potest, cum significamus rem non periculosam, in qua proprie dicimur audere, sed duram affectibus nostris & intolerandã atq; indignã. Ita Suetonius in Cæsare Octauio: Postquam uero pontificatum maximum, quem nunquã uiuo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit. Idem in eodem aliquanto inferius: Nam quamuis minime appeteret hæreditates, ut qui nunquam ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit, amicorum tamen suprema iudicia, morosissime pensitauit. Ac rursus in Cæsare dictatore: Cornelio Phagitæ, cuius quondam nocturnas insidias æger ac latens, ne perduceret̃ ad Syllam uix præmio dato euaserat, nunc̃ nocere sustinuit. Item alijs cõpluribus locis cõperire licet hoc uerbi positũ pro uoluit, aut potuit, siue animũ induxit. Nobis ut in hoc argumento unum atq; alterũ indicasse locũ satis est, ob diffidentẽ ac morosum lectorem. Paulus igitur iudicans hoc uehementer pudendum, miratur esse quẽquam Christianũ, qui possit animũ inducere, ut apud ethnicos iudices, p re pecuniaria cõtendat. *Audet pro sustinet.*

Apud iniustos.) ἐπὶ τῶν ἀδίκων. Magis sonat, Sub iniustis, & sub sanctis: ut dicimus sub tali principe, & sub iudice. ut Horatius, Et adhuc sub iudice lis est. At in iudice potissimũ requiritur iustitia, idcirco accommodam addidit ἐπίτασιν sub iniquis. Nisi quod Hebræorum more quæuis improbitas ἀδικία dicitur.

De hoc mundo iudicabunt.) τὸν κόσμον κρινοῦσιν, id est, Mundum ipsum iudicabũt. pronomen, hoc, non additur nec in codice Donatiani, nec in Constantiensi. Iudicari mũdum dixit, quod è uita sanctorũ apparet mundanos errare ac desipere, idq; uelut explicans subiecit, Si in uobis iudicatur mũdus. Nam iudicatur est præsentis temporis κρίνεται, nõ κρινεῖται, consentientibus tum exemplaribus, tum interpretibus Græcis: ut palàm intelligas eum loqui de uita Christianorum, quæ utinam hodie talis esset, ut per eam mundus iudicaretur. Nunc ab ethnicis pleriq; titulo magis ac ceremonijs, quàm affectibus ac uita differimus. Quin & Ambrosium legisse, iudicatur, subindicat eius interpretatio: Tunc, inquiens, iudi *Iudicare pro condemnare.*

catur hic mundus in uobis, si opus perfidorum hominum non inueniatur in uobis. Theophylactus & legit & interpretatur, iudicatur, & tamen interpres constanter uertit iudicabitur. Augustinus tamen legit iudicabitur, referens ad extremum iudicium, quo sancti sedebunt in duodecim thronis, iudicaturi duodecim tribus Israel. Nihil autē uetat quo minus hic locus ad utrunq; tempus pertineat. Siquidem & nunc iudicatur, hoc est, condemnatur mundus impius ex innocenti uita piorum: & olim condemnabitur, cum piorum & impiorum opera omnia proferentur in apertum. Illud obiter indicandum, In uobis hic dictum Hebræo more, pro per uos.

Anceps interpretatio.

Indigni estis qui de minimis iudicetis.) ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων, id est, Indigni estis minimis iudicijs: nam κριτήριον locus est ubi causæ cognoscuntur. Siquidem alicubi audiebantur causæ capitales, alicubi leuiores ac ciuiles, de mutuo, de commodato, de empto: hæc quæ ad uitæ usum pertinent, uocat minima. Græci sic accipiunt hūc locum, Cum sitis iudicaturi de mundo, indignū est uos iudicari in gētilium iudicijs, quæ hic minima uocat præiudicio illo magnifico, quo sancti mundum & angelos iudicabunt. Quāquam sermo Græcus anceps est, potest enim accipi, indigni estis qui de minimis litigetis, aut iudicetis, iudicaturi & angelos. Ita Theophylactus.

Quanto magis secularia.) Græce est, μᾶλλον βιωτικά, id est, Non solum uictualia, aut quæ ad uictum aut facultates siue ad uitæ usum pertinent. Nam βίος Græcis tria significat, uitā, uictum, & facultates, ac substantiam qua uiuimus: sentit enim lites pecuniarias. Et μᾶλλον, Græcis ualere idem quod πόσῳ μᾶλλον annotauit Hesychius.

Secularia βιωτικά.

Secularia igitur.) Et hic est βιωτικά, quasi quæ ad uictum, & rem domesticam pertinēt. Mira est aūt in hoc interprete copiæ affectatio. Quid autem simile, secularibus & βιωτικοῖς.

Contemptibiles.) ἀξουθενημένους, id est, Contemptos, & nihili habitos.

Varia interpretatio.

Illos constituite ad iudicandum.) καθίζετε, anceps est, quippe quod uerti poterat constituite uel cōstituitis. Mihi non displicet modus imperandi: ut apostolus iubeat uel extremis Christianorum id muneris delegari potius quàm ut ad ethnicos iudices eant. Augustinus libro aduersus Faustum v. cap. ix. legit collocate pro καθίζετε. etiamsi dissentit Ambrosius aliter explicans hunc locum, quasi uidelicet Paulus obiurget Corinthios, quod quosli bet huiusmodi negocijs iudicandis præficerent. Græcorum scholia, ac nominatim Theophylactus mecum faciunt, & magis quadrat ad sensum Pauli. Nec enim illud hic agit qui constituantur iudices in ecclesia, sed ne Christiani litigent apud impios, & quemuis potius uel contemptissimum, modo Christianum, arbitrum suæ causæ faciant, quàm adeant tribunalia impiorum. Non quod ita sentiat faciendum, ut infimis committantur iudicia, sed ut declaret quàm alterum sit indecorum, dicit hoc citius committendum. Et ideo mox sequitur, Ad uerecundiam uestram dico, non quod existimem nullos esse inter uos qui sapiant, sed ut istam falsam licet excusationē uobis adimam. Diuus Augustinus in libro de opere monachorum, ait sese ex hoc Pauli loco cogi ad suscipienda iudicia causarum cum esset Episcopus. Quod recte an secus senserit nō est huius loci excutere. Nec hoc loco Paulus ecclesiæ nomine proprie designat sacerdotes, sed cœtum Christianorum hominum, in quo fieri non poterat, quin aliqui forent idonei, qui de leuibus negocijs arbitrarentur. In hoc pro me facit Augustinus, quod Paulus senserit tolerabilius esse, causas tam humiles uel infimis ac contemptissimis Christianis delegari, quàm agi apud iudices prophanos & impios. Postremo de deligendis arbitris potissimum loqui uidetur Paulus. Si quid parum conuenit, per arbitros trāsigatur, & eos arbitros qui inter uos habentur contemptiores. Quod si hodie placeret Christianis, frigeret rapacissima plerunque aduocatorum, procuratorum, ac iureconsultorum turba.

Excussa Augustini sententia.

Constituite.) καθίζετε, id est, Collocate: nam καθίζειν est proprie collocare in sede, & iudicis est sedere. Mire autem addidit τούτους ad odium rei.

Ad uerecundiam uestram.) πρὸς ἐντροπὴν, id est, Ad confusionem siue pudorem, aptius quàm ad uerecundiā: & paulo superius uertit ad confusionē. Hoc adiecit, significans se nō esse locutū ex animo quod uellet cōtemptissimos ad iudicandū deligi, sed quod hoc quoq; iudicaret tolerabilius, quàm id quod illi faciebant, litigantes Christiani apud ethnicos.

Sic non est.) οὕτως, in nonnullis exemplaribus Græcis coniungitur cum proxime præce

denti

denti uerbo dico,non cum sequentibus:ut sit sensus,sic loquor,non quod id uelim fieri,sed ut intelligatis quàm sit indignum quod facitis. Nos tamen diuersam lectionem sequi maluimus,ut οὕτως positũ sit pro adeo,per indignationem. Mirũ autem unde interpres Theophylacti,legat si pro sic,si tamen locus mendo uacat.

Sapiens quisq;.) οὐδὲ εἷς,,id est,Ne unus quidẽ,quod est uehementius,cũ sitis tam multi.

Qui possit iudicare inter fratrem suum?) ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ. Quasi dicas in medio fratris. Et quomodo iudicet aliquis inter unũ? Proinde clarius erat ac Latinius, Inter fratrem & fratrem,hoc est,inter Christianum & Christianũ:illud obiter subindicatur nõ opus esse magna iuris subtilitate inter Christianos,inter quos ipse fraternus affectus facile uel remittit noxam,uel componit negocium.

Frater cum fratre iudicio contendit.) κρίνεται, id est,Iudicatur. Quod tamen nõ inelegãter uertas litigat,siue,ut hic,Iudicio contendit.

Et hoc apud iniustos.) ἐπὶ τῶν ἀδίκων,id est,Sub iniustis,ut modo indicauimus,aut ut in pleriscq; legimus ἐπὶ τῶν ἀπίστων,id est,Sub incredulis:atq; ita legit & interpretatur Ambrosius.

Iam quidem omnino delictum est.) Non est Græce παράπτωμα,sed ἥττημα, quod significat aliquem esse uictum & superatũ. Victus uidetur ab iracundia,aut auaricia,qui ob pecuniolam litẽ mouet fratri. Ad hunc modũ exponunt Græca scholia. Porrò inter uos melius reddidit interpres, quàm refert Augustinus libro aduersus Manichæum v.cap.ix. Quod iudicia habetis uobiscum,cum Græce sit μεθ' ἑαυτῶν. Latine dicimus litigat cum illo,at non item,litigant secum pro eo quod est,litigant inter sese.

Fraudem patimini.) ἀποστερεῖσθε, id est, Damno afficimini,aut fraudamini. Nam fraus aliquando non pro dolo,sed pro damno ponitur.

Et hoc fratribus.) Poterat interpres incolumi grammatica uertere sic, Iniuria afficitis & fraudatis,atq; id fratres. Nec est quod mutes & hoc καὶ ταῦτα in & hæc,quasi hac uia subuentum sit Latinitati,quemadmodũ uult Stapulensis:quandoquidem Latinus sermo qui recipit loquendi formam,numerum pluratiuum non recipit,nisi sit nomen eiusdem numeri:ut,multa abegerunt pecora,eaq; insignia. Etiamsi Græcam elocutionis formam uidetur expressisse semel Suetonius in Tiberio Cæsare cap.xxij. Quos codicillos dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset,quo materiam tumultus post se subduceret, an nomine Augusti Liuia,& ea cõscio Tiberio an ignaro dictasset &c. Nisi mauis & ea referre ad Liuiam, pro eaq;,quemadmodum dicimus isq;.

Et hoc.

Fabri Stapulensis opinio.

Neq; fornicarij.) οὔτε πόρνοι, id est,Scorta siue scortatores. Opinor interpretem consuluisse uerecundis auribus,quod scortum apud Latinos uocabulum sit obscœnius,dictũ à pellibus. Ac mox, ἀρσενοκοῖται, rem per se fœdissimam quàm potuit minime fœde significauit. Siquidem concumbunt & qui in eodem dormiunt lecto,etiamsi nihil peccent. Illud admiror cur Faber Stapulensis hoc loco maluerit cinædi uocabulum, non solum obscœnum,uerumetiam aliud exprimens,quàm Paulus senserit. Siquidem cinædi,ni fallor,dicuntur, qui turpiter obsecundant,olim ita uocati,qui fœdo,parumq; uirili corporis motu gesticularentur,saltitarentq;,siue quod ad cantum mouerent effœminate corpus, siue quod irritarent mouerentq; pudendas corporis parteis, πρὸς τὸ κινεῖν τὰ αἰδοῖα, siue quod uacarent pudore,quasi κενοὶ αἰδοῦς. Certe uitari non potest,quin si cinædus non est proprium catamytorum uocabulum,certe commune sit ad utcunq; effœminatum.

Fabri excussa annotatio.

Non possidebunt.) οὐ κληρονομήσουσιν, id est,Non sortientur sortem siue hæreditatem regni dei,hoc est,non continget illis regnum dei.

Et hæc quidem.) καὶ ταῦτά τινες ἦτε, id est,Et hæc quidam eratis:ut intelligas quosdam ex illis tales fuisse,non omnes, quemadmodum annotauit Valla. Neq; enim consentaneũ est omnes fuisse fures,aut adulteros,aut masculorum concubitores,etiamsi idololatriæ uitium omnibus fuit commune. Nam furtum & adulterium apud Græcos etiam legibus puniebatur. Nisi malumus ταῦτα positum pro τοιοῦτοι, & τινὲς additum iuxta proprietatem Græci sermonis, ut & aliàs sæpenumero apponitur, ut sit sensus, huius generis homines fuistis. Quanquam magno consensu Latini codices,quos ego sanè uiderim,scriptum habent quidem,ut sit coniunctio. Atq; ita legit Augustinus. Quin & Theophylactus sic interpretatur,quasi pro τινὲς legisset μέν,quasi ad omnes hic sermo pertineat, quũ in cõtextu sit τινὲς

Vallæ excussa annotatio.

non μὴν. Ambrosius tamen legisse uidetur, quidam, cum commentarij uice asscribit, nē omnibus hoc asscribere uideret. At certe omneis ab his criminibus immunes faceret si taceret. Prohibuisse enim uidebatur non reuelasse crimina illorum: idcirco sic ait, Et hæc quidem fuistis. Hactenus ille. Quomodo autē ex Pauli uerbis apparet eum nō omnibus hæc tribuere, nisi legamus, quidam? Proinde uerisimile est, librariorum errore, quidam, mutatum in quidem. Diuus Irenæus libro quinto semel atq; iterum adducens hunc locum legit quidam, quæ dictio fuerat in prioribus libris per librarios deprauata, quū uiderent eādem sæpius repeti reliquerunt.

Προσονομασία.

Omnia mihi licent, sed ego sub nullius.) Græcorum uerborum iucundam allusionem interpres seruare non potuit, ἔξεστιμ & ἐξουσιασθήσομαι, id est, Licet & in potestatem redigar. Eam nos utcunq; retulimus ad hunc modum: Omnium mihi potestas est, at ego non redigar sub ullius potestatem.

Esca pro esca Esca uētri, p esca ad uētrē ptinet & uenter ad escam.

Esca uentri.) Escæ dicendū in plurali numero, sicut paulo post, uenter escis. Tum & hunc & has dicendū erat. Ita fermè citat Hieronymus in epistola ad Amandum, & Græca sic habent, ut ille citat: codex Donatiani habebat, & hunc & has destruet. Nec hoc ita magni refert, nisi quod multitudinis numerus hoc loco magis cōgruit, cum de generibus ciborum agat, nō simpliciter de cibo. Exemplar Cōstantiense scriptum habebat, & hūc & hæc, quasi legisset βρώματα. Videtur autem uerbū aliquod subaudiendum, in esca uentri, & uenter escis. Ac paulo post, Corpus autem non fornicationi, sed domino, & dominus corpori, nimirum destinata est aut dicata est. Cōsimili forma sermonis in epistola ad Romanos cap. septimo, significauit mulierem uiro dicatam ac propriam, Adultera, inquiens, uocabitur, si fuerit alteri uiro. Sic enim habet Græcus sermo quo scripsit Paulus. Et haud scio an iuxta proprietatē sermonis hebræi, dicat alicui esse, qđ ad illū ptinet, & illius bono destinatū est.

Qui adhæret mer.) ὁ κολλώμενος. Quasi dicas, qui agglutinatur. Idq; concinne quadrat cum eo quod sequitur, Vnum corpus efficitur.

Vnum corpus efficitur.) Est ἔσι apud Græcos est pro efficitur, quod est uehementius.

Duo caro una.

Et erunt duo in carne una.) εἰς σάρκα μίαν, id est, In carnē unam, Atq; ita legit diuus Hieronymus in libello ad Geruntiam de monogamia, id quod palàm est ex eo quod apud eū sequitur, Nō in duas, nec in tres. Porrò iuxta proprietatem Hebraici sermonis, nihil aliud est erunt duo in carnem unam, quàm è duobus fiet uelut unus homo. Citatur ad eundem modum in libris aduersus Iouinianum: nec semel apud Tertullianum.

Varia lectio.

An nescitis quoniam membra uestra templum sunt.) Græce nō est μέλη, sed σώματα, id est, Corpora. Atq; ita legit simul & interpretatur Theophylactus, itaq; citat Hieronymus aduersus Iouinianū lib. 2. nec aliter legit Ambrosius. Nostri codices magno cōsensu priore loco habēt, Nescitis quoniā corpora uestra mēbra sunt Christi, posteriore, An nescitis quoniam membra uestra templum est spiritus sancti. Porrò quod templum dicit, non templa, aut numerus positus est pro numero, aut quoniam de pariter collecto ecclesiæ corpore loquitur, magis conueniebat templum, quàm templa, ut indicat & ille.

Additum aliquid apd nos.

Empti enim estis precio magno.) Magno, à nostris additum est, ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς, id est, Empti enim estis precio. Nam hoc tantum hic agit, eos non esse sui iuris, cum sint empti, & empti precio, nimirū iam illius à quo empti sunt. Atq; eum in modum adducit hunc locum Chrysostomus, homilia in Matthæum lv. Quum hanc lectionem Theophylactus proponat & enarrans iterum atq; iterum repetat, tamen interpres ubiq; uulgatam nostram inculcat æditionem. Neq; tamen consequens est, ut si interpres dixisset precium fuisse magnum, idcirco magnū scripserit apostolus. Nunc precium repetit nec addit magnum. Ambrosius adducens hunc locū, libro de Cain & Abel secundo, cap. 3. non addit magno. Rursus in epistolarū libro 2. cap. 2. ac mox proximo capite Paulus eandem sententiam totidem uerbis inculcat licet ordine uerso, τιμῆς ἠγοράσθητε, precio empti estis. Neque secus adducit Origenes Homilia in Exodum sexta. Cæterum de magnitudine precij, adiectum apparet ex epistola diui Petri priore, capite primo: Non corruptibilibus auro uel argento &c.

Glorificate, & portate deum.) Græcis non additur portate, sed additur quod Latini non habent, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, id est, Et in spiritu uestro. Theophylactus exponēs hunc locum, de portando nullum facit uerbum, de spiritu seorsim ac nominatim interpretatur.

Item

Item illud, ἅτινά ἐστι τοῦ θεοῦ, id est, Quæ sunt dei, ut referatur simul ad corpus & spiritũ, quorum utrunq; deo dicatum sit. Cæterum utraq; uox, σῶμα & πνεῦμα Græcis neutri generis est. Nam & hanc particulam seperatim exponit Theophylactus. Quanquam magno consensu discrepant Latinorum & codices & interpretes.

EX CAPITE SEPTIMO.

DE quibus autem scripsistis mihi.) Sermo quidem est inabsolutus: uerum hic loquendi color haud est insolens etiam apud Latinos. Nam sensus est, ut de his quæ scripsistis mihi, respondeam. *Sermo imperfectus.*

Bonum est mulierem.) Hic est unus locus opinor, in quo conueniebat addere coniunctionẽ μὴν, quæ respondeat δέ. Verũ id Paulo frequentissimum est. Cum hoc argumento colligat Hieronymus Paulũ parũ bene calluisse Græcũ sermonẽ. *μὴν coniunctio omissa.*

Mulierem non tangere.) Rectius hic erat uxorem. Quandoquidẽ Græca uox γυναικὸς ambigua est. Deinde tangere ἅπτεσθαι, iuxta proprietatẽ Græcanici sermonis sæpenumero significat nõ manu cõtingere, sed habere cum aliquo negocium siue commercium. Proinde μὴ ἅπτεσθαι γυναικὸς, nihil aliud sonat, quàm si dicas, bonũ est abstinere ab uxore, hoc est, nõ ducere uxorẽ. Etiamsi diuus Hieronymus aduersus Louinianũ, studio torquet hoc uerbũ ad simplicem cõtactum, uelut in ipso contactu quoq; periculum sit, non solum in coitu. Id quod fortasse concedendũ est in diuinis literis, quoties aut hortamur, aut consolamur, aut deterremus, aut ludimus. In disputatione seria nolim id fieri, etiãsi hoc uel inprimis sibi permittit Hieronymus, idq; factum defendit exemplo Pauli, apud quem ait pugnare testimonia, quæ suis locis non pugnant. Verũ ab ijs interim periculũ est, quibus mos ex quocunq; libro quatuor aut quinq; uerba decerpere, ac uelut ex oraculo proferre, haud perpendentibus quid præcesserit, quid cõsequatur, cum quo agatur, quid agatur, quorsum & quo animo dictum sit. Quid quod ea quæ sequuntur palàm indicãt hunc esse sensum, Propter fornicationem autẽ &c. optimum erat nõ ducere uxorem, cæterũ qui metuit ne labatur in stuprum, ducat potius, & suam habeat citius q; alienã. Iam illud, quamuis non est propriũ huius instituti, tamẽ obiter admonuisse profuerit, bonũ hic accipi pro cõmodo, nõ autem ut opponatur uicio, quemadmodũ passim dicitur, bono fuisse quod profuit, & malus bello dictus est Horatio, qui bello sit inutilis. Neq; enim hoc quærebat à Corinthijs opinor, an fas esset uxorẽ ducere, sed an expediret eo rerũ statu matrimonij uinculis illigari. Hieronymus autẽ pugnãs aduersus eos, qui matrimonio plus satis tribuebant, ita ratiocinatur: Si bonũ est nõ tangere uxorẽ, malũ igitur est tangere, cum bono malũ sit contrariũ. Hanc ratiocinationẽ ita refellit Augustinus, qui legerat Aristotelis Categorias, ut dicat quædã esse indifferentia, quæ nec bona sint nec mala, ueluti nasum emũgere, aut saliuã iacere. Cum enim is in matrimonio tria cõstituerit bona, nõ passus est ullam mali mentionẽ, eoq; bonũ ait hic accipi pro melius, ne quis turpe putet uxorẽ ducere, quasi bonũ pugnet cum turpi. Quod si in uerbis Hieronymi, malum & bonũ, utrobiq; cõsimiliter sumantur, recte procedit illius argumẽtatio, iuxta propositã à Corinthijs quæstionẽ. Si cõmodum est non ducere uxorem ob sarcinas curarũ, ob uincula affinitatũ, incommodum est igitur ducere. Perinde ut si quis rogatus, num bonũ esset sibi longũ iter ingressuro, latrocinijs obnoxium, tollere pecuniã, responderet, bonũ est pecuniam nõ tollere, recte cõsequeretur, malũ esse tollere. Nam quod hic opponitur bono, Paulus paulo post uocat tribulationẽ, siue afflictionem carnis. Nec dicit simpliciter bonũ est, sic manere ut ego sum, sed bonũ est ob urgentem necessitatẽ. Proinde non quod pro tẽpore proq; re præsenti bonũ est, id protinus simpliciter bonũ est. Ætate Pauli, cũ inter innumeros ethnicos perpauci essent Christiani, fortasse cõmodius erat abstinere à matrimonio, nunc mutatis rebus haud scio an magis expediat, sanctũ cõnubium & immaculatum thorum sancte pureq; colere, etiam sacerdotibus, si qui nõ cõtinent, quando horum tam ingens ubiq; numerus est, rursus tanta raritas caste uiuẽtium. Quod igitur hæc nõnihil torquet Hieronymus, uictoriæ datum est, præsertim cum ille plurimũ interesse putet, docendus sit aliquis, an uinciendus, initiandus an illaqueandus. Cæterum quæ hic argutatur Augustinus, ut uera sint, certe ad Pauli sensum mihi non uidentur proprie facere. *Bonũ pro cõmodo, nõ pro honesto.* *Augustinus in epistolis aduersus Hieronymum.*

Propter fornicationem.) διὰ δὲ τὰς πορνείας, id est, Propter fornicationes autem, siue

ſcortationes. Quanquam hoc nihil ad ſenſum, niſi forte numero multitudinis innuit diuerſas libidinis ſpecies.

Suam uxorem habeat.) ἐχέτω, quod uerbum apud Græcos planè imperatiui eſt modi. Verum non eſt quod id nos commoueat, nec eſt cur interpretemur, habeat, habere liceat: cum id dicatur iis qui ſe non poſſunt à conſuetudine mulierũ cohibere, non omnibus. Atq; his ſanè qui ſibi permiſſuri eſſent ſcortationem, aut fœdius aliquod libidinis genus, imperat ut potius ducãt uxorem. Quod ſi hoc loco perpetuo ἄνδρα uertiſſet marítum, & γυναῖκα uxorem, pluſculum lucis acceſſiſſet ſermoni. Nam uoces apud Græcos ambiguæ ſunt.

Vallam excute.

Debitum reddere.

Argutatur hoc loco Valla de pronomine ſuum & ſuam, quæ non arbitratus ſum operæprecium aſſcribere.

Vxor uiro debitum reddat.) Græce ſic eſt, τὴν ὀφειλομένην ἔυνοιαν ἀποδιδότω, id eſt, Debitam beneuolentiam reddat, ut rem parum uerecundam uerecunde notaret. Quanquam ſecus legunt Ambroſius & Hieronymus. Omnino coitum ſignificat, & ideo texit uerbis, quod oportebat intelligi. In uno duntaxat codice pro ἔυνοιαν, id eſt, Beneuolentiam ſcriptũ reperi τιμὴν, id eſt, Honorem, exponentibus ad eum modum & commentariis, qui Chryſoſtomo inſcribuntur, ſed titulo mihi ſuſpecto. Proinde quoniam uariat Græcorũ ſcriptura in coniecturã adducor à Paulo ſcriptũ fuiſſe τὴν ὀφλὴν, id eſt, Debitũ, quod deinde ſiue caſu, ſiue quo uerecundior eſſet oratio, quiſpiam mutarit in ὀφλομένην ἔυνοιαν. Quanquã ad eum modum legit & interpretatur Theophylactus, nullam coitus faciẽs mentionem.

Nolite fraudare.) μὴ ἀποστερεῖτε, id eſt, Ne fraudetis. Fraudamus autem proprie, cum ſubtrahimus rem debitam, ſicut fruſtramur re ſperata.

Vt uacetis orationi.) Græcus addit, τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ, id eſt, Ieiunio & orationi, quæ duo coniungit & diuus Hieronymus: licet Theophylactus enarrans hunc locum, ieiunij nullam faciat mentionem, quanquam in textu additur νηστεία, non taciturus ſi legiſſet. Idem annotauit emphaſim huius uerbi σχολάζητε. Non enim dixit, oretis, ſed uacetis precationi, quod ea res deſideret animum ab omnibus mundanis curis uacantem. Atqui uacandi uerbum non perinde congruit ieiunio.

In idipſum.

Reuertimini in idipſum.) ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχησθε, id eſt, Ad idem, ſiue in unum congredimini, ſiue conueniatis, ut intelligas eos ante fuiſſe ſeparatos thalamis. Græcis enim in idem uenire dicuntur, qui conueniunt in eundem locum, ſiue qui cõſentiunt, hoc eſt, in eandem eunt ſententiam, uelut in huius epiſtolæ cap. xi. Conuenientibus uobis in unum, συνερχομένων ὑμῶν εἰς τὸ αὐτό. Quod hic uertit, in idipſum, illic tranſtulit, in unum. Mirum autem quod ſecutus exemplar

Auguſtinus.

Auguſtinus epiſtola centeſima nonageſimanona, legit, Et iterum ad idipſum eſtote. Extat eadem lectio homilia quinquageſima, de mixtis argumẽtis, ac rurſus libro contra Fauſtum quinto, capite nono. Quin & apud Origenem ſic adducitur homilia in Numeros uigeſimatertia.

Propter incontinentiam.) διὰ τὴν ἀκρασίαν, id eſt, Propter intemperantiam, tametſi minimum intereſt.

Secundum indulgentiam.) Quidam Græci codices habent, κατὰ συγγνώμην, id eſt, Secundum ignoſcentiam ſeu ueniam. Quidam habent, κατὰ γνώμην, id eſt, Iuxta conſilium, ſiue ſententiam: quaſi dicat, dico meam ſententiam, & quod mihi uidetur optimum factu, non autem præcipio. Quanquam συγγνώμη appoſitius ad ἐπίτασιν eſt, uenia ad imperium. Imperium exigit, uenia concedit nonnihil præter ius. Indulget enim hoc Paulus illorum fragilitati. Auguſtinus non dubitat ex hoc loco aſſeuerare, coitum cum uxore reſtinguendæ libidinis cauſa initum, non uacare culpa, licet uenialis ſit, excuſante uidelicet matrimonio.

Coitus quando peccatum.

Volo autem omnes manere ſicut meipſum.) Græci γὰρ habent, non δὲ. Exponit enim quid dixerit ſecundum indulgentiam. alioqui Vellem, inquit, omnes qui habent uxores in totum abſtinere ab illis. Vel ex hoc loco conijcere licet, Paulo fuiſſe coniugem, poſteaquam de coniugatis agens ſui facit mentionem.

Paulus coniugatus.

Dico autem non nuptis.) ἀγάμοις, Innuptis erat apertius, uel potius cœlebibus, aut inconiugatis. Nam articulus indicat hoc uiris dici, τοῖς ἀγάμοις, id eſt, iis qui cœlibes ſunt. Quanquam nihil uetat quo minus ad utrunq; ſexum referatur. Et Theophylactus articulum addidit fœmineum ταῖς ἀγάμοις, ut alterum ad uirgines pertineat, alterum ad uiduas: quæ

quæ cœlibes ſunt, dici poſſunt ἄγαμοι, at non poſſunt ſemel expertæ nuptias.

Melius eſt nubere quàm uri.) κρεῖττον γάρ ἐστι γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι. Nubere Græcis ambiguum eſt uerbum γαμῆσαι, quod ſignificat & nubere uiro, & ducere uxorem. Nam hæc ſententia ad utroſque pertinet, uiros ac mulieres. Ideo quod ante dixit, innuptis & uiduis, pro innuptis, in quibuſdam Græcis codicibus eſt τοῖς ἀγάμοις, addito articulo maſculino, ita tamen ut ſub uno genere ſexum utrunq; intelligas. Quanquam ut modo dictum eſt, nonnulli codices habent ταῖς, ita tamen ut mox redeat ad maſculinum genus καλὸν ἐστὶ τοῖς, id eſt, bonum eſt eis: & κρεῖττον non proprie melius eſt, ſed potius ac magis eligendum. Porrò πυροῦσθαι, id eſt, uri demiror cur quidam contra omnium ueterum opinionem exponant de igni gehennæ, cum hic palàm de libidinis loquatur incendio, moleſtiaq; corporis non ſe continentis. *Nubere.* *Vri.*

His autem quæ matrimonio iunctæ ſunt.) γεγαμηκόσι Græcis quidem eſt maſculini generis, ſed ita, ut fœmininum quoq; complectatur, id quod ſequētia declarant. Proinde nos uertimus, Coniugatis autem, ut ad uirum ſimul ac mulierem pertineat. Atq; adeo in perueteribus exemplaribus, nominatim in eo quod exhibuit bibliotheca collegij diui Pauli apud Londinum, ſcriptum reperi genere maſculino: His autē qui matrimonio iuncti ſunt. Tum Auguſtinus explanans ſermonem Chriſti in monte habitum, citat genere maſculino: His qui ſunt in coniugio, præcipio non ego ſed dominus. *Matrimonium impar.*

Cæteris autem.) Auguſtinus indicat hoc pertinere ad impari matrimonio iunctos.

Per mulierem fidelem, per uirum fidelem.) ἐν τῇ γυναικὶ, καὶ ἐν τῷ ἀνδρί, id eſt, In mulière, in uiro. Quanquam γυνὴ Græcis & mulierem ſignificat & uxorem. Atq; hoc ſanè loco recte mutauit interpres præpoſitionē, quod tamē aliàs aut ueretur aut negligit facere. Adiectiuum fidelis, utrobiq; additū eſt à nobis, cum apud Græcos non addatur, ſed ſubaudiatur. Auguſtinus libro primo quo exponit ſermonem in monte habitum, legit ad hunc modum: Sanctificatus eſt enim uir infidelis in uxore fideli, & ſanctificata eſt mulier infidelis in fratre fideli. Et ne quis exiſtimet hoc caſu factum, aut locum deprauatū, ipſe aliquanto poſt eodem libro adducit huius loci teſtimonium, docens in ſacris literis, fratris uocabulo ſignificari Chriſtianum, uerum hic non addit fideli. Et ſanctificatum hic uocat purificatum. Sequitur enim, Alioquí filij ueſtri immundi erunt.

Vocauit uos.) ἡμᾶς, id eſt, Nos, primæ perſonæ, nō ſecundæ, ſuffragante & uetuſtiſſimo codice Paulinæ bibliothecæ, atq; item Donatianicæ.

Niſi unicuiq; ſicut diuiſit dominus.) Quidam Græci codices habent εἰμὴ, id eſt, Niſi, quidam ἢ μὴ, id eſt, An non, ut referatur ad ſuperiora. At Græcorum quidē ſcholia diſtinctionem apponi uolunt poſt εἰμὴ, an ſeruaturus ſis, an non. quod alioquí uideatur imperfecta ſermonis conſtructio: & huius diſtinctionis Seuerianum quendam citant autorem. Theophylactus & ipſe cōmonſtrat duplicem huius loci ordinem. Prior hic eſt, Quí ſcis, an ſeruatura ſis uxor uirū nec ne. Ac mox uelut ex abrupto interiiciat, Vnicuiq; ſicut diuiſit dominus. Deinde ſuccedat quod priori particulæ reſpōdeat: Quí ſcis uir an ſeruaturus ſis uxorē nec ne. ut illud, unicuiq; ſicut diuiſit dñs, cum ſit cōſtructionis lege ab utroq; ſeparatum, ad utrunq; reſpōdeat. Variæ ſunt dotes dei, fortaſſe cōtinget, ut ſeruetur ille aut illa: quare ſiue cōtinget, ſiue nō continget, non eſt dirimendū coniugium. Alter ordo coniungit duas partes: Quí ſcis an tu ſeruatura ſis uirum, an tu ſeruaturus uxorem, deinde ſuccedat ceu nouum caput, Niſi unicuique ut diuiſit dominus ſic maneat: quaſi dicas, nihil aliud tentetur aut nouetur, ob alterum infidelem, tantum ut cuique ſua ſors obtigit, ita maneat. Atq; hanc lectionem ille præfert ſuperiori. Quod ſi de diſtinctione laboratur, nihil uetat quo minus referatur ad permaneat, uerbum. Quí ſcire poſſis an ſeruaturus an ſeruatura ſis, niſi unuſquiſque ſic permanſerit, ut uocatus eſt? Verum mihi magis placet, ut ſeorſim legatur εἰ μὴ, ac perinde ualeat, quaſi dicas, utcunq; eſt, aut in ſumma. Hac loquendi forma ſolemus uti, quoties omiſſis quæ incerta ſunt, ad id redimus quod certum eſt. Hāc Græcanici ſermonis figuram expreſſiſſe uidetur Terētius in Adelphis, Gaudebam. Ecce autem de integro, niſi quicquid eſt uolo ſcire, atq; hominem cōuenire. Idem aliis aliquot locis ad eundem uſurpauit modum. Sic Paulus, quoniam id quod erat dubium propoſuerat, de ſeruando uiro aut uxore infideli, Vtcunq; hoc eſt, inquit, maneat unuſquiſq; ut illi tribuit deus, & ut uocatus *Duplex lectio* *Tertia.*

est,quicunq; sequatur exitus de seruando coniuge. Meminit & Thomas nonnihil de duplici huius loci lectione,ex quo apparet illum adiutum commentarijs è Græco uersis, quæ nunc non extent.

Doceo ordino. In omnibus ecclesijs doceo.) διατάσσομαι,id est,Ordino,siue instituo.

Non adducat præputium.)μὴ ἐπισπάσθω,id est, Ne ascíscat,ut subaudias præputiũ. Subindicat Theophylactus præputium resectum pharmaco solere reduci. Rei huius artificiũ aliquod indicat Cornelius Celsus libro septimo, cap.xxv.Quomodo tegenda sit glans uel natura,uel amputatione nuda. Verum an hoc Paulus senserit nescio. Certe Origenes libro περὶ ἀρχῶν quarto,putat nullo modo reuocari posse semel amputatum præputium, Vtcunque habet,nos maluimus accersere,quàm adducere,uel ob uerecundiam.

Vnusquisq; in quo uocatus est frater.)ἀδελφοί,id est, Fratres, multitudinis numero,idq; duntaxat in hac posteriore parte.Præterea in hoc,repetitum est ex superfluo iuxta proprietatem sermonis Hebraici,quemadmodum & paulo superius, Vnusquisq; in qua uocatione uocatus est,in ea permaneat.

Consilium autem do.) γνώμην δὲ δίδωμι, id est,Sententiam autem do, siue dico id quod mihi uidetur optimum,hoc est,profero meam super hac re sententiam.Et ne contemnatur, addit hoc se misericordia diuina cõsecutum, ut super ea re dicat bona fide quod optimum putet uelut Apostolus.

Propter instãtem necessitatem.) ἐνεστῶσαν. Græci ἐνεστῶτα uocãt præsens tempus, & hos imitatus Fabius instans appellat. Ambrosius legit, Propter præsentem necessitatem,nimirum intelligens præsentem illorum temporum statum. Oportet enim huiusmodi consilia pro temporum ratione moderari. Idq; confirmat ea quæ superius à nobis dicta sunt.

Noli quærere solutionem.)λύσιν. Alijs magis placet diuortium quàm solutio,uelut Latinius,sed tamen interim perit aliqua gratia contrariorum,Alligatus solutus & solutio.

Tribulationẽ habere carne. Tribulationem carnis.) Græce est τῇ σαρκί, id est,Carni,siue in carne. Nec est cur Valla reijciat hac gratia expositionẽ Ambrosianã, ac cæterorũ omnium qui tribulationẽ carnis, interpretantur incommoda huius mundi,uelut lites cum affinibus,curam liberorum,sollicitudinem rei domesticæ, & id genus alia sexcenta, quæ matrimonium comitãtur. Paulus enim suo more carnem uocat,quod pinguius est & crassius,& ab illa diuini spiritus puritate simplicitateq; recedens.Sic autem dictum est, habere tribulationem carne,quemadmodum dicimus,affligitur animo,aut cruciatur corpore.

Tempus.) ὁ καιρὸς συνεσταλμένος, id est, Tempus contractum,quod Hieronymus aduersus louinianum uertit,tempus in collecto est.Et quod sequitur τὸ λοιπόν,potest ad superiora referri, ut legas, tempus quod supereſt contractũ est. Atq; ita Græci uidentur legere, nominatim Theophylactus.Et eundẽ ad modũ Ambrosius,ut ex illius interpretatione colligitur.Quod si placet sequi,coniunctio ut,quæ sequitur,non accipietur εἰδικῶς, sed ut consequentiam declaret,uelut in hac oratione:Omnis hæc uita breuis est,ut si quid etiam uoluptatis habeat matrimonium,negligendum sit ob hoc ipsum quod breui dilapsurum.

Tanquam non utantur.) ὡς μὴ καταχρώμενοι, id est, Tanquam non abutentes.Quanquam hoc abutentes nihil aliud est mea sententia,quàm utentes,licet Theophylactus existimet interesse nõnihil:& utẽtes nihil aliud q̃ tractãtes. Vtimur in bonũ,abutimur in malum,utimur ueste,abutimur frumento,& utimur homine,qui cũ est nobis familiaritas.Hic abuti dictum uidetur pro ualde uti, quemadmodum Latini dicunt,fatigari & defatigari.

Præterit enim figura.) παράγει. Faber Stapulensis emẽdat decipit,quod ipsa uox uideatur ita sonare παράγω,quasi seducere,siue à uia abducere. Verum huius uerbi cõposita sæpenumero & neutralia usurpantur,ut ὑπάγω pro abeo,quod nõ semel positũ in euãgelicis literis ὕπαγε ὀπίσω μου.Et apud Ioannẽ cap.ix. Καὶ παράγων ὁ ἰησοῦς, & præteriens Iesus,& apud eundem cap.xiiij. ἄγωμεν ἐντεῦθεν,eamus hinc.Item Matthæi iiij. περιῆγεν ὅλην τὴν γαλιλαίαν, id est circũibat:apud eundẽ cap. xx. ὅτι ἰησοῦς παράγει, id est quod Iesus præteriret. Rursus cap. xxi. προάγουσι præcedunt.Item cap.xxiij. διάγετε circumitis.Atq; ita sanè magis quadrat ad Pauli sententiã,& ita exponũt Græca scholia παράγει,παρέχει. Quod aũt dixit σχῆμα,hoc est, figura,perinde est quasi dicas,habitus.siue status.Annotauit emphasim nominis & Theophy.qd' mũdus hic nihil habeat solidi,sed speciẽ modo quãdã bonorũ ac malorũ p̃ se ferat.

Qui

Qui ſine uxore eſt.) ὁ ἄγαμος, id eſt, Qui cœlebs eſt, ſiue inconiugatus. Mirum cur interpreti placuerit periphraſis cum ſuppetat Latinis uerbum propriũ, quo certe uſus eſt Cyprianus in ſecundo tractatu de habitu uirginum: Cœlebs cogitat ea quæ ſunt dei, quomodo placeat deo. Qui autem matrimonium contraxit &c.

Quomodo placeat deo.) Græcis domino eſt, non deo, τῷ κυρίῳ. Maritum nõ habet cui placeat, ſed habet dominum, cuius animo debet obſequi. Deinde ſequitur, Vt ſit ſancta, & corpore & ſpiritu, gemina coniunctione.

Et diuiſus eſt.) Longe alius ſenſus eſt apud Græcos. Siquidem uerbum μεμέρισαι, nõ ad ea quæ præcedunt, ſed ad ſequentia refertur, μεμέρισαι καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, id eſt, Diuiſa eſt, ſiue diuiſa ſunt & uxor & uirgo, hoc eſt, diuerſo uitæ ſtudio ſunt. Deinde explicat diſcrimen uitæ. In eam ſententiam interpretatur Theophylactus. Citatur hic locus emẽdate aduerſus Heluidium, etiamſi nonnihil mendi aſperſerant hic quoq; librarij. Quanquã ex ipſa ſermonis cõtinentia palàm eſt Hieronymũ ſic accipere, ut nos interpretamur, nempe cum ait, Vide quantæ felicitatis ſit quæ & nomẽ ſexus amiſerit. Item in epiſtola ad Euſtochiũ de uirginitate ſeruanda. At rurſus idem in priore aduerſus Iouinianũ libro, reijcit hanc lectionem, quam fatetur quidẽ eſſe in Latinis codicibus, & à ſe pro loci qualitate ſic fuiſſe ediſſertam, uerum non eſſe ueritatis Apoſtolicæ, à quo ſic fuerit ſcriptum, Sollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuiſus eſt. Deinde hac abſoluta ſententia, tranſiens ad uirgines & continentes ſubiecit, mulier innupta & uirgo cogitat quæ ſunt domini, uultq; per interpretationem additum eſſe uirginem, ne putemus innuptas meretrices hoc ſermone comprehendi poſſe, aut certe elegantiæ cauſa bis idem eſſe dictum. unde conijcere licet exemplaria Græcorum, illa quoq; tempeſtate uariaſſe. Siquidem in codicibus Græcorũ hodie legimus ad hunc modum, ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσῃ τῇ γυναικί. μεμέρισαι καὶ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, hoc eſt, Qui uero duxit uxorẽ, ſollicitus eſt de his, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori: deinde interpoſito pũcto ſequitur, Diuiſa eſt mulier & uirgo. Proinde quod Hieronymus ſcribit eſſe in Latinis codicibus, hodie in Græcis habetur: & quod ait eſſe apoſtolicæ ueritatis, hoc legitur in uulgatis Latinorum exemplaribus. Verũ utrocũq; modo legas, eadem fermè conſtat ſententia. Diuus Ambroſius ita legit: Qui autẽ cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt huius mundi, quomodo placeat uxori, & diuiſus eſt. Diuiſa eſt mulier & uirgo: idq; exponens ſubijcit, diuiſa non utiq; natura, ſed actu: quia legimus in Numeris, mulieres uirgines appellatas. Quibus ex uerbis palàm eſt, Ambroſio Paulum ſentire, diuerſum eſſe ſtudium mulieris & uirginis. At idem in libello de uiduis aliter citat hunc locum, luxta quod ſcriptum eſt, inquiens, & mulier innupta, & uirgo cogitat quæ domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ quidem palàm arguunt Ambroſij quoq; codices hoc loco uariaſſe. Illud addam, hoc certe loco rectius γυνὴ uertiſſet uxorem quàm mulierem: tametſi uox ea utrunq; ſignificat. Ad eũdem modum citat Hieronymus, tum alijs aliquot locis, tum in epiſtola ad Euſtochium de uirginitate.

Hieronymus à ſeipſo diſſentiens.

Ambroſius à ſeipſo diſſentiens.

Virgo cogitat.) μεριμνᾷ, id eſt, Curat ſiue ſollicita eſt, quemadmodum ſuperius uerterat.

Quod honeſtum eſt, & quod facul. præb.) Græce ſic habet, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὐσχήμον καὶ εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως. Quæ quidem ad uerbum tranſferre difficillimum fuerit. Eſt autem huiuſmodi fermè ſententia: Sed ad id quod honeſtum eſt ac decorum, & ut indiuul ſi ſemper aſſideatis & adhæreatis domino. Diuus Hieronymus aduerſus Iouinianum, teſtatus Græcam proprietatem reddi non poſſe, explicuit ſententiam huius loci ad hunc modum. Hoc autem ad utilitatem ueſtram dico, non ut laqueum uobis inijciam, ſed ut ad id quod honeſtum eſt, & intente facit ſeruire domino, abſq; ulla diſtractione, uos adhorter. Addit hanc ſententiam in Latinis codicibus omnino non inueniri propter interpretationis difficultatẽ. Certe apud Ambroſium abeſt huius ſermonis clauſula, ſic enim legit, Hoc autem ad ueſtram ipſorum utilitatem dico, ut non laqueum uobis inijciam, ſed ad id quod honeſtum eſt. Hic finit ſermonẽ, neq; in interpretatione ſignificat amplius legiſſe ſe. Hieronymus εὐσχήμον uertit honeſtũ, & τὸ πρόσεδρον τῷ κυρίῳ reddidit, Quod intente facit ſeruire domino, & pro ἀπερισπάστως poſuit, abſq; ulla diſtractione. Vſus eſt hac uoce Plutarchus in libello de curioſitate, ἀπερίσπαστον appellãs aſſiduũ ſtudiũ ſapiẽtiæ, nullis negocijs alio mentem auocãtibus. In uetuſtis codicibus etiã excuſis adhuc habeẽ, Dño obſecrãdi, quomodo

Hæc olim in Latinis exemplaribus non habebantur.

non

non puto quenquã Latine fuisse loquutum. Donatiani codex habebat obseruandi. In utroque Constantiensi erat, obseruãdi, ex his diuinare licet primam scripturam fuisse, domino obseruiẽdi, quod alius uertit in obsecrandi, relicto datiuo, alius in obseruandi, mutato etiã casu. Certe apud Græcos nulla obsecrandi mentio.

Virgo p uirginitate.

Turpem se uideri existimat.) εἰδέ τις ἀσχημονεῖμ, id est, Si quis turpe aut indecorum existimat in uirgine. Augustinus in quæstionibus super Numeros pẽtateuchi, indicat quosdã uirginem hoc loco interpretari uirginitatem. At horum sententiam nõ approbat, quod nihil aliâs comperiatur adsimile in diuinis libris. Sentit enim Paulus de parentibus elocantibus nuptum filias, citra quorum autoritatem non erat ratus matrimonij contractus. Quod utinam & his temporibus seruaretur, præsertim in ea ætate, cui nondum satis cõstat uel consilium uel iudicium, maxime cum usq; adeo placeat, semel initum quocunq; pacto connubium, non alia re quàm morte dirimi. Cæterum ut hæc ad parentem potius quàm ad uirginitatem referantur, suadent quæ sequũtur: Igitur & qui matrimonio iungit uirginem suam &c, Atq; ita sanè edisserit hunc locum Theophylactus.

Superadulta ὑπέρακμος

Si fuerit superadulta.) ὑπέρακμος. Nam id uertit superadultam, cuius flos iam præterierit. Quod Ambrosius ita reddidit, Si sit ultra pubertatem, id quod uulgo rideri solet, cum anum uocant uirginem. Solent & infamiæ esse obnoxiæ uirgines admodum adultæ, quasi fastiditæ à procis.

Non peccat si nubat.) γαμείτωσαμ, id est, Nubat. Quanquam uerbum γαμῶ commune est uiro ducenti uxorem, & puellæ nubenti uiro. Vnde subito Paulus mutato numero uerbi, sponsum & sponsam respexit, aut certe ad eum qui locat filiam & sponsum. Theophylactus legit, γαμησάτωσαμ, nec additur si, sed est, οὐχ ἁμαρτάνει, γαμήτωσαμ. ut non peccat pertineat ad patrem. γαμήτωσαμ ad eos inter quos coit matrimonium.

Nam qui statuit.) ὃς δὲ ἕστηκεμ, id est, qui uero stat firmus, nisi quod uerbum ἵστημι & statuo sonat Græcis & sto. Certe uocem eandem in Euangelio Ioannis uertit stat. Hic sanè magis congruebat, stat firmus, nam mox sequitur decernẽdi uerbum. Cæterum quod hic dicit de firmiter stando, respondet ei quod præcessit, Qui turpem se existimat, &c. Qui non metuit pudicitiæ filiæ, nec mouetur probro uulgari, quod uirginẽ nubilem detinet domi, faciat quod iudicarit esse optimum.

Potestatem autem sui habens.) ἔχει habet, non habens. Quanq; hic uariant exemplaria.

Et hoc iudicauit.) Melius decreuit, siue statuit, hoc qdẽ loco, κέκρικεμ, qd' aliâs ita uertit.

Liberata est à lege, cui autem uult, nubat.) Græca paulo secus habent, ἐλευθέρα ἐστὶμ ᾧ θέλει γαμηθῆναι, id est, Libera est ut nubat cui uelit, siue ad nubendum cui uelit. Donatiani codex sic habebat: Libera est, cui uult nubat. Suspicor ab interprete scriptum: ut cui uult nubat, & ut deprauatũ in autẽ. Certe autem non est in uetustis exemplaribus, nominatim ijs, quæ suggessit Constantia. Quanquam ut semel in huius operis initio sum testatus, perpetuo testatum haberi par est, in toto opere, me nusquam esse uelle contentiosi dogmatis autorem, tantum iuuandi studio monere studiosos, semper inconcusso & illabefacto iudicio sacrosanctæ ecclesiæ, & eorum quibus uberius donum eruditionis ac sapientiæ contigit à Christo, tamẽ idem hoc loco nominatim testor ob quosdã in hisce rebus captiosiores, quã pure Christianum hominem deceat. Porrò ut non arbitror cõtumeliosum à quoquam autore quãlibet magno aut uetusto dissentire, ita nõ grauatim à meipso dissentiã, si quis adferat quod sit rectius, etiamsi sit idiota qui doceat. Scio receptissimum esse inter Christianos ubi semel coijt matrimoniũ, nullo pacto posse dirimi, nisi morte alterius. Atq; in hac sententia fuisse uideo Chrysostomũ ac ueteres Latinos, sine dubio certe fuit Augustinus, eamq; ueterum Episcoporũ constitutionibus & decretaliũ legũ autoritate esse confirmatã, denicq; & theologicarum scholarum consensu comprobatã. Cæterum si semper hoc bonis uiris cordi fuit, opinionem in melius commutare, & leges ceu pharmaca conuenit ad morborũ habitum ac rationem accommodare, consideremus an hic expediat idem fieri, etsi expedit, an liceat, ut matrimonia quædam dirimantur, non temere, sed grauibus de causis, neque per quoslibet, sed per ecclesiæ præfectos, aut iudices legitimos, & ita dirimant, ut liberũ sit utrique cui uelit iũgi: aut alteri certe qui diuortio nõ dederit causam. Scio quædã esse eius generis, ut nefas sit ceu dubia uocare in disputationẽ. Quod genus sunt, an Christus sit deus &

Non est cõtumelia diuersum sentire.

Leges ut pharmaca p morbis mutãtur.

idem

idem homo,an natus absq; uiri opera,an animæ supersint à morte corporis,an hæc corpora sint olim reuictura.Hæc enim tam euidenter traduntur nobis autoritate diuinæ scripturæ ac totius ecclesiæ consensu,ut impium sit ac periculosum de his in diuersam partem disserere,nisi forte nobis cum ethnicis res inciderit. Et tamen non arbitror odiose reijciendũ, qui de huiusmodi quoq; rebus animi sui scrupulũ,ut est humanæ mentis infirmitas,doctis aperuerit,nihil aliud agens,quàm ut quod credit utcunq;,credat certius. Sed uidendũ est, an huius generis sit de quo nunc agimus. Quædam ita recepta sunt autoritate ecclesiæ, ut pro re nata possint mutari.Et ut fas non est diuinam scripturam,quam certissimã habemus uitæ regulam,abrogare,ita pij ac prudentis dispẽsatoris est,eam ad publicos mores accommodare.Sed hac de re plusculum dicemus aliàs,nũc ad institutum properemus. Primum igitur hoc est apostolicæ pietatis,omnium saluti quantum licet consulere: & infirmis etiam ecclesiæ membris sua cura succurrere. Videmus autem tot hominum milia,infelici cõiugio sibi cohærere cum exitio utriusq;, qui fortasse disiuncti seruari possent. Quod si fieri possit citra iniuriam diuini præcepti,optandum opinor omnibus pijs: Sin minus,uotum tamen ipsum pium arbitror,præsertim cum charitas optet nonnunquã & quæ fieri non possunt. Optat Moses deleri de libro uitæ,optat Paulus anathema fieri à Christo pro fratribus.Nõ defuerunt autem qui ita senserint à recte dirempto matrimonio licuisse cum alia copulari, ne quis protinus hanc propositionem uelut inauditam,& modis omnibus absurdam existimet explodendam,& indignam quæ uocetur in disputationem.Siquidem Origenes homilia in Matthæum septima,testatur sibi notos fuisse quosdam episcopos, qui permiserint uxoribus quæ cum uiris diuortiũ fecerant, alijs nubere uiris, ac fatetur hoc ab eis factũ aduersus præceptum domini & Pauli,sed tamen factum nõ omnino damnat,quod existimet illos probabili causa adductos id permisisse,ne quid deterius committeretur,nimirum obsecutos duriciei cordis,quo consilio Paulus permiserit & uiduis incontinentibus secundas nuptias.Quod exemplum ita cõfert Origenes,ut durius uideri uelit uiduæ quæ libidinis, non prolis gratia maritum alterum desideret,permittere nouas nuptias,quàm uiro permittere,ut reiecta uxore adultera,ducat se digniorem.Deinde nõ uidetur addubitare,quin uiro liceat idem,cui permittit Euangelium ob adulterium repudiare, nec Paulus huic præcipit ut uxori reconcilietur,Sed annotauit Origenes ab episcopis hoc etiam uxoribus permissum,quod Paulus nominatim uidetur prohibere. Neq; enim illic Origenes Iudaicum uirum appellat,qui ob adulteriũ, aut similem causam repudiat uxorẽ, sed qui morosus sit ac præfractus Iudæorum more ob quamlibet leuem causam repudium parans.Sic enim argumentatur, Vir ille Iudaicus,& diuortium meditãs:Moses permisit ob rem turpem repudiare,& exemplum rei turpis ponit adulterium,licebit igitur ob alias res turpes uxorem abijcere.Hanc argumentationem reijcit Origenes, negans Mosen sensisse de adulterio, quum dicit,Rem turpem,quandoquidem in adulterio non dabatur repudij libellus, sed uxor tradebatur lapidantibus. Verum,rem turpem appellauit quamlibet,uel morum, uel corporis culpã,qua maritus offenderetur.Hæc Origenem sensisse declarat,quod mox sequitur:Post hac autem,inquit, dominus non permittit propter aliam aliquam culpam uxorem dimittere nisi propter solam causam fornicationis. Sub hæc Origenes mouet aliam quæstionẽ, an quemadmodum ob adulterium licet uxorẽ repudiare,ita propter parricidium, ueneficium,aut furtum liceat.Et hæret hic perplexus, uidẽs impium facere aduersus præceptum dei,& tamen iniquum & inhumanum cogi maritum,ut in uxore ferat ea peccata,quæ sint adulterio grauiora. Tandem huius difficultatis exitum quærens, dicit: Disputo ergo quia non præceptiue mandauit,ut nemo dimittat uxorem,excepta causa fornicationis,sed quasi exponẽs rem dixit:Qui dimiserit uxorem excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Sensit, opinor, Origenes uxorem protrudi ad adulterium, quum merito reiectæ non sit ius denuo nubendi, sed tamen hoc mulieri imputandum,non uiro repudianti. Iam aliquanto superius adduxerat similitudinem de Christo qui repudiarit synagogam uiricidã, & ecclesiam duxerit nouam sponsam. Origenis uerba sunt hæc:Dicendum quoniam non dimisit Christus primam uxorem suam,id est primam synagogam,secundum speciem spiritualem,seruans,quod dictum est,Quod deus coniunxit,homo non separet:nisi quando adultera est uxor illa corrupta ab adultero inimico, cuius consilio & insidiata est uiro &c.

Charitatis uotum.

Mitigat propositionem.

Dirẽpta olim matrimonia ab episcopis.

Origenes.

Ac mox:

Ac mox: Et reliquit propter ecclesiam Christus uir, patrem cum quo erat, cum in forma dei esset, reliquit etiam matrem &c. Hactenus Origenes. Audis lector diuortiũ, audis à diuortio nouam sponsam. Ex quibus satis liquet Origenem in hac fuisse sententia, licere post repudiatam adulteram ducere domum aliam uxorem. Cæterum quod ait, episcopos illos fecisse contra doctrinam Euangelicam, qui post repudium permiserant matrimonium, sentit Origenes de his qui ob alias causas repudiarant uxores, ludæorum exemplo. Similiter accipiendum est, quod scribit: Qua enim ratione adultera est mulier, quãquam legitime uideatur nubere uiro uiuente, eadem ratione & uir, quãuis legitime uideatur accipere dimissam ab aliquo uiro, non accepit legitime secundum sententiam Christi, sed magis mœchatur, quasi alienã accipiens. Agit hic Origenes de ijs, qui diuortium fecerant ob alias causas, quas Christus non excepit, aut ob causas leues. Nec tamen humanis legibus puniebatur qui hoc fecisset, imò matrimonium habebatur legitimum. Sed an iuxta Christi sententiam legitimũ sit, disputat Origenes præsertim in atrocibus commissis, uelut in ueneficij aut homicidij conatu. Sic enim ait: Si iustam excusationem habet apud deum, tractabis. Et tamen fatetur, quod qui sic dimittit præbet adulterij causam, sed fortassis hoc apud deum imputandum uxori, non marito. Nec ab his dissentire uidetur Tertullianus libro aduersus Marcionem 4. sic interpretans hæc uerba Christi, Si quis dimiserit uxorẽ, & aliam duxerit, quasi qui hoc animo repudiat ut nouam ducat, non recte dimittat, Dimittit enim non ex iusta causa, sed causatur quiduis, quo quam fastidit, uideatur iuste dimittere: Manet inquit, matrimonium quod non rite diremptum est, Manente matrimonio nubere adulteriũ est. Ita si condicionaliter prohibuit nõ dimittere uxorem, nõ in totum prohibuit. Et quod non in totum prohibuit, in totum permisit. Idem paulo post. Habet itaq; & Christum assertorem iustitia diuortij. Dices Tertullianum non audiendum, quum seipsum submouerit ab ecclesia. Verum in hac parte non fuit à quoquam orthodoxo notatus, notandus utiq;, si hæc opinio dissensisset, ab ea quæ tunc erat orthodoxorum. Eiusdem opinionis fuit Pollentius quidam, uir ut apparet grauis & eruditus, contra quem libris duobus agit Augustinus, sed agit non ut cum hæresiarcha, sed ut cum antagonista, itaq; refellit illius sententiam, ut hæreseos crimen non intentet. Quin & diuus Ambrosius sine controuersia, uir nõ orthodoxus modo, uerum etiam probatæ sanctimoniæ, tribuit uiro ius ducẽdi alteram uxorẽ, ubi priorem ob culpã admissam repudiarit. Neq; dubium est, quin is episcopus exercuerit in suis quod recte iureq; fieri scripsit. Scripsit autem enarrans caput epistolæ ad Corinthios prioris septimum, hunc in modum, Et uirum uxorem non dimittere, subauditur autem, excepta fornicationis causa. Et ideo nõ subiecit sicut de muliere: Quod si discesserit manere sic, quia uiro licet ducere uxorem si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur sicut mulier. Caput enim mulieris uir est. Idem paulo superius: Quod si se, inquit, continere non potest, quia pugnare non uult contra carnem, uiro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri, ut nubat, si uirum suum causa fornicationis dimiserit, aut apostasiæ, aut si illicite impellente lasciuia, usum quærit uxoris, quia inferior nõ omnino hac lege utitur qua potior. Si tamen apostatet uir, aut usum quærit uxoris inuertere, nec alij potest nubere mulier, nec reuerti ad illum. Hic cum ait, quia inferior non omnino hac lege utitur qua potior, uidetur tacite tribuere marito ius ducendi alteram. At aliquanto post, & uxori tribuit ius alteri nubendi uiuo marito priore. Enarrans enim Pauli uerba, Non est enim frater aut soror seruituti subiectus in huiusmodi, ait, Hoc est, non debetur reuerẽtia coniugij, ei qui horret autorem cõiugij. Non enim ratum est matrimoniũ quod sine dei deuotione est, ac per hoc non est peccatum ei quæ dimittitur propter deum si alij se iunxerit. Contumelia enim creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur, ne accusetur alij copulatus. Infidelis autem discedẽs, & in deum & in matrimonium peccare dignoscitur, quia noluit sub dei deuotione habere coniugium. Itaq; non est ei fides seruanda coniugij, qui ideo recessit, ne audiret autorem esse Christianorum deum coniugij. Nam si Esdra dimitti fecit uxores aut uiros infideles, ut propicius fieret deus, nec iratus, si alias ex genere suo acciperent, non enim ita præceptum his est ut remissis istis alias minime ducerent, quanto magis si infidelis discesserit, liberum habebit arbitrium, si uoluerit nubere legis suæ uiro. Illud enim non debet imputari matrimonium quod extra legem dei est. Hactenus ille. Neque enim arbitror hic causari

Pollentius.

Ambrosius uiro facit ius ducendi alterã.

Etiam uxori permittit alicubi nubere à diuortio.

cauſari quenquam poſſe, Ambroſium agere de muliere, quæ per imprudentiam nupſerit marito pagano, quem credebat eſſe Chriſtianum, cum Paulus permittat coniunctionē, ſi conſentiat infidelis. Quod ſi hic error interceſſerit, in contrahēdo, nullo iure poterit cum illo manere cum quo non potuit contrahere matrimonium. Sanè frigidū eſt quod Petrus Lombardus adducens eum locum ex Ambroſio, quē nos primum recenſuimus libro ſententiarū quarto, ſic diluere conatur, ut dicat hæc uerba à falſarijs indita libris Ambroſianis, cum & ſtilus ad unguem congruat, neq; quicquam alioqui ſit illic aſſcriptum uice commentarij. Nihil negocij fuerit quemuis nodum iſta ratione diſſoluere ſi quis recipiat. Sunt in libris Cypriani, ſunt in Hieronymi, ſunt in Auguſtini, ſunt in Thomæ, quæ reijcit eccleſia. Cur non in his omnibus eodem utimur creſphygeto, moxq; occinimus, à falſarijs ſubdita ſunt? Iam ſi recentiorum opiniones excutiamus, quibus hactenus plurimum autoritatis, & fora & ſcholæ tribuunt, comperiemus & inter hos fuiſſe, qui putarint matrimoniū poſſe dirimi, aut certe qui putarint hoc argumentum eſſe diſputabile. Primum Ioannes Andreæ decernit matrimonium antequam interceſſerit copula, poſſe dirimi, non ſolum ob profeſſionem uitæ monaſticæ, uerūetiam ſola Rhomani pontificis autoritate. Quod ſi mihi dant huiuſmodi matrimonium, uerbis legitimis ac mutuo conſenſu cōtractum inter perſonas idoneas eſſe uerum matrimonium, ſimul dabunt eius uim pendere ex lege diuina. Aut igitur lex diuina non hoc ſenſit quod nos interpretamur, aut Pontifex poteſtatem habet laxandi iuris diuini. Rurſus idem Ioannes docet matrimonium conſummatum interuentu coitus non poſſe dirimi, Sed huius diſcriminis ego nullam adhuc ſatis grauem audio cauſam. Nam rationes quas adducunt Hoſtienſis, Auguſtinus, & Leo papa, præterq; quod hominum commenta ſunt, non efficiunt tamen, quo minus aduerſus Chriſti Pauliq; doctrinam dirimatur matrimonium, & à diuortio ſit ius iterandi coniugij. Aut igitur negandum eſt eſſe matrimonium, quod non confirmauit congreſſus coniugalis, aut fatendū eſt recte dirimi matrimonium. Alioqui quis deus hoc reuelauit doctoribus iſtis, quod profeſſio uitæ monaſticæ, & mutatus cultus, iuxta hominum inſtitutionem dirimit matrimoniū, etiam altero coniugum reclamante? Quod oraculum aperuit, quod lapſus in hæreſim, dirimat matrimonium, etiam conſummatum, & ita dirimat, ut ius ſit ei qui perſtiterit in fide, alteri iungi? Vt omittam interim quod Zacharias papa, quemadmodum refertur libro Sententiarum iiij. diſt. xxxiiij. dirimit matrimonium, ob rem habitam cum ſorore uxoris tuæ. Eius uerba ſic habent: Cōcubuiſti cum ſorore uxoris. Si feciſti, neutrā habeas, & uxor tua, ſi non fuerit conſcia ſceleris, & continere non uult, nubat in domino cui uult. Tu uero & adultera, ſine ſpe coniugij maneatis, & dum uiuitis pœnitentiam agite. Hactenus Zacharias. Iam uero mihi nequaq; ueriſimile uidetur commentum, quod addit Petrus Lombardus: Quod ait, inquit, cui uult nubat, intelligendum eſt poſt mortem uiri. An rem tanti momēti taciturus erat Pontifex, ſi ſenſiſſet quod hic interpretatur? Quid ſi maritus ſuperſtes ſit uxori, nónne iam par erit hac in parte pœna nocentis & innocentis. Verum hoc utcunq; habet, Nam cauſabitur aliquis, non fuiſſe matrimonium, quod cōtra pontificis conſtitutionem contractum eſt. Atqui id ſi uerum eſt, quur nō liberatur mulier? Verum hanc, ut dixi, quæſtionem in præſentia miſſam faciamus: de monaſticæ uitæ profeſſione, nulli dubium eſt, quin dirimat matrimonium non conſummatum, lapſus in hæreſim etiam cōſummatum. Quod ſi ideo licet dirimere matrimonium non conſummatum, quod plenior ſit ratio ſacramenti in conſummato, eadem ratione licebit & conſummatum dirimere, quod plenior etiam eſt ratio in fœcundo coniugio, quàm in ſterili: in primo, quàm in ſecūdo aut tertio. Mihi probabile uidetur hoc humanis legibus cautum, ut non cōſummatum aliquo modo liceret dirimere, quod intactæ facile ſponſus alius reperiatur, contactæ non item. At nos, neſcio quo ſtudio, in hoc negocio leges humanas miſcuimus cum iure diuino, remq; prorſus inextricabilem reddidimus. Et tamen Ioannes Andreæ non uſq; adeo abhorret ab hac opinione, ſi dicat aliquis matrimonium conſummatum graui de cauſa poſſe dirimi, quum hoc argumentum diſputet in regula actus legitimi, de regulis iuris lib. vi. citante Panormitano, in C. Ex publico, de conuerſione coniugatorum. Nam propoſito caſu, an Pontifex poſſit indulgere, ut filius unicus regis monachus, ducat uxorem, eamq; habeat, donec gignat prolem maſculam, rationibus in utramque partem adductis, pro neutra parte

Magiſter ſententiarum.

Ioannes Andreæ.

Petrus Lombardus.

pronunciat,rem aliorum arbitrio relinquens. Tandem ita claudit disputationem Panormitanus:Ego satis putarem, quod nullo casu papa posset dissoluere matrimonium consummatum inter fideles,ita quod eligerem partem negatiuam.Nec hic asseuerat,sed argumentum ut disputabile proponit, cuius alteram partē ipse putat esse probabiliorē. Idem in C. Quanto,de diuortijs,inter multa scribit hæc:Et est iste textus ad hoc optimus,& per rationem suam posset argui,quod etiam ecclesia non posset illud dissoluere.Rursus hic non affirmat ecclesiam non posse dirimere matrimonium consummatū,imò potius innuit posse: licet ex hoc capite dicat posse sumi argumentum pro diuersa parte.Neq; statim expugnatū est, quod oppugnari potest argumento. Quin & Hostiensis uidetur alicubi pro diuersa parte facere.Siquidē in C.Ex parte,de conuersione coniugatorū, quærit, an ecclesia possit hodie statuere,ut altero fidelium prolapso in hæresim, possit alter coniugum transire ad altera uota.ac definit posse,hoc argumento:Sicut statuit,inquit,inter infideles, inter quos est uerum matrimonium,in c.de infidel.& consang.& affini.eodem modo uidetur,quod possit statuere inter fideles.Nam ratificatio matrimonij, quæ est inter fideles, nascitur ex sacramento baptismi, ut in d.c.quanto.& hoc ex ecclesiæ dispositione. Potest ergo aliter ecclesia statuere. An nō hic aperte pronūciat Hostiensis,ecclesiam posse statuere,ut aliquod matrimonium ratum & consummatum dissoluatur, altero labente in hæresim : ita ut alter innoxius possit ad secunda uota transire,hoc est,nouum inire matrimonium.Negat tamen hoc posse fieri,nisi statuat ecclesia. Iam Antoninus narrat sibi conspectum fuisse diploma, quo Rhomanus pōtifex dirimebat matrimonium ratum & consummatum. Porrò quantū his autoribus tribuendū sit, alij uiderint. A me sunt in hoc producti,ut apud hos, qui illis plurimum tribuunt,non uidear absurde fecisse,qui optarim aliqua ratione fieri, ut autoritas ecclesiæ succurrat infeliciter,ac cum detrimento salutis cohærentibus. Iam nemo poterit inficiari,leges Christi multo æquissimas esse,longeq; præcellere, siue cum lege naturali,siue cū humanis legibus conferantur. Christus uirginitatem non exigit, ne uideatur cum natura pugnare,licet beatos pronunciet,qui hoc possint capere,sed addit,propter regnū dei. Regnum autem dei uocat euangelij prædicationem, ut hoc ipsum ad ea tempora magis pertineat. Est tempus nubendi,est tempus abstinendi à nuptijs. An igitur æquū uidetur,ut maritus cum uxore flagitijs operta,quibus neq; causam dedit, nec mederi possit, cogatur uiuere,cum qua uiuere non sit uiuere:aut si diuertat compellatur omnem ætatem orbus, destitutus,ac uelut euiratus degere? Sit æquum ei qui diuortio causam dedit, adimi ius iterandi coniugij,cur is plectitur qui nihil est commeritus,nisi quod parū feliciter duxit uxorem? Aut quis unquam audiuit fortunā puniri,si absit culpa,præsertim lege diuina? Quid est hoc aliud, quàm afflicto afflictionem addere,cui subuentum oportuit? Nam quod spurijs aut nothis ad quosdam honores & commoda intercluſus est aditus, primum humanis legibus intercluſus est,non euangelicis, Deinde sic uisum est ulcisci parentum intemperantiam.Postremo non sic intercluſus est,quin sua uirtute possint fortunā sarcire. Quanq; nec omnino simile est,non admitti ad dignitates,& per omnem uitam cruciari,& nulla sua culpa,tantis obijci periculis.Si facit adulteram,qui sine legitima causa repudiat uxorē,non facit adulteram,qui uetat inire matrimonium,cum eo sit habitu corporis, ut castitas nō sit exigenda? Nam quod obijciunt exemplum monacharum ac monachorum, quibus ideo non fit iniuria,quod sua sponte susceperunt inabrogabilem professionem,fortasse respondere poteram, nil agit exemplum litem quod lite resoluit. Et tamen, si credimus quibusdam iureconsultis, Pontifex Rhomanus potest ex monacho non monachum facere. Siquidem quod adferunt de uoto solenni & non solenni, ut constanter asseuerari uideo, ita non uideo solidis rationibus esse nixum. Si pondus habebit hæc ratio, uolentes susceperunt,ut quod actum est sit perpetuum,omnes contractus qui inter uolentes coierint, debent esse perpetui,qui nunc nouis causis emergentibus, ex æquitate iuris sæpenumero rescinduntur.Sed dicet aliquis, in matrimonio lex est præscripta ne dirimatur semel contractum:& huius legis nō ignari ultro præbēt colla capistro. Atqui hoc est quod hic agimus, an huius legis rigor possit aliquo pacto laxari,quum sæpe tales existāt causæ,ut crudele uideatur non subuenire periclitanti? Quod si res pugnare uidetur cum æquitate naturali, uidendum est,an secus interpretanda sint,quæ super hac re leguntur in euangelicis & apostolicis literis.

Argumentum ab æquitate.

licis literis. Liceat enim hic quod in alijs sacræ scripturæ locis facere non ueremur. Excutiamus, quando, quibus, qua occasione dictũ sit, & fortassis ueram germanamq; sententiam deprehendemus. Neq; uero statim hic reclamet aliquis: O cœlum, ò terra, hic conuellit decreta ecclesiæ. Primum non conuello, ut ante testatus sum, sed disputandi gratia cõfero. Primum dispiciendum est, quo animo hoc receperit ecclesia. Quædam enim sic instituit, ut ad tempus modo uelit ualere. Deinde si nusquam sua placita mutauit, uel ecclesia, si sic libet appellare, uel Rhomanus pontifex, non postulo, ut hic quicquam demutet. Sin comperitur idem alias fecisse in rebus per se quidem grauioribus, sed fortasse non perinde facientibus ad salutem mortalium, cur idem hic uereamur facere, quum hac uia tot hominum saluti liceat consulere? Christus non grauatur ob unam ouiculam lustratis omnibus obambulare, quam humeris reducat, & nos grauabimur experiri si quâ tam multis pereũtibus succurri possit, præsertim cum Christus salutis sit autor, & humanæ leges non aliter ualere debeant, nisi quatenus ad salutem conducunt hominum. Deniq; quum plerique theologi tantum autoritatis tribuant Rhomano pontifici, ut possit abrogare quod ab apostolis, atq; adeo ab ipso Petro sit institutum, nec desint qui uocẽt in quæstionem, num ius habeat & aduersus euangelicam doctrinã statuendi quippiam, nec prorsus abnuunt, quin aliqua ratione possit, si non abrogando quod statuit Christus, certe uel interpretando, uel astringendo, uel relaxando, quod non ueritus est Paulus quoties ait, Ego non dominus, secundum indulgentiam agens non ex imperio, cur hic astringunt illius potestatem? Porrò quod ad matrimonium attinet, Ioannes Andreæ grauis apud iurecõsultos autor, asseuerat Rhomanum pontificem posse constituere, ut per secundum matrimonium irritetur prius, non consummatum, sicut irritatur per ingressum religionis. Et in huius sententiam pedibus discedit Panormitanus, quod liquet ex horum commentarijs in capitulum, Quod uotum, titulo, De uoto & uoti redemptione, libro sexto. Item in capitulo, Ex publico, de conuersione coniugatorum. In actis apostolorum, solenni celebriq; consilio decretum ac promulgatum est, ut qui ex paganismo cooptarentur in Christianos, abstinerent ab idolothytis, à suffocato animante, à sanguine, & à stupro. Conciliabulum dici non potest tam frequens cœtus, acephalum dici non potest ubi Petrus aderat ipse. Et tamen quod ibi decretum est, adeo est antiquatum, ut nũc iudaizare crederetur, qui abhorreret à gallina suffocata, aut fartis sanguine distentis. Nec lædimus interim apostolicam maiestatem, tãtum excusamus hoc ad tempus fuisse constitutum, ob placandos ludæorum animos. Paulus uetat episcopum fieri qui neophytus sit, aut percussor, aut uinolentus. At hodie Rhomanus pontifex uel heri baptizatum, uel piratam publicum admittet ad honorem episcopalem, si uideatur, nihil deterritus Paulina constitutione. In synaxi transsubstantiationem, sero definiuit ecclesia, diu satis erat credere, siue sub pane consecrato, siue quocunq; modo adesse uerum corpus Christi. Vbi rem propius contẽplata est, ubi exactius expendit, certius præscripsit. Non erant hæretici qui olim credidissent spiritum sanctum à patre duntaxat procedere, & haud scio, an maxima pars Christianorum primitus ita crediderit. Expensa re, definijt ecclesia, quod hodie sequimur. Idem uidetur accidisse in conceptione beatæ uirginis. si tamẽ hoc ecclesia sic definijt, ut hæreticus sit habendus qui dubitet, nam mihi nondum satis liquet, etiamsi sunt qui prædicent hoc esse definitum in concilio Basilienſi. Hic rursus oritur dubitatio gemina, an ualeant omnia in eo concilio acta, tum quibus uerbis & quo animo hoc sit definitũ. Quod si ut articulus fidei, quid fiet Dominicanis, quorum plerique persistunt in diuersa sententia? Sunt huius generis alia multa. Nemo priscorum audebat clare pronunciare, spiritum sanctum esse patri filióque homusion, ne tum quidem quum quæstio de filio tanta contentione per uniuersum orbem agitaretur. Quin in epinicio quod post Arianos profligatos canere cœpit ecclesia, quod tribuitur filio, lumen de lumine, deum uerum de deo uero, non idem dilucide tribuitur spiritui sancto, Nunc audemus profiteri, spiritum sanctum homusion patri & filio, & deum uerum, de patre deo uero, & de filio deo uero. Nullus, opinor, ecclesiam Christi, quæ constat hominum consortio, sic omni prorsus errore liberat, ut nihil ignoret. Satis est hactenus uacare errore, ut religionis ac fidei summa constet. Nam fieri potest, ut de die Paschæ statuendo labatur numero ecclesia, quum is error ad pietatis aut fidei negocium proprie non pertineat. Loquor autem de ecclesia cuius autoritatem sequimur, uidelicet

Interpretatio locorum.

Pontifex an possit statuere aliquid aduersus apostolorũ decreta.

Ioannes Andreæ.

Apostolorum decreta mutata sunt.

Pauli constitutio.

Transsubstantiatio.

Conceptio beatæ uirginis.

Error citra periculum bonorũ morum, aut fidei.

An summus pontifex errare possit errore iudiciario.

uidelicet Rhomana. Porrò si uerum est, quod quidam asseuerant, Rhomanum pontificẽ errore iudiciali non posse unquam errare, quid opus generalibus concilijs, quid opus in concilium accersere iureconsultos, ac Theologos eruditos, si pronuncians labi non potest? Cur datus est appellationi locus, uel ad Synodum, uel ad eundem rectius edoctum, posteaquàm semel de causa pronunciauit pontifex? Quorsum attinet tot Academias in tractandis fidei quæstionibus distorqueri, quum ex uno pontifice, quod uerum est, audire liceat? Imò qui fit, ut pontificis huius decreta, cum illius pugnent decretis? Vt enim taceam de Formoso, nónne papa Ioannes uigesimussecundus, & Nicolaus, decretis totis inter se pugnant, idq; in his quæ uidentur ad fidei negocium pertinere? Quorum alter pronunciauit iudicialiter, ut illorum more loquar, Christum & apostolos nihil habuisse, nec in commune, nec priuatim: Alter contra pronunciat, habuisse. Id ex ipsorum extrauagantibus licebit cognoscere, sed propius ad id quod hic agimus facit, quod Innocentius tertius, ac Celestinus de matrimonio dirimendo prorsus pugnantia definierunt. Quorum hic ius facit alteri coniugum iterare matrimonium, si alter fuerit in hæresim prolapsus, Innocentius negat. quemadmodũ legimus libro decretal. quarto, titulo, de diuortijs, capite quanto. Nec illic dissimulat Innocentius quendam prædecessorem suum secus statuisse, Celestinum indicans, ut aperit glossema, declarans Celestini super hac re constitutionem, olim extitisse in decretalibus, libro tertio, titulo de conuersione infidelium in fine. Id eo magis uerisimile est, quod is titulus paucissimis constet capitibus, ut intelligas esse decurtatum. Præterea Pelagius, ut extat in decretis, distinctione trigesima prima, capite ante triennium, constituerat, ut hypodiaconi Siciliæ ab uxoribus abstinerent, quas ante constitutionem legitime duxerant. Id decretum uelut iniquum, & cum euangelico pugnans præcepto, retractat & abrogat Gregorius, eius nominis primus, qui Pelagio successit, statuens, ut in posterum nemini ad eum ordinem pateret aditus, nisi uouisset castitatem. Cæterum durum & iniquum esse, ut ad castitatem cogatur, qui non uouerit castitatem, nec ulla culpa commeruerit, ut eò debuerit compelli. At quod hic iniquum uidetur Gregorio, non uisum est iniquum Innocentio tertio, loco quem modo adduximus, qui ita respondet ijs qui obijciebãt, præter æquum uideri, coniugem relictum suo iure priuari sine culpa, præsertim cum contumelioſior sit in Christum qui baptizatus recidit in hæresim, aut paganismum, quàm qui natus ethnicus recusat ad Christi professionem conuerti. Ad hæc seculis aliquot hanc sententiam complexa est ecclesia Mutinensis, ut qui cõtraxisset cum Barbara uerbis legitimis, & ex animo, sed nõ intercedente coitu, postea contraheret cum Cornelia, & coitum adiungeret, cogeretur priore relicta, posteriori conuiuere. Id palàm rescindit Innocentius Romanus pontifex, ex diametro, quod aiunt, diuersam pronuncians sententiam, uidelicet priorem esse legitimam uxorem, quod cum posteriore sit actum, adulterium esse, non matrimonium, ut proditum est libro decretalium epistolarum quarto, titulo quarto, capite Tuas dudum, & eiusdem tituli, capite Licet. Alexander tertius indicat suo rescripto fuisse statutum ac definitum aliquando à prædecessoribus suis, id est, Rhomanis pontificibus, quod in Mutinensi ecclesia damnat Innocentius. Quanto id periculosius, cũ causa diuortij? & tamen hic decreta pontificum mutauit Rhomanus pontifex. Vt non commemorem interim, quod in causa fidei schola Parisiensis aliquando publicitus improbarit Rhomani pontificis sententiam, eumq; ad palinodiam compulerit, si qua fides historijs. Nisi forte fabulam uanam esse putamus, quod refert Ioannes Gerson in sermone quodam paschali de Ioanne pontifice, eius nominis uigesimosecundo, qui decernebat ante diem iudicij non esse puniendas animas impiorum, quem errorem publicitus explosit, schola Parisiorum, pontificem adigẽs ad palinodiam. Nec dici potest, hunc errorem priuatum fuisse pontificis, publicũ fuisse oportet, scripto aut etiam decreto uulgatum, quum ea res adeo commouerit Galliæ regnum. Sed quid egò de Pelagijs, aut Alexandris loquor, aut Innocentijs, cum non puduerit Petrum apostolorum principem, melioribus auscultare, posteaq; admonitore Paulo, suum agnouit errorem? si tamen amplectimur hac in parte diui Aurelij Augustini sententiã. Iam ut demus coniugium esse legis diuinæ, certe plæraq; quæ circa matrimoniorum causas tractantur, ad ius positiuũ pertinent, ueluti de gradibus, de impedimẽtis, de rescissionibus. Neq; hæc decreta à Synodis celebribus profecta sunt ad nos, sed à priuatis pontificũ responsis, quibus

Ioannes 22. Nicolaus.

Innocẽtius. 3. Celestinus.

Pelagius.

Gregorius.

Innocentius.

Alexander. 3.

Petrus mutauit sententiã.

huius

huius aut illius consultationibus pro tempore,quod æquum uideretur respondebãt, non/ nunquam & à seipsis dissentientes. Atq; hæc constitutio de qua nunc agimus,primũ, opi/ nor,ab uno aut altero episcopo profecta est, deinde paulatim latius serpens inualuit. Ho/ mines erant illi, & nemo nescit quantum ualeat semel recepta consuetudo. Nec mirum est, ueteres illos tam iniquos fuisse diuortio,quod & apud ethnicos semper fuit odiosum, qui coniugium etiam ægre admiserint,ægrius digamiam. Hæc eo prodimus,ne quis statim ue lut ablurdam reiiciat disputationem de mutandis diuortij legibus. Sed iam si placet,excu/ tiamus diuinorũ uoluminum locos, unde uidemur ad hanc legẽ recipiendam fuisse com/ pulsi. Dominus noster Christus apud Matthæum cap. quinto, tradens cœlestẽ illam suam philosophiam,& absolutum præscribens exemplar,cuiusmodi suos esse uoluerit, loquit ad hunc modum,Dictum est autẽ, Quicunq; dimiserit uxorẽ suam,det ei libellũ repudij. Ego autem dico uobis, quod omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari,& qui dimissam duxerit,adulterat. Verũ cum eodem in loco complura doceat,quæ pure germaneq; Christianis digna sunt, cur in cæteris omnibus recipimus in/ terpretationem,in uno diuortio tam rigidi sumus, ut magis etiã astringamus uerba Chri/ sti? Etenim cum ille reliquerit marito unam causam repudiandæ coniugis, nos eam multis modis astringimus. Primũ ita licebit diuertere,ut postea uiuat castratus & orbus. Deinde si post suspitionem adulterij rem habuerit cum uxore,excidit à iure repudiandi. Ad hæc si ipse quoq; fuerit adulter,cogetur cum adultera cohærere. Postremo particulã exceptionis huc detorquemus,non ut ius faciat marito repudiandi,sed ut si repudiet, non facturus sit adulteram,quandoquidem iam adulteram abijcit. Nam id Augustini commentũ est. Di/ uortium interim appello,uerũ,& quale solum illa nouit ætas, qua licebat à repudio prioris alteram ducere. Nam quod nos interpretamur diuortiũ,cum dirimitur domestica consue/ tudo,manente coniugij uinculo,quis unquam ueterũ uel Theologorum,uel Iureconsulto/ rum appellauit diuortiũ? sed de hoc mox. Hac igitur una in parte tam mordicus tenemus summum,quod aiunt,ius,in cæteris quamuis recipientes interpretationem. Vetat inibi,ne iuremus omnino,uetatq; multo seuerius cẽ diuortium,& pluribus uerbis inculcat, & tamẽ ob treis drachmas iuramus passim,sic excusantes, non est iurandum temere. Cur non itẽ, non est diuertendũ ab uxore temere? Vetat ille irasci,mox subijcimus,temere. Vetat ille cõ/ pellare quenquam contumeliosius,nos etiam colaphos impingimus, deniq; occidimus, & excusamus non lædendi,sed castigandi animo. Vetat ille,ne munus offeramus, ni prius re/ ditum sit in gratiam cum fratre. excusamus si petat ille sibi ignosci,& si satisfaciat. Vetat ire ad iudices pro credito,sed rem transigi iubet cũ aduersario. Nos ob sex obolos conijcimus proximum in uincula,& iure agere dicimur. Imò definimus peccare eum & negligentiæ re um agimus, qui ius suum hac uia non persequatur. Vetat iniuriam iniuria retaliare,etiam iure. Nam antiquitus talionis pœna sine iudicio, ni fallor, non permittebatur. Nos ob pau/ cos nummos subductos,hominem ad suspendiũ adigentes,excusamus, ius persequor,nõ uindictam. Vetat ille resisti malo,nos excusamus consilij esse,non præcepti,licere nihilo se/ cius uim ui repellere. Et ne singula persequar, iubemur diligere inimicos, bene mereri de male merentibus,bene precari male precantibus. Excusamus optabo inimicis mentem me liorem, signa familiaritatis non teneor exhibere. Postremo communis excusatio opponi/ tur omnibus, perfectis hæc præcipiuntur. Neque quisquam interim agnoscit perfectæ pie/ tatis professionẽ quũ exigitur officiũ,ut ista penè frustra dicta sint à Christo. Christus hæc loquutus est,non turbis,sed discipulis,idq; in monte, depingens purissimã illam sui corpo ris partẽ,quam appellat regnum cœlorũ,cui nullis sit opus legibus. Quorsum enim opus præcepto,Ne occidas,ubi nemo uel læsus irascitur, aut maledicit? ubi placat ultro etiam is qui iniuria affectus est? ubi quisq; mauult de suo iure concedere cẽ apud iudicem experiri? Quid opus lege quæ uetat adulterium, ubi nemo cõcupiscit quod alienum est? Quorsum opus iureiurãdo, ubi nec fallere studet quisquã, neq; diffidit quisquam? Quid opus, ut lex moderetur ultionis æquilibrium, ubi diliguntur & hostes,ubi malefactum beneficio pen/ satur, conuiciũ benedictis? Ita nihil opus libello repudij,ubi nemo malus est,aut si quid est humani uitij,uel toleratur inuicem uel sanatur. Pone talem populũ qualẽ Christus optat, nec repudio fuerit opus,nec iureiurando. Quod si ob infirmos quos in tanto numero pla

Loca quæ uidentur prohibere diuortiũ Matthæi 5.

Diuortiũ nouum à nobis inuentum.

Ius iurandũ.

Ne iraſcaris.

Præcepti & consilij.

Circulus Christo proximus ac pure Christianus.

rimos habet ecclesia, nemo uetat legibus suũ ius persequi, nemo uetat uim à capite propel-
lere, nemo uetatur iurare, modo ob rẽ, & ne peieret, nemo cogitur bene mereri de male me
rẽtibus, cur unũ hoc de diuortio promiscue exigimus ab omnibus? Si ob duriciam cordis
permissum est Iudæis ob quamlibet causam uxorẽ abijcere, ne quid grauius admitterent,
A causis. & uidemus inter Christianos, præter assiduas coniugatorũ rixas, grauiora discrimina, ni-
mirũ cædes, ueneficia, incantamenta: cur quũ idem sit morbus, nõ idcadmouet remediũ?
Nõ probat Paulus digamiã, & tamen ob incõtinentiã permittit, quod non audet exigere,
satius esse iudicans nubere, q̃ uri. Et nos de rigore diuortij nihil omnino laxamus? Iudæi
quod Moses scripserat de libello repudij sic interpretabant, quasi maritis ius esset quãlibet
leui de causa reijcere coniugẽ, puta si quid in corpore fœditatis offenderet. Sic eñ interro-
gant Christũ cap. xix. An licet quacũq; de causa dimittere uxorẽ? Id Christus astringit ad
Cur adulterium potissimum excipitur. unã adulterij causam, nõ qđ non sint alia flagitia adulterio sceleratiora, sed quod adulterium
tota ratione pugnet cũ cõiugio. Matrimoniũ è duobus unũ facit, eam copulã dissecat adul
terium. Ergo suis Christus unã duntaxat causam indulget diuortij, Iudæis nõ adimit, quod
indulsit Moses ob ingenij duriciẽ, negans ab initio fuisse sic. Si ut cõditus erat homo per-
seueraſſet, nullũ erat futurũ inter ullos diuortiũ. Christus reuocãs suos ad pristinã innocen
tiã, non uult diuortiũ, quia non uult duros corde, & tamen Paulus indulget humanæ fragi
litati, relaxans sæpenumero domini præceptũ. Cur non idẽ facere possit Rhomanus ponti-
Quod deus coniunxit. fex? Porrò quod obijcit ex eodẽ loco, Quod deus coniunxit, homo ne seperet, nõ magno
negocio solui potest. Hoc deus cõiunxit, quod rite cõiungit, hoc deus dirimit, quod recte
dirimit. Apud ethnicos non erat ratũ matrimoniũ, nisi parẽtũ aut tutorũ autoritate cõpro
batũ, ne apud Iudæos quidẽ, & tamen apud utroſq; aliquo modo dirimi poterat matrimo
niũ. Apud Christianos facillime coit coniugium, & semel initũ nullo pacto potest diuelli.
Furtim inter pueros & puellas, per lenones ac lenas, inter stultos ac temulẽtos copulat ma
trimoniũ, & tam turpiter initũ indissolubile est, & quod magis est nouũ, sic initũ fit sacra-
mentũ. Nã quæ nos de consensu, & uerbis de præsenti, de rato & non rato differimus, hu-
manæ sunt interpretationes, nõ oracula dei. Fateor absq; mutuo cõsensu nõ coire matrimo
niũ, sed consensum requiro sobriũ. Consensum nõ per insidias ac temulentiã extortũ. Con-
sensum ex amicorũ cõsilio sic adhibitũ, ut par est in re quæ rescindi nunq̃ possit, & quæ me
reat inter ecclesiæ sacramẽta numerari. Cæterũ ubi cognitis causis, episcopus, aut alij legiti-
mi iudices dirimũt huiusmodi matrimoniũ, non hoc separat homo, quod deus coniunxit,
sed quod male cõglutinauit puericia, quod uinũ, quod temeritas, quod inscitia, quod male
per lenas ac lenones, suos diaconos cõiunxerat diabolus, hoc per suos ministros recte diri
mit deus. Atqui diuortiũ, inquiũt, approbat ecclesia: sed hactenus, ut uterq; maneat incõiu
gatus. Obsecro te an de hoc diuortio senſit Christus? A Iudæis interrogat, Iudæis respon-
det. At illi nullũ aliud nouerant diuortiũ, nisi quod adimeret ius repetẽdi dimissam, & da-
ret ius ducendi alterã. Siquidẽ licuisse Iudæis etiã mulieribus, à repudio alteri nubere, uel
illud est argumento, quod sacerdos prohibet repudiatã ducere, quæ lex superuacanea fuis-
set, si non erat fas repudiatæ cuiquã nubere. Imò in hoc dabat libellus repudij, ne ius esset
repudiatã repetere, ac firmũ esset alterũ matrimoniũ. Siquidẽ hæc Chrysostomi ratio mihi
uidet probabilior, q̃ ea quam adfert Augustinus, libro aduersus Faustum xix. capite xxv.
Quod si Christus de uero diuortio loquutus est, unde nobis hoc nouũ diuortij genus, qđ
nomine uerius, q̃ re diuortiũ est? Sed fingamus de hoc diuortio senſisse Christum, cum is
unicã duntaxat repudij causam indulserit, cur Augustinus addit idololatriam & hæresim,
Idololatria fornicatio. nec alio titulo, q̃ quod hæc sit quædã fornicatio? Atqui ad eam rationẽ uidetur omne faci
nus capitale, quod animã alienat à deo, fornicatio quædã dici posse. Cur nostræ leges tot
casus adiecerũt, penè innumeros in quibus recipit diuortiũ? Hieronymus etiã ob adulterij
suspicionẽ, pronunciat libere reijci uxorẽ: Vbicunq;, inquit, est fornicatio, & fornicationis
suspicio, libere uxor dimittit. Si quid licet immutare in præceptis Christi, cur non consulit
saluti male cohærentiũ? Si nihil licet, cur ausi sunt ex unica causa tam multas reddere? Pon-
tificiæ leges concedunt iterare coniugũ alteri coniugiũ ad Christũ conuerso, si altera nolit
ab impietate blasphemiaq; resipiscere, Christus fornicationẽ excepit, hunc casum nõ exce-
pit. Et tamen hic audemus concedere, quod illic non audemus. A frigido dimisso licet nu-

bere à

bere,à parricida dimisso non licet. Error cõditionis irritat contractũ & consummatũ matrimoniũ,ueluti si qua nubat seruo, quem credebat ingenuũ. Error qualitatis non dirimit. Quasi nõ sit tolerabilius seruo iunctũ esse,cꝫ uenefico,aut mago, & homicidæ,aut etiã parricidæ. Quod leuius est non exigit̃,quod grauius est exigitur. Respõdebit aliquis,hic non dirimi matrimoniũ, sed declarari tantũ non fuisse uerũ matrimoniũ quod esse uidebatur. Audio,sed illud quæro,qua nam autoritate pronunciarint hanc causam ualere ad dirimendum matrimoniũ creditũ, aliã parẽ, aut multo etiã grauiorẽ non ualere? Aut cur nõ eadẽ ratione succurritur male copulatis, ut pronuncieẽ non fuisse uerũ matrimoniũ, quod inter pueros ac puellas qui sunt in parentũ potestate,citra parentũ autoritatẽ, per uinolẽtiam & lenarũ insidias cõtractũ erat? Sed iam si placet,causas excutiamus, quibus adducti ueteres non concedunt iteratũ coniugiũ,ne ob adulterij quidẽ crimen. Hieronymus hanc adducit causam,ne si duxerit alteram, uideaẽ non offensus prioris uitijs, sed auiditate formosioris mutasse cõiugẽ. Quin ipsius uerba subscribã,Et quia poterat,inquit,accidere,ut aliquis calumniã faceret innocenti,& ob secundã copulam nuptiarum,ueteri crimen impingeret, sic priorẽ iubeẽ dimittere uxorem,ut secundã prima uiuente non habeat. Quod eñ dicit tale est,si nõ propter libidinẽ,sed propter iniuriã dimittis uxorẽ,quare expertus infelices priores nuptias,nouarũ te immittis periculo? Nec nõ quia poterat euenire,ut iuxta eandem legem uxor quoq; marito daret repudium, eadem cautela præcipitur, ne secundum accipiat uirum. Et quia meretrix,& quæ semel fuerit adultera,opprobrium nõ timebat,secũdo præcipitur uiro,quod si talẽ duxerit, sub adulterij sit crimine. Hactenus Hieronymus. At interim seposita paulisper autoritate scriptoris, rem ipsam mecum expendat lector, num hæ satis graues sint causæ,cur innoxius maritus debeat uel alligari sceleratæ mulieri,uel orbitatis molestiam, & libidinis incendium ferre per omnem uitam, ne uel parum prudens habeatur quibusdam,quod rem quæ non successerit, denuo sit aggressus: quasi turpe sit, qui semel tempestatem expertus sit,iterare nauigationem, aut qui in deligendo amico erraverit,quenquam alium in amicitiam admittere: uel intemperans aut auarus qui formam aut dotem mutare uoluerit,nõ uxorem. Sed obsecro te ubi res erit acta per episcopos,per probatos,& graues iudices, ubi diuortium horum autoritate comprobatum erit, qui deinde suspicabuntur,probi an improbi? Nimirum improbi. Sed æquum ne censemus, ut ob aliquot improbos male suspicaces, tanta calamitate prematur maritus innoxius, aut mulier innocens? Consimiles fermè causas adducit Augustinus in libris ad Pollentium: Ne in contumeliam,inquit,prioris mariti uideatur alterum prætulisse, néue non tam uideaẽ mariti uitijs offensa diuertisse, cꝫ recentis auiditate,iocum etiam admiscens,ac negans ob malorum querelas oportere peruerti euangelium. Atqui primũ euangelium non uetat iterare matrimonium,ubi iure dimiseris uxorem. De Pauli uerbis mox loquemur. Deinde cũ nec Christus,nec Paulus continentiã exigat ab ijs qui continere non possunt,cur mali dicãtur, qui continere nequeunt,nec se continẽtiæ uoto astrinxerunt? Corporis hoc uitium est, nõ animi. Cur autẽ pœnas dare cogitur,qui nihil admisit? imò qui afflictus est. Iã uero quod de sacramento afferunt,cuiusmodi sit, uideamus, per quod uolunt omne matrimoniũ semel contractum,esse indissolubile. Neq; enim hic Augustinus, qui tria bona ponit in matrimonio,cum tertiũ sacramentum uocat,sentit unũ è septem sacramẽtis,quod ipsum subnotare uideẽ Petrus Lombardus dist. xxxi. imò haud scio,an hoc sacramentũ septimũ ueteribus fuerit cognitũ. Primũ quod Dionysius enumerans nominatim singula,& singulorum uires,ritus ac ceremonias explicans, de coniugio nullam facit mentionem. Nam quod cauſantur quidã, comprehẽdi sub sacramento ordinis,id tale est,ut efficiat,ne nihil respondisse uidearis, cum omnino nolueris obmutescere. Quasi uero ijsdẽ ceremonijs consecreẽ sacerdos,& sponsus iungaẽ sponsæ: saltẽ duobus uerbis nomẽ addidisset, præsertim cum de eo tam multa scripserit Paulus. Deinde cum tot uoluminibus tractatũ sit de matrimonio,uel à Græcis, uel à Latinis,nullus est locus unde liqueat illos coniugiũ inter septẽ sacramenta cõmemorare, præsertim cum Augustinus cõiugij fautor, bona matrimonij diligẽter recenseat & inculcet. Quin Iouinianus, sic impense fauens matrimonio, ut hac de causa iudicatus sit hæreticus, cum utriusq; testamẽti libros omneis excusserit, nihil non detorquens ad laudem matrimonij, non hoc tantum & plausibile ac palmarium argumentũ,uel in primis

Quare nõ admittatur uerum diuortiũ.

Excusſæ causæ quas adduxit Hieronymus.

Augustini causæ.

Sacramẽtum matrimoniũ.

Dionysius nõ meminit de sacramento matrimonij.

produxisset, passim ita clamitans, Matrimonium est unum è septem ecclesiæ sacramentis, uirginitas non est. Nec opinor Hieronymum tam libere stomachaturũ fuisse in digamos, si constitisset & illic esse unum è septem sacramentis. Verum cur hæc recenseo, cum Durandus fateatur matrimonium à recentioribus theologis deniq; numerari cœptũ inter ea quæ proprie dicuntur ecclesiæ sacramenta? Porrò quod Paulum sequuti ueteres, matrimoniũ aliquoties uocant sacramentum, id sentiunt, opinor, in copula uiri & uxoris, quoniam est arctissima amicitia, repræsentari typum quendam & imaginem Christi, sponsam ecclesiam sibi copulantis. Et est quidem omnino res sancta, sacraq; matrimonium rite seruatum, & tamen typus esse potest rei sacræ, quod per se sanctum non sit, uelut Bethsabeæ erepta Uriæ, & Dauid iuncta, & Oseæ prophetæ stuprum, Sampsonisq; ac Dalidæ fabula, quod palàm testatur Hieronymus. Ac rursus nihil est necesse, ut typus per omnia respõdeat. Alioquí sacramentum non erit, ubí quis sterilem habet uxorem, aut ubi uxor fert maritum ebriosum aut infamem, aut aleatorem. Vt demus interim matrimoniũ hic accipí pro uero sacramento, sacramentum non erit, ubí uetulus ducit uetulam, ebrius ebriam, & tamen ecclesia agnoscit sacramentum. Alia sexcenta referrí poterant, in quibus imago non respondeat, matrimonij humani & mystici. Neq; protinus iniuria fit sacramento baptismi, si quidam illotam habent uitam. Neq; continuo non est sacramentum coniugium, si quibus uitijs contamínentur cõiugatí: alioquí nostro diuortio quod tam facile indulgemus, fiet iniuria sacramento Christi. Aliquo modo dissoluimus cõiugium, cum Christus modis omnibus adhæreat suæ sponsæ. Deniq; ne morte quidem oportebat dirimí matrimonium: si postulemus ut typus respondeat undiq;. Imò si typum urgeamus, interprete Origene, synagogam repudiauit Christus, ut interfectricem mariti, cuius illa uox est, Tolle tolle, crucifige eum, & hac repudiata sibi iunxit ecclesiam. Ad hanc imaginem licebit abijcere, quæ necem machinata sit uiro, & alteram se dignam ducere. Quod ad mysterij congruẽtiam pertinet, satis est quod hoc animo semper unus uni iungitur, ut nulla fiat diuulsio, quod inter plerosq; perpetuum est coniugium. Certe mirum est, cum tot Græci ueteres, simul ac Latini, causas exquirant, cur sit indissolubile matrimonium, nihil huiusmodi uenisse illis in mentem, quod nobis uidetur insolubile. Nemo contrahit matrimonium, nisi hoc animo, ut sit perpetuum. Neque uero quisq; hic uelit ominarí diuortiũ. Quod si incidat necessario, ut sunt res humanæ, non fit iniuria sacramento, si paucorum necessitati succurratur. Vt enim paucorum priuilegium non irritat legem generalem, ita paucorum infelicitas non uitiat commune sacramentum. Postremo consequetur, aut in uetere testamento matrimonium non fuisse sacramentũ, aut dirimí nullo pacto debuisse, præsertim cum homicidij periculis nostro diuortio potuerit occurrí. Chrysostomus duplicem adducit causam, cur apud Iudæos uiro permittatur uxorem abijcere, sed dato libello: Permittitur, inquit, repudiare, ne inuisam occidat. Itáne prodesse debet apud Iudæos flagitioso sua malitia, & apud nos non proderit marito sua innocentia? Iubetur, inquit, dare libellum, ne liceat recipere quam repudiauit, alioquí futuram infinitã ac fœdam adulteriorum confusionem. Atquí hæc causa nos non deterret, quo minus faciamus marito ius recipiẽdi quam repudiarit. Atq; is eandem putat esse causam, cur liceat adulteram abijcere, ne passim misceantur adulteria mutua. Quæ causa si uera est, cur apud nos nemo cogitur adulteram repudiare, imò uetatur, nisi malit castrarí? Innocentius tertius cap. quanto. quod superius à nobis adductum est, hanc reddit causam, cur uxor mariti in hæresim prolapsi, non possit cum alio nouare coniugium: Quod, inquit, in odiũ coniugum, uel quando sibi inuicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa nubentibus coniugibus resilirent. Glossema citat in eandem sententiam cap. Dixit dominus, causa xxxij. q. i. quod ipsi ex Hieronymo paulo ante citauimus. Atquí si hanc causam recipimus, non licebit nubere, quæ per errorem nupserit Petro, credens esse Ioannem, aut seruo credens esse ingenuũ, ne quæ diuortium affectet, subornet huiusmodi causas. etiamsi capitulũ quod citat Glossema, mihi non uidetur admodũ facere ad Innocentij sententiam. Sentit enim maritũ fingentem sese hæreticũ, quo deterreat uxorem, mox illa iuncta alteri, fingentem se resipuisse. Itidem poterat se seruum fingere, qui studeret abigere uxorem. Quin eadem prætexí poterant aduersus diuortium nostrum, simulabit uitium aliquod cui uxor domi molesta est, quo illã ædibus exigat, satis magnũ simulationis præ-

Sacramentũ aliquãdo pro typo ponitur.

Repudiauit Christus synagogam.

Causæ quas adducit Chrysostomus.

Causa Innocentij tertij.

mium esse

mium esse ducens, si quam odit, domi non uideat. Ac de causis quidem hactenus. Iam si uidetur, Pauli locos excutiamus, unde potissimum uidentur hausisse nostri pontifices hāc in dirimendis coniugijs difficultatē. Paulus epistolæ ad Rhomanos cap. septimo: An ignoratis, inquit, fratres, scientibus enim legē loquor, quia lex in homine dominatur, quāto tempore uiuit. Nam quæ sub uiro est mulier, uiuente uiro alligata est legi, si aūt mortuus fuerit uir eius, soluta est à lege uiri. Igitur uiuēte uiro uocabit adultera, si fuerit cum alio uiro. Si aūt mortuus fuerit uir eius, liberata est à lege uiri, ut nō sit adultera, si fuerit cum alio uiro. Non agit hic Paulus de diuortio, sed similitudinē adducit Iudæis ex ipsorum lege, qua doceat ac persuadeat antiquata iam Mosi lege per euangelium, non amplius illos teneri legis ceremonijs, cū Christo nouo sponso nupserint. Nec est necesse similitudinē aut parabolā quadrare per omnia, alioqui parabolas de nocturno suffossore domus, de pecunia fœneratori debita, de dispensatore iniquo, de uite & palmitibus, de pueris in foro canentibus, & id genus innumeris ad hanc legem ridicule exigemus. Satis est si hactenus congruant, quatenus declarant id cuius gratia adhibentur. Est autem Paulo peculiare, nihil non torquere ad euangelij negocium, pia Christianaq; uafricie, dum in omnia se uertit, ut omnes Christo lucrifaciat. Cuius dissimillimi sunt hodie, qui in omnia se uertunt, ut à Christo auocent, & ipsi rem ac honorem lucrifaciant. Alioqui si quis urgere uelit hūc Pauli sermonē iuxta id quod uerba sonant, ne adulteram quidem fas erit dimittere, nihil enim excipit. Rursus non apte citare uidebitur legē Mosaicam Iudæis Paulus, in hanc sententiam, cum lex permittat maritis qualibet ex causa repudiare, modo det libellum repudij. Liquet igitur Paulum hic non excluſisse diuortium, quod ipsa lex palàm indulget, cuius adducit testimonium, sed suum agit negocium, dissimulans id quod ad præsentem causam non faciebat. Rursum epistolæ ad Corinthios prioris, capite septimo, in consimilem fermè modum scribit: Igitur qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore uir eius uiuit. Quod si dormierit uir eius, liberata est à lege, cui uult nubat, tantum in domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Ne hic quidem Paulus tractat materiam diuortij, sed adhortatur pro illorum temporum statu, ut quæ liberæ sint à coniugio, præsertim uiduæ, nam ad harū causam uidetur redire, abstineant à coniugio, quo liberiores sint à negocijs mundi, tum adhuc impij & idololatræ, quæ non poterant non commiscerī affinitatibus. Et tamen hoc non exigit, tantum edicit, ut quæ non nupserint, si uelint nubere iungantur Christiano. Alioqui Christianam iam ethnico iunctam non auellit à marito, nisi maritus ipse discedat, non enim peccare si libera nubat. Porrò nihil esse opus marito, quæ iam maritum habet. Opinor hanc esse præcipuam clauim ad intelligendam mysticam scripturam, dispicere quid agat is qui loquitur, præsertim in Paulo, qui lubricus est in disputando, nunc huc se proripiens, nunc illuc: ut quemadmodum inquit Origenes, uix intelligat lector, unde egressus, quò educatur. Restat locus omnium difficillimus, qui præcessit in eodem capite, ubi de coniugatis agens, sic loquitur: Dico autem non nuptis & uiduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego. Quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm uri. His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, uxorē à uiro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari, & uir uxorem non dimittat. Hæc dicta uidentur de paribus matrimonijs, hoc est, uiri Christiani, & mulieris item Christianæ. Sequitur enim de impari coniugio: Nam cæteris dico ego, non dominus. Primum quod Paulus nusquam addit exceptionem euangelicam, Ambrosius admonuit ubique esse supplendam, ne uideatur apostolus pugnare cum præceptis sui domini. Præterea Paulus non uidetur hic agere de grauibus flagitijs, quæ crimen adulterij uel æquent, uel superent etiam, sed de leuioribus offensis, ob quas apud Græcos potissimum crebra fiebant diuortia, iuxta illud Iuuenalis: Sic fiunt octo mariti, Quinque per autumnos. Id colligitur ex eo quod sequitur, Aut uiro suo reconciliari. Redeunt enim in gratiam, quos offensa aliqua humana diremit. Et reconciliatur quæ offendit, non quæ offensa est. Quod si iure discesserit, cur iubet eam reconciliari, quæ magis erat placanda? Quod si mutuæ fuerunt offensæ, sed mediocres, uetat ne protinus adiungat sese alteri uiro, & reditum ad priorem sibi interdat, sed maneat innupta, si forte detur utrique reditus in gratiam. Ad hæc apostolus hic de

Loca apud Paulū quæ diuortium prohibent.

Parabola non est necesse ut congruat per omnia.

Locus difficillimus.

Solutiones.

mulière

mulíere duntaxat loquítur,quod huic ſexui apud Iudæos non eſſet ullum ius repudiandí. Vírum tantum hortatur, ne ob offenſas huiuſmodi uxorem abíjciat. Non addit autem, quod ſi abiecerit,maneat cœlebs, aut uxorí ſuæ reconcilietur. Id enim annotauit Ambroſius,etiamſi Auguſtinus uult ubique par eſſe ius tam uxorí,quàm uíro,quod ut fortiter ac conſtanter aſſeuerat,ita non eſt quo certum doceat. Verum haud ſcio, an Paulus tríbuerít hac in parte nonnihil ſuæ legi,quæ cum uíro permittat, ob quamlíbet cauſam mutare uxorem,atq; zelotypiæ quoque uíríli ſæuum remedium indulſerit,uxorí nihil huiuſmodí concedit. Ad hæc Apoſtolus in omnibus epiſtolís ſuis, haud multum autoritatis tríbuit uxoríbus,quas ſubíjcit poteſtatí mariti, quas non patitur eſſe retecto capite, quas non ſinit ne loquí quidem in eccleſia. Vetuiſſe igitur uídetur Paulus,ne ob uulgares offenſas uxor uírũ relinqueret. Quod ſi factum eſſet,abſtineret à ſecundò coniugio,ne non liceret ad príſtinũ redire,reconciliatís animís. Neq; enim probat, ut díuulſa à uíro maneat innupta,uíro nolente,ſed hoc mauult,quàm iterato matrimonio nouo uetus aboleri. Quod ſi Paulo propoſita fuiſſet huiuſmodí cauſa,ſtultus cum ſtulta,puer cum puella contraxit,interceſſerunt lenæ,uinum,temeritas,arte in naſſam inducti ſunt, & huiuſmodi matrimoniorum plenus eſt mundus,infinita mortalium mília, male tenentur illaqueata. Nutu coit matrimonium, ſi modo coítus ſucceſſerit,imò ſi non ſucceſſerit, nihil inter coniunctos conuenit, tanta eſt morum & ingeniorum diſſimilitudo,rixæ iuges,odium immedicabile,timetur uenenum, timetur cædes,nihil non malorum expectatur,neuter cœlebs poteſt uíuere: ſi cohærent,bís perit uterque,ſi mutetur coniugium, ſpes eſt utrunque fore incolumem,fortaſſis pro cauſæ circunſtantíjs aliud reſponderet Apoſtolus, & nonnihil relaxaret de rigore conſilíj ſuperioris,ſuáque ſcripta ciuílius, opinor,nobis interpretaretur, quàm nos interpretamur. Aut ſi ad Paulum confugiſſet,nobilís illa Fabiola, Hieronymí monumentis æternæ homínum memoriæ conſecrata,quæ tecta cilício, nudis pedíbus publicitus egit pœnitentiam, quod priore marito relícto,puella nupſiſſet alterí (Subindicat autem Hieronymus uírum abuſum fuiſſe uxore,ſecus quàm decet maritum,quum referat illam ea pati coactam à maríto,quæ nulla ancilla pateretur à domíno. Siquidem dabatur & mancipíjs confugium ad ſtatuam príncipis,ſi infamí iniuria tentata fuiſſent à dominis) atq; hiſce uerbis eum compellaſſet,Non exíges Paule, ut huiuſmodi maritum feram,cuí non poſſum obſequi,niſi fiam abominabilis. Imò non patíeris me ferre talem etiamſi cupiam, & eum corporis habítum in me ſentío, ut tutum non ſit carere connubío. Nec tu exígis tantum donum ab íjs quíbus hoc nondum contígit diuínitus, qui uíduas etiam laſciuiores iubes nubere. Hæc inquam,& huiuſmodi ſi narraſſet Fabiola, ciuílíorem, ní fallor,experta fuiſſet apoſtolum, quàm epiſcopum illum,quiſquis fuit, qui innoxiam puellam adegit ad publicam pœnam, quaſi matrem ueneno necaſſet. præſertim quum illa,ut índicat Hieronymus, non contemptu conſtitutionis pontificiæ,ſed imprudentia maritũ alterum adſciuiſſet. Quod ſi quís urgeat,Paulum hic agere de cauſa adulterij, cur non excípit quod excepit dominus. Imò cur addidit, quod non addidit dominus? Maneat innupta. Cur uíro prohíbet ne dimittat, cuí permittit Chriſtus, ut dimittat adulteram? Non tamen hæc dícimus, quod uelimus aperíri feneſtram crebrís díuortíjs, uerum ubí nihil non fruſtra tentatum eſt, conſuli cupiam ſaluti uel infelícium,uel infirmorum. Neque uero periculum eſt, ne paſſim dírimantur connubía, quando & apud ethnicos, ſuus conſtabat honos matrimonío, apud quos mutuum erat díuortíj ius,at non temere tamen. Vís rara eſſe díuortia? cura ut non tam facile coeant coniugia. Iudício coeant, coeant autoritate parentum, aut eorum quorum intereſt,quemadmodum apud Hebræos, Græcos, Rhomanos,ac Barbaros olím coíre ſolét. Quís enim apud Chriſtíanos hoc oraculum primus prodidit, quod ſolo conſenſu contrahatur matrimonium? etiam inuítis his,ſub quorũ poteſtate deus uoluit líberos eſſe,Quod argumentum nímium facile diſcutit Thomas Aquinas: Non eſt,inquit,in poteſtate patrís, ut ancílla,ſed ut filia. Cur ígitur non ítidem licebat apud Iudæos inuítis parétibus nubere? Ac línũ líno connectens addit,Sicut poteſt ingredí religionem abſq; cõſenſu parentũ,cum ſit perſona líbera. Vt líberí parentíbus inuítis ſe conferant ad profeſſionẽ euangelíj,docent nos ípſa euangelía. Hic tamen & hactenus tantum negligunt autoritatẽ parentũ,quatenus cogunt ad impietatem. Cæterum ut puella aut puer relictís Chriſtíanis parentíbus,quíbus duplící

Auguſtinus parí ius facit uxori et uiro.

Fabiola.

Oratio Fabiolæ ad Paulũ

duplici nomine debet obsequi, se addicat instituto Benedictinorum aut Dominicalium, apud quos fortasse licentius uiuat & impunitius, non religiosius, ac præter publicum ius, semet emancipet ab eorum potestate, quibus illos & natura, & humanæ diuinæq; leges uoluerunt esse subditos, ac se nescio quibus dedant, in seruitutem humanam, ut ex liberis fiãt parentum perfugæ, hominum alienorum mancipia, non uideo qua ratione nitatur. Verũ ut ad rem. Saltem hoc apud nos detur infelici innocentiæ, quod apud Iudæos datum est peruersæ maritorum acerbitati, quod Paulus indulget uiduis intemperantibus, ne quid admittant sceleratius. Ei quæ frigido nupsit, succurrit tacita conditio, & dirimitur matrimonium. At qualitas animi sæpe grauior est corporis uitio, cur hic non est tacitæ conditionis remedium? Non probatur, inquiunt, apud Iudæos diuortium, sed conceditur. Concedunt & apud Christianos lupanaria publica, ne quid admittatur deterius. At mihi nõ sit uerisimile peccaturum fuisse Iudæum qui uxorem egregie sceleratam abiecisset, & alteram duxisset domum, quum id lex palàm concederet, nihil addens hoc donatum duriciæ cordis, præsertim quum ex sensu naturæ non possit sciri quod nos interpretamur. Etsi concessum est duriciæ cordis, utique licet, quod concedit deus, præsertim si nullo signo declaret eos peccare, qui permisso utantur. Verum hæc utcunque habeant, ita conceditur, ut tamen impune sit marito duxisse quam uelit, nec uetantur utcunque repudiatæ nubere. Interdum enim hoc licere dicitur quod lex non punit. At apud nos idem non modo non toleratur, sed ut atrox flagitium punitur, & aliquanto grauius quàm adulterium, quum Augustinus clare pronunciet sceleratius esse extra connubium libidinari, quàm à diuortio nouo marito iunctam uiuere. Neq; simpliciter negat huius esse uxorem, sed magis esse illius quem reliquit, quàm cui nupsit. Verum huius disputationis iam modus esto, cum res uoluminis sit non annotatiunculæ. Hæc tamen paucis libuit delibare, quo doctis ac studiosis uberiorem cogitandi materiam præberemus. Nec ullo pacto iudicio maiorum ob hæc præire conamur, multo minus ecclesiæ catholicæ. Cæterum, quoniam in priore æditione, uotum in hac re nostrum, siue prudens, siue imprudens, certe pium, subindicaueramus, ne quis id aliorsum interpretaretur atq; à me scriptum fuerat, declarãdum putauimus, quibus rationibus adducti, tale quiddam optaremus, si quâ fieri possit per ecclesiasticam autoritatem. Miserebat me illorum quos uidebam huiusmodi uinculis inextricabilibus implicatos, quos sciebã esse plurimos, præsertim apud Britannos, apud quos hoc opus primum deformabam. Vi debã uiros olim probatæ doctrinæ sanctimoniæq; non fuisse deterritos, Euangelij Paulíq; uerbis, quo minus admitterent diuortiũ. uidebam quædam secus posse exponi, quàm hactenus exposita sunt. Videbam hoc tribui pontifici Rhomano, ut euangelicam & apostolicam doctrinam, interpretetur, astringat, laxet, dispenset, & iuxta quosdam etiam abroget aliqua in parte. Videbam & hodie matrimonium dirimi, ob errorem personæ & conditionis etiam consummatum coitu. Ob lapsum in hæresim, etiã illud dissolui, de quo dubitari non poterat, quin uerum esset matrimoniũ. Videbam ob professionem instituti humani, ob mutatum pallium, sponsum legitimum fraudari sua sponsa. Videbam per Rhomanum pontificem, personas reddi inhabiles, quas neq; natura, neq; lex diuina fecerat inhabiles. ac eiusdem uidetur potestatis, hominis autoritate uetare ne coeat matrimonium, & efficere ut dirimatur matrimoniũ. Videbam scripturam hac in parte, ut in pleriſq;, esse perplexam & ancipitem. Videbam ueteres interpretes doctissimos à recentioribus dissidere. Videbam quanta sit autoritas ecclesiæ à Christo tributa, cui dederit claues regni cœlorum. Cogitabam ecclesiam habere sponsi sui spiritum, neq; posse non recte statui, quod ad hominum salutem illo autore statueretur. Videbam q̃ esset ingens Rhomani põtificis clementia, quæ succurrat etiam ijs qui apud inferos citra periculũ exitij æterni cruciarentur. Cupiebam & ijs succurri, qui cum æternæ salutis periculo hic discruciarentur in uita, nihil cõmeriti. Videbam ea quæ obijciuntur, facile posse dilui citra nostræ religionis iniuriam. Videbam rationes quas adducunt hac in causa ueteres ac neoterici non esse tam urgentes, ut ad tantam adigant necessitatem hominũ genus. His rebus cõmota charitas Christiana, proposuit ijs qui me plus cernunt, dispicerent, si qua ratione sermo euangelicus ac Pauli, dispensari posset ad plurimorũ salutem, ad quam omnia scripta sunt nobis: & ad quam Paulus nonnunq; etiam detorquet sacras litteras. Quod si hoc quod opto fieri non potest, certe illud potest

Britanni.

statui,

ſtatui,ne matrimonia præter ueterum omnium morē,præter æquitatem naturalē,tam facile,ne dicam tam temere coeant. Etenim ſi Rhomanus pontifex ſtatuere poteſt, ne cōiugiū inter tertio gradu cōiunctos ſit coniugium, idem uidelicet ſtatuere poteſt, ne inter eos qui alienæ ſunt poteſtatis,ne inter aduleſcentulos,puellas,ebrios,inconſultos, nullo maiorum conſilio,ſed lenonū ac lenarum impulſu,uel ſtultitiæ potius conſilio rem gerentes ratum ſit matrimoniū.Hac certe uia fiet,ne tam multi miſerabilibus nexibus implicentur.

Beatior autem erit.) Græce habet,Eſt, præſentis temporis,non erit. Vel ex hoc apparet cum ſuperius diceret,Mulierem non tangere bonum eſſe, non de uitio, ſed uitæ commoditate ſenſiſſe.

Secundum meum conſilium.) κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην, id eſt,Mea ſententia,ſiue meo iudicio,liberum interim faciens hac in re ſuum cuiq; iudicium.

EX CAPITE OCTAVO.

Scientia inflat,charitas ædificat.) Hunc locum eò torquent quidam,ut dicant eſſe periculoſum bonas literas attingere, cum ipſe Paulus paulo ante de ſe dixerit, Scimus quod omnes ſcientiam habemus, uidelicet de ſe ſuiq; ſimilibus loquens. Proinde non uetat Paulus, ne non amplectamur ſcientiam, ſed ne deſit ſcientiæ charitas,alioqui nihil æque inflat atq; inſcitia. Tractat hunc locū eleganter Auguſtinus,libro aduerſus Fauſtum decimoquinto,capite octauo.

Si quis autem exiſtimat ſe ſcire.) εἴ τίς δοκεῖ εἰδέναι τι, Si quis quid uidetur ſcire,aut, Si quis ſibi uidetur aliquid ſcire, ut intelligas omnem ſcientiæ perſuaſionem oportere abeſſe.

Nondum cognouit.) οὐδέπω οὐδὲν ἔγνωκεν,id eſt,Nondum quicquam nouit.ut intelligamus hanc eſſe præcipuam ſcientiæ partem,noſſe rationem ſciendi.Iam tametſi Græcæ negationis congeminatio eſt ex idiomate ſermonis,tamen nonnihil facit ad uehementiam,alioqui uertendum erat ad uerbum, Nondum nihil nouit. Hic rurſus libet iſtos quoſdā anxie religioſos appellare,qui nihil omnino mutandum putant in diuinis literis, ne iota quidem aut apicem,cur hic auſus eſt interpres totam negationem omittere? Aut quinam explicabunt hunc locum,qui dialecticorum regulas per omnia ſanctas & ἀκινήτους eſſe contendūt?

De eſcis) περὶ δὲ βρώσεως τῆς εἰδωλοθύτων,id eſt,De eſu uerum eorum quæ idolis immolantur:quidā uertunt immolaticia.Dure uertit Græca. Quis enim dicitur immolare eſcas? Nec abeſt amphibologia. Poteſt enim accipi, quod ea quæ immolantur idolis comedant. Et miror hic eſcarum uocabulum placuiſſe interpreti,quum Græca commode reddi potuerint,de eſu eorum quæ ſimulacris immolantur.

Quia nihil eſt idolum.) ὅτι οὐδέν. Poteſt legi,Quod nullum eſt,ſiue nihil eſſe idolū. nam addidit,In mundo. Melius autem uertiſſet,ὅτι quod.Ambroſius pro idolo ſemper legit ſimulacrum. nam idolum Græca uox,ſed à Latinis iam uſurpata,& θύω ſacrifico. inde εἰδωλόθυτα ſimulacris immolata,pro quo uulgus legit idolotica mendoſe,quum in Paulino codice ſcriptum habeatur idolothyta. Thomas Aquinas adducit nouam differentiam inter idolum & ſimulacrum,quod ſimulacrum ſit effictum ad ſimilitudinem alicuius rei naturalis,idolū cōtra,ut inquit,ſi corpori humano addatur caput equinum.Quæ diſtinctio uera ſit,nec ne,iudicent alij.mihi lexico quod Catholicon inſcribunt,nō indigna uidetur. Certe Ambroſius nullum nouit diſcrimen inter idolum & ſimulacrum,nec ego ullum uideo,niſi quod ſimulacrum eſt uox Latina à ſimulando dicta, idolon Græca ab εἶδος ſpecies, quod ſpeciem & imaginem inanem præ ſe ferat,quum abſit ueritas. Vnde quæ nos ſpectra uocamus,Græci uocant εἴδωλα.

Thomæ diſtinctio.

Quia nullus deus.) ἕτερον,id eſt,Alius,deeſt in noſtris.Et ſicut non eſt ullus deus præter unum,ita non eſt idolum,quod deum aliquem repræſentet.

Siquidem ſunt dij.) ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ,id eſt, Quemadmodum ſunt dij multi. Fortaſſe interpres legit εἴπερ.

Siquidem ſunt domini multi,& dij multi.) Totum hoc abeſt apud Ambroſium, adeo ut nec ediſſerens indicet ſe legiſſe.Non erat autem hinc periculum ne plures deos crederemus, cum ſatis manifeſte teſtetur illos non eſſe ſimpliciter deos aut dominos, ſed illis eſſe deos ac dominos,à quibus colebantur. Quemadmodum & Paulus Rhomanis ſcribens, dicit deum pſeudapoſtolorū eſſe uentrem.Huic reſpondet quod ſequitur,Nobis autē &c.

Apud Ambroſiū deſunt quædam.

Itidē

Itidem & de se paulo post,Et si alijs non sum apostolus,sed tamē uobis sum.Rursus non appellat eos simpliciter deos ac dominos,sed ait uocari deos ac dominos,uidelicet nomine non re,& opinione,non uirtute.

Ex quo omnia,& nos in illo.) Græce est,Et nos in illum:atq; ita primū scriptum erat in exemplari,quæ uiderim omnium emendatissimo,bibliothecæ Paulinæ,quod tamē ita fuit erasum,ut euidentissimū rasuræ uestigiū testetur adhuc germanam scripturā. Neq; uero nescio Græcam præpositionem esse ancipitem, neq; me fugit quid interpretentur Ambrosius ac Thomas:mihi tamen uidetur germanius,In illum, ut respondeat ei quod præcessit,ex quo omnia,tanq; ab autore summo,& nos in illum ad quē ceu fontem omnia referenda sunt.Aut omnia quidem sunt ex illo,qui condidit uniuersa,nos tamen qui credidimus per fidem in illum conuersi sumus & uelut in unum cōmissi,quemadmodum interpretatur Theophylactus. *In illo,pro In illum.*

Et unus dominus.) Hic locus facit ad id quod aliâs admonuimus,Paulum ferè dei uocabulū tribuere patri,domini filio, quum aliâs,& pater uocetur dñs,& filius dicat deus.

Esca aūt nos non cōmendat deo.) οὐ παρίστησι τῷ θεῷ, id est, Cōmendatos siue gratos reddit deo.Quod si uere dixit Paulus,unde nūc inter Christianos tot præcepta de ciborū generibus? unde tāta in his obseruādis superstitio,ut penè nulla ex re magis iudicemur?

Deficiemus.) ὑστερόμεθα, id est,Minus habemus.Ambrosius legit,Nō deerit nobis,sensus est,Nihil habere momenti ad pietatem,quibus uescamur cibis. Porrò Græcis utrūq; uerbum est præsentis temporis, περισσεύομεν & ὑστερόμεθα, Plus habemus,& minus habemus.Neque enim temporis rationem declarare uoluit Paulus,sed rei naturam: ueluti si quis dicat,pauperes ubiq; negliguntur.

Ne forte hæc licentia.) ἡ ἐξουσία, id est,Potestas siue ius:nec est Eum,sed te, ἐὰν γάρ τις εἴδῃ σὲ τὸν ἔχοντα γνῶσιν, id est,Nam si quis uiderit te,qui habes scientiam.Porrò secundam personam ex consuetudine sermonis,pro quauis persona posuit.

In idolio.) ἐν εἰδωλείῳ, id est,In idoleo, penultima producta.Est autem idoleum locus simulacrorum,aut mensa in qua carnes sacræ proponebantur.Et cur non accumbentem potius,q; recumbentem? κατακείμενον. nam recumbunt resupinati.

Nōne conscientia eius cum sit infirma.) ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς ὄντος, id est, Conscientia eius qui infirmus est,ædificabitur &c. Interpres legisse uidetur ἀσθενὴς οὖσα. *Diuersa lectio.*

Idolotica.) Reliquit aliquoties hanc uocem non uersam:idolothyta uero scribēdum est,id est,Idolis immolata, παρὰ τὸ εἰδωλον καὶ θύω, ut modo admonuimus.

In Christum peccemus.) Hoc loco nescio,an subscribendū sit sententiæ Ambrosianæ, qui legit In Christo,nō in Christum.Id enim declarat illius interpretatio. Quando enim charitatis,non æmuli sunt,qua Christus nos liberauit peccant in Christo non in Christū, quia in Christum peccare,negare est Christum:in Christo autem,in hæc quæ sunt Christi.Sicut & hic qui sub lege est,in lege dicitur peccare, ita & hi qui sub Christo sunt, in Christo peccare dicuntur.Certe Græci legunt In Christum,qui sermo ut sit anceps:tamē Theophylactus interpretatur hanc iniuriam admitti in Christum,quandoquidem committitur in membrum Christi.

Non manducabo carnes.) οὐ μὴ φάγω, id est,Non manduco,siue non edo,aut uescor carnibus:& est ἐμφατικώτερον per tempus præsens,tametsi non negem in his uerbis Græcos aliquoties abuti uerbo præsentis temporis uice futuri.Illud obiter annotandum,cum Paulum in idolothytis nihil offendat,præter offensionem infirmi,quem ferri uult duntaxat in hoc ut proficiat,mirum est cur Augustinus in epistola ad Publicolam cliiij.pronūciauerit melius respui Christiana uirtute cibum in idolio repertū,ei qui ob famem de uita periclitetur,etiamsi nullus adsit hominum,modo sciat eum cibum simulacris immolatū fuisse.Opinor & hunc locū retractaturum fuisse,si monitus rem propius expendisset. Iam uero quod hic Paulus de scandalo uitando disserit,non opinor ad quoduis scandalū uitandum esse pertrahendum.Nam ingens est scādalum idololatriæ,& illis temporibus suspicio penè inuincibilis.Et tamen Paulus infirmum docet offendi non debere, & firmi scientiam magis approbat,tantum concedi uult infirmitati,quæ uinci non possit. At nos dum quasuis ineptias uulgo receptas ultro sequimur,quid aliud quàm alimus infirmitā- *Excusa Augustini opinio.*

Quatenus uitanda scãdala

tem populi? Nec enim damus operam, ut illi desinant esse infirmi, sed ut ipsi cum illis infirmemur. Quod si is qui firmior est, semper obsecundabit infirmitati alienæ, & huiusmodi obsequijs semper in maius gliscent & augescent offendicula, quis tandem offendiculorum erit finis? aut quando habituri sumus Christianos in Christo fortes & adultos? Distinguamus igitur offendiculi causas, & stultam huiusmodi quorundam infirmitatem nõ alamus, sed corrigamus.

EX CAPITE NONO.



On sum apostolus.) Apertius erat, An non sum apostolus? nam planè Græci legunt per interrogationem, quæ tamen uehementius affirmet, ut sit impudens contradicere. Nec est quod metuamus, ne hæc uideantur arrogantius dicta à Paulo. Nihil enim magis in illum cõuenit, quàm huiusmodi sancta quædam ostentatio, & pia insolentia, qua alijs quoq; locis utitur.

Signaculũ p confirmatiõe.

Signaculum apostolatus mei uos estis.) ἡ γὰρ σφραγὶς, id est, Sigillum, quo certa fides fiat autoritatis apostolicæ, quemadmodũ uulgatis etiã prouerbijs, quod uehementer certum & indubitatum intelligi uolumus, id dicimus obsignatis literis testatum.

Interogant, diiudicant.

Qui me interrogant.) τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσιν, id est, Iis qui me dijudicant. Quanq; & hic sensus esse potest, hoc illis respondeo qui me interrogant, hoc est, qui rogant, quo argumẽto doceam me esse apostolum. Est enim uerbum ambiguum, quod significat tũ interrogo, tum excutio & examino: & tamen annotauit hoc quisquis fuit, cuius extant collectanea in hanc epistolam nomine Hieronymi.

Nunquid non habeo.) μὴ οὐκ, id est, An non habeam?

Sororem uxorẽ, id est Christianam. Laurentij argutatio.

Sororem mulierculam.) ἀδελφὴν γυναῖκα, id est, Sororem mulierem: atq; ita scriptum in uetustissimis exemplaribus. Laurẽtius cauillatur hoc loco cum dixisset sororem, quid opus erat addere mulierem, quasi soror sit quæ mulier nõ sit: unde colligit Apostolos uxores suas secum circumducere solitos, sed quæ iam essent loco sororum: imò sororem addidit, ut intelligas Christianam, & hac gratia sequi apostolos. Ambrosius legit mulieres, p sororem mulierem. Atq; ita citat diuus Hieronymus aduersus Iouinianum libro secũdo, siue quod hæc lectio magis faciebat ad causam quam illic agit, siue quod alteram lectionẽ nescierit: nam γυναῖκα Græcis & uxorem significat, ut crebro iam admonuimus. Certe Clemens, ut refert Eusebius, ecclesiasticæ historiæ libro tertio, locum hunc adducit, quo doceat Paulo fuisse uxorem: quam tamen non circũduxerit, consulens Euangelicæ libertati, quum Petrus & Philippus circũducerent suas.

Faber.

Aut ego solus & Barnabas.) An, castigat ac mutat Faber. Verum recte habebat, aut, cum præcesserit μὴ, id est, an, quod hic tacite repetendum est. Etenim si fuisset nouum interrogationis caput, dixisset rursus, μὴ οὐκ, ut cœperat.

Hoc operandi.) Hoc, additum est, οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι; id est, An non habemus potestatem non operandi? ut uerbum operandi sit absolutũ: & uidetur esse sensus, An nobis solis non licet in ocio uiuere suppeditantibus alijs? Sic & Theophylactus

Duplex sensus.

μὴ ἐργάζεσθαι interpretatur, in ocio uitam agere, nimirum huc respiciens, quod Paulus & Barnabas opera manuaria sibi uictum pararent, cum non reliqui tãtum apostoli, sed ipse etiam Cephas aleretur aliena benignitate. Annotauit & hoc Theophylactus, subindicãs quo præcellentior est episcopus, hoc minus debere grauare gregem suum. At hodie quãtum est onus ferre quosdam tyrannos uerius quàm episcopos, quorum ut quisq; maximus est, ita populo ferè grauissimus imminet. Sed fortasse rectius est, ut accipiamus in eũ sensum in quẽ omnes interpretantur. An non habemus potestatem, ut hoc nobis liceat agere quod agũt omnes? nam duabus negationibus οὐ μὴ unius uice est abusus. Ciuilius enim erat dicere faciendi, quod alij faciunt, & circũducere mulierem, præsertim quum nominasset Petrum & fratres domini: Id subindicat Ambrosius. Verum id exactius expendat diligens lector.

Stipendijs.) ὀψωνίοις. De quo superius meminimus.

An nõ & lex hæc dicit.) ταῦτα legit Ambrosius, nõ ταῦτα, & ob id uertit eadẽ, nõ hæc.

Propter nos utiq;.) πάντως. Rursum ut paulo superius uertit, utiq;. Est autem aduerbium adfirmantis.

Et

Et qui triturat.) Græce paulo secus est, ὁ ἁλοῶν ἐπὶ ἐλπίδι αὐτοῦ μετέχειν ἐπ' ἐλπίδι, id est, Et qui triturat, spem suam participare in spe. Quanquã nos hyperbaton Græci sermonis mutauimus, Ambrosium & alios secuti. Porrò quod in nostris exẽplaribus additũ est, fructus percipiendi, uidetur explanandæ rei gratia factum. Illud certum, non adiici apud Græcos. Cæterum, sub spe, quod apud nos nõ additur, interpretatur etiam nominatim Theophylactus, annotans in aratione semel duntaxat poni spem, nec fieri mentionem participationis, propterea quod totus prouentus aranti tantũ in uotis sit. At qui triturat, iam incipit esse particeps spei, fruiturq; optatis, laborãs interim in aliam spem anni secuturi, quamuis haud nesciam, Theophylactum hanc clausulam ad Apostolos ppríe referre, qui nõ cibi tantũ causa docerent, sed uberius præmium in posterum expectarent. *Deest in nostris.*

Si carnalia uestra metamus.) θερίσομεν, id est, metemus: etiãsi id ad sensum nihil refert.

Potestatis uestræ.) ἐξουσίας, ut intelligas non quãlibet potestatem, sed facultatem metendi, & circũducendi uxores siue mulieres, quam illi cæteris apostolis permittebant.

Quare non magis.) Quare, addidit de suo interpres: sat erat, Nonne magis nos: οὐ μᾶλλον ἡμεῖς;

Sed omnia sustinemus.) στέγομεν, quod propríe uasis est omnia capientis.

Ne quod offendiculum demus euangelio.) Non est Græce σκάνδαλον quod hic uertit offendiculum, sed ἐγκοπὴν quod intercisionẽ siue interruptionem sonat: ne quid existat, quod euãgelicæ prædicationi morã ullã adferat. Annotauit hoc ante nos Theophylact⁹.

Qui in sacrario operant.) Paulo diuersius est apud Græcos, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν, id est, Qui sacra operantur, è sacro siue templo uescuntur: nam ἱερὸν & uictimam significat & templum.

Qui altario deseruiunt.) τῷ θυσιαστηρίῳ παρεδρεύοντες, id est, Sacrario assistentes, siue assidentes. Cuius uocis emphasim & ante nos annotauit Theophylactus. Non enim ait sacerdotes, sed qui assident altario, ut intelligamus assiduum cultum sacrorũ. At hodie nulli ferè magis absunt ab altari, quàm ij qui maxime participes sunt altariorũ. Nec ulli molestius exigunt à populo decimas, quàm ij qui nihil eorum præstant populo, quorum gratia dandæ fuerant decimæ. Et συμμερίζονται, partem accipiunt cum sacrario. Diuidebatur enim hostia inter sacerdotes & leuitas. Stomachatur hoc loco Valla, fortasse liberius aliquanto, quàm ut quorundam aures ferre possint, uerum non omnino abre, aduersus Remigium, qui duas has uoces sacrarium & altarium ita distinxerit, ut sacrariũ ad idola pertineat, altare ad deum, cum earum uocum proprietas magis à Græcis fuerit petenda. Deinde longius euectus animi calore Valla, demiratur impudentiam quorundam Theologorũ, qui Paulinas epistolas, cũ Græce scriptæ sint, ausi sint interpretari, Græcarum literarum prorsus ignari. Nec hic à diui Thomæ nomine temperat, quod de hoc narrãt quidam, confectis in Paulum cõmentarijs, uisum illi Paulum, & ingenue confessum, suas epistolas ante id temporis à nemine fuisse intellectas, præterq; à Thoma, ceu fabulam cõmẽticiam & impudenter confictam deridet, cum ne fieri quidem possit, ut exacte quisq; interpretetur ignarus eius linguæ in qua scriptum fuit quod interpretatur. Ego sanè ut non possum omnino refellere quod scribit Valla, ita talibus uiris, præsertim sanctimonia quoque cõmendatis, nonnihil deferendum arbitror. Habenda ratio temporum in quibus illi uixerunt, Postremo meminisse oportet homines fuisse. Proinde ut & ingenuum est, & ad eruditionem conducibile, non dissimulare, sicubi lapsi sunt ueteres, ita probi hominis officium existimo à cõuicijs temperare, & ita mederi malo, ut quod licet, nõ lædas hominẽ. Thomas hoc loco sacrarium interpretatur templum Iudæorum uel gentilium: Altariũ, altare templi Hierosolymitani, siue ipsum templũ, sensum, opinor, exponẽs eius sermonis magis quàm uocum proprietatem. Alioqui ut domus nõ magis dicitur Gallorũ quàm Britannorum, ita sacrarium & altarium quorumlibet est. Nisi quod θυσιαστήριον ab immolando dictum, locus est ubi uictimæ mactantur. *Sacerdotes ocioſi.* *Remigius à Laurentio taxatus.* *Fabula de Thoma.*

Quàm ut gloriam meam.) ἢ καύχημά, id est, Gloriationem. Sic enim paulo ante, quasi glorians iactauit sese. Et euacuet, est κενώσῃ, id est, Irritam siue inanem reddat.

Si enim euangelizauero.) εὐαγγελίζωμαι præsentis temporis est, Si euangelizo siue euãgelizem, ut legit Ambrosius.

Merces mea.) Pro mea, mihi est apud Græcos, τίς οὖν μοι ἐστὶν ὁ μισθός; Quid igitur mihi est mercedis? Apparet interpretem legisse μοι pro μου.

Sine sumptu ἀδάπανον.

Sine sumptu ponam.) ἀδάπανον δώσω, id est, Gratuitum faciam. Et iucunde uocat ἀδάπανον, quod nemini sit sumptui. Alioqui sine sumptu facit, & is qui nihil impendit. Porrò pono apud Græcos passim pro facio obuiũ est. Et post euangeliũ Græci addunt Christi. O gloriam uere apostolicam, sed quam nemo nunc studet æmulari. Nihil nunc gratuitũ, ne sepultura quidẽ, cum Augustinus epistola sexagesimaquarta, nolit uendi mortualia.

Tanq; sine lege essem.) Aduerbium Græcum ὡς, anceps est, tamen hic magis quadrabat quasi, atq; ita legit diuus Hieronymus in Esaiam, itaq; Ambrosius in plerisq; locis. Non enim ponitur exemplum, sed falsa rei species proponitur. Theophylactus legit, ἄνομος θεῷ & ἔννομος χριστῷ, quod dure sonat exlex dei, & sublex Christi.

Sine lege dei.) Deo est Græce, μὴ ὢν ἄνομος θεοῦ, Cum deo non sim sine lege. Quãq; in hoc uariant Græcorum exemplaria.

Infirmis infirmus.) ὡς ἀσθενὴς, id est, Tanq; uel quasi infirmus.

Vt omnes facerem saluos.) Græce secus est, ἵνα πάντως τινὰς σώσω, id est, Vt omnino aliquos saluos facerem. Quãq; hic apparet Græcorum exemplaria uariasse. Sanè Theophylactus iuxta id quod nos adduximus, & legit, & interpretatur: existimans hoc facere ad exaggerandam Pauli charitatem, quod nihil non faciat, ut aliquot saltem adducat ad salutem. Laurentium Vallam nonnihil offendit tempus uerbi perperam immutatum, ut omnes saluos facerem, σώσω, uelut ad præteritum referatur, cum uerbum sit futuri temporis. Neq; sensus est eum id olim egisse, nunc desinere, sed nunc item agere, & ita factu/rum. Porrò quod hic dictum est σώσω, idem accipiendum est de eo quod præcessit κερδήσω, lucrifaciam potius quàm lucrifacerem.

Tempus mutatum.

Omnia autem facio.) τοῦτο δὲ ποιῶ, id est, Hoc aũt facio. Atq; ita legit Theophylactus.

Vnus accipit brauium.) Ambrosius legit palmam pro brauio, itidem & Cyprianus. nam βραβεῖον est Græce. Atq; est qdẽ omnino brabion præmiũ, sed proprie quod dat̃ certantibus ac uincentibus. Existimant enim dictum βραβεῖον, quasi ἑαβδεῖον, cõmutatis ac translatis duabus literulis, ppterea quod certaminũ iudices data uirga palmea, designarent uictorẽ: unde & βραβευταὶ dicunt̃ Græcis, quasi ἑαβδευταὶ, qui uictorẽ pronunciant.

Brabion unde

Vt comprehendatis.) ἵνα καταλάβητε. Aut abusus est ἵνα pro ὥστε, aut sensus est, hoc animo currite, non tantum ut uideamini certasse, sed appetisse uictoriam, quemadmodũ palàm interpretatur Theophylactus. Quæ sententia si probatur, sic, aduerbium nõ est referendum ad, ut, quod sequitur, quasi dicas, sic sequere ut assequaris, sed ad similitudinẽ quæ præcessit: Sic, id est, ad illorum exemplum & uos in uestro stadio currite. Mirum unde Cyprianus hic legat, Sic currite ut omneis occupetis. Quanquàm recte occupat qui assequitur & anteuertit.

Qui in agone contendit.) πᾶς γὰρ ὁ ἀγωνιζόμενος, id est, Omnis enim qui certat, sed proprie in publicis certaminibus, ueluti palæstra, aut Olympiacis, aut Circẽsibus. Nam de cursu ac pugilibus ipse mox meminit.

Ab omnibus se abstinet.) πάντα ἐγκρατεύεται, id est, Omnia sustinet aut tolerat, siue quod magis probo, In omnibus temperans est, ut subaudias κατά. Cyprianus legit, In omnibus continens est. Siquidem athletæ uictus etiam ratione præparantur ad certamina.

Nos autem incorruptam.) φθαρτὸν ἄφθαρτον, id est, Corruptibilem & incorruptibilem: miror cur uariauerit.

Pugno pro pugillor.

Sic pugno.) Non est pugno quod Græce μάχομαι, sed πυκτεύω, quod est pugilum certamen exerceo, & pugnis certo. Ad pugnos alluśit interpres, non ad pugnas. Ambrosius legit, percutio pugnis, pro pugno. Atq; ita locum adducit libro de paradiso capite duodecimo. Augustinus enarrans psalmum lvij. legit, Non sic pugillor quasi aërem cædẽs, asscribitq;, pugillari est pancratium facere. Rursum tractatu de utilitate ieiunij. Tho-

Thomas lapsus.

mas tamen uidetur pugnare interpretari bellare, primũ cum ait. secundo pugnam suã in uictoria mali. Ac mox, Sic pugno, inquit, contra hostes decertando, contra malum. Condonandus lapsus, nisi quidam nimium urgerent nos fabula, de Paulo commentariorum illius approbatore.

Aërem

Aërem uerberans.)Prouerbiali ſchemate dictum eſt,pro fruſtra & inaniter laborare, ueluti pugil nihil agit, niſi corpus attingat.Cæterũ hæc eò tendit parabola, ut intelligamus non eſſe ſatis quomodocũq; noſtro fungi officio,niſi demus operam,ut inſigniter ac præter cæteros geſſiſſe nos uideamur. *Prouerbium.*

Caſtigo.) ὑπωπιάζω, id eſt, Coërceo ſiue cohibeo,ſubigoq;:nam interpres ſenſum expreſſit potius q̃ uocẽ Græcã reddidit.Eam Auguſtinus propius expreſſit epiſtola Iviij. ad Dardanũ,Liuidũ,inquit,facio corpus meũ,& in ſeruitutem redigo.Siquidem Græcis ὑπωπιάζμμ,eſt liuore ſeu ſanguinis nota ſugillare proprie oculos,quos illi ὤπας uocant,& ὑπώπια notas eiuſmodi,autoribus Heſychio & Suida:licet hanc uocem diligenter explicarit etiã Theophylactus.Apparet ſumptã metaphoram à certamine pugilũ,unde Paulus non illibenter ſolet ſimilitudines ducere.Siquidem in his ſupplantabat, qui deijceret in humum antagoniſtam ſuum,ſugillabat qui notam inſignem inflixiſſet faciei. *Caſtigo, pro ſugillo.* *Supplantare.*

EX CAPITE DECIMO.

NOlo enim.)οὐ θέλω δέ.Nolo autẽ.Ambroſius legit enim,conſentientibus & antiquis exemplaribus,ut hæc cohæreant cũ ſuperioribus, Si quod modo præcepit Corinthijs,idem Iudæorum exemplis corroborat:quod ſi mauis autem, erit ad alia digredientis.

Et omnes in Moyſe baptizati ſunt.) εἰς τὸν μωσῆν eſt Græce,id eſt,In Moſen.Auguſtinus enarrans pſalmũ lxxvij.legit per Moſen. Rectius arbitror accipi,in Moſen,pro in legem Moſaicam,nondum enim in Chriſtũ,cuius aduẽtus procul aberat. Interim Moſes Chriſti typũ gerebat,& figuris res adumbrabatur Euangelica. *In Moſen.*

Bibebant autem.) Græcis eſt enim.Atq; ita refert Auguſtinus lib.aduerſus Fauſtum xij.cap.xxix.ex uetuſti codicis fide,ubi & Græce dixit conſequente eis. Et aliâs aliquoties ſic loquitur Conſequens eſt huic.

Conſequente eos.) ἀκολουθούσης, id eſt,Sequente ſiue proſequente.Sequente autem dixit tanq; itineris perpetua comite:id enim ſonat ἀκολουθεῖν magis quàm ἕπεσθαι. Origenes homilia in Exodum v.ſequentem petram refert,ad nubem quæ præceſſiſſe legitur Hebræos.Hieronymus,aut ſi quis alius is fuit,enarrãs pſalmũ xli.adducit hunc locum omiſſo pronomine,eos:quod cum nõ ſit apud Græcos,adiectum eſt ab interprete, quo ſermo fieret explanatior,& nos item addidimus.Nec addit tamen Ambroſius,cum ſubinde locum hunc in ſuis libris adducat. *Cõſequẽte eos petra.*

Beneplacitũ eſt deo.) εὐδόκησεν ὁ θεός. Quod Ambroſius uertit,Bene ſenſit deus,nos uertimus,approbauit,de hoc uerbo iam crebro monuimus.

In figura facta ſunt noſtri.) Figuræ ſiue formæ,eſt Græcis pluralis numeri τύποι,ſicut & paulo poſt,Hæc autem omnia in figura cõtinge.ταῦτα δὲ πάντα τύποι, id eſt,Hæc oẽia figuræ contingebant.In collectaneis Bedæ priore loco,figuræ legitur,licet noſtri depravatum erat in noſtræ,quod tamen ad eundem modum frequẽter eſt obuium in libris Auguſtini:ac priore loco Græcis additur ἡμῶν, ut legant:Hæc autem figuræ noſtri fuerũt. Et ad eum modum citat hunc locum Auguſtinus,enarrans pſalmum cxiij.Rurſus aduerſus Fauſtum in fragmento quarti libri, alijſq; locis compluribus. *In figura,pro figurę.*

Neq; idololatræ efficiamini.) Opinor pro γίνεσθε mutatum eſſe γίνεσθε, id eſt, Neque efficeremur ſimulacrorum cultores:quandoquidem in hoc quoq; additur, ſicut quidam eorum,ut γίνεσθε reſpondeat ad εἶναι.Alioqui in duobus mutauit perſonam,in idololatris & murmuratoribus. Sicut quidã eorũ.)καθὼς καίτινες αὐτῶν.i.Quẽadmodũ & quidã illũ tentauerũt.Interpres legit αὐτῶν,atq; ita ſcriptũ eſt in nõnullis exẽplaribus.Nec ex Ambroſio,nec ex Theophylacto ſatis liquet quid legerint,niſi quod apud hũc contextus habet αὐτῶν.Si legimus αὐτὸν, id eſt,eũ,ex hoc loco declaratur Chriſti diuinitas quem à Iudæis tentatũ dicit priusq; hominẽ aſſumeret.Nam de eo quod præceſſit,Petra autẽ erat Chriſtus,poſſet aliquis interpretari,petra illa deſignabat Chriſtũ poſt naſciturum. Spiritalem aũt uocari,quod typũ haberet myſticæ petræ.Si legimus αὐτῷ, ſenſus erit,ne nos tentemus Chriſtum,ſicut olim Iudæi tentauerunt deum. *Duplex lectio.*

Ad correptionem noſtram.) πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, id eſt,Ad admonitionem noſtram ſiue noſtri,quod tamen nõnunq; pro correptione uſurpatur.

Apprehendit alij apprehendat.

Tentatio uos non apprehendat.) εἵλκφεμ, id est, Apprehendit, præteriti temporis, siue cepit. Subindicat enim Corinthios iam incidisse in tentationem, sed humanam, hoc est, tolerabilē ac sanabilē. Et in hanc sanè lectionē consentiunt exemplaria Græcorū quæ uiderim omia: tametsi apparet Ambrosium legisse, apprehendat, ex his uerbis quæ subijcit: Vt aūt humana tentatio illos apprehendat hortatur. Quanḉ quid simile inter καϱαλαμβανέτω & εἵλκφεμ. Nisi forte Ambrosius legit εἰλκφέτω. At mihi sensus Græcæ lectionis uidet magis germanus esse Paulo, atq; eam palàm est Theophylacto placuisse. Ante terruerat eos horrendis exemplis, mox ne desperent reficit eos, extenuans quod hactenus peccassent dicens ḉ, leue quiddam esse.

Prouētus, pro euentu.

Prouentum.) πϱὸϛ ἔκβασιμ, id est, Exitū siue euentū, id est, is qui sinit uos incidere in tentationem, idem faciet ut tentatio bene eueniat. Hieronymus in cōmentarijs Ionæ legit ad hunc modum, Sed faciet cū tentatione & exitum. Atq; item Augustinus explicans psalmum lxi. Nam prouentus proprie dicuntur sementis, & è terra nascentium. At ne quis putaret sic esse dictum, sed faciet cum tentatiōe prouentum, quasi deus pacisceretur cum tentatione de euentu, Nos uertimus, sed faciet unà cū tentatione euentum, ut sit sensus, qui passus est incidere tentationem, idem dabit & exitum bonum.

Vt possitis sustinere.) Græce magnificentius quiddā dicitur ὑπεϱενεγκεῖμ, quod est ita ferre, ut oneri superis ac superes: quēadmodū ad Romanos dixit ὑπεϱνικῶμεν.

Cui benedicimus.) ὃ εὐλογοῦμεμ, id est, quē cū gratiarū actiōe sumimus. Sic enim interpretatur Theophylactus. Nōnulli recētiores interpretanṫ de benedictione cōsecrantis.

Panis quem frangimus.

Et panis quem frangimus.) τὸμ ἄϱτομ, ὃμ κλῶμεμ, id est, Panem quem frangimus. Cur non offenduntur hoc loco, quos illud offendit, quod Græci in uerbis quibus Latini conficrant corpus Christi, dicunt, hoc est corpus meum quod frangitur pro uobis, secuti ut apparet, Paulum autorē, qui proximo capite ad hunc modū recenset uerba Christi? Quod si quis cauilletur eū locum esse deprauatum in exemplaribus, certe hoc loco consentiunt nostri codices cū Græcorum lectione, & tamen sunt qui putent hic agi de pane & calice consecrato, aut certe in genere, ut possit locus ad utrūq; sensum accōmodari. Nam prisci Christiani oēm panē ueluti sacrū habebant, ob memoriā cœnæ dñicæ, & calicem inter se porrigentes, gratias agebant dño, quum tamen nō fieret consecratio sacramētalis. Annotatum est hic quod prius meminit calicis ḉ panis. In Luca bis fit calicis mentio, prioris illis edentibus, alterius post cœnam.

Nōne participatio corporis.) κοιμωμία. Modo cōmunionē uerterat, nunc uertit participationem: ad quid conducat ista copia non uideo, Interim lector Græce ignarus, cōminiscitur aliquod discrimen, inter cōmunicationem & participationem frustra.

Vnus panis & unū corpus.) Abest Græcis copula &, εἷϛ ἄϱτοϛ, ἓμ σῶμα, id est, Vnus panis, unū corpus, ita legit Theophylactus: atq; ita scriptū comperi in exēplari Paulino. Consentiebat utrūq; Constantiense.

Omnes enim pro oēs qui.

Omnes qui.) οἱ γὰϱ πάμτες, id est, Omnes ēm, absq; qui. Omnes ēm de uno pane participamus: ita legit & Ambrosius. In uetustissimo codice scriptū reperi, omnesq;, ut uerisimile sit, q; mutatum in qui: tametsi hæc lectionis uarietas sensum non admodum uariat. Cæterū non est mentio de calice nec apud Græcos, nec in codice Donatiani. In uetustiore codice Constantiensi nō erat mētio calicis, sed recentiore manu aliquis adiecerat in spacio uersuū. In nōnullis excusis repperi, Oēs quidem de uno pane, & sic habebat uterq; Cōstantiensis, ut probabile sit interpretem γὰϱ uertisse per coniunctionē expletiuam.

Sermo imperfectus.

Videte Israël secundum carnem.) Ad differentiam adiecit secundū carnem, ut ostēderet esse alium secundū spiritū: licet Græcis nō repetatur articulus, τὸμ κατὰ σάϱκα.

Quid ergo dico.) Ex Græcis exēplaribus locus ita debet distingui: Quid igitur dico? idolum esse aliquid, aut idolis immolatū esse aliquid? quasi diceret, nequaq; hoc loquor. Et ueluti iam negasset se id sentire, quod per se dictu sit absurdū, subijcit quid sentiat, sed quæ immolant &c. alioquī dure cohæreret quod sequitur: Sed quæ gentes immolāt &c. Proinde nos nō ueriti sumus additis aliquot uerbis orationē reddere lucidiorem. Ad hūc modum distinguunt & Latinorum uetusta exemplaria.

Sed quæ immolant gentes.) ἀλλ' ὅτι ἃ θύε, id est, Sed quod ea quæ immolant: ut intel-

ligas

ligas,sed hoc dico,quæ gentes immolant,ea immolari dæmonibus,non deo.

Nolo aũt uos socios fieri.) κοινωνοὺς,id est,Participes siue cõmunicatores,aut cõsortes.

An æmulamur dominum?) παραζηλοῦμεν, id est, Prouocamus & iritamus: quod superius uertit,Ad æmulandum prouoco.Et ad eum modum interpretãtur Græcorum scholia,nominatim Theophylactus, πρόζομεν ἢ παρακινῦμεν, id est, Tentamus & iritamus: nam ζηλοῦμεν & in bonam partem dicitur,παραζηλοῦμεν ferè non nisi in malam. *Aemulari, p prouocare.*

Sed quæ alterius.) ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου ἕκαστον, id est, Sed quisq; quod alterius.

Omne quod in macello uenit.) Venit,hoc loco significat uenundatur, πωλεῖται, & in macello legendum,non in macellũ.Indicat hoc & diuus Augustinus aduersus Adamãtium,Interrogare, inquit, uetat,cũ quid de macello emitur.Atq; huiusmodi amphibologiam tollere poterat accentus circũflexus notatus supra uerbum uenit. *Venit,pro uẽditur.*

Nihil interrogãtes.) μηδὲν ἀνακρίνοντες,id est,Nihil dijudicãtes,quod idẽ uerbũ est pauloinferius.Ambrosius legit,Nihil disquirẽtes.Est aũt participiũ eius quod superius uertit,interrogant. Et plenitudo eius.) Eius,ad terrã referẽ,nõ ad dñm αὐτοῦ,hoc est,quicquid diues gignit terra,id omne domini est. *Plenitudo eiꝰ scilicet terræ.*

Hoc immolatũ est idolis.) Vetusti codices habẽt,hoc ĩmolaticiũ est idolis.Atq; ita legimus apud Ambrosiũ.Est aũt Græcis eadẽ dictio,quã interpres toties reliqt, εἰδωλόθυτον.

Qui iudicauit.) τὸ μηνύσαντα, id est,Indicauit,per n,non per u. Id tametsi minutulum est,tamen quoniam facillimus in huiusmodi lapsus est, admonendum duxi. Nam μηνύω Græcis est prodere rem prius occultam:licet apud Ambrosium hæc particula non addatur,propter eum qui indicauit,haud scio an librariorum incuria.

Conscientiam dico non &c.) Ante hũc locũ repetit in Græcis codicibus,Dñi enim est terra & plenitudo eius,quod paulo superius positũ est:sed utrobiq;,pbe quadrat. Illic nõ refert quibus uescamur,omnia enim sunt dñi.Et hic non est cur fratrẽ offendas, uescens idolis immolato,cũ tantã ciborũ copiam diues mũdus suppeditet.Cæterũ hoc posteriore loco uidet inferri sub alterius persona,uelut obijcientis Paulo,quod ipse mox dixerat: Quã mihi narras cõscientiã,cũ ut ipse fateris,dñi sit terra & plenitudo eius? Idcirco subijcit ac distinguit conscientiã:Cõscientia,inquit,tua dicit,dñi est terra & plenitudo eius, at non idem dicit alterius conscientia,quæ putat aliquid simulacris esse propriũ,neq; cõmune deo.Neq; magnopere facit ad rem quod hic argutatur de ἑαυτῷ,deq; illũ & conscientiam Laurentius.Cũ enim ait,& propter cõscientiam,exponit quid ante dixerat illũ, alio qui qui audierat sibi dictum ne ederet propter illum qui indicauit, rogare poterat, quid hoc ad illum? Respondet Paulus,ob illius conscientiam quam tuo facto uulneras,etiamsi tua firma sanaq; est.Deinde quod dicit tuam,suo more personam fingit: quandoquidem nõnunq; in se recipit personam alterius,quo rem magis exponat oculis. *Persona alia.*

Ab aliena cõscientia.) ὑπ' ἄλλης συνειδήσεως, id est,Ab alia cõscientia.Atq; ita legit Ambrosius,itaq; scriptũ uisitur in uetustissimis exẽplaribus,nominatim utroq; Constantiẽsi. Quanq; id quidẽ ad sensum haud magni refert. *Aliena,pro alia.*

Cũ gratia participo.) Ambrosius legit, gratiæ particeps sum:uerũ nõ reperio μετέχω datiuo iunctum,nisi referatur ad sociũ cõmunionis,non ad rem cuius particeps es.Vnde magis probo cũ gratia,id est,cũ gratiarũ actione.Potest & hunc in modũ accipi,ut χάριτι sonet hic beneficentiã,sitq; datiuus instrumenti.Si ego particeps sum escarum,idq; nõ per idolũ,sed beneficio munificentiaq; dei,quid est cur male audiam? In hũc sensum interpretatur Theophylactus , gratiã dei uocans animi fortitudinẽ cõtemnentis idolum. *Duplex sensus.*

Pro eo quod gratias ago.) ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ, id est,Pro eo,p quo ego gratias ago. Opponit autem hæc inter se ueluti contraria, βλασφημῶ & εὐχαριστῶ.

Vel aliud quid.) εἴτέ τι, id est,Siue quid.Aliud,additũ est explicandæ rei gratia. Atq; ita legit Ambrosius,Siue aliquid facitis,quemadmodũ habetur apud Græcos.

Sine offensione sitis.) Græce iucundius est, ἀπρόσκοποι, id est, Tales, ut nemo per uos offendatur.

Iudæis & gentibus.) Pro gentibus est Ἕλλησι, id est, Græcis.Iteratur autem ad singula coniunctio καὶ, proinde nos uertimus per neq;.

Non quærens quod mihi utile est.) Simplicius & uerius erat,Nõ quærens meã ipsius

utilitatem,ſed multorum, μὴ ζητῶμ τὸ ἐμαυτῦ συμφέρομ,ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶμ.

EX CAPITE VNDECIMO.

IMitatores mei eſtote ſicut &c.) De hoc loco ſuperius admonuimus huius epiſtolæ cap.iiij. Vox eſt autem digna ijs,qui locum apoſtolorum ſibi uindi cant.Se Paulus proponit exemplar,ſibi conſcius,ſe nihil habere quod nō ſit imitandum:& tamen hoc exēplar non uult imitabile uideri cuiq̄,niſi reſpon deat ad archetypum Chriſti.Nunc quidā ſuo arbitratu uiuentes, nihil enim dicam aliud,ſatis eſſe putant,ſi minis denuncient quicquid ab alijs fieri collibuerit,ſiue re ctum id fuerit,ſiue ſecus.Sunt alij ſupſtitioſi magis q̄ religioſi,qui ad ſuū quiſq; inſtitutū uocant homines.Franciſcani dicunt,imitatores noſtri eſtote.E diuerſo Prædicatores cla mant, imitatores noſtri eſtote. Totidem uerbis, hinc clamant Carmelitæ,hinc Benedi ctini,hinc alij atq; alij. Et recte clamāt,modo uere poſſint addere cum Paulo,ſicut & nos ſumus Ieſu Chriſti. Nunc ipſi, de multis loquor,hominum æmulatores,tamen clamant, imitatores noſtri eſtote.

Chriſtus exē/plar archety/pum.

Per omnia mei memores eſtis.) ὅτι πάντα μου μέμνησθε, id eſt,Quod omnia mea memi niſtis.Et in hunc ſenſum accipit Ambroſius:legit enim,quod omnia mea memoria retine tis.Et conſentiunt Græcanica ſcholia,nominatim Theophylactus. Præparat enim illos laude ad ſequentem admonitionem:quaſi diceret,Sicut in cæteris tenetis mea præcepta, ita in hoc quoq; ſequamini.Hæc interpretatio mihi ſanè magis arridet q̄ Ambroſij.Scri bit enim hunc in modū:Poſtq̄ mores & conuerſationem illorum arguit,nūc traditiones uult corrigere.Ideo non hoc confirmat,ſed ſuccenſet eis,quia quum eſſet apoſtolus eorū, immemores erant traditionum eius,neq; quod adhuc nō didicerant,ex aliarum eccleſia rum traditione ſequebant̄,ac per hoc quaſi nouiter tradit illis dicens. Fortaſſis interpres legit, πάντῃ, hoc eſt in omnibus,aut πάντα accepit per ſynecdochen, ἢ πάντα. Codex uetuſtior Conſtantienſis habebat,omnia mei memores eſtis, omiſſa præpoſitione, quæ nec apud Græcos eſt.

Omnia mea.

Et ſicut tradidi uobis præcepta mea.) Hic apparet uariam fuiſſe in Græcis codicibus lectionem.Nam Ambroſius legit ad hunc modū, Et quomodo ubiq; trado traditiones meas tenetis:id quod ex interpretatione quoq; licet colligere. Interpretatur enim ubiq;, id eſt,in omnibus eccleſijs. Atqui παντα χοῦ quod apparet legiſſe Ambroſium,non repe rimus in Græcorum codicibus,nec uſq; illius meminerunt interpretes,quos ego ſanè ui derim.Mollior erat futurus ſermo,ſi priore loco poſuiſſet μοὺ,poſteriore δέ. Laudo qui dem uos quod in cæteris omnia mea tenetis.Cæterum illud eſtis admonendi,quod parū uidemini meminiſſe.Seu prius illud δέ,tantū notat digreſſionem à cœpto ſermone de ido lothytis,poſterius uim habet aduerſatiuam,quaſi præceſſiſſet μοὺ.In uetuſtiſſimo codice pro tenetis erat tenete.Nam Græca uox anceps eſt, κατέχετε. Nec eſt præcepta Græce, ſed modeſtius uerbum & Paulo dignius παραδόσεις, id eſt, traditiones,quæ nos inſtituta poſſumus dicere,Leuius eſt enim traditio q̄ præceptum.

Velato capite.) Græce eſt,κατὰ κεφαλῆς ἔχωμ, id eſt,In capite habens:ut intelligas nō ſolum de pileo,uerumetiam de coma,quæ & ipſa caput tegit:atq; id annotant Græcani ca ſcholia,nominatim Theophylactus.

Deturpat caput ſuum.) καταισχύνει, id eſt,Dedecorat,ſiue pudefacit,aut dehoneſtat.

Vnum eſt enim.) ἓν γάρ ἐστι κατὰ τὸ αὐτό, id eſt, Vnum eſt & idem,hoc eſt,nihil omnino refert.Aliquanto diuerſius legit Ambroſius,uerum hoc nihil habet momenti ad ſenſum.

Ac ſi decaluetur.) τῇ ἐξυρημμένῃ, id eſt,Cum deraſa ſiue raſa,hoc eſt, perinde eſt ac ſi ra ſa ſit.Ambroſius legit. Vnum eſt enim atq; idipſum ut decaluata.Fortaſſis interpres af fectauit hoc uerbum decaluare uelut odioſius,& ſcommatis obnoxium eſt caluicium.

Tondeat̄.) κειράσθω, id eſt,Etiā tondeat̄.In exēplari Paulino ac Donatianico ſcriptū erat,Si nō uelatur mulier,& tondeat̄.Cōſentiebat utrūq; Cōſtantiēſe,Nec em̄ eſt ocioſa cōiunctio,quæ perinde ualet ac ſi dicas,eadē opera tondeat̄, quādoquidē retegit caput.

Aut decaluari.) ἢ ξυρᾶσθαι,id eſt,Radi:de quo modo meminimus.

Velet caput ſuū.) καταλυπτέσθω, id eſt, Veletur:nec aliud quicq̄ additur apud Græ cos.Ambroſius legit,uelet caput.

Velamen

Velamen habere.) ἐξουσίαν ἔχειν, id est, Potestatē habere. Porrò Ambrosius & Græca scholia indicant potestatem hoc loco accipi pro uelamine, quod uelamen impositum cogat illam demittere oculos, significetq; illam esse sub alterius imperio. Laurentius indicat in nōnullis etiam Latinis codicibus scriptū fuisse potestatem, pro uelamine. Id quod admonuit & Thomas Aquinas: & nos in Paulino exemplari ita scriptum comperimus, suffragante utroq; Constantiensi. *Potestas, pro uelamine.*

Vosipsi iudicate.) ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε, id est, Inter uosipsos, uel in uobis ipsis iudicate, hoc est, In suo quisq; animo.

Nec ipsa natura docet.) ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς; id est, An ne ipsa quidem natura docet uos? Quanq; Latinis nec, aliquoties pro ne quidem, usurpatur. Interpres nō uidetur legisse ἢ, quod hodie uidemus additum in Græcis codicibus.

Comam nutriat.) κομᾷ, id est, Comatus est. Coma, capilliciū, sed promissius, & curatū. *κομᾶν.*

Capilli.) ἡ κόμη, id est, Coma. Cur quod modo uertit comam, nūc mutauit in capillos?

Nec ecclesia dei.) Ecclesiæ, multitudinis numero αἱ ἐκκλησίαι, suffragante codice Latino quem modo citauimus. Sunt & mundi conuenticula, plena litium ac iurgiorum. Porrò cœtus Christianorum ab huiusmodi uitijs debent abesse.

Hoc autem præcipio non laudans.) τοῦτο δὲ παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ, id est, Hoc autē præcipiens siue denuncians non laudo. Laudarat ante, quod omnia tenerent, nunc non laudat in hoc, quod cogitur præcipere de concordia: quasi dicat, hoc non laudo, quod præcipio. Oportebat enim uos uestra sponte, quod rectum est tenere ac facere. In hanc sententiam Theophylactus, & ante hunc Chrysostomus in homilia quam nobis uertit Hieronymus Donatus. Abutūtur enim Græci participijs pro uerbis infinitis. Interpres & Ambrosius legisse uidentur, τοῦτο δὲ παραγγέλλω οὐκ ἐπαινῶν. Potest & hic accipi sensus, Ante collaudati sunt, quod meminissent, ac tenerent omnia quæ Paulus ordinarat, hic reprehēduntur, quod non seruarent omnia, quæ tenebant memoria.

Scissuras.) σχίσματα. Quod alibi relinquere solet: hic magis quadrabat sectiones siue dissidia. Cæterum Inter uos non additur in uetustis codicibus Latinis quum sit apud Græcos, ἐν ὑμῖν. *Scißura, schisma.*

Ex parte.) μέρος τι, id est, Ex parte aliqua, siue partem aliquam. Et αἱρέσεις reliquit, cum sectas commode potuerit dicere. Diuus Chrysostomus in homilia quam unam uertit Hieronymus Donatus, magna contentione multisq; uerbis asseuerat hic hæreses non esse opinionum, sed animorum dissidia, idq; probat duobus potissimum argumentis, alterum est, quod nisi accipias hæreses pro dissidijs, non congruent quæ mox sequuntur. Conuenientibus ergo uobis in unum, non est dominicam cœnam manducare, & cætera. Cœnam autem dominicam uocat, in qua sunt, uelut inter eiusdē domini conseruos oīa cōmunia, quod apud Corinthios fieri desierat: & hinc sermonem orsus fuerat, Primum quidem cōuenientibus uobis in ecclesiam, Vbi schismatum meminit, quæ nunc mutato uocabulo uocat hæreses: Alterum est, quod dicit Paulum acrius quàm hic facit inuehi solere in opinionum hæreticarum autores, quos & canes appellat & operarios malos, negans uel angelum de cœlo loquētem audiendum, si diuersa doceat ab ijs quæ Paulus docuerat. Iam q̄uis uerum est & per opinionum hæreses illustrari qui sunt probati, tamen hoc loco Paulus non agit proprie de talibus, quales docuisset in ecclesiā non esse recipiendos. Vt qui probati sunt.) ἵνα οἱ δόκιμοι, id est, probi, ut opponatur reprobis, & constructio ἵνα non causam significat sed euentum, quod diligenter annotauit Chrysostomus.

Ad manducādum.) ἐν τῷ φαγεῖν, id est, In edendo, atq; ita legit diuus Ambrosius. Nec est ociosa uerbi coniunctio πρό in προλαμβάνει, quod nos uertimus occupat. Præsumit eīm aliud sonat latinis auribus. Præueniebant enim alios, & illis non expectatis, suam quisq; cœnam edebat: & ob id mox subijcit, Inuicem expectate.

Nunquid domos nō habetis.) Num domos non habetis? uel, an non habetis domos? *Confundi pudefieri.*

Et confunditis.) καταισχύνετε, id est, Pudefacitis. Quanquàm Hieronymus in epistola ad Ephesios, putat nihil interesse inter αἰσχύνω & σύγχυσιν, licet apud idoneos autores secus esse comperiatur. Turbatur quidem & qui uehementer pudescit, hoc est, animo cōfunditur, at non quisquis confunditur, pudefit.

Laudo

Laudo uos &c.) ἐπαινέσω ὑμᾶς ἐν τούτῳ; οὐκ ἐπαινῶ, id est, Laudo uos in hoc? non laudo. Ad hunc modum distinguunt Græcanici codices. Poterat enim simpliciter dicere, in isto uos non laudo, sed interrogatio præmissa facit ardentiorem orationem. Quanquã ui deo Theophylactum sic interpretari, ut hæc particula laudo uos, non percontatiue, sed pronunciatiue sonetur. Ne nimium irritaret diuites, in cæteris quidem collaudaturum se dicit illorum officium, in hoc negat se posse laudare. Sed & altera distinctio belle habet, laudabo uos? in hoc non laudo, ut ad interrogationem subaudiatur, laudo in cæteris.

Distinctio.

Quoniam dominus noster Iesus Christus.) Noster apud Græcos non additur. Latini codices uariant.

Et gratias agens.) καὶ εὐχαριστήσας, id est, Actis gratijs, uel cum egisset gratias.

Accipite & manducate.) λάβετε, φάγετε, id est, Sumite, edite, citra cõiunctionem interpositam. Cæterum quod hæc duo uerba, Sumite, edite, non adduntur apud Ambrosium in æditione posteriore, suspicor librariorum errore commissum. Quanq; in uetustiore Constantiensi addebantur hæc uerba, sed in margine manu recentiore fuerãt adiecta.

Hoc est corpus meum.) τοῦτό μού σῶμα, id est, Hoc meum corpus, absq; uerbo substantiuo est. Quanq; in quibusdam additũ reperio. Fatetur Thomas fuisse, qui dicerẽt Christum alijs uerbis consecrasse panẽ, prius quàm porrigens discipulis diceret, hoc est corpus meum. Et eam opinionem licet refellat, non tamen uocat hæreticam, cum hæreticam dicat eorum, qui contendebant corpus Christi non esse uere in sacramento synaxeos, sed uelut in signo. In omnibus accedendũ est iudicio ecclesiæ, licet hic sermo uideatur iam panem consecratum porrigentis. Quod nisi quis acquiescat in ecclesiæ decretis, difficillimum fuerit probare sensui humano, quibus uerbis consecret sacerdos. Nam ut donemus Christũ eiusmodi uerbis consecrasse, qui constat hoc pactum nobiscum initũ ut referẽtes aliena uerba, cõsecremus & ipsi? Verũ hic captiuãdus est, ut inquit Paulus, intellectus humanus in obsequiũ fidei, ut hoc maius sit fidei meritũ, quo minus assequit̃ humana ratio.

Quibus uerbis consecrarit Christus.

Quod pro uobis tradetur.) τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, id est, Quod pro uobis frangitur. Atq; in hoc tãtus est Græcorum codicum cõsensus, ut appareat apud nos deprauationẽ ortam, aut certe data opera mutatam scripturam, quod absurdum uideretur frangi corpus, non quod uere frangatur, sed quod, ut ait diuus Augustinus, per partes sumat̃, quod olim eodem pane sacro in multas parteis dissecto distribueretur omnibus Christi corpus.

Frãgitur pro tradetur.

Quemadmodum autem Christus comesus à singulis uiuit, nec dentibus discerpitur, ita hoc quo dixi modo fractus, non laceratur in partes. Certe diuus Ambrosius legit, frangitur, Græcis consentiens, nihil offensus ea lectione, Nec aliter citat Beda enarrans Euãgelium Lucæ. Porrò si quid offendit, quod prius dictus sit fregisse panem, & mox adiecisse, quod frangitur, opinor, aut primum cœpisse frangere panẽ fortassis in duas aut tres partes, deinde ut cuiq; impartiebat, à maioribus fragmentis minora defregisse: aut frangitur sine certa ratione temporis esse positum, ueluti fieri dicitur, quod quoties solet, aut opus est fieri fit, etiamsi iam non fiat, & solui quod solui debet, etiamsi sæpe non soluatur. Cæterum hic frangi nihil aliud esse, quàm dispartiri, subindicat & interpres Theophylactus, Corpus, inquiens, suum, quod omnibus æque dispartiens morti destinasset. Ipse uero in cibo sumendo tempore anticipato, neq; cõmunem hunc & cibarium panem in medium exponis, neq; eundem frangis, ut multis detur, sed tibi ipsi reseruas. Nec dubium est, quin idem legerit Chrysostomus quod Theophylactus, quod ex ipsa perspicuum est enarratione, quocunq; consilio Hieronymus Donatus latine reddidit, quod nostra uulgaris habet lectio. Postremo non satis constat ex ueterum cõmentarijs, an hic Paulus tractet de sacerdotali consecratione corporis & sanguinis dominici. Siquidem apostoli sermo cœpit à conuiuijs idololatrarũ, & Christianorum, posteaquàm autem ostenderat non cõuenire, ut Christiani se misceant religiosis uel superstitiosis potius gentiũ cõuiuijs, progressus ostendit, qualia debeant esse uere religiosa Christianorũ cõuiuia, quãta cõcordia, quãtaq; cõmunione rerũ omniũ sint peragẽda. Totus aũt apostoli sermo uidet̃ in hoc uersari, ut reprehẽdat inæqualitatẽ cõuiuij, reuocetq; illos ad archetypũ exẽplũ Christi & apostolorũ. Nam in primordio suboleſcẽtis ecclesiæ erãt oĩa cõmunia, ab hac sũma charitate paulatim refrixerunt animi Græcorũ, seruato tñ aliquo pristinæ cõmunionis uestigio, dũ certis

Quõ frangi dicatur corpus Christi.

certis diebus,præcipue festis ut est ,pbabile,cõueniũt simul,& ad conuiuiũ à diuitibus apparatũ adhibent & pauperes. Tandem id quoq; corruptũ est à quibusdã,& cõuentus q/dem fiebant,sed exclusis pauperibus,quisq; cum suis epulabatur,etiam usq; ad temulen/tiam,ita ut non solum pauperes non reficerentur,uerum illis etiam exprobraretur condi/tionis humilitas. Eoq; Paulus ut exponunt Chrysostomus ac Theophylactus,inijcit mentionem cœnæ dominicæ,ut illius sacratissimi conuiuij recordatione reuocarentur ad so/brietatem ac fraternam cõmunionem,quam dominus inter suos exhibuit proprij corpo/ris distributione. Neq; enim semper dominus consecrauit corpus suum quoties legit gratijs actis fregisse panem. Siquidem benedixit ac fregit conuiuium exhibens multis homi/num milibus. Et in Emaunte,benedicit,frangit,ac porrigit panem. Rursum quoties in sacris libris fit mẽtio fracti panis, nõ statim accipiendũ est inter discipulos fuisse consecratũ corpus & sanguinem domini,quemadmodum in actis cap. secundo bis fit mentio fractionis panis quæ peragebatur quotidie per singulas domos. Item Paulus act. xxvij. in nauigatione benedicit ac frangit panem,inuitans alios ad sumẽdum cibum,& ut est uerisimile,panem fractum porrigens. In his igitur solennibus Christianorũ conuiuijs, erat aliqua cœnæ dominicæ cõmemoratio,quum tamen non consecraretur corpus & sanguis domini. Quin & hodie multis in locis, peracto sacro datur singulis frustulum panis,in signum corporis dominici,ut illius mysterij memores domi frugales agant conuiuium,haud quaquam immemores pauperum. Fortasse talia fuerunt Corinthiorum conuiuia,quæ Paulus indecenter agi stomachatur. Et haud scio an panem illum & calicem,quem inter sese conferebant Christiani,cum gratiarum actione,ac significatione mutuæ inter ipsos charitatis,nõnunq; appellarint,corpus & calicẽ domini. Certe Chrysostomus ac Theophylactus cœnam dominicam interpretantur,non quod ibi consecraretur corpus & sanguis domini,sed quod esset eduliorum potusq; cõmunio. Quanq; in fine non nihil attingunt de indigna corporis & sanguinis sumptione,sed obscurius. Mihi quidem magis placet,ut hic locus pertineat etiam ad cõsecrationem, attamen admonere lectorem uisum est,quo diligentius excutiat. Cæterum frangendi uerbum haud male cõgruit corpori dominico, frangitur panis triticeus,ut multis uitam conferat: frangi dicitur & corpus domini,quod uitam ex æquo cõferat omnibus digne sumentibus. Idem panis inter multos distributus concordiæ symbolum est: idem corpus pro omnibus immolatum,amicitiæ signum est.

In meam cõmemorationem.) εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, id est,In mei memoriam, aut in mei cõmemorationem,ut legit Ambrosius. Quanq; Græca uox parum cõmode reddi potest,nisi circũloquaris,Ad renouandam mei memoriam.

Similiter & calicem.) Ambrosius poculum legit,propius Græcam exprimens uocem, ποτήριον, à potando dictam,quẽadmodum poculum apud nos. Nam calix poculi genus est. Poculum est unde bibitur,siue cyathus sit,siue calix,siue urceus.

Annunciabitis.) καταγγέλλετε, id est,Annunciate,siue annũciatis. Tametsi in hisce uerbis uideo apostolos abuti tempore,ut in his quæ mox præcesserunt, Quoties bibetis, πίνητε. Ambrosius legit annunciantes,aliquot uerbis in medio relictis,incuria sicut arbitror librariorũ. Sic enim apud illũ legimus, Hoc facite quotiescũq; bibetis in mei cõmemorationem,mortẽ domini annũciantes donec ueniat. Nõ contendam cum eo qui mallet annunciatis indicandi modo,tamen arbitror utrãq; lectionem cõsistere: & qui legit annunciabitis,uidetur imperandi sensu loqui.

Panem &c. τὸν ἄρτον τοῦτον, id est,Panem hunc. Hic palàm corpus consecratum panẽ uocat,non quod adhuc sit panis eo modo quo fuit,sed quod sit panis uiuus & uitã conferens ueram. *Panis dicitur & post consecrationem.* De pane illo edat.) Illo,hoc loco non additur apud Græcos,sed interpres explicuit uim articuli, quod & aliâs sæpenumero facit. Ambrosius legit, De pane edat.

Indigne.) ἀναξίως τοῦ κυρίου, id est,Indigne domino. Ad eum modum legit & Chrysostomus,utroq; loco addens domini nomẽ. Ambrosius item repetit domini nomen: Itaq; quicunq; ederit panem hunc aut biberit calicem domini indigne domino, licet proximo loco non apponat domino: Qui enim manducat & bibit indigne,iudicium sibi ipsi manducat. Quanq; in nõnullis Græcorum codicibus legitur, τοῦ κυρίου ἀναξίως, ut κυρίου utróli/bet possit referri,Panem domini, aut panem indigne domino.

Quod

Quod si.) εἰ γὰρ, id est, Si enim, non εἰ δέ.

Vt non cum hoc mundo.) Cum mundo sat erat, σὺν τῷ κόσμῳ. Nec hic potuit seruari non ingrata uocum allusio, κρινόμενοι & κατακριθῶμεν.

Vt non in iudicium conueniatis.) εἰς κρῖμα. Clarius erat Ad condemnationē. ne quis accipiat eos iudices adire.

EX CAPITE DVODECIMO.

Spūalia quæ uoce sonātur.

DE spiritualibus autem. περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν. Incertum an sentiat de donis spiritus, ut interpretantur diuus Chrysostomus, Theophylactus & Ambrosius, an de psallendo spiritu, de quo uidetur nata fuisse quæstio.

Cum gentes essetis.) Græci paulo diuersius habent, ὅτι ἔθνη ἦτε πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα, ὡς ἂν ἤγεσθε ἀπαγόμενοι, Quod gentes fuistis, ad simulacra utcunq; ducebamini, abeuntes siue abducti, aut, quod malim, sequentes. Nam si ὅτι legas, sermo penderet, nisi placet participium uerbi loco positum esse, ἀπαγόμενοι, pro ἀπήγεσθε. Neq; enim participium ἀπαγόμενοι simpliciter adhæret nomini ἔθνη. Porrò periphrasin interpretis non improbo. Ambrosius legit, Cum gentes eratis, simulacrorum forma euntes, pro ut ducebamini. Quanq; hic puto superesse coniunctionem, cum, id quod propemodum liquet ex illius interpretatione, cuius uerba subscribam, si quis forte requiret: Spiritualia, inquit, illis traditurus, exemplum prioris conuersationis memorat, ut sicut simulacrorum fuerunt forma colentes idola, & ducebantur duce uoluntate dæmoniorū, ita & colentes deum, sint forma legis dominicæ. Hactenus ille. Reuocat enim illis in memoriam, quod aliquādo fuerint gentes, id cum iam esse desierint, admonet alijs moribus esse uiuendum. Augustinus libro aduersus Faustum xxi. cap. viij. locum hunc ita refert: Scitis quando gentes eratis, ad simulacra sine uoce, quomodo ascendebatis inducti. Satis liquet hunc interpretem legisse pro ὅτι ὅτε. Et haud scio an pro ascendebatis scriptū fuerit incedebatis. Porrò quoniā uertit inducti, legisse uidetur ἐπαγόμενοι pro ἀπαγόμενοι.

Sermo obscurior.

Dicere Iesum anathema aut dominum.

Dicit anathema Iesu.) λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν, id est, Dicit anathema Iesum, accusandi casu, id est, Dicit Iesum esse anathema, hoc est, maledicit & execratur Iesum. Probabile est autē ita legisse & Ambrosium, uel hoc argumento, quod proxima pars adhuc casu mansit incorrupta. Nemo potest dicere dominum Iesum. Certe ita refert Hilarius lib. de trin. viij. iuxta fidem uetustissimi codicis.

Et nemo potest dicere dominus.) Hieronymus in Iohelem legit dominum Iesum, atq; item Hilarius libro de trinitate secundo. Rursum Ambrosius libro de uocatione gentium secundo, capite secundo. Rursum in commentarijs hunc ipsum enarrans locum sic adducit. Item libro de spiritu sancto, primo, capite decimo. Itidem Origenes in Genesim homilia decimaseptima, quemadmodum hodie legitur in omnibus Græcorum codicibus, δύναται εἰπεῖν κύριον Ἰησοῦν, ut opponatur ei quod supra dixit, Dicit anathema Iesum, hoc est uocat illum anathema. Neq; rursus quisq; eum dominum uocat, nisi &c. Sic enim ueteres loquebantur, Anathema sit, quoties uitandū hominē significarent. Ex hoc capite & proximo licet conijcere, quæ fuerint dotes illius ueteris ecclesiæ Christianæ priusquàm tot ceremonijs, opibus, imperijs, copijs, bellis, alijsq; id genus esset onerata. Nunc ferè tot præclara munia, ad unam potestatem redacta sunt, hoc est, Christi titulo palliatam tyrannidem. Quid enim est aliud potestas, nisi adsit animus apostolicus?

Dotes ueteris ecclesiæ.

Gratiæ, pro donis.

Diuisiones gratiarum.) χαρισμάτων, id est, Donorum: sic uertit Hieronymus in epistolis: & alijs item locis. Augustinus in libello de præscientia dei ad Dardanum, legit Diuisiones donationum. Sed χάρισμα est donum gratuitum, nam à gratia nomen habet.

Operatio ἐνέργεια.

Diuisiones operationum.) ἐνεργημάτων. Quod non significat simpliciter operationem, sed uim quandam & efficaciam, qua deus agit in nobis. Sequitur enim mox, ἐνεργῶν τὰ πάντα, & paulo post ἐνεργεῖ, quod uertit, operatur. Quanquàm ut dixi, aliud quiddam sonat Græcis, Et agit magis quàm operatur.

Ad utilitatem.) πρὸς τὸ συμφέρον, id est, Ad id quod expedit: ita uertit Hieronymus in quæstionibus ad Hebidiam, ac rursum in secundo libro aduersus Iouinianum. Magis autem sonat ad uerbum, Ad id quod confert: etiamsi recte uertit interpres.

Gratia sanitatum.) χαρίσματα ἰαμάτων, id est, Dona sanationum.

In uno

In uno ſpíritu.) ἐν ἑνὶ αὐτῷ πνεύματι, id eſt,In eodem ſpũ,ſeu potius per eundẽ ſpiritũ.

Operatio uirtutũ.) ἐνεργήματα, id eſt,Operationes,& magis,ut dictum eſt, efficaciæ.

Diſcretio ſpírituum.) διακρίσεις,Diſcretiones.Interpres legit διάκρισις, tametſi ad ſenſum nihil refert.

Alĩ interpretatio ſermonum.) γλωσσῶν. Quam uocem modo uerterat línguas, nunc uertit ſermones. Nam Græci repetũt utrobiq; uocem eam γλωσσῶν. Alĩ genera línguarum,alĩ interpretatio línguarum.Ita citat hunc locum Auguſtinus aduerſus Fauſtũ lib. xíj.capite víij.ex uetuſti codicis fide manu deſcripti.Sic certe legiſſe Theophylactum ex ipſius líquet interpretatione,cum ait,Nam doctrinæ gratia longe eſt excellentior,& ſimplex uarijs línguis loquendi donum,plurimum antecedit línguarum interpretatío. Quã quàm aliquãto poſt,repetens ordine dotes ſpũs,extremo loco recenſet genera línguarũ & interpretatiões ſermonũ.Licet hæc poſterior particula tãtũ apud Latinos illic addat.

Omnia autem hæc operatur.) ἐνεργεῖ. Magis efficit quàm operatur. Et efficit per occultam uim in nobis.Diuus Hilarius uelut conans exprimere Græcam uocẽ, aliquoties uertit inoperatur,nominatim lib.de trinitate octauo.

Vnus & idem.) τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτό. Articulus additus facit,ut de certo ſpíritu intelligamus.Proinde nos uertimus, Vnus ille atq; idem ſpíritus.

Diuidens ſingulis.) διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ, id eſt,Diuidens priuatim ſiue peculiariter unicuiq;:quod Hieronymus in dialogo primo aduerſus Pelagium uertit,proprie ſiue ppria.

Diuidens ſingulis pro ut uult.) Sermo Græcus habet amphíbologiam διαιροῦν ἑκάστῳ, καθὼς βούλεται, diuidens cuiq; ut uult.Nam uerbum uult,referri poteſt ad ſpíritum diuidentem,& ad hominem cui diuiditur,ut ſi Latine dicas,impartiens cuiq; pro ut uult.Anceps enim eſt,utrum ſit,ut uult ipſe,an ut uult quiſq;. Atq; in hunc poſteriorem ſenſum alícubí torquet locum hunc Origenes enarrans epiſtolam ad Romanos, ínnuens in nobis ſitum,ut q̃plurimum gratiæ nobis impertiat deus.Quin & apud Græcos addit̃ uox ἰδίᾳ, quam interpres non reddidit.Eam ſis uis aduerbij uim habere,uertendum erat Diuidens peculiariter,ſiue priuatim.Sin malis nomen eſſe, transferendum erat, Diuidens propria cuiq;,ſiue ſua cuique. Atque ita quidem adducit Auguſtinus líbro de trínitate & unitate dei,capite víij.Diuidens propria unicuiq; pro ut uult.Totus autem hic ſermo Pauli,diſtributionibus, dictionum earundem iterationibus,idq; nunc in principío,nũc in medío,nunc in fine,membris,incíſis,comparibus,ſimiliter cadentibus ac deſinentibus periodiſq; floridus eſt. *Amphibolo gia.*

In uno ſpíritu potati ſumus.) Græce eſt,in unum ſpíritum potati ſumus:ſicut ſuperius uertit in unum corpus, εἰς ἓν σῶμα. Ad eundem modum legit Ambroſius, Græca ſecutus exemplaria.Cæterum aliquanto ſuperius miſcuit diuerſas præpoſitiones εἰς & ἐν,καὶ γὰρ ἐν ἑνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες, εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν, id eſt,Etenim in uno ſpíritu,ſiue Per unum ſpíritum,nos omnes in unum corpus baptizati ſumus.Quod ſi complexim legas,ſenſus erit:Nos omnes baptiſmo facti ſumus unum corpus,idq; per ſpíritum omnibus cõmuníter ímpertientem ſe.Sin diuiſim,ſubaudiendum erit uerbum ſubſtantiuum, ſumus.Etenim in uno ſpíritu ſumus nos omnes.At prior lectio míhi magis arridet. *In unum ſpíritum.*

Siue gentiles.) εἴτε ἕλληνες,id eſt,Græci,ut legit Ambroſius,de quo iã frequẽter admonuimus. Potati ſumus &c.)Eſt quidem Græce ἐποτίσθημεν, hoc eſt,Poti,ſiue potati ſumus,ſed ut potatus intelligat̃ is cui potus eſt datus.Sẽſum elegãter expreſſit Ambroſius, legens,& omnes unum ſpíritum potauímus.Itidem legit Auguſtínus. Siquidẽ ποτίζεσθαι Græcis dícitur,quod irrigatur:combíbitur autem quicquid eſt líquidũ.Proínde nos quo dílucidiores eſſemus uertimus,Eundẽ ſpíritũ hauſimus.In nõnullis exẽplaribus, pro Potati ſumus,deprauatum comperi,Vocati ſumus.Tanta eſt librariorum audacia. *Potati ſpiritu pro hauſimus ſpíritum.*

Nõ eſtis mihi neceſſarij.) χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω. Quod modo uerterat, opera ueſtra non índigeo.

Neceſſariora ſunt.) ἀναγκαῖα, id eſt,Neceſſaría per poſitíuum, non comparatiuum. nam comparatio redditur per magis.Certe iuxta Græcorum codices citat Auguſtinus ſermone líj.Et quæ ínhoneſta ſunt noſtra,magis neceſſaría ſunt.Rurſus aduerſus Fauſtũ lib.xxi.cap.víij. Itidem Ambroſius líbrí quem inſcripſit de Noë & arca capite octauo.

Quãq; μᾶλλον, p potius accipi potest, ut corrigat uerius q̃ cõparet, sitq; sensus, ea mẽbra quæ putãtur inhonesta necessitate cõmendari & usu. Nec enim apparet hoc sentire Paulum, membra pudenda quæ uocãtur, esse magis necessaria cæteris, sed satis esse, quod necessaria sint corpori, ad hoc ne putentur negligenda.

Et quæ putamus ignobiliora.) Non reddidit interpres festiuam uocũ allusionẽ ἀτιμό/πρα & τιμιὼν, id est, inhonoratiora, & honorẽ: pro ἀτιμόπρα Augustinus legit uiliora.

Et quæ inhonesta sunt nostri.) ἀχήμονα & εὐχημοσύνῃ, id est, immodesta siue indecora, & modestiam siue decus. Ambrosius legit, Et quæ inferiora sunt nobis, reuerentiã abundantiorem habent. Verum haud scio an locus mendo uacet.

Nullius egent.) οὐ χρείαν ἔχῃ, id est, Non habent opus, ut subaudias, eo honore addito.

Temperauit.) συνεκέρασε, id est, cõtemperauit, hoc est, simul moderatus est, & miscuit membra temperatura quadam, ut sibi mutuo sint auxilio.

Ei cui deerat.) τῷ ὑστεροῦντι, quod uertere solet deficit: sed hic sanè bene reddidit.

Vt non sit schisma in corpore.) Græcã uocẽ reliquit schisma, uertere poterat dissidiũ.

Sed in idipsum.) ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι τὰ μέλη, Sed idem mutuo curent membra: ut τὸ αὐτὸ parem indicet omnium membrorum sollicitudinem.

Gloriatur pro glorificatur, deprauatũ.

Siue gloriatur.) δοξάζεται, id est, glorificatur, hoc est, honore afficitur. Interpres uidet, gloriatur dixisse, pro gloria afficitur. Thomas Aquinas interpretatur gloriatur, uigorat, ut sentire possis eũ nõnihil offensum fuisse hoc loco. Certe glorificatur legit Ambrosius cum Græcis consentiens. Et in eum sensum interpretatur Theophylactus. Ad eundẽ modum legit Augustinus tractatu in epistolam Ioannis tertio, nec legit solum, uerumetiam de glorificatione interpretatur. Rursus aduersus Faustum libro xxi. capite octauo.

Membra de membro.) μέλη ἐκ μέρους, id est, membra ex parte. Hoc dicit, quod Corinthij non essent omnia membra corporis, sed aliqua pars membrorũ. Quanq; Ambrosius legisse uidetur ἐκ μέλους. Est autẽ facilis in hisce literis lapsus ob affinitatem uocum μέλους & μέρους: præsertim si accesserit aliquis labdacismus. Ad eundem modũ legit diuus Thomas, trifariam hũc enarrans locum. Cæterũ ille sensus minus est coactus, ut intelligamus membra de membro, hoc est, aliud membrũ ab alio pendere, mutua connexione. At superiorem lectionem sequitẽ Theophylactus, quem uersum Latine, falsissimo Athanasij titulo quidam ædiderant. Origenes homilia in Leuiticum vij. adducit hunc locum iuxta id quod in Græcorum legitur codicibus.

Faber Stapulensis.

Et quosdam quidem.) καὶ οὓς μὲν. Articulum postpositiuum Paulus aliquoties usurpat pro præpositiuo in distribuendo. Verum hic non habet quod respondeat, cuiusmodi multa sunt apud hũc apostolum. Nam quod Faber Stapulensis mutat quosdã, in suos, ut οὓς positum sit pro τοὺς, non est probabile, præsertim in oratione soluta, maxime cum nullum nomen adhæreat pronomini, alioqui dixisset τοὺς αὐτοῦ. Vitari poterat incõmodum anapodoti, si primam particulam huius diuisionis coniunctim legas, ad hunc modum, καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, πρῶτον ἀποστόλους, ut totum hoc unum efficiat ordinem, deinde succedat, δεύτερον προφήτας, ut quod cœperat dicere per οὓς, postea mutata uoce dicat per δεύτερον & ἔπειτα. Quod ita explanatius efferri poterat: Et alios quidẽ constituit primo loco, nempe apostolos: alios secũdo, nempe prophetas: alios tertio, nempe uirtutes, atq; item de cæteris.

οὓς pro τοὺς

Opitulationes.) ἀντιλήψεις, id est, Subuentiones, siue subsidia, quod alibi uertit, suscipere: est autem ἀντιλάβεσθαι conantem porrecta manu adiutare.

Additũ apud nos.

Interpretationes sermonũ.) Non legitur apud Græcos hoc loco totũ hoc, ac ne in uetustis quidem Latinorum codicibus, nominatim ijs quos nobis exhibuit collegiũ S. Donatiani Brugis, nec in duobus quos exhibuit hac æditione collegium ecclesiæ Constantiensis. Idem enim uidetur cum illo, γένη γλωσσῶν, id est, genera linguarum, quod modo recensuit. Opinor interpretationes sermonum adiectum ab interprete quopiam, aut, ut isti loquuntur, postillatore, quod postea traductum sit in contextum sermonis: præsertim cum ne mẽtio quidem huius particulæ apud ullũ Græcũ interpretem reperiatur. Quanq; ne quid dissimulem, Ambrosius legit quemadmodum nos uulgo legimus, nec legit solum, uerũetiam interpretatur. Deinde paulo post repetẽs hos gradus, hoc loco duos red-

Ambrosij lectio.

dit

dit,non unum.Nunquid omnes linguis loquuntur,nunquid omnes interpretantur, niſi forte hæc duo uelut inter ſe cognata unius loco poſuit:ut interim diſſimulem, quod ties iam ἰάματα uertit ſanitates,pro ſanatiões:nam ἴαμα apud Græcos nõ eſt niſi ſanatio. *Sanitas,pro ſanatione.*

Aemulamini autem chariſmata.) ζηλοῦτε τὰ κρείττονα χαρίσματα,id eſt,Aemulamini potiora dona,id eſt, ad ea nitamini dona ſpiritus quæ ſunt eximia. Non dixit μείζονα, id eſt,maiora,ſed κρείττονα, id eſt,potiora,quæ magis conducunt ad publicam utilitatẽ. *Chariſmata Græce dixit interpres oſcitans.* Hic chariſmata reliquit uocem Græcam.Diuus Hieronymus aduerſus Iouinianũ libro ſecundo uertit dona,malens Latine loqui quàm Græce.Nec eſt ocioſa coniunctio δέ, ſe parat enim charitatem à turba cæterorum donorum. Alia contingant aliis,cæterum uos ea ſectemini quæ ſunt potiora.

Excellentiorem uiam.) καθ' ὑπερβολὴν ὁδόν, id eſt, Excellentem uiam,ſiue eximiam & egregiam uiam.Ambroſius legiſſe uidetur ἔτι μᾶλλον, uertit enim,magis excellentiorem. Porrò ut noſter interpres uerterit per cõparatiuum, ἔτι, id eſt,inſuper,fuit in cauſa, quod aliquoties uim habeat comparatiui.

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

Actus ſum uelut æs ſonans.) Velut,redundat. γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, id eſt, Factus ſum æs reſonans,ſiue tinniens aut crepitans.Nec, uelut, aduerbium additur apud Græcos,uerum alius quiſpiam adiecit de ſuo. *Sonitus uocis inanis.*

Aut cymbalum tinniens.) ἀλαλάζον.Quod aliàs uertunt iubilare.Eſt aũt ἀλαλάζειν, proprie perpetuo ſonitu ſtrepere ac tinnire, ut exponunt etymologici Græci,ſono ſonum excipiente,quemadmodum fit in lebetibus Dodonæis. Qua de re copioſius dictum eſt in Chiliadibus noſtris.Non opinor hic refellendos mihi qui putant prædicatorem Euangelicum conferri cũ ære ſonante,quod is ſuo tinnitu proſit quidem aliis,cæterum ſeipſum cõſumat.Siquidem hic prophetas appellat prædicatores, cæterum qui lingua duntaxat loquuntur uelut inutiles per ſe,cymbalis tinnientibus comparat.Id magis ad eos pertinet qui uerba ſacra nõ intellecta canũt aut recitant in templis.

Et ſi nouerim myſteria omnia.) μυστήρια. Auguſtinus in libello de actis cum Emerito, legit ſacramenta,pro myſteria,ut ſcias illic ſacramentum interdũ dici,quod recõditũ eſt.

Diſtribuero in cibos pauperum.) Græcis una uox eſt, ψωμίσω. Et omneis facultates meas eſt τὰ πάντα μου, id eſt, Omnia mea.In nõnullis tamen legimus τὰ πάντα ὑπάρχοντά μου.

Ita ut ardeam.) Ita,redundat,Nec addebatur in duobus Cõſtantianis, ἵνα καυθήσωμαι, id eſt,ut comburar,ſiue ad comburendum.Diuus Hieronymus ſcribens in epiſtolam ad Galatas cap.quinto,dicit in Latinis codicibus haberi ita ut glorier,eamq; lectionem uocat errorem,ſed addit Græcorum etiam exemplaria eſſe diuerſa,Nec dubium eſt quin error natus ſit ex mutatione literæ, καυχήσωμαι pro καυθήσωμαι. Theophylactus nobiſcum & legit & interpretatur καυθήσωμαι, eaq; lectio mihi uidetur eſſe germana. Quã & Hiſpanienſis æditio habebat καυχήσωμαι.Rem magnam facit,qui facultates omnes impendit alendis pauperibus, at maiorem facit, qui corpus ſuũ tradit ignibus,quod feciſſe legitur Peregrinus.De gloria meminit nõnihil is cuius extant ſcholia in omnes epiſtolas Pauli Hieronymi titulo,quaſi legerit, ut glorier.

Charitas patiens eſt.) μακροθυμεῖ, id eſt,Longanimis eſt,ſiue leni animo eſt.Et ita legit Ambroſius.Quanquam in uulgaris codicibus pro longanima mutauerunt magnanima.Etiamſi apud Cyprianum aliquoties magnanima uocetur charitas ex hoc Pauli loco,quod μακρὸν, ut longũ ita & magnum ſit. Mihi nec longanimis nec magnanimus ſatis exprimere uidetur Græcæ dictiõis uim.Neq; enim Latini ſic dicimus longum animũ, ut dicimus magnum animum:quin pro longo lenem uocamus,hoc eſt, non præcipitem ad iram, aut uindictam.

Benigna eſt.) χρηστεύεται,pro quo Ambroſius legit,iucunda eſt.Significat autẽ comitatẽ, ac ſuauitatem morum,quæ opponitur aſperitati ac difficultati ſeu moroſitati. Vera pietas neſcit ſupercilium,ſimulata ſanctitas aſperitate morum grauis eſt.Benignitas Latinis plerũq; ad beneficentiam pertinet.Sic enim à bono dicit benignus,ut à malo malignus. *Excuſſa Thomæ opinio.* Thomas Aquinas nouam adducit etymologiam:Benignitas,inquiens,dicitur quaſi bo-

na igneitas,quod quemadmodum ignis facit effluere,ita & charitas.Atq; id docet testimonio Solomonis prouerbiorum,cap.v.Deriuentur fontes tui foras. Vir indignus qui ex tam indoctis autoribus huiusmodi nænias sacris commentarijs admisceret.Nam satis apparet huic si quid ad uocum enarrationem aut sacrorum uoluminum testimonia pertinet,ferè non ex ipsis fontibus,sed ex alienis collectaneis & indicibus petitum esse.

Agere perperam. πρπερεύεται.

Non agit perperã.) πρπερεύεται. Repetit̃ hoc loco apud Græcos charitas.Ac Græca quidem scholia hanc uocem uarijs modis interpretantur. Quidã πρπερεύεσθαι putant idem quod est adulari,alij quod extolli,& ostentare sese,à nomine πέρπερος, quod dictum uolunt quasi πρίπτερος. Id sensisse uidetur & Hesychius. Alij interpretãtur garrire, à πέρπερος,quod dictum uolunt quasi πρίφερος,ὥσπερ τοῖς λόγοις πρϊφερόμενος, quod locutulei sermonum ambagibus molesti sint. Sunt qui interpretentur πέρπερον præcipitem ac temerarium, & πρπερεύεσθαι præcipitem esse. Theophylactus interpretatur incõstantem ac leuem.Mihi uidetur uox à Perperis fratribus esse conficta,qui & Cercopes dicti sunt quorũ procacitas & improbitas etiam fabulis est nobilitata.De quibus plura retulimus in prouerbio,Ne in Melampygum incidas,si cui libebit cognoscere. Nos uertimus, non est procax,quam interpretationẽ & Theophylactus recenset. Alioqui Latine perperam agit,qui data opera secus agit,quàm oportet.Atque ita quidem interpretatur Aquinas, perperam, id est, peruerse.

Ne in Melampygum.

Non est ambitiosa.) οὐκ ἀσχημονεῖ, id est,Non agit inhoneste,siue indecore.Miror unde uox ambitiosa huc irrepserit,cum nihil habeant affinitatis ἀσχημονεῖν & φιλοτιμεῖσθαι,nisi forte quia præcessit non inflatur,quod uidetur ambitionis esse.Quãquam Græca scholia sic interpretantur, ἀσχημονεῖ, id est,Nihil sibi indecorum putat,quamlibet humile officium,modo prosit.Et Theophylactus ad eundem exponit modum, non dissimulata tamen altera quoq; interpretatione.Ex Ambrosio nihil quitum est colligi,quod is contentus explicuisse summam hoc loco,singula negligat persequi.Augustinus de gratia & lib. arb.ad Valentinum cap.xvij.legit, non dehonestatur.

Non cogitat malum.) οὐ λογίζεται, hoc est,non imputat cuiquam malum, nec male cogitat de quoquam,annotante Valla,siue quia omneis ex suo metitur animo,siue quia non molitur uindictam.

Cypriani lectio diuersa.

Omnia suffert.) στέγει, hoc est,nihil grauatur. Translatum à tignis sustinentibus onus impositum,aut à uasis recipientibus quod infunditur. Cyprianus de simplicitate prælatorum tractatu tertio,pro omnia suffert,legit,omnia diligit. Vnde conijcere licet illius codicem habuisse, πάντα στέργει, addita literula uerbo στέγει. Et uterq; sensus est tolerabilis,tametsi is,quem nostra habet æditio,mihi magis probatur,quod hæc omnia simul cõgesta, uidẽtur eódem pertinere: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat,omnia sustinet. Siquidem in se recipit,quod traditur is qui credit,& qui credit sperat,& qui sperat sustinet, hoc est,durat in tempus ut promissa appareant.Id enim proprie sonat ὑπομένειν, diuersum ab eo quod præcessit στέγειν.

Charitas nunquam excidit.) ἐκπίπτει, hoc est,nunquam cessat, ubiq; prodest, ubique est usui,imò crescit indies.Etiamsi ἐκπίπτειν Græce est exulatum abire,& eijci.Ita sensus erit,nunquam non esse locum charitati.

Siue prophetiæ cessabunt.) Græci addũt. δέ.Atq; ita legit diuus Ambrosius, Siue autem prophetiæ euacuabuntur. Deinde quod sequitur:

Ex parte enim cognoscimus.) ἐκ μέρους δέ. Nonnulli Græci codices habebant autem, pro enim, δὲ pro γάρ.

Cum essem paruulus.) νήπιος,Quod & puerum,aut infantem significat,& parũ prudentem,quod ea ætas ob inscitiam rerum parũ sapiat,ut crebro iam admonuimus.

Euacuaui ea quæ sunt paruuli.) Quod Ambrosius legit,Ea quæ paruuli erant destruxi.Atq; hoc loco mihi uidẽtur Græci codices deprauati,in quibus ita scriptũ comperio, cõsentiẽte & Aldina æditione, κατήργην κατὰ τοῦ νηπίου. Suspicor autem à Paulo scriptum fuisse κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου,aut κατήργην τὰ τοῦ νηπίου. κατήργηκα legit Theophylactus.

Sed maior horum.) μείζων δὲ τούτων, id est,Maxima ex his charitas.Quãquam & Latini ad exemplum Græcorum aliquoties comparatiuum usurpant pro superlatiuo. Vt illud

illud Catulli, Hesperе qui cœlo luces iucũdior ignis. Et Quintus Curtius duo maiora omnium nauigia dixit. Et Græci nonnunquam comparatiuis superlatiuorum uice abutuntur. Atq; ita sanè enarrat Theophylactus: Charitatem inter ea quæ manent, summũ tenere locum. Nos maluimus auferendi casu uti, ut effugeremus incõmodum generis horum aut harum. In codice Donatiani scriptum erat, Maior autem his est charitas.

EX CAPITE DECIMOQVARTO.



Ectamini charitatem, æmulamini spiritualia.) Plericq; Græcorum & hic addunt δὲ coniunctionem in secunda particula, ζηλοῦτε τὰ ἀγάπην, ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά. Alioqui uideretur adhortari ad utrunq; ex æquo. Nũc omni conatu uult nos eniti ad benemerendum, id enim uocat charitatem. Deinde ne quis offendatur, subijcit, reliqua tamen haud aspernanda, quæ spiritualia uocat, quod afflatu spiritus dentur aliquoties & malis, inter quæ tamen primum locum tribuit prophetiæ. Hoc loco Paulus prophetiam uocat non prædictionem futurorum, sed interpretationem diuinæ scripturæ. Quemadmodum & Plato discernit uates à prophetis. Vates arrepti numine, nec ipsi quid loquantur intelligunt, ea prudentes interpretantur cæteris. Porrò uehementius est uerbum ζηλοῦτε quàm ζηλοῦμεν enim ea quoq; quæ probamus ac miramur tantũ. ζηλοῦμεν est magno studio adniti ut assequaris. Optandum est, ut & illa nobis contingant. Verum hæc quæ sunt charitatis, toto conatu sunt affectanda, non optanda tantum.

Charitas studium benemerendi.

Prophetia quid apud Paulum.

Spiritus autem loquitur.) πνεύματι δὲ λαλεῖ, id est, Spiritu autem loquitur, siue spiritui loquitur, ut respondeat illi quod præcessit, non hominibus loquitur, sed deo, & quod sequitur, Hominibus loquitur, hoc est, suo loquitur animo. Ambrosius legit spiritu auferendi casu, cum ascribit: Spiritu autem loquitur non sensu, quia ignorat quod dicit. Atq; ita scriptum etiamnum uisitur in uetustissimo, iuxta atq; emendatissimo codice Paulino, cõsentiente paris uetustatis codice Donatiani. Consentiente utroq; Constantiensi. Atque adeo si quis attentius obseruet, comperiet ita legisse & diuum Augustinum libro de Genesi ad literam, etiamsi in plerisq; codicibus mutatum est spiritu, in spiritus. Siquidem cũ adduxisset hunc locum, subijcit alterum huic similem, Si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ, quasi sic dictum sit, hic benedicere spiritu, sicut illic loqui spiritu. Thomas planè testatur se legisse spiritus, enarrans deum esse qui loquatur per eos. Atqui uidendũ est, quomodo id congruat ad extenuandam hãc dotem. Nam id agit Paulus, ut loqui linguis sit multo inferius prophetia. Græcis, ut dixi, sermo est anceps, quod datiuus πνεύματι possit esse instrumentalis, cuius uice Latini ponunt ablatiuum casum, & idem possit esse acquisitiuus, siue relatiuus, perinde ut si dicas, loquit̃ lingua, & loquitur tibi. Theophylactus sic edisserit hunc locum, ut constet eum legisse spiritu non spiritus, cum ait, Hoc est nequaquam cognitu facilia narrant hominibus & aperta, sed in spiritu sancto loquuntur mysteria. Mihi magis arridet Ambrosij sententia, ut spiritum accipiamus pro uoce.

Varia lectio.

Thomæ opinio excussa.

Nam qui prophetat.) ὁ δὲ προφητεύων, id est, Qui prophetat autem.

Hominibus loquitur ad ædificationem.) Ad, præpositio apud Græcos abest, λαλεῖ οἰκοδομὴν, id est, Loquitur ædificationem. Quemadmodum & Latine loqui solemus, uoluptatẽ mihi narras, pro eo quod est, narras quæ mihi sunt uoluptati. Suspicor ex interpretatione eodem modo legisse Ambrosium.

Ecclesiam dei ædificat.) Dei non additur apud Græcos, nec in codice uetustissimo Donatiani, ne in Constantiensi quidem.

Tamen quæ sine anima sunt.) ὅμως τὰ ἄψυχα. Faber mutat tamen in similiter aut perinde, ac si codices haberent ὁμῶς, siue ὁμοίως. Et omnino prima fronte magis quadrare uidetur ad sensum. Atq; in his facile labuntur scriptores. Mihi tamen non probatur hæc opinio, primum refragantibus tum Latinis, tum Græcis exemplaribus. Deinde quod ad argutiam Paulinæ sententiæ non uideatur attingere, præsertim cum hanc sermonis formam alibi reperiamus apud Paulũ, uelut in epistolæ ad Galatas cap. tertio: Tamẽ hominis testamentum &c. ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην, de quo suo dicet̃ loco. Sentit autem Pau

Faber.

tem Paulus adeo non esse probandum inanem uocum strepitum in hominibus Christia nis,ut ea quoq; quæ carent anima,nec ad aliud parata sunt,nisi ut sonẽt ac tinniant, nulli sint usui,nisi distinctum ac significantem sonum dederint.Proinde uerti poterat,Etiam in anima,siue Inanima licet,aut,quin & inanima.Et in hũc sensum enarrat Theophylactus. Præterea pro,Quæ sine anima sunt,dicere poterat,inanima,siue inanimata.

Sonituum.) τῖς φθόγγοις, id est, Sonis. Et ita probabile est legisse Ambrosium,apud quem adhuc legitur,sonus non sonituum.Et δῶ potest esse dederint,ut referatur ad inani ma, μὴ δῶ, quod nomen sit neutri generis.

Quod canitur.

Quod canitur.) τὸ αὐλούμενον ἢ τὸ κιθαριζόμενον, id est, Tibia,citharáue canitur.Proinde Ambrosius legit,Quod per tibiam canitur.

Quis parabit se.) τίς παρασκευάσεται, id est, Quis præparabitur? Quod data opera & aliâs facit interpres,nec id sanè non recte.

Manifestum sermonem.) εὔσημον, id est, Significãtem.Et sic legit diuus Ambrosius in cõmentarijs.Quanquam utraq; lectio bene habet.

Vtputa.) εἰ τύχοι, id est,Verbi gratia,nimirum cũ exemplũ fingimus, aut ponimus.

Genera linguarum.) φωνῶν,id est, Vocum.Ita legit & interpretatur Theophylactus. Loquitur enim de omnibus uocum generibus,non tantum de linguis.Quanquam Am/ brosius legit,linguarum,pro uocum,hoc est,γλωσσῶν.Et fieri potest,ut linguæ uocabulo sit abusus Apostolus,ut abusus est uocabulo uocis.

In hoc mundo.) Rursus, ἐν κόσμῳ, id est,In mundo,citra pronomen.

Et nihil sine uoce.) καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον, id est,Et nullum horum subaudi genus, est aphonum,id est,uoce carens,siue mutum.

Ero ei cui loquar.) ἔσομαι τῷ λαλοῦντι, id est, Ero loquenti barbarus,nec intelligam, nec intelligar.Nam prisci peregrinum hoc nomine uocabant.

Forte additũ.

Nisi forte interpretetur.) Forte de suo addidit interpres. Nec est apud Græcos,nec apud Ambrosium,nec uideo quid faciat ad sententiam.

Barbari qui

Et qui loquitur mihi.) ἐν ἐμοὶ, id est, In me,Græce est, pro mihi,ueluti meo iudicio, meoq; animo:tametsi in se facundus est qui loquitur,tamen in meo animo barbarus est. Porrò ueteres barbarum uocabãt,quicquid erat peregrinum,deinde uox deflexa est, ad uocis ac sermonis absurditatem.Offendit enim sermo peregrinus imperitos,etiamsi con cinnior sit nostrate lingua.Postremo cœpit accõmodari & ad mores feros atq; asperos. Olim Græci illi primi Hellenes dicti,cæteros omnes barbaros appellabant.Homerus Ca ras ob peregrinum & absurdum linguæ sonum βαρβαροφώνους appellat.Et Ouidius apud Getas agens, Barbarus,inquit,hic ego sum,quia non intelligor ulli.Et Plautus ait se uer tisse barbare Græcam fabulam,quam in Latinum sermonem transtulerat. Celebratur & Anacharsidis Scythæ philosophi dictum:Scythas Barbaros esse apud Athenienses, sed Athenienses uicissim apud Scythas.Porrò quod hoc loco legitur de Barbaris plusquam barbarice scriptum in cõmẽtarijs Aquinatis,mihi suspicio est ab alio quodã adiectũ, qui studuerit illius libris flosculorum nõnihil aspergere.Alioqui quis credat talem uirum de re quam prorsus non intellexerit,tam arroganter pronũciare uoluisse. Sed operæpreciũ fuerit ipsa uerba subscribere,non ut rideat lector,sed ne posthac fidat huiusmodi magnifi cis interpretationibus,& in cæteris habeat suspectos, posteaquam deprehenderit tanta autoritate pronunciantes,de ijs quæ nesciunt:Nota,inquit,quod Barbari secũdum quos/ dam dicuntur illi,quorum idioma discordat omnino à Latino.Alij uero dicunt quod qui libet extraneus est Barbarus omni alij extraneo,quando scilicet non intelligit ab eo. Sed hoc non est uerum,quia secũdum Isidorum Barbaria est specialis natio.Colos. tertio.In Christo Iesu,non est Barbarus & Scytha,sed secundum quod uerius dicitur, Barbari di/ cuntur proprie illi,qui in uirtute corporis uigent,in uirtute rationis deficiũt,& sunt qua/ si extra leges,& sine regimine iuris.Et huic uidetur cõsonare Aristoteles in Politicis suis. Hactenus illius bellum annotamentum.Sed hæc utcunq; rideri poterant,ni talium nuga rum autores orbi Christiano leges præscripsissent,atq; etiam præscriberent,nec deessent qui horum autoritatem penè parem esse uelint Euangelijs.

Aquinatis annotatio.

Sic & uos quoniam æmulatores estis spirituum.) Theophylactus indicat hũc locum sic

ſic à nonnullis diſtingui,ut hæc particula,Sic & uos referatur ad ea quæ præcedunt: Sic & uos loquẽtes linguis non intellecta barbari uidebimini audientibus. Deinde ſubijciũt, uelut initium alterius ſententiæ:Aemulatores eſtote &c. Verum hanc diſtinctionem reijcit ex autoritate Baſilij,qui ſic diſtinxerit,quemadmodum nos uulgo diſtinguimus. Sed prior illa diſtinctio non uideo qui cõſtat,niſi tollatur ἐπεὶ,aut niſi pro eo quod Theophylacti interpres uertit, eſtote,uertamus eſtis.

Spiritus meus orat,mens autem.) Spiritum uocem linguæ uocat,mentem affectũ animi,ſiue ſenſum animi, πνεῦμα & νοῦς. Nec aliud eſt ſpiritus meus orat,quàm lingua mea ſonat pia uerba:ut intelligas id nec alijs prodeſſe, nec ei magnopere qui ſonat. Citat Theophylactus huius autorem ſententiæ Baſilium. *Spiritus pro uoce.*

Si benedixeris.) εὐλογήσῃς. Vnica dictio eſt,hoc eſt,ſi laudes & celebres deum,& uerba bene ominata dixeris.

Benedixeris ſpiritu.) Spiritu aberat in pleriſq; Græcorum exẽplaribus,adiecimus tamen ex alijs, ſiue quod ad ſenſum faceret, ſiue quod Ambroſius & Auguſtinus, cunctis his Theophylactus ita legerint.

Quis ſupplet locum idiotæ.) ὁ ἀναπληρῶν, id eſt,Qui ſupplet locum idiotæ, & fungitur uice idiotæ. Atq; ita & hodie ſcriptũ uidere eſt in uetuſtiſſimo codice Paulinæ bibliothecæ,ſuffragante Cõſtantienſi. Idiota uero Græca uox eſt,quæ ſignificat & priuatum, id eſt,non fungentem aliquo magiſtratu,& illiteratum. Hoc loco uertere poterat plebei, aut indocti. Mos hic,ut promiſcua plebes reſponderet in eccleſia,durabat adhuc Hieronymi temporibus Romæ,ut teſtatur præloquens in ſecundũ librum cõmentariorum in epiſtolã ad Galatas, Vbi,inquiens,ſic ad ſimilitudinẽ cœleſtis tonitrui amen reboat. *Quis pro qui mendoſe.*

Super tuam benedictionem.) ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, id eſt,Super tuam gratiarum actionem,ſiue ad tuam. Quanquam ex hoc loco colligimus minimum intereſſe inter εὐλογίαν & εὐχαριστίαν,utrũq; enim ad laudem dei pertinet.

Omnium ueſtrum linguis loquor.) Græca diuerſum habent ſenſum, εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου,πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν, Gratias ago deo meo,omnibus uobis magis linguis loquens, id eſt, Quod magis loquor linguis quàm uos omnes. Hieronymus comparatiuum magis,refert ad cæteros apoſtolos, ut intelligas Paulum omnium linguis fuiſſe locutum magis,quàm reliquos apoſtolos. Vide nonæ quæſtionis expoſitionem ad Hedibiam,ubi non ſemel citat hunc locũ ſecus quàm habeat noſtra æditio:licet uideam Ambroſio placere lectionem,quam uulgata habet æditio. *Variat Græcorum lectio.*

Quinq; uerba.) πέντε λόγους, id eſt,Quinq; ſermones,aut dicta:nec enim uerba annumerat. Et quinq; poſitum eſt pro pauciſſimis,ſicut decem milia pro plurimis. Nam quis non protinus uideat frigidum eſſe quod hic adducit Aquinas,haud ſcio unde hauſtum. Ideo dictum eſſe quinq;:quod oratio perfecta debeat habere quinq;,ſubiectum, prædicatum,copulam uerbalem,determinationem ſubiecti,& determinationẽ prædicati. Quod ſi hæc parum arriſerit opinio,alteram addit huic ſimilem: Doctor, inquit, debet docere quinq;,credenda,agenda,uitanda,ſperanda,timenda. Minus frigidum erat futurum,ſi dixiſſet quinq; libros Pentateuchi. Qui ſcripſit ſcholia in omnes epiſtolas,quiſquis fuit,nõ infacete ridet huiuſmodi curioſitatem in numeris. Quidã,inquit,ſanè quærunt quæ ſint quinq; uerba,è quibus è contrario,quæ ſint decem milia eſt quærendum. *Thomas.*

In ſenſu meo.) διὰ τοῦ νοός μου, id eſt, Per mentem meam.

Vt & alios inſtruam.) κατηχήσω, id eſt,Erudiã,quo uerbo libenter utitur Paulus,& itẽ Lucas:id proprie eſt,uiua uoce inſtituere ac docere,unde dicti & catechumeni,quibus fidei noſtræ myſteria non ſcripto,ſed uocis miniſterio credebantur. *κατηχεῖν.*

Quàm decem milia.) Addendum erat potius,ut locus fieret huic coniunctioni,quàm. Apud Græcos ſæpenumero ſubauditur,id apud Latinos eſt inuſitatius. Hac in re mirum quàm mutata ſit eccleſiæ conſuetudo. Paulus mauult quinq; uerba in ſenſu,quàm decem milia in ſpiritu. At nunc in nonnullis regionibus totos dies pſallitur ſpiritu,nec modus, nec finis cantionum:cum uix intra ſex menſes audiatur concio ſalubris adhortans ad ueram pietatem,id enim Paulus uocat in ſenſu loqui. Vt omittam interim huiuſmodi muſices genus inductum eſſe in cultum diuinum,ut ne liceat quidem ullã uocem liquido per- *Cultus ſuperſtitioſus.*

cipere. Nec ijs qui cantillant ocium est attendendi quid canant. Tantum uocum tinnitus aures ferit, & mox peritura delectatiuncula mulcet. Ferēdum & hoc, nisi uulgus sacerdotum ac monachorum in huiusmodi rebus summam constitueret pietatem, multum dissentiens à Paulo. Cur dubitat ecclesia tantum autorem sequi? Imò cur audet ab eo dissentire? Quid aliud auditur in monasterijs, in collegijs, in templis fermè omnibus, quàm uocum strepitus? Atqui ætate Pauli non cantus erat, sed pronunciatio duntaxat. Vix à posterioribus receptus est cantus, sed talis ut nihil aliud esset, cẽ distincta modulataq; pronũciatio, cuiusmodi supereſt etiamnum apud nos, qua sonamus in canone sacro precationẽ dominicam: & linguam qua hæc canebantur, uulgus adhuc promiscuum intelligebat, respondens amen. Nunc uulgus quid aliud audit quàm uoces nihil significantes, & talis est ferè pnunciatio, ut nec uoces exaudiantur, sonitus tãtũ aures feriat. Atq; hæc primum specie pietatis recepta, paulatim eò processerunt, ut psalmorum, cantionum, sacrorum, mortualiorum neq; modus sit ullus, neq; finis, quod sentiamus hinc aliquid accrescere, puentibus nostris. Quodq; grauius est, ad hæc præstanda, sacerdotes astringuntur arctioribus penè uinculis, quàm ad ea quæ præcipit Christus. Ad hæc audienda cogitur populus depulsus ab opera, qua liberos alit & uxorem, qua re quid esse potest sanctius? Habeant sanè templa solennes cantus, sed moderatos. Ad eadem cogimur priuatim occupati, & publicum chorum, in naui, in uehiculis, in pandochijs nobiscum circumferimus. Ex his obseruatis aut neglectis, pij aut impij iudicamur. Est quispiã Crasso auarior, Zoilo maledicentior, uir tamen pius habetur, quod clara uoce sonet eas preculas, etiamsi nihil intelligat. Obsecro quid sentiunt de Christo, qui credũt illũ huiusmodi uocũ strepitu delectari? Nec his cõtenti, operosam quandam ac theatricam musicam, in sacras ædes induximus, tumultuosum diuersarum uocum garritum, qualem non opinor in Græcorum aut Romanorum theatris unquam auditum fuisse. Omnia tubis, lituis, fistulis, ac sambucis perstrepunt, cunq; his certant hominum uoces. Audiuntur amatoriæ fœdæq; cantilenæ, ad quas scorta mimiq; saltitant. In sacram ædem uelut in theatrũ concurritur, ad deliniendas aures. Et in hunc usum, magnis salarijs aluntur organorum opifices, puerorũ greges, quorum omnis ætas in perdiscendis huiusmodi gannitibus cõsumitur, nihil interim bonæ rei discentium. Alitur sordidorum ac leuium ut plerique sunt Dionysiaci hominũ, colluuies, ac tãtis sumptibus oneratur ecclesia ob rem pestiferam etiam. Quæso te ut rationẽ ineas, quot pauperes de uita periclitantes, poterant ali cantorum salarijs? Hæc adeo placent, ut monachi nihil aliud agant, præsertim apud Britannos, & quorum cantus debuit esse luctus, hi lasciuis hinnitibus, & mobili gutture deum placari credunt. In hũc usum etiam in Benedictinorũ collegijs apud Britannos aluntur ephebi pueriq; & uocũ artifices, qui mane uirgini matri modulatissimo uocum garritu ac musicis organis sacrum decantent. Huiusmodi choros episcopi coguntur alere domi. Atq; his rebus occupati, nec attingunt bonas literas, nec audiunt quibus in rebus sita sit uera religio. Iam qui crassiores sunt quàm ut artem musicam queant perdiscere, non putant satisfieri festo diei, nisi deprauatũ quoddam cantus genus adhibeant, quod illi fauburdum appellant. Id nec thema præscriptum reddit, nec artis harmonias obseruat. Ad hæc quum in hoc recepta sit in ecclesiam musica sobria, quo uerborum sensus efficacius influant in animos auditorum, quibusdam hoc quoq; pulchrum uidetur, si unus aut alter cæteris admixtus ingenti boatu uocis efficiat, ne uerbum ullum percipiatur. In hoc indulgetur stultorum affectibus, & uentri cõsulitur. Cur hæc nobis sola placent, quæ Paulus ceu paruulorum infantiam parcissime uult adhiberi, imò quæ nullo pacto laturus fuerat? Siquidem de sacra lectione loquitur ille, non de theatricis cãtiunculis. Psallamus spiritu, sed psallamus Christiane, psallamus parce, magis aũt psallamus mente. Loquamur linguis sed parcius, prophetemus studiosius. Audiatur in primis prophetæ uox, quæ redarguat impij conscientiã, quæ consoletur deiectos, quæ extimulet dormitantes, quæ mysteria diuini spiritus proferat, & in hunc usum potius instituatur ætas tenera. Sed satius opinor, quod institutum est persequi, quàm hæc deplorare, haud scio an frustra.

Cantus prisci.

Puerile est sonare linguis.

Nolite pueri effici sensibus.) μὴ γίνεσθε. Quod magis sonat, ne sitis. Ac mox sensibus, φρεσὶ, quod Augustinus legit mentibus, ac meo iudicio rectius.

Sed

Sed malitia paruuli estote.) νηπιάζετε, unica dictione, quasi dicas pueremini, & pueros agatis. Quanquam ut sæpe iam admonui, νήπιοι dicuntur pueri, id ætatis quo nondum sapere possunt. Vnde pro paruuli, Augustinus edisserens psalmum ceteſimumtrigeſimum legit infantes.

In alijs linguis.) ἐν ἑτερογλώσσοις, id est, In ijs qui sunt diuersarum linguarum, ac si dicas composita uoce, in diuersilinguis: id ita potest accipi, ut intelligamus linguarum uarietatem, qua sunt usi apostoli, aut nouam linguam à superiore illa diuersam, hoc est linguam inter se diuersam, aut ab alijs diuersam. Locus quem adducit est apud Esaiam cap. xxvij. In loquela enim labij, & in lingua altera loquetur ad populum istum cui dixit. Sic enim Hieronymus reddidit Hebraica. Nam iuxta Septuaginta ad hunc legimus modũ, διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας, ὅτι λαλήσουσι τῷ λαῷ τούτῳ λέγοντες, id est, Propter irrisionem labiorum, propter linguam alteram, qua loquentur populo huic dicentes eis. Paulus iuxta Hebraicam ueritatem adduxit testimonium, cum Septuaginta cæteriq; interpretes lõge diuersa legerint hoc loco, sed ita rursus, ut sensum magis expresserit quã uerba, id quod admonet & diuus Hieronymus hunc enarrans locum. Iam illa, Et nec sic exaudient me dicit dominus, nec habentur apud Hebræos, nec apud Græcos interpretes, sed tamen solenniter addi solent in prophetijs, uelut epiphonema. Nisi forte aliunde sumptum est hoc testimonium. Siquidem Hieronymus non audet affirmare, sed ait ita sibi uideri, ex eo sumptum loco.

Paulus à Septuaginta dissentiens.

Fidelibus.) πιστεύουσιν, id est, Credentibus.

Idiotæ aut infideles.) Infideles priore loco non additur apud Ambrosium, haud scio an culpa scribarum. Nam ex commentario nihil liquet. Certe apud Græcos additur.

Quid insanitis.) ὅτι μαίνεσθε, id est, Quod insanitis. Non enim rogaret cur insaniant, sed affirmaret eos insanire. Quod insanitis, scriptum extat in exemplari Paulino, & item in Cõstantiensi. Neq; secus legit Ambrosius, apud quem est, quia insanitis, quo magis sit euidens, quod mutatum fuisse in quid. Idem libro de spiritu sancto tertio, capite decimonono legit: Nõne dicent, quod insanitis. Atq; itidem scriptũ comperi in codice Donatiani. Proinde ne quid superesset scrupuli, nos uertimus, Nõne dicent uos insanire? Quẽadmodum planissime interpretatur Theophylactus.

Mendum manifestum.

Occulta enim.) Ὁ οὕτως τὰ κρυπτὰ, id est, Et sic occulta cordis, ut paulo post, Et ita cadens, Ὁ οὕτως πεσών. Ambrosius non addit enim, ut nec Græci. Nec tamen addit ita, nisi quod in secunda particula, pro ita, ponit tunc: Et tunc cadens in faciem &c.

Apocalypsin habet.) Cum ante uerterit reuelationem, nũc uocem Græcam reliquit, ἀποκάλυψιν. Nec uideo cur id maluerit. Ambrosius hic quoq; legit reuelationem. Et paulo ante, psalmum Latine dicere poterat canticum.

Secundum duos, aut ut multum tres.) κατὰ δύο, ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς. Subaudiendum est fiat, præcessit enim, Omnia fiant ad ædificationem, siue quis loquitur lingua, fiat ad ædificationem, sed ita ut in singulis conuentibus bini duntaxat loquantur, aut ad summum terni, sed ita ut non simul loquantur omnes, sed uicissim sileant ac loquantur. Porrò qui tandem sermonis color est, quo usus est interpres, secundũ duos, aut secundum tres? Aut quorsum attinet, quod hic adducit Aquinas, In ore duorũ aut trium testium? Nam ideo Paulus non uult plures in eodem cœtu prophetare, ne fiat confusio.

Secundum duos, pro bini.

Aquinatis elatio.

Vt multum.) τὸ πλεῖστον, id est, Vt plurimum, siue ad summum.

Per partes.) κατὰ μέρος id est, Vicissim. Quid autem est per partes? Ambrosius legit particulatim.

Per singulos.) καθ' ἕνα, id est, Singulatim.

Spiritus prophetarũ.) πνεύματα. Græcis pluratiui numeri est: & subijciuntur, ὑποτάσσεται, uerbum præsentis tẽporis, ne sentiamus hoc dictum de ipso spiritu sancto, sed dono spiritus, quod ita datum esset singulis quibus contigit, ut in ipsorum esset arbitrio uti, aut non uti: quod afflatis & lymphatis non item licet.

Non enim est dissensionis deus.) οὐκ ἀκαταστασίας. Id quod magis sonat confusionem, seditionem, & turbatum rerum ordinem. Ambrosius legit dissensionis res, non dissensionis

Dissensio, pro seditio.

sionis deus. Atque ita edisserit: Quia ergo pacis res est, dicente saluatore: Pacem meam do uobis, pacem relinquo uobis, nemo alterum non sinat dicere. Nisi forte pro rex mutatum est res.

Sicut in omnibus eccles. sanct.) Hoc loco uerbum doceo, à nostris additum uidetur. Nam apud Græcos non est. Subaudiendum autem nonnihil, sicut in omnibus ecclesijs pax est, & concordia. Nam omnium exemplo adhortatur Corinthios, ut similiter faciãt, licet Ambrosius uideatur addidisse, cum asscripserit, Hoc dicto hortatur illos, ut quæ præcipit faciãt, quia similiter se ecclesijs sanctorum prædicare testatur. Atq; Theophylactus hoc Pauli dictum detorquet ad omnes ecclesias, etiam Iudæorum & gentiũ: Cum in nullis ecclesijs decora sit dissensio, in uestra pudeat istorum tumultuum. Porrò ecclesias appellat cœtus, & cõuentus hominum. Siquidem & apud ethnicos indecorum habebatur in conuiuio, aut in concilio tumultuari. Scholiastes ille Latinus, cum Græcis legere uidetur, eo quod hoc commentum adiecerit. Sic est ubiq;, ne noui aliquid me uobis imperare putetis.

Varia lectio.

Permittitur.) ἐπιτέτραπται, id est, Permissum est. Interpres & Ambrosius legisse uidẽtur ἐπιτρέπεται. Quanq; Græca uox anceps est, ut quæ declaret interim permittere, interim mandare ac cõmittere. Cum hoc aptius quadraret quod sequitur, sed ut subditæ sint uiris suis. Cæterum in ecclesia, Latine dixisset clarius, In congregatione, siue in cœtu.

Varia lectio.

Ignorat ignorabitur.) ἀγνοῶ, ἀγνοείτω, id est, Ignorat, ignoret, id est, si quis nolit hæc scire, nesciat suo periculo. Quanquàm Ambrosius exponit ignorabitur, adducens illud ex euangelio, Amen dico uobis, nescio uos. Opinor eum legisse ἀγνοήσεται. Verum secus accipiunt Græcanica scholia, nominatim Theophylactus, Ignorat, ignoret, qua figura dictum est illud: Qui in sordibus est, sordescat adhuc.

Fiant in uobis.) In uobis apud Græcos non est.

EX CAPITE DECIMOQVINTO.

QVa ratione prædicauerim.) τίνι λόγῳ. Apparet hic esse ordo, si tenetis qua ratione prædicauerim uobis. Quod ita fermè exponit Theophylactus, qua si Paulus prædicauerit quidem Corinthijs futuram resurrectionem, cæterum de modo rationeq; resurgendi nihil tradiderit. Apud Ambrosium legimus, Quod sermone annunciaui uobis, debetis tenere. Fortassis Ambrosius scripserat quo sermone.

Si tenetis.) Hic locus uidetur fuisse uarius in Græcis exemplaribus. Ambrosius legit, tenere debetis. Nisi forte est pro εἰ, legendum ἦ, id est, Certe tenetis, aut ἤ κατέχετε, sicut tenetis, pro καθὼς κατέχετε. Nam id quoq; Græcis sonare ἦ, docent grammatici. Quod si non placet, erit nonnihil subaudiendũ, Si tenetis, & utiq; tenetis, nisi frustra credidistis. Huiusmodi quædam in Paulinis scriptis & aliâs demonstrauimus.

Et post hæc undecim.) Græci codices habent, εἶτα τοῖς δώδεκα, id est, Et deinde duodecim illis. Sed Græca scholia hic laborãt, dubitantq; num lapsu scriptoris habeatur duodecim pro undecim, an ut intelligamus Mathiæ quoq; Christum apparuisse, nondum quidem cooptato in ordinem apostolicum, sed tamẽ à deo iam destinato. Ita fermè & Theophylactus. Quo sanè loco miror oscitantiam interpretis cuius opera Theophylactus latinus est, qui cum uideat quæstionem moueri de duodecim, in contextu tamen uerterit, undecim, iuxta uulgatam æditionem. Cuiusmodi incogitantiam frequenter in hoc licet deprehendere, nisi forte malumus id scribis imputare. Ambrosius legit undecim, sed articulum quoque reddidit τοῖς ἕνδεκα, id est, Illis, inquit, undecim. De articulo apposito diligenter annotat & Augustinus quæstionum in uetus instrumentum libro primo, τοῖς δώδεκα, id est, Illis duodecim, ut non possit accipi de quibuslibet numero duo decim, sed de illis duntaxat, quos dominus Iesus designarat. Cæterum nodum ita explicat, ut dicat in maiore numero reddendo, non haberi rationem alicuius minutæ particulæ. Et ad hanc formam trahit locos aliquot consimiles, quos κατὰ συνεκδοχὴν, dictos esse contendit. Disserit hac de re idem Augustinus libro de consensu Euangelistarum

Augustinus per synecdochen explicat nodũ.

liſtarum tertio,ſuſpicans undecim mendoſe legi à nonnullis, & addens numerum illum duodenarium à Chriſto conſecratum etiam in undecim manere, præſertim mox in Iudæ locum ſufficiendo Mathia.

Pluſquam quingentis fratribus.) ἐπάνω πεντηκοσίοις ἀδελφοῖς. ἐπάνω, non poteſt referri ad datiuum caſum quingentis fratribus,cum apud Græcos habeat gignendi caſum,ſi uſurpetur uice præpoſitionis,ni fallor.Et tamen Theophylactus fatetur quoſdam in hāc ſententiam interpretari,iuxta quam noſter uertit interpres.Alios rurſum accipere ἐπάνω, pro ſuperne,ſiue cœlitus,qua non in ſolo,ſed è ſublimi ſe Chriſtus omnibus oſtenderit.Quod factum uidetur quum aſcenderet in cœlum.Alter ſenſus tolerabilis eſt,ſi ἐπάνω ſit aduerbium,& ſubaudiatur ἦ,id eſt,ᾖ,quēadmodū nos dicimus plus mille.

Quingentis fratribus ſimul.) ἐφάπαξ, id eſt,Semel.Quanquā ſenſus fermè idem eſt. *Simul, pro ſemel.*

Ex quibus multi.) πλείους, id eſt,Plures,ſiue complures:tametſi id quidem leuiculū eſt.

Dormierunt.) Si quis uelit cauillari de ratione ſermonis, dormierunt, qui experrecti ſunt.Proinde aut uertendum erant,dormiunt,aut obdormierunt, ut ab obdormiſcendo ſit,quandoquidem obdormio neſcio an reperiatur.

Non ſum dignus.) ἱκανός, id eſt,Idoneus qui uocer.

Et gratia eius in me,) καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμέ, id eſt,Gratia illius erga me,ſiue fauor quem in me præſtitit.Et cur non potius inanis quàm uacua?Demiror autem quid legerit Ambroſius,ut pro uacua uerterit pauper,cum Græce ſit κενή. Niſi forte iuxta proprietatē Hebræi ſermonis,pauperes dicuntur inanes,ut illic,Et diuites dimiſit inanes. Inanes enim oppoſuit diuitibus.Hic inanem uocat ſterilem & infrugiferam. *Vacuus,pauper.*

Non ego autem,ſed gratia dei mecum.) ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοί, Sed gratia dei quæ mecum eſt.Corrigit enim Paulus quod modo dixerat ſe plus omnibus laboraſſe. Imò,inquit,non ego ſum is qui hoc feci,ſed gratia potius dei,quæ mihi affuit:ut intelligamus totum hoc deo ferri acceptum.Laurētius hoc loco reijcit eos qui ex hiſce uerbis gratiam aſtruunt,quam uocant cooperantem,quorum eſt Aquinas,ſed ante hunc Auguſtinus. Nec uideo quid hic locus faciat aduerſus illos,Nam σὺν coniunctio Græca fauorem & auxilium ſignificat,auxilium autem non excludit operam eius qui iuuatur.ἡ σὺν ἐμοί, id eſt, Quæ eſt mecū,ſeu potius quæ mihi auxilio eſt.Nos uertim⁹,quæ mihi adeſt, quod ut dixi,præpoſitio σὺν nōnunq̄ ſignificet opitulationem,ut σὺν ταῖς μάχαις. Hieronymus aduerſus Pelagianos legit,gratia dei quæ mecum eſt,explicans uim articuli. *Duplex lectio.*

Sic prædicauimus.) οὕτως κηρύσσομεν, id eſt,Ita prædicamus,præſenti tempore:ita legit & Ambroſius,ſuffragante uetuſtiſſimo codice Paulino.Atq̄ ita refert hunc locū Auguſtinus libro contra Fauſtum Manichæum ſecundo cap.ſecundo,iuxta fidem uetuſtorum exemplarium manu deſcriptorum.

Adhuc enim eſtis.) Enim,redundat,referuntur enim hæc ad ſuperiorem argumētationem:Si Chriſtus non reſurrexit, ergo adhuc eſtis in peccatis ueſtris. Illud annotandum apud Ambroſium poſteriore loco non repeti,Vana eſt fides ueſtra,ſic enim legit, Quod ſi Chriſtus non reſurrexit,adhuc eſtis in peccatis ueſtris,& qui dormierūt in Chriſto perierunt.Sed cum noſtra conſentit Theophylacti,tum lectio,tum enarratio.

Si in hac uita tantum in Chriſto ſperantes ſumus.) εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἠλπικότες ἐσμὲν ἐν Χριστῷ μόνον. Significationē præteriti tēporis participij ſic poterat reddere,Si ij ſumus qui ſpem coniecimus in Chriſtū in hac dūtaxat uita,hoc eſt,ſi noſtra ſpes quam habemus in Chriſto,non porrigitur ultra terminum huius uitæ.Nam in hunc ſenſum interpretatur Theophylactus, ut tantum referatur ad hanc uitam, non ad Chriſtum, nec abhorret Ambroſius. *Ordo.*

Miſerabiliores ſumus omnibus.) ἐλεεινότεροι πάντων. Apparet Græcis comparatiuum poſitum loco ſuperlatiui,omnium maxime miſerabiles. Quanquam ad hunc modum locutus eſt & Gellius. Alioqui uitari poterat ſcrupulus,ſi quis uertiſſet,miſerabiliores ſumus quibuſuis hominibus,quando in hoc certe ſermone,omnis & quiuis in eundē ſenſum recidunt.

Primitiæ dormientium.) In Græcis exemplaribus conſtanter additur uerbum ἐγήγερται, id eſt, Factus eſt,ſiue fuit, quanquam duriuſcule cohærens cum ſuperioribus. Vnde uide

de uidetur à librarijs additum apud Græcos. Ambrosius ἀπαρχὴν uertit initiũ, quod fuerit omnium primus.

Tacita uis ratiocinandi in γάρ.

Quandoquidem per hominem mors.) In Græcis codicibus quos ego sanè uiderim, ita habetur, ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπου ἡ ἀνάστασις νεκρῶν, id est, Nam postquam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Siquidem coniunctio καὶ, tacitam uim habet inferendi. Mortem ortam per unum hominem constabat, consequẽs erat, ut per hominem oriretur resurrectio mortuorum. In hanc sentẽtiam enarrat Theophylactus.

Cum euacuauerit omnem principatũ.) Hunc locum ita legit Ambrosius, Cum tradiderit regnum deo & patri, cum destituerit omnem principatum, & omnem potestatem, & omnem uirtutem, & omnem dominationem. Siquidem Græcam uocẽ καταργήσῃ uertit, destituerit, cum & aboleuerit, uerti posset, aut antiquauerit.

Sicut in Adam omnes.) ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ, id est, Sicut enim in Adam, siue per Adam, ut mox, per Christum. Enim, aberat in nostris codicibus. Ac more Græcorum legit Ambrosius: connectit enim Paulus probationem cum eo quod assumpserat: Quoniam per unum hominem mors irrepserat, conuenit ut per unum hominem uita detur omnibus. Nam sicut per Adam &c.

In Christo omnes uiuificabuntur.) Cyprianus exponens symbolum fidei, legit uiuificantur, ut respondeat superiori uerbo, moriuntur. Atq; hæc lectio mihi quidem lõge magis probaretur, nisi refragarentur exemplaria. Alioqui si nos offendit uiuificantur, quod olim futura sit resurrectio, debuit eadem opera offendere uerbum moriuntur, quod olim multi sint in Adam mortui. Paulus non hic habuit rationem temporis, sed perinde sensit, ac si dixisset, Sicut per Adam est mors, ita per Christum est resurrectio.

Qui in aduentũ eius crediderũt.) οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, id est, Qui sunt Christi in aduentu ipsius. Et sic legit diuus Ambrosius, ut intelligamus eos quos Christus suos deprehendet adueniens. Agit em̃ hic de resurrectione piorum.

Nouissimus hostis mors.

Nouissime autem inimica.) Nouissima, nomen est, non aduerbium nouissime, ac si dicas, mors omnium nouissima destruetur. & est καταργεῖται, id est, Destruitur, siue abolet̃ præsentis temporis. Diuus Hieronymus in cõmentarijs Esaiæ non semel citat hoc modo. Nouissimus inimicus destruetur mors: quasi dicas, hostis omniũ postremus destruetur, nempe mors. Nã ut elegãter hoc loco docuit Valla, potest inimicus esse, qui nõ sit hostis. Porrò Græcis mors masculini generis est. Augustinus item enarrans Psalmum quinquagesimum primum, legit nouissima nomen, non aduerbium. Idem cum alias tum sermone de uerbis apostoli tertio. Rursum sæpicule in libris quos scripsit aduersus Faustum Manichæum. Atq; ita scriptum uisitur etiamnum in exemplari Paulino. Consentiebant codices Constantienses. Hilarius nescio quid sequutus aliquoties adducens hunc locum in libris de trinitate legit, Nouissima deuicta est inimica mors.

Sine dubio præter eum.) δηλονότι, id erat plenius reddẽdum, nam nũc oratio est inabsoluta. Atqui cum dicat omnia subiecta, palàm est, quod excipitur is qui subiecit illi omnia.

Propter uestram gloriam.) Non est hic δόξα, gloria siue honor, sed καύχησις gloriatio, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, id est, Per nostram gloriationem. Est autem hoc loco per, præpositio iurantis. Et quoniam multa iam gloriatus est sancta quadam iactãtia, de profectu euangelij sui, per eam gloriam qua gloriatur in Christo, nunc iurat, tanq; per rem sacrã, sibiq; charissimam. Citat hunc locum & Augustinus epistola octogesimanona. Rursum copiosius sermone de uerbis apostoli uigesimooctauo, ostendens hoc loco iurasse Paulum, idq; liquere ex Græcis exemplaribus. Nec est quod tergiuersemur, & negemus apostolum iurasse, cum alibi non paucis locis palàm iuret. Verum in negocijs huius mundi, pro prædijs, pro nummis iurare fortasse non sit ingenue Christiani. Cæterũ cum agitur negocium Christi, tum non sit nefas interponere iusiurandum. Neq; enim Christus simpliciter, uetuit iurare, sed uoluit nos esse tales, ut non sit opus iureiurando, nolens ita iurare ut uulgus tum iurabat. Noluit nos esse diuites, ut diuitum uulgus tum erat, & nũc ferè est, noluit nos uocari rabbi, ut tum uocabãtur, noluit nos appellari patres, ut uulgus hominum, omnem gloriam, omne subsidium collocans in parẽtibus, prorsus ab illis pendet.

Quatenus iurandum.

Quanq;

Quanquam Græca scholia nonnihil hic laborant, dubitantq; num ita legendū sit, διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, id est, Propter uestrā gloriationē, id est, Vt gloriemini uos esse Iesu Christi. Atq; ita legit Ambrosius & Augustinus, quod ad pronome attinet, nisi quod Ambrosius accipit uestrā gloriā quā Paulus habeat de illis. Diuus Hieronymus in epistola cuius initium: Sæpe & multū, legit propter uestram salutē, haud scio memoriæne lapsu, an quod potius à librarijs corruptus sit is locus. Theophylactus legisse uidetur, Propter uestrā gloriam, ut gloria Corinthiorum redundet in gloriam Pauli. καύχησιν enim appellat illorū profectum de quo gloriatur apostolus, sed in Christo cui debetur omnis gloria.

Ad bestias pugnaui.) ἐθηριομάχησα, dictio cōposita Græcis. Solebant enim olim damnati bestijs obijci. Mirum est hac de re nullam in Actis fieri mentionem. Nam mihi quidem nō admodum satisfacit quod Græci interpretes, quorū est Theophylactus, detorquēt hoc ad tumultum ab aurifice Demetrio concitatum, ob Ephesiam Dianam. *θηριομαχῆσαι*

Edamus & bibamus, cras enim moriemur.) Vox est diffidentium, ac desperantium de promissis dei. Cras enim moriemur.) ἀποθνήσκομεν, id est, Morimur. Laurentius admonet prouerbiū fuisse Laconicum. Extat autem apud Esaiam cap. 22. totidē uerbis quot citauit Paulus. Quanquam Hebræis uerbum est futuri temporis מָמוּת. Verum hoc ad sensum haud multum refert: & haud scio an Paulus scripserit ἀποθνήξομεν, præsertim cum hic in cæteris Septuaginta non dissonent ab Hebræis. Certe apud Septuaginta sic legimus, φάγωμεν καὶ πίωμεν, ἄυριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.

Corrumpunt mores.) φθείρουσιν ἤθη χρησὰ ὁμιλίαι κακαί, Senarius est Menandri, quem admodum indicat diuus Hieronymus, & constat suis pedibus si seruetur apostrophus, φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί. Nos carmen carmini reddidimus: Mores bonos colloquia corrumpunt mala. *Menandri senarius.*

Euigilate iusti.) ἐκνήψατε δικαίως, id est, Sobrij estote iuste, siue expergiscimini iuste, ut iuste sit aduerbium, id est, sicut oportet & recte. Nam uigilāt quidam etiam ad iniustitiam id quod annotauit & Theophylactus. Alioqui quorsum attinebat iustis præcipere, ut uigilarent, & non peccarent, quod si faciant iusti nō sint? Deinde qui conuenit, ut eos iustos uocet, quos arguit, & de quibus mox subijcit, Ignorantiam dei habent quidam? Quin & Ambrosius, ut ex interpretatione conijcere licet, ita legit, quemadmodum habetur apud Græcos, Iustos, inquit, esse præcepit: quasi euigilate iuste, perinde ualeat, ac si dixisset, expergiscimini ad iustitiā. Atqui qui iustos appellat, non præcipit ut sint iusti, etiamsi in uulgatis exemplaribus scriptum habetur: Euigilate, iusti estote. In uetustiore codice Constantiensi resedit germana lectio, euigilate iuste, ne quis Græcorum consensum contemnat. *Iusti pro iuste mendose.*

Quomodo resurgūt mortui.) ἐγείρονται. Et quod sequit, uenient Augustinus aduersus Faustum libro 11. cap. 3. legit ueniunt ἔρχονται. Quanquam Græca uox anceps est.

Ad reuerentiam uobis.) πρὸς ἐντροπὴν, id est, Ad erubescentiam, & ad pudorem.

Insipiens.) ἄφρον, id est, Stulte, amens, siue insipiens: uox à mente dicta, addita particula priuatiua. Insipiens tu.) Post insipiens, ponenda erat distinctio, ἄφρον, σὺ ὃ σπείρεις, id est, Stulte, tu quod seminas. Distinguit enim pronomine personā hominis à persona dei. Si quod tu seminas, prouenit lōge præclarius, multo id uberius efficiet deus in resurrectione, cuius ille proprie est autor.

Nisi prius moriatur.) Quorsum attinebat addere prius, cum Græce sit, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ, id est, Nisi fuerit emortuum. Augustinus hunc adducēs locum libro ad catechumenos tertio, cap. x. non addit aduerbium prius.

Vtputa.) εἰ τύχοι, ita uertit & paulo superius, ut sit exemplum ponentis. Augustinus in epistola centesimaquadragesimaseptima, pro εἰ τύχοι, uertit ferè.

Sicut uult.) καθὼς ἠθέλησεν, id est, Sicut uoluerit, ut subiūctiui sit modi. Atq; ita sanè adducit Augustinus, in eo quem modo adduximus loco.

Non omnis caro.) οὐ πᾶσα σὰρξ, id est, Non quæuis caro.

Corpora cœlestia & terrestria.) ἐπουράνια & ἐπίγεια, qd' ita sonat, quasi dicas, quæ in cœlo uersant, & quæ in terra uersant: ne de ipsis cœlis, aut de materia cœli terraue intelligamus. *Claritas*

Alia claritas.) δόξα. Eandem uocem, quam modo gloriā uerterat, nunc uertit claritatem. Fortasse quod absurdum putaret dicere gloriam solis, aut lunæ, aut stellarum. Immo maius *δόξα.*

quiddã ſignificare uidetur gloria, dignitas, maieſtas, quàm claritas. Et aliâs interpres δόξαμ maieſtatem uertit. Deniq; cum Paulus eadem uſus ſit uoce, quorſum attinebat interpretẽ Latinis diuerſas uoces obijcere, cum ad id non cogat ſenſus?

διαφέρειν excellere.

Stella enim differt à ſtella.) ἄστηρ γὰρ ἀστέρος διαφέρει, id eſt, Stella enim ſtellam antecellit. Nam id quoq; Græcis ſignificat διαφέρειν.

Seminatur in ignobilitate.) Ambroſius legit ignominia, & rectius, ἐν ἀτιμίᾳ.

Si eſt corpus animale.) Si, redundat, εἰ σῶμα, id eſt, Corpus. Quanquam hanc particulam non attingit Ambroſius uel legẽs uel enarrans, Ne ſcholiaſtes quidẽ. Theophylactus tamen interpretatur: uideri poterat huc repetitum ex ſuperiore, & quod enarrator adiecit, relatum à ſcriba parum attento in contextum.

Stapulenſis.

Factus eſt primus homo Adam.) Faber Stapulenſis admonet homo ſupereſſe. Quanquam in pleriſque Græcis etiam codicibus, quos mihi uidere contigit aſſcriptum reperi, ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἀδάμ, id eſt, Primus homo Adam, tametſi ex interpretatione Ambroſiana ſubodorari licet illum Adam legiſſe, omiſſo hominis uocabulo, cum ait ab apoſtolo duos conſtitui Adam. Deinde in ſecunda particula Adam ſolus repetitur abſq; hominis mentione, nouiſſimus Adam in animam uiuificantem. Conſentaneum autem eſt ab interprete quopiam additum, qui uoluerit explicare quid ſonaret Adam apud Hebræos, nimirũ hominem. Proinde in Geneſi, quoties hominis uocabulum repetitur אָדָם Adam ponitur. Et aliquanto poſt, omiſſo Adam, hominem duntaxat repetit, primus homo de terra &c. Cyprianus in ſermone de zelo & liuore, haud male addidit pronomẽ ille. Qualis ille de limo, tales & qui de limo, uelut exprimens articuli uim: quod & aliâs ab interprete factum optarim, Primus ille homo de terra terrenus, ὁ πρῶτος.

Adam homo.

In animam uiuentem.) Iam puto lector agnoſcis elocutionis idioma toties admonitus ſic dictũ, Factus eſt in animã uiuentem, pro eo quod erat, factus eſt anima uiuens. Quemadmodum illud dicitur: Eſto mihi in deum protectorem.

Præfertur noſtra lectio.

Secundus homo de cœlo cœleſtis.) Græci lectionẽ habẽt à noſtra diuerſam. Idq; cõſtanter, ad eundẽ modũ interpretantibus Chryſoſtomo & Theophylacto, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, id eſt, Secundus autẽ homo ipſe dominus è cœlo. Quanquã ut ingenue dicam, mihi magis probatur, quod in noſtris codicibus ſcriptũ eſt, præſertim cum ita

Additum aliquid apud Græcos.

legant Hieronymus & Ambroſius, & magis reſpondet ad id quod præceſſit, De terra terrenus. Proinde arbitror ὁ κύριος aſſcriptum à ſtudioſo quopiam qui uoluerit orationem reddere explanatiorem: tametſi nos reddidimus, ne non reſponderent Latina Græcis.

Portemus & imaginẽ cœleſtis.) Portabimus futuri tẽporis eſt Græcis, φορέσομεν. Quanquam nonnulli codices habent φορέσωμεν, id eſt, Portemus: nec magni refert ad ſentẽtiam, niſi quod futurum tempus aptius erat huic loco, in quo Paulus agit de reſurrectione futura. Geſtauimus imaginem terreni Adæ, peccando & moriendo, geſtabimus imaginem poſterioris, innocenter uiuendo, & immortalitatem eius quodam modo imitabimur, quoniã hic initium ac meditatio quædam illius eſt. Tolerari poterat & uerbũ hortandi portemus. Vtranq; lectionem indicat Theophylactus, portabimus, ut ſit prædicẽtis futuram immortalitatem, & portemus ut ſit adhortantis ad uitæ puritatem: cui ſatis congruit quod ſequitur, Caro & ſanguis regnum dei non poſſidebunt. Ambroſius legit portemus nõ portabimus. Neq; uero periculum eſt ſi legamus portabimus, ne uideamur cum Arianis ſentire, qui negabant nos à reſurrectione carnẽ habituros: habebimus carnẽ, & eandẽ, ſed nõ per omnia talem. Attingit & hũc ſenſum diuus Ambroſius. Poſſidere nõ poſſunt.) κληρονομῆσαι, id eſt, Hæreditate accipere: & paulo poſt poſſidebit, κληρονομεῖ, id eſt, Hæreditate accipit, uerbo præſentis tẽporis, licet reclamãtibus Latinorũ exẽplaribus. Theophylactus admonet Baſiliũ hæc ita fuiſſe interpretatũ, ut diceret Paulũ hiſce uerbis Corinthios ad innocentiã uitæ uoluiſſe cohortari. Quæ ſentẽtia ſi placet, mollius erat uerbũ pſentis tẽporis, ſed quo rem notet, nõ tẽporis diſcrimen. Quæſo te lector, ut hoc loco cõferas cõmentarios Ambroſianos, cũ his q ferunt falſo nominis titulo, reperies eadẽ uerba, idq; multis aliis locis cõperies.

Duplex lectio

Omnes quidẽ reſurgemus.) Græca ſic habent, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, id eſt, Omnes quidem nõ dormiemus, ſed omnes immutabimur. At diuus Hieronymus ad Minerium & Alexandrũ oſtendit hunc locum biſariam legi apud Græcos, &

hoc

hoc modo,quẽ hic indicaui,& eo modo quo uulgata habet æditio. Atq; hoc sanè loco mirum quàm sudant Græcanica scholia. Theophylactus & Chrysostomus sic legũt,interpretanturq; quemadmodum nos in Græcorum exemplaribus legimus ac uertimus,ut sit sensus,non omnes morituros,omnes tamen immutandos esse. Porrò si quis diffidet citationi nostræ,sciat Chrysostomum ac Theophylactũ haberi Basileæ in bibliotheca Dominicaliũ, unde multis uoluminũ eorum facta est copia. Qui Græce nouit,is poterit excusso loco,me uel cõprobare uel refellere. Nec aliter legit Tertullianus libro de carnis resurrectione. Quod palàm ex illius interpretatione deprehendit,quanq; apostoli uerba recitata deprauauit scriba. Subijcit enim: Quis enim nõ desiderabit dum in carne est,superinduere immortalitatẽ, & cõtinuare uitam lucrifactam morte per uicariam demutationẽ, & cætera quæ sequũtur, quem locum citat & diuus Hieronymus. In hanc sententiam citat locum hunc & Origenes aduersus Celsum libro secundo. Sed præstiterit opinor,ob eos qui diffidũt,ipsius uerba ascribere: Tuba,inquit,signum dabit,& mortui resurgent incorrupti. De uiuis autem immutandis,& à mortuis surgentibus segregatis sic scribit, & nos immutabimur,quod utiq; dixit,ubi prius dixisset,mortui resurgent. Quinetiam & in prima ad Thessalonicẽses epistola,alijs uerbis eandem differentiã præferens,cum alios quidem dormientes, alios uiuentes affirmet,sic inquit: Si enim credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit &c. Ex his satis perspicuum est quid senserit Origenes,nimirũ immutandos omnes pios, & qui resurgent, & qui uiui deprehendentur,nõ morituri quidem illi,sed tamen cum ijs qui mortui fuerant immutãdi. Et ob id initio dixerat omnes immutandos,licet nõ omnes resurrecturos. Se uero ponit Paulus inter eos quos aduentus domini uiuos deprehenderet, propter ea quod Christus eum diem omnibus occultum esse uoluit. Et ex alijs locis apparet, Paulũ semper eum diem expectari uoluisse,licet nõ nesciam ita posse intelligi,ut Paulus sub prima persona,quosuis designarit,quos aduẽtus domini sit reperturus,Nos qui uiuimus &c. Si nunc incidat aduentus domini,quod in nobis accideret,idem accidet in illis quicunq; erunt. Diuus Ambrosius sequi uidetur eam lectionẽ quã uulgo audimus, ut sentiamus non omnes immutandos ad gloriã,quanquã resurrecturi sint omnes ad uitam. Quanquam & is alterã subdit interpretationem,in qua significat fore,qui non moriantur,atq; ob id nõ resurgant, qui tamen immutantur. Neq; enim resurgit,nisi mortuus. Idem aliquãto inferius, explicãs eum locum,In nouissima tuba: canit enim tuba &c. partim meminit huius sententiæ: Mortui autem,inquit,uel peccatores intelligendi sunt,qui etiam uiuentes mortui esse dicuntur, uel certè simpliciter omnes mortuos resurgere dicit, & solos sanctos, qui uiui iusti inuenti fuerint, in gloriam immutari. Sanè cum eo quod Græci legunt magis consentiunt ea quæ Paulus scribit Thessalonicẽsibus: Si enim credimus,quod Iesus mortuus est & resurrexit, ita & deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini,quod nos qui uiuimus,qui residui sumus in aduẽtu domini, nõ præueniemus eos qui dormierũt,quoniam ipse dominus in iussu,& in uoce archangeli descendet de cœlo,& qui in Christo sunt resurgent primi: deinde nos qui uiuimus, qui relinquimur, simul rapiemur,cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra,& sic semper cum domino erimus. In eundem sensum refertur & illud 2. Corinth. 5. eo quod nolumus expoliari sed superuesti,ri,ut absorbeatur quod mortale est à uita, hoc est,ut sine morte tribuatur immortalitas. Ex his liquet, nõ omnes dormituros, sed aliquos fore residuos in aduẽtu Christi. Sunt qui dicant in momẽto & illos subito morituros ac reuicturos, qui residui fuerint, quã opinionẽ refert Augustinus libro de ciuitate dei. xx. capite xx. sed ut coniecturam duntaxat,quæ nõ sit omnino reijcienda, non ut sententiam aut decretum. Idem inibi declarat & Latina uariasse exemplaria. In nõnullis scriptum fuisse: Omnes quidem resurgemus, in alijs, Omnes quidem dormiemus. Cæterum ex utraq; lectione consequi, ut moriantur omnes, propterea quod nemo resurgat nisi mortuus. Cæterum hanc lectionem, Omnes quidem resurgemus, quam sequitur Ambrosius, Hieronymus in epistola ad Minerium negat inueniri in codicibus Græcorum. Quin & is qui commentariolos collegit in omneis Paulinas epistolas,quos quidam Hieronymi putant, sed falsò, quod uel ipsa satis testatur præfatio, quanquam hanc puto alterius esse, quàm sit ipsa collectio commentariorum quos apparet esse studiosi cuiuspiam nec indocti,è diuersis ueterum commentarijs compendium cõtrahentis.

Theophylacti et Chrysostomi sententia

Tertullianus.

Hieronymus

Origenes.

Nota 1 Thessa 4.

Non omnes morientur.

Augustini opinio.

Cõmentarij in epistolas Pauli falsò inscripti Hieronymo.

tis. Quisquis enim is fuit qui præfatiunculam adiecit, cum sit infans ac balbus, tamen impu
Lectio tri/ denter affectauit haberi Hieronymus. Verum ut dicere cœperam, quisquis fuit eius operis
plex. rhapsodus, indicat triplicem huius loci lectionem: Omnes quidem resurgemus, sed non o/
mnes immutabimur: ut immutari sit proprium transeuntis ad uitam beatam: cuius lectio/
1 nis & hunc sensum facit, omnes resurgemus qui mortui reperiemur, non omnes immuta/
bimur, qui in corpore uiui reperiemur, quod soli pij sint immutandi, multi autem impij de/
prehendendi uiui. Alteram: Omnes quidem dormiemus, sed nō omnes immutabimur, ut
2 accipiamus neminem non moriturum, non omnes item immutandos ad gloriam. Tertiā:
Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur, ut intelligas non omnes mo/
3 rituros, omnes tamen transformandos ad eandem gloriam. Siquidem totus hic sermo nō
ad omneis homines communiter, sed ad iustos proprie pertinet. Atq; hanc postremam le/
Aquinas. ctionem maxime probat, ut apostolico sensui maxime congruentem. Nec Aquinas tacuit
hanc triplicem lectionem, nullam improbans, licet Hieronymum sequutus præferat uulga
tam hanc, sed ita ut diuersam neget pugnare cum fide, aut habere sensum hæreticum. Por/
rò quod quosdam offendit, parum uideri uerum quod scriptum est: Statutum est omnibus
semel mori, si dicamus quosdā non morituros, facile soluit, quando paucorū prærogatiua,
non officit legi cōmuni, quemadmodū aliquoties admonet Origenes. Neq; enim ideo ue/
rum non est, quod scripsit Paulus: Omnes in Adam moriuntur, & omnes in Adam pecca
uerunt, si Maria fuit ab omni peccato immunis. Neq; cōtinuo falsum est quod scripsit pro/
pheta, nō esse qui uacet peccato ne infantem quidem unius diei, si dicamus Hieremiam, ac
Ioannem Baptistā absq; ullo peccato & natos fuisse & uixisse. Sed quid his argumentis uti
Valla mur? Quum ipse Hieronymus scribēs ad Marcellam quæstione 3. palam affirmet fore qui
uiui transformetur ad gloriam immortalitatis, Eius uerba subscriberem, nisi hoc loco recen
sa fuisset glossa quam uocant ordinariam. Atq; hic unus est scrupulus qui commouit Augu/
stinum & alios nonnullos, ut à Græcorum lectione abhorrerent. Siquidem Augustinum
etiam illud offendit, In Christo omnes uiuificabūtur, præsertim cum addat, Tu quod semi/
nas nō uiuificatur, nisi prius moriatur. Atq; his Pauli uerbis existimat nos urgeri, ut creda/
mus uiuos subito in ipso raptu morituros ac reuicturos, cum mea sentētia nihil sit necesse,
si præsentem Pauli sermonem ad eos accōmodemus, qui obdormierint ante aduentū Chri
sti. Neq; enim hic in hoc laborat Paulus, ut persuadeat neminem nō moriturum, quod ne/
Augūst. quaquam est creditu difficile, sed ut persuadeat eos qui sepulti sunt, seminis in terram condi
ti modo reuicturos. Et tamen idem Augustinus libro de dogmatibus ecclesiasticis, tametsi
liber is non uidetur eiusdem autoris, planè pronunciat æque catholicos esse, qui Græcorum
lectionem, quā unam nunc habent, sequerentur. Quum enim cōmemorasset eorum senten
tiam, qui nolebant quenquā exemptum esse à cōmuni lege moriendi subijcit: Verum quia
sunt & alij æque catholici & eruditi uiri, qui credunt anima in corpore manente, immutan
dos ad incorruptionem & immortalitatē eos qui in aduētu domini uiui inueniendi sunt,
& hoc eis imputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione depo/
Valla nant non morte, quo libet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi ex contentione hæ/
reticus fiat. Sufficit enim in ecclesiæ lege carnis resurrectionem credere futuram de morte.
Augustinus, siue quisquis fuit eius operis autor, æquat utranq; lectionem, ac mihi uidetur
is sensus quem Græci codices quos hodie uidemus sequūtur efficacius astruere resurrectio
nem quàm alter: quū enim in nonnullis eadem corpora dicuntur immutanda ad gloriā im
mortalitatis, magis profligatur illorum error, qui negabant eadem corpora resurrectura.
Quod si uerum esset, iam esset inæqualitas inter beatos, alijs suum corpus possidentibus,
alijs alia quædam quæ prius non habuerant. Porrò quod Augustinus libro de ciuitate dei
xx. cap. xx. torquet illud Pauli ad Corinthios, Tu quod seminas non uiuificatur, nisi moria
tur, non hoc agit illic Paulus, ut doceret neminem non esse moriturum, sed ne quis despera
Quod prima fronte absur/ ret se à morte resurrecturum, cum semen etiam putrefactum in scrobe, surgat in herbā. Pro/
dius, id maxi inde quæ lectio maxime sit amplectenda, uiderit eruditus lector. Non suscepi de huiusmo/
me deprauatur. di pronunciandi negocium, nisi quod, ut dixi, Græcorum lectio magis congruit cum alte/
ro loco qui est ad Thessalonicenses. Et quoties ueteres fatētur lectionem esse diuersam, sem
per mihi suspectior esse solet ea quæ prima specie uidetur absurdior, ut consentaneum sit, le/

ctorem

ctorem uel parum eruditum, uel parum attentum offensum absurditatis imagine, mutasse scripturam. Licet sciam, ut dixi, in libello Hieronymi ad Alexandrū & Minerium, cōmemorata & exposita utraq; lectione, præferri hanc, qua nunc uulgo utimur. Porrò uariādæ scripturæ suspicor hanc occasionem fuisse. Qui legebat, Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur, non animaduertens Paulum hic loqui proprie de resurrectione piorū, existimauit non competere in omnes uerbum, immutabimur, cum impij nō sint immutandi. Siquidem immutationem hic appellat transitum ad felicem immortalitatem. Ac mox cum subijcit, Et mortui resurgēt incorrupti, & nos immutabimur, offendit lectoris animum parum attenti, quo consilio quum ante de pijs dixisset, Omnes immutabuntur, nūc ueluti superuacue quod dixerat repetēs dicat, Et mortui resurgēt incorrupti, & nos immutabimur. Nec animaduertit Paulum hic separasse pios mortuos à pijs uiuis: cum enim ait, Et mortui resurgent incorrupti, sentit de pijs qui iam ante Christi aduentū obdormierant in Christo: cum addit, Et nos immutabimur, explicat id quod paulo ante cœperat dicere, Non omnes quidē dormiemus, sed omnes immutabimur. Et tamē solus hic scrupulus mouit Hieronymum, ut præferret lectionē apud nos uulgatā. Porrò se Paulus, ut dixi, numerat inter eos quos ille dies esset in uita reperturus, siue hoc uere putauit, siue docendi gratia transfert in primam personā, quod sub quauis persona dici poterat Iam quod de pijs hic loquitur, declarant tum ea quæ præcedunt, tum ea quæ sequuntur hūc locū. Nam ante docens hic meditandam esse nobis illius uitæ immortalitatem: Hoc autem inquit dico fratres, quoniā caro & sanguis regnum dei non possidebunt, neq; corruptio incorruptelam possidebit. Ac mox ad idem redit: Oportet enim corruptibile hoc &c. Ac rursum, Vbi est mors stimulus tuus &c. Hæc nimirū omnia cōgruunt in pios nō item in impios. Cum igitur pleroscq; hæc haberet opinio, Christum quemadmodum in euangelio promiserat subito aduenturum, iamq; didicissent à Paulo resurrecturos esse mortuos, ac diuino sistendos esse iudicio, rogabant quid futurum esset de ijs, quos ille dies offendisset uiuentes: respondet & hos etiamsi nō resurgant eo quod mortui nō sint, ad idem immortalitatis præmium transferendos, ac per omnia æquandos & iungendos ijs, qui reuixissent. Vides optime lector quàm hic nihil sit quod in me debeat reprehendi. Nam quod sequor eam lectionem, quæ sola nunc habetur in libris Græcorum, cum Græca uertam, nō licuit secus facere. Et tamen ex hoc loco duo quidam, tanti Theologi, ut sibi persuaserint semel ruituram uniuersam ecclesiam, nisi eam suis humeris fulcirēt, Alter episcopi quoq; dignitate præfulgens, uterq; professor eius religionis, quæ baptismi professionem penè reddidit irreligiosam, atrocem calumniam mihi struxerunt. Alter in corona frequenti nobilium & eruditorum hominum apud summos principes, impegit, quod tollerem resurrectionem, propterea quod concederem non asseuerarem, aliquos in aduentum domini non morituros. Alter in publica & ordinaria professione impegit hæresim, quod inducerem lectionem cōtradictoriam ei quam sequitur ecclesia. Primum ut demus hic esse ueram ἀντιλογίαμ, ut demus ecclesiam hanc lectionē sic approbare, ut damnet diuersam, ut demus inesse sensum hæreticum, tamen mihi non poterat impingi crimen, qui nihil aliud profiteor, quàm interpretem. Nisi forte semet hæreseos obligauit Hieronymus, quum bona fide uerteret libros Origenis, περὶ ἀρχῶν: qui potius reprehendēdus erat, nisi quod ille scripserat reddidisset. Nunc docuimus tot orthodoxos uiros utramq; lectionem agnoscere, & adeo nō damnare alteram hæreseos, ut Thomas nominatim etiam admoneat, in ea quam Hieronymus non reprobat, sed ei quam hodie tenent Latini, postponit, non inesse sensum hæreticum. Porrò causam cur Hieronymus hanc prætulerit, ostendimus nullius esse momenti, item alias causas quæ mouebant Augustinum, indicauimus posse dilui. Quin & Petrus Lombardus libro iiij. dist. xliij. referēs Augustini uerba ex libro de ciuitate dei xx. hæc sua intertexuit. Sed uellem de his potius audire doctiores. An ille tam hebes erat, ut non uideret hæresim & ἀντιλογίαμ, quam uiderunt isti? Certe pueri sciunt, quot res requirantur ad hoc ut uera sit ἀντιλογία. Nam Ambrosius eūdem facit sensum huius proloquij, nō omnes resurgemus, & huius omnes resurgemus. Etenim si loquaris de his qui ante Christi aduentum decesserant, uerum erit proloquium, Omnes resurgemus: si promiscue de ijs qui prius decesserant, & ijs, quos dies ille uiuos offenderit, æque uerum erit, nō omnes resurgemus. Nec hoc magis mirum, quàm si duo simul uerum

dicant,quũ alter pronunciet omnes Theologos esse synceros,de Louanien sibus sentiens, alter,non omnes Theologos esse synceros,de cunctis in genere sentiẽs. Nec mirum si Paulus in utroq; numero ponit seipsum,quum docendi gratia prima persona pro quauis abutatur.Hæc quum partim à nobis fuerint annotata, partim apud celebres autores habeantur,partim ita sint perspicua,ut uel cæco,quod aiunt,appareant,quæ tandem ista rabies est in talibus uiris,qui se lumina mundi uideri uolunt? Sed istis opto mentem saniorem,ecclesiæ,patronos his meliores.Nam hi planè non quærunt ea quæ sunt Iesu Christi,sed sub alio titulo plusquam Pharisæi,gloriæ suæ uentriq; suo seruiunt. Amant πρωτοκαθεδρίας in scholis,gaudent ijsdem in opiparis conuiuijs, amant salutari Rabbini, uenantur mitras & Abbatias, & adulantes hominibus adulterant sermonem dei, suisq; traditiunculis obscurant & obruunt scintillam charitatis Euãgelicæ,idq; faciunt adeo palàm,ut diffisi præsidijs quibus armatos decet esse Theologos,ad uiolentiam confugiant:quasi cogi possit humanum ingenium,ut aliud credat quàm sentiat. Vtinam aliquando expergiscatur Christus, & hoc Iudaismo atq; hac tyrannide liberet populum suum.Nisi forte ideo nos redemit suo sanguine,ut huiusmodi portentis seruiamus.

In momento.) ἐν ἀτόμῳ,id est,Puncto temporis indiuisibili,à τέμνω seco, & ἀ particula priuatiua, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ,id est,In ictu oculi. Hieronymus ad Minerium,indicat utrunque inueniri,& ῥιπὴ, id est,ictus, & ῥοπὴ, id est,motus. Prius translatum est ab ictu teli seu fulminis,secundum à motu lancis seu libræ:& alterũ à ῥίπτω dictum, alterum à ῥέπω. Laurentius suspicatur interpretem scripsisse non ictu,sed nictu,hoc est,motu oculi. ῥιπή. ῥοπή.

Canet enim tuba.) σαλπίσει γάρ, id est,Canet enim,& subauditur tuba,quæ præcessit:nisi mauis dicere,Buccinabitur enim,aut sicuti uertit quidam in homilia Origenis in Matthæum xxx.tubabit,explanate potius quàm Latine:nisi placet angelum subaudire, de quo tamen hoc loco nulla mentio. In Ambrosianis commentarijs hæc non addũtur,Canet enim tuba,quod satis apparet librariorum uicio prætermissum, etiamsi nec in interpretatione significat se legisse.In codice Donatiani scriptum erat,Canet enim,& mortui resurgent.

Cum autem mortale hoc induerit.)Repetitur Græcis utraq; pars, Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem,& mortale hoc induerit immortalitatem,ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν,καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν, licet refragantibus exemplaribus Latinis. Augustinus tamen iuxta Græcos citat hunc locum sermone xliij.in Ioannem. Rursum sermone de uerbis apostoli secundo,atq; item tertio.

In uictoria.) Ambrosius legit cõtentione. νεῖκος enim si cum diphthongo scribatur,contentionem sonat,sin secus,uictoriam significat,atq; ita Hieronymus legit alicubi in epistola aduersus Ioannem episcopum Hierosolymitanum. Rursus in commentario Oseæ legit Cõtentione:& pro stimulo legit Aculeum.Nam illud est minutius quod Græci sermonis ordinem immutauit uel interpres,uel librarius, πῦ σου θάνατε τὸ κέντρον, πῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος; id est, Vbi tuus mors aculeus,ubi tua inferne uictoria? Cæterũ testimonium quod adducit,sumptum est ex Oseæ cap.xiij. idq; magis iuxta Septuaginta, quàm iuxta Hebraicam ueritatẽ, quæ sic habet,interprete Hieronymo:Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne. Iuxta Septuaginta ad hunc legimus modum. πῦ ἡ δίκη σου θάνατε, πῦ τὸ κέντρον σου ᾅδη; id est, Vbi est causa siue uindicta tua mors,ubi est aculeus tuus inferne? Porrò quod septuaginta transtulerunt,πῦ ἡ δίκη σου, hoc est, Vbi causa tua,Hieronymus uertit, Ero mors tua:Symmachus interpretatus est,Ero plaga tua:Quinta æditio & Aquila, Vbi sunt sermones tui? Hebræis est uerbum דבר,quod si scribatur per duo cametz דָּבָר, sonat uerbum,sin per sex puncta דֶּבֶר sonat mortem siue pestem,iuxta illud quod in Esaia legimus,Mortem misit dominus in Iacob,& uenit in Israël.Hieronymus uertit, Verbũ misit in Iacob,& uenit in Israël.Præterea pro aculeo quem Hieronymus maluit uertere Morsum,Symmachus ἀπάντημα transtulit,hoc est,Occursum: Theodotion & quinta æditio Plagam interpretati sunt.

Deo autem gratias.) Τῷ δὲ θεῷ χάρις, id est, Deo autẽ gratia,ut subaudias est, aut sit,quomodo loquuntur & Latini.

Stabiles sitis & immutabiles.) ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι.Et,copula redundat. Dicũtur autem ἑδραῖοι, qui firmam ac certam tenent fidem: ἀμετακίνητοι, qui aliunde aliò moueri & abduci non possunt.

Ex capite

EX CAPITE DECIMOSEXTO.

DE collectis.) περὶ δὲ τῆς λογίας, id est, De collecta siue collectione, nouũ apud Paulum uerbum, à colligendo, siue à legendo dictum. Apparet metaphoram ductam à fœtibus arborum aut terræ, quæ legi dicũtur: unde & legumínibus uocabulum. Collationem poterat uertere, nisi uerbũ hoc collectæ, tum, ut arbitror, solenniter receptum uulgo magis placuisset.

Per unam sabbati.) σαββάτων, id est, Sabbatorum. Theophylactus admonet Vnam dictam esse, pro primam: significari autem diem dominicum. *Vna, pro prima.*

Recondens.) θησαυρίζων, id est, Thesaurizans, quod tandẽ uertit Latine, solitus ante hac Græcam uocem relinquere.

Quod ei bene placuerit.) ὅτι ἂν εὐοδῶται. Laurẽtius ita uertendũ existimat. Quod facile aut leue sit, siue qd̃ bene cedat. Mihi rectius uertendũ uidet̃, Quicquid cõmodum fuerit, & quicquid deo prospero cõtigerit. Hoc aũt addidit, ne forte puderet muneris parũ magnifici. Interpres legisse uidet̃, εὐδόκηται, p̃ εὐοδῶται. Certe Theophylactus nobiscũ facit, sic enarrans, ὅτι ἂν ὁ θεὸς εὐοδώσῃ καὶ πέμψῃ, ⁊ ὃ εὐχερὲς ἔχῃ. Ex Ambrosio non liquet quid legerit.

Perferre gratiam uestram.) τὴν χάριν ὑμῶν. Hic planè gratiam pro beneficio posuit, sed gratis collato. Quod si dignum fuerit.) ἐὰν δὲ ᾖ ἄξιον, Græcis hæc uox aliquanto secus usurpatur nõnunquam atq; apud nos, pro tanti est: unde nos uertimus, quod si fuerit operæprecium, hoc est, si res fuerit tanti.

Nam Macedoniam pertransibo.) Nihil refert ad sententiam, tametsi διέρχομαι ambiguũ est ad utrunq; tempus: unde non perperam uertit Pertransibo.

Vel etiam hyemabo.) Quanquam hyemandi uerbum apud Suetonium in Cæsare Augusto, sic uidet̃ usurpari, quasi sonet affligi incõmodo hyemis, & apud Sallustiũ notante Seneca, noue dictum est hyemare mare, cum tempestate molestum est, tamen subinde reperitur, idem uerbum in commentarijs Cæsaris pro hybernare, hoc est, Hyemem transigere.

In transitu uidere.) ἐν παρόδῳ, id est, Obiter, ac uelut aliò properans.

Vsq; ad pentecosten.) ἕως τῆς πεντηκοστῆς, Et usq; ad quinquagesimũ, ut subaudias, diem: neq; enim de festo loquitur, opinor: & haud scio, an pẽtecostes festum id temporis notum fuerit gentium auribus, præsertim cum Paulus in epistola ad Romanos, quam cõstat post hanc esse scriptam, tollat omne discrimen dierum, & infirmos uocet, qui diem cum die conferunt. Certe nullus ueterũ interpretum, quantũ equidem memini, facit ullam festi mentionem. Thomas satis frigide se hinc explicat, asscribens, Forte hæc epistola missa fuit in hyeme, seu in uere, & tunc post pentecosten debebat ire in Macedoniam, & morari ibi usq; ad hyemem, & tũc ire Corinthum & hyemare. Theophylactus citra cõtrouersiam interpretatur, usq; ad quinquagesimũ diẽ, asscribẽs hoc esse argumentũ insigniter amantis, quod temporis etiã modũ præscripsisset. Item Ambrosius interpretat̃, ideo diutius manendũ Ephesi, quod illic multos haberet aduersarios, & fructus esset ingẽs. Neuter de festo uerbũ facit. Quanq; in actis cap. xx. cũ ait τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, uidet̃ aliquod festũ ludæis significare. Etiamsi Beda in glossa ordinaria putat paschæ & pentecostes festũ, etiã apostolorũ temporibus fuisse celebratũ ritu Christiano. Hoc cõmentum opinor ab illis repertũ ne Paulus crederetur obseruare dies festos ludæorum, quos docuerat esse negligẽdos. Apud priscos illos magna cõtentio fuit de tẽpore ritúq; celebrandi paschæ festũ, quod si ab hoc die numerent̃ quinquaginta, erit eadem cõtrouersia de pentecostes die, de quo tamẽ nulla fuit controuersia, Verum hac in re suo quisq; iudicio fruatur incolumi charitate. *Pentecoste quinquagesimus dies.* *Thomæ sententia.*

Et aduersarij multi.) Consentiunt quidam Græci codices cum nostra uulgata æditione. Quanq; aptius alioqui uidebatur quod adducit Hieronymus in cõmentarijs quibus explicat Iohelem, Ostium mihi apertum est magnum & euidens, sed aduersarij multi: ut intelligas spem fructus esse uberem, sed non sine negocio, ob eos qui conarentur impedire.

Magnum & euidens.) μεγάλη μοι ἐνεργής, id est, magnum & efficax. Scribitur enim per ε non per α. Interpres legisse uidetur, ἐναργής per α, idq; Græcis sonat euidens: atq; ita legit Ambrosius, secus Chrysostomus & Theophylactus.

De Apollo aũt fratre.) Fratre, & notum uobis facio, hæc uerba in Græcis codicibus non inuenio, fratre inuenio in quibusdã. Verũ hæc eclipsis familiaris est epistolis, ut subaudiat̃,

respondeo,aut scito,aut aliud huic simile. Veluti,de libris quos putabas periisse,sunt in tuto apud generum.Itaq; ob simplicem lectorem,interpres adiecisse uidetur,Notũ uobis facio.

Et utiq;.) πάντως.More suo uertit Vtiq; pro omnino.

Non erat ei uoluntas.)οὐκ ἦν θέλημα,id est,Non erat uoluntas.Ei,addidit interpres explicandi causa. Theophylactus ad dei uoluntatem refert,cui non fuerit ita uisum.

Cum ei uacuum fuerit.) ὅταν εὐκαιρήσῃ, id est, Cum erit opportunũ: quanq; uacat idem efficit,& ita uertit in actis apostolorum,Athenienses ad nihil aliud uacabant, εὐκαίρουν.

Enim, redundat. Omnia enim uestra.) Enim,hoc loco prorsus ociosum est.Nec est usq; apud Græcos,sed πάντα ὑμῶν, nec additur apud Ambrosiũ, ac ne in Paulino quidẽ exẽplari aut Constantiensi.Exponit enim quid dixerit confortari.Superstitio reddit infirmos,charitas fortes.

Nostis domũ Stephanæ & Fortunati & Achaici.) Fortunatũ & Achaicũ hoc loco Græci codices non habent,sed tantũ Stephanam,licet hi tres paulo post coniungantur.In Constantiensi Fortunatus addebatur,Achaicus nequaq;.Et hoc loco domus familiã significat, quã primitias Achaiæ uocat,quod prima susceperit Christũ.Porrò quod οἴδατε uertit,Nostis,potest intelligi & Noueritis:ut iubeat agnosci benemeritos, maxie quia paulo post de ijsdem loquẽs,Cognoscite ergo,inquit,huiusmodi.Ambrosius interpretatur cognoscere, honorẽ habere,assentiẽte & Theophylacto. *Cognoscere. pro honorem habere.* Quod uobis deerat.) τὸ ὑμῶν ὑστέρημα,id est, Vestrũ defectũ: nempe quoniã pro omnibus uenerant ad Paulum. Ita quod deerat,id est, quod Paulus desiderabat in Corinthijs,nimirũ præsentiã illorũ,id isti suo aduentu supplerunt.Faber legit ὅτι ὑστέρημά μου,id est,Quoniã defectũ meũ.uerũ id ad sensum perparui refert.Et paulo superius, ἐν παρουσίᾳ, uertere poterat In aduẽtu.Ambrosius anceps hoc loco, utrunq; sensum attingit,ita ediserẽs,Quia præsentes sunt apud uos,& in illis magnũ potestis habere profectũ,siue quia mihi uenerunt pro uobis ministrare officium charitatis.

Ipsi suppleuerunt.) οὗτοι,id est,Hi.Interpres legisse uidetur αὐτοί.

Prisca.) Græce Priscilla,quemadmodum & superius.

Cum domestica sua ecclesia.) Recte quidem uertit, sed non ad uerbum,ut Ambrosius, Cum ea quæ in domo eorum est ecclesia,σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ:uerum hic maluissem Cõgregationem,quàm Ecclesiam,quum significet familiam Christianam.

Apud quos & hospitor.)Hoc non reperio additum in Græcis codicibus,quanq; ita legit Ambrosius. Mea manu Pauli,) Mea,casus est ablatiui.Mea,nempe Pauli.

Anathema, maran atha. Anathema sit.) Hac uoce Paulus solet extremũ exitiũ significare, quod Hebræi uocant חֵרֶם. Cæterum maran atha, Ambrosius putat uocem Syram esse potius quàm Hebraicã, licet inter has linguas nõnulla fuerit affinitas:sonare autem apud illos,dominus noster uenit.Quanq; inter Hebraica uocabula,quæ nullo certo autore feruntur, reperio maran atha expositum,In aduentu domini nostri,ut cohæreat cum superiori, *Sit* anathema in aduẽtu domini nostri,ueluti referat finem Malachiæ,Ne forte ueniam & percutiam terram anathemate.Theophylactus ad Ambrosij sententiam interpretatur,Dominus uenit,uultq; uideri ceu iusiurandum,quo cõfirmet dominum aduenturum. Eadem fermè Diuus Hieronymus in epistola quadam ad Marcellam, cuius super hac re uerba non grauabor asscribere: Maran atha magis *Syrum* est quàm Hebræum. Tametsi ex cõfinio utrarumq; linguarum aliquid & Hebræũ sonat: & interpretatur מָרָן אֲתָא Dominus noster uenit, ut sit sensus, *Si* quis non amat dominũ Iesum,anathema sit,& illo cõpleto deinceps inferatur, dominus noster uenit.Quod superfluum sit odijs pertinacibus aduersus eum uelle cõtendere,quem uenisse iam cõstet.Hactenus Hieronymus.Nec his dissimilia scripsit Augustinus.Illud admonendum erat, in Dominus noster uenit,uenit esse præteriti temporis, est enim ἦλθε, id declarantibus Græcis interpretibus,si parum ex interpretatione Hieronymi liqueret.Rursus hic mihi monendus est lector, hæc uerba quæ modo retuli ex Hieronymo,Maran atha magis *Syrum* est quàm Hebræum,tametsi ex confinio utrarũq; linguarum aliquid & Hebræum sonat,& interpretatur dominus noster uenit,habentur eadem in commẽtarijs Ambrosianis,& in his scholijs quæ feruntur Hieronymi titulo.

ANNOTATIONVM IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS PRIOREM FINIS, PER ERASMVM ROTERODAMVM.

IN EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS SECVNDAM ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI.

IN uniuersa Achaia.) ἐν ὅλῃ, id est, In tota, nimirū reliqua: nam ipsa Corinthus est in Achaia cuius & metropolis est.

A deo patre & domino.) Leuiculum est quod admonet Laurētius de amphibologia, quasi legi possit, A deo patre nostro & domini Iesu Christi. Siquidem id Paulo est peculiare, patrem uocare deum, Christum dominum. Admonuimus & aliâs sermonem Græcis esse ancipitem: nam potest accipi ut gratia proficiscatur à patre & à filio, aut ut proficiscatur à patre, communi Christo & nobis. Cæterum quod Ambrosius tantū legit, A deo, nec addit, patre & dño nostro Iesu Christo, fortassis scribarum accidit uicio.

Et totius consolationis.) Magis hic quadrabat, Omnis consolationis. Atq; ad eum modum refert Hieronymus in cōmentarijs Esaiæ. Quidam exponunt perfectam consolationem. Et in hac epistola lector si non pigebit conferre commentarios Ambrosij, cum scholijs quæ feruntur nomine Hieronymi, uidebis miram confusionem. Hoc studium nō erat omnino damnandum, si quod factum est in aurea catena, idem hic fuisset factū. Nunc mutilum habemus Ambrosium, imò confusum, nec hos habemus integros.

Per exhortationem.) διὰ τῆς παρακλήσεως, id est, Per consolationem. Est eadem uox quā modo Consolationem uerterat.

Et exhortamur.) παρακαλούμεθα, id est, Consolamur: quàm intempestiua copiæ affectatio.

Qua consolamur & ipsi.) Interpres legit, ἣν καὶ αὐτοί, id est, Et ipsi, cum apud Græcos non addatur coniunctio καὶ, nec mihi displicet addi. Sicut nos consolante deo fortes sumus in rebus asperis, ita conuenit nostra fortitudine, uicissim cōfirmari animos aliorum, uel exemplo, uel exhortatione. Et consolamur hoc loco passiuum est, unde Ambrosius legit, Exhortationē consequimur. Cum sint autem duæ partes orationis, siue & siue, quarum utraque respondet uni clausulæ, nempe huic, Et spes nostra firma est pro uobis, quæ apud nos adijcitur posteriori, Græcis in medio ponitur, à quibus tamen hic dissentimus. Cæterum miror quod sequutus exēplar Aquinas ex duabus partibus tres facit, siue tribulamur pro uestra exhortatione, siue consolamur pro uestra consolatione, siue exhortamur pro uestra exhortatione: sed reclamantibus Græcorum pariter ac Latinorum exemplaribus, etiam uetustis, nominatim Paulino & Donatianico, ad hæc utroq; Constantiensi. Neque uideo quis locus hic esse possit tertiæ parti, cum consolari & exhortari Græcis idem sit uerbum: & tamē ad eum modum ille interpretatur etiam, non solum legit. Nam apud Ambrosium opinor eandem sentētiam alijs uerbis repetitam, cum ita legit, Siue autem angustiam patimur, pro uestra exhortatione & salute: ac mox interiecto commentariolo, Siue autem pressuram patimur pro uestra exhortatione & salute, siue exhortationem consequimur pro uestra exhortatione, quæ operatur &c. Item in Theophylacto uerso, de suo addidit interpres, bis explicans Græca: quanquam nec Chrysostomus diligenter enarrans hunc locum, nec Theophylactus attingant plures partes quàm duas: quanquam alioqui potest & hic accipi sensus, ut singulis particulis proxima respondeat. Siue tribulamur, id fit ad exhortandos uos & ad salutē uestram, ut nostro exemplo roboremini, si quid afflictionis inciderit. Siue refocillamur consolatione, id fit ad cōsolationem uestri, ut eadem passi, speretis eadem. Atq; ita particula quæ sequitur, Et spes nostra, peculiariter pertinebit ad partem posteriorem. Hoc adieci quod uideam Paulū & aliâs huiusmodi sermonis forma usum, uelut illic, Neq; enim qui in manifesto Iudæus est, aut in carne circūcisio. Nam coniunctio καὶ, non patitur has particulas adhærere superioribus.

Thomæ lectio excussa.

Pro

Pro uestra exhortatione.) Rursum est παρακλήσεως. id est, Consolatione: quanquam & apud Ambrosium hæc uideo cõfundi, quasi nihil admodum interfit inter exhortationem & consolationem, quod quisquis consolatur, hortatur ut forti sis animo.

Quæ operatur tolerantiã.) τῆς ἐνεργούσης, siue ut quidã habent ἐνεργουμένης. ἐν ὑπομονῇ πολλῇ, id est, Quæ operatur in tolerantia multa. Operatur autẽ est agit, ac uim suam explicat & aperit.

Earundem passionum.) τῶν αὐτῶν παθημάτων, id est, Eorũdem malorum, siue dolorum, aut earundem afflictionum. Et paulo post, κοινωνοί ἐστε τῶν παθημάτων, id est, Participes estis malorum, aut afflictionum: nam passio uox est dura Latinis auribus.

Sic & consolationis eritis.) Eritis, additum est. Videtur autem subaudiendum Estis potius quàm eritis: nam apud Græcos non additur. Sentit enim hic quoq; utrunq; esse cõmune, afflictionem malorum, & consolationem dei. & in hanc sententiam interpretatur Theophylactus suo more sequutus Chrysostomum. Siquidem Ambrosius legit, Ita ut desperaremus nos etiam uiuere: & interpretatur afflictiones processisse usq; ad mortem illatam.

Quæ facta est in Asia.) Græci addunt nobis, τῆς γενομένης ἡμῖν ἐν τῇ ἀσίᾳ, id est, Quæ contigit nobis in Asia.

Tæderet, pro desperaremus

Ita ut tæderet nos etiam uiuere.) ὥς τε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν. potest accipi, Vt desperaremus etiam de uita. Atque in hunc sensum accipit diuus Ambrosius, & huic consentiens Theophylactus.

Pericula, pro mortibus.

Responsum mortis.) ἀπόκριμα, uelut ipsis periculis nihil aliud denunciãtibus q̃ mortẽ.

Et tantis periculis.) ἐκ τηλικούτου θανάτου, id est, Tanta morte. Est enim τηλικοῦτος, quod quantitatem significat potius q̃ qualitatẽ. Ambrosius propius accedens ad Græcam ueritatem legit, De tãtis mortibus, quemadmodũ legit Chrysostomus, ostendẽs ὑπερβολικῶς ingẽtia discrimina, dictas esse mortes. Noster interpres sat habuit reddidisse sententiã: sentit enim mortes, afflictiões morti proximas. Si nihil licet mutare, cur hoc ausus est interpres?

Eripuit & eruet.) ἐῤῥύσατο καὶ ῥύεται, id est, Eripuit & eripit: idem uerbum apud Græcos, nisi quod posterius est præsentis temporis. Alioqui si legamus hic Eruet, qui cõgruit quod mox sequitur, In quem speramus, quod & adhuc eripiet? In Ambrosio uerbum præsentis temporis quod est in medio non additur, sed omissum est, ut arbitror, scriptoris incuria.

In quem speramus.) εἰς ὃν ἠλπίκαμεν, id est, In quem sperauimus: tametsi in huiusmodi uerbis sæpius utũtur præterito pro præsenti, ut δέδια, γέγηθα. nam illud Sperauimus sonat, quasi dicas, Spem fiximus.

Ex multarum personis faciẽ, locus obscure reddi/tus.

Vt ex multarum personis facierum.) Græce sic habet, ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων, τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα, διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν, id est, Vt ex multis personis, de dono in me collato, multis modis gratiæ agantur pro nobis. Pro ἐκ πολλῶν προσώπων, Ambrosius uertit, In multorũ facie, ut intelligamus gratias publicitus agendas: nam πρόσωπον apud Græcos non solum personam, sed & aspectum ac faciem sonat, & sic διὰ πολλῶν erit per multos, ut subaudias ἀνθρώπων. Potest & sic accipi, ἐκ πολλῶν προσώπων, id est, multis modis, quandoquidem speciem rei faciem uocamus. Nec satis queo diuinare, quid noster legerit interpres, cum eadem uox Græcis & faciem significet & personam: nisi fortasse quispiam Græce peritulus adiecit facierum, uolens interpretari quid Græcis esset προσώπων. Nam uetustior codex Constantiensis habebat rasuram, prima scriptura fuisse uidetur, ex multorum facie, personis asscriptum erat in spacio. Laurentius diuersam sententiam commentus est, uidelicet hanc, ut de gratia in me ex multis personis, siue respectu multorũ collata, p multos gratiæ agant propter uos. Neq; mihi displicet hoc inuentũ, nisi quod nõnihil reclamat articulus parũ cõmode positus ad hanc sententiã. Cõmodius enim fuerat, ἵνα τὸ ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα. Quod in nobis est, siue ut uertit Ambrosius, Donũ in nos collatũ. Et ὑπὲρ ἡμῶν, ut habet Theophylactus & Ambr. pro nobis, primæ psonæ, quibusdã Græcis est ὑπὲρ ὑμῶν, pro uobis: atq; ita legisse uidet Valla. Vtrunq; tolerabile: agantur gratiæ pro uobis, quorũ precibus & quorũ bono seruatus sum, & pro nobis qui sumus seruati. Chrysostomus dissentiens à Theophylacto legit ἵνα ἐν πολλῷ προσώπῳ τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν. Quãq; & hic ἐν πολλῷ προσώπῳ, accipi potest, p multis modis, Aut si hoc mauis referre ad frequentiã agentium gratias, διὰ πολλῶν referri poterit ad multiformes afflictiões unde liberatus fuerat. Cæterũ εὐχαριστηθῇ passiue posuit, sicut & Latini dicũt

gratulari

gratulari reditum incolumem, pro gratulari de reditu incolumi. Ambrosius circunloquutus est, In gratiarum actione celebretur.

Nam gloria nostra.) καύχησις, id est, Gloriatio: tametsi glorias pro gloriatione legimus, sed in malam partem: unde & glorioſi dicuntur iactabundi.

In simplicitate cordis.) Cordis abest in Græcis codicibus, nec additur apud Ambrosiū, nec apud Chrysostomum, nec apud Theophylactum Græcum, etiamsi de suo addidit interpres, nec additum erat in utroq; Constantiensi.

Abundantius autē ad uos.) πρὸς ὑμᾶς, id est, Apud uos, siue erga uos secundæ personæ.

Legistis & cognouistis.) Vtrunq; uerbum Græcis præsentis temporis est, ἀναγινώσκετε, ἐπιγινώσκετε. Atq; ita legisse Ambrosiū, uel ex ipsius enarratione licet colligere: Ea, inquit, se dicit scribere, quæ non solū literis cernerent, sed & operibus eius manifesta haberent. Sed offensus lector quispiā eruditulus, quod prima specie sermo uideretur absurdus, Non alia scribimus uobis quàm quæ legitis, mutauit scripturam: quod nihil uideatur legi nisi quod scriptum est. Atqui Paulus suo more expressit hanc sententiam, Non alia scribimus uobis, quàm ea quæ non solum legitis à nobis scripta, uerumetiam agnoscitis à nobis expressa re factisq;. Græci addunt coniunctionem, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε, Aut etiam agnoscitis: agnoscimus enim quæ uidimus. Sed suspicor articulum ἃ mutatum in ἢ. Codex Donatianicus habebat, Et cognoscitis, in altero certe uerbo seruans integritatem ueteris scripturæ. *Legitis, cognoscitis.*

In die domini nostri Iesu Christi.) Græcus habet, In die domini Iesu, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, nec addit Christi. Porrò diem suo more uocat iudicium. Quamuis uulgi iudicio non est mihi causa gloriandi de uobis, aut uobis de me, tamen apud Christum est quod gloriemur utriq; de alteris. *Dies, pro iudicio.*

Vt secundam gratiam.) δευτέραν χάριν. quod uerti poterat, Iteratum beneficium, siue geminum beneficiū, nempe prius per epistolam, postea per præsentiā ipsius. Græcanica scholia admonent χάριν positum pro χαρὰν, id est, Gratiam pro gaudio. Nam apud Latinos quoq; gratiam habere dicuntur quæ delectant.

Quum autem hoc uoluissem.) βουλευόμενος, id est, Quum hoc deliberarem siue statuerem. Idem uerbum mox sequitur, ἃ βουλεύομαι, quod interpres uertit, Quæ cogito: adeo sibi permittit interpres mutare quocunq; modo quod libuerit. Ambrosius legit, Cogitans. Theophylactus interpres satis indicat de consilio siue decreto sentiendum esse. Similiter Chrysostomus, quanquam in prioribus legit βουλόμενον. Ad sententiam refert minimū. Nec est hoc loco autem, sed οὖν, id est, Igitur: & ergo legit Ambrosius, etiamsi mihi non displicet, ἄρα, quod sit aduersatiua. Videtur enim diluere quod illi tacite forent obiecturi, si statueras uenire, cur mutasti consilium? *Interpres dubitans.*

Leuitate sum usus.) ἐλαφρίᾳ, à ceruo dicta uox, ob celeritatem mutandi consilij. Et hic leuitate sum usus, Græce dixit magis quàm Latine, pro eo quod est leuiter, siue inconstanter me gessi.

Secundum carnem cogito?) Hic subaudienda est responsio, non cogito, siue nequaq;, ut apte cohæreat quod sequitur, Vt sit apud me &c. Atq; hic sensus magis congruit, si legamus ut legūt Latini, ut sit apud me est & nō, Nam protinus diuersa lectio diuersum reddit sensum. Quanquam ut cōstet lectio, tamen sermo nonnihil habet obscuritatis, Nam prima fronte offert sese hic sensus, Nec incōstans sum nec dolosus sum hominū more, qui uel mutant propositū, uel dolo pollicentē, quod nō est animus præstare. Nunc ex interpretatione Chrysostomi uidetur aliud sentire Paulus. Nimirū hoc. Quod distuli promissum reditū, nō est mutatæ sententiæ, Volebam enim tum & adhuc uolo, Sed quod in animo uoluo, nō sic uoluo iuxta carnem, hoc est, iuxta uoluntatē hominū, qui in rebus gerendis animo suo obsequūtur, ut sit apud me est, est, & non, non, hoc est, ut quicquid uelim faciā, & quicquid nolim uitem. Imò subditus sum spiritui dei, per quē aliquādo uetor facere quod uolo, & iubeor facere quod nolebam. Per hunc igitur stetit quo minus uenerim, Apud illū enim est, næ næ, & οὐ οὔ, & hinc est quod non præstiti quæ promisi: sed tamen quanquam in hac parte frustratus est uos sermo meus, tamen in prædicatione euangelij uos non fefelli, sed auxiliante deo, firmum est & indubitatum quicquid docui.

Vt sit apud me est.) Hic locus apud nos cōfusus, apud Græcos sic habet, ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ, ναί, *Locus obscurus.*

ναὶ, ναί. μὴ τὸ οὒ, οὔ, id est, Vt sit apud nos, quod est etiam, etiam, & quod nō, non. Certè Ambrosius legit, Est, est, non, nō, Et exemplar Paulinū uetustissimū manifesta rasuræ uestigia præ se ferebat. Porrò illud etiam, apud Græcos uox est affirmantis, ναὶ, & οὐ negantis. Ergo qui non faciunt quod negant se facturos, ijs non est non, & qui faciunt quod affirmant se facturos, ijs etiam est etiam. Cæterum quod Laurentius non uult In illo & in ipso, referri ad Christum, non uideo quid hominem mouerit. Nam uehementer ridiculum est quod

Taxatus palàm Valla.

Valla uult in ipso subaudiri, etiam, non Christum. imò Paulus felicem exitum promissorum deo fert acceptum, & Christo per quem hoc sit impetratum, ne uideretur suis uiribus arrogare quicquam: id quod testatur & huius sermonis clausula, Deo ad gloriam, per nos. Deus autor est, Christus impetrator, nos duntaxat horum ministri. Dilucidius autem ac Latinius erat penes me quàm apud me παρ' ἐμοὶ, hoc est in potestate mea. Non inquit hoc cogito secundum carnem, hoc est, non mihi uindico, ut penes me sit præstare quod uolo. Agnoscit autem Paulus aliquo modo culpam nō præstitæ fidei, sed in humano promisso, modo constet fides ipsius in prædicatione Euangelij.

Fidelis autem deus.) Recte usus est Fidelis pro fido, cum aliâs usurpemus hoc nominis pro fidēti. Ne uideretur enim hoc arrogare sibi quod dixit, adiecit, Fidelis autem deus, quo autore & adiutore præsto quod præsto, Potest & ita distingui hic sermo: Aut enim quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me, quod est etiam, etiam, & quod est non, non? ut hæc sit interrogatio. Deinde quasi responderit, nequaquam hæc secundum carnalem affectum loquor, ut mihi arrogem si quid præstiti, subijcit, Imò deus fidelis, qui per me præstat, quicquid uoluit. Et ad hunc modum distinguit Ambrosius. Atq; ita

ℜ corrigit.

dē coniunctio aduersatiua uim habet corrigendi, cuius uice poni poterat, Quin potius, aut imò.

Non fuit in illo est.) οὐκ ἐγένετο ναὶ, καὶ οὒ, id est, Non fuit etiam, & non. Porrò hæc uerba, Sed est in illo, in Græcis codicibus non leguntur hoc loco, licet mox in proximo sermone adijciantur, suffragante uetustissimo exemplari Paulino in quo scriptum uisitur, Fidelis autem deus, quia sermo noster qui fuit ad uos, non est in illo est & non. Dei enim filius &c.

Est & nō, pro instabilis & uanus.

Non fuit in illo.) οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὐ, ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐτῷ γέγονεν, id est, Non fuit etiam & nō, sed etiam in ipso fuit. Quum dicit, est est, & non non, sentit agendi quod uelis libertatem. Quum dicit, est, & nō, significat lubricam fidem, hoc est, falsitatem. Quum dicit, non, significat frustratam spem ac uanam pollicitationem, Quum dicit, etiam siue est, significat inuio labilem ueritatem. Quod autem addit in illo, in coniunctio posita est loco per, per illum, ne quid arrogaret sibi.

Per me & Syluanum.) Hieronymus admonet Sylam esse legendū, non Syluanū, cuius crebra mentio fit in Actis apostolorū, sed reclamant quæ uiderim Græcorum exemplaria.

Quotquot enim.) ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι θεοῦ ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν, id est, Quotquot enim promissiones dei in ipso siue per ipsum etiam, & in ipso amen. Nam apud Hebræos amen confirmantis est, ut apud Græcos ναί.

Ideo per ipsum.) Ideo, abijciendum, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν, id est, Et in eodem Amen deo. Et rursum, hic amen habet suum articulum τὸ sicut ναὶ & οὐ superius, ut intelligas certitudinem quam significare uoluit per amen. Et in illo Amen deo, significat omnia certa & rata quæ deus pollicitus est. Interpres ἐν αὐτῷ uertit per ipsum, quod mirum est eum in cæteris non item uoluisse facere.

Signare, confirmare fidē.

Et signauit nos.) Ἐσφραγισάμενος. Quo uerbo significare solet rei certitudinē, uelut cū obsignamus instrumentum aut uas, atq; id mox explicat, indicans datā arram, quo certius esset promissum. Hoc admonendum ratus sum, quod uideam recentiores interpretes hic

Gratia cooperans.

multa philosophari de gratia cooperante, quæ ad rem non admodum pertinent.

Pignus spiritus.) τὸν ἀρραβῶνα, id est, Arrabonem siue arram quæ fidē faciat totius promissi præstandi.

Nō ultra ueni Corinthū.) Magis quadrabat nondū ☞ ultra: est enim οὐκ ἔτι ἦλθον, id est, Nō adhuc. Sentit enim se distulisse reditū, nisi mauis ἔτι pro denuo accipere. Cæterū Ambrosius de dilato reditu interpretatur, atq; item Chrysostomus & Theophylactus.

Dominamur fidei.

Dominamur fidei uestræ.) Vide, num hic sensus accipi possit, Dominamur uobis propter fidem, uel fidei gratia, ut more Græcorum subaudias ἕνεκα. Græca sic habent, οὐχ ὅτι κυριεύομεν

κυριεύομεν ὑμῶν τῆ πίστεως. Atq; ut ita sentiam, facit articulus post ὑμῶν positus, alioqui magis conueniebat, τῆ ὑμῶν πίστεως. Hæc autem dicit, quod ante dixerat parcens, uelut alioqui sæuiturus. Non est autem dominium, nisi quum peccatum est alicubi, sed in fide nondum peccarant, qua firmi stabāt: libidine, cōtentione, dissidijsq; peccarāt. Id igitur uerbi mitigat hac ratione. In hanc sententiam Chrysostomus. Theophylactus in cæteris mecum facies, de transposito articulo, nullū mouet scrupulum, quanquam & alter sensus probe habeat: Fides libera est, dominiū necessitatis est, ut interpretatur Ambrosius. Hæc animaduertēda nobis, qui fidei ac religionis titulo ad tyrannidē abutimur. Nec alio fortassis studio quidā cupimus orbem redigi ad professionem Christi, quàm ut ipsi latius regnemus. *Qui subigunt Turcas, ne spectent dominium aut præ dam.*

Fide statis.) ἑστήκαμεν, id est, Stamus, siue constitimus. tametsi uariant hic Græca exemplaria. Et magis quadrat statis, ne uideantur usquequaque obiurgandi. Itaque legit Chrysostomus.

EX CAPITE SECVNDO.

Nisi qui contristatur ex me.) ὁ λυπῶν με εἰ μὴ ἐμοῦ. Contristari suo more ponit pro dolore affici, cum aliud quiddam sonet Latinis. Sentit autem hoc ipsum sibi uoluptati esse, quod admoniti indolescant, quod id argumentum sit animi resipiscentis: ita uicissim gaudium è dolore nascitur.

Tristitiam super tristitiam.) Super tristitiam, supereſt, μὴ ἐλθὼν λύπην ἔχω. uerum id aliunde huc translatum est, uidelicet ex epistolæ ad Philippenses, capite secūdo. Certe apud Ambrosium non additur, et congruit cum huius lectione ipsius interpretatio. Consentit cum Ambrosio & Theophylactus, licet interpres in contextu addiderit de suo, uulgatam sequutus æditionem. Quidam indicat in uno quodam codice deprehendi scripturam Græcam, cum nostra translatione congruentē, ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην ἐπὶ λύπῃ σχῶ. Hūc ait è Rhodo missum R.P. Francisco Cisuerio, Card. quondam Toletano, cuius equidem uiri memoriæ, cum primis faueo, quod ipse fauerit pietati bonisq; studijs omnibus. Sed cum Ambrosius nobiscum faciat, cum tot exemplaria suffragentur huic lectioni quā indicamus, fieri potuit, ut Rhodiensis ille liber fuerit deprauatus, præsertim cum causam indicauerimus deprauandi, fieri potuit ut ad Latinorum codices fuerit emendatus, præsertim cum sit Rhodiensis. Nam id fuisse factum constat in nonnullis, ut post cōcordiam initam cum ecclesia Rhomana, hac quoq; in parte concordarent. Porrò codices eius generis nihil aliud sunt, quàm amussis alba in albo lapide. Neq; enim uelim corrigere nostram translationem ex fide codicis, qui per omnia congrueret cum nostris. Nec tamen res est ulla digna contētione, sensus est pius ac sanus. *Additum apud nos.*

Angustia cordis.) συνοχῆς, coartatione, siue anxietate. Nam angustia cordis est pusillanimitas, & in uitium sonat.

Vt sciatis quam charitatē.) Græce est, ut charitatem sciatis, quam habeo abundantius in uobis, ut legit & Ambrosius. Et In uos rectius ἐν In uobis, est enim εἰς ὑμᾶς, siue Erga uos.

Si quis autem contristauit me.) Me non est apud Græcos, nec apud Chrysostomum aut Theophylactum, εἰδέ τις λελύπηκεμ, id est, Si quis dolore affecit, ut subaudias id quod commodum fuerit, aliquem, aut uos, aut me. Diuus Ambrosius non addit pronomen, uerum iuxta Græcos legit, Si quis autem contristauit, non me contristauit. Grauat enim peccātem qui contristauerit omnes, neq; Paulum tantum, uerum omnes bonos apud Corinthum. Nam quod post ait, Non me contristauit, perinde ualet ac si dicat, Non me propriè ac solū contristauit, uerum ex parte duntaxat, ut cui dolor hic sit cum omnibus uobis communis.

Obiurgatio quæ fit.) ἐπιτιμία, quam uertere solet Increpationem. Et quæ fit à pluribus, ὑπὸ πλειόνων, uerti poterat quæ facta est à pluribus.

Ita ut è cōtrario magis donetis.) ὥστε τοὐναντίον μᾶλλον ὑμᾶς χαρίσασθαι, καὶ παρακαλέσαι. Adeo ut è diuerso potius condonare & consolari debeatis. Videtur enim in his orationibus subesse synecdoche, aut, si mauis, eclipsis, ut subaudiatur δεῖ, aut aliud simile. *Synecdoche.*

Vt confirmetis in illum.) κυρῶσαι. Quod propemodum ualet, ac si dicas, Facite ut pondus & autoritatem habeat charitas erga illum. Loquitur enim uelut ad iudices & concionem, quorum suffragijs uelit absolui eum, qui traditus fuerat satanæ. Nam κυρία concionē significat, in qua creantur magistratus, quæ Latini uocāt comitia, & diem alicuius rei causa *Κυρία, cōcio.*

præstitutum,& ius aliquod agendi. Quin & κύριον Græci dicunt scriptum authenticum, autoribus Hesychio & Suida. Mihi uidetur & ea sententia quæ uicissim in suffragijs dicta fuisse κυρία, unde prouerbium αὕτη κυρία, unde ductum uidetur κυρῶ, ueluti suffragijs comprobo,& ratum facio. Quidam hic deprauate legunt,in illo,pro in illum.

Quod donaui.) καὶ γὰρ ἐγὼ εἴτι κεχάρισμαι ᾧ κεχάρισμαι,id est,Etenim ego si quid donaui,cui donaui,siue,Si cuius rei gratiam feci. Nam donare uocat cõdonare culpam. Deinde cui donaui,subaudiendum est denuo uerbum donaui,ut ter repetatur donaui,alioqui erit imperfectus sermo. Nã & ego si quid condonaui,cui condonaui, propter uos condonaui. Subindicat hoc Chrysostomus de suo supplẽs ἐποίησα,id est feci. Animaduertendum aũt quàm paucos Paulus tradiderit satanæ,& quanto affectu hunc suis commendet,cum nos ob treis drachmas effulminemus passim. Nec tamen hunc tradidit satanæ priuata sua autoritate,sed publico omniũ iudicio,qui apud nos recta in ignem conijceretur. Et in ipsa condemnatione miscet indicium charitatis,in interitum carnis,ut sc.&c. Tanta est eius in malos clementia,qui ipse nullis peccatis erat obnoxius,nos nobis tam male conscij, quàm nõ Christiane sæuimus in alios delinquentes.

Proprietas Hebraismi.

Lenitas Pauli.

In persona.) ἐν προσώπῳ. Quod est,uel in persona,uel in facie,siue conspectu. Nã Græce uox ambigua est, & scholia uarie exponunt. Chrysostomus interpretatur ἢ κατὰ θεὸν, ἢ εἰς δόξαν τοῦ χριστοῦ,id est, Vel secundum deum, uel in gloriam Christi. Theophylactus in persona Christi, id est, in conspectu dei,ac uelut illo hoc iubente,& uelut illius uicem gerens, καὶ ὡς ἀντιπρόσωπος ὢν ἐκείνου. Quanquam interpres Theophylacti,tantum hic uertit,hoc est haud secus ac si Christus ipsi donasset. Id quo casu,quo ue studio factum sit nescio. Ambrosius interpretatur, In persona Christi,pro uice Christi.

Vt non circunueniamur à satana.) ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν,id est, Ne occupemur & usurpemur,uelut ab iniusto possessore satana. Ambrosius legit, Vt non possideamur,& propius expressit uocem Græcam. Nam πλεονεκτῶμεν,est occupare quod tuum nõ est, ut faciũt auidi, & alienorum usurpatores. Græcæ uocis emphasim diligenter exponit Chrysostomus & Theophylactus.

Non habeo requiem spiritui meo.) Nimium bona fide reddidit datiuum Græcum, qui uertendus erat, in auferendi casum. Siquidem illi instrumentũ & modum actionis,dandi casu efferunt,nos auferendi. Ambrosius propius accedit ad Græca. legit enim: Non habui requiẽ in spiritu meo,οὐκ ἔσχηκα ἄνεσιν τῷ πνεύματί μου,hoc est, Non conquieui animo. Hic est ille Titus quem Paulus à nonnullis ideo putatur desiderasse, quod is esset eius linguæ peritior. Horum de numero est Theophylactus. Meminit & Thomas huius interpretationis,sed reijcit,ne spoliaret apostolos dono linguarũ. At uel hinc colligitur illum adiutum fuisse commentarijs è Græco uersis,quum nihil huiusmodi attingat Ambrosius.

Thomas Græcis commentarijs adiutus

Sed ualefaciens.) ἀποταξάμενος,id est,Dimissis fratribus, aut renunciato uale. Ambrosius legit,Sed uale illis dixi,& profectus sum &c.

Deo autem gratias.) Gratia est Græce χάρις. Atq; ita,ni fallor,uertit interpres.

Qui semper triumphat nos.) τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς. Diuus Hieronymus ad Algasiam exponit, Triumphat nos,id est,De nobis,uel triumphum suum agit per nos. Ambrosius item, Triumphat nos, facit nos uictores uincente perfidiam fide. Latinis triumphari dicuntur,qui uicti ducuntur in triumpho. Sic miles quoq; qui nauauit bonam operam in bello ducitur in triumpho honoris causa,ut particeps sit suo duci. In Christo potest accipi, per Christum,siue in Christo,in quo nostra est gloria: Subnotauit hoc Theophylactus.

Bonus odor sumus deo.) εὐωδία, id est,Fragrantia,siue beneolentia, ut ad uerbum efferam. Nam Græcis dictio est composita. Et deum rursum appellat patrem,suo more. Quoties em̃ absolute hoc utitur uerbo,ferè deũ patrẽ intelligit, præsertim si iungat filij mentio.

Alijs quidem.) Elegantius uertisset,His,& illis.

Tam supereſt

Tam idoneus.) Tam,Græcis non legitur,nec apud Ambrosium, nec apud Augustinũ, qui citat hunc locum,edisserens psalmum septimum,legitq;,Et ad hæc,quis idoneus? Itidẽ adducit Origenes homilia in Genesim decimatertia. Fortassis interpres de suo addiderat,

Ordo.

quis nam. Id uersum est in quis tam, Subauditur autem responsio,perpauci,aut simile quippiam. Intelligit enim rem esse uehementer arduam, & quæ non queat à quibusuis præstari,

nisi mauis

niſi mauis per hyperbatum referre ad id quod aliquanto poſt ſequitur, Ad hæc quis ido/neus? Et poſteaquàm dilata reſponſione, auxit facti magnitudinem, deinde reſpondeat, Fi/duciam autem talem habemus &c.

Sicut plurimi.) ὡς οἱ λοιποὶ, id eſt, Sicut cæteri. Alij habent, ὡς οἱ πολλοὶ, id eſt, Sicut multi, aut plerique.

Cum autem conuerſi fuerint ad dominum.). Cum Græce ſit ἐπιστρέψῃ, ſi placet uerbum medium, erit, Conuerſus fueris, ſecunda perſona, quemadmodũ ſubinde locum hunc ad/ducit Auguſtinus, nominatim in libris quos ſcripſit aduerſus Fauſtum, Cum tranſieris ad dominum, auferetur uelamen. Sin uerbum actiuum, erit, cõuerſus fuerit, tertia perſona, ut ſubaudias, Iſrael. Atq; ita legit diuus Ambroſius, Cum aũt conuerſus fuerit ad dominum, auferetur uelamen. Vſus eſt eodem uerbo cap. quod proxime ſequitur. Neq; quicquam ta/men officit ſententiæ, quod noſter interpres mutauit numerum. Neq; enim refert utrum di/cas, equa geſtat fœtum decem menſibus, an equæ geſtant decem menſibus. Origenes hũc adducens locum in Exodum homilia duodecima legit, Vbi cõuerſus quis fuerit, auferetur uelamen. Rurſus in Leuiticum homilia ſecunda.

Adulterantes.) καπηλεύοντες, id eſt, Cauponantes. Hieronymus ad Algaſiam uertit, Ve/nundantes & uenditãtes. Eſt enim καπηλεύω ad quæſtum abuti re quapiam. quod Petrus accommodauit ad ipſos etiam homines, Cauponantes uos. Quo quidem uerbo uſus eſt Ennius in officijs Ciceronis, Non cauponantes bellum, ſed belligerantes. Interpres Adulte/rantes uertit, pro corrumpentes. idq; ſequutus eſt Ambroſius, nec inerudite. Siquidem ue/teres, quicquid eſſet inſyncerum, ac dolo fraudeq; uitiatum, id κάπηλον appellabant, uelut Aeſchylus, citante, quiſquis is fuit, etymologiarũ Græcanicarum coaceruatore, κάπηλα πο/φέρων τεχνήματα, id eſt, Cauponias proferens artes. propterea quod hoc hominum genus plerunque inſyncerum eſt, utpote quæſtu metiens omnia. Græca uox proprie quadrat in eos qui uenditant eſculenta aut poculenta. Quorum præcipuum eſt ſtudium, uiciata pro ſynceris uendere. *Cauponari. Adulterari.*

Sed ex ſynceritate.) ἀλλ' ὡς, Sed tanquam ex ſynceritate, ſed tanquam ex deo, additis ad/uerbijs. Et tamen niſi ſubaudias aliquid, erit imperfectus ſermo, Non adulterantes, ſed ue/lut ex ſynceritate prædicantes.

EX CAPITE TERTIO.

Neipimus iterũ noſmetipſos commendare.) σωιστάνειν, quod non ſimpliciter ſonat laudare, id qđ uulgus exiſtimat, ſed inſinuare in alterius beneuolentiã.

Ad uos, aut ex uobis.) Græci repetunt commendaticijs, licet reclamanti/bus exemplaribus latinis quæ uiderim omnibus, neq; temere tamen. Cõmen/daticijs ad uos, hoc eſt, quæ ab alijs profectæ commẽdent nos uobis, aut à uo/bis profectæ commendent nos alijs. Nam ad eundem modum & legit & interpretatur Theophylactus.

Epiſtola noſtra.) Suam uocat, non quam ſcripſerit, ſed qua commendetur. Studium cu/randæ ſalutis illorum, argumentum erat & epiſtolæ uice. Noſtris autem dixit uel modeſtiæ cauſa, pro Meis, uel quod pari ſtudio eſſent & alij quidam Pauli collegæ.

Quæ ſcitur & legitur.) Interpres non reddidit uenuſtatem Græcanici ſchematis, γινωσκο/μένη καὶ ἀναγινωσκομένη, id eſt, Quæ intelligitur & legitur. *Adnominatio*

Manifeſtati quoniam epiſtola eſtis.) φανερούμενοι. Verbum eſt medium, unde commode uerti poterat, Dum manifeſtatis uos eſſe epiſtolã &c. Aut, dum manifeſtamini quod eſtis epiſtola &c.

Et ſcripta non atramento.) Græcis non additur, Et, nec apud Ambroſium. Nec eſt Scri/pta, ſed inſcripta, ἐγγεγραμμένη.

In tabulis cordis carnalibus.) σαρκίναις, id eſt, Carneis, ut materiam intelligas, non quali/tatem, quam notant quum dicunt σαρκικός. Nam quod alibi Carnalibus legimus, σαρκικὸν eſt Græce. καρδίαις habent quidam codices, hoc eſt, Cordibus, ſed mendoſe, opinor. Qui ſic legunt uolebant eſſe appoſitionem, in tabulis carneis, quibus? Nimirũ ipſis cordibus. *σάρκινον. σαρκικόν.*

Sed omnis ſufficientia noſtra.) ἡ ἱκανότης, Idoneitas, ut ita loquar.

Qui & idoneos nos fecit miniſtros.) ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους, id eſt, Qui idoneos

nos fecit, ut essemus ministri noui testamenti, quasi dicas, Idoneauit. Est autem uerbum ab eo nomine, quod mox uertit, Sufficientes & sufficientia.

Litera pro literæ. Non litera, sed spiritu.) Græcis genitiuus est, Literæ sed spiritus, ut referas ad ministros, & intelligas nouum testamentum spiritum, uetus literam. At apostoli delecti sunt, ut spiritum administrarent, non ceremonias legis tantum ac præcepta legis, quas suo more literã uocat. Per Mosen enim non dabatur spiritus quemadmodum per apostolos. Ex Ambrosiana interpretatione non potest certum deprehẽdi quid legerit, & ad sensum haud magni sanè refert. Nam quod offendit Vallam, ita uitari poterat: Qui fecit ut essemus idonei noui testamenti ministri, quod spirituale est, non literale sicut uetus, ut literæ & spiritus referatur ad testamentum, aut ministros noui testamenti, hoc est, non literæ, sed spiritus. Ac ne quis existimet nos rem adferre nouam, uterq; codex Constantiensis consentiebat cum Græcis, nec locus ullam habebat rasuram.

Hugo Carrensis. Literis deformata.) Quidam deformata interpretatur, turpiter formata. Id quo magis credamus, Carrensis adjicit, Sicut mulier dicitur deformis. O columen Theologiæ, quasi uero sola mulier dicatur deformis. Deinde post aliquot id genus nugas, addit aliud commentum, si cui hoc parum probatur: Deformata, id est, ualde bene formata. quasi uero hoc agat Paulus, ut intelligant eam legem ualde bene formatam, quam præ euangelio contẽni uult. Verum quorsum attinet hæc insectari, quũ in summa totum hoc sit impudentissimũ, nouum testamentum Græce scriptum ab apostolis, interpretari uelle, si Græce prorsus nescias. Paulus scripsit ἐνπτυπομένη, id est, Informata, ut ad uerbum reddam, hoc est, insculpta. Quanquam eleganter interpres dixit Deformata, pro Formata. Nec enim hic auget de, nõ magis quàm in deambulare, ac deosculari. Et Quintilianus: Marmora prima deformata manu. Ambrosius formata legit, non deformata.

In, supereſt. Damnationis in gloria est.) In supereſt, δόξα, id est, Gloria. Atque ita legit Ambrosius, quanquam hoc non admodum uariat sensum. Variantq; Græcorum codices. Et mox, Per gloriam est, διὰ δόξης, dixit pro, In gloria.

Nam nec glorificatum est quod claruit.) οὐδὲ γὰρ δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον, id est, Etenim ne glorificatum quidem est quod glorificatum est, id est, quod tum glorificabatur, accedente gloria Euangelij perdidit gloriam. Et ideo addidit in hac parte, Id est, in comparatione. Sic enim exponunt Græca scholia.

Multa fiducia.) πολλῇ παῤῥησίᾳ, quæ uox apud Græcos significat loquendi libertatẽ, quũ palàm quis eloquitur quod sentit. Hoc ad Moysen refert, qui palàm & aperte non est ausus loqui, sed uelata facie. Et χρώμεθα utimur, idem potest esse utamur. Atque ita sanè legit Ambrosius, ut sit adhortantis ad libertatem mere Christianam.

Varia lectio. In faciem.) εἰς τὸ τέλος, id est, In finem. Id quod haud dubie librariorum accidit errore. Certe Ambrosius legit, Vsq; ad finem eius quod euacuatur, & ad eum modũ interpretatẽ. Volebat Mosi faciem esse obtectam nec aspici, donec id quod erat abolendum, coruscante euangelio euanesceret, & sic licebat intueri faciem Mosi. Et τέλος legit simul & interpretatẽ Chrysostomus ac Theophylactus, Non poterat crassus populus perspicere quod lex illa finem esset habitura. Porrò ut hic sermo sit absolutus, subaudiendum est aliquid, Et non faciemus sicut Moses qui ponebat &c. Et tamen in nonnullis Græcorum codicibus comperimus scriptum, εἰς τὸ πρόσωπον, quemadmodum nos legimus. Quod hic uertit intenderent, Græce est ἀτενίσαι, id est, Defigere oculos, & immotis oculis intueri. quemadmodum solent amantes, & qui attente audiunt loquentẽ. Aspicere poterãt, sed fixis oculis, & diu inhærentibus non poterant. Vnde re cognita, Moses quoties loquereꝛ populo, faciẽ uelo obtexit.

In finem. In finem uidelicet.) Ne illic conquiescerẽt. Et quod euacuatur, sonat quasi dicas, eius qui euacuatur uel aboletur, ut referas ad Mosen moriturum. Moses mortalis erat, Christus immortalis. Mosi lex ad tempus erat instituta, Christi lex finem nescit. Aut absolute in finem, eius rei quæ euacuatur. Et euacuatur hic est, καταργούμενον, id est, Quod aboletur & irritum redditur. Id annotauit & Theophylactus. Tametsi lex non aboletur proprie, sed figuræ cedunt ueritati.

Obtusi sunt.) ἐπωρώθη, id est, Excæcati sunt. Et cogitationes potius quàm sensus, νοήματα, quod paulo ante uertit Cogitationes. Cum autẽ cõuersus fuerit νίκα δὲ ἐπιστρέψῃ, opinor

subaudiendũ

ſubaudiendum Iſrael, pro Iſraelita. Auguſtinus libro aduerſus Fauſtum xij. capite quarto, legit, Cum autem tranſieris, ut ἐπιστρέψῃ ſit à uerbo medio, & ſecunda perſona, pro quauis perſona, niſi forte malumus uitio librarij tranſieris, ſcriptum pro tranſierit. Quanquam & aliâs totidem uerbis adducit hunc locum, uelut eiuſdem libri capite trigeſimonono.

Dominus autem ſpiritus eſt.) Nō ſimpliciter ait dominum eſſe ſpiritum, & corpus eſſe negat, ſed addidit articulum ὁ πνεῦμα, hoc eſt, Ille ſpiritus, nempe legis. quaſi Moſes fuerit caro, utpote mortalis & imbecillis & craſſus, iuxta typum quem gerit, Chriſtus ſpiritus, ut efficax & immortalis.

Speculantes.) κατοπτριζόμενοι, id eſt, Speculantes hoc loco à ſpeculo ductum eſt, non à ſpecula, ut intelligas dei gloriam à purgatis animis ceu ſpeculo excipi, ac reddi. Ad hunc enim ſenſum exponunt Græca ſcholia, ut κατοπτριζόμενοι ſit ueluti ſpeculo exprimentes, ac referentes. Et quod additur in eandem imaginem, præpoſitio Græcis abeſt, τὴν αὐτὴν εἰκόνα, id eſt, iuxta eandem imaginem, ut ſubaudias κατά. Ac paulo poſt, *Speculantes à ſpeculo, non à ſpecula.*

Manet non reuelatum.) Maluiſſem, Nec tollitur, quo ſenſus ſit apertior.

A claritate in claritatem.) A gloria in gloriam, ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, ſic enim aliquoties uertit hanc uocem. Verum hæc uarietas interpretandi, nonnunquam anſam errandi Latinis expoſitoribus præbet, dum aliud quiddam à Paulo dici putant, claritatem & gloriā, quum apud illum eadem ſit uox.

A domini ſpiritu.) Trifariam hic locus accipi poteſt apud Græcos, A domini ſpiritu, ſiue, à domino ſpiritus, ſiue, à domino ſpiritu, ut accipiamus ipſum dominum eſſe ſpiritum. Cæterum media lectio mihi magis probatur, ἀπὸ κυρίου πνεύματος. Primam ſequutus uidetur Theophylactus, atque item Ambroſius. Mirum quid ſequutus Auguſtinus libro de ciuitate dei xxij. cap. xxix. legit, tāquam ad domini ſpiritū. ſi modo ſcriptura mendo uacat. Cæterum ὡς hic non ſonat ſimilitudinem ſed congruentiam, tanquam à ſpiritu domini, ut intelligas eximiam dignamq; quam conferat domini ſpiritus. Similis locus eſt apud Ioannem, Quaſi unigeniti à patre. *Triplex lectio.*

EX CAPITE QVARTO.

Vxta quod miſericordiā cōſequuti ſumus.) καθὼς ἠλεήθημεν. Ambroſius uertit, Pro ut miſericordiam conſequuti ſumus. Interpres pro καθὼς legiſſe uidetur καθ' ὅ. Cæterum miſericordiam conſequuti ſumus, ſuo more modeſtiæ cauſa dixit, pro eo quod eſt, Delecti ſumus ad officium apoſtolicum.

Non deficiemus.) οὐκ ἐκκακοῦμεν, id eſt, Non deficimus, ſiue ſegneſcimus, aut degeneramus. Nam Græcis κακὸς aliquando inertem ſignificat ac inſtrennuum, ut & aliâs indicatum eſt. Ambroſius legit, Non deficiamus & renunciemus, ut utrunq; ſit hortantis, quaſi legerit μὴ ἐκκακῶμεν & ἀπειπώμεθα. Mihi magis probatur, ut indicandi modo legātur, & ad Pauli perſonam pertineant, qui contemptis Moſi ceremoniis, Chriſti philoſophiam libere prædicabat.

Sed abdicamus.) ἀπειπάμεθα, id eſt, Abdicauimus, ſiue abnegauimus, reiecimus. Ambroſius legit, Renunciemus, ut uerba ſint inuitantis. Verum hæc omnia Chryſoſtomus ac Theophylactus legunt & interpretantur indicandi modo. Non enim illis præcepit apoſtolus quid debeant facere, ſed oſtendit qualis ſit ipſius functio, obiter taxās pſeudapoſtolos, qui fumos obijciebant diſcipulis, quemadmodum & hodie ludæi iactant myſteria Talmudica & Cabaliſtica.

Occulta dedecoris.) τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης. Aptius eſt probri, ſiue dedecoris, quàm pudoris. Non enim dixit αἰδοῦς, ſed αἰσχύνης. Atque ita legit Ambroſius. Probrum enim opponit gloriæ quam tribuit Euangelio. Porrò Occulta dixit, pro occultamentis. nam turpitudo amat latebras. *Occulta, pro occultamētis.*

Nec adulterantes.) δολοῦντες, id eſt, Dolo utētes, ſiue tractātes. Neq; eſt hic καπηλεύοντες, quod antea uertit, adulterantes, ſed δολοῦντες, quaſi dicas, falſificantes. Nec eſt,

In manifeſtatione.) ſed manifeſtatione, ut referatur ad commendantes, hoc eſt, Non dolo captantes hominum fauores, ſed ſynceritate prædicationis.

Opertum eſt.) κεκαλυμμένον. Quod hactenus uelatum uertit, nunc mutat opertum, cum Græcis eadem ſit uox.

Hyperbaton. Deus ſeculi huius.) ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, id eſt, Deus æui huius. Theophylactus ac ſcholia Græca putant legi poſſe per hyperbaton ad hunc modum: In quibus excæcauit cogitationes incredulorum huius ſeculi. ut intelligamus deum uerum ultorem ſcelerum, excæcare mentes infidelium huius ſeculi. Atq; hic quidem ſenſus accipi poterit, ſi deus ſubiecta hypoſtigme ſeparetur ab his quæ ſequuntur, hoc pacto: In quibus deus, ſeculi huius excæcauit mentes infidelium, hoc eſt, in quibus deus excæcauit mentes infidelium huius ſeculi. eamq; lectionem pleriſq; placuiſſe noſtrorum, teſtis eſt Auguſtinus, libro aduerſus Fauſtū xxi. cap. ij. quod Manichæi duos deos facerent, alterum uerum, alterum unde ſcaterent mala, quem Hylen uocabant. At idem aliquanto poſt, negat abſurdum uideri debere, ſi diabolus dicatur deus huius ſeculi, quemadmodum & illud dictum eſt Paulo, Quorum deus uenter eſt. Item illud in pſalmo, Dij gentium dæmonia. In hanc ſententiam enarrat Ambroſius. Proinde quod priore loco diximus ex Græcis ſcholijs, id uidetur affectatum ac uiolentum. Simplicius eſt ac uerius, ut intelligamus deum huius ſeculi ſatanam, quemadmodum ſentit Cyrillus, citantibus ſcholijs Græcanicis. Nec moueat quod illi tribuatur uocabulum dei. Non eſt enim ſimpliciter deus diabolus, ſed illis eſt deus, qui illū anteponunt Chriſto. Veluti auaris pecunia ſiue mammona deus eſt, nepotibus gula deus eſt, & homo homini deus eſt, iuxta prouerbium. Certe Ambroſius non ueretur interpretari diabolum huius ſeculi deum malorum. Nam in diuinis literis triplici differentia reperitur nomen dei ac domini: iuxta naturam ac ueritatem, ita ſolus deus dicitur deus ac dominus: iuxta adoptionem, Ego dixi dij eſtis: & iuxta opinionem 1. Cor. 8. Nam etſi ſunt qui dicantur dij in cœlo ſiue in terra. Chryſoſtomus ſtudioſe repugnat ne diabolus dicat deus odio Marcionis & Manichæi, uultq; hunc locum accipi de deo uero, & indicat ordinem orationis quē antea cōmonſtraui. Mox remiſſo hoc effugio tamen urget eundē ſenſum, ac ſubmouet dupli cem ſcrupum. Quomodo deus cœli ac terræ dicatur deus huius ſeculi, deinde quomodo is dicatur excæcare, Primum excuſat conſuetudine ſcripturæ myſticæ, quæ deum appellat deum Abraham Iſaac & Iacob. Item deum Iſrael: rurſum deum cœli, quum ſit deus uniuerſorum. Alterum ſic expedit, ex more ſermonis myſtici, deum frequenter dici facere, quod permittit fieri, quemadmodum in epiſtola ad Romanos, dicitur philoſophos tradidiſſe in reprobum ſenſum, & in Exodo dicitur induraſſe cor Pharaonis. Pie quidem Chryſoſtomus, quanquam alteram ſententiam arbitror eſſe germanam.

Diabolus dictus deus.

Qui eſt imago dei.) In Aldina æditione additur ἀοράτου, cum non ſit in noſtris Latinis, ſed uidetur à ſtudioſo quopiam adiectū ex epiſtolæ ad Coloſſenſes cap. i. præſertim cum in alijs Græcis non reperiatur, cunq; Chryſoſtomus ac Theophylactus, nec legat, nec interpretetur. Imò neuter codex Conſtantienſis habebat inuiſibilis.

Illuminatio euangelij gloriæ Chriſti.) Congeries genitiuorum reddit orationem anci pitem. Poteſt enim ſic accipi, ne illuceſceret illis illuſtratio euangelij, hoc eſt, prædicationis gloriæ Chriſti. aut ne illuceſceret illis lumen gloriæ euangelij Chriſti. aut ne illuceſceret illis lux euangelij quæ eſt gloria Chriſti. Demiror autē quid legerit Ambroſius Græce, cum ita uertat hunc locum: In quibus deus ſeculi huius, obcæcauit ſenſus infidelium, ut non perui deant lumen euangelij gloriæ Chriſti, ni forte pro αὐτοῖς legit αὐτοὺς ad hunc modū, εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοὺς τὸν φωτισμόν. Nam autore Heſychio, αὐγάζω & αὐγάζομαι Græcis eſt ὀξῶ τῇ βλέπω, uideo ſiue intueor. Deinde φωτισμὸν proprie ſonat illuminationem, ſiue illuſtrationem, quod Ambroſius uertit lumen. Sed lumen cum proferē, φωτισμὸς eſt. Chryſoſtomus & huic ſuccinens Theophylactus αὐγὴν interpretantur ſubluſtre quiddā & quaſi guſtū futuræ gloriæ, quē ante dixit Arrabonē ſpiritus, φωτισμὸν, lucem illam ineffabilem, quæ poſt aperitur. Sed Ieſum Chriſtū dominum noſtrum.) Noſtrū, redundat. Nec habebat apud Theophylactum & Chryſoſtomum, nec in uetuſtiore codice Conſtantiēſi, ſed aſſcriptum erat recentiore manu in margine: & plenius eſt, ut intelligamus omniū eſſe dominum. Præterea diſcernit ſuam perſonā à perſona Chriſti, cum ipſe ſit miniſter, alienum agens negocium. Ille dominus, ad cuius gloriam omnia referenda ſunt quæ facit ſeruus.

Ambroſius diuerſe legit.

Nos autē ſeruos ueſtros per Ieſum.) Propter Ieſum legendū eſt, διὰ τὸν Ἰησοῦν. Atq; ita legit diuus Ambroſius. Qui dixit.) ὁ εἰπών. Commodius erat, Qui iuſſit, & addendū erat uerbum ſubſtantiuum: Deus eſt qui iuſſit lumen illuceſcere, &c. Deinde.

Ipſe

Ipſe illuxit.) Pro ipſe, Græce eſt, ὅς, id eſt, Qui. Nam ipſe qui iuſſit, illuxit. Cæterũ Græca uerba ſunt λάμψαι & ἔλαμψε, pro quibus Auguſtinus in opere aduerſus calumniatorem legis Moſaicæ, legit clareſcere & claruit. Rurſus contra Fauſtũ diſputans libro xxij. cap. viij.

Scientiæ claritatis.) τῆ γνώσεως, τῆ δόξης, id eſt, Cognitionis gloriæ. Interpretatur enim quid dixerit φωτισμὸν, nempe cognitionem gloriæ Ieſu. Item pro dei, Ambroſius legit, ſuæ, Ad illuminationem gloriæ ſuæ, propterea quod præceſſit deus.

In faciẽ Ieſu Chriſti.) ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ χριστοῦ, id eſt, In facie Ieſu Chriſti. Faber hoc loco mauult legere perſona, pro facie, Laurentiũ, opinor, ſequutus. At mihi multo magis quadrare uidetur ad Pauli ſententiam, ſi legamus, In uultu, ſiue in facie. Alludit enim ad Moſi faciem uelamine opertam, cum in Chriſti facie clare refulſerit gloria dei patris, uelut in imagine abſolutiſſima. In hunc fermè ſenſum Chryſoſtomus ac Theophylactus. Faber.

In uaſis fictilibus.) ὀστρακίνοις, id eſt, Teſtaceis, licet idem ſit ſenſus.

Vt ſublimitas.) ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆ δυνάμεως ᾖ τοῦ θεοῦ, id eſt, Vt ſublimitas uirtutis, ſit dei, & non ex nobis. Hic conſtanter Græci diſſentiunt à Latinis, Nam Ambroſius nõ ſolum legit quod noſtra habet translatio, uerum etiam interpretatur. Sic enim loquitur, ut eminentia uirtutis eius appareat per homines prædicatores, &c. Quanq; hic quoq; uirtutis ſic accipitur, non ut opponatur uitio, ſed infirmitati. Proinde Hieronymus in dialogis aduerſus Pelagium, citat hunc locum his uerbis, Vt abundantia fortitudinis noſtræ ſit ex deo. Cæterũ ea uox uirtutis, ad nos refertur, non ad deũ. ut ſit ſenſus, Vt noſtra uirtus tam eximia non tribuatur nobis, ſed deo. Neq; rurſum eſt ſublimitas, ſed ἡ ὑπερβολὴ, id eſt, Exceſſus ſiue excellentia, ſiue ut Ambroſius eminentia. Auguſtinus aliquoties legit eminentia, aptiſſimo uocabulo, & eminentia coniungit cũ uirtute, ut eminẽtia uirtutis ſit dei, cũ aliàs frequẽter, tum enarrans pſalmos. Item epiſtola centeſima liij. rurſus ſermone de uerbis apoſtoli xv. Ordo.

In omnibus tribulationem patimur.) Interpres neq; ſenſum Pauli dilucide reddidit, neq; ſchematis iucũditatem, ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι, id eſt, Vbiq; preſſi ſiue afflicti, ſed non coartati, ſiue non anxij redditi. Alioqui conſequitur, ut qui prematur, is adigatur in anguſtũ. Ambroſius propius reddidit Græca ad hũc modũ, In omnibus preſſurã paſſi, ſed non coanguſtati.

Aporiamur, ſed non deſtituimur.) Eſt apud Græcos iucunda uocum alluſio, ἀπορούμενοι ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. Quorum alterum ſignificat hærentem, & conſiliꝫ inopẽ ac perplexũ, alterum ſignificat planè deſperantem ac tædio uictum. Quanq; ἀπορεῖν ſignificat & egere, quod ſequutus eſt interpres. Ambroſius uertit, inopiam paſſi, pro egentes. Et quod hic uertit deſtituti, participium eſt eius uerbi quod paulo ante uertit tædere, ἐξαπορεῖσθαι, ita ut nos tæderet uiuere. Græci ſic interpretantur, ut ἀπορεῖσθαι ſit redigi ad ſummam anguſtiam, ſed ἐξαπορεῖσθαι uinci & opprimi malis. Aporiari, ἀπορεῖσθαι.

Sed non derelinquimur.) διωκόμενοι ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι. Quorum poſterius ſonat, in periculo deſeri ac deſtitui, ob præpoſitionem additam ἐν.

Humiliamur, ſed non confundimur.) Hæc nec habentur in Græcis codicibus, nec in lectione Ambroſiana, nec in uetuſtiſſimo codice S. Donatiani, nec in utroq; Conſtantienſi, unde miror unde irrepſerint. Chryſoſtomus ac Theophylactus nec legit nec interpretatur, Ac ne is quidem cuius commentariolus fertur falſo Hieronymi titulo. Et tamen ad Pauli ſenſum non inepte accederent, quod humiliationi proxima ſit confuſio. Quod autem hic interpres uertit per uerba, Græci dicunt per participia. Atq; ita legit Ambroſius, In omnibus preſſuram paſſi, ſed non coanguſtati, inopiam paſſi, ſed non deſtituti. Verum quoniã tempus participij non conueniebat, interpres maluit per uerba reddere. Supereſt in noſtris.

Semper mortificationem Ieſu Chriſti.) Græce eſt domini Ieſu, νέκρωσιν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Sed obſtrepet aliquis, quid iſta faciunt ad ſenſum, an ſit domini Ieſu, an Ieſu Chriſti? Primum arbitror eſſe nefas in diuinis literis, ſi uel unum apicem ſciens ac uolens mutes. Quod ſi quis propius introſpexerit, uidebit nec hanc in Paulo uarietatẽ ocioſam eſſe, in quo nihil omnino eſt ocioſum. Addidit domini cognomen, ne ſeruos pigeret ſimilia pati, item ne mortis nomen adderet contemptũ Chriſto, addidit domini cognomen. Ambroſius pro νέκρωσιν legit, non mortificationem, ſed mortem, nec id abſurde mea ſententia.

Vita Ieſu in corporibus noſtris.) ἐν τῷ σώματι ἡμῶν, id eſt, In corpore noſtro. Atque ita

legit Ambrosius cum Græcis consentiens. ut non respicias tuum aut meum corpus, uerum id quod opponitur spiritui.

Ergo mors in nobis operatur.) ὥστε ὁ μὲν θάνατος ἐν ἡμῖν ἐνεργεῖται, id est, Itaq; mors quidē in nobis operatur. Quanquam est agit potius cū operatur. De quo toties iam dictum est.

Sicut scriptum est.) καθὼς τὸ γεγραμμένον. Faber putat posse legi, à quo scriptum est. Verū id Græci sermonis ratio nullo pacto patitur, unde miror si diuersum habuit exemplar, aut certe tam erudito uiro quid in mentem uenerit.

Faber.

Credidi propter quod loquutus.) Locus est in psalmo cēteſimo decimoquinto. Sermo Græcus est anceps, si coniunctim legas, sensus est, Credidi eo quod loquutus sum, si disiunctim, sensus erit, Credidi, & ideo loquutus sum, ut iuxta priorem distinctionē accipias, eum non fuisse crediturum, nisi loquutus fuisset, iuxta posteriorem, non fuisse loquuturū, nisi credidisset. διό, quapropter, siue propterea quod.

Scientes quoniam qui suscitauit Iesum.) Græci legunt, dominum Iesum, ὁ ἐγείρας τὸν κύριον Ἰησοῦν. Porrò quod uertit ὅτι nunc quia, nunc quoniam, frequentius occurrit quàm ut uacet castigare. Nam poterat Latine dicere, Scientes qui Iesum suscitauit, eum nos quoque per Iesum suscitaturum esse. Aut, scientes quod qui Iesum suscitauit, is & nos per Iesum suscitaturus est. Et constituet uobiscum.) καὶ παραστήσει σὺν ὑμῖν, Et exhibebit siue adiunget sibi unà nobiscum, hoc est, Non solum nos Iudæos, uerumetiam uos gentes.

Rursum illud cum Iesu.) Græce est, per Iesum, διὰ Ἰησοῦ. Neq; enim cum Iesu, qui iam olim resurrexit, sed per illū, cuius membra facti sumus, & per quem donauit nobis omnia. Etiāsi Ambrosius legit, Cum Iesu, non ad tempus respiciens, sed ad communem resurrectionem capitis & membrorum.

Vt gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriā dei.) ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα, διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ, id est, Vt gratia exuberans siue redundans, siue quæ redundauit, propter multorū gratiarum actionem abundet in gloriam dei. Est enim propter, non per, nisi διὰ referas ad πλειόνων, at tum non habes quò referas εὐχαριστίαν. Videtur autem Paulus aliquoties abusus hac præpositione. Et Ambrosius ita propemodum legit, Per multorum gratiarum actionem, hoc est, Si plures agant gratias, id cedet in gloriam dei. Potest & uerbum περισσεύσῃ accipi transitiue, adhærente huic accusatiuo εὐχαριστίαν, ut ita distinguamus, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα διὰ τῶν πλείονων, hic post hypostigmen subijciantur reliqua, τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ, id est, ut gratia quæ per plures sparsa exuberauit, faciat ut exuberet etiam gratiarum actio in gloriam dei. Hoc ne prorsus uideatur esse somniū, in exemplari uetustiori Constantiensi sic habebatur, Vt gratia abundans per multos, gratiarum actio abundet in gloriam dei. Alterum in hoc consentiebat, quod Gratiarum actiones, & colo & maiuscula separabatur à superioribus: quasi dicas redundante gratia per multos similiter & gratiarum actio redundet per multos in gloriam dei: ut prior nominatiuus ponatur absolute pro genitiuo, & διὰ πλείονων referatur ad utramq; partem, πλεονάσασα & περισσεύσῃ.

Græca luciora nostris.

Non deficimus.) οὐκ ἐκκακοῦμεν, Quemadmodum uertit & supra, pro eo quod est, non segnescimus, non defatigamur.

Quod in præsenti est momentaneum & leue.) τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν, id est, Quod enim in momento est leue. nam in præsenti non est in Græcis, nisi quod interpres uoluit reddere aduerbium τὸ παραυτίκα. Poterat autem uertere ad hunc modum, τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν καθ' ὑπερβολὴν, εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν, id est, Momentanea leuitas afflictionis nostræ insignite, supra modum æternum pondus gloriæ operatur, siue efficit nobis. ut τὸ ἐλαφρὸν, id est, leue, ponatur pro nomine substantiuo, & τὸ παραυτίκα, fungatur uice adiectiui, quod Græcis est familiarissimum. Opposuit autem Paulus, τὸ ἐλαφρὸν τῆς βάρος, quod utiq; substantiuū est. Nec hic ἐλαφρὸν dicitur quod sit leue toleratu, sed quod cito transeat: quemadmodū nec βάρος dicit quod grauet, sed quod solidū fit ac permaneat, unde & ἐν βάρει dicunt esse qui grauitatē præse ferūt. Iā illud καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, quod cōstanter habet in omnibus Græcis exemplaribus, & repetitur in scholijs, nihil aliud sibi uult quàm insignem & ineffabilem præcellentiam. quasi dicas, egregie egregius est, ita bis dixit supra modum. Nihil enim aliud significat καθ' ὑπερβολὴν, quam

εἰς ὑπερβολήν

εἰς ὑπερβολήν. Et alibi admonuimus Hebræos huiusmodi conduplicatione epitasin exprimere. Nec est, in nobis, apud Græcos, sed nobis, absq; præpositione. Huius particulæ ἀνα/ δίπλωσιν annotauit Chrysostomus ac Theophylactus, noster interpres pro altera uertit supra modum, pro altera, in sublimitate. Hæc quoniam ignorant recentiores quidam, ut Thomas & Lyranus non admodum apte hic philosophantur, de modo & proportione præmiorū ad merita, deq; sublimitate uitæ cœlestis. Hoc tamen admonebo, epitheton αἰώνιον posse utroq; referri, ad hyperbolen quæ præcessit, & ad βάρος quod sequitur. Totus aūt hic sermo picturatus est ex contrarijs inter se relatis, quod indicauit etiam Chrysostomus. Nā θλίψει opponit δόξαν, ἐλαφρὸν opponit βάρος, τὸ παραυτίκα opponit αἰώνιον. Rursum cōmittit τὰ βλεπόμενα, καὶ τὰ μὴ βλεπόμενα. Item πρόσκαιρα & αἰώνια. Iam quod paulo superius dixit, De die in diē, Græce non est καθ' ἡμέραν, sed noue, ἡμέρα καὶ ἡμέρα, ut incrementum etiam intelligas renouationis, quemadmodum corpus indies magis ac magis deficit, præsertim in prouectioribus. Sapit autem hic sermo Pauli dialecton Hebraicam, quod genus, in progeniem & progenies, pro eo quod erat in omneis progenies. *Cōduplicatio Hebraica.*

Temporalia.) πρόσκαιρα, id est. Temporaria & ad tempus durantia, quo uocabulo usus est Euangelista, de semine mox exarescente.

EX CAPITE QVINTO.



Cimus enim quoniam si.) Græci legunt ad hunc modum, οἴδαμεν γὰρ ὅτι ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, id est, Nouimus enim quod si terrena nostra domus tabernaculi dissoluta fuerit. Nec addit huius, nisi quod τοῦ certum indicat tabernaculum. Addidit autem tabernaculi, ut ostenderet domicilium hoc non esse perpetuum, sed ad paucos paratum dies, cuiusmodi sunt tabernacula. Nō manufactam.) Iucundius est Græce dictione composita, ἀχειροποίητον, hoc est, dissimile his, quæ opera manuaria construuntur ac destruuntur.

Nā & in hoc ingemiscimus.) Καὶ γὰρ ἐν τούτῳ στενάζομεν, Etenim in hoc gemimus. Incertū aūt an pronomen hoc demonstret tabernaculum corporis, an absolute ponatur pro ob id gemimus. Quod cupiamus superuestiri, aut quod mauult Valla, superindui, ἐπενδύσασθαι. Vnde ependytes dicta uestis exterior, ueluti toga aut pallium. Ad id facit quod sequitur, Si tamen induti & non nudi reperiamur. Neq; enim superuestiri potest, qui prius non sit uestitus. Habitationem nostram.) τὸ οἰκητήριον ἡμῶν, id est, Domicilium nostrum. Refertur autem ad uerbum superindui. Corpus enim domicilium est animi. & Ambrosius legit domicilio. Porrò quod addit, Quod è cœlo est, sentit ut opinor, Christi corpus, cui nostra conformantur societate immortalitatis. *Superindui.*

In hoc tabernaculo.) ἐν τῷ σκήνει, id est, In tabernaculo. Annotauit uocum emphasim Chrysostomus, Mortale corpus uocat σκῆνος, immortale iam factū οἰκίαν & οἰκητήριον, quod tabernaculum uiatoris est ac militis, eoq; temporarium, domus inhabitātis ac permanētis.

Si tantum uestiti, & non nudi inueniamur.) Ambrosius indicat in nonnullis codicibus diuersam esse lectionē. Si quidē expoliati, nō nudi inueniamur, hoc est, si expoliati hoc corpore, non deprehendamur nudi, sed induti Christo. Idem annotant Græcanica scholia, in nonnullis esse, ἐκδυσάμενοι, in alijs rursus, ἐνδυσάμενοι. Est autem participium actiuum, cum exuerimus nos, aut cum induerimus. Sic enim de corpore loquitur, quasi de ueste. *Duplex lectio*

Vt absorbeat quod mortale est à uita.) τὸ θνητόν. Cur non potius mortalitas q̄ mortale, quo magis respondeat uitæ? Et ad eum modum Græci abutūtur adiectiuis neutri generis. *Mortale, pro mortalitate.*

Qui autem effecit nos in hoc ipsum.) ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς, εἰς αὐτὸ τοῦτο θεός, id est, Porrò qui nos fecit, siue parauit in hoc ipsum, deus, ut subaudias est, quod in participijs passim fit apud Græcos. Deus renouabit nos in resurrectione, qui in hoc ipsum nos condidit. Ambrosius legit perfecit, pro effecit. Nam affecit, quod addidit Faber, non uideo quomodo respondeat Græcæ uoci. *Faber.*

Pignus.) ἀρραβῶνα. Nec est Qui dedit, sed qui etiam dedit, ὁ καὶ δούς, ut referatur ad eum qui parauit nos in hoc, & postea pignus quoq; dederit sui spiritus, quo certius speremus.

Audentes igitur.) θαρροῦντες, id est, Confidentes siue fidentes. Hoc loco uidetur Paulus participio pro uerbo abusus, quod frequentius fit apud Græcos quàm apud Latinos. Nisi malis ad hunc modum ordinare sermonem, ut illa, Per fidem enim ambulamus, per paren-

thesim

Ordo sermonis. thesim sint interiecta. Deinde ueluti recepto gradu, redeat ad interruptam orationē, θαῤῥοῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν. Cœperat enim ab huius uerbi participio θαῤῥοῦντες, ut hic sit sensus, Fidentes igitur semper, & scientes quod cum uersamur in corpore, absumus à domino. Nam per fidē ambulamus, non per speciē, & tamen fidentes, inquā, sumus, & non solum fidētes, uerumetiam sic animati, ut malimus abesse à corpore, quo liceat adesse deo.

Et bonam uoluntatē habemus.) εὐδοκοῦμεν. Quod Ambrosius, consentimus. Nos malumus probamus. probat eīm quod placet. Dum sumus in hoc cor.) ἐνδημοῦντες, ἐκδημοῦμεν. Opposuit uerba contraria, quæ Latinus interpres non potuit cōmode reddere, nisi dicas, dum adsumus absumus. Siquidē in Græcis uerbis cōduplicata ἐναντίωσις, geminam habet gratiam, quod & in uocibus sita sit, & in rebus. ἐκδημῆσαι est foris agere, hoc est, domi non esse. ἐνδημεῖν est domi agere. Interpres uarie reddidit, idq; suo more. Tertullianus lib. de carnis resurrectione octauo, uertit siue peregrinantes siue immorantes.

ἐκδημεῖν, ἐνδημῆν.

Audemus autem.) Rursus θαῤῥοῦμεν, id est, Confidimus.

Et ideo contendimus.) φιλοτιμούμεθα, id est, Certamus & ambimus. Ambrosius legit conamur. quanq; contendimus bene quadrat, modo bene intelligatur à nobis. Est enim φιλοτιμεῖσθαι ambitiose quippiam contendere, sic ut te non patiaris ab alio uinci.

Siue absentes siue præsentes.) Participia sunt eorū uerborū, quæ ante uertit peregrinari. Verti poterat, Siue foris agentes, siue domi. Sentit enim de domicilio corporis, in quo cū domi sumus, tum foris sumus seiuncti à domino. Ambrosius, Siue præsentes siue peregrinantes. Interpres propemodum reddidit gratiam schematis, quā Græcis uerbis addit ἐναντίωσις & παρονομασία. Propria corporis.) Græce est τὰ διὰ τοῦ σώματος, id est, Quæ per corpus fiunt. Interpres legisse uidet τὰ διὰ σώματος. Atq; ita legit Ambrosius. Theophylactus legit & interpretatur τὰ διὰ τοῦ σώματος. Tertullianus legit διὰ, subindicās amphibologiam orationis. Sensus enim esse potest, ut unusquisq; reportet per corpus, uel quæ gessit per corpus.

Lectio uaria.

Pro ut gessit.) πρὸς ἃ ἔπραξε, id est, Ad ea quæ gessit, hoc est, pro ratione et portione eorum quæ fecit in corpore. Quidam codex habebat, πρὸς ὃ ἔπραξε, id est, ad id quod gessit.

Deo uero manifesti sumus.) Græcis non est manifesti nomen, sed manifestati sumus uerbum πεφανερώμεθα. Et itē mox, Nos in conscientijs uestris manifestos esse πεφανερῶσθαι. Id siue à librarijs fuit immutatū, siue ab interprete positum, non magni refert ad sensum Pauli.

Occasionem damus.) Græce διδόντες est, id est, Dantes. Sed recte interpres participium commutauit in uerbum.

Vt habeatis ad eos.) πρὸς τοὺς, id est, Aduersus eos. Et habeatis posuit, p possitis gloriari.

Excedimus, p excidimus.

Excedimus.) ἐξέστημεν, quasi dicas, rapti sumus extra nos, quem uocāt mentis excessum siue raptū. Fortasse scriptum erat, excidimus mente, nō excedimus, hoc est, siue insanimus, siue sani sumus, siue sapimus, siue desipimus. Id magis explicat id quod mox consequitur.

Siue sobrij sumus.) εἴτε σωφρονοῦμεν, id est, Siue sobrij sumus. Ambrosius legit, siue sanum sapimus, ut referatur ad illud, excedimus mente. Nam id quoque significat aliquoties σωφρονεῖν. Et Græcanica scholia admonent, insanorum esse ingentia loqui, uelut oblitos sui. Quod idem indicat Ambrosius. Augustinus cum alijs compluribus locis, tum enarrans psalmum xxx. ad ecstasim refert excessum. & excessimus compluribus locis legit, non excedimus, obseruato tempore uerbi Græci. Quanquam in huiusmodi quæ ad animi pertinent affectiones, solet præteritum tempus pro præsenti usurpari. Et libro aduersus Faustum xij. capite xxvi. pro Sobrij sumus, legit Temperantes sumus. Theophylactus triplex commentum asscripsit, de magnis rebus loquuturus ecstasim inquit uocat. Rursum, siue uidemur insanire siue sobrij esse. Postremo tribuit Paulo insaniam sed ἐρωτικὴν, hoc est, amatoriam. Nam Plato triplicem furorem docet, uatum, poetarum & amantium, quorum postremum putat esse felicissimum. Talem furorem Theophylactus tribuit Paulo, qui nō in se, sed in Christo uixerit, quemadmodum amantis anima, nō est ubi animat, sed ubi amat, quicq; pro fratribus optarit anathema fieri à Christo. Illud annotandum, nisi repetas utrūq; uerbum, sermonem inabsolutum uideri. Siue enim mente excidimus, deo excidimus, siue sanæ mentis sumus, uobis sani sumus. Nam si quid gloriatur Paulus, id non ad ipsius, sed ad dei gloriam pertinet. Si mediocria loquitur, id tribuit infirmioribus, quorum affectibus & capa-

Sermo imperfectus.

& capacitati ſemet accommodat. Adſimili figura dictũ eſt illud ad Rhomanos, Nõ enim qui in manifeſto Iudæus eſt, nec quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio &c. ut illic indicauimus. Vrget nos.) συνέχει, id eſt, Conſtringit ſiue compellit. Quanquã urget belle habet. Ac mox, non eſt æſtimantes, ſed κρίναντας, id eſt, Iudicantes, ſiue qui iudicauimus ac ſtatuimus illud. Iudicantes legit Auguſtinus libro aduerſus Fauſtum xi. cap. viij. quemadmodum Ambroſius.

Quoniam ſi unus pro omnibus.) Si, non eſt apud Græcos in quibuſdam codicibus. Certe apud Theophylactum non additur, nec apud Ambroſium, quantũ ex illius liquet interpretatione. Separat enim hoc ab iis quæ ſequũtur interiecto cõmentario: Ergo omnes mortui ſunt &c. Aſſumit Paulus id quod indubitatum eſt, Chriſtum pro omnibus mortuum, ac mox infert quod hinc conſequitur. Verum id ad ſenſum perpuſillum refert, niſi quod aſſeuerantius eſt quod legunt Græci, Chriſtus mortuus eſt, de hoc non eſt diſputandum, eoq; dicit κρίναντες. Conſequitur igitur omnes fuiſſe mortuos.

Ex hoc.) ἀπὸ τοῦ νῦν, id eſt, Poſt hac, quod hic uertere ſolet amodo. Ambroſius legit, ex hoc tempore. Apud Quintum Curtium legimus, De cætero. *De cætero.*

Si qua ergo in Chriſto noua creatura.) Ambroſius interpretatur, Si quis eſt in Chriſto, noua creatura eſt, ut bis ſubaudiatur uerbum ſubſtantiuum. etiamſi in Ambroſianis codicibus uerba contextus deprauata ſunt. At idẽ adducens hunc Pauli locum libro epiſt. ij. epiſt. viij. palàm indicat quid legerit, ita ſcribens. Et ideo addidit, Si quis in Chriſto, noua creatura, id eſt, qui perfectus in Chriſto, noua creatura eſt. Conſentit per omnia cum Ambroſio Theophylactus interpres, etiamſi apud huius quoq; interpretem uerba contextus deprauata habebantur in æditione Rhomana, quæ falſo titulo, quod erat Theophylacti Bulgarienſis archiepiſcopi, Athanaſio inſcripſit. Quid quod in eundem ſenſum adducit hunc locum Origenes homilia in Leuiticum duodecima: Omnis ergo, inquit, ſecundum Apoſtolum, qui in Chriſto eſt, noua creatura eſt. Origenes enim, ſi quis exponit, quiſquis. Deniq; Chryſoſtomus ſic explicat εἴτις ἐπίστευσεν αὐτῷ, φησὶν, εἰς ἑτέραν ἦλθεν οἰκονομίαν, καὶ γὰρ ἄνωθεν ἐγεννήθη διὰ πνεύματος, id eſt, Si quis credidit illi, in aliam tranſijt creationẽ. Etenim cœlitus natus eſt per ſpiritum. Notat idem epitaſin, quod uehementem mutationem appellarit καινὴν κτίσιν. *Lectio diuerſa.*

Quandoquidem deus erat in Chriſto.) ὡς ὅτι, Propemodum ſonat, ſic, quia. ut modum oſtendat quomodo deus reconciliauerit ſibi nos. Ita uidentur ſignificare Græca ſcholia, & clarius etiam Theophylactus. Reconciliauit. quomodo? Non imputans peccata.

Non reputans.) μὴ λογιζόμενος. Melius, non imputans.

Legatione fungimur.) πρεσβεύομεν. Quod & oramus ſignificat. Quanquam & oratores dicti, qui alterius nomine poſtulant aliquid.

Tanquam deo exhortante per nos,) παρακαλοῦντος. Scio uocem Græcam eſſe ancipitem. Neq; pugnarim, ſi cui magis placet exhortante. Me tamen nihil mouet ſcrupulus eorum qui putant indecorum deo obſecrare. Certe mox per Paulum orat δεόμεθα. Chryſoſtomus ita ſcribit in hunc locum. εἶδες πῶς ἦρε τὸ πρᾶγμα, τὸν χριστὸν εἰσαγαγὼν τιθέντα πρὸς ἱκετηρίαν ταύτην, μᾶλλον δὲ οὐ τὸν χριστὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν πατέρα, id eſt, Vides quomodo rem exaggerarit, Chriſtum inducens hanc ſupplicationem peragentem. Imò non Chriſtum tantum, ſed & ipſum patrem. Eum qui non nouit peccatum fecit peccatũ.) Prius peccatum eſt admiſſum, poſterius eſt hoſtia deſtinata expiando peccato. Mirum cur Faber tam ſollicitus ſit, ne quis intelligat Chriſtum peccaſſe, cũ ex his uerbis is ſenſus nullo pacto poſſit accipi. Eum qui non nouerat peccatũ, pro nobis peccatũ fecit. Non enim dixit, peccatorẽ fecit, ſed peccatũ, hoc eſt, uoluit pati ſupplicium, perinde quaſi peccaſſet omnia, cum ſolus nihil peccaſſet, ut peccatũ accipias hoſtiam quæ pro expiando peccato ſolet immolari. Sicuti legimus, Peccata populi comedent. Ita fermè ſcholia Græcanica. Deniq; ſic hoc loco Chriſtum uocauit peccatũ, ut nos paulo ſuperius iuſtitiam dei dixit, & alibi Chriſtũ appellauit maledictum. Nec abhorret Auguſtinus ab hoc ſermone, libro aduerſus Fauſtũ decimoquarto, à cap. iij. aliquot deinceps capitulis. *Faber.* Iuſtitia dei.) Hebraico idiomate iuſtitiã dixit pro iuſtus, & addidit dei, ut excluderet fiduciam ac ſupercilium noſtrorum operũ. Ita Chryſoſtomus. Annotandũ eſt ſchema, in traductione peccati & peccati. Itẽ in ἐναντιώσει, peccatũ & iuſtitia.

EX CAP.

Thomas frustra se torquens.



Ed adiuuantes etiam exhortamur.) Thomas hoc loco torquet sese, primum bifariam interpretans. Adiuuantes uos, ut referatur ad Corinthios. Deinde adiuuãtes deum. Cæterum quoniam hoc iam absurdum uidetur, deum adiuuari ab homine, distinctiunculam adhibet, qua tamen nihil erat opus, si Græca consuluisset, in quibus est συνεργοῦντες, id est. Cooperantes, Quur enim horreamus hunc sermonem, quum in superioris epistolæ cap. tertio legamus, dei enim adiutores sumus, συνεργοί. Chrysostomus tamen & priorem sententiam retulit, quemadmodum & Theophylactus: Verum altera magis congruit his quæ præcedũt & sequũtur, pater & amor negocij. Christus princeps legationis, apostoli ministri. In Christo operatur pater, Christus in apostolis. Nec cõiũctio caret emphasi, ὡς παρακαλοῦμεν. Magnũ erat illis prædicasse euangelium, tantaq; perpessum fuisse, & tamen his addit etiam obsecrationẽ. Deinde quod sequitur exhortamur, Græce est παρακαλοῦμεν, quod ut crebro dictum est, sonat & obsecramus & consolamur, ut paulo superius, Tanquam deo exhortante per nos. Vtroq; loco non male quadrabat obsecrandi uerbum, præsertim cum sequatur δέομαι rogo, quod interpres uertit obsecro. Illud annotandum, quò se demittat tãtus apostolus, etiã apud illos qui peccauerant, cum nunc longe dissimiles huic, miro supercilio, nil nisi mandata, minas, excommunicationes, & anathemata crepent. Bis autem rogat, primum nomine Christi, cuius uice fungitur: deinde suo, tanquam illius cooperarius, quasi hoc nõnihil etiã ad se pertineret. Deinde gratiam dei, uocat beneficium dei.

Supercilium episcoporum.

Tempore accepto exaudiui te.) Cum dicit, ait, subaudiendum est dominus, siue scriptura. Quæ sermonis forma non est infrequens apud Paulum. Locus quem adducit est apud Esaiam capite quadragesimonono, Hebraica diuus Hieronymus ita reddidit, In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui. Neq; dissident ab his Septuaginta, Tempore opportuno exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui. Illud interim miror, qui factum sit, ut pro tibi, legamus tui, cum Græce sit datiuus, ἐβοηθησάσοι. Quod tamẽ magis est succurri tibi, quàm quod hic uertit, adiuui.

Nemini dantes ullam offensionem.) Interpres legisse uidetur, μηδεμίαμ μηδενὶ διδόντες, cũ in his quos mihi uidere contigit Græcis codicibus scriptum haberetur μηδεμίαν ἐν μηδενί, id est, Ne quam usquam, siue ulla in re. Ita legit & Theophylactus & Chrysostomus.

Ministerium nostrum.) Nostrum, apud Græcos non est additum. & præstat non addi quo plenior sit sensus. Salus est munus dei, ea per nos administratur. Sic igitur se gerat qui administrat, ne munus ipsum contemnatur uitio ministrantis. Interpres exprimere uoluit uim articuli ἡ διακονία.

Ordo sermonis.

Exhibeamus.) συνιστῶντες ἑαυτούς, id est, Cõmendantes nosipsos. atq; ita legit diuus Ambrosius, cũq; hoc consentiens Augustinus libro de doctrina Christiana iiij. cap uigesimo. Incertum autem, an sit exhibeamus, an exhibemus. Nam mox ingreditur laudes suas. Hãc enim uocat commendationem, quæ factis ipsis conciliat fauorem & autoritatem. Nec est, Sicut dei ministros, sed, sicut dei ministri, ut subaudias sumus. quemadmodum & illic: Nemini dantes, &c. nisi magis placeat referre ad illud superius, παρακαλοῦμεν, id est, exhortamur. Deinde post multa interiecta respondeat, Nemini dantes. Ita omnia hæc pertinebunt ad personam Pauli, atque ita consentaneum est, Denique Ambrosius legit, Vt dei ministri, non ministros.

In suauitate,) ἐν χρηστότητι, id est, In benignitate, seu bonitate, & comitate, quæ opponitur supercilio, & asperitati morum.

In patientia multa.) In harũ enumeratione rerum, nonnihil uariant exemplaria, id quod ferè solet usu uenire, quoties recensentur huiusmodi compluscula, fallente scriptorem, opinor, sua memoria. Tum præpositio in, toties repetita propemodum per abusum usurpari uidetur pro per.

In charitate non ficta.) Iucundior est apud Græcos uox cõposita, ἀνυποκρίτῳ, id est, Quæ expers sit simulationis. Ambrosius legit, Non simulata.

In uirtute dei.) ἐν δυνάμει θεοῦ. Vt de signis ac miraculis intelligas, quemadmodum interpretatur & Ambrosius.

A dextris

A dextris & à siniſtris.) Faber Stapulenſis hoc loco mutat pro dextris ac ſiniſtris, ſecũdorum & aduerſorum. Quod, quid ſibi uelit, prorſus non intelligo. Nam primum longe aliud eſt ſiniſtrum ac dextrum, q̃ aduerſum, & ſecũdum. Quã q̃ nec illud uideo, quomodo arma quæ à tergo gerimus ſecunda, quæ à pectore, aduerſa dici poſſint. Verum ut demus hæc ita habere, non erat tamen dicendum, ſecundorum & aduerſorum, ſed ſecunda & aduerſa, referuntur enim hæc epitheta ad arma, ni fallor. Sed Faber, opinor, uoluit interpretari, dextra & ſiniſtra, quaſi per dextra ſignificentur res ſecundæ, per ſiniſtra, res aduerſæ. Atqui iſtud eſt officium cõmentarium ſcribentis, non interpretis. Nec eſt abſurdũ quod uocat arma dextra, quæ ad dextram nos muniunt aduerſus indulgẽtiam fortunæ, & ſiniſtra, quibus à ſiniſtra tegimur aduerſus incurſum malorum & afflictionum. Quan q̃ mihi ſimplicius uidetur, ut accipiamus à dextris & à ſiniſtris, quaſi dicas, undiq; arma ti aduerſus omnia: id enim figura prouerbialis efficit. Certe diuus Aurelius Auguſtinus cum alibi, tum in cõmentarijs pſalmi xcij. legit Per arma iuſticiæ dextra & ſiniſtra. *Stapulenſis*

Per gloriam & ignobilitatem.) διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, id eſt, Per gloriam & ignominiam, ſiue contemptum.

Per infamiam & bonam famam.) διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας. Quaſi dicas maledicentiam, & benedicentiam.

Vt ſeductores.) ὡς πλάνοι, id eſt, Vt impoſtores, uel potius quaſi, ſicut mox uertit. Quã q̃ oportuit ita perpetuo uertere, cũ ſit ubiq; ὡς. Sed interpres mire ſibi placuit ſua copia, nunc uertens ut, nunc quaſi, nunc ſicut, nũc tanq̃, perinde quaſi nihil interſit apud Latinos inter has omnes uoces. Iam ut demus nihil intereſſe, certe uocis eiuſdem iteratio, non ſolum ad decus orationis facit, uerumetiam ad uehementiam. Sic enim totus hic ſermo p contraria, per membra, per comparia, per ſimiliter deſinentia, per ἀναδιπλώσεις, aliaq; id genus ſchemata uariatur, uoluitur, ac rotatur, ut nihil eſſe poſſit, nec uenuſtius, nec ardentius. Vnde diuus Auguſtinus hunc locum producit in libris de doctrina Chriſtiana, tãq̃ exemplum grandiloquæ dictionis. Nam uelut in ecſtaſin raptus tandem addit, os noſtrum patet ad uos ô Corinthij. *Sermo Pauli figuratus.*

Sicut qui ignoti & cogniti.) ὡς ἀγνοούμενοι καὶ ἐπιγινωσκόμενοι. Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana quarto, capite uigeſimo, ſeruata temporis ratione legit, Vt qui ignoramur, & cognoſcimur. Quo quidem in loco, totius huius oratiõis ardorem & harmoniã annotauit, ſi quis cupiet cognoſcere.

Vt caſtigati non mortificati.) ὡς παιδευόμενοι. Quod Auguſtinus cum aliâs tum libro de ciuitate dei undecimo, legit Vt coërciti, & nõ mortificati. Græcum participiũ præſentis eſt temporis. quod ſic efferri poſſit, ut qui corripiamur non occidamur. Significat ẽm pios corripi à deo, ſed ueluti filios à patre, qui caſtigat & emendat flagello, non interimit.

Quaſi triſtes.) ὡς λυπούμενοι, id eſt, Dolentes, potius.

Vt nihil habentes & omnia poſſidentes.) Fortaſſis hoc loco uenia danda interpreti, quod Græci ſchematis gratiam non reddidit, ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες. Quaſi dicas, ut nihil tenentes, & omnia cõtinentes. Dilucidius autem erat, Quaſi nihil habentes, cum omnia poſſideamus.

Non anguſtiamini in nobis.) οὐ στενοχωρεῖσθε. Primum admonendus eſt lector, hic anguſtiamini non eſſe dictum imperandi modo, ſed indicandi: neq; enim Græce dixit μή, ſed οὐ. Et interpres hoc orationis genus reddere ſolitus eſt, ad hanc formã, Nolite anguſtiari: ut paulo poſt, Nolite iugum ducere cum infidelibus. Deinde στενοχωρεῖσθαι, dicunt, qui loci anguſtia premuntur. Sentit igitur ſibi eſſe ampliſſimum animum in Chriſto, Cæterũ illos anguſtos eſſe, non in Paulo, ſed ſuis ipſorum affectibus, quos uiſcera uocat. Ac mox hortatur ut & ipſi deſinant eſſe anguſti. Siquidem anguſtiam uocat hoc loco, nõ afflictionem aut moleſtiam animi, ſed trepidam obſeruationem ceremoniarũ legis Moſaicæ, aut humanarum traditionum. Superius enim diſputauit de idolothytis. Niſi mauis ad mœrorem referre, quem conceperãt ex eo, quem Paulus iuſſerat tradi ſatanæ. *Non anguſtiamini.*

Eandem autem retributionem habentes.) Habentes, non habetur in Græcis exemplaribus, unde uidetur ſubaudienda præpoſitio ἐν, id eſt, iuxta eandem retributionem dilatamini & uos. Theophylactus de ſuo ſupplet uerbum εἰσενέγκατε, id eſt, adferte. Quanq̃ *Habentes ſupereſt.*

Ambrosius legit, mercedis retributionem: ut exprimeret Græcam uocem ἀντιμισθίαμ. Idem ita distinguit, ut participium habentes, pertineat ad angustiamini, Angustiam patimini non per me, qui sum amplissimo, & animo, & ore erga uos, sed in uestris ipsorum animis, cum habeatis eandem pensationē mercedis, quam cæteri atq; ego. Deinde subijcit, Vt filijs loquor, dilatemini uos quoq;, uidelicet ut parenti respondeatis. Verum ex Chrysostomo deprehendimus huius loci lectionem, ut nec præpositione sit opus, nec uerbo aliunde ascito. Quod Paulus appellat amplitudinem, est eximiæ charitatis, quod angustiam, est charitatis non ex æquo respondentis. Expostulat igitur cū Corinthijs, quod minus ab illis diligatur quàm ipse diligat. Quum igitur dixisset, angustiamini in uisceribus uestris: Perinde quasi rogassent Corinthij, quorsum ista Paule? Respondet, Non exigo à uobis quicq; arduum, neq; reposco meritum cum usura, tantum hoc postulo pater à filijs, ut in charitate respondeatis, omnia putabo pensata si pariter ametis. Hæc erit merces officiorum meorū erga uos. Itaq;, dico, est uelut exponētis quod tectius dixerat, Non angustiamini in me sed in uiscerib⁹ uestris, quēadmodū solemus dicere, nouercā loquor, hoc est de nouerca loquor. Hæc loquor tanq; cum filijs, exigens ab eis mutuam charitatem. Chrysostomi uerba subscribam, καὶ οὐκ εἶπεν οὐ δέχεσθε ἡμᾶς ἀλλ' ὅτι στενοχωρεῖσθε, τὸ αὐτὸ μὲν αἰνιττόμενος, μετὰ φιλίας δὲ ἡμῖν τοῦ μὴ σφόδρα καθάπτασθαι. πλὴν δὲ αὐτῶν ἀντιμισθίαν, ὡς τέκνοις λέγω. καίτοι οὐκ ἔστιν ἴσον, πρότερον ἀγαπηθῆναι. κἂν γὰρ τὸ ἴσον τις ἐπενέγκῃ μέτρον, ἀλλ' ὕστερον ἐπανελθεῖν. ἀλλ' ὅμως οὐδὲν ἀκριβολογοῦμαι φησιν, κἂν παρ' ἐμοῦ λαβόντες τὰς ἀρχὰς τὰ αὐτὸ μέτρον ἐπιδείξασθε. ἀγαπῶ καὶ στέργω. εἶτα ἵνα δείξῃ ὅτι κοινὴ ὀφείλει τὸ πρᾶγμα ἦν, κοινὴ κολακείας ἐκδοὺς τὰ εἰκαμψία, ὡς τέκνοις λέγω φησίν. τί ἔστιν ὡς τέκνοις; οὐδὲν μέγα αἰτῶ, εἰ πατὴρ ὢν βούλομαι φιλεῖσθαι παρ' ὑμῶν, id est, Non dixit non capitis nos, sed angustiamini, idem tacite significans, sed parcens illis, nec acriter mordens. Eandem autem retributionem ut filijs dico. Atqui non est æqualitas, quum prius sint dilecti. Nam & si quis eandem reponat mensuram, tamen hoc inferior est, quod posterior accessit. Attamen nihil, inquit, ad uiuum reseco. Quanq; à me profectum est amoris in uos exordium, tamen eandem mensuram reponite. Diligo & amo. Deinde quo uideatur res esse debiti, nihilq; dictum per assentationem, ut filijs, inquit, loquor. Quid est, ut filijs? Nihil magni postulo, si quum sim pater, postulem à uobis diligi. Ex his Chrysostomi uerbis apparet, illud λέγω, nō referri, ad sequentem orationem, dilatamini & uos, sed ad retributionem.

Nolite iugum ducere.) Sensum probe reddidit interpres. Quāq; Græcus sermo significantior est, μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες, hoc est, Ne iungamini eodem iugo cum infidelibus. Nam si Christianus ducat uxorem ethnicam, aut Christianus in gerendo magistratu, collega sit ethnico, dicetur ἑτεροζυγεῖν. Huiusmodi matrimonia Hieronymus imparia uocat.

Conuentio.) συμφώνησις, id est, Consensus, aut concordia.

Belial. Christi ad Belial.) Græci legunt Beliar, βελίαρ, ob id, ni fallor, quod Græcis nullū nomen desinit in l. Græca scholia indicant Belial Hebræis significare desertorem, hoc est, luciferum. At eximius ille Ioānes Reuchlinus, uir undequaq; doctissimus, & alterum post Rodolphum Agricolam, decus & ornamentum nostræ Germaniæ, in suo Lexico docet, Belial apud Hebræos significare malū & iniquū, aut etiā noxiū dæmonē, quod satis quadrat. Nam Christus omnia fecit, ut prosit: cōtra Belial, etiā cū iuuat, in hoc iuuat ut noceat.

Sicut dixit deus.) Hoc testimoniū diuus Thomas Aquinas, sumptum putat ex Leuitici capite uicesimo sexto, ubi legimus ad hunc modum: Ponam tabernaculum meū in medio uestri, & non abijciet uos anima mea. Ambulabo inter uos, & ero uester deus, uosq;

Carrensis. eritis mihi populus meus. At Carrensis autore Didymo, quē equidem demiror ubi uiderit, si tamen uidit, refert ad Ezechielis caput triceſimumseptimum, ubi legimus ad hunc modum: Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes, quia ego sanctificator Israël, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum. Atqui cum neutro horum locorum per omnia respondet citatio Paulina.

Testimonium idem ex pluribus locis conflatum. Proinde sciat lector hoc testimonium non ex uno prolatum loco, sed è pluribus conflatum, id quod & alias factum ostendimus. Siquidem prima pars è Leuitico deprompta uidetur. Deinde quæ sequuntur, Quapropter exite de medio illorum &c. ex Esaia decerpta sunt, apud quem legis capite xxij. Recedite recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.

gere,exite de medio eius:mũdamini qui fertis uasa domini.Demum quod adiecit, Et ero uobis in patrem &c.sumptum uideri potest ex Hieremiæ capite xxxi. Quia factus sum Israël pater,& Ephraim primogenitus meus.

Et inambulabo inter eos.) Inter eos,non est Græcis,sed tamen conatus est exprimere uerbum ἐμπεριπατήσω, quod significat in aliquo ambulare.Nam inambulare Latinis nihil aliud est aliquoties,quàm ambulare:tametsi melius erat in eis,quàm inter eos:nisi putamus utrobiq; præpositionẽ in,positam pro inter.Ambrosius utrãq; sumpsit ita legens Inhabitabo in illis,& inter eos ambulabo.

EX CAPITE SEPTIMO.

Capite nos.) χωρήσατε ἡμᾶς.Quia dixit ante angustiamini.Nec hic est capite pro intelligite,sed sicuti uas aut locus aliquid capit. Ambrosius propemodum explicuit,qui legit,Capaces estote nostri,quem nos secuti sumus. Refricat enim quod ante dixit, dilatamini & uos. *Capite,capaces estote.*

Circumuenimus.) ἐπλεονεκτήσαμεν.Quod & alibi uertit ad eundem modum.Ne circũueniamur à satana. Est autem proprie per fraudem abstulimus quod iure non debebatur.Ambrosius ita legit hoc loco,Nemini nocuimus,neminem grauauimus, neminem circumuenimus:atq; ita exponit.Nocent pseudapostoli, cum sensus suorum corrumpunt,& grauant sacculos circumuentione serpentinæ astutiæ:Græca sic habent, οὐδένα ἠδικήσαμεν,οὐδένα ἐφθείραμεν,οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν, id est,Neminem iniuria affecimus,neminẽ corrupimus, neminẽ fraudauimus,hoc est, nullius rem præter ius occupauimus,& in nostrũ uertimus cõmodũ.ἀδικεῖ qui tyrannidẽ exercet, φθείρει qui falsa docet, πλεονεκτῆ,qui dolo usurpat aliena.Sic ẽm oblique taxat pseudapostolos.Alioqui nequaq; magna laus erat,hæc non fecisse Paulum.O gloriam uere sacerdotalem,& utinam omnibus episcopis ad eundem modũ uere liceret gloriari.

Prædiximus enim.) προείρηκα γάρ, id est,Prædixi enim:atq; ita legit Ambrosius.

Ad cõmoriendum & conuiuendum.) εἰς τὸ ἀποθανεῖν & συζῆν. Id erat apud ueteres amicitiæ genus,ut amico forte extincto,amicus ultro sibi mortem consciscereț:quod amicitiæ genus significat Horatius sibi fuisse cum Mecœnate. Vnde dicti συναποθνήσκοντες. Non quod Paulus huiusmodi quippiam sentiat, quale legimus olim fuisse apud Ethnicos,uerum hoc modo arctissimam amicitiam uoluit indicare. *Cõmorientes.*

Gloriatio pro uobis.) ὑπὲρ ὑμῶν, Melius hic,de uobis,hoc est,nomine uestro.

Superabũdo gaudio.) ὑπερπερισσεύομαι. Quod est supra modum,aut uehementer abũdo,seu potius,superfluo.Nec idem apud Latinos facit super,additũ,quod apud Græcos ὑπὲρ siue περί in cõpositione.Proinde diuersa ratiõe cõueniebat epitasin explicare Latinis. *Superabundo*

Sed omnem tribulationem pass.s.) ἀλλὰ ἐν παντὶ θλιβόμενοι,id est,Sed in omnibus afflicti,ut subaudias,eramus. Nam Hebræis familiare est subaudire uerbũ substantiuũ.

Qua consolatus est in uobis.) Consolatus est hic passiue accipiendum est, ᾗ παρεκλήθη.

Et si pœniteret.) εἰ & μετεμελόμην,id est,Etiam si pœnituisset,ut accipias Paulum, nõ quidem fateri pœnitentiam,quod eos ante mœrore affecisset,nunc tamen adeo gaudere, quod ex Tito cognouisset rem bene cessisse,ut etiã si qua pœnitudo tenuisset ipsum prioris facti,nunc eam abiecturus fuerit. Annotat hoc diligenter Chrysostomus. Non enim dixit,prius pœnitebat,nunc non pœnitet,sed,non pœnitet etiam si pœnituisset.Sic loquimur quum & errata feliciter cadunt:& refertur ad superiora,non ad sequentia. Nam sequitur apud Græcos βλέπω γάρ, id est, Video enim.Quamuis me nõ fugiat secus distingui ab Ambrosio,qui sic ordinat,Etsi pœniteret,uideo &c. nec addit enim. In hoc certe congruit cum Græcis,quod legit βλέπω non βλέπων. Verum siue legamus uideo,siue uidens,fateri cogimur unam sermonis particulam inabsolutam esse, nisi accipiamus iuxta primam lectionem quam indicauimus,Id incõmodum hac ratione tolli poterat: Quamuis ea epistola uos ad tempus contristauit,nunc tamen gaudeo,non quod cõtristauerim uos,sed quod uideam contristatos ad pœnitentiam.

Vt in nullo detrimentum patiamini.) ἵνα ἐν μηδενὶ, id est,ne qua in re detrimentum pateremini,nisi forte Paulus abusus est hac uoce ἵνα pro ὥστε,quod aliquoties uidetur facere.

Stabilem.) ἀμεταμέλητον, id est,Non pœnitendam.Refertur autem ut arbitror ad pœ

nitentiam non ad salutē, μετάνοιαν ἀμεταμέλητον, elegantissime cōiunctis contrarijs, quasi dicas, impœnitendam pœnitentiam. Quanq; Ambrosius uidetur adiectiuum ad salutem referre, non ad pœnitentiam. Est autem sententiæ genus simul & schema, ex contrarijs cō textum, mundo & deo, morte & salute, pœnitētia non pœnitenda. Huius generis esse putat Fabius illam sententiam, Obsequium amicos, ueritas odium parit. Ex Chrysostomo & Theophylacto non satis liquet, utrò retulerint ἀμεταμέλητον. Vterq; sensus probe consistit, efficit pœnitentiam non pœnitendam, Nam & pœnitentiæ frequenter pœnitentiā agimus, aut efficit pœnitentiam, quæ adducit ad salutem, quæ nescit pœnitentiam, sed habet gratulationē perpetuam. Annotauit Laurentius, eidem uoci Latinæ pœnitētia, duas respondere Græcas μετάνοια & μεταμέλεια, quarum prior dicta est à sensu retractando, posterior à cura in melius mutanda. Et quemadmodum Cicero conuiuium aptius uocabulum iudicat Latinum, quàm sit Græcorum συμπόσιον, ita Lactantius putat hic Græcas uoces elegantiores, quàm Latina sit, quod pœnitentia significet tristiciam commissi, illæ mentis emendationem. Siquidem pœnitere, pigere est tædereq;. Proinde nihil agere, qui ex hoc loco triplicem inducant pœnitentiam: unam, quæ sit contritio: alteram, quæ sit cōfessio: tertiam, quæ sit satisfactio. In hanc ferè sententiam Valla noster. Quanquā illi non prorsus in hoc assentior pœnitere à pœna dictum, sed magis arbitror dictū à ponè tenendo, hoc est ab intelligendo post factum, unde & Græcis dicta est metanœa. Atq; hæc cū dicimus non tollimus, neq; contritionem, neq; cōfessionem, neq; satisfactionem, sed uim ostendimus Euangelicæ uocis. Nam ueram resipiscentiam illa tria comitantur, dolor, cōfessio, quæ meo iudicio pars est satisfactionis, & satisfactio, quæ male facta benefactis pensat. Nam hoc satisfactionis genus arbitror optimum, quum iuuandis proximis suscipiuntur labores, potius q; quum accersiuntur cruciatus, graues ferenti, præterea nulli utiles: quales sunt apud inferos.

Pœnitentia quid Græcis.

Triplex pœnitentia. Valla.

Seculi autem tristicia mortem operatur.) Alibi αἰῶνα uertit seculum, hic κόσμον, id est, mundum. Ambrosius legit huius mundi.

Secundum deum contristari.) τὸ κατὰ θεὸν λυπηθῆναι ὑμᾶς, id est, Quod secundum deum contristati fuistis.

Sed defensionem, sed indignationem.) Ambrosius ita legit, Sed excusationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed uindictam. Græca sic habent, ἀλλὰ ἀπολογίαν, ἀλλὰ ἀγανάκτησιν, ἀλλὰ φόβον, ἀλλὰ ἐπιπόθησιν, ἀλλὰ ζῆλον, ἀλλὰ ἐκδίκησιν, id est, Sed excusationem siue purgationem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed uindictam. Græca scholia monent ἀλλὰ, id est, sed, hoc loco poni pro Ϛ, id est, &, cum potius usurpetur pro imò, siue insuper mea quidem sententia. Auget enim ac ueluti corrigit, quod dixerat σπουδὴν sollicitudinem, imò plus aliquid, usq; ad uindictam turpis admissi. In hoc catalogo, pars una deest apud Ambrosium, cuius nec in cōmentario meminit. Non eñ meminit indignationis, quocunq; casu id esse factū libet cōiectare.

In omnibus exhibuistis uos.) συνεστήσατε, id est, Commendastis. Quanq; hic non male quadrabat præstitistis. Et ἐν παντὶ, quod etiam superius uertit, in omnibus, melius redditur per ubiq;. Rursum illud, In negocio. Articulus Græcus additus, τῷ πράγματι, significat eum loqui non de quauis re, sed de certo quodam negocio, nimirum eo de quo scripserat in priori epistola, quēdam habuisse rem cū uxore patris. In eo negocio ostenderūt se puros esse eiecto & punito huiusmodi homine, cum ibi Paulus etiam nonnihil illis imputaret: Et uos, inquiens, inflati estis.

Hebraicum idioma

Igitur & si scripsi.) Scripsi, bis intelligendum est, Et si scripsi, scripsi. Quanquàm apud Græcos non nisi semel ponitur. Etsi scripsi uobis, non propter eum scripsi &c. Velut ibi, Etsi quid donaui, propter uos. Admonēt Græcorū cōmentarij, hic negationem habere uim comparatiuam. Nam omnino scripserat etiam illorū causa qui peccarant. Nam hos sentit, qui iniuriam fecit & qui passus est, sed non hæc erat præcipua causa. Quod genus est & illud, Misericordiam uolo & nō sacrificiū. Et, nō est cura deo de bubus.

Ambrosiana lectio.

Non propter eum qui iniuriam fecit.) Ambrosius ita legit. Nō propter eū qui inique uersatus est, sed neq; propter eum qui inique tractatus est.

Ad manifestandam sollicitudinem nostram quam habemus pro uobis.) In eundē sen-

sum

ſum legit Ambroſius, Sed ut manifeſtaret ſollicitudo noſtra quam pro uobis habemus coram deo, uidelicet inuerſis his pnominibus ὑμῶν & ἡμῶν, id quod facile cõmittitur uel ſcriptoris obliuione. At Græci ſic legunt εἵνεκεν τῶν φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ὑμῶν, τὴν ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Quibus ex uerbis apparet hoc ſenſiſſe Paulum, ſe gaudere, quod ex ea triſtitia conſecutum ſit, ut palàm fieret, quo ſtudio eſſent Corinthij erga ſe. Et particula πρὸς ὑμᾶς poteſt accipi apud uos, ut referatur ad uerbũ manifeſtetur quod præceſſit: ut ſit ſenſus, Paulum hoc egiſſe, ut qui apud Corinthios fauerent pſeudapoſtolis, intelligerent quo affectu tota Corinthiorum eccleſia eſſet erga ſe. Porrò quod adijcit, Apud uos coram deo, ueluti iurantis eſſe poteſt, & illos & deũ conſcium teſtantis. Nam & paulo ſuperius meminit de ſtudio Corinthiorum, quod ex Tito cognouerat. Theophylactus tamen legit & interpretatur quemadmodum Ambroſius.

Locus obſcurior.

Coram deo iurantis.

Abundantius autem magis.) Aut duo comparatiua coniunxit, ad exprimendam maiorem emphaſim, aut pro magis uertendum erat potius. μᾶλλον eñ apud Græcos, ut & apud nos potius, corrigit nõnũq̃, ut intelligas illũ multũ accepiſſe ſolatij ex correctis Corinthijs, ſed uerius ex gaudio Titi. Ambroſius, p abundantius ac magis, legit magis magisq̃. Verũ illud haud diſſimulandũ, hunc locum longe ſecus apud Græcos diſtingui, q̃ apud Latinos. Nam uulgata æditio & Ambroſius ſic habent: Ideoq̃ conſolati ſumus. In conſolatione autem noſtra, abundantius magis gauiſi ſumus. Græca ſic habent, διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν, περισσοτέρως δὲ μᾶλλον, id eſt, Propterea cõſolatio nẽ accepimus in conſolatione ueſtra, abundantius aũt magis &c, Sed Ambroſius noſtrã ſequitur diſtinctionẽ, interſecans cõmentariolo interiecto, quæ Græci coniungunt.

Diſtinctio diuerſa.

Refectus eſt ſpũs eius.) ἀναπέπαυται, id eſt, Refocillatus fuit, quod eſt proprium eius qui laborauit ac fatigatus eſt, & poſtea requie refocillatur. Ambroſius hunc locũ diuerſe legit, diuerſum, opinor, exẽplar nactus: Quia, inquit, requieuit ſpũs eius in oĩbus uobis.

Non ſum confuſus,) οὐ κατῃσχύνθην, id eſt, Non ſum pudefactus.

Abundantius in uobis.) εἰς ὑμᾶς, id eſt, In uos, ſiue erga uos.

Reminiſcentis.) ἀναμιμνησκομένου, id eſt, Recordantis ſiue commemorantis, ſeu in memoriam reuocantis.

Quod in omnibus confido in uobis.) In, non eſt Græcis exẽplaribus. θαῤῥῶμεν ὑμῖν, id eſt, Confidimus uobis. Nõnulli tamen habebant θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν, itaq̃ legit Theophylactus. Et in his ſyllabis lapſus facillimus eſt librariorum, interpoſito μ̄.

EX CAPITE OCTAVO.

ET quod in multo.) Et, redundat, nec eſt in Græcis codicibus, nec additur ab Ambroſio, ne in noſtris quidem emendationibus.

In multo experimento.) ἐν πολλῇ δοκιμῇ, id eſt, In multa probatione. Atque ita legit diuus Ambroſius.

Abundantia gaudij.) ἡ περισσεία. Sed Ambroſius recte mutauit nomen in uerbum, legens, abundat gaudium.

Altiſſima paupertas.) ἡ κατὰ βάθους πτωχεία. Ambroſius legit, profũda paupertas. Sumptũ apparet à uaſe ſeu ſcrinio iam ad imum exhauſto. Ad quod pertinet illud quod Heſiodus ſcripſit, ſeram in fundo eſſe parſimoniam. Proinde nõ omnino peſſime uertit interpres. Oppoſuit autẽ Paulus inter ſe contraria, profũda paupertas, hoc eſt exhauſtiſſima, & exuberauit. Nõ exuberat, quod eſt inane, & paupertas cum diuitijs pugnat.

Alta paupertas.

In diuitias ſimplicitatis.) εἰς τὸ πλοῦτον ἁπλότητος, id eſt, In opulentiam ſimplicitatis. Simplicior eſt qui libenter erogat, & hoc magis diteſcit candoris ac benignitatis bono, quo pauperior redditur pecunia.

Quia ſecundum uirtutem.) ὅτι κατὰ δύναμιν, id eſt, Quia pro uirili, ſiue pro uiribus. Et ſic legit diuus Ambroſius, ne quis hic uirtutem accipiat oppoſitam uitio.

Secundũ uirtutem, pro uiribus.

Supra uirtutẽ.) Ὑπὲρ δύναμιν, id eſt, Vltra uires. Et ſic legit Ambroſius, quemadmodũ & ſupra, pro uiribus. Quanq̃ dilucidius erat, etiam ſupra uires. Ex Ambroſio propemodũ ſubolet uerbũ μαρτυρῶ, quod ille uertit, teſtimonio illis ſum, per parentheſim interſeri. Siquidem pro uiribus, me teſte, imò ſupra uires ultro dare uolebant.

Voluntarij.) αὐθαίρετοι, i. Spontanei, ut ſubaudias fuerũt, hoc eſt, nõ rogati, nõ, puocati

Cum multa exhortatione obsecrantes nos.) Græci secus legunt, μετὰ πολλῆς παρακλήσεως, δεόμενοι ἡμῶν, τὴν χάριν, καὶ τὴν κοινωνίαν τὴν διακονίας, τὴν εἰς τοὺς ἁγίους δέξασθαι ἡμᾶς, id est, Multa cum obtestatione rogantes nos, ut gratiam & communionem ministerij, quod est in sanctos susciperemus.

Et non sicut sperauimus.) καὶ οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν, id est, Multo amplius quàm sperare audebamus, ne putemus id accidisse Paulo præter spem. Proinde nos uertimus, quate/nus. Hoc loco ridiculum quiddam incidit in exemplari Corsendoncensi, codice alioqui p quàm eleganti, sed pulchro uerius quàm emendato, Lector, ut facile licet conijcere, cum reperisset à studioso quopiam annotatum quiddam in spacio marginali, credens à scriba prætermissum, transtulit in medium uersum ad hunc modum, δέξασθαι ἡμᾶς, ὃν πολλοῖς τῶν ἀντιγράφων, οὕτως εὕρηται, καὶ οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν. Siquidem is indicans ἡμᾶς in plerisq; non addi, in alijs rursus addi, asscripserat hæc: In plerisq; exemplaribus sic inuenitur. Ea uerba scriptor indoctus medio Pauli sermoni admiscuit. Simile quiddã accidit in epistola Paulini ad Augustinũ, quæ numero fertur lviij. in medio epistolæ contextu, quoniã præ/cesserat mentio apostolorum & prophetarum, longum somnium intermiscet indoctus scriba, de etymologia uocum apostoli & prophetæ, quod male feriatus quispiam, ex Ca tholico fortassis asscripserat in margine: Vt enim, inquit, ad uim termini proficiscar, apo/stolus Græcum, dicitur ab apos, quod notat augmentum uel præeminentiam, & stolon quod est missio, quasi præeminenter missus, ad augmentationem scilicet fidei catholicæ. Ac mox, propheta autem, inquit, à pro, id est, procul, & for faris, quasi quæ sunt, erũt uel fuerunt locuturus. Aliaq; id genus multa deblaterat in media uiri eloquentis iuxta ac do/cti epistola, supposititius ille Paulinus. Atq; hæc cum ab eruditis multa deprehendãtur in libris, qui cum autoritate leguntur, quid futurum arbitramur, si quicquid quocunq; mo/do libris illitum fuerit, citra iudicium, citraq; censuram uelimus recipere? Atq; hac occa/sione comperimus innumeros locos esse deprauatos.

Ridiculum de loco deprauato.

Ita ut rogaremus Titũ.) εἰς τὸ παρακαλέσαι ἡμᾶς τίτον, id est, In hoc ut adhortaremur Titũ. Ita & perficiat in uobis.) εἰς ὑμᾶς, id est, In uos, uel erga uos.

Et cõsummaret in uobis etiam gratiã istam.) Rursum χάριν gratiã uertit, rectius uersu rus, beneficiũ, aut munificentiã, siue ut nos uertimus, beneficentiã: quo nomine frequẽter usus est Cicero, cũ aliàs, tũ primo libro officiorũ, ne qs calumnieť. Deinde cur nõ potius erga uos, cũ in uobis, cũ Græce sit εἰς ὑμᾶς, præsertim cũ ita legat Ambrosius? Vt quẽad modũ cœpit, ita cõsummet, etiam in uos gratiam istam. Interpretatur aũt, ut quemadmo dum hortatu Titi cœpistis imitari munificentiã aliorũ, ita eodẽ hortatore perficiatis. Est autẽ Græcis gemina coniunctio καὶ, quoniam prior refertur ad priorem partem incipien di, posterior, ad cæteras dotes, quibus ualebant Corinthij. Qui cœpit, idem perficiat, ut quemadmodũ probamini cæteris uirtutibus, ita in hac quoq; laudem promereamini. Vt autem egregius artifex laudem admiscuit exhortationi, iuxta rhetorum præcepta.

Laus in exhortando.

Insup & charitate.) καὶ τῇ ἐξ ὑμῶν ἐν ἡμῖν ἀγάπῃ, id est, Et charitate quæ in nobis est ex uobis. Pro τῇ ἐξ ὑμῶν, interpres uertit uestra, nec male. Nec est insuper, apud Græcos, ne in Paulino quidẽ uetustissimo exẽplari, ne in Cõstãtiẽsi qdẽ, licet sit apud Ambrosiũ. Videtur aũt dictũ in nobis, pro in nos. Theophylactus & Græca scholia interpretantur, charitatem Corinthiorum erga Paulum. Ambrosius uidetur inuertere pronomina, Illa quæ ex nobis in uobis est charitate, hoc est, abundatis ea charitate, quam ex nobis didici stis. Etiam si in libris uulgatis habebatur, Et uobis, pro in uobis, opinor, emendandum. ex uobis in nobis.

Et in hac gratia abundetis,) Gratia hoc loco pro beneficio seu eleemosyna accipitur, ut & paulo superius. Loquitur enim de adiuuandis liberalitate sanctis: subaudiendum est autem uerbum hortor, aut date operam, alioqui sermo non erit absolutus.

Non quasi imper.) οὐ κατ' ἐπιταγὴν, id est, Non iuxta imperium, hoc est, nõ tanquàm imperans. Ambrosius legit, Non secundum imperium.

Sensus du/plex.

Sed propter aliorum sollicitu.) Græce διὰ est, hoc est, Per, non propter. Est enim sen/sus ut uestra charitas probatior fiat, ex aliorum erga nos officio, nõ quod aliquid exigam à uobis: tametsi sermo Græcus ancipitem habet sensum. Potest enim sic accipi, ut uestra

quoq;

quoq; charitas ſicut cæterorum Achaicorum reddatur probatior ac ſpectatior, ſi ueſtra ſollicitudine ſubleuetur paupertas ſanctorum. Poteſt & hic accipi, ut & ueſtra charitas magis à me probari poſſit ac prædicari, ſi uos aliorum exemplo prouocati, non ceſſeritis cæteris in hoc beneficentiæ genere, cum in cæteris non ſitis inferiores.

Veſtræ charitatis ingenium bonum.) Græce ſecus habet, καὶ τὸ ἐξ ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον, id eſt, Et charitatis ueſtræ ingenuitatem, ſiue ſynceritatem. Ingenuum autem pro ingenuitate dictum eſt. γνήσιον autem uocant, quod eſt uerum, germanum, ingenuum, minimeq; fucatum & adulterinum. Ambroſius legit bonum, omiſſo ingenio. Et ſanè ſuſpicor in noſtris codicibus olim ſcriptum fuiſſe ingenuum, non ingenium, idq; parum intellectum à ſciolo quopiam deprauatum. Iam uero quorſum attinet cõmemorare quid hic ſomnient recentes quidam theologi: nimirum hoc impudentiores, quo indoctiores, cum Thomas plurimis uerbis philoſophetur in hoc uerbo ingenium. Sic enim legit & ille, ſuum ſecutus exemplar. Quid enim aliud faceret, ignarus Græcanicæ literaturæ? Atq; hic quo ſtudioſius laborat, hoc magis erret neceſſe eſt, non ſecus quàm ſi quis ſemel aberrarit à uia, is quo uehementius currat, hoc magis erret oportet. Cæterum illi ſanè ueniam tribuendam arbitror, cui nihil omnino defuiſſe uideo præter cognitionem linguarũ. Verum præſtabat aliquanto minus Ariſtotelicum eſſe, quàm hoc carere adminiculo. Is cuius ſcholia feruntur falſo Hieronymi titulo, uidetur legiſſe ingenitũ, quaſi genuinũ. Nam aſſcribit. Eſt enim uobis ſic ingenita pietas, ut eam ab alijs diſcere minime egeatis.

Ingeniũ, pro ingenuo.

Thomas.

Quoniam propter uos egenus factus eſt.) Quoniã, uel quia rectius uertiſſet per quod. Hoc loco Faber mutat uos ſecundam perſonam in nos primam, idq; ita inueniri prædicat in archetypis. At reclamant conſtanter exemplaria Græca, quæ quidẽ ego uiderim, & inſuper Latina, & magis quadrat uos, quia præceſſit, ſcitis, & ſequitur, Diuites eſſetis. Atq; hoc ſermone Corinthiorum liberalitatem ſtudet elicere, tametſi non multum habet momenti ad ſenſum, utrum legas ἡμᾶς an ὑμᾶς. Verum illud, Egenus factus eſt, eſt Græce ἐπτώχευσε, id eſt, pauper fuit, ſiue potius mendicauit: ut hinc poſſint argumentum ſumere, qui gaudent mendicitatem ſuam ad Chriſtum autorem referre. Nec retulit interpres uocum alluſionem, ἐπτώχευσε, πτωχείᾳ, id eſt, Pauper fuit, & paupertate. Quam mirũ curceu data opera confuderit, cum nullo incõmodo licuerit reddere.

Stapulenſis

Et conſiliũ in hoc do.) καὶ γνώμην ἐν τούτῳ δίδωμι. Hic uidetẽ planè γνώμην accipere p conſilio. Porrò In hoc, id eſt, in hac re: ne quis hic erret, putans hoc eſſe accuſatiuũ caſum.

Senſus duplex

Sed etiam uelle.) Senſus ambiguus eſt, an cœperint ſimul & uelle, & facere ante annũ, ut hoc beneficium non nuper cœptum intelligas: an cœperint nõ ſolum facere, ſed etiam ultro facere, & ſuapte ſponte, nam id plus eſt quàm facere. Eſt autem gemina laus Corinthiorũ, qui non ſolũ cœperint largiri pauperibus, ſuapte uoluntate, nõ prouocati alienis exemplis, ſed hoc ipſum etiam animi propoſitum ultro, nec prouocati ſumpſerint. Atq; hunc quidem poſteriorem ſenſum ſequuntur interpretes.

Ab anno priore.) ἀπὸ πέρυσι, id eſt, Ab anno ſuperiori.

Animus uoluntatis.) καθάπερ ἡ προθυμία τοῦ θέλειν, id eſt, Quemadmodum promptus eſt animus ut uelit, ſiue ad uolendum.

Sic & perficiendi ex eo quod habetis.) οὕτως καὶ τὸ ἐπιτελέσαι, ἐκ τοῦ ἔχειν, id eſt, Sic & perficere ſit, ſiue Perficite ex habendo, id eſt, ex hoc quia habetis, hoc eſt, quia poteſtis. Siquidem habere uidetur abuſus pro poſſe. Velle eſt animi prompti: præſtare quod uelis, eſt facultatis.

Si enim uoluntas prompta eſt.) εἰ γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται, id eſt, Si enim prius adſit animi promptitudo, aut ſi præceſſerit animi promptitudo, quaſi fundamentũ beneficentiæ.

Secundum id quod habet.) καθὸ ἐὰν ἔχῃ τις. Hic habet, accipio more Græcorum pro poteſt. Id innuit diuus Ambroſius qui legit, ſecundum facultatem. Et potius eſt, iuxta id quicquid illud eſt quod poſſit, ut ſubaudias dare. Quãq; hoc ad ſententiã Pauli nõ admodum refert.

Habere, pro poſſe.

Vt alijs ſit remiſſio.) ἄνεσις, id eſt, Remiſſio & relaxatio laborum. Proinde Ambroſius uertit refrigerium.

Vobis autẽ tribulatio.) θλῖψις. Hoc loco melius redditur ab Ambroſio anguſtia. nam

angustiã rei familiaris dicimus. Relaxat̃ ijs q̃bus minus angusta fit res familiaris: atq; hic subaudiendũ est aliquid, quo sermo reddat̃ absolutus. Non em̃ sic dandũ est ut alijs &c.

Additum aliquid. Vestra abundantia.) Hic suppleat, additum est, cum Græce sic habeatur, τὸ ὑμῶν περίσσευμα, εἰς τὸ ἐκείνων ὑστέρημα, ἵνα καὶ τὸ ἐκείνων περίσσευμα γένητε εἰς τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, ut γένηται referat̃ ad utrãq; partem. Poterat aũt reddi ad hunc modũ, Vt uestra abundantia illorũ inopiæ, & illorum abundantia, uestræ succurrat inopiæ. Nam sermo Græcus contrarijs inter se redditis & repetitione uocis ἐκείνων figuratus est. Quin & in uestra & illorum tacita ἐναντίωσις est.

Qui multũ.) ὁ πολύ. Etiam Græcis subauditur participiũ ἔχων, id est, qui habebat.

Non minorauit.) οὐκ ἠλαττόνησεν, id est, Non fuit inferior, aut non minus habuit. Cæterum testimonium quod adducit, est Exodi capite decimosexto. Iuxta Hebraicam ueritatem, Diuus Hieronymus uertit ad hũc modum: Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat reperit minus. Dictum est autẽ de colligendo manna, quod Paulus deflexit ad suum negocium. Apud Theophylactum talem repperi lectionem, ὅτι πολὺ οὐκ ἐπλεόνασε. καὶ τὸ ὀλίγον οὐκ ἠλαττόνησε, quasi dicas, copiæ nihil superfuit & inopiæ nihil defuit. In enarrando addit uerbum ἔχων.

Gratias aũt ago deo.) χάρις δὲ τῷ θεῷ, id est, Gratia aũt deo, ut subaudias est, aut sit.

Eandem sollicitudinẽ.) Quod iam sæpius uertit sollicitudinem, Græcis est σπουδὴ, id est, Studiũ siue cura. Et interpres atq; Ambrosius legerũt, τὴν αὐτὴν eandem, siue ut uertit Ambrosius, hanc ipsam. Atq; ita legitur in nõnullis Græcorum exemplaribus, cum in aliquot pro τὴν αὐτὴν, sit τοιαύτην, id est, Talem. Chrysostomus legit τὴν αὐτήν.

Quoniam exhortationem quidem.) Ambrosius legit consolationem, sed melius noster interpres adhortationem. Significat enim suo rogatu uenisse, sed tamen suapte sponte ad id propensum, & alacrem. In hanc sententiam Theophylactus.

Sed cũ sollicitior esset.) σπουδαιότερος, id est, Studiosior ac diligentior, & alacrior. Atq; hoc sanè loco coniunctio δὲ uim habet corrigendi, ut non absurde uerti potuerit per imó. Siquidem quod modo dixerat Titum adductũ suis precibus suscepisse negocium, id mutat, imò inquiens, non meo impulsu hoc fecit, uerum cũ sua sponte ad id esset promptus, me rogante factus est alacrior ac diligentior, ueluti cum ultro currentem incitamus.

Sua uolũtate.) αὐθαίρετος, id est, Spõtaneus siue ultroneus. Ambrosi⁹ legit uolũtarius.

Cum illo fratrem nostrum.) Nostrum, non est Græce, sed tantũ τὸν ἀδελφόν. Nec addebatur in codice Donatianico. Sic enim uocat Christianũ. Cæterũ articulus additus, facit ut certum aliquẽ designatũ intelligamus, cuius nomen data opera suppresserit, malens eum elogio q̃ uocabulo describere. Proinde uertendum erat, Misimus autem unà cũ illo fratrem eum, cuius laus est in euangelio per om̃es ecclesias. At Paulo inferius additur nostrum: Misimus autem unà cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis.

Cuius laus est in euangelio.) Sermo uidetur anceps. Nam apparet accipi posse, laudẽ illius esse scriptam in euangelio. Verum illud dicit, illum quisquis est de quo dicit, nam id incertum est, ita uersatum esse in prædicatione Christi, quam hic Euangelium uocat, ut omniũ testimonio ecclesiarũ laudetur. Nec ea res tamen uetat, quo minus accipiatur de *Lucas.* Luca, quod sensisse uidetur Hieronymus, cum alij Barnabam opinentur designari, rursus alij Apollo. Verum illud admonere uolui, hic magis de prædicatiõe fieri uerba, quàm de scripto euangelio, propter id quod sequitur, Per omnes ecclesias. Iam illud, Non solũ autem, uertendum erat, nec id solum, ut intelligamus eum non solum spectatum prædicatione euangelij, uerumetiam Paulo comitem fuisse delectum.

Sed & ordinatus est.) χειροτονηθεὶς, id est, Electus, siue suffragijs creatus, id quod ꝓprie *συνέκδημος* significat Græca uox. Et συνέκδημος, comes peregrinationis meæ, recte, nisi quod comes minus est quàm συνέκδημος, id est, Collega siue socius, ut æqualem intelligas, non sequentem.

In hanc gratiam.) Græci habent σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ, id est, Cum gratia hac. Quanq̃ gratia hoc loco beneficium sonat.

Ad domini gloriã.) πρὸς τὴν αὐτοῦ τοῦ κυρίου δόξαν, id est, Ad eiusdem domini gloriam.

Destinatam uoluntatem.) καὶ προθυμίαν, id est, Animi promptitudinem. Ambrosius legit

legit ſollícitudinẽ,opinor uitium eſſe librariorum,qui pro promptitudine mutarint ſollícitudinem. Thomas Aquinas,deſtinatam uoluntatem interpretatur à deo prædeſtinatam,qui prædeſtinarit ab æterno,uos talem uoluntatem habere. Non libet inſectari conuicijs uirum tam eruditum,tamq; celebrem. Malim quicquid eſt imputare ſeculo, modo lector intelligat,ne doctiſſimos quidem abſq; periculo lapſus interpretari poſſe diuinas líteras citra linguarum peritiam,ſentiatq; id quod Thomas huc adduxit, δὶς δὶα πασῶν ab eſſe à ſenſu Paulino. Sentit enim hoc beneficium à ſe adminiſtrari,ad domini gloriam, ſimulq; ad prouehendam ac declarandam animi promptitudinem eorum qui largiebant ultro. Ambroſius,ut pro προθυμίαν legit ſollícitudinem,ita pro ὑμῶν ſecundæ perſonæ legit ἡμῶν primæ,ſed ſecus interpretantibus Græcorum ſcholijs ac Theophylacto. *Thomas lapſus.* *Diuerſa lectio.*

Quæ miniſtratur à nobis ad domini gloriam.) Non repetitur hoc loco apud Græcos ad domini gloriam.

Deuitantes hoc.) στελλόμενοι τοῦτο, id eſt, Cauentes illud. Sumptum eſt à nautis,qui flexo curſu declinant ſcopulum aut periculum.

In hac plenitudine.) ἐν τῇ ἁδρότητι,, id eſt, Abundantia ſiue exuberantia. Solet enim magna pecuniarum uis obnoxia eſſe ſuſpicioni fraudis.

Prouidemus enim.) προνοόμεθα, id eſt, Prouidentes, abſq; enim: pendet enim à ſuperioribus, miſimus. Quanquam id quidem ad ſenſum nihil refert. Et καλὰ magis ſonat honeſta quàm bona.

In multis ſæpenumero.) Interpres ne potuit quidem reddere iucunditatem Græcanici ſchematis ἐν πολλοῖς πολλάκις, quaſi dicas, In multis multifariam, aut in multis multoties, ſi ſic liceat loqui. *Schema non redditum.*

Sollícitum eſſe.) σπουδαῖον ὄντα, id eſt, Diligentem aut promptum, aut etiam probum. Nam hoc quoq; ſignificat σπουδαῖος.

Confidentia multa in uos.) πεποιθήσει πολλῇ τῇ εἰς ὑμᾶς, id eſt, Ob fiduciam multam quam habent erga uos. Græca ſunt ambigua. Nam fiducia referri poteſt ad Paulum, qui confidat illum nunc fore diligentiorem, quod ſperet illos bene tractaturos hominem. Nõ ſolum autem confidit de hoc, uerumetiam de Tito. Quamobrem: quod ſocius ipſius ſit, & in iuuandis Corinthijs adiutor. Item de cæteris, quod Pauli ſint fratres, & miſſi ab eccleſijs, ſicut ante dixit. Et idcirco maluimus hic apoſtolos uertere legatos.

Et in uobis adiutor.) καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός, id eſt, Et erga uos cooperator ſiue collega. Præterea hi nominatiui dure ſubijciuntur. Simplicius erat, Pro Tito ſocio meo, & in uos cooperatore ſiue adiutore.

Gloriæ Chriſti.) δόξα χριστοῦ, ut intellígas ipſos apoſtolos eſſe gloriam Chriſti. Quanquã totus hic locus uarie legitur. Ambroſius ita legit, Siue per Titũ qui eſt ſocius meus & adiutor in uobis, ſiue per fratres noſtros apoſtolos eccleſiarum gloriæ Chriſti. Græca ſic habent, εἴτε ὑπὲρ τίτου, κοινωνὸς ἐμὸς, καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός, εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, δόξα χριστοῦ. Scholia explicant ad hunc modum: Siue de Tito, ut ſubaudias aliquid dicendum eſt, hoc poſſum dicere, quod eſt ſocius meus &c. Siue de cæteris dicendũ eſt aliquid, hoc dico, quod ſunt apoſtoli eccleſiarum, & gloria Chriſti, quorum prædicatione & uita illuſtrius fit Euangelium Chriſti. Hæc autem omnia eò pertinent ut cõmendet Corinthijs eos quos illò mittit. Nec me fugit, quid Faber Stapulẽſis hoc loco ſcripſerit, uerũ illius ſentẽtiæ, hac quidẽ in parte nõ ſubſcribo, præſertim refragantibus Græcis ſcholijs, & nominatim Chryſoſtomo ac Theophylacto, atq; ipſo denique Ambroſio. Cæterũ quæ Thomas & hoc recentiores, in hũc adducunt locum, non libet referre. Quanq; ſenſit non nihil Aquinas, cum gloriæ legens, tamen interpretatur ad gloriam, quaſi gloriæ, ſit dativus caſus, cum apud Græcos ſit rectus. Chryſoſtomus ac Theophylactus attingũt & alteram ſententiam nimirum hanc, quocunq; nomine eos receperitis, quicquid officiorum in eos contuleritis, gloria erit Chriſti. Nam in hunc redundat quicquid impenditur Euangelij miniſtris. Poteſt & ſic accipi, Quicquid ſunt illi quos laudo, pertinet ad gloriam Chriſti. *Locus apud nos depraua tus.* *Faber.* *Thomas.*

Oſtenſionem ergo quæ eſt charitatis ueſtræ.) Græce eſt ſimpliciter, Oſtẽſionem charitatis ueſtræ. Nec; ſecus legit Ambroſius. Et noſtræ gloriæ rurſus eſt καυχήσεως, quod

Ambroſius

Ambrosius hoc loco uertit exultationem.

Duplex sensus.

In facie ecclesiarum dei.) εἰς πρόσωπον τῆς ἐκκλησίων. Dei, non additur in Græcis, nec in Ambrosio. Porrò illud, in faciem, magis quadrabat in personam ecclesiarum. Redundat enim in personam ecclesiarum honor habitus ijs, quos miserant ecclesiæ. Ita quidem Theophylactus. Quanquam & alterum probo sensum, nimirum hunc, ut cæteræ quoq; ecclesiæ uideant charitatem uestram de qua soleo apud illas gloriari, ut in facie sonet, in conspectu.

EX CAPITE NONO.

EX abundanti est.) περισσόν μοι, id est, Superuacaneum est. Et ita legit Ambrosius, superuacuũ est. Quæso quorsum opus erat huc accersere periphrasin: nisi quod sic libuit interpreti ludere.

Promptum animum uestrum.) τὴν προθυμίαν ὑμῶν, id est, Animi uestri promptitudinem, siue, ut Ambrosius legit, promptam uoluntatem uestram. Eadem uox Græcis, quam modo uertit destinatam uoluntatem, in qua sic philosophabatur Thomas.

Pro quo de uobis.) ἣν ὑπὲρ ὑμῶν καυχῶμαι μακεδόσιν, id est, Quam de uobis iacto Macedonibus, siue apud Macedones. Sic enim dixit, Quam glorior, quemadmodũ nos dicimus gratulor tibi reditum in patriam.

Quoniam & Achaia.) Et, coniunctio redundat, nec additur apud Ambrosium. Cæterum ὅτι fortassis aptius uertisset, quod. Siquidem hoc erat quod iactabat Paulus.

Ab anno præterito.) ἀπὸ πέρυσι, id est, Ab anno superiori. Ambrosius legit, ab ãno priore.

Et uestra æmulatio.) Καὶ ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος, id est, Ex uobis orta æmulatio, hoc est, uestrum exemplum.

Plurimos, pro complures.

Prouocauit plurimos.) Sic interpres dixit plurimos, pro multis, ut uulgo sacerdotes in preculis horarijs, pro, De pluribus martyribus legũt, de plurimis. Græce est πλείονας, id est, Plures siue cõplures. Abutũt eñ & Græci cõparatiuo hoc, uice positiui nominis. Ambrosius legit plures, non plurimos. Quanquam id uideri potest scriptoris accidisse culpa.

Misimus autem.) ἔπεμψα δέ, id est, Misi uero. Sed hoc loco fratres accusandi casu legẽdum est, non nominandi, aut uocandi, τοὺς ἀδελφούς. Excusat autẽ Paulus, quod tam multa uerba fecerit de administranda eleemosyna in sanctos, sed tamẽ mittendos fratres omino putauit, ne offenderentur imparati, hoc est, non dubitat, quin libenter sint subuenturi pauperibus, sed præmonendos duxit, ut in tempore conferant, quod uelint cõferre, ne uideantur minus libenter dare, quàm cæteræ ecclesiæ.

Vt non dicamus uos in hac substantia.) ἵνα μὴ λέγωμεν ὑμᾶς ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως, id est, Vt non dicamus uos in hac substantia gloriationis. Ambrosius legit, ut non dicam omnes in hac parte. Verum exemplaria cõsentiunt: & pulchre habet, ut intelligamus ad hunc modum: Ne erubescamus tunc nos qui uidebimur uani, si nõ præstetis, quod præstaturos diximus: deinde per occupationem additur, ut ne dicam uos, significans fore ut is pudor ad illos maxime pertineat si desciuerint à pio decreto animi. Verũ id maluit intelligi quàm explicare, ne quid offenderet animos Corinthiorũ. Postea quod sequitur, In hac substãtia gloriationis, referendum est ad illud superius, erubescamus nos nimirum pudefacti in hoc argumẽto gloriationis meæ, qua gloriatus sum de uobis. Aut non in omnibus, in quibus merito gloriatus sum, sed in hac quoque parte, quo nihil sit in quo non iure uidear de uobis gloriatus, ὑπόσασιν autem dixit argumentum, & cui innititur sermonis fides.

ὑπόσασις. argumentũ.

Rogare fratres.) Rursum fratres accusandi casu legendum est, non uocandi.

Vt præueniãt.) ἵνα προέλθωσιν, id est, Vt prius ueniãt, siue præcedãt, ut legit Ambrosius

Benedictio εὐλογία.

Repromissam benedictionem.) προκατηγγελμένην, id est, Ante promissam. Porrò benedictionem hoc loco uult intelligi beneficentiam, non manum motam. Nam ante λογίας, id est, collectiones, eleemosynas uocauit, hic easdem εὐλογίας uocat, non à λόγῳ, ratio sed à λέγω colligo. Ad hanc sententiam facit, quod mox adducit: Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet. Nam benedictionem oppositit parsimoniæ, uelut à bona benignaq; collectione dictam. Proinde nõ

absurde

absurde uidetur εὐλογία uerti potuisse munificentia siue largitas,Qui parce seminat, parce & metet,qui largiter seminarit,largiter item metet.Nisi mauis huc torquere,quod beneficium alacriter & benignis uerbis dandum est,& ob id benedictionem uocarit. Etenim inter auaros hoc agitur,ut quamminimum detur,& si quid forte cogūtur dare,dant uerbis male ominatis.At beneficium hoc animo & uultu dandum est, quasi dando lucrum facias.In hunc sensum explanant Græcanica scholia.Et addendū est uestram,quod abest in nostris codicibus,cum addatur apud Ambrosium.

Paratam esse.) Maluissem uertere per nominādi casum, πλὴν προκατηγγελμένην εὐλογίαν ὑμῶν ταύτην,ἑτοίμην εἶναι, id est,Vt ante promissa uestra ista benedictio prompta sit,hoc est,ut alacriter detis quod daturos uos ante polliciti estis.

Quasi benedictionem.) οὕτως ὡς εὐλογίαν,καὶ μὴ ὥσπερ πλεονεξίαν, Sic ueluti sit benedictio, & non uelut sit auaricia. Nam beneficentia debet alacris esse,cum auarus det tristis.Nihil uetat quo minus πλεονεξίαν interpretemur usurpationem,occupationem,fraudationem,siue extorsionem.Nam hæc dantur ab inuitis,& tali ominatione quali utitur pastor ille Vergilianus, πλεονεξία.

Hos illi,quod nec bene uertat, mittimus hœdos.

Ambrosius pro πλεονεξία legit circumuentionem. Nam tales ferè sunt eulogiæ populi quum nouus episcopus exigit à sacris ac prophanis preces,ut uocant, primarias. Cæterum hic πλεονεξία referri uidetur ad accipientes,unde non male uertisset spoliationē.

Hoc autem dico.) Dico non exprimitur in Græcis codicibus,sed tantum est, hoc autē τοῦτο δέ, & cætera subaudiuntur:& à Latinis additum est uerbum explicandæ rei gratia. Poterat & aliud uerbū subaudiri, memineritis, aut si quod aliud magis placet.Nō cogit Paulus quenquam dare,nec præscribit,quantum cuiq; dandum sit. Tantum admonet,p modo largitionis fore modum præmij.

De benedictionibus.) In benedictiōibus.Nam utrobiq; est ἐπ' εὐλογίαις.Interpres mutauit suo arbitratu,cum apud Ambrosium utrobiq; sit,in.Quæ præpositio Latinis non perinde est familiaris in hoc sensu.Rursum agnoscis hic genus sentētiæ ex contrarijs contextæ,parce & largiter,seminat & metet:addunt decus,repetitio eiusdē uocis, quam dixi mus appellari, traductionem,tum duo membra in bina cōmata diuisa, rursus alterum colon similiter sectū,quibus super additur unū membrum simplex, uelut epiphonema,Hilarem datorem diligit deus. Hæc passim annotare superstitiosum esset,uerum aliquoties indicasse in hocprofuerit,ut iucundior ac dilucidior sit oratio Pauli.

Vt destinauit.) προαιρεῖται, id est, Proponit,Præsentis temporis.Et Ambrosius legit,secundum propositū cordis:nec additur suo,aut sui,ut sit sensus absolutior.Nec enim agit de huius aut illius animo.Tantum indicat,libenter & ex animo dandū esse quod datur. Ne præpositio quidem additur, sed est προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ, id est,destinat corde.

Ex necessitate.) ἐξ ἀνάγκης. Laurentius putat hoc loco necessitatem accipiēdam pro indigentia,non pro coactione,cui non assentior hoc sanè loco.Nam hanc particulam,Ex necessitate,oppositit illi,quæ præcessit ὡς προαιρεῖται, hoc est,ut sponte sua statuit:& qui coactus dat,tristis dat,ob quod citauit illud,Hilarem datorem diligit deus.Mecum faciūt interpretes omnes,Græci pariter ac Latini. Valla tacitus.

Abūdare facere in uobis.) εἰς ὑμᾶς, id est,In uos,& περισσεῦσαι accepit trāslatiue, quod alibi solet neutraliter:uelut apud nos suppeditare,nonnunquam est suppetere, nōnunq; submināistrare.Atq; hic quoque gratiam appellat beneficentiam.Sentit enim libēter dandum,quod deus potens sit efficere,ut quicquid in sanctos illius contulerint,id multo cum fœnore ad ipsos redeat,ne uel ea res illos à largiendo deterreat, quod benignitas exhaurire uideatur rem familiarem.

Vt in omnibus semper.) ἵνα ἐν παντὶ πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, id est, Vt in omnibus omnem sufficientiam habentes.Est autem αὐτάρκεια, ubi quis suis est contentus,suaq; sorte,nec aliunde desiderat quicquam.Interpres & Ambrosius,si modo codices mendo uacant,legisse uidentur ad hunc modum, ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν. Vt in omnibus semper omnem.Est autem iucunda uocis eiusdem iteratio in παντὶ πάσῃ & πᾶν. αὐτάρκεια.

In seculū

In ſeculum ſeculi.) Græce tantum eſt, εἰς τὸν αἰῶνα, id eſt, In æuum.

Qui autē ſubminiſtrat.) ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν. Hic locus apud Græcos paulo diuerſius habetur, ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγήσαι, καὶ πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσαι τὰ γεννήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν, id eſt, Qui autem ſuppeditat ſemen ſeminanti, & panem in cibum miniſtret, & multiplicet ſemen ueſtrum & augeat prouentus iuſtitiæ ueſtræ, ut χορηγήσαι, πληθύναι, αὐξήσαι infinita, uideantur uertenda potius per imperatiuum modum, ſuppeditet, impleat, augeat. Niſi forte ſubaudiatur uerbū μέλλει, quod additū infinitiuis, futurum tempus efficit. Nam in tam multis uerbis, non eſt conſentaneum, tempus caſu fuiſſe cōmutatum, ut legas χορηγήσει πληθυνεῖ αὐξήσει, tametſi in hunc ſenſum legit Ambroſius. Certe Græcorum ſcholia χορηγήσαι interpretantur χορηγήσειεν, id eſt, Suppeditet, nominatim Theophylactus indicat eſſe ſermonem optantis pro corporalibus ſpiritualia.

Varia lectio. Augebit incrementa frugum.) γεννήματα τῆς δικαιοσύνης, id eſt, Prouentum, ſiue annonam iuſtitiæ, Nec ſine gratia trāslatitio uerbo addidit proprium. Quod hic uertit incremēta frugum, Ambroſius uertit fructum.

In omnibus locupletemini.) Paulus aliquoties ſuo more participijs abutitur: unde recte uertit πλουτιζόμενοι in uerbum. Laurentius referendum putat ad particulam quæ præceſſit, abundetis in omne opus bonum.

εἴ τις, pro ὅστις. Quæ operatur per uos.) Ambroſius pro ὅς, τις legiſſe uidetur εἴ τις, uertit enim, Si quis, & conſentiunt cum hac lectione ſcholia illius. Græci legunt ὅστις.

Miniſterium huius officij.) διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης, id eſt, Adminiſtratio huius miniſterij. Sic enim uocat officium ſubminiſtrandæ pecuniæ. Sed λειτουργία nōnunquam Græcis ſignificat ſacrificium, ſuo ritu peractum, ut accipias pecuniam quaſi uictimam offerri deo, cuius miniſter ſit Paulus, ut ſacerdos ſacrum peragens.

Per multas gratiarum actiones in domino.) διὰ πολλῶν εὐχαριστῶν τῷ θεῷ, id eſt, Per hoc quod multi gratias agunt deo. Etiamſi in nonnullis exemplaribus ſcriptum comperi, διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν. Quomodo legiſſe uidetur interpres. Atqui ſi ſequamur id quod prius apud Græcos comperi, participium περισσεύουσα tranſitiue capiatur oportet, ut hinc pendeat infinitum, εὐχαριστῶν, ſitq; hic ſenſus. Verum etiam efficit, ut copioſe agantur gratiæ deo per multos. In eum ſenſum interpretantur Græcorum ſcholia. Theophylactus legit hunc in modum, ὅτις κατεργάζεται διὰ ὑμῶν εὐχαριστίαν τῷ θεῷ. Similiter legit Chryſoſtomus, niſi quod διὰ ἡμῶν habet, id eſt, per nos prima pſona, & quod legit interpretat.

Stapulenſis. Et in obedientia confeſſionis.) Faber uult eſſe hypallagen, ut intelligamus in confeſſione obedientiæ ueſtræ. Verum nihil uideo cauſæ cur reclamantibus exemplaribus, & interpretationibus ad hypallagen huiuſmodi confugiamus. Nam obedientia confeſſionis poteſt accipi, quod obedientes Euangelio in eleemoſynis largiendis declararent ſe uere & ex animo confiteri Euangelium. Quod ſi mauis ὁμολογία pro aſſenſu, laudat illorū obedientiam, quod ipſi id ſuadenti ac monenti non ſint refragati. Ambroſius pro obediētia, legit, ſubiectione, magis exprimens Græcam uocem ὑποταγῇ. Quanquàm ὁμολογία non ſolum cōfeſſionē ſignificat, uerumetiam conſenſum, ut accipias futurū, ut multi gratias agant deo, cum uiderint Corinthios tanto conſenſu obedire Paulo. Atque ita tacite monet, ut omnes conferant pro ſua quiſque uoluntate & facultate. Porrò quod addit in Euangelium Chriſti, ſentit hoc pertinere ad negocium Euangelij, ſi Chriſtiani omnes inter ſe conſentiant in benefactis. Et Euangelium admonet dandam eleemoſynam, pollicēs omnia fore munda.

Deſiderantium uos.) ἐπιποθούντων ὑμᾶς. Ambroſius addidit, deſiderantium uidere uos, ſiue quod aliud habuerit exemplar, ſiue quod uoluerit explicare ſenſum, in quem & Græcanica ſcholia interpretantur. Quanquam hoc loco gratiam uerti poterat beneficium, ut intelligas illos eſſe cupidos uidendi Corinthios, in quibus deus tantam beneficentiam ipſis contuliſſet.

Gratias ago deo.) Rurſum eſt χάρις δὲ τῷ θεῷ, id eſt, Gratia autem deo: ut ſubaudias ſit.

Ex capi

EX CAPITE DECIMO.

IPſe Paulus.) αὐτὸς δὲ ἐγὼ παῦλος. Mire Paulus tribus uocibus αὐτὸς δὲ & ἐγὼ ſeparauit ſuam perſonam à cæteris apoſtolis,quod antehac egerit negocium aliorum,nunc è ſuo loquatur affectu.

Et modeſtiam.) καὶ τὴν ἐπιείκειαν, quod comitatem magis & facilitatem aut humanitatem ſonat,quàm modeſtiam,quæ opponitur arrogantiæ.

In facie.) κατὰ πρόσωπον, id eſt,Iuxta faciem,pro eo quod eſt in ſpecie, Græci tamen interpretantur de præſentia Pauli, Vbi coram adſum,humilis uideor. Quidã putant eſſe ironiam. Rogo aũt uos.) Cum ante dixerit ſe obſecrare,non adiecit quid obſecraret. Vnde capitis huius initiũ utroq; referri poteſt,ad ſupiora,ut ſit ſenſus,Rogo ut meo quo que nomine libenter conferatis hanc pecuniam. Aut ad ſequentia, quemadmodum modo diximus. Atque ita δέομαι repetit quod dictum erat παρακαλῶ, ut ſit redeuntis ad id quod cœperat,quaſi dixiſſet,Rogo inquam. Id ſubindicat Ambroſius cum ait,Idem ſenſus eſt,quem ut dilucidet,repetit. Ordo.

Abſens autem confido in uobis.) θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς. Græca quidem ſunt ambigua, uerum magis congruit,ut intelligamus,audax ſiue confidens ſum erga uos,ſicut alibi dicit. Epiſtolæ fortes,præſentia infirma. Quanquam ſcholia Græcorum non eodem exponũt modo. Theophylactus,cui non diſplicet ironia,ſic accipit,quaſi Paulus referat hæc ſub aliorum perſona. Præſens abiecte ſe gerit,abſens,ſcribit minaces ac ſeueras epiſtolas. Eadem ſcribit Chryſoſtomus. Quãq; & alterum ſenſum addũt,nec uideo cauſam quur ad ironiã cõfugiamus. Qui arbitrant nos tanq;.) τοὺς λογιζομένους, id eſt, Qui cogitant aut æſtimant,uel qui ſic habent nos,ut ſecundum carnem ambulantes.

Non carnalia.) οὐ σαρκικά. Diuerſum ab illo σάρκινα, Quod tamen eadem uoce Latina reddidit,ut ſuperius admonuimus.

Et potentia deo.) Græcis eſt δυνατὰ τῷ θεῷ. Ambroſius legit,fortia deo. Laurentius mauult,ualida deo. Cæterum illud deo, Græcis datiuus eſt inſtrumenti, polletq; perinde ac ſi dicas,fortia per deum,& opera diuina. Vtinam liceret omnibus epiſcopis, maximeq; iis qui in Pauli locum ſucceſſerunt,tam uere ſuoq; iure hanc uſurpare uocem, quàm ipſe Paulus uſurpauit,Arma militiæ noſtræ non carnalia,ſed fortia deo,non ad demolitionẽ oppidorum,arcium,ſed impiarum cogitationum. Hæc ſunt arma,hæc bella, hæ pugnæ, hæc uictoria, hi triumphi digni ſucceſſoribus apoſtolorum. Nunc uidere eſt aliquot, qui quum res poſtulat copias habent,gladios,lanceas & bombardas habẽt,denicq; quicquid forti bellatore dignum eſt. Cæterũ ubi gladio uerbi diuini demolienda eſt acies uitiorũ, nec linguam habent nec manus. Bella pontificum.

Conſilia deſtruentes.) λογισμοὺς, id eſt,Cogitationes. Et rurſum participium addidit, quod nuſquam referatur καθαιροῦντες deſtruentes,hoc eſt,quibus armis deſtruimus. Porrò cum de armis meminerit,mire ſubiecit metaphoras munimentorum,quorum alia artificio,alia ſublimitate ſunt inexpugnabilia. Nos quo magis perſpicuus eſſet ſenſus, uertimus hoc pacto:Sed potentia per deum ad demolitionem munitionum,quibus cogitationes demolimur,& omnem celſitudinem,quæ extollitur aduerſus ſcientiam.

Extollẽtem ſe.) ἐπαιρόμενον, id eſt,Inſurgentem,ſiue qui attollitur. Erat enim huiuſmodi machinarum genus,quod repente ſublatum in altum,muris inueheret hoſtem.

Omnem intellectum.) πᾶν νόημα, id eſt,Omnem cogitationem.

In obſequiũ Chriſti.) εἰς ὑπακοὴν, id eſt,In obedientiam,ut ſemper antehac uertit, ſed apertius erat,Ad obediendum Chriſto. Captiui ſub iugum eunt. At felices qui ſic capti ducũtur ut ſubmittant ſe Chriſto. Vtinã huiuſmodi triumphos ambiant epiſcopi.

Quæ ſecũdũ faciẽ ſunt uidete.) Græci codices ex ſententia Theodoreti legũt hoc per interrogationẽ,ut ſit,uidetis,non uidete,quaſi fingat id fieri,quod uelit obiurgare. Num ea cernitis, quæ ſunt iuxta faciẽ: hoc eſt,quæ foris uidentur,& oſtentationẽ habẽt potius quàm efficaciam. Meminit enim quod dixerit ſe humilem fuiſſe apud illos iuxta faciem, hoc eſt,contempto ſimilem,cũ alij quidam magno faſtu agerent apoſtolos. Ambroſius legit,Secundũ faciem,pro eo quod eſt,quæ in conſpicuo ſunt & aperta, ut pertineat ad ſequentia,Si quis confidit ſe eſſe ſeruũ Chriſti,Quaſi uelit ea clariſſima uideri facillimaq; Varius ſenſus

iudicatu quæ dicturus sit. Alij secũdum faciem interpretantur de signis euidentibus quibus deprehendi possint pseudapostoli, ueluti siquis diues sit, si quis elatus, si quis iactabũdus, si quis falsa uirtutis imagine personatus. Theophylactus uult esse obiurgantis, quod ex opibus, è cultu fastúue æstimarent hominem, ac non potius ex animi bonis, cui magis assentior. Theophylacto suffragatur Gennadius, citantibus Græcorum scholijs. Acrior est autem obiurgatio per interrogationem. Chrysostomus item uult hunc esse sermonẽ obiurgantis eos, quod ex rebus extrarijs æstimarent hominem.

Cogitet iterũ apud se.) ἀφ' ἑαυτοῦ, id est, Ex seipso, nimirũ nõ expectans nostrã increpationẽ. Ita & nos Græcus addidit Christi, ὅτι καθὼς αὐτὸς χριστοῦ, οὕτως καὶ ἡμεῖς χριστοῦ, id est, Quod quemadmodum illi Christi, sic & nos Christi. Quod tamen apud Græcos additum uideri potest explicandæ rei gratia. Porrò Christi genitiuus est, non rectus casus. Nam in hanc sentẽtiam interpretatur & Ambrosius uelut hactenus se parem faciat illis, quod & ipse nõ sit à Christo alienus, si illi se putant seruos Christi, quo maiore fide post declaret quanto illos antecellat cæteris.

Pontifex nihil potest, nisi ut prosit.

Non ad destructionem.) οὐκ εἰς καθαίρεσιν ὑμῶν, Ad perdendos uos. Porrò ædificare more suo uocat prodesse, Destruere, lædere. Hic locus annotandus est ijs, qui summi pontificis autoritatem in immensum attollunt, asseuerantes uni homini uniuersum ecclesiæ Christianæ corpus debere cedere, adeo ut si animas omes deduceret ad inferos, nõ foret ius illi resistendi. Paulus ab ipso Christo acceperat autoritatem apostolicam, non à Petro cũ quo postea contulit, sed ita ut diceret ab illo sibi nihil accessisse, & tamen ingenue fatetur hoc quicquid est potestatis in hoc datum ut prosit, non ut lædat. At qui nunc tribuunt Romano pontifici tantam potestatem, utinam possint & cæteras dotes põtificias tribuere sapientiã, puritatem, charitatem, contemptum rerum omnium. Græci interpretantur destructionem hanc de uindicandis pseudapostolis.

Inquit, pro inquiunt.

Inquiunt.) φησὶ, id est, Inquit, ut subaudias, aliquis, aut certum hominem qui hoc dixerit. Nam & præcessit, & mox sequitur, τοῦτο λογιζέσθω ὁ τοιοῦτος, id est, Hoc perpendat istiusmodi. Fingit enim personam obtrectatoris, cui respondeat.

Sermo contemptibilis.) ἐξουθενημένος, id est, Contemptus potius.

Audemus, pro sustinemus.

Inserere aut comparare.) ἐγκρῖναι: ἢ συγκρῖναι. Interpres non potuit reddere uocũ affinitatem Græcarum, quasi dicas, inferre & conferre, aut inserere & conferre. Porrò τολμῶμεν quod interpretatur audemus, idem significat & sustinemus. Quo uerbo utimur quoties res est eiusmodi, ut non possimus imperare animo nostro, siue inducere animũ, sic frequenter usus est Suetonius. Alioqui cur nõ audeat Paulus se cõferre pseudapostolis, qui se non dubitat & anteferre probis apostolis? Quin potius non libet conferri cum talibus. Nisi legamus dictum per ironiam, ut uideo Græcis quibusdam placere.

Sed ipsi in nobis.) Græce secus est, ἀλλ' αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσιν, id est, Sed ipsi in seipsis seipsos metientes, & comparãtes seipsos sibijpsis, non intelligunt &c. Atq; ita Græca exponunt scholia, ut intelligamus arrogantes illos, ex suo ipsius animo metiri sese, & sibi magnos esse, & alios ab alijs laudari mutua quadam talione. Atq; hunc sensum secutus est diuus Augustinus in opere de doctrina Christiana cum ait, Et fit illis quod ait Apostolus, Comparantes enim semetipsos sibimetipsis, non intelligunt. Rursum explanans Psalmum trigesimumquartum: Et comparantes, ait Apostolus, semetipsos in semetipsis, non intelligunt, neq; quæ loquũtur, neque de quibus affirmant. Iterum in psalmum cxvij. Rursus in Psalmum cxli. Impij metientes semetipsos ex semetipsis. Item aduersus Faustum libro uigesimosecundo cap. uigesimoseptimo, interpretans etiam iuxta Græcorum sententiam. Ad eum modum interpretatur & Theophylactus, Paulinarum epistolarum non indiligens interpres. Quanq; Ambrosius diuersum exemplar secutus uidetur, & sermonem facit perpetuũ eiectis his uerbis, Nõ intelligunt, hoc pacto: Sed ipsi in nobis nosmetipsos mensurantes, & comparãtes nosmetipsos nobis, nõ in immẽsum gloriabimur &c. Porrò quod addidit, Nõ intelligunt, Græci interpretes putant imperfectum esse sermonem, ut subaudias, quàm sint alijs deridiculi. At mihi uidetur hoc loco participium esse positum loco uerbi infinitiui, id quod apud Græcos non raro fieri solet. Ac tum quidem hic erit sensus: At ipsi non intelli-

Lectio diuersa.

gunt,

gunt,quod ſeipſos inter ſeſe metiuntur & conferunt,& non potius cum ijs, qui meliores ſunt illis,neq; iuxta regulam Chriſti. Atq; hic ſenſus magis quadrat cum his quæ ſequuntur. Nam quod Theophylactus uult ſubaudiri,non intelligunt,quàm ſint alijs ridiculi,mihi uidetur coactius. Etiamſi ſcholia quædam Græcanica uidentur hunc ſermonem ſic diuidere,ut prior pars pertineat ad Paulum:Sed ipſi in nobiſmetipſis noſmetipſos menſurantes & comparantes:ut intelligamus Paulum non metiri ſe ex opinione aut laude aliorum,ſed ſuis ipſius uirtutibus,ac poteſtate à Chriſto tradita,Mox quod ſequitur, ad pſeudapoſtolos ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς οὐ συνιᾶσιν, id eſt,Seipſos ſibijpſis,ſubaudi,comparantes non intelligunt,hoc eſt,dum pſeudapoſtolus pſeudapoſtolo cõparatur,& mali mutuo ſe laudant,non intelligunt ſeſe ridiculos uideri. Cæterum regulam hic uocat, menſuram, ſumpta metaphora à regulis fabrorum. Ne quis tale quippiam ſomniet,quale eſt cũ dicimus regulam Franciſci,aut Benedicti.

Qua menſus eſt.) οὗ ἐμέρισεν, id eſt,Qua partitus eſt nobis deus mẽſura,quaſi dicas ea quoq; menſura,quatenus ad uos uſq; gloriemur. Nec eſt ſimpliciter ad uos,ſed etiã ad uos ἄχρι ⸀ ὑμῶν: ut intelligamus non eſſe mediocre pertingere ad modum Corinthiorũ. Reſpondet autem ei quod mox ſequitur, ἄχρι γὰρ ⸀ ὑμᾶς ἐφθάσαμεν, id eſt, Nam uſq; ad uos quoq; peruenimus. Quemadmodum autem gloriari ſolent ambitioſi principes,ſi lõgiſſime prorogarint imperium:ita Paulus Chriſti ductor gloriatur quod eò uſq; propagauerit ditionem principis ſui, ſperans fore,ut longius etiam proferat imperium. Interpres legiſſe uidetur ἐμέτρησεν pro ἐμέρισεν. ἐμέτρησεν, pro ἐμέρισεν

Creſcentis fidei.) αὐξανομένης πίστεως. id eſt,Augeſcente fide ueſtra, ſiue ſuboleſcente, ut Græcis ſit genitiuus abſolutus.

Magnificari ſecundum regulam.) Rectius hæc infinita uertiſſet in aliũ modũ. Spem habentes,fore ut augeſcente fide ueſtra in uobis amplier,iuxta regulam noſtram in abundantiam ad euangelizandum ea quæ ultra uos ſunt,non ut in aliena regula in his quæ parata ſunt gloriemur. Significat ſe ſperare futurum,ut indies creſcẽte fide Corinthiorum, creſcat & ipſe,ac maior maiorq; fiat,adeo ut iam prædicatio ſua longius porrigatur, etiã ad eos qui ultra Corinthios ſunt,idq; iuxta ſuam regulam,non alienam,hoc eſt, ſuo Marte,ne uideatur gloriari de ijs,quæ iam parata ſunt,& ab alijs laborata,quemadmodum faciebant pſeudapoſtoli.

Etiam in illa quæ ultra uos ſunt euangelizare.) εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν. Faber hoc loco legit, εἰς τὰ ὑπὲρ ἐκεῖνα ὑμῶν, id eſt, In illa quæ ſupra illa ueſtra. Sed fallitur,meo quidẽ iudicio:nam ὑπερέκεινα aduerbium eſt,cui additur articulus, ut fiat epitheton,id eſt,ulteriora uobis,id eſt,quæ ultra uos,hoc eſt,longius,& in alios etiam populos. Et in hanc ſententiam,interpretantur non ſolum Chryſoſtomus Theophylactus cæteriq; Græci,uerum etiam diuus Ambroſius. Proinde nonnihil demiror Stapulenſem,mutata etiam ſcriptura à tot autoribus uoluiſſe diſſentire,præſertim cum hic nihil ſit quod offendat,aut aliò ſua deat confugere. Verum quandoq; bonus dormitat Homerus. Neq; uero nos grauatim alijs ignoſcimus,eandem uiciſſim ab alijs ueniam flagitantes. *Stapulenſis.*

EX CAPITE VNDECIMO.

VTinam ſuſtineretis modicum.) ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρόν τῇ ἀφροσύνῃ, id eſt, Vtinam ſufferatis me pauliſper in inſipientia. Et eſt ſuſtinuiſſetis magis quàm ſuſtineretis. Cæterum quid Laurentio Vallæ uenerit in mentem, ut pro ſuſtineretis,mutandum putarit ſuſciperetis,ut ingenue dicam, prorſus non intelligo. Niſi forte ſomniauit ἀναδέχεσθε, pro ἀνείχεσθε. Nam ἀνέχεσθε magis ad uerbum reddi ne poſſit quidem,quàm ſi dicas ſuſtinere. Illud recte admonet in modicum quid,quid,abeſſe in ſermone Græco. Et modicum interpres ſuo more poſuit pro puſillo. Nos uertimus pauliſper,ut ad tempus pertineat,quod aliâs factum admonuimus. Adhuc modicum lumen in uobis eſt. Et,modicum & iam non uidebitis me. *Valla lapſus.*

Supportare me.) ἀνέχεσθε. Græca uox anceps eſt. At magis quadrat,ut ſit indicatiui modi ſuſtinetis. Corrigit enim quod dixerat,utinam ſuſtinuiſſetis,imò, inquit, ſuſtinetis, & quod opto factum,facitis. In hunc ſenſum exponunt Græcanica ſcholia.

Aemulor enim uos.) ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς. Ambroſius uſus eſt Græca uoce,opinor non inue-

ζηλῶ zelotypum esse.

niens quo uim uerbi explicaret. Nam hic zelum appellat ingentem, & ut ita dixerim immodicum quendam amorem, uelut ambiat, ut apud illos primus esset, nec ferat alios apostolos, in partem amoris admitti. Siquidem agit hic de quibusdam apostolis, qui pluris haberi uolebãt apud Corinthios, quàm Paulus esset. Addit autem zelo dei, ne quis arbitraretur illum sua gloria, suóue compendio cõmoueri. Nos uertimus, zelotypi sumus erga uos. Quid autem uereamur sic intelligere de Paulo, cum ad eundem modũ interpretetur Origenes, Theologorum sui temporis sine cõtrouersia princeps, de deo, quod zelotes dictus sit, quasi zelotypus nostri amator, qui nullum in amore ferat riualem?

Despondi enim.) ἡρμοσάμην, id est, Adaptaui siue adiunxi. Ambrosius legit paraui, quem pro ἡρμοσάμην legisse suspicor ἡρτυσάμην. Hieronymus in Amos legit statui, sed lapsus opinor memoria. Augustinus aduersus Manichæos pro Genesi, libro secundo, legit Aptaui uos uni uiro. Nam ἁρμόζω Græcis proprie est, apte & concinne applico, uelut ea quæ glutino aut ferrumine committuntur.

Astutia sua.) Græcus addit in, In astutia sua, idq; iuxta proprietatem sermonis Hebraici, pro eo quod est, per astutiã suã. Atque quod hic recte omisit haud scio quo consilio libenter addat alibi.

Corrumpantur sensus.) φθαρῇ, Accommodato usus est uerbo, cum de uirgine meminisset. Et sensus Græcis non est αἰσθήσεις, ut de uisu, auditu, aut aliis similibus queat accipi, sed νοήματα, quod proprie ad mentem animumq; pertinet. Certe mentes, pro sensus legit Augustinus, loco quẽ mox adducemus. Accõmodat enim allegoriam: Euæ decepti sunt oculi, Corinthiis timendum erat menti. Cæterum illud uerbum excidant, nec est apud Græcos, nec apud Ambrosium. Proinde uidetur adiectũ ab interprete, quod alioqui durius uideretur dicere, Corrumpantur à simplicitate. Neq; enim simplicitas corrumpit animum, sed animus corruptus degenerat à simplicitate. Perinde ut Vergilius dixit, Quantum mutatus ab illo, non quod ille mutasset, sed quod illi dissimilis esset factus. Et apposite uirgini tribuit simplicitatem memor allegoriæ suæ: tametsi Ambrosius legisse uidetur ἁγνότητι, cum pro simplicitate, legat castitate. Neq; secus adducit Augustinus cum aliis aliquot locis, tum libro aduersus Faustum xv. capite tertio. Rursus eiusdem operis libro xxij. cap. xlix. Nisi quod hic utrunq; coniungit. Ne corrumpantur mentes uestræ à simplicitate, & castitate, quæ est in Christo Iesu. Deniq; nõ est simpliciter ne, sed μήπως, id est, Ne quo pacto: nos uertimus, Ne quâ. Vehementius enim est addita coniunctione expletiua. Quin & illud annotandum, ut obiurgaturus Corinthios arte subleuat illos, oẽm inuidiam deriuans in corruptorem.

Additum.

Ciuilitas Pauli

Quæ est in Christo Iesu.) ἡ εἰς τὸν χριστόν, id est, Quæ est erga Christum, siue in Christum, quia pure ac simpliciter illi obtemperamus.

Alium Christum.) ἄλλον ἰησοῦν, id est, Alium siue alterum Iesum. Ita consentiunt Græci codices, quos ego quidem uiderim. Atq; ita legit & interpretatur Theophylactus, consentientibus scholijs. Ambrosius nobiscũ legit Christum. Illud obiter annotandũ, quod Paulus admonet Corinthios, id nobis quoq; magnopere cauendum, ne nobis alterum Iesum accersamus, ac fingamus potius, onustum opibus, onustũ imperio, ditione, uoluptatibus, & quicquid hic mundus habet præstigiarum, ad hæc ceremonijs plusquam Iudaicis obsitum, cum uerus ille ab omnibus hisce rebus fuerit purissimus.

Alius Iesus.

Recte paterem ini.) Cur non & hic sustinuissetis ἀνείχεσθε, uidelicet illos pseudapostolos, si quid docerent, quod nos non docuimus. Nunc cum nihil adferant de Christo quod nos non docuerimus, cur illos ostentantes sese toleratis?

Nihil me minus fecisse.) μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερ λίαν ἀποστόλων, id est, Nihilo inferiorem fuisse excellentibus apostolis. Et in hunc sensum legit Ambrosius, Aestimo enim me in nullo inferiorem fuisse, ab ijs qui ualde sunt apostoli. Sentit enim de Petro, Iacobo, & Ioanne, qui summates habebantur, ut indicant Græcanica scholia, cunq; his consentiens Chrysostomus ac Theophylactus. Sed mirum quomodo quæ præcedunt & sequuntur, in illos cõpetant. Recentiores excusant non de his dictum, sed de his qui se simulabant à Petro ac cæteris missos.

Paulus nulla re inferior Petro.

Nam & si.) εἰ δὲ καί. Hic interpres frequenter pro δὲ uertit, nam. Porrò quãuis imperitus

ritus,aduersatur enim superiori parti,qua iactat se nihilo inferiorem summis apostolis.

Sed non scientia.) Cur non potius & Latinius & simplicius,Non autem scientia, siue cognitione? Laurentius merito ridet nõnullos,qui ex hoc loco Paulum colligunt balbũ quempiam & impeditæ fuisse linguæ,quasi nihil interesset inter impeditum & imperitum, homines,inquit,uere impedito sermone,atq; adeo scientia,cum Græce sit ἰδιώτης, id est, Idiota,quæ uox illis tum priuatum,tum indoctum significat. Hieronymus hac in re uarius est,compluribus locis clamans Paulum Græci sermonis elegantioris ignarum fuisse, quod aliquoties suis quibusdam utatur uocibus,Ciliciæ uernaculis,nõnunq; coniunctioni μὴν, non reddat eam quæ respondet δέ. Ad hæc quod hyperbatorum anfractibus molestus sit alicubi,quod interdum anapodoton relinquat orationem.Rursus aliâs in diuersum declamat, procul submouens eos,qui putẽt Paulum hoc ex animo dixisse, cũ omneis sermonis proprietates pulchre tenuerit,omneis argumentationum strophas ad unguem calluerit.Quin & diuus Augustinus in opere de doctrina Christiana, pleraq; rhetorum schemata,ex Paulinis adducit epistolis.Idem alicubi monet,& si,hoc loco non esse fatentis,sed concedentis ac donantis,ueluti si dicas,fac me esse imperitum sermone, certe non sum imperitus scientia.Porrò quod ad sensus attinet,nihil potest esse Paulo diuinius,sermo uero,licet his uacet solœcismis,quos plerosq; illi addidit interpres,tamen politus dici non potest,iuxta morem humanum,cum Græci interpretes passim torqueantur incommoditatibus orationis,quod non accidisset si nobis Isocratis aut Luciani lingua fuisset loquutus.

Paulus Græce parum peritus.

Hieronymus sibi nõ cõstãs

In omnibus autem manifestus sum uobis,siue ut habent uetusti codices manifestatus sum.) Græca secus habent ἀλλ' ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς. Quæ quidem ad uerbum ita sonant:Sed in omni manifestati in omnibus in uos.Sensus autem hic est,Non sicut pseudapostoli sumus,qui fucati & personati,simulatione sanctimoniæ uobis imponunt,sed in omni re,& inter omnes declarati sumus, & apparet quales simus erga uos. Et illud παντὶ referri potest ad rem,& ἐν πᾶσιν, ad personam,nisi mauis conduplicationem facere ad uehementiam.

Aut nunquid peccatum feci.) Græca sic habent ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα,An peccatum fecisiue,an peccaui.Græci non distinguunt inter an & aut.Apud Latinos plurimum interest,& quorsum attinebat addere,quid,cum id Græcus sermo non habeat?

Alias ecclesias expoliaui.) ἐσύλησα, id est,Deprædatus sum.Nam bellicis metaphoris libenter abutitur Paulus,ut mox,Accepto stipendio.

In ministeriũ uestrũ.) εἰς, siue ut est in quibusdã πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν, In hoc ut uobis ministrarẽ,hoc est,uobis inseruiui sine uestro sumptu,stipendio interim ab alijs accepto.

Et egerem.) καὶ ὑστερηθείς, id est,Destitutus,uel cum deesset.Neq; uero simplex,ut opinor,est emphasis coniunctionis καὶ, sed epitasin habet hoc loco,ut sit sensus,adeo nõ grauaui uos,ut nec egens id uoluerim facere.

Onerosus fui.) κατενάρκησα, quod uerbum dictum est ab ocio & torpore.Nam hi premunt & imminent alijs,unde petunt assidue,dictione composita à ναρκᾶω, quod est torpere:unde & νάρκη torpedo piscis,& præpositione κατὰ, quæ frequenter in malam significat partem,uelut in καταστρηνιάω & καταφρονῶ,præsertim cum hic quoq; paterno iungatur casui κατενάρκησα οὐδενός. Hieronymus in libello ad Algasiam admonet uocem esse Cilicibus peculiarem.At si Paulus noluit cuiquam esse onerosus,qui tantũ laborauit,qua fronte quidam expilant plebem,cum nulli sint usui?

καταναρκῶ.

In omnibus sine onere.) ἀβαρῆ, id est, Minime grauem, dictione composita.

Est ueritas Christi in me.) Hoc ueluti iusiurandum adiecit,quo confirmat quod dixit. Id subindicat Ambrosius cum ait,sub testimonio Christi.

Iurat Paulus.

Non infringetur.) οὐ φραγήσεται. Id scholia Græca exponunt,non interrumpetur,neq; deficiet,hoc aiunt,significans,se nec in posterum aliquid ab illis accepturum,ut non præcludatur sibi hæc occasio gloriandi,quod gratis docuerit euangelium.Interrumpitur enim quod non est perpetuum.At ille iurat eam gloriam sibi fore perpetuam,ne cui grauis esset.Verbum dictum est ab intersepiendo, nam sepe obiecta excludimur.Nec enim est In me,auferendi casu,sed accusandi εἰς ἐμέ, quasi dicas, aduersum me.

Quia non diligo uos.) Apertius erat,An quod non dilígam uos,mutato uerbi modo. Nam Græci negligunt differentiam huiusmodi.

Vis καὶ

Quod autem facio & faciam.) Non sensisse uidetur interpres elegantiam huius coniunctionis νῦν, quàm hoc loco & similibus habet apud Græcos, ὃ δὲ ποιῶ,νῦν ποιήσω, id est,Quod facio,hoc etiam sum facturus in posterum,siue quod facio,idem & in posterũ sum facturus.Deinde licet Græcis unica sit coniunctio δὲ, quæ pluribus Latinis respondeat,autem,sed,uero,uerum,porrò,cæterum,rursum,contra,& his similibus,nonnihil tamen apud nos interest,quam quo loco colloces.Hic magis congruebat, sed,quàm autẽ. An quod non diligam uos? deus nouit. Sed quod facio &c.

Vt in quo gloriantur. ἵνα ᾧ καυχῶνται. Ambrosius propius accessit ad Græca, Vt in eo quod gloriantur reperiantur,ut & nos,hoc est, si & illi gloriantur se gratis euangelizare,nec in hoc erunt nobis præstantiores:cum ipse gratis doceam & egens.

Eiusmodi pseudo apostoli.)Pseudapostoli dicendum compositа dictione,quemadmodum est apud Græcos,nec potest in duas diuidi:Latine sonat,falso titulo apostolos. Apostolus enim eius agit negocium à quo missus est,isti suis cõmodis seruiunt.

Si ministri eius.) εἰ καὶ οἱ διάκονοι, id est, Si & ministri:& ita legit Ambrosius.Et transfigurat se,Græce est transfiguratẽ:& transfigurantur, μεταχηματιζόμενοι,μεταχηματίζεται.

Alioqui uelut insipientem.) εἰ δὲ μήγε, id est,Sin aliter,id est,Si minus persuadeo me non esse insipientem,qui nõ ob inanem gloriam,sed necessitate cõpulsus hæc de me prædicem,tolerate me tamen gloriantem tanq; insipientem.

Vel ut,pro uelut.

Velut insipientem accipite me.) κἀμὲ ὡς ἄφρονα, id est,Etiam ut insipientem.Fortassis interpres καὶ uertit in uel,Vel ut insipientem:eas cõiunctiones nos male coniunximus.

Modicum quid.) μικρόν τι, id est,Paululum siue paulisper,aut aliquantisper.

Secundum deum.) κατὰ κύριον, id est,Secundum dominum,quemadmodum & in superiori epistola scripsit, Ego non dominus, & dominus non ego.Humanum quiddam, parumq; seuerum significat,quod negat esse secundum dominum.

In hac substantia gloriæ.) ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως, id est, In hac parte siue materia gloriationis.Et sic legit diuus Ambrosius, substantia gloriationis.

Si quis accipit.) εἴ τις λαμβάνει. Quod præcessit κατεσθίει uidetur ad cibum pertinere, quem illi sumebant apud discipulos,hoc ad munera. Theophylactus putat idem bis dictum,Deuorat & accipit,ut intelligamus insatiabilem auferendi auiditatem in pseudapostolis,cum summa coniunctam arrogantia.

Secundum ignobilitatem dico.) κατὰ ἀτιμίαν,Magis quadrabat,Iuxta cõtumeliam. Exponit enim illa atrocia,si quis uos deuorat,si quis in faciẽ cædit &c. Non,inquit,quod ista uos patiamini à pseudapostolis,sed quod quantum ad contumeliæ rationem attinet, non leuiora patiamini ab istis,quàm si ista pateremini.

Supereſt in noſtris.

Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.) In hac parte,non reperio in Græcis codicibus,quos ego sanè uiderim.

In quo quis audet.) ἐν ᾧ δ' ἄν τις, id est,In quocunq; uero aliquis audet.Corrigit eẽ quod modo dixerat,quasi nos minus ualuerimus in hac parte,hoc est,in argumento gloriandi.Tantum autem hoc abest,ut illis hic quoq; par sim in omnibus, in nõnullis etiam superior.Proinde nos uertimus per imò,quo foret euidentior correctio.

In insipiẽtia dico.) Hoc per parenthesin interiecit,memor eius quod ante dixerat, Nõ loquor secundum dominum,sed uelut in insipientia.

Ordo.

Ministri Christi sunt.) Post hanc partem Græcis non repetitur,& ego.Imò id additũ subuertit totam sententiam:sic enim legendum:Ministri Christi sunt, plus ego: deinde illud παραφρονῶν λαλῶ, id est,desipiens dico,per parenthesin interiectum est,ut modo submonui.Consentit cum Græcorum exemplaribus Ambrosius,ad hunc legens modũ:Ministri Christi sunt,uelut insipiens dico,magis ego.Nam in cæteris quidem æquabat sese cæteris apostolis,at in eo quod apostolorum est proprium,semet illis anteponit, nõ solũ æquat.Verum quoniam id arrogantius dictum uideri poterat, præmunit stultitiæ prætextu,quemadmodũ & initio fecit.Quod si maxime sic legeretur,ministri Christi sunt & ego,ut minus sapiens dico plus ego,nihil erat necesse sensum eũ inducere,quem ex Aquinatis

natis ſententia induxit Nicolaus cognomento de Lyra, qui ab hoc loco, Vt minus ſapiẽs dico, plus ego, nouum facit orationis caput, & ad hũc ediſſerit modum: Si uideor, inquit, uobis inſipiens me pſeudapoſtolis adæquando, adhuc uidebor uobis minus ſapiens me eis præferendo. Poterat enim illud, plus ego, per correctionem ſubiici, præmiſſa mitigatione inſolentiæ, nempe hoc modo: Miniſtri Chriſti ſunt, ſum & ego. Quid autem dixi & ego? Imò, ut ſtultorum more loquar glorioſius, plus ego. Quanquam non eſt huius inſtituti diſcutere, quid huiuſmodi ſcriptores ſenſerint, quos conſtat, ueterum ignaros literarum, tumultuario ſtudio hinc atq; hinc conſarcinatis gloſſematis, ſacras tractaſſe literas. Cum antiquis potius nobis res eſt. Cæterum de orationis ornamẽtis & ſchematibus quibus totus hic ſermo picturatus ac modulatus eſt, qui plenius uelit cognoſcere, legat quarti de doctrina Chriſtiana libri caput quartum.

Thomas & Lyranus.

Conſarcinatores.

In laboribus plurimis.) περισσοτέρως, id eſt, In laboribus abundantius. Fortaſſis interpres uertit pluribus, id quod erat tolerabile. Quanquam apud Græcos alius eſt ordo, ἐν κόποις περισσοτέρως, ἐν πληγαῖς ὑπερβαλλόντως, ἐν φυλακαῖς περισσοτέρως, id eſt, In laboribus abundantius, in plagis ſupra modum, in carceribus abundantius. Nam quod interpres bifariam reddidit, Græcis unicum eſt aduerbium περισσοτέρως. Etiamſi comparatiuum poſitum eſt uice ſuperlatiui.

Supra modũ.) ὑπερβαλλόντως, id eſt, Eximie, & ut ita dicam, exceſſiue, & ſupra quàm credi poſſit: ut non admodum ad rem faciant qui interpretantur ſupra modum humanæ uirtutis.

Quadragenas.) τεσσαράκοντα, id eſt, Quadraginta, quanquam recte uertit, ſignificans illũ quinquies uapulaſſe, & unoquoq; tempore quadraginta plagis cæſum fuiſſe, ſi modo id uerum eſt, quod certe ueriſimillimum eſt, præſertim cum apud Iudæos uapularit. Sic enim ſentit diuus Ambroſius, addens id præceptum in libro Deuteronomij, ut plagis triginta nouem emendarentur, qui commeruiſſent. Legimus autem ad hũc modum Deuteronomij capite uigeſimoquinto: Pro menſura peccati erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus. Proinde probabile eſt ob humanitatem, unam plagam remitti ſolitam, ut citra numerum præſcriptum conſiſterent. Quod quidem haud ſcio unde hauſtum indicat Lyranus, & gloſſa quam uocant ordinariam. Valla mauult quinquies undequadraginta accepi, ſubaudiendum autem haud dubie plagas.

Quadrageſimas.

Ter naufragium feci.) τρὶς ἐναυάγησα, quaſi dicas, naufragatus ſum. Latine ſanè uertit, naufragium feci, pro naufragium paſſus ſum. Quemadmodum Terẽtius dixit: Is nauem fregit apud Andrum, de eo cui nauis eſſet fracta tempeſtate.

Nocte & die.) νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, id eſt, Noctem & diem in profundo egi. Nec additur maris, etiamſi de mari interpretatur Ambroſius, atq; etiam Theophylactus. poteſt tamen βυθὸς & alterius rei profundum dici, ueluti carceris.

Periculis ex genere.) Non ſentit proprie de cognatis, ſed Iudæorum gentem, genus ſuum uocat, cui mox opponit gentes.

In falſis fratribus.) Græcis unica dictio eſt ψευδαδέλφοις, hoc eſt, falſò Chriſtianis, qui ſe fingerent eſſe diſcipulos Chriſti, cum non eſſent. Nam ut ſæpius iam admonui, fratres abſolute dicebantur omnes Chriſtiani. Quod quidem cognominis, nunc à paucis occupatum eſt, uelut ad illos ſolos reciderit Chriſtianiſmus, ac uulgo penè inuiſum habetur, cum non ſit aliud charitatis nomen plauſibilius.

Fratres

In labore & erumna.) κόπῳ καὶ μόχθῳ. Propemodum bis idem dixit. Nam μόχθος quoq; labor eſt, ſed qui difficultatem habeat adiunctam. Hinc Græcis μοχθηροὶ dicuntur calamitoſi. Vnde Ambroſius, moleſtiam legit pro erumna.

Vigiliis multis.) Pro multis, Græce eſt πολλάκις, id eſt, Sæpe. Itidem eſt, in ieiunijs ſæpe, πολλάκις, non πολλαῖς.

Præter illa quæ extrinſecus ſunt.) χωρὶς τῶν παρεκτὸς, id eſt, Præter ea quæ foris & extrinſecus accidunt. Ad eũ quidem modum pleriq; ediſſerunt. Cæterum Chryſoſtomus & hunc ſequutus Theophylactus παρεκτὸς accipit pro præter, quaſi dicas, præter ea quæ prætermitto: ut ſit ſenſus Paulum, nec in hoc ſuorum malorum catalogo recenſuiſſe

Senſus duplex.

omnia, consentiunt & Græcanica scholia. Verum utra sentētia magis approbanda, prudenti lectori perpendendum relinquo.

Sēsus duplex

Instantia mea quotidiana.) Hoc separatū est à superioribus ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ' ἡμέραν. Quanquam hæc particula καθ' ἡμέραν potest utroq; referri, ad instantiam & ad solicitudinem quotidianam. Chrysostomus ac Theophylactus referunt ad id quod præcessit ἐπισύστασιν. Nam cōmentario interiecto, subijciunt sollicitudo omnium ecclesiarū. Græcanica scholia interpretantur ἐπισύστασιν non curam ac diligentiam, sed conspirationem in Paulum: ut intelligas præter eas persecutiones quæ foris erant, hoc est, ab ethnicis, quotidie ferendas insidias & insultus populorum ac ciuitatum seditionē mouentium in euāgelium. Cæterum Ambrosius interpretatur, urgentes curas omnium ecclesiarum, quæ Paulo imminebant. Atq; in hanc sanè sententiam adducit locum hūc Augustinus edisserens Psalmum nonagesimum octauum: Incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium ecclesiarū, ut per appositionē copules ἐπισύστασις & μέριμνα. Et in hūc sensum cōmode uerti poterat, Incumbens mihi quotidiana sollicitudo pro ecclesijs.

Et pater domini nostri Iesu Christi.) Nostri, in nonnullis Græcorum exemplaribus non apponitur. Et est absolutius simpliciter uocari dominum, qui dominus sit omnium, nisi quid aliud suaserit addi.

Damasci præpositus.) Genitiuus Damasci, hic est aduerbialis, nam præpositus ad sequentia refertur ἐθνάρχης ἀρέτα, id est, Gentis præfectus Aretæ regis. Aretas rex, is erat socer Herodis Tetrarchæ, siquidem is rex fuit Arabiæ Petreæ & Damascenæ ciuitatis quæ Arabiæ uicina est, dominus, ut docet Iosephus libro Iudaicarum antiquitatū xviij. Eum igitur significat quem Aretas rex Damasco præfecerat.

Et me cōprehenderet.) πϊάσαι με θέλων, id est, Cōprehendere me uolens.

Et sic effugi manus eius.) Sic, non est apud Græcos, sed tantum est καὶ ἐξέφυγον, id est, Et effugi. Nec addebatur in codice Donatiani, ne in Constantiensi quidem.

EX CAPITE DVODECIMO.

Lectio diuersa.



SI gloriari oportet.) Græce sic habet καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει μοι. Quanquam Laurentius in plerisq; codicibus δὴ legit, nō δεῖ, ut sit sensus, gloriari certe nō expedit mihi. Ita sanè Chrysostomus etiam interpretatur & huius imitator Theophylactus, admonentes hunc esse transitum ad cōmemorationem eorum quæ plus etiam habent gloriæ. Quod si cui placet δεῖ, id est, oportet, ita legendum est, ut gloriari oportet, legatur per interrogationē: deinde ipse sibi respondeat, non expedit. In hunc sensum legit Ambrosius. Verū superior lectio mihi sanè multo magis probatur, quod appareat hunc locum ex superiore mutatum, ubi dixerat: Si gloriari oportet, in his quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor, minus enim illic periculi. Cæterum ubi uentum est ad reuelationes, contrahit sese, negans esse gloriandum, etiamsi uera sint quæ dicturus est, quod hæc magis obnoxia sint suspicioni iactātiæ, quàm illa. Iam quemadmodum erratum est à librarijs in δεῖ & δὴ, siue δὲ, ob affinitatem & elemētorum & uocum, ita consentaneum est erratum fuisse in μὲν, & μοι. Neq; enim Græci legunt, Non expedit quidem, sed non expedit mihi οὐ συμφέρει μοι. Idq; accommodatius est ad Pauli sententiam, ut sit sensus: Vobis quidem expedit, ut cognoscatis, qualem habeatis apostolum, longe alium, quàm sint isti superciliosi, Verum mihi non expedit narrare, ut cui tutum nō sit, siue propter discrimen inanis gloriæ, siue propter suspicionem hominum, quibus uidebor hæc iactantiæ gratia cōminisci, quemadmodum plerique solent. Et mihi, legit Ambrosius, non quidem, nec addit, Si gloriari oportet, sed non expedit mihi. Iam quod sequitur, multo cohæret aptius cum superioribus: Veniam enim ad uisiones, ueluti causam reddens, cur dixisset non expedire sibi super hisce rebus gloriari. Neq; enim apud Græcos est hoc loco autem δὲ, sed γὰρ enim, mire consentientibus exemplaribus.

Articulus omissus.

Noui hominem.) annotandum hoc loco non apponi Græcum articulum, ne certum aliquem hominem designare uideretur, sed in genere dixit hominem, οἶδα ἄνθρωπον.

Siue in corpore.) Post hanc particulam additur οὐκ οἶδα, id est, Non noui, quæ post alteram

teram item repetitur,siue in corpore non noui,siue extra corpus non noui. Consentiebat Græcis codex Donatiani,qui sic habebat scriptum,Siue in corpore nescio,siue extra corpus nescio.Eandem scripturam habebat codex Constantiensis.Et pro siue,Latinius uertisset, an.

Arcana uerba.) ἄῤῥητα ῥήματα, id est,Non dicenda siue ineffabilia uerba.

Super huiusmodi gloriabor.) ὑπὲρ τοιούτου.Et uidetur magis pertinere ad hominem quàm ad rem.Narrat enim Paulus hanc rem,ueluti de alio quopiam,quem tamen nouerit:Ergo de me,inquit,non gloriabor. Verum de huiusmodi homine quem noui gloriabor,ueluti dissimulans se esse illum de quo loquitur. Sic fermè Theophylactus.

Pro me aũt nihil.) ὑπὲρ δὲ ἐμαυτοῦ οὐ καυχήσομαι, id est,De meipso aũt nõ gloriabor.

Ne quis me existimet.) μήτις εἰς ἐμὲ λογίσηται,ὑπὲρ ὃ βλέπει με,ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ, id est, Ne quis existimet in me,supra id quod uidet me,aut audit aliquid ex me. Illud autem In me,perinde est,ac si dicas,cogitet de me aut tribuat mihi. Videt me legit Ambrosius,reddens ad uerbum sermonem:atq; idem habebat uterq; codex Constantiensis.

Et ne magnitudo.) Græce sic habet,καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων,ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ,ἄγγελος σατᾶν, id est,Et ne excellentia reuelationum extollar, datus est mihi stimulus carni,siue in carne,angelus satan. Atq; ita fermè legit Ambrosius. Augustinus in quæstionibus super librum Iudicum,legit,Et in magnitudine reuelationũ ne extollar,quasi legisset, ϣ τῇ ὑπερβολῇ. Cæterum nõ est hic κέντρον, ut in actis,sed σκόλοψ, quod palum præacutum sonat.Nõnulli stimulũ hunc interpretantur,motus & affectus libidinis,quod demiror ulli docto Theologo placere.Diuus Hieronymus in commentarijs,quos ædidit in epistolam ad Galatas,refert quosdam sensisse stimulum hũc,fuisse corporis aduersam ualetudinem,quod Paulus crebro capitis dolore solitus sit afflictari. Refert hoc Theophylactus.Thomas Aquinas,haud scio quem secutus,ait eum iliaco morbo fuisse obnoxium. Chrysostomus homilia de laudibus Pauli sexta,interpretatur de cõtempto corporis dolore. At mihi uero proximũ uidetur,quod ait Ambrosius,infectationem malorum hominum,quæ illi negocium faceſſebat assidue,uocari stimulum.Sic em̃ inquit,Hoc ergo remedium datum est Apostolo,ut iniurijs aduersariorum pressus, anio non posset extolli.Siquidem hac parte prosunt nõnunq; & inimici docentes nos sobrietatem ac modestiam.Theophylactus indicat quosdam ὑπεραίρωμαι interpretari, extollar, hoc est supra modum glorificer ab hominibus,Verum hoc cõmentum reijcit.Mouet autem quæstionem, quur quum multos pateretur aduersarios, Hermogenem,Phygelum, Alexandrum,pseudapostolos,dixerit satan,& quur hunc uocet angelum.

Stimulus carnis quid.

Qui me colaphizet.) ἵνα μὲ, id est,Vt me.Et sic legit Ambrosius.Quanquam qui pro ut poni solet interdum.

Qui me colaphizet.) Post hæc uerba rursum inuenio repetitum,ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι,id est,Vt ne extollar.Atq; ita legit Ambrosius.Quanquam plus sonat Græca uox, quàm extollar,imò supra modum efferar,quasi dicas supereſſerar,Efferar plus satis.

Propter quod.) ὑπὲρ τούτου, id est,De hoc,uel pro hoc,& refertur ad superiora, non ad sequentia.

Nam uirtus.) Græce est uirtus mea ἡ δύναμίς μου. Sunt enim uerba domini Paulo respondentis.Nec est uirtus ἀρετὴ, ut opponatur uitio,sed δύναμις ut opponatur infirmitati.Sentit enim uirtutem ac potentiam diuinam longe diuersa ratione declarari,quàm potentiã mũdi.Siquidem illa uiribus & ui innotescit,hæc contra tolerando.Potest & hic accipi sensus,Virtus diuina maxime illustratur,cum is per quem sit,infirmitatis suæ conscius,nihil inde sibi uindicat,sed uniuersam laudem uni deo tribuit.Ambrosius uidetur diuersam sententiam sequi, quæ mihi tamen nõ admodũ probat̃.Tametsi Theophylactus attingit eandẽ.Asscribit em̃ Ambrosius,ut deuotio dũ infirmitate pressuræ accedẽtis nõ frangitur,ꝓbata uideatur,ut respondeat illi quod mox sequitur,Cum enim infirmor,tũc potens sum,Porrò festiuiter retulit inter se duo pugnantia,δύναμιν & ἀσθένειαν.

Virtus per infirmitatem.

Libenter.) ἥδιστα, id est,Libentissime.Et nõ simpliciter est gloriabor, sed μᾶλλον καυχήσομαι,id est,magis siue potius gloriabor.Neq; pugnat hic cõparatiuũ cũ superlatiuo, cũ potius,non pertineat ad modum gloriandi,sed ad argumentum & materiam gloriandi.

Vtrũq;

Vtrũq; autem coniunxit Ambrosius. Sed ego potius hoc loco malim q̃ magis.

Propter quod placebo.) διὸ εὐδοκῶ, id est, Propter quod placeo, siue placitũ est mihi concordantibus & Latinis emendatioribus. Nec additur meis, tantum est, In infirmitatibus. Consentiebat exẽplar Constantiense, mox enim exponit quid appellet infirmitates.

Factus sum insipiens.) γέγονα ἄφρων καυχώμενος. Potest accipi & hoc sensu, Fui insipiens glorians siue gloriando.

Nihil minus feci,) Id quo pacto uertẽdum fuerit, superius ostendimus, Nihilo inferior fui. Ambrosius legit, Nihil enim minus feci.

Supra modum apostoli.) τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων, id est, Excellentissimis apostolis. Ambrosius legit, quàm illi ualde apostoli. Conduplicauit enim aduerbiũ epitaseos, quo uehementior esset oratio. Quãdoquidem hoc loco ὑπερλίαν aduerbium est, non præpositio, declarans excellentiam. idq; non citra stomachum dixit, non quod tales essent, sed quod tales haberi uellent, ne uideatur de Petro & Iacobo sensisse.

Tametsi nihil sum.) εἰ καὶ οὐδέν εἰμι. Hæc particula referenda est ad superiora, ut mitiget quod dictũ uideri poterat arrogantius, Nihilo inferior summis apostolis: nam proximus sermo habet μηδὲν quæ, phibet sic legi, ut legit Ambrosius, q addidit, tñ loco quidem. Legit eñ ad hunc modũ, Nihil enim minus feci q̃ illi ualde apostoli. Et interiecto commentario subiicit, uelut alterius sermonis initium, Et si nihil sum tamẽ signa apostoli &c.

Signa apostolatus.) Græce est apostoli, ἀποστόλου, non ἀποστολῆς, Signa apostoli, non apostolat⁹. Nec uero prorsus ociosa est Græca cõiunctio μὲν, extenuat eñ q̃si dicas certe.

Facta sunt super uos.) ἐν ὑμῖν, id est, In uobis, ut legit Ambrosius, uel potius Inter uos, hoc est, uobis uidentibus. Interpres legisse uidetur ἐφ' ὑμῖν.

Et uirtutibus.) δυνάμεσι. Vt intelligas potentiam miraculorum.

Minus habuistis præ cæteris ecclesijs.) ὃ ἡττήθητε, id est, In quo inferiores fuistis, cæteris ecclesijs. Donate mihi hanc iniuriam.) χαρίσασθε. Quod ego maluissem cõdonate, siue, ut magis exprimam uocem Græcam, Huius iniuriæ mihi gratiam facite. Siquidẽ hic sermonis color frequens est apud Suetonium, & apud Salustium. Admonet diuus Augustinus libro primo cõtra aduersarium legis & prophetarum, non hoc simpliciter dictum à Paulo, sed ironia potius exprobrãtis, quale putat illud in Genesi: Ecce Adam factus est tanq̃ unus ex nobis. Cur enim rogaret sibi ignosci, qui profuerit officio?

Ironia in literis sacris.

Ecce tertio hoc.) Hoc, non est apud Græcos, ἰδοὺ τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, id est, Ecce tertio paratus sum uenire ad uos. Interpres & Ambrosius legisse uidẽtur τρίτον τοῦτο, id est, Hac tertia uice, ut paulo post.

Superimpendar ego ipse.) Ego ipse, nõ est apud Græcos. Nec est superimpendar, sed expendar, ἐκδαπανηθήσομαι. Etiamsi ad hunc modum legit Ambrosius. Vnde conijci potest, exemplaria uariasse.

Mendum manifestarium in nostris

Sed ego uos grauaui.) Græce est, Sed esto, ego uos nõ grauaui, suffragantibus nostris codicibus emendatioribus, atq; item Ambrosio qui legit, Sed esto, ego uos non grauaui. Dilucidius erat si ego uertisset in ipse quo Pauli persona discernatur à pseudapostolis.

Nunquid per aliquem eorum.) Græce est μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, δι' αὐτου ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς; id est, Num aliquem eorum quos misi ad uos, per hunc uos circumueni, siue fraudaui uos? Sed hoc loco parum respondet ordo grammaticus. Cum enim diceret μή τινα, uidetur aliud quippiam adiecturus fuisse, quod obliuione mutarit, præsertim cũ nõ respondeat casus. Alioqui uideri poterat ex idiomate Hebraico repetisse per hunc, cũ præcesserit per aliquem. Admonendus & hoc lector rudis ὧν articulum non congruere suo uerbo ἀπέσταλκα, sed nomini præcedenti τινά.

Nunquid Titus uos circũuenit.) ἐπλεονέκτησε. Quod Paulus aliquoties usurpat transitiue, pro eo quod est, per auiditatem extorquere, siue occupare plus quàm oportet. Nec male hoc loco legit Ambrosius: Nunquid auarus in uos fuit Titus? Nos uertimus, Nunquid à uobis extorsit?

Olim putatis.) Non est olim, sed πάλιν, id est, Rursum siue iterum. Interpres fortassis legit, aut certe somniauit πάλαι, quod significat olim. Ambrosius legit, iterum, hoc est, πάλιν, quod ante uisus sit sese prædicasse.

Omnia

Omnia enim.) Omnia autem:& ἀγαπητοί, id est, Dilecti.

Et ego inueniar à uobis.) A,supest iuxta Græcos codices.Sat em erat inueniar uobis.

Animositates.) Θυμοί,id est,Iræ,etiamsi θυμὸς sonat impetum animi efferuescentis. Est enim Græcis θυμὸς ea pars animi,quam Plato ponit in præcordijs, & obstrepit rationi, cui sedem tribuit in cerebro.Alibi uertit furorem,Domine ne in furore tuo ἐν θυμῷ σου. Θυμός.

Sint inter uos.) Hæc tria uerba,quoniam in Græcis quæ quidē legerim exēplaribus non habentur, addita conijcio,quo sermo fieret dilucidior.Cæterum Græce non est simpliciter ne μή, sed μήπως, quod reddi poterat,Ne quo pacto,aut,ne quo modo. Nam expletiua coniunctio ita uerbum diminuit,ut sententiā augeat.Vult enim Paulus nullo pacto inter illos esse quicq; omnino dissidij.Dissensiones, ἐριθεῖαι, id est,Cōtentiōes siue certamina. Et non egerunt pœnitentiā.) μὴ μετανοησάντων, id est,Non pœnituerunt, siue quos nō pœnituit.Quāq; aliâs admonuimus agere pœnitentiā idem esse Latinis quod pœnitere,quemadmodū agere uitam,idem quod uiuere,uerū durius est nisi addas genitiuum significantem id cuius nos pœnitet. Supersit.

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

Ecce tertio.) τρίτον τοτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, id est, Hac tertia uice uenio ad uos.Nam τρίτον, id est,Tertium,hic aduerbium est,non nomen. Nec addit, ecce hoc loco,uel apud Græcos,uel apud Ambrosium. Verum ex superiori loco huc deportatum fuit,quemadmodum illuc,pnomen hoc, ex hoc loco.

Vt in ore duorum.) Vt,redundat,tantum est,In ore duorum testium uel trium stabit omne uerbum.Ita legitur & apud Ambrosium. Vt, redūdat.

Prædixi enim & prædico.) Enim,redundat,licet addatur apud Ambrosium,in contextu.Quanq; in cōmentarijs non liquet quid legerit.

Vt præsens uobis.) Græce sic habet,ὡς παρὼν τὸ δεύτερον,καὶ ἀπὼν νῦν γράφω, id est,Vt præsens iterum siue secundo,& absens nunc scribo,ut intelligas eum cum adesset secūdo prædixisse,quod nunc absens tertio prædicit scribens.Ambrosius τὸ δεύτερον uertit secundo aduentu,ut referatur ad participium παρὼν,& non ad sequentia καὶ ἀπὼν νῦν γράφω, ut intelligamus eū bis fuisse Corinthi.Et in hūc sensum exponit & Theophylactus. Græca à nostris dissident.

An experimentum quæritis.) Non est an,sed quandoquidem, ἐπεί. Et rectius uertisset,loquentis in me Christi,id est,an Christus in me loquatur. In Ambrosio legitur quomodo, unde legisse uidetur πῶς. Quomodo probationem quæritis &c. sed opinor scriptum fuisse, quoniam, aut certe quando:pendet enim à superioribus,non parcam,quandoquidem quæritis experimentum,an & in me Christus loquatur, quemadmodum & in cæteris apostolis,hoc est,an mea præcepta,sint ab humano profecta spiritu,an dei.Iam uero quorsum opus erat,interpreti addere eius,Eius qui in me loquitur Christus? Quod primum non est apud Græcos,deinde non citra solœcismum accessit orationi. Laurentius mauult documentum aut specimen pro δοκιμήν. Quod hic uertit experimentū,Ambrosius legit probationem.

Qui in uobis non infirmatur.) In uos est, εἰς ὑμᾶς, hoc est,Erga uos.Et itē paulo post.

In uirtute dei in nobis.) εἰς ὑμᾶς, id est,Erga uos.Et ita legit Ambrosius.

Nisi forte reprobi estis.) εἰ μήτι, id est,Nisi in aliquo.Ambrosius omittit forte,nam τι solet nonnunq; addi festiuitatis causa magis quàm usus.

Quod cognoscitis.) ὅτι γνώσεσθε, id est, Cognoscetis.Ambrosius legit, Spero autem cognituros uos.

Gaudemus autem quoniam nos infirmi sumus,uos autem fortes.) Palàm est hic quādo mutatum esse in quoniam,quandoquidem Ambrosius legit, Cum nos infirmamur, uos autem fortes estis.Exemplar Constantiense utrūq; habebat quando non quoniam. Et Græca sic habent, ὅταν ἡμεῖς ἀσθενῶμεν,ὑμεῖς δὲ δυνατοὶ ἦτε, Cum nos infirmi fuerimus, uos autem fortes fueritis.Neq; enim id affirmat esse,sed gaudere se dicit,si ita sit.Et hic Apostolus omisit alteram coniunctionem, μέν, quod Hieronymus alicubi tribuit imperitiæ Græci sermonis.Rursus εὐχόμεθα uerti poterat,gloriamur,uos esse tales.Se uocat infirmum quod nihil ualeat aduersus innocentes, & potentes sunt, qui non peccant. Non enim est quod metuant apostolum.

Oramus

Oramus autem deum.) εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν θεόν, id est,Opto autem apud deum,numero singulari.Ac mox,Hoc & oramus, τοῦτο δὲ καὶ εὐχόμεθα, id est,Hoc autem etiam optamus,tantum abest ut doleamus.Ambrosius legit in uestram cōsummationem, haud scio an deprauata scriptura.Nam apud Græcos in,non additur. Consentiebat cum Græcis uterq; codex Cōstantiensis.Hoc ipsum enim est quod optat nimirū illorū cōsummationē.

Durius agam.) ἀποτόμως χρήσωμαι, id est,Præcise siue exacte,quod Latini uocant ad uiuum,ut superius admonuimus.Græcus sermo ad uerbū ita sonat, Ne rigide utar, hoc est,ne seuere me geram.

De cætero.) λοιπὸν, id est,Quod superest.Et χαίρετε, quod & ualete significat,hic potius erat uertendum ad eum modum.

Perfecti estote.) καταρτίσεσθε. Ea uox conuenit quoties rem laceram sarcimus ac recōcinnamus.Notat autem hoc uerbo dissidia Corinthiorum.

Exhortamini.) παρακαλεῖσθε.Rectius hoc loco Consolamini,ut passiue tamen accipias.

Idipsum sapite.) τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, id est,Idem sentite.Ambrosius legit,idem sapite. Apertius erat,concordes siue unanimes sitis.Siquidem hoc sentit Paulus.Nec enim agit de opinionibus,sed de affectu animorum.

Pacem habete.) εἰρηνεύετε, id est,In pace uiuite.Ambrosius recte legit, In pace agite.Vt autem à pace exorsus in pacem desinit,uir uere apostolicus.Exponit enim quod dixerat, Idipsum sapite,estote concordes,& pace conglutinemini, hoc ob contentiosos.

In osculo.) In addditur ex proprietate sermonis Hebraici.

Gratia dñi.) Suo more patrē appellat deū,filiū dñm.Et spiritui tribuit cōmunionem, quū filio tribuerit gratiā,patri charitatē.A patre cœpit exordiū humani generis redēpti, qui sic dilexit mundū ut filiū unigenitū traderet in mortē,Per filiū uenit gratia,qui nos nihil promeritos sua morte redemit,donorū distributio per spiritū sanctū facta. Ex hoc loco Chrysostomus refellit eos qui negabāt spiritū sanctū eiusdē esse naturæ cū patre & filio,quod Paulus in frontispicijs epistolarum,semper coniungit patrem & filium, omissa mentione spiritus.

ANNOTATIONVM IN EPISTOLAM PAVLI posteriorem ad Corinthios, per Des.Erasmum Roterodamū,finis.

IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI. EX CAP I.



Silas, missus.

AVLVS apostolus.) Hieronymus indicat apostolum esse uocem Hebræis peculiarem,illis dictam silas, id Latine sonat missus,aut legatus.Et perinde quasi dixisset missus, adiungit, non ab hominibus:non ab hominibus uelut ab autoribus,nō per homines ueluti cōmendantes aut approbantes.

A deo patre nostro.) Nostro,referendum est ad dominum, non ad patrem, ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ⁊ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, Concordabant cum Græcis duo codices Constantienses.

De præsenti seculo.) ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος, id est,Ex instanti.Quā ⁊ id Græci nonnunq; præsens appellent.Quod hic uertit nequam,Ambrosius & Augustinus legit maligno,& Hieronymus malo,Græce est πονηροῦ, quod & uersutum significat & miserum ac laboriosum.Malum autem uocat hoc seculū ad comparationem seculi futuri.Augustinus pro eriperet,legit eximeret in commentarijs huius epistolæ.

Cui

Cui est gloria.) Est, non est in Græcis, sed tantum, cui gloria: ut sit optantis.

Quod sic tam cito.) οὕτως ταχέως. Non est sic tam, sed tam cito, aut sic cito. nam οὕτως utrunq; significat. Quam sanè lectionē alioqui absurdam, & à Græcis exemplaribus dissonantem, mirum est adeo inoleuisse, ut & apud Ambrosium & apud Augustinum & apud Tertullianum reperiatur. Quanquam ex commentarijs diui Hieronymi, subodorari licet, aduerbium sic, ab eo non fuisse additum. Verū cum in nonnullis codicibus haberetur tam, in nonnullis sic, quod studiosus aliquis annotarat in margine, id scriba parum attentus retulit in contextum. *Supereſt in noſtris.*

Transferimini ab eo.) μετατίθεσθε. Quod si ad uerbum reddas, sonat transponiminí: recte mutauit interpres. Verisimile est quod submonuit Hieronymus, Paulū allusisse ad Hebræam uocem Galatæ, quæ illis translatos siue deductos sonat, similitudine sumpta à rotis aut rotundis, quæ facile aliunde aliò deuoluuntur. *Galatæ tranſlati.*

In gratiam Christi.) ἐν χάριτι, id est, In gratia. Augustinus enarrans hunc locum, pro in gratiam, legit, In gloriam, attestante id ipsius expositione. Certe palàm est, in gratia, Hieronymum per auferendi casum legisse, quod ex ipsius uerbis facile docebitur. Sic enim scribit in commentarijs: Habet autē & locus ipse hyperbaton, quod ita suo ordine legi potest: Miror quod tam cito transferimini à Christo Iesu, qui uos uocauit in gratia dicens, Non ueni uocare iustos &c. Quāquam hic rursus aliud existit incōmodum amphibologiæ, Qui uocauit uos per gratiā in aliud euangelium. Potest enim accipi quod Christus uocauerit illos in aliud euangeliū, ut ordinat Ambrosius. Proinde nos ordine cōmutato sic uertimus, Miror quod à Christo, qui uos uocauit in gratia siue per gratiā, adeo cito trāsferamini in aliud euangeliū. Cæterū in eo quod mox sequitur, Sed licet nos aut angelus de cœlo euangelizet uobis, præterq; quod euangelizauimus uobis, Idem Hieronymus indicat hunc sermonē per hyperbolen accipi posse, non quod angelus aut Paulus aliud euangeliū esset prædicaturus, sed sentit ab euangelio semel recepto nullo pacto recedendum. Quod si quis tropos & schemata reijciat in sacris literis, sæpenumero aut hærebit perplexus, aut frigidissimis rationibus se cogetur explicare. Porrò quod addit, hoc agi, ut non esset magna Petri ac Ioannis autoritas, cum nec sibi liceret aliud euangeliū prædicare, sic arbitror accipiendū, si Petrus aut Ioannes Iudaismum admisceret Christo, quod uelut illis autoribus pseudapostoli conabātur, alioqui uideretur Paulus suam autoritatē Petro anteferre. Et Christi, potest uel ad gratiam referri, uel ad præpositionem ab, ut sit apud nos auferendi casus à Christo seu potius à deo. Ego malim auferendi casum. Et quidam codices pro Christo, deum habent. Semper enim Paulus deum uocantem facit, sed per Christū. Et in euangelio pater est, qui suos trahit ad Christum. Cæterum in gratia dixit, pro eo quod est, per gratiam. *Hyperbaton.*

In aliud euangelium quod non est aliud.) Video ueteres diuersam, alios aliam secutos lectionem. Hieronymus, ut ex ipsius liquet enarratione, ita legit: Quod sic cito trāsferimini in aliud euangeliū quod nō est, ut subaudias aliud. Aut si malis ab ipso additū nomē aliud, hic subijcit stigmen, ut sit sensus, eum demirari illorum inconstantiā, qui transferantur: deinde qui transferantur tam cito: postremo qui in aliud euāgelium, adeo nō melius eo quod acceperāt, ut nullum sit. Huius rei causam admiratur apostolus. At ne uideatur ingenium gallicum damnare, ceu per coniecturā facti, culpam reijcit in apostolos plus satis Iudaizantes dicens, nisi si sunt &c. Sic enim legit Hieronymus. Theophylactus in sensu concordat cū Hieronymo, nisi quod addit aliud, et quod sequit nisi quod, separat à superioribus. Ambrosius legit ad hunc modū: Ab eo qui uocauit uos in gratiā Christi, in aliud euangelium: nec addidit, quod nō est aliud. Nec potest ex illius enarratione colligi, illum secus legisse. Is, hanc particulam, In aliud euangelium, referēs non ad uerbū transferimini, sed ad uocauit, sermonem ordinat hūc in modū, Demiror quod adeo cito transferimini ab eo qui uos uocauit, in aliud euangeliū, id est, in aliud & diuersum ab eo, quod pseudapostoli uobis prædicarūt, ad Iudaismū reuocantes. Quod dicimus perspicuū erit, si quis euoluat Ambrosianos commentarios. Porrò ut suspicer Hieronymum legisse, Quod nō est, nec addidisse aliud, in causa est quod subijcit: Quia omne quod falsum est, non subsistit, & quod ueritati cōtrarium est, non est. Vt illud, Ne tradas domine sceptrum tuum ijs qui non sunt. Et, ea quæ nō erant uocauit deus. Ac mox ibidem: Si autē hoc de ijs qui in eundem credebant deum, & *Lectio triplex* *Prima Hieronymi.* *Secunda Ambroſij.* *Tertia noſtra*

eaſdem ſcripturas habebant,dicitur quod tranſlati ſint in aliud euangelium, quod non eſt euangelium, quid de Marcione & cæteris hæreticis &c. At Ambroſius,niſi ſunt aliqui &c. interiecto commentario ſeparat à ſuperioribus, ut niſi ſunt,non referatur ad Quod nō eſt aliud,ſed ad miramur. Tertullianus libro aduerſus Marcionē iiij. ſi codices mendo uacant, addere uidetur aliud,ſed ita ut idem ſit ſenſus,quem diximus.

Qui uolunt conuertere euangelium.) Equidem malim inuertere,tametſi conſtanter ſic legunt Ambroſius,Auguſtinus,atq; item Hieronymus. Eſt autem Græca uox μεταστρέφω, quod ſonat ad aliud detorquere, ſiue in diuerſum detorquere.Nobis aūt quo magis arride at,inuertendi dictio, Hieronymiana facit interpretatio, cuius ipſa uerba ſubſcribā: Omnis qui euangeliū alio interpretatur ſpiritu & mente quàm ſcriptū eſt, credentes turbat, & conuertit euangeliū Chriſti,ut quod in facie eſt,poſt tergum faciat,& ea quæ poſt tergum ſunt, uertat in faciem. Si quis tantū literam ſequitur,poſteriora ponit in faciē. Si quis Iudæorū interpretationibus acquieſcit, poſt tergum mittit ea, quæ ex natura ſua in facie cōſtituta ſunt. Hactenus Hieronymus. Atqui inuertere proprie declarat,in diuerſum ac præpoſtere uertere. Chriſtus eiuſmodi doctrinā tradidit, ut quàmplurimum eſſet pietatis, quàmminimū ceremoniarū. Iſti contra uolebant plurimū eſſe ceremoniarum,pietatis minimum.

Subuertunt euangeliū qui ſuperſtitioſas inducunt ceremonias

Præterquam quod,) παρό, id eſt, Præter id quod: atq; ita erat aptius.

Anathema ſit.) Diuus Hieronymus admonet anathema uerbum eſſe propriū Iudæis, quo extremam deteſtationem ſignificare ſoleant.

Modo enim hominibus perſ.) ἄρτι γὰρ ἀνθρώποις πείθω, ἢ τῷ θεῷ; id eſt, Nunc enim homines ſuadeo,an deū? hoc eſt,an humana ſuadeo,an diuina? Et in hāc quidē ſententiā interpretatur Theophylactus. Quanq; & hominibus ſuadeo poteſt tolerari,cū πείθω apud Græcos in hoc ſenſu habeat aliquoties accuſandi caſum,nō item cum ſignificat cōfidere,aut credere,aut morem gerere,quemadmodum uidetur arbitrari Faber ſtapulenſis noſter. Quanquam ſcio Hieronymum,Auguſtinum,& Ambroſium,diuerſam ſequi ſententiam. Cæterum modo,poſitum eſt pro nūc,ſignificat enim,poſteaquā factus ſit apoſtolus, nihil aliud ſpectare ſe,quàm quod ad dei pertineat honorem,cum olim in Iudaiſmo diuerſa ſenſerit.

Faber.

Si adhuc.) εἰ γέτι, id eſt, Si enim adhuc.

Accepi illud neq; didici.) παρέλαβον αὐτό, οὔπω ἐδιδάχθην. Hieronymus diſtinguit inter accipere ac diſcere. Accipimus quod noſtrum nō eſt,ſed ab alio traditum. Diſcimus, cuius myſterium nobis aperitur: tametſi Græce non eſt didici, ſed doctus ſum: id quod uel abſolute poteſt accipi,Non doctus ſum,ſed afflatus,uel nō doctus ſum ab homine. Deinde uocabulum reuelationis,Hieronymus negat uſquam apud ethnicos ſcriptores inueniri ἀποκάλυψις,uerum id cum alijs multis nouum fuiſſe confictum à Septuaginta,quo commodius explicarent noua dei myſteria.

Et expugnabam.) καὶ ἐπόρθουν. Quod uerbum proprium eſt populantium & excindentium captas armis urbes. Neq; uideo cur hic ſtomachetur Laurentius,uelut id cōtumelioſe dictum ſit aduerſus eccleſiam dei,quod expugnata fuerit à Paulo,malitq; oppugnabam quàm expugnabam. Nec inficior aliud eſſe Latinis expugnare aliud oppugnare,quemadmodū aliud eſt ſuadere,aliud perſuadere,aliud orare,aliud exorare. Verum quid facias,ubi Græca uox πορθῶ nihil aliud ſignificet quàm expugnare aut capere? Cæterum eccleſiā uocat congregatiunculam illam Chriſtianorū,quam prorſus expugnabat,quantū erat in illo. Iam enim hoc agebat Paulus. Proinde quod ait,expugnabam,non ad euentū rei,ſed ad illius animum & conatus eſt referendum. Accommodatius autem erat,quod legunt in commentarijs Hieronymus & Auguſtinus in ſermone habito in monte,deuaſtabam aut uaſtabam,more hoſtis ac feræ populantis omnia. Ac paulo inferius, Qui aliquando nos perſequebatur,nunc euangelizat fidem quam aliquando uaſtabat. Grammatici uocem dictā putant à πρήθω quod eſt incendo, tranſpoſitis duabus literulis, πήρθω, hinc πέρθω, quod incendijs populatur hoſtis uictor. Alij malunt πέρθω dictum quaſi περθέω, id eſt,circumcurro,quod id quoq; fiat in urbe capta.

Expugnare πορθεῖν.

Coætaneos.) Optarim hoc uerbū eſſe receptum apud Latinos: Græce dixit συνηλικιώτας, id eſt,æquales,hoc eſt, eiuſdem ætatis: quanquam utraq; uox eſt ambigua. Nam eiuſdem ætatis dicuntur,qui uixerunt eodem ſeculo, quos Græci uocant συγχρόνους, & æquales dicuntur diuitijs aut eruditione pares.

In genere

In genere meo.) Genus, gentem appellat Iudaicam: ſicut in proxima epiſtola, In periculis ex genere. Æmulator.) ζηλωτής. Ab immodico & ſuperſtitioſo ſtudio & amore zeloten appellauit ſeipſum.

Paternarum mearum traditionum.) πατρικῶν, à patribus ac maioribus traditarũ. Mearum addit, non quod eas ſuas eſſe duceret, quemadmodum interpretatur Aquinas, ſed ut excuſatius uideatur erraſſe, qui natus Phariſæus maiorum ſuorũ inſtituta ſequeretur, quæ tamen non dubitauit relinquere, edoctus meliora. *Aquinas.*

Cum autem placuit ei.) ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ θεὸς, id eſt, Cum autem uiſum eſt deo.

Non acquieui.) οὐ προσανεθέμην, id eſt, Non cõtuli cum carne & ſanguine. Sic enim Græca uertit Hieronymus in ſuis commentarijs, conſentientibus & Græcorum ſcholijs. Atque ad hunc modum paulo poſt ipſe uertit interpres. Id eſt, non communicaui euangeliũ meum cum homine, ſed cum deo commercium habui. Quidam habent προσανεθέμην, hoc eſt, prius contuli. Proinde palàm eſt Thomam & Carrenſem nihil agere, qui carnem & ſanguinem, interpretantur pro uicijs carnalibus, quibus nũquam legimus Paulum obnoxiũ fuiſſe. etiamſi Thomas addit alteram expoſitionem, carnem & ſanguinem, interpretans affectum erga cognatos. At ne id quidem ſentit Paulus. Verum huius erroris anſam præbuit interpres, qui προσανεθέμην uerterit acquieui, cum uertendum fuerit contuli ſiue cõmunicaui cum carne & ſanguine. Quanquam hoc in loco maiorẽ in modum laborauit diuus Hieronymus, cupiẽs hunc explicare nodum, quod Paulus contumelioſius Petrum, Ioannem & Iacobum, carnem & ſanguinem appellarit, præſertim cum Porphyrius hinc calumnietur arrogantiam Pauli, quod non dignatus ſit ſuum euangelium conferre cum cæteris apoſtolis. In ſumma ne conſiſtere quidem, ut qui prius non contulerit cum carne & ſanguine, poſtea contulerit, ueluti ſibi diffidens rei periculo facto. His conſtrictus Hieronymus eò confugit, ut aduerbium εὐθέως, id eſt, continuo, non referat ad ea quæ ſequuntur, Non acquieui carni & ſanguini, ne fretus reuelatione, protinus uideatur hominum commercium deſpexiſſe, ſed ad illa ſuperiora, Cum autem placuit ei qui me ſegregauit de utero matris meæ: ac deinde ſequatur, ut reuelaret filium ſuum in me: & ad extremum, Vt euangelizarem illum in gentibus continuo: & poſt hæc ueluti à nouo exordio ſequatur illud, Non acquieui carni & ſanguini. Vt ſit ſenſus, Paulum iuſſum, ut continuo citráque moram accingeretur ad prædicationem euangelij, proinde non cunctatum, neque moras triuiſſe, adeundis ac conſulendis apoſtolis, ſed protinus ut erat iuſſus aggreſſum euangelizandi munus. Variant hic & Græcorum commentarij. Verum hæc longius diſcutere, non eſt huius inſtituti. Nos quod ad lectionis rationem pertinere uiſum eſt, annotamus. Proinde nec illud huius operis eſt, quod hæc Pauli narratio multis modis diſſentire uidetur, cum ea quæ eſt apud Lucam in actis apoſtolicis capite nono, quemadmodum Hieronymus in commentarijs ſuis ſatis diligenter explicat. *Acquieui.* *Thomas. Carrenſis.* *Porphyrij calumnia.* *Diſtinctio Hieronymi.*

Ad anteceſſores meos apoſtolos.) πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους, id eſt, Ad eos qui ante me fuerant apoſtoli, & quibuſdam ob hoc maiores uidebantur, quod prius eſſent uocati.

Veni Hieroſolymam.) ἀνῆλθον, id eſt, Redij ſiue aſcendi.

Videre Petrum.) ἱστορῆσαι. Quod uerbum apud Græcos plus aliquid ſignificat quàm uidere, nempe percontandi diſcendiq; cauſa uidere. Quanquam id negat Hieronymus. *ἱστορῆσαι.*

Iacobum fratrem.) Notat Hieronymus eorum errorem, qui putant hunc Iacobum fuiſſe de numero duodecim apoſtolorum, fratrem Ioannis, cuius mentio fit in euangelio, cum is in actis apoſtolorum legatur mox à Stephani nece ſanguinem fudiſſe pro domino. Sed affirmat hunc eſſe Iacobum cognomento iuſtum, filium Mariæ quæ fuerit ſoror Mariæ matris Ieſu. Nam & hi fratres uocãtur more Iudæorum. Theophylactus indicat honoris gratia fuiſſe uocatum fratrem domini. Hic primus Hieroſolymorũ epiſcopus fuit ordinatus, atq; huius pleriq; iudicarunt eſſe epiſtolã, quam hodie quoq; nomine Iacobi legimus. Apoſtolus autem dicitur, eo modo quo cæteri omnes apoſtoli dicuntur, qui Chriſtum in carne conſpectum, poſtea prædicabant. *Iacobus iuſtus.*

Quia non mentior.) Hic ὅτι poterat omitti, quod uim habet aſſeuerandi, ſed apud Græcos duntaxat, niſi malis addere, Ecce coram deo teſtificor, quod non mentior. Nam id additum eſt uelut à iurante: quod ſanè non negat Hieronymus. Sed quod addit ἀναγωγίζωμι, *Iurat Paulus.*

Coram deo sunt, id est, digna conspectu dei, mihi uidetur aliquanto coactius. Verũ in his nonnihil indulgent sibi ueteres, uelut in hoc quoq; de nominum interpretationibus, Arabiæ, Ciliciæ, Damasci &c. Ambrosius fatetur esse iurantis, Theophylactus asseuerantis.

Ciliciæ.) κιλικίας. Partes, est κλίματα, id est, Plagas.

Quæ erant in Christo.) Cur non potius, quæ sunt in Christo, ταῖς ἐν χριστῷ;

Auditum habebant.) ἀκούοντες ἦσαν, id est, Audierant. Ad uerbum, audientes erant, hoc est, rumor apud illos erat. Latinissimum erat, Auditum erat illis, siue, hic rumor apud illos erat, eo quod participium ἀκούοντες sit præsentis temporis. Ne hic quidem necesse erat uertere ὅτι, uetante id pronomine nos.

Quã aliquãdo expugna.) ἐπόρθει. Rursus eo uerbo est usus, quo supra, sicut annotauimꝰ.

Clarificabant deum.) ἐδόξαζον, id est, Glorificabant. Atque ita legit diuus Hieronymus, Ambrosius, magnificabant.

EX CAPITE SECVNDO.

POst annos.) διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, id est, Per quatuordecim annos. Quanquam sensum probe reddidit interpres.

Et contuli cum illis.) ἀνεθέμην. Quod uerbum diuus Hieronymus negat Græcis significare proprie cõferre, sed quæ nouimus, ea in sinum amici exponere, & in medium adferre, communi consilio uel probanda, uel improbanda. Vnde quod superius habuimus προσανεθέμην, significat, præterea cum quoquam contuli, scilicet post uocationem Christi. Aut si legas προανεθέμην, id est, Prius contuli, nempe quàm iret in Arabiam. In illo uidetur Paulus non diffisus suæ uocationi, in hoc uidetur nõ eguisse aliorum consilio, ut in Arabia doceret Christum.

Qui uidebantur aliquid.

Qui uidebantur aliquid.) τοῖς δοκοῦσιν, id est, Qui uidebantur, ut legit Augustinus, siue probatis. Porrò aliquid additum est abs quopiam, cui sermo uidebatur parum absolutus. perperam igitur qui legunt, Qui uidebantur aliquid, sed peius qui legunt, qui sibi uidebantur aliquid: quorum est Ambrosius, si modo codices mendo uacant. Cõtumeliosum enim erat, qui sibi uidebantur aliquid, quasi nullius alioqui precij, sed sua duntaxat opinione forent aliquid, cum id magis ad aliorum referatur æstimationem: δοκοῦντες enim absolute dicuntur Græcis, qui magnæ sunt autoritatis, uelut ἀδοξοῦντες quorum leuis est autoritas. Ita Euripides in Hecuba, λόγος γὰρ ἐκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν, κἀκ τῶν δοκούντων, αὐτὸς οὐκ αὐτὸ σθένει, id est, Nam oratio profecta ab ijs qui magnæ sunt existimationis, & qui non sunt alicuius existimationis, eadem non idem ualet. Apud Græcos primo & secundo loco non additur τι, id est, aliquid, medio tantum loco additur, Ab ijs autem qui uidebantur esse aliquid. Quod haud scio an adiectum fuerit ab quopiam, qui putarit esse subaudiendũ: tametsi mire consentiunt exemplaria. Quandoquidem & Ambrosius legit, Qui existimabãtur esse aliquid. Mihi probabile uidetur quod Valla coniectat, uidelicet adiecticium esse. Atq; ex interpretatione Hieronymi propemodum liquet illum non legisse, Qui uidebãtur esse aliquid, sed tantum qui uidebantur, cum ita scribit: Sollicitus itaq; requirebam, quid nam esset quod diceret, qui uidebantur, sed nunc me omni scrupulo liberauit, adijciens, qui uidebantur columnæ esse. Atq; in exẽplari Paulino primo loco tantũ est, Qui uidebãtur. Deinde cum Paulus sentiat eos in magno precio habitos, quod mox apertius explicat, qui uidebantur columnæ esse, quomodo congruet huic loco, qui uidebantur esse aliquid? Sic enim loquimur de his rebus, quibus nolimus nihil omnino tribui. Cæterum quamuis Hieronymus hactenus à me stat, quod non addit aliquid, non tamen uidetur satis perpendisse uim participij Græci δοκοῦντες. Proinde nos uertimus, Cum ijs qui erant in precio. Ne quid tamen cælem lectorem, quoniam apud Græcos semel hic additur τὶ, fieri potest ut eodem sensu posuerit hic aliquid, quo Lucas in Actis 5. dixit aliquẽ, ꝓ magno. Ante hos enim dies extitit Theudas dicẽs se esse aliquem. Ambrosius obiter indicat hoc loco, quod in Actis magis erat annotandum. Nam ubi nos legimus eius uoluminis capite xv. præscriptum gẽtibus ut abstinerent à quatuor, ab idolothytis, à scortatione, à sanguine, à suffocato, ille monet ab apostolis non fuisse præscripta, nisi tria, quartum à Græcis additum. Siquidem disputationem ita claudit: Quæ sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen à sanguine abstinendũ, adulterarunt scripturam, quartum mandatum addentes, & à suffocato obseruãdum: quod

Ambrosij noua opinio.

puto

puto nunc dei nutu intellecturi sunt, quia iam supra dictum erat, quod addiderunt. Et sanguinis abstinentiam, interpretatur non ab homicidio temperandum, id quod ethnicorum quoq; legibus uetitū erat, sed ab esu carniū cum sanguine, more Noë, iuxta Pythagoræ dogma. Cæterum illi secus interpretantes, interdictum sanguinem, addidere cōsine quiddam ex Iudæorum cæremonijs, de suffocato. Porrò frustra uetari, ne uescamur pecude suffocata, cum iubeamur ab esu carnium omnium abstinere, iuxta Ambrosij sententiam. Cui quantū tribuendū sit alij uiderint, certe Irenæus aliquoties refert locum ex Actis, nec addit mentionem suffocatorum, nominatim libro aduersus hæreticos tertio cap. xij.

Cum esset gentilis.) ἕλλην ὢν, id est, Græcus cum esset: quo tamen abutitur pro ethnico.

Sed propter introductos falsos fratres.) παρεισάκτους. Quasi dicas, obiter ingressos. Nam παρὰ apud Græcos plerunq; in malam significat partem, & nomen est, non participium: ueluti dicas, subinductitios fratres, sic & mox, οἵτινες παρεισῆλθον, id est, Obiter ingressi sunt, nobis aliud agētibus: id quod solent exploratores ac molientes insidias. Iam falsos fratres, est ψευδαδέλφους, id est, falso nomine Christianos, de quo superius admonuimus. Diuus Hieronymus coniunctionem autē siue sed, putat hoc loco superuacaneā & abijciendā: partim, quod si ponat, nō habeat partē quæ illi respondeat. Solet enim apud Græcos δὲ semper respōdere μέν: partim, quod sensui huius epistolæ uehemēter repugnet. Intelligit enim diuus Hieronymus Paulū nulla ui potuisse cōpelli, ut Titum, cum esset gentilis, circūcideret, idq; ad ueritatem euangelij pertinuisse. Atq; ita quod sequitur, propter superintroductos falsos fratres, cohæret cum superioribus, Non fuit compulsus circūcidi, propter falsos fratres &c. In hanc sententiā interpretatur Augustinus, tametsi secus legit Ambrosius. *Ordo diuersus.*

Cessimus subiectioni.) Est quidem datiuus apud Græcos ὑποταγῇ, sed per ablatiuum uertendus, subiectione, id est, ut illis subijceremur. Atq; in exemplari Paulino prima manu scriptum fuerat, subiectione, casu auferēdi. Hieronymus indicat in Latinis codicibus quibusdam non haberi οὐδέ, ut intelligas Titum cessisse ad horā, in Græcis addi, ut sensus sit, illum nullo modo cessisse. Quod si legatur cessisse ad horā, hoc tamen Hieronymus non putat pertinere ad circumcisionem Titi, sed ad id duntaxat quod Hierosolymam redierit quo illis satisfaceret. Et tamen quod Hieronymus negat esse in Latinis codicibus, nūc in omnibus Latinis exemplaribus uisitur scriptum, præterquā apud Ambrosium, qui secus etiam atq; nos ordinat orationem, nimirum hoc pacto: Propter autem subintroductos fratres falsos, qui subintrauerūt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, ut nos in seruitutem subijcerent, ad horam cessimus subiectioni. Atq; ita legisse declarat eiusdem interpretatio. Omittit ille pronomen quibus, quod additum, uidetur orationem inabsolutam reddere, nisi sic ordinemus: Titus non compulsus est circūcidi, propter apostolos quibus aliquo usq; cessimus, sed propter subintroductos fratres, quibus ne tantulum quidem cessimus. At quomodo non cessit, qui Timotheum coactus est circūcidere? Argutatur plurib⁹ uerbis super hoc loco Ambrosius. Nec uideo quomodo locus possit explicari, nisi fateamur Pauli sermonē esse imperfectū, ut intelligamus hoc pacto: apostoli nō cōpellebant, sed propter fratres falsos uidebamur cōpellendi, quod ij odiosius instarent, quibus tamen pro eo tempore non cessimus eousq;, ut quenquam è gentibus circumcideremus.

Ab ijs autem qui uidebantur.) Rursum Paulus orationem inceptam nō absoluit, quod interloquatur quædam: deinde mutata sermonis forma, redit ad id quod instituerat. Videbatur enim adiecturus, Ab his qui habebantur in precio, nihil adiutus sum. Deinde cum ceu per parenthesim interiecisset, Quales olim fuerint, mea non refert, deus personā hominis non accipit, nam id illi obiter apparet uenisse in mentem, ex eo quod dixerat, qui nunc uidētur esse magni: mox redit ad id quod cœperat, sed diuersa sermonis forma: Mihi enim qui uidebantur esse aliquid, nihil contulerunt. *Sermo turbatus.*

Apud uos.) πρὸς ὑμᾶς, id est, Erga uos.

Mihi enim qui uidebant esse aliquid.) Rursum hoc tertio loco nō est, Esse aliqd, sed tantum, οἱ δοκοῦντες, id est, Qui uidebant, hoc est, in precio habiti, quos uulgo uocāt reputatos.

Nihil contulerunt.) οὐδὲν προσανέθεντο, id est, Nihil communicarunt, idem uerbum quod sæpius uertit acquieui: id quod admonet & diuus Hieronymus. Contulerat cum illis Paulus suum euangelium, illi non contulerunt uicissim suum, sed duntaxat probarunt euange- *Contulerunt.*

lium Pauli. Itaq; hoc loco contulerunt non significat idem quod addiderunt, ut quidam arbitrantur, sed illud hinc consequitur. Nam quid potuerunt addere Paulo, qui ne communicarint quidem de suo euangelio? Poterant aliquid à Paulo accipere, nihil poterāt adiungere. Diuus Hieronymus putat hic hyperbaton esse, ut multis quæ in medio sunt interiectis sublatis, legamus ad hunc modū: Mihi enim qui uidebantur esse, nihil contulerunt, sed econtra dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis. Quanquam possumus iuxta superiorem sensum ita legere, ut citra iactātiam occulte significarit Paulus, ab illis nihil collatum sibi, sed à se potius illis. Quod tamen ex re consequitur uerius, ut modo diximus, quàm uerbis significatur. Est enim hic idem uerbum προσανέθεντο, quod significat communicare de re quapiam consultandi gratia. Quo quidem in loco, parum attentus fuit Valla, qui putat hic contulerunt, idem esse quod addiderunt.

Cum uidissent quia creditum est.) ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον, id est, Esse mihi creditum siue commissum euangelium. Sic enim Græci loquuntur, creditus sum hanc rem, & cōmissus sum hanc rem: ὅτι aut omittendum erat aut uertendum in quod.

ἐνεργήσας. Qui enim operatus est Petro.) Propius erat Græcæ lectioni, In Petro & in me, ἐνεργήσας πέτρῳ, ἐνήργησε καὶ ἐμοί. Siquidem præpositio est in uoce cōposita. Nec est simpliciter operatus, sed efficax fuit, & uim suam ostendit. Nam Origenes in epistolam ad Rhomanos, existimat idem pollere ἐνπλέχϕαμ & ἐνέργειαμ, hoc est, actum & uim ex se mouentem organum. Sentit enim, quicquid per Petrum effectum est, nō ipsius uiribus, sed deo autore perfectum. Cuius ope præsidioq; & ipse adiutus, non minora patrauerit inter incircumcisos, quàm ille inter circumcisos. Atq; hic rursum opus est parenthesi, ut legamus ad hunc modum: Imò contra cum uidissent mihi concreditum fuisse euangelium præputij, quemadmodum Petro circumcisionis: deinde quæ sequūtur, parenthesi seperentur: Nam qui operatus est in Petro ad apostolatū circumcisionis, operatus fuit & in me erga gētes. Mox quod sequitur, connectatur cum superioribus: Cumq; cognouissent gratiam mihi datam &c.

Dextras dederūt mihi & Barnabæ societatis.) Aut subaudiendū ἕνεκα, aut iuxta Hebræū idioma dixit dextras societatis, ut osculū pacis, pro dextris socialibus, ut ita loquamur.

Inter gentes.) εἰς τὰ ἔθνη, id est, In gentes, ut legit Ambrosius. Alicubi citat Ad gētes, siue erga gentes, ut respondeat ei quod præcessit, εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς.

Vt nos in gentes, illi autem.) Hic sermo nō est absolutus, sed subaudiendum est, apostolico munere fungeremur. Nam in, positum est pro erga. Et circūcisionem uocat ipsam gentem Iudaicam, quam opponit gentibus, quas aliquando uocat præputium.

Tantum ut pauperum.) Tantum, aduerbium referendum est ad sequentia, non ad præcedentia. Hoc admonui, quia nonnulli secus distinguūt. Subaudiēdum autem est aliquid, tantum admonuerunt, aut mandarunt.

In faciem restiti. In faciem restiti.) κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, id est, Iuxta faciem illi restiti, aut certe In facie, non in faciem, id est, propalàm & in conspectu omnium: nam in faciem erat cōtumeliosius. Nec est Græce κατὰ προσώπου, sed κατὰ πρόσωπον. Consentiunt cum his & Græcorū scholia & Ambrosius, qui in facie interpretatur palàm & coràm. Diuus autem Hieronymus accipit secundum faciem, pro eo quod est, non ex animo, sed ut ijs qui aderant, speciem reprehensionis exhiberet, quo Petri simulatio quam uidebat noxiam fore gentibus, simulata reprehensione corrigeretur. Et hanc utriusque hypocrisin, dispensationem appellat. Cæterum iuxta hunc sensum dilutius erit, quod Paulus hoc lemmate Galatas à Iudaismo deterreat, quia Cephæ ficte restiterit in faciem, & cum ille nihil peccarit, hāc ansam obiurgandi quæsierit. Quanquā hæc Græcorum quorundam interpretatio, alia quoq; de causa non probatur Augustino: & hinc nata est illa magnifica de mendacio inter illos disputatio, cum simulatio ac dissimulatio sit potius, quàm mendaciū. A quo uerbo adeo nō abhorret Hieronymus, ut hypocrisin huiusmodi non uereatur & prophetis, atq; adeo ipsi Christo tribuere. Petrus enim cum aduenissent Iudæi, surgens à conuiuio dissimulabat se uescī cibis communibus, ne offenderētur, quibus persuaderi non poterat id licere, cum ille sciret licere. Ac rursum ubi Paulus sensit ex ea dissimulatione qua Petrus studuerat mederi Iudæis, nasci graue offendiculum, adeo ut Barnabæ quoq; timeret, opposuit acrem obiurgationem, sed secundū faciem, hoc est in speciem, & per simulationem: non quod crederet Petrū

Concertatio inter Augustinum & Hieronymum.

peccasse

peccasse sua dissimulatiõe, sed quod uideret id quod in suæ gentis remediũ fecerat Petrus, in gentium perniciem uergere, quarũ curã agebat Paulus. Augustinus explanans hanc epistolam sanè quàm dure, mea quidem sententia, tractat Petrũ his uerbis de illo loquens: Petrus autem cum uenisset Antiochiam, obiurgatus est à Paulo, non quia seruabat consuetudinem ludæorum, in qua natus atq; educatus erat, quanquam apud gentes eam non seruaret, sed obiurgatus est, quia gentibus eam uolebat imponere. Hactenus Augustinus. Videtur enim peruersitatem quandam sapere, si quis onus studeat alijs imponere, quod non iudicet esse suscipiendũ. Atqui huius uox est in Actis apostolicis cap. xv. Nunc ergo, quid tentatis deum, imponere iugum super ceruices discipulorũ, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus? Qui conuenit, ut cui tentare deũ dicatur, qui iugum legis uellet imponere gẽtibus, ipse tanto studio conatus sit imponere, ut ad id simulatione sit usus? Rursus Augustinus libro de agone Christiano capite xxx. factum hoc Petri, superstitiosam simulationem appellat, & cæteris illius peccatis, diffidentiæ, pugnæ, abnegationis admiscet: atq; adeo paulo post in eodem capite, prauam simulationem appellat: Hos, inquiens, ecclesia catholica materno recipit sinu, tanquam Petrũ post fletum negationis, per galli cantum admonitum, aut tanquam eundem post prauam simulationem, Pauli uoce correctum. At operæpreciũ uidere est quantum absit Hieronymus ab Augustini sententia. Hic non uereatur Petro apostolorum principi, etiam post acceptũ cœlestem spiritum impingere peruersam simulationẽ. Ille non fert uel errorem tribui Petro. Sic enim loquitur in præfatione commentariorum, quos in hanc ædidit epistolam: Quamobrem ita caute inter utrunq; & medius incedit, ut nec euangelij prodat gratiam, pressus pondere & autoritate maiorũ, nec præcessoribus faciat iniuriã, dum assertor est gratiæ. Oblique uero, & quasi per cuniculos latenter incedens, ut Petrũ doceat pro commissa sibi circũcisionis plebe facere, ne ab antiquo repente uiuendi more descíscens, in crucẽ scandalizata non crederet, & sibi prædicatione gentium credita, æquũ esse id pro ueritate defendere, quod alius pro dispensatione simularet. Quod nequaquam intelligẽs Bataneotes & sceleratus ille Porphyrius, in primo operis sui aduersum nos libro, Petrũ à Paulo obiecit esse reprehẽsum, quod nõ recto pede incederet ad euangelizandum, uolens & illi maculam erroris inurere, & huic procacitatis, & in commune ficti dogmatis accusare mendacium, dum inter se ecclesiarum principes discrepant. Hactenus Hieronymi uerba retulimus. Nonnulli uero, dum non possunt ex his difficultatibus explicare sese, commẽti sunt Cephan hunc, cui in os restitit Paulus, nõ fuisse Petrum apostolum, sed alium quẽpiam. Huius opinionis autorẽ, Græcorum scholia citant Eusebiũ in historia ecclesiastica, qui rem fecerit hoc argumẽto probabiliorẽ: Quorsum, inquit, opus erat, ut Petrus sese à cõuiuio subduceret ob interuentũ ludæorum, cum multo ante satisfecerit omnibus expostulantibus quod cum Cornelio incircumciso commercium habuisset, & adeo satisfecerit, ut illi cognito negocio, concorditer gratias egerint deo, præsertim cum huiusce rei nulla mentio fiat in Actis apostolorum. Sed hanc opinionem ceu commenticiam ac frigidã, fortiter reijcit Hieronymus, cum ipsa res doceat totũ hunc sermonẽ ad Petrum & illius collegas pertinere. Negat autẽ ullum Cephan notum nobis præter apostolum, qui Syrorũ lingua Cephas dicitur, quod illis Cephas idẽ sonet, quod Græcis ac nobis Petrus. Deinde non mirũ si hoc omisit Lucas, à quo tam multa præterea sint prætermissa, uelut illud quod Petrus primũ sederit Antiochiæ, deinde Rhomam sedẽ suam transtulerit. Postremo non oportere nobis tanti esse Porphyriũ sycophantam, ut in illius gratiam nouum Cephan fingamus. Alioqui si conemur è scripturis eradere, quicquid hæreticorum calumnijs obnoxium sit, plura alia forent eradẽda. Thomas Aquinas uerbosissimam disputationem quæ super hac re uersatur inter Hieronymum & Augustinum, non inscite contraxit in compendium, indicans controuersiæ summam, quatuor in rebus potissimum esse sitam. Primũ in tempore, quod Hieronymus in duas, Augustinus in tres partes distinxerit, sic ut legalia ante euangeliũ fuerint uiua, mox à morte Christi, mortua, sed non mortifera, ludæis dunta xat, modo ne spem aliquam salutis in eis collocarent, demum euangelio late diuulgato, eadem omnibus fuisse mortifera. Vt hæc uere distinxerit Augustinus, Hieronymus putat iam satis diuulgatum fuisse euangeliũ, cum Petro uisione monstratũ est, nihil esse cõmune, cum hac de re satisfecisset ludæis expostulantibus, cum ipse publica concione testatus est, onus

Augustinus durius tractat Petrum.

Hieronymus lõge dissentit.

Porphyrius.

Eusebius.

Thomas censor inter Augustinum & Hieronymũ.

Excusſæ ratio nes Auguſtini

legis nemini imponendum, quod nec ipſi ferre potuiſſent, nec maiores ipſorum. Et negabimus euangelij gratiã diuulgatam, cum ubiq; gentium tot hominum milia tenerent euangelium? præſertim cum multo ante palàm dixiſſet ipſe Chriſtus, Lex & prophetæ uſq; ad Ioannem, cum uelum templi ſciſſum eſſet à ſummo uſq; ad imũ. Nec in hoc legi fiebat iniuria, ſi quatenus erat umbra, cederet ueritati. Neq; tantum, opinor, honoris debebatur ſynagogæ, quam Chriſtus repudiauit ut uiricidam, præſertim cum ex eo honore tantum immineret periculi, ut parum abfuerit, quin gentes quoq; pertraherentur in Iudaiſmum. Neque nihil erat futurum diſcriminis inter ſacrificia gentium & Iudæorum, quod cum illa ſemper fuerint execranda, hæc pro tempore ſuum habuerunt honorem. Iam confinium illud quod Auguſtinus inducit inter duo tempora, qua nota diſterminabimus? an donec erũt qui nõ poterunt negligere? Atqui ſunt huius generis multi, noſtris quoq; temporibus inter Chriſtianos. Quanquam totum hoc quod adducit Auguſtinus de mortuis, at non mortiferis, de tempore medio, de ſynagoga cum honore deferenda ad tumulum, magis humana ratione, quàm diuinæ ſcripturæ teſtimonijs ſubnixum eſt. Quis autem ſanus uelit ea ſeruare, è quibus nullum ſperaret fructum? Quod ſi Iudæi hoc animo ſeruabant legalia, ut nec utilia, nec inutilia, cur ea exigunt à Paulo? imò cur à gentibus? Certe qui hæc faciebant, putabant ad rem pertinere. Cur hos non redarguunt apoſtoli? Quod ſi nihil erat ab illis fructus, certe uel ob hoc erant fugienda, quod qui ſeruarent ea, ſpeciem præbebant infirmis, quaſi ſine his non ſufficeret euangelium. Atque hinc ſanè nata hæreſis Ebionitarum, præter alias aliquot, quæ Chriſtum cum Moſe miſcebat, cum ille puriſſimus eſſe uellet.

Ebionitæ.

Iam in ſecundo diſcrimine, ait, iuxta Hieronymi ſententiam, apoſtolos non ſeruaſſe legalia, ſed aliquoties pro tempore ſimulaſſe. Sed tamen propter aliquas cauſas, puta quieſcebãt ſabbato, non ſuperſtitione, ſed ob quietem: abſtinebant à quibuſdam cibis, non ut uetitis, ſed propter abominationem. Nam hæc, ni fallor, Thomas addidit de ſuo. Quaſi uero nunc non eadem liceãt, aut quaſi peccaturus ſit, ſi quis itinere feſſus, ſabbato interquieſcat, aut capo appoſito, faſtidiat laridum rancidum. Aut quaſi conueniat abominationem iſtiuſmodi ſuperſtitioſam tribuere apoſtolis, qualem uidemus in ſtultis mulierculis. Iuxta Auguſtinũ uero, inquit, apoſtoli ſeruabant legalia, & hoc intendentes, ſed tamen non ponentes in eis ſpem: & hoc licebat eis, utpote Iudæis. Si hoc tantum conceſſum eſt infirmitati quorũdam, quid hoc ad apoſtolos, per quos ſolos aliorum infirmitas erat erigenda? Deinde quid intereſt inter eum qui coactus obſeruat ne quos offendat, & eum qui quauis de cauſa rem ut inutilem ſeruat? Quid autem intendit qui hoc facit? Aut nihil ne intẽdit, qui ſimulate ſeruat, ne quos alienet ab euangelio? Tertio loco in hoc diſcrepant, inquit, quod Hieronymus utrunque liberat omni peccato, cum uterq; ſuum, hoc eſt, euangelij egerit negocium. Auguſtinus Petrum onerat peccato, ſed ueniali duntaxat. Atqui ex his Auguſtini uerbis quæ modo citauimus, non apparet illi uiſum hoc peccatum ueniale. Deinde primũ fauorabilior eſt ſentẽtia, quæ utrunque apoſtolum peccato liberat, quàm quæ alterum onerat: ſed de hoc mox dicetur. Iam quod Thomas adducit de pondere autorum, mihi ſuffrigidum uidetur. E ſeptem doctoribus, quorum teſtimonio nititur Hieronymus, Thomas quatuor reijcit, Laodicenſem, Alexandrum, Origenem, & Didymum, uelut infames de hæreſi. At ego in ſcripturarum enarratione, unum Origenem decem orthodoxis antepoſuerim, exceptis aliquot dogmatibus fidei. At ſi reijciendi ſunt, in quorũ libris inueniuntur hæretica, fortaſſis reijcientur & Cyprianus & Ambroſius. Iam quale eſt Paulum, de cuius ſcriptis eſt controuerſia, in teſtium numero producere? ne non tres tribus opponerentur: at nihil interim de mendacio. Neq; enim ſimulatio aut diſſimulatio, ſi facto cõſtet, ſic mendacium appellari poteſt, ut ſemper ſit cum uitio cõiunctum. Porrò quod à Paulo dictum eſt, non recte incedunt ad euangelium, id de cæteris dictum uidetur, non de Petro. Supereſt igitur unus ſcrupulus, quod Cephas à Paulo dicitur reprehenſibilis. Aut enim id uere dictum eſt, & conſequitur peccaſſe Petrum, aut falſo, & mendacio obnoxius tenetur Paulus Sed mox oſtendemus ex ueterum interpretatione, quo pacto poſſit & hic diſſolui nodus.

Reiectio autorum.

Vbi ſitũ mendaciũ, de quo Auguſtinus.

Quarto loco ne ſingula perſequar, illud inter cætera commemorat Thomas, Petrum peccaſſe, quod ex eius diſſimulatione natum ſit ſcandalum, Paulum non item quod ex huius reprehenſione nullum ortum ſit offendiculum. Verum qui potuit ſcire Petrus fore ut offen-

ut offenderentur qui accumbebant, cum scirent Petrum hoc dare Iudæis fortasse infirmis, aut seditiosis? Si sciebant licere Iudæo uesci & non uesci, cur offendũtur quod ille pro tẽpore facit quod optimũ putat? Probabilius erat, futurũ ut Iudæi offenderentur, quàm ethnici. Quod si non dissimulasset, rursum peccasset grauius, quia grauius offendisset suos, quibus magis consultum oportuit. Quanq; non omne scandalum cum uitio coniunctum est. Quin ex tam acerba Pauli reprehensione, graue poterat nasci offendiculum. Primũ suspicari poterant inter principes apostolos nonnihil rancoris intercedere, cum Paulus ob rem leuiculam, sic in os incesseret Petrum. Deinde periculum erat, ne minueretur autoritas Petri apud fideles, quã oportebat esse sacrosanctam. Hæc uisum est adijcere, quod uulgus Theologorum putat pulchre depugnatum ab Augustino, & à Thoma rem belle explanatã. Certe locus est obscurus, & qui doctissimos Græciæ magnopere torserit. Ego non uideo cur odio mendacij, Petrum tam dure tractemus, quàm illum tractauit Augustinus. Durius autem articuli Parisienses, qui dicunt Petrũ erasse in fide. Arbitror autem Paulũ incanduisse, quod nondum illa uacillatio Iudaismi sublata foret inter Christianos, atq; id esse quod ait Paulus οὐκ ὀρθοποδοῦσιν, quod claudicantium est. Iam enim par erat, explosa omni superstitione, ingenue apud omnes Christum profiteri. Quod si nõnihil roboris hac in parte Paulus desiderauit in Petro, non protinus sequitur Petrum peccasse, quandoquidem illa claudicatio non aliunde quàm à studio pietatis proficiscebatur. Proinde Pauli obiurgatio, nihil aliud fuit quàm confirmatio parum adhuc sibi constantium. Hæc pro mea uirili in medium adduxi, libenter accepturus si quis meliora proferet.

An Petrus peccarit.

Articuli Parisienses.

Quoniam reprehensibilis erat.) ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, id est, Quoniã reprehensus erat, & damnatus ab ijs, qui male de illo iudicabãt, etiamsi reprehensibilis non erat. Et hic cõsentiunt Græcorũ scholia. Ambrosius item reprehẽsus legit, nõ reprehẽsibilis. Et addit, Reprehensus. Vnde? utiq; ab euangelica ueritate, cui hoc factũ aduersabatur: hic à Græcis dissentiens, & cum Augustino sentiens. Græcorum scholia indicant & alium sensum. Erat, inquit Paulus, mihi data occasio palàm obsistendi Petro, quod ante fuisset ab apostolis reprehensus Hierosolymis, quod cum Cornelio sumpsisset cibum Antiochiæ. Quod ni fuisset obiurgatus antea, nunc nõ subduxisset, sed ueritus ne rursus aliquid tumultus nasceretur, subducere se parabat è conuiuio. Porrò Paulus occasionem nactus, palàm obiurgat illũ, nõ quod illi indignaretur, sed ut confirmaret alios uacillantes. Nam si quid uere peccasset Petrus, atq; ex animo Paulus huic fuisset indignatus, priuatim expostulasset, non corã omnibus. Neq; uero hæc Paulus narrat gloriose, sed ut Galatarũ saluti cõsulat. Postremo mihi planè uidentẽ Iacobus cum suis in hac fuisse opinione, ut crederent legem Mosaicam etiam post prodítum euangelium obseruandam Iudæis, quoad ceremonias quoque. Sicut admonuimus in Actis cap. xxi. non quod absque his crederent euangelij gratiã non sufficere ad salutem, sed quod ob inuincibilem quorundam superstitionẽ putarent expedire, non omnino negligi.

Reprehensibilis, pro reprehensus.

Et simulationi eius consenserunt.) συνυπεκρίθησαν, id est. Vnà cum illo simulauerunt, & ita legit diuus Ambrosius.

Cæteri Iudæi.) Et addendum καὶ οἱ λοιποὶ, Et cæteri, aut cæteri quoq;.

Ab eis in illam simulationẽ.) Græce sic est, συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει, id est, Pariter abduceretur in illorum simulationẽ, siue illorũ simulatione. Faber legit, ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπεχθῆναι, id est, ut Barnabas simul abstineret. Verum hoc nec in Græcis habetur codicibus, nec à quoquam legitur, nec opinor usquam inueniri ἀπεχθῆναι ab ἀπέχεσθαι.

Faber.

Recte ambularent.) Græcis unica est dictio ὀρθοποδοῦσι. Vnde diuus Hieronymus aduersus Pelagium, itemq; in commentarijs uertit, Quod non recto pede incedunt: id autem refertur ad cæteros, nõ ad Petrum. Aliter enim hi simulabant, aliter Petrus. Petrus dissimulabat potius quàm simulabat, ne quid offenderet suos. Cæteri dissimulabant, suspicãtes aliquid admissum aduersus bonos mores. Certe Augustinus in epistolis quibus super hoc loco cõflictatur cũ Hieronymo, multitudinis numero legit, ac similiter citat capite ultimo ad Consentium de mendacio. Item Ambrosius: Recta uia incedunt, Neque rursus est, Nõ recte ambulare, hoc est, errare à uia, sed claudicare & uacillare, quod parum essent firmi in eo quod erat ingenue tuendum, nunc huc propensi, nunc illuc. Et quoniam Mosaica lex erat in confinio, fieri potest, ut Petrus quoq; nonnihil addubitarit, an palàm lex esset negligenda.

Claudicare.

οὐκ ὀρθοποδοῦσι. genda. Verum hoc ipsum erat uacillare, non autem flagitium admittere, cum neq; Paulus neq; Petrus iudicarit legis obseruationem ad salutē requiri, licet Paulus quoq; coactus sit Timotheum circuncidere, & tondere caput, non superstitione, sed obsequio. Hactenus certe nulla mentio de mendacio. Neq; quisquam negat pium hominem alicubi recte simulare ac dissimulare. Et ostendimus ex hoc loco nihil esse necesse producere mendacium. Neque Petrus cogebat gentes Iudaizare, quasi id ageret, ut illos in Iudaismū pertraheret, sed quod hanc ansam quidam arriperent ex illius dissimulatione.

Cephas Petra. Dixi Cephæ.) Græci legunt πέτρῳ, id est, Petro. Neq; refert ad sensum. Quod enim Græcis sonat πέτρος, id Hebræis ac Syris sonat Cephas, autore Hieronymo.

Coram omnibus.) Hic exponit quid ante dixerit, κατὰ πρόσωπον, id est, In conspectu omnium, quorum gratia hæc dicuntur.

Scientes autem.) Autem, cōiunctionem non reperio in Græcis exemplaribus, nec opus est, nisi subaudias in superiore parte uerbum sumus, ut ita legamus, Nos sumus nati Iudæi, ex sanctis patribus orti, sub lege sancta nati, non autem ethnici, qui sine lege ex impijs ac profanis maioribus producti sunt. Et tamē ipsi sic nati cogimur diffisi legi nostræ, ad Christi fidem cōfugere, si uelimus esse salui, quo minus persuadendū est ethnicis, ut à lege Moysi sperent salutem. Porrò natura Iudæos dixit, ad discretionem proselytorum.

Natura Iudæi

Nisi per fidem Iesu.) ἐὰν μή, id est, Si non. Est autem sermonis noua forma, uulgari more dicendum erat, non iustificatur ex operibus legis, sed tantum per fidem.

In Iesum Christum credimus.) ἐπιστεύσαμεν, id est, Credidimus, præteriti temporis. Et ita legit Hieronymus.

Propter quod ex.) Propterea quod, διότι.

Reædifico.) οἰκοδομῶ, id est, Ædifico, nam præcedit πάλιν, id est, Iterum.

Mortuus sum.) ἀπέθανον, id est, Mortuus fui, ut sit præteriti temporis, hoc est, per legem fidei, desij esse obnoxius legi Mosaicæ.

Confixus sum cruci.) χριστῷ συνεσταύρωμαι, id est, Christo cōcrucifixus sum, siue Cum Christo crucifixus sum.

Quod uiuo. ὃ pro ὅτι. Quod nunc uiuo.) Rursum ὃ pro ὅτι posuit, quemadmodum indicauimus in epistola ad Romanos. Quod enim uiuit, uiuit deo.

In fide filij dei.) ἐν πίστει τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Articulus additus, discernit fidem Christi à reliqua fide, quod ita poterat exprimi, In fide uiuo, fide inquam filij dei. Mirum autem ut relicta narratione, uelut oblitus sui, sic rem prosequatur, ut parum liqueat ubi desierit obiurgare Petrū: etiamsi Hieronymus existimat usq; ad huius capitis finem esse Pauli reprehensionem. Ex Ambrosio nihil satis liquebat.

Non abijcio.) οὐκ ἀθετῶ, id est, Non reijcio, non repello, nō sperno. Ambrosius legit, Non sum ingratus gratiæ dei. Augustinus, Non irritam facio gratiam dei. Videbatur alpernatus Christi gratiam, si Moysi legem recepisset, ut necessariam ad salutem.

Frustra Christus mortuus est.) δωρεὰν, quod idem & gratis sonat. Est autem ratiocinatio ab impossibili, quod si nemo tam demens est, ut dicat Christum gratis esse mortuum, non contingit salus ex obseruatione legis Mosaicæ.

Argumētatio ab impossibili

EX CAPITE TERTIO.



Galatæ qui. Insensati.) ἀνόητοι, id est, Stulti, Atq; ita legit Augustinus in commētario quē ædidit in hanc epistolam, alioqui durius uerbum est insensati, & contumelio sius. Græca uox magis sonat rudes parumq; cordatos, præsertim quod Galatæ è ferocioribus Galliarum partibus sint profecti. Hilarius ipse Gallus, in carmine hymnorum, Gallos indociles appellat. Addit Hieronymus sibi uisam Ancyram Galatiæ metropolim, in qua magna uetustæ ruditatis uestigia resederint, & ex horum finitimis prodigiosas hæreses exortas Cataphrygum, Ophitarum, Borboritarum, & Manichæorum, cæterum linguam excepta Græca, qua tunc totus ferè Oriens utebatur, fermè eandem fuisse, quæ tum esset Treuirorum. Nam apud hos uersatus est Hieronymus. Atq; haud scio, an quæ nūc est Germanorum lingua, fuerit olim Gallorum. Interpres quod hic insensatos uertit, mox uertit stultos, suo more lasciuiens copia.

Quis

Quis uos fascinauit.) Fascinare dicũtur Latinis, qui aspectu malefico lædunt, sed apud Græcos βασκαίνειμ, quo uerbo hic usus est Paulus, significat & inuidere, ut intelligas inuidia motos quosdam, uoluisse Galatas ad seruitutem legis reuocare. At Paulus uidetur hoc uerbũ usurpasse, pro eo quod est, incantauit, & oculis ueluti præstigio imposuit. βασκαίνειμ enim Græcis dictũ est παρὰ τὸ φάεσι καίνειμ, quod per oculos noceat fascinator. Porrò Paulum de oculis delusis sentire, testantur propemodum, quæ mox sequũtur, Ante quorũ oculos Christus Iesus præscriptus est, & in uobis crucifixus. Est autem planè præstigij genus, ut id quod coràm cernas, non uideas, tum quod non est, id uidere te putes: etiamsi Demosthenes eo uerbo usus est pro calũniari siue accusare in oratione pro Ctesiphonte. Hesychius addit proprie de ingrato dici. Fascinum autem pueris potissimum creditũ est nocere, & ob id illos stultos appellat, nihil ueritus sententiam euangelicam: Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Siquidem hoc nõ indignationis, sed charitatis cõuicium est. Et tamen mitigat illorum admissum, cum tantam cæcitatem fascino tribuat. *Fascinare.*

Non credere ueritati.) Non obedire, μὴ πείθεσθαι, id est, Ne obtemperaretis ueritati. Quanquam hæc particula ab Hieronymo prorsus omittitur, quod neget inueniri in exemplaribus Adamantij. In uetustissimo atque emendatissimo exemplari bibliothecæ Paulinæ non addebatur in contextu, sed nescio quis recentiore manu subnotarat procul in ima margine. In codice Cõstantiensi recentiore prorsus nõ habebatur, in uetustiore legebatur, Quis uos fascinauit nõ obedire, nec additum erat ueritati. Eandem particulam adiecerunt & alio loco inferius, ubi pro ἐβάσκαινομ mutatum est ἐνέκοψεμ. *Additum apud nos.*

Ante quorum oculos.) ὃις κατ' ὀφθαλμούς ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη, id est, Quibus sub oculis Christus Iesus præscriptus est. Quod miror quare uerterit proscriptus, cum ea uox Latinis multo aliud significet, nisi quod Græci quoq; proscriptionem, id erat apud Romanos damnationis genus, προγραφὴν appellant. Potest autem sensus esse duplex, Galatas adeo dementatos fuisse, ut id quod manifestissimum esset, & oculis expositum, tamen non cernerent obcæcati, aut adeo nihil uidere, ut crederent Christum proscriptione perisse, & uulgari more crucifixum esse. Posteriorẽ sensum sequuntur Augustinus & Ambrosius. Mihi prior magis arridet ut simplicior, minusq; coactus. Quanquam Augustinus legisse uidetur præscriptus, non proscriptus, utpote loquens de præscriptione possessionum, quæ per occupationẽ transferuntur ad ius alterius. Ipsius uerba si quis forte requiret asscribam: Ante quorum oculos, inquit, Christus Iesus proscriptus, est crucifixus, hoc est, quibus uidentibus, Christus Iesus hæreditatem suam, possessionemq; suam amisit, his utiq; auferentibus eam, dominumq; inde expellentibus, qui ex gratia fidei per quam Christus possidet gẽtes, ad legis opera eos qui crediderãt reuocabant Christum, auferendo illi possessionem suam. Ac paulo inferius: Vt hinc eos maxime moueret, cum considerarent quo precio emerit possessionem, quam in eis amittebat, ut parum esset gratis eum mortuum, quod superius dixerat: Illud enim ita sonat, tãquam non peruenerit ad possessionem pro qua sanguinem dedit, proscriptione autem etiam quæ tenebat aufertur. Sed hæc proscriptio non obest Christo, qui etiam sic per diuinitatem dominus est omnium, sed ipsi possessioni, quæ huius gratiæ cultura caret: hactenus Augustinus. Quibus ex uerbis satis opinor liquere, illum agere de præscriptione iuris, & toto hoc sermone pro, positum loco præ, in dictione proscriptionis. At Ambrosius legit proscriptus, mentionem faciens damnationis. Ne huius quidem uerba grauabor adducere lectori pigro ac diffidenti: Quia stultorum, inquit, oculis Christus proscriptus uidetur, id est, spoliatus uel condemnatus, prudentium uero oculis & sensibus, non solum non condemnatus, sed ipse mortem cruce sua damnasse uidetur. Ac mox, Sed quia hi indigne cœperãt sentire, translati ad legem, idcirco mentibus eorum Christum condemnatum uideri conqueritur: huc usque Ambrosiana recensuimus. Theophylactus legit præscriptus, hoc est, ante oculos ueluti depictus. Nam Græcis γράφειμ & pingere est. Hac hyperbola notat certissimam illorum fidem, qui certius crediderint Christum morte sua liberasse genus hominum, quàm qui coràm conspexerant illum sublatum in crucẽ. Et ob hoc ipsum magis indignatur illos relabi in Iudaismũ ueluti desciscentes à Christo. Hieronymus legisse uidetur præscriptus, hoc est, ante scriptus, in uobis crucifixus, & illud in euãgelio legeretis, uidelicet legentibus & credẽtibus uaticinijs prophetarũ, *Præscriptus προεγράφη.*

qui

qui multo ante id fore prædixerāt. Illud admonendum, Græcam uocem προεγράφη commu nem esse scripturæ & picturæ. Quod si placet prior illa sententia, quæ mihi certe magis pro batur, & consentiunt Græcorū scholia, magis quadrabit, depictus ante oculos, quàm præ scriptus. Sic enim crediderant Christum crucifixum, quasi cōspexissent oculis. Codex Do natiani habebat præscriptus, & Cōstantiensis uterq; nullo rasuræ uestigio.

Et. supersit. Et in uobis crucifixus.) Et redūdat. Et in uobis accipi potest, pro inter uos, si primus sen sus placet, quē recensuimus. Nō quod inter eos Christus fuerit crucifixus, sed quod hoc ita notum ac prædicatum, ut nō minus nossent credidissentq;, cȝ si inter ipsos res fuisset gesta.

An ex operibus legis.) An, hic redundat, nec additur à diuo Hieronymo, nec ab Augu stino, nec habetur in uetustis exēplaribus. Nec enim simpliciter rogat utrum sit è duobus, sed prius proponit uelut absurdum dictu, deinde per correctionem infert quod uerum est, perinde quasi dicat, Ex operibus legis spiritum accepistis, an potius ex auditu? Iam illud Ex auditu fidei, tametsi à nobis intelligitur, tamen Latinis auribus insolens est. Neq; enim ut Græci famam siue rumorem ἀκοὴν uocant, itidem & Romani. Proinde dilucidius erat, ex prædicatione fidei, hoc est, ex fide quam ex nobis audistis, non ex lege didicistis. Quis enim ferat sic loquentem, auditus occisi regis consternauit populum, pro eo quod erat, ru mor de rege occiso? Nos itaq; pro auditu, uertimus prædicationem.

Auditus, pro fama.

Vt cū spiritu.) Vt, apud Græcos non est, sed spiritu cū cœperitis, nūc carne cōsummami ni ἐναρξάμενοι πνεύματι, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε, nisi quod præpositio est in uerbo cōposito, ue lut Horatius: Congestis undiq; saccis Indormis inhians. Item Vergilius, Viribus indubita re meis. Atq; hoc ipsum in, positum est pro per. Vnde magis quadrat spiritu & carne.

Sine causa.) εἰκῆ, id est, Frustra siue temere.

Tribuit uobis.) ὁ ἐπιχορηγῶν, id est, Suppeditās siue subministrās. ὁ ἐπιχορηγῶν & ὁ ἐνερ γῶν poterant esse præteriti tēporis, id est, qui suppeditabat, & qui operabatur, ut subaudias deinde uerbū item præteriti tēporis, tribuerat aut simile quippiam. Verū Hieronymus ad monet rectius legi uerbum præsentis temporis, quod spiritus nō desierit subministrare do tes suas: atq; ita sanè legit Ambrosius. Petrus Lombardus theologicarum sententiarum, li bro primo distinctione xiij. c. sed hinc. ex Augustini sententia, putat hoc Qui præbuit uo bis, ad Pauli personam referendum, cum Hieronymus & Theophylactus ad deum refe rant, quod palàm est ex illorum interpretatione.

Augustinus à Græcis dissen tiens.

Et operatur uirtutes.) Operatur, non ad spiritum, sed ad eum refertur qui suppeditat. Eclipsim habet hic sermo, Subaudiendum enim, id facit. Est hoc idiomatis Hebraici, sicut crebro iam indicauimus.

Sicut scriptum est.) Scriptum est, redundat. Et Hieronymus legit, Sicut Abraham credi dit deo. Nec apparet aliter legisse Ambrosium, qui subijcit, Ostendit exemplo Abrahæ, qui pater fidei est &c. Exemplum igitur adduxit, non scripturæ testimoniū. Suffragabatur ger manæ lectioni uterq; codex Constantiensis.

Cognoscite ergo.) γινώσκετε ἄρα, id est, Scitis igit̄. Atq; ita legit diuus Hieronymus, Co gnoscitis ergo, & huic consentiens Ambrosius, etiamsi Græca uox anceps est.

Prænunciauit Abrahæ.) προευηγγελίσατο, id est, Anteeuangelizauit, ut exponendi gratia sic loquamur. Nam euangelium Græcis sonat bonum ac lætum nūcium. Etiamsi apud Ho merum Vlysses poscit euangelium, hoc est, præmium, quod dari solet ijs qui rem lætam pri mi nunciarint. Proinde quod in euangelio Christi fuit exhibitum, id multo ante euangeliū promissum est Abrahæ, quod hic appellat præeuangelizauit.

Benedictio & maledictio theologorum uocabula.

Igitur qui ex fide sunt, benedicentur.) εὐλογοῦνται, id est, Benedicuntur præsentis tem poris. In promisso uerbum erat futuri temporis εὐλογηθήσονται, hic præsentis. Scio pa rum esse Latinū benedicentur & benedicuntur, sed huiusmodi quædam uitari prorsus nō possunt. Dici poterat, benedictionem consequentur. At ne sic quidem uitatum fuisset ora tionis uicium. Conijcere licet & Ambrosium ita legisse, licet deprauatus sit locus. Certe Græcorum scholia cum sua scriptura consentiunt. Congruit huic uerbum præsentis tem poris quod sequitur.

Sub maledicto sunt.) ὑπὸ κατάραν, id est, Sub maledictione siue execratione. Quod cō mode reddi poterat, Maledictioni obnoxij sunt.

Quoniam

Quoniam autem.) ὅτι δέ, id est, Quod autem. Et sic legit Ambrosius. nam quoniam, hoc loco non quadrat.

Maledictus omnis homo.) Locus est Deuteronomij cap. xxvij. Iuxta Septuaginta ita legitur, Maledictus omnis homo qui non permanserit in omnibus sermonibus legis huius, ut faciat illos, & dicet omnis populus, fiat. Apud Aquilam uero sic, Maledictus qui nō statuerit uerba legis huius ut faciat ea, & dicet omnis populus, uere. Symmachus ad hunc uertit modum: Maledictus qui non firmauerit sermones legis istius, ut faciat eos, & dicet omnis populus amen. Theodotio sic transtulit: Maledictus qui non suscitauerit sermones legis huius facere eos, & dicet omnis populus amen. Addit Hieronymus in hoc testimonio, quemadmodum & in cæteris, magis curæ fuisse apostolo, ut sensum redderet quàm uerba. Deinde hæc uerba, omnis homo, & in omnibus, quoniam apud solos habentur Septuaginta, aut addita fuisse à septuaginta, aut à Iudæis fuisse erasa, præsertim cum ea compererit Hieronymus in Hebræis uoluminibus Samaritanorum. At ego non uideo causam admodum grauem, cur quisquam Iudæus uoluerit ea radere, quæ pro Iudæis faciant, non contra Iudæos. Nam ijs optandum etiam erat, uniuersum hominū genus legi suæ reddi obnoxium. Et adeo uolebant omnia quæ legis sunt obseruari debere, ut multa etiam adiecerint. *Libri Samaritanorum.*

Qui non permanserit.) ὃς οὐκ ἐμμένει, id est, Qui nō permanet, etiāsi id nihil ad sensum.

Ex fide uiuit.) Viuet, ζήσεται, ut antea admonuimus in epistola ad Rhomanos. Indicat Hieronymus & ita posse distinguí: Iustus ex fide, deinde subdat, uiuet, ut sit sensus qui uere iustus est, non ex operibus legis, sed ex fide, is uicturus est. Ex eiusdē interpretatione palàm est, illum legisse, uiuet, non uiuit. Porrò quomodo uarie habeatur hic locus apud interpretes Græcos, dictum est in epistola ad Romanos. *Distinctio noua.*

Ex maledicto legis.) ἐκ τῆς κατάρας, id est ex maledictione, ut legit Hieronymus in secundo dialogo aduersus Pelagianos, siue detestatione. Et rursum, Factus pro nobis maledictum κατάρα, id est, Execratio. Miror cur hic placuerit maledictum, cum ea uox Latinis longe aliud significet, nempe conuicium.

Factus pro nobis maledictus.) κατάρα, id est, Maledictum, ut habetur in uetustis exemplaribus, siue maledictio, aut execratio, sicuti pestilentem, pestem uocamus.

Maledictus omnis qui pendet in ligno.) Locus est Deuteronomij xxi. capite. Paulus prudens ac sciens, opinor, in hoc testimonio prætermisit mentionem dei. Nam Aquila & Theodotion uerterunt, maledictio dei est: Septuaginta, maledictus à deo: Symmachus, in blasphemiam dei suspensus est. Hebion hæresiarches, semijudæus, ac semichristianus ad hunc interpretatur modum, ὅτι ὕβρις θεοῦ ὁ κρεμάμενος, id est, Iniuria siue contumelia dei est qui pendet. Addit Hieronymus in altercatione Iasonis & Papisci, quæ Græco sermone conscripta fuerit reperisse, λοιδορία θεοῦ ὁ κρεμάμενος, id est, Conuicium dei qui pendet. Ad hæc Iudæus Barhanina, quo nocturno præceptore fuit usus Hieronymus, adiecit & ita legi posse: Quia contumeliose deus suspensus est. Demiror autem cur hic tantopere laboret, ne Christus dicatur maledictus, cum Paulus eundem dicat esse factum peccatum. Nimirū ut peccatum erat Christus, ita erat & maledictio. Tropo dictus est peccatum, tropo dictus maledictio. *Christus maledictus.*

Tamen hominis testamentum.) ὅμως ἀνθρώπου. Quod reddi poterat, hominis licet testamentum, ut statim subaudias, multo magis id oportere fieri in deo. Etiamsi uideo posse connecti cum eo quod præcessit, Secundum hominem loquor, hoc est, adferam exemplum rerum humanarum, quæ nullo pacto conferendæ sunt cum rebus diuinis. Et tamen in humano testamento nemo quicquam rescindit aut immutat, tantum ualet hominis decretum ac placitum. *Tamen nouepositum.*

Confirmatum testamentum nemo spernit.) κεκυρωμένην διαθήκην, οὐδεὶς ἀθετεῖ, id est, Confirmatum siue comprobatum testamentum, nemo reijcit aut rescindit. Nam uerbum hoc ἀθετεῖ paulo superius uertit, abijcit. Ambrosius legit, confirmatum autoritate. Contrariū est illi ἀκυροῦν, quod est irritum facere & rescindere. Participiū est à uerbo de quo meminimus in proxima epistola. Confirmate in illo charitatem.

Aut superordinat.) ἐπιδιατάσσεται, id est, Adiungit & præter illud aliquid ordinat, hoc

est,nec demit,nec addit,nec derogat,nec arrogat.

Paulus torquens scripturam in argumentum.

Quasi in multis.) ὡς. Melius hic quadrabat tanq̃. Subnotat diuus Hieronymus Paulũ hoc argumento abusum apud crassos Galatas, quod sciret alioqui non probatum iri prudentibus aut eruditis,Atq; ob id præmonuisse prudentem lectorem, Fratres,secundũ hominem dico.Negat enim usquam seminis uocem,poni in literis sacris, nisi numero singulari.Et tamen hoc torquet apostolus uelut in argumentum,quo doceat promissum hoc in solum Christum competere. Mihi magis uidetur ideo testatus, quod humano more loqueretur,quod à rebus humanis similitudinem ducturus esset,ad res diuinas docẽdi gratia.Sic & Vergilius,Si magna licet componere paruis. Iam illud uel citra monitorem oportet esse notum,præpositionem in,usurpari loco per,In semine tuo,per semen tuum.Semen autem uocat posteritatem.

Testamentum confirmatum à deo.) διαθήκλω προκεκυρωμλίλω ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς χριστὸν,id est, Testamentum ante confirmatum à deo in Christum. In Christum additur apud Græcos, & item apud Ambrosiũ.Admonet hoc loco diuus Hieronymus, si quis diligenter expendat Hebræa uolumina,quoties Septuaginta uerterunt διαθήκλω,id est,Testamentum, Hebræis esse, בְּרִית quod pactũ sonat potius,quàm testamentum. Nam in pactis requiritur fides. Cæterum apud crassos Galatas,Paulus non putauit agendum exactius.Ita Hieronymus.Quasi uero Paulus non & alijs compluribus locis sequutus sit æditionem Septuagin ta.Iam uero de numero annorum, an satis consentiant cum narratione Geneseos, disserit acute diuus Augustinus libro de ciuitate dei xvi.capite xxiiij.ne nos huiusmodi appendicibus plus satis oneremus hoc institutum.

Non irritum facit.) οὐκ ἀκυροῖ,quod contrarium est illi κυρόω,quod non tam est comprobare,quàm cum autoritate decernere,& legitime transigere rem, ut deinde ratum sit,quod actum fuerit. Per repromissionem donauit deus.) κεχάρισται,uerbum à χάρις dictũ à gratia,quam Paulus ubiq; opponit operibus legis Mosaicæ.

Distinctio.

Quid ergo lex,propter transgressiones.) Augustinus in commentarijs ita iubet distingui.Quid ergo? deinde subnectatur responsio,lex propter transgressores addita fuit.Atq; hæc distinctio habebatur in utroq; codice Constantiensi. Verũ id retractat, putatq; satius esse distinguere,quemadmodum nos distinximus.Quid ergo lex? ac deinde sibi respondeat Paulus,propter transgressiones addita fuit.Hãc distinctionem didicit, ut arbitror,ex Græcis:Sic enim Theophylactus,τί οὖν ὁ νόμος;

Posita est.) προσετέθη,id est,Addita est,siue apposita est,nisi legas προετέθη,sed προσετέθη legit Theophylactus,nec indiligenter explicat.Non enim dixit positam, sed additã,ne quis existimaret hanc esse præcipuã, sed obiter adiunctã inter primã promissionẽ & euangeliũ.

Cui promiserat.) In quodam codice legi ᾧ ἐπήγγελται, id est,Quod promissum fuit.In alijs erat ᾧ.Neq; enim opinor apud Græcos idẽ fieri in recto, quod in huiusmodi fit in obliquis,ut articulus postpositiuus congruat antecedenti,nõ suo uerbo,nisi quod Græcis dicuntur euangelizari,quibus adfertur nuncius.Hoc sane tropo idem erit sensus, siue legas ᾧ siue ᾧ. Theophylactus legit ᾧ.

Mediator uerbum theologicum.

In manu mediatoris.) μεσίτου.Fortassis & hæc una est ex his dictionibus, quas ceu peculiares diuinæ scripturæ mutare non possumus, nisi placet conciliator, aut intercessor. Hic Hieronymus meminit hyperbati, & ordinem sermonis confusum ad hunc restituit modum,Lex posita est per angelos in manu mediatoris,propter transgressiones ordinata per angelos,donec ueniret semen,cui repromissum erat.

Pædagogus noster fuit in Christo.) Melius hoc loco,In Christum,siue ad Christum,εἰς χριστὸν. Atq; ita legit Hieronymus,in secundo dialogo aduersus Pelagiũ. Pædagogus enim Græcis uile nomen est serui,cui committitur ad tempus cura pueri,ne quid per ætatem peccet,dictus à ducendo puero,quo magis quadrat quod sequitur,ad Christum.

Vt ex fide iustificemur.) Ambrosius legit Iustificaremur,ἵνα δικαιωθῶμεν.

Non est masculus neq; fœmina.) In cæteris usus est coniunctione neq;,in hoc ultimo iugo usus est καὶ &.quæ tamen coniunctio idem pollet,οὔτε καὶ θῆλυ.Admonet Hieronymus hic ἔθνικα,id est, Græcum pro ethnico poni.

Vnus, pro unum.

Omnes enim uos unum estis.) Vnum legere uidetur Hieronymus, Ambrosius & Augustinus

guſtinus,niſi quod ſubolet Ambroſium unus legiſſe nō unum ex his quæ aſſcribit, Apud deum enim nulla diſcretio perſonarum eſt,niſi morum & uitæ,ut homines unius fidei,meritis diſtinguantur non perſonis. Cæterum Græci,unus legunt genere maſculino εἷς ἐσὲ, & interpretatur Theophylactus,ſiue quod iam Chriſti formam ſimus induti,ſiue quod unū corpus ſumus,ſub uno capite Chriſto. Ac mihi ſanè noſtra lectio magis probat, niſi quod magno conſenſu diſſentiunt ab hac Græcorum exemplaria. Nec uideo tamen cur abhorreamus ab hoc tropo quo multi dicuntur unus,quum nec unum dicantur abſq; tropo,nec unanimes. *Triplex lectio.* *Si autem uos Chriſti.*) Hoc loco uideo ueteres trifariam legiſſe. Diuus Hieronymus ad eum legit modum ad quem ſcriptum comperimus in Græcorum exemplaribus,εἰ δὲ ὑμεῖς χριστοῦ, id eſt, Quod ſi uos eſtis Chriſti. Diuus Auguſtinus hoc pacto legit, Omnes uos unum eſtis in Chriſto Ieſu. deinde ſubijcit,quod ſi.ut hic interpoſita ſubdiſtinctione ſubaudiatur, uos eſtis unum in Chriſto, ac deinde inferatur, ergo ſemen Abrahæ eſtis. Porrò iam quod Auguſtinus putat ſubaudiendum, id Ambroſius explicat ad hunc legens modum: Si ergo uos unum eſtis in Chriſto Ieſu,ergo ſemen Abrahæ eſtis. Annotauit hoc Hieronymus, quoties de Chriſto fit mentio, promiſſiones multitudinis numero poni. uelut illic, Abrahæ autem dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius, hoc eſt, Chriſto. Rurſus ubi de his qui per Chriſtum ſunt Abrahæ, numero ſingulari, uelut hoc loco, κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι.

EX CAPITE QVARTO.

Dico autē.) Hoc more Paulus loqui ſolet,quoties ingredit interpretari quæ dixerit. Proinde dilucidius erat, Quod dico tale eſt,aut,Illud aūt eſt,quod dico.

Hæres paruulus eſt.) νήπιος, id eſt, Puer ſiue infans,& ea ætate quæ nondū ſapit. Latine tamen uertit interpres.

Nihil differt à ſeruo.) διαφέρει ambiguū eſt. Nam ſignificat & antecellit. Verum hoc loco nihil refert. Imò ſeruo ſubiectus eſt.

Tutoribus & actoribus.) ἐπιτρόπους & οἰκονόμους, id eſt, Curatoribus & diſpenſatoribus, hoc eſt, rei familiaris procuratoribus. Quanquam Hieronymus & Ambroſius, atq; item Auguſtinus legunt, ſub actoribus, pro οἰκονόμοις, qui adminiſtrant res minorū. Porrò pueris pupillis dabantur tutores, furioſis & adoleſcentibus, curatores, qui pro illis rem adminiſtrarent, licet exiſtimem hos & actores dici. Actor ambigua uox eſt.

Præfinitum tempus.) προθεσμίας. Quæ uox ſignificat diem præſcriptum ad quem ius alicuius duraret, ultra quem non liceret agere. Tale eſt ius tutorum.

Paruuli.) νήπιοι. De quo ſæpius iam admonuimus.

Sub elementis mundi ſeruientes.) δεδουλωμένοι, id eſt, In ſeruitutem redacti. quod Ambroſius legit, ſubiecti, & referendum uidetur ad, Sub elementa, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα. Quaſi dicas, ſub elementa in ſeruitutē redacti. Latina uox elementi anceps eſt, quemadmodum & στοιχεῖον apud Græcos, quæ declarat interim initium ac primordiū rei naſcentis, interim ipſas literas. Nam & Ariſtoteles in phyſicis, inter ea unde cognitio rerum naſcitur recēſet στοιχεῖα, id eſt, elementa, ſubijciens hæc principijs & cauſis. Et Iuſtinianus libros inſtitutionum, elementa iuris appellat, ueluti rudimenta. Paulus eodem uerbo uſus eſt in epiſtola ad Coloſſenſes: Videte ne quis uos deprædetur per philoſophiam, & inanem deceptionem, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, οὐ κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου. Ac rurſus in eadem: Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis, ἀπὸ τῶν στοιχείων. Nec uideo cur diuus Hieronymus aliud quiddam uelit eſſe elementum hoc loco ad Galatas, & in epiſtola ad Coloſſenſes. Certe utrobiq; de ceremonijs Iudæorum agit, & hominum inſtitutionibus, quæ uelut exordia data ſunt hominibus rudibus adhuc, & nondum capacibus euangelicæ doctrinæ. Nec ab his diuerſum eſt, quod ſcribit ad Hebræos, Et cum deberetis eſſe magiſtri, propter tempus, rurſum neceſſe habetis ut doceamini, quæ ſint elementa principij ſermonum dei, τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς. Hic ſenſus mihi uidetur eſſe germanus, reliqui, meo iudicio, magis oſtentant eruditionem aut ingenium interpretis, quàm oſtendunt mentem Pauli. Neq; eſt cur nos moueat quod Paulus adiecit, elementa mundi. Mundum enim uocat, quicquid eſt uiſibile & caducum. In huiuſmodi rebus ſita eſt ſuperſtitio ceremoniarū, ne guſtaueris, ne tetigeris, ne contrectaris.

Diſtinctio.

Elementa mundi.

Misit deus filium.) ἐξαπέστειλεν, id est, Emisit, uel potius legauit, nempe cum mandatis. Nam id proprie sonat Græca uox, aliud enim est πέμπω.

Factum ex muliere.) Prius factum est Græce γενόμενον, posterius γενόμενον, ut illud uertas natum, hoc factum est. Quanquã Græci codices non omnes distinguunt. Certe Theophylactus utrobiq; legit γενόμενον. Atqui Augustinus libro de trinitate & unitate dei, cap. iij. refert ad hunc modum: Misit deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege. Ac mox eiusdem operis, cap. sexto. Factum autem hic nihil aliud sonat, quàm subditum legi, quemadmodum dicitur factus pallidus qui expalluit, ne quis hic frustra philosophetur de creatura.

Redimeret.) ἐξαγοράσῃ. Quod ad uerbum sonat emercaretur, hoc est, dato precio asseret in libertatem, quod dicas licet eximeret.

Vt adoptionem.) Græcis unica dictio est ὑοθεσίαν. Quã interpres, quo plenius exprimeret, periphrasi reddidit, quod adoptio uideatur latius patere.

Quoniam autem estis filij dei.) Redundat dei, iuxta constantem Græcorum lectionẽ, nec admodum ad sensum facit, tantũ agit de conditione liberorũ, licet refragentur omnes Latini quos ego uiderim, excepto uetustissimo codice Donatiani.

In corda uestra.) ὑμῶν, id est, nostra, consentiente cũ Græcis utroq; codice Constantiensi, Ambrosio & Hieronymo. Quoniam autem præcessit, estis, lector parum attentus deprauauit scripturam. Et sicuti superius ostensum est ἀββὰ ὁ πατήρ, Abba pater, non est ἀναδίπλωσις iuxta Hieronymum, consentiente & Augustino, & ni fallor, Ambrosio, sed abba peregrinum est uerbum, Hebræis Syrisq; commune, id interpretatur adiecto uerbo Græco, qui mos peculiaris est scripturæ diuinæ, ut Bartimæus, filius Timæi, in euangelio: Aser, diuitiæ, Thabita, dorcas, in Actis: & in Genesi Mesech, uernaculus, aliaq; his consimilia.

Abba pater.

Iam non est seruus.) Es, secũdæ personæ, non tertiæ, εἶ. In nonnullis exemplaribus omnino non additur. Tantum est οὐκέτι δοῦλος, ut subaudias est, aut es, si mauis. Et interpres, iam, suum, nimis amat, aliâs gaudens, uel intempestiua uarietate οὐκέτι εἶ, id est, Nõ deinde es, non amplius es.

Et hæres per deum.) Et hæres dei per Christũ καὶ κληρονόμος θεοῦ διὰ χριστοῦ. Hieronymus legit, Et hæres per Christum, omissa mentione dei. Ambrosius & Augustinus legũt ut nostra habet æditio. Mihi magis probatur quod legit Hieronymus. Porrò dei uidetur additum ab interprete quopiam. Absolutius enim erat hæres, si nihil addas ut opponat seruo. Deniq; quod adiecit, per Christum, suo more fecit Paulus, qui sic omnia dei beneficia uult ad nos à patre proficisci, ut per Christum filium ad nos ueniant, uelut insitos Christo. Per quem adoptione & filij sumus & hæredes. Hoc loco plus habet Theophylactus sic legens, εἰδὲ υἱὸς, καὶ κληρονόμος, κληρονόμος μὲν θεοῦ, συγκληρονόμος δὲ χριστοῦ, id est, Quod si filius & hæres, hæres quidem dei, cohæres uero Christi. Quemadmodum autem legit ita & interpretatur. Verũ quod hic supereſt transscriptũ apparet ex cap. epistolæ ad Romanos viij.

Varia lectio.

Cum cognouerítis.) νῦν δὲ γνόντες, id est, Nunc autem posteaq; cognouistis deum.

Imò cogniti estis.) μᾶλλον δὲ, id est, Magis autem. Et ita legit Hieronymus. Quanquam magis, hoc loco correctionem habet uerius quàm comparationem.

Quibus denuo.) Pro denuo, Græcis est πάλιν ἄνωθεν, id est, Rursum ab initio. Et ἀναδίπλωσις ad uehementiam facit. Nos uertimus iterum ab integro.

Et tempora.) καιρούς, id est, Opportunitates. Neq; enim est χρόνους, Hæc autem ad festos Iudæorum dies pertinent, quibus hoc aut illud fas erat aut nefas.

Timeo ne.) φοβοῦμαι ὑμᾶς, id est, Timeo uos. Atq; ita legit Ambrosius, & item Augustinus, nec secus habetur in peruetustis exemplaribus. Verti poterat, Timeo de uobis.

Fratres obsecro uos.) δέομαι ὑμῶν, id est, Rogo uos. Hæc uult diuus Hieronymus ad superiora referri ad hunc modum: Fratres obsecro uos, fitis ut ego, quoniam ego ut uos, hoc est, abijcite superstitionem Iudaicam, quam uidetis abiecisse me. Aut proficite ad meã perfectionem, quandoquidem ego memetipsum ad uestram infirmitatem inclinaui. Nam ut, mauult Valla quàm sicut, non solum hic, uerum etiam in proximo loco.

Tentatio uestra & uestri.

Iam pridem.) Græcis est, prius πρότερον.

Tentationem uestram.) πειρασμόν μου, id est Tentationem meam siue mei, imò meam. ut intelligas

intelligas Paulum tentasse Galatas suo sermone humili & incondito. Quanquam sermo Græcus anceps, & Hieronymus uarie exponit. Nimirum tentatio Galatarum erat, quod homo humilis & malis humanis obnoxius, cum Christum crucifixum prædicaret, neque quicquam præterea magnificum, tamen immortalitatem polliceretur. Aut certe, laborauit illic aduersa ualetudine, & cum cernerent corpusculum morbis afflictum, tamen immortalitatem prædicanti crediderunt. Sunt enim qui putant Paulum crebro capitis dolore fuisse uexatum, atq; hunc ab eo uocatum stimulum satanæ. Siue, quod cernerent suum apostolū contumelijs oneratum, insectationibus agitatum, flagris cæsum, lapidibus obrutum. Poterant hæc illos ab admiratione illius alienare.

Vbi est ergo.) τίς οὖν ἦν, id est, Quæ ergo erat. Et ita legit Ambrosius. Cæterum beatitudo non est μακαριότης, sed μακαρισμὸς, quod magis sonat beatificationē, à uerbo μακαρίζειν, quod est beatum dicere, siue iudicare, id quod non obscure significat diuus Hieronymus his quidem uerbis, Quamuis, inquit, eo tempore, quo euangelium iuxta carnem susceperatis, beatos dicerem, quod in initijs feruebat, tamen nunc quia nō uideo ædificio culmen impositum, et penè nequicquam iacta fundamenta, cogor dicere, ubi est beatitudo uestra, qua uos beatos arbitrans ante laudabam? Itidem exponit & Theophylactus, nimirum de laude qua prædicabantur ab omnibus, quod essent φιλοδιδάσκαλοι. μακαρισμὸς. μακαριότης.

Aemulantur uos.) ζηλοῦσιν ὑμᾶς. Ea uox cum Græcis diuersos habeat usus, tamen hoc loco recte uerteretur, diligunt siue affectant, siue ambiunt, & zelotypia laborant erga uos, quod in fine subnotat & Hieronymus. Agit enim de quibusdam, qui sub prætextu amoris & studij erga Galatas, hoc agebant, ut illos pertraherent in seruitutem legis Mosaicæ.

Sed excludere uos.) Græce est ἐγκλεῖσαι. id est, Includere. Quanquam Græci codices hic uariant, cum in nonnullis sit ἐκκλεῖσαι concludere, legi inuoluere, excludere à libertate Christi. Theophylactus legit & interpretatur excludere ἐκβαλεῖν, Nam excluditur qui non admittitur & excluditur qui ejicitur. Vtinam hodie nulli sint apud Christianos in quos competat hæc Pauli querimonia. Excludere. Includere.

Vt illos æmulemini.) αὐτοὺς, ut se siue ut ipsos æmulemini.

Bonum autem æmulamini in bono.) καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ, id est, Bonum autem scilicet est, æmulari in bono semper. Bonum est alios imitari uelle, sed non in quauis re, uerū in re bona. Et ad hunc modum legit Augustinus: Bonum autem est, ait, æmulari in bono semper. Interpres legisse uidet καλὸν δὲ ζηλοῦσθε, ut extrema syllaba uerbi desinat in epsilon. Nec sono uocis distingui possunt Græcis æmulari & æmulamini. Quin & infinitum accipi poterat pro imperatiuo, ni additus esset articulus. Aliud autem declarat æmulari primo loco, quàm duobus sequentibus, in quibus tamen non est simpliciter imitari, sed imitari cum admiratione studioq; insequendi. Nam id est quod paulo post dicit apertius, Sed ut in carne uestra glorientur.

Cum præsens sum apud uos.) Tametsi consentiunt omnes, tamē sermo Græcus anceps est, qui & hunc sensum habere potest, μὴ μόνον ἐν τῷ παρεῖναί με πρὸς ὑμᾶς, non solum in hoc quod adsum apud uos, quia dixit ante ἐν τῷ καλῷ. Honestum enim semper sequendū est, etiamsi absit is qui tradidit. Innuit enim suam absentiam fuisse in causa, ut aliò elaberentur.

Vellem autem esse apud uos modo.) Modo, hoc loco pro nunc positum est ἄρτι. Nec est esse, sed παρεῖναι, id est, Adesse.

Quoniam confundor in uobis.) ἀποροῦμαι, id est, Perplexus sum siue indigus sum, sic enim explicat diuus Hieronymus. Quanquam apud Græcos ἀπορεῖσθαι, est aliquoties hærere, & inopem esse consilij. Sic erat affectus Paulus, ut nesciret, quid ageret cum Galatis, quos uidebat omninò tendere ad seruitutem legis, & hoc magnis apostolis, ut putabatur, eò uocantibus. Cæterum uulgus nullum facit discrimen inter confusionē, quæ græcis σύγχυσις dicitur, & pudorem siue erubescentiam quæ αἰσχύνη dicitur, siue ἐντροπὴ. Sed aliud est pudere & erubescere, aliud animo turbatum esse, ut nescias quid sit agendum. Etiamsi nonnunquam detorqueatur ad uehementem pudorem, qui turbare solet animum, & tenebras offundere, uelut apud Euripidem ὡς δ' ἄνολβον εἶχες ὄνομα σύγχυσίν π. Quanquam hic quoq; perplexus potest intelligi, magis quàm pudefactus. Nec erat quod hoc loco uerbū confundor mutaretur, nisi interpres aliàs libenter & frequēter usus esset eo pro erubescere. ἀποροῦσθαι.

alioqui belle explicabat Græcam uocem ἀποφοῦμαι.

Legem nō legistis.) Auditis, est Græce, ἀκόετε. Hieronymus legit audistis, nisi mendum subest. Nam arbitror fuisse scriptum auditis. Habet autem tropus suam gratiam, quasi lex ipsa loquatur, uetans ne posthac seruetur. Itaq; hoc ipso repugnabant legi, quod affectarent obseruare legem.

Per allegoriam dicta.) ἀλληγορούμενα, id est, Quæ per allegoriam dicuntur. Est autem allegoria, cum aliud dicitur, aliud significatur. Augustinus libro de trinitate xv. cap. ix. testatur se legisse, quæ sunt in allegoria. Et quoniam allegoria Græca uox sit, quosdam Latinos interpretes, Ita reddidisse, Quæ sunt aliud ex alio significantia.

Locus obscurus.

Vnum quidem in monte.) A monte est Græce ἀπὸ ὄρους. Et ita legunt et Hieronymus & Ambrosius. Neq; secus habebat codex Donatiani. In altero Cōstantiēsi nempe uetustiore manebat germana scriptura, in altero rasura testabatur operam deprauatoris. Quanquam locus hic multis modis deprauatus est. Porrò Græce sic habet, ἀπὸ ὄρους σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ. τὸ γὰρ Ἄγαρ σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συνοικεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ, δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, ἐλευθέρα ἐστίν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν, id est, A monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar. Nam Agar, Sina mons est in Arabia, cōfinis est autem ei quæ nunc est Hierusalem, seruit autem cum filijs suis. Porrò quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrum. Admonēt Græcorum scholia, cūq; his Theophylactus, montem Syna, Arabum lingua Agar appellari. Eundem autem esse montem, diuersis nominibus. Tametsi nihil huiusmodi meminit Hieronymus in huius epistolæ commentarijs. Augustinus & Ambrosius legunt, quod est Agar, non, quæ est. Tametsi utraque lectio sensum eundem exprimit, quod relatiuum nomen inter duo intercedens substantiua, cum utrouis solet congruere, præcessit enim testamenta, & sequitur nomen mulieris Agar. Nisi quod cum legimus quæ est Agar, amphibolon est, an quæ pertineat ad seruitutem. Etiamsi in hac lectione sensus ferè eódem recidit. Siquidem, est, hoc loco positum est pro significat, quod genus illud, Petra autem erat Christus, annotante Augustino locis aliquot. Perpusillum enim refert, utrum Agar typum habeat testamenti generantis in seruitutem legis, an ipsius seruitutis, quam habebat testamentum. Porrò illud generans, necesse ut ad testamentum referatur, quod significatum fuisse uult in typo Agar. Deinde quod sequitur, τὸ γὰρ Ἄγαρ, non ad ancillam, sed ad montem pertinet, quod uel ex ipso genere deprehenditur, quod mons apud Græcos neutri generis sit. Ambrosius uidetur Græcum genus reliquisse, cum ait: In seruitutem generans, quod est Agar. Cæterum quod addit, Quæ nunc est Hierusalem, huc pertinet, quod olim ea ciuitas alijs nominibus fuerit appellata, primum Iebus,, deinde Salem, deinde Hierusalem, uelut ex utrisque composito uocabulo, postremo Aelia.

Hierusalem multis dicta nominibus.

Lætare sterilis quæ non paris.) Testimonium adductum est, ex Esaiæ cap. liiij. Hebræa sic extulit Hieronymus: Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem & hinni quæ non parturiebas, quoniam plures filij desertæ, magis quàm eius quæ habet uirum. Verum iuxta Septuaginta legimus hunc in modum, εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδῖνουσα, ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου, μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα, id est, Lætare sterilis quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis, quia plures filij desertæ, magis quàm eius quæ habet uirum. Symmachus ita uertit: Lætare sterilis, quæ non peperisti, gaude in exultatione & hinni, quæ nō parturisti, plures enim filij dissipatæ, magis quàm eius quæ erat sub uiro. Ab hoc non discrepant, Theodotion & Aquila, præterquam in pauculis uerbis. Vnde palàm est in hoc loco Paulum usum uerbis Septuaginta, quod per omnia sensus cōcordet cum Hebraica ueritate.

Cum filio liberæ.) Hieronymus legit, Cum filio meo Isaac. Atq; ita sanè legitur Genesis cap. xxi. Ad eundem modum legit Ambrosius. Quo magis admiror unde hæc scriptura in nostros codices inuaserit. Ex interpretatione Theophylacti nō satis liquet quid legerit, nisi quod contextus cum nostra uulgata lectione consentit.

Qua libertate Christus.) Græca sic habent, τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν ἧ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, καὶ μή, id est, Libertate igitur, qua Christus nos liberauit state, &c. ut libertate ad sequentia pertineat, non ad superiora. Tametsi Hieronymus secus uertit, ac secus legunt Ambrosius & Augu-

& Augustinus, hinc nouum sermonis caput ordientes. State igitur &c. Mecum haud obscure facit Theophylactus, στήκετε uerbum etiam interiecto commentario separans ab ijs quæ sequuntur, Nec interpres hoc mutare potuit. Ad sensum haud magnopere refert. *Distinctio.*

EX CAPITE QVINTO.

Ontineri.) μὴ ἐνέχεσθε, id est, Obnoxij sitis, aut implicemini seu illaqueemini: Circumcidenti se.) περιτεμνομένῳ, id est, Qui circumciditur.

Euacuati estis à Christo.) κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ χριστοῦ. Hanc uocem interpres constanter ita uertit, cum significet aliquid aboleri & irritum ociosumq; fieri, ac uelut antiquari. Idem est cum eo quod paulo superius dixit, nihil Christus uobis proderit. Si addicitis uos legi Mosi, Christus uobis est antiquatus & ociosus. Hieronymus indicat hanc uocem καταργῶσι, nō recte uerti ab interprete, cum sit potius in opere cessare. ἀργὸς enim ociosus est, uelut ἄεργος. unde dictum est καταργεῖσθαι. *καταργεῖσθαι quid.*

Per dilectionem operans.) Rursum hic operans, non significat quod uulgus somniat, sed quæ uim suam occultam exerceat in nobis, quod proprium est spiritus. Sentitur enim uis, cum ipse nusquam appareat. Nam legem uult parum efficacem uideri, contra fidem efficacem. ἐνεργουμένη, quod agens rectius uerti poterat.

Quis uos fascinauit.) ἀνέκοψεν. Quod Hieronymus & Ambrosius uertunt, impediuit: Et glossa ordinaria indicat in Latinis codicibus fuisse duplicem lectionem, cum apud Græcos non sit nisi una. Certe in codice Donatiani scriptum comperi fascinauit. Ex hoc loco uidetur additum, Non credere ueritati, de quo superius admonuimus. & quod illic uertit nō credere, hic uertit non obedire. Imò Hieronymus, hic admonet totum hoc, non obedire ueritati, non inueniri in uetustis codicibus. etiamsi Græci codices hoc errore sunt cōfusi. Nec ad sensum facit addita particula. Sensus enim plenus erat, Bene currebatis, quis interrupit cursum uestrum.

Nemini consenseritis.) Et hanc particulam uelut adiecticiam, præterit Hieronymus, cum nec in Græcis reperiatur codicibus, nec apud ullum illorum qui commentaria scripserint in Paulum. Etiamsi Theophylacti interpres in cōtextu de suo addidit, cum nec sit apud Græcos, nec in interpretatione fiat ulla mentio. Certe in codice Donatiani non addebatur, nec in utroq; Constantiensi. Et tamen propemodum addiuinare licet Ambrosium hanc particulam addidisse, non addidisse autem superiorem, Non credere ueritati, sic enim explanat: Exercitium illorum in opere fidei bonum fuisse testatur, sed nequitia malorum hominum detentos, ne cursum suum officio perseuerante consummarent. unde ut resipiscant hortat, de cætero nulli eorum credentes, qui ut opera legis seruanda suaderent, euangelicæ ueritati non eos obedire sinebant. Certe in contextu nō additur apud Ambrosium hæc particula: Nemini consenseritis, ne apud Augustinum quidem. *Superest apud nos.*

Persuasio hæc non est &c.) Græcis nec est hæc, nec uestra, sed duntaxat ἡ πεισμονὴ, id est, Persuasio. Quanquam sensus non admodum pugnat, nisi quod hic significat persuasionē non obtemperantium, sed persuadentium, ut referatur ad superiorem interrogationem, Quis uos impediuit bene currentes? Nempe quorundam persuasio auocantium uos ad Mosaicas ceremonias, quæ persuasio non est profecta à Christo, qui aliò uos uocauit, nempe ad spiritualia. *Persuasio. cætera supsunt.*

Totam massam corrumpit.) ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, id est, Totam consperſionem fermentat, sic enim uertit diuus Hieronymus in commentarijs, palàm damnans ac reijciens uerbum massæ. Nec tamen reddit causam, cur reijciat, nec abstinet ab usu uocis damnatæ, in interpretatione. Neq; tamen negari potest, massam esse uocem Latinam, etiamsi cōsperſio in hoc sensu reperitur apud Columellam, & magis exprimit uocem Græcam φύραμα. Vel hic locus arguit hanc translationem non esse Hieronymi, quæ dictionem habet, quam ille testatur à se correctam fuisse. Pro corrumpit Hieronymus legit fermentat. Est enim Græce ζυμοῖ. Siquidem non protinus corrumpitur, quod afficitur fermento.

Nihil aliud sapietis.) φρονήσετε. Melius Ambrosius, qui legit sentietis, hoc est, non eritis in alia sententia, & non cogitabitis de nouando uitæ instituto. Nam id est, nihil aliud, nihil diuersum, nihil nouum. Quemadmodum dicimus aliud ab illo.

Quicunq; est ille.) ὅς τις ἀμήν, id est, Quicunq; fuerit, siue sit. Atq; ita legit diuus Ambros.

Ergo euacuatum est scandalum.) ἄρα κατήργηται, id est, Ergo cessauit. ut non ineleganter exponit diuus Hieronymus, quod uulgo uocant cassatum. Admonet autem & hic Græcam uocem rectius exprimere Pauli mentem quàm Latinam. Cassatur enim quod desijt habere uigorem.

Sẽsus triplex.

Vtinam abscindantur.) Vtinam & abscindantur, addita copula καὶ ἀποκόπτονται, id est, Amputentur etiam siue resecentur. Est nonnihil emphaseos in coniunctione, non solum iu dicentur, sed etiam anathema fiant, penitus resecti à uestro consortio. Aut qui uos uolunt circumcidi, ipsi prorsus execentur, ut Paulus imprecetur exectionem totius membri, qui docerent circumcisionem. Attingit hunc sensum Ambrosius & item Theophylactus, sed alter mihi uidetur apostolica grauitate dignior. Augustinus ex maledictione facit benedictionem, sic interpretans: Quasi Paulus precetur pseudapostolis, non ut circumcidantur, sed abscindantur, hoc est, spadones fiant propter regnum cœlorum, sic enim futurũ, ut desinant prædicare Iudaicam circumcisionem. Hoc commentum maluit amplecti, quàm tribuere Paulo imprecationem.

Augustini coactus.

Qui uos conturbant.) οἱ ἀνασαλεύοντες, id est, Qui uos à statu dimouent. Vnde Ambrosius legit, Hi qui uos subuertunt. Nos uertimus, qui uos labefactant. Respexit enim ad id quod dixerat stare. Labefactatur autem quod à statu suo dimouetur. Annotat uocis huius emphasim diligenter Theophylactus.

In occasionem detis carnis.) Detis, uerbum apud Græcos non habetur. Et carni, dandi casu profertur, non carnis, paterno. Et subaudiendum est detis, ut admonet diuus Hieronymus, aut aliud accommodatius. Apparet Vallam accusatiuum libertatem referre, ad uerbum quod sequitur seruiatis, quasi dicas, ne seruiatis libertatem uestram carni. Verum id præterquam quod ab omnium sententia dissidet, duriusculum est & coactius. Theophylactus subaudiendum putat ἔχωμεν, id est, habeamus. Certe ut modo dixi, testatur Hieronymus, uerbum detis additum ab interprete, non positum à Paulo. Et nescio quid gratiæ peculiaris habet hæc aposiopesis, in deterrendis ijs quos nolis offendere.

Additum aliquid.

Aposiopesis.

Sed per charitatem spiritus.) Spiritus in Græcis codicibus non habetur, nec in Hieronymo, nec in Augustino, tantum apud Ambrosium legere memini, qui sic etiam interpretat, ut sit quod opponat carni.

Diliges proximum tuum.) Græci habent ἐμ τὸν πλησίον ἀγαπήσεις. i. Nẽpe in hoc, Diliges proximum &c. unde & nos ita uertimus. Admonet Augustinus multis uerbis hic de dei dilectione fieri, quod ea fingi possit, dilectio proximi facilius queat conuinci. Et consequitur, ut qui proximum dure tractat, is nec deum amet. Subindicat idem, licet obscurius Ambrosius. Hoc admonendum putaui, ne quis de suo adijciat uelut omissum, quod à Paulo non est additum.

Dilectio proximi.

Mordetis & comeditis.) Pro comeditis, Ambrosius legit criminatis, si modo codex mendo uacat. Haud scio an exemplar illius habuerit διαβάλλετε, id est, Calumniamini.

Dico autem in Christo.) In Christo, non additum est apud Græcos, nec apud Hieronymum, nec apud Ambrosium, ne in uetustissimo quidem exemplari Paulino, suffragabatur uterque codex ecclesiæ Constantiensis, tantum est, Dico autem, spiritu ambulate. Sic enim indicat quorsum tendat totus hic sermo.

Et desideria.) Desiderium est Græce ἐπιθυμίαν. Ambrosius legit concupiscentiam carnis non perficietis, tametsi id nihil ad sententiam.

Hæc enim sibi inuicem.) Apud Græcos pro enim est δέ, autem, ταῦτα δέ, hæc autẽ, Quam quam id quidem ad sensum haud magni refert.

Quæ sunt,) In plerisq; huiusmodi recensendis, Latina nonnihil à Græcis discrepant, librariorum opinor obliuione. Hæc Græcis sic habent, μοιχεία, πορνεία, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, εἰδωλολατρεία, φαρμακεία, ἔχθραι, ἔριδες, ζῆλοι, θυμοί, ἐριθεῖαι, διχοστασίαι, αἱρέσεις, φθόνοι, φόνοι, μέθαι, κῶμοι, id est, Adulteriũ, scortatio, immundicia, lasciuia, idolorum cultus, ueneficium, simultates, lis, æmulationes, iræ, cõtentiones, factiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes. Diuus Hieronymus sic legit: Quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses

In Catalogis crebro erratur.

hæreſes,inuidiæ,ebrietates,comeſſationes.Ambroſius legit ad hunc modum:Adulterium, fornicatio,impuritas,obſcœnitas,idololatria,ueneficium,inimicitiæ,contentiones,ſimulationes,iræ,ſimultates,diſſenſiones,hæreſes,inuidiæ,ebrietates,comeſſationes.De quorum ſingulis, ſi quis uolet plenius edoceri, legat diui Hieronymi in hunc locum commentaria. Illud iam admonuimus in epiſtolam ad Romanos,in φθόνοι & φόνοι, iucũdam eſſe uocum alluſiõnem,quam interpres ne potuit quidem reddere. Nec ſua gratia caret aſyndeton, & homœoptota.

Nõ conſequentur.) οὐ κληρονομήσουσιν.pro quo Hieronymus, poſſidebunt.Et expreſſius Ambroſius: Regni dei hæreditatem non conſequentur.

Patientia.) μακροθυμία,id eſt, Longanimitas,ſeu lenitas animi.quod iſte ſuo more ferè uertit patientiam,quæ frequentius corporis quàm animi dicitur. Etiamſi diuus Hieronymus putat nihil intereſſe. Ambroſius uertit lenitatem. Et hic catalogus, fructuum ſpiritus apud Græcos ſic habet,ἀγάπη,χαρὰ,εἰρήνη,μακροθυμία,χρηστότης, ἀγαθωσύνη,πίστις,πραότης,ἐγκράτεια,id eſt, Charitas, gaudium,pax,lenitas animi,benignitas,bonitas,fides,manſuetudo, temperantia.Diuus Hieronymus aduerſus Iouinianum ſic legit, Charitas,gaudium,pax, longanimitas,benignitas,bonitas,fides,manſuetudo,continentia. Ambroſius ad hunc legit modum,Charitas, gaudium,pax longanimitas,benignitas,ſpes,lenitas,continẽtia,caſtitas,bonitas &c.Proinde non admodum probandam reor,quorundam anxiam diligentiam; qui in huiuſmodi catalogis ſolent de numero laborare, & in diſtinguendis ſingulis ſuperſtitioſe torqueri, cum probabile ſit Paulum congeriem quandam malorum & bonorum produxiſſe,quæ ferè cõſequi ſolent,no quod hæc ſola ſint,ſed quod in his ſit ſumma.

Nõ anxie numeranda quæ recenſentur.

Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam.) Hoc loco Origenes omiſſa una cõiunctione δὲ, totam uariat ſententiam,legens ad hunc modum,κατὰ τὸν τοιοῦτον, οὐκ ἔστι νόμος, οἱ τὸν χριστὸν τοῦ σάρκα ἐσταυρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι,καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις.i.Aduerſus huiuſmodi nõ eſt lex, qui Chriſti carnem crucifixerunt cum uitijs & concupiſcentijs. ut intelligas, non eos eſſe Chriſti,qui carnem ſuam crucifixerunt,ſed aduerſus eos non eſſe legem, qui Chriſti carnẽ in ſe crucifixerunt cum uitijs &c. Nam Chriſti carnem cum laude crucifigi in pijs hominibus, in quibus domiti ſunt carnis affectus, ſed male recrucifigi, quod Græci dicunt ἀνασταυροῦσθαι ab ijs qui redeunt ad priſtinam uitam,poſt Chriſtum ſemel acceptum. Verũ exemplaria Græca refragantur huic lectioni,etiamſi Hieronymo probatur Origenis ſententia. Ambroſius legiſſe uidetur ad hunc modum, οἱ δὲ χριστοὶ &c.ut Chriſti nominandi caſu ſit, numero multitudinis,non paterni.Addit enim eos uocari chriſtos,id eſt unctos,qui Chriſto deuoti ſint.

Origenis diuerſa lectio.

Cum uitijs & concupiſcentijs.) παθήματα.id eſt, Paſſiones, ſiue ut legit Auguſtinus, affectus. Aduerſus Manichæos de Geneſi, pro affectus ponit perturbationes. In epiſtola xxxix.legit,Cum paſſionibus & deſideriſs.Quanquam omnis cruciatus aut morbus, etiã corporis poteſt uocari πάθημα,& idcirco addidit,ἐπιθυμίαις, quod proprium eſt animi cupiditatibus,quemadmodum indicauit & Hieronymus.

EX CAPITE SEXTO.

Spiritu ambulemus.) καὶ στοιχῶμεν,quod Valla corrigit,contenti ſimus, uerũ hoc magis ad ſententiam Pauli facit,quàm ad uocem Græcam, στοιχῶμεν, quæ ſignificat ordine ſuo incedere, ut intelligas, contineamus nos intra ſpiritum, nec reſpiciamus legem. Actio motus quidam eſt uelut animantis. At motus ab eodem proficiſcitur unde uita,quod ſi uita nobis contigit è ſpiritu euangelico,non ex lege,ſecundum eundem agamus. Neq; uideo quid Vallam mouerit, niſi forte legit στέγωμεν προστοιχῶμεν. Etiamſi non me dam eſt ad Vallæ ſentẽtiam interpretari Theophylactum,στοιχῶμεν ἀντὶ τοῦ ἀρκεθῶμεν. Diuus Auguſtinus legit, Spiritu uiuimus,ſpiritu & ſectemur,neq; ſecus interpretatur quàm legit.Ad quem modum qui uertit,aut legit, aut certe ſomniauit στοχῶμεν.unde στοχάζω.quod ſignificat ad ſcopũ oculum intendere. Cæterũ hoc uerbũ στοιχῶ apud Græcos πολύσημον eſt,ſed tamen ab ordine directoq; curſu ductum, unde & στίχοι uerſus,& στοιχεῖα elementa ſiue literæ,ab eodem uenit στοχάζω.

Varia lectio.

Inanis gloriæ cupidi.) Græcis una dictio eſt κενόδοξοι,id eſt,Inaniter glorioſi &c.aut ut legit Ambroſius,Inanem gloriam ſectantes.

Si præoc/

Si præoccupatus.) προληφθῇ, id est, Occupatus, hoc est, præuentus antequàm potuerit ca uere. Quibus uerbis excludit omnino destinatam maliciam, & peccandi uoluntatem.

Huiusmodi instruite.) καταρτίζετε, id est, Instaurate, reficite, siue sarcite. Suspicor interpre tem uertisse instaurate, id scribam uertisse in instruite. Hieronymus enarrans cap. Ezech. xvi. refert, perficite huiuscemodi. Ambrosius legit humiliate, si tamen scriptura mendo ua/ cat, quæ mihi prorsus suspecta est. Nam ex illius interpretatione non potest percipi quid le gerit, aut si quid potest, legit emendate, cum ait, Cum mansuetudine prouocandi sunt ad reformandos se. Quod admonet hic Paulus ac sacri doctores, nos parum meminimus. Si quid emendandũ extiterit, tanto supercilio, tanta sæuitia protinus intonamus. Ea res mul/ tos egregios uiros, à communione ecclesiæ abalienauit, quod aperte de Tertulliano pro/ didit Hieronymus.

Mutatus nu/ merus.

Considerans teipsum.) Mire mutauit repẽte numerum, σκοπῶν σεαυτὸν, magis ad sensum respiciens, quàm ad uerborum ordinem. Et ex hoc loco diuus Hieronymus colligit uere di ctum à Paulo, nõ tantum modestiæ causa, quod imperitus esset sermone. At mihi uidetur non abs re mutasse subito numerũ, quod singularis numerus magis esset idoneus ad com/ pellandam uniuscuiusq; conscientiam. Porro durius erat dicere omnibus considerate uos/ ipsos, ne & uos tentemini. Et mira cautione semper hoc agit Paulus, ne quid offendat eos, quos studet corrigere. Admonet autem Theophylactus additum σύ, ut eos commonefa/ ceret humanæ fragilitatis. Siquidem hoc dictum non solum pertinet ad Galatas, sed pecu/ liariter unumquemq; mortalem appellat. Et hanc ob causam mutatus est numerus, quod & aliâs à Paulo factum indicauimus.

Paulus Grece imperitus.

Alter alterius onera.) ἀλλήλων τὰ βάρη βασάζετε. Latinius reddidit Ambrosius, atq; itẽ Au gustinus, sermone de uerbis domini uigesimoprimo. Inuicem onera uestra portate, citante ad eundem modum & aliâs utroq;. Verti poterat & ad hunc modum: Alij uicissim aliorũ onera baiulate. Nam alter alterius, de duobus dicitur Latinius.

Et sic adimplebitis.) καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε, id est, Et sic adimplete. Interpres legit ἀναπλη ρώσετε, nec magnopere refert ad sensum. Rursum redijt ad numerũ multitudinis. Quanquã Græca uox magis sonat readimplete, hoc est, denuo adimplete, quasi dicat, quod alterius de licto diminutum fuit in legis obseruatione, id aliorum sarciat charitas.

Si quis se existimet.) Græce paulo secus habet, εἰ γὰρ δοκεῖ τις εἶναί τι, id est, Si enim uide/ tur aliquis esse aliquid, ut subaudias sibi. Et uerbum seducit, apud Græcos composita uox

φρεναπατᾷ est φρεναπατᾷ, id est, Mentem seducit, & mentem suam decipit, ut exponit diuus Hierony/ mus. Est autem pernicios issimum fallendi genus, ubi quis imponit sibi. Augustinus libro de singularitate clericorum, cap. secundo, legit, Seipsum implanat, ac ueluti Græcam inter/ pretans uocem subijcit, Sed implanator certe proprius, suam animã decipit. Planus apud Latinos inuenitur pro impostore, an reperiatur implanare, nescio.

Et sic in semetipso.) Καὶ τότε, id est, Et tunc, ut legit Ambrosius. Nec additur Tantũ apud Græcos plerosq;. licet in nonnullis addat μόνον. Præterea quod Græcis est, εἰς σεαυτὸν, id est, In seipsum, mox item, Καὶ οὐκ εἰς τὸν ἕτερον. i. Et non in aliũ, fortassis rectius transtulisset, apud seipsum, & non apud alium. Quanquam haud me fugit huius præpositionis ancipitem esse naturam.

Vnusquisq; onus suum portabit.) φορτίον. Quod Ambrosius legit sarcinam. Et Portabit est βασάσει, quod est baiulorum proprie.

Communicare uerbo.

Communicet autem qui.) Græce non est uerbo, sed uerbum accusandi casu, τὸν λόγον, quanquam accipi potest per synecdochen, ut subaudias κατὰ præpositionem. Aut ita dixit ca techizatur uerbum, sicut nos dicimus, docetur grammaticam. Ambrosius Græcam uocem expressit ad hunc modum, ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον, hoc est, Qui uerbum dei audiens est. Nam catechizare est tradere mysteria religionis Christianæ. Illud autem, In omnibus bo/ nis, ad Communicet referendũ est, non ad catechizat. Marcion, ut indicat Hieronymus, ac cusatiuum λόγον, refert ad uerbum communicet, intelligens fideles & catechumenos simul orare debere, & magistrum in oratione communicare cum discipulis, illo uel maxime ela/ tus, quod sequatur In omnibus bonis. Atqui si de oratione fuit sermo, nõ debebat præcipi ei qui catechizatur, sed qui catechizat, hoc est, non discipulo, sed magistro. Quanq; ea quæ

consequuntur.

consequuntur,hanc refellunt interpretationem,Quæ seminauerit homo,hæc & metet.Hic uero Laurentius Valla nonnihil stomachatur, quod interpres Græcam uocem reliquerit, cum alibi uertat.atq; ita uertendum putat,Communicet autem qui docetur uerbum, cum eo qui ipsum docet in omnibus bonis.Illud addã de meo, posse λόγον hoc loco accipi pro ratione,ut intelligamus Paulum admonere,ut ratio dati & accepti constet inter eum qui religionem tradidit,& eum qui accepit, sed ita demũ,si qui tradidit, syncere tradidit:alioqui iniquam fore permutationem,si pro perperã tradita religionis doctrina,reponatur beneficium. Atq; adeo addidit In omnibus bonis,repetens quod superius dixit,Bonum est æmulari in bono semper. Aduersus illos autẽ qui ad gloriam & quæstũ insyncere tradebãt Christum,obiecit quod sequitur,Deus non irridetur.Id sensisse uidetur Ambrosius, asscribens, In malis dissentiendũ ab illis,ut magis lex nobis dux sit q̃ homo. Theophylactus interpretatur de munificentia catechumenorũ in catechistas,& huic consentiens Hieronymus.

Non irridetur.) οὐ μυκτηρίζεται. Quod proprie est scommate ridere, & subsannare,nasoq; suspendere. Siquidem Græci μυκτῆρα nasum uocant.

Quæ enim seminauerit.) Græcis est singulari numero.Quod enim seminauerit homo, hoc & metet. Itaq; legit Ambrosius,& item diuus Augustinus.

In carne.)Græce est, εἰς σάρκα, id est,In carnem.quemadmodum mox,εἰς τὸ πνεῦμα,id est, In spiritum.tametsi præpositio εἰς uarie usurpatur.

Metet corruptionem.) θερίσει φθορὰν,id est,Metet corruptelam, hoc est, periturum fructum.nam huic opponit uitam æternam.Caro mortalis,fructus habet item mortales. Spiritus æternus fructus habet immortales. Siquidem aliâs quoq; ἄφθαρτον transfert Immortalem,& ἀφθαρσίαν immortalitatem.

Deficiamus & deficientes.) Apud Græcos diuersa sunt uerba.Nam deficiamus est,ἐκκακῶμεν, deficiẽtes,ἐκλυόμενοι,id est,Defatigati.Ambrosius legit,infatigabiles,ut tẽpus quoq; participij redderet. Tertullianus pro ne deficiamus legit,ne tedeat.

Ad omnes.) Cur non potius,Erga omnes?

Qualibus literis.) πηλίκοις,id est,Qualibus.sed ita ut magnitudinem & admirationem significet.Hic magis ad affectum Pauli refertur,cui hæc res adeo fuerit cordi,ut non grauatus sit suapte manu super ea scribere.Diuus Hieronymus putat reliquam epistolam aliena manu scriptam fuisse,Paulum autem,ut omnem excluderet suspicionem suppositiciarum literarum,reliquum epistolæ suapte manu scripsisse.At cur non potius,ut cum Hieronymi pace dixerim,uel ex hoc loco cõijcimus totam hanc epistolam Pauli digitis exaratã fuisse? Fatetur Hieronymus uocem Græcam πηλίκοις,magnitudinẽ significare potius quàm qualitatem.Quod idem in psalmos notauit Hilarius,Origenem opinor sequutus,Nam Græca uox magnitudinem sonat,Latina non item. Tametsi diuus Hilarius magnitudinem refert non ad formas elementorum,sed sublimitatem sensuum,quod mihi sanè uidetur coactius. Porrò diuus Hieronymus laborat ut explicet,quomodo grandes sint hæ literæ,quasi illud senserit Paulus,hanc epistolam grandibus literarum figuris scriptam fuisse. Imò Græci literas numero multitudinis & unam uocant epistolam,quemadmodum & nos. Igitur Apostolus ut ostenderet,quantopere sibi hæc res esset cordi, Videtis, inquit, quàm grandem epistolam,mea ipsius manu scripsi, iam enim finierat epistolam. Nam in cæteris solet duntaxat subscribere,Mea manu Pauli. Nec est quod quenquã offendat datiuus γράμμασι, nõ γράμματα. Vt enim loquimur multis & multa, ita scribimus paucis & pauca. Mecum facit Ambrosius qui ex hoc loco colligit hanc epistolã esse holographam.Et tamen miror quare idem pro Videte siue uidetis,legat Scitote, nisi forte scriptum habebat εἴδετε. Augustinus legit, Vidistis,qualibus literis uobis scripsi, quasi Paulus manus agnitæ admoneat, ne per alios fictis epistolis decipiantur. Theophylactus fatetur ex hoc loco colligi hanc epistolã, Pauli manu scriptam fuisse. Cæterũ quod dixit Qualibus, non pertinere ad magnitudinẽ literarũ,sed ad deformitatem,quod Paulum uideri uelit imperitum scribendi, & tamen nõ grauatum utcunq; totam epistolam sua manu describere.

Excussa Hieronymi opinio.

Volunt placere in carne.) εὐπροσωπῆσαι, hoc est, Iuxta faciem placere. Nam hinc Græca uox composita est,& hoc in carne.

Tantum ut persequutionem crucis non.) Græce sic habet,μόνον ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ χριστοῦ διώκωνται

διώκωνται, id est, Ne cruce Christi persequantur. ut persequantur, passiue accipias, hoc est, Ne crux Christi adducat illis persequutionem. Apud Ambrosium nō additur Tantū, etiamsi additur apud Augustinum. Supplendum est aliquid, quo sermo reddatur absolutus. Tantum hoc agunt, ut fugiant inuidiam crucis Christi.

Legem custodiunt.) Ipsi, deest, αὐτοί, quod addit & Ambrosius. Hieronymus legit, Hi, quasi Græce legerit οὗτοι.

Absit gloriari.) Absit ut glorier, siue ne contingat gloriari.

Et quicunq; hanc regulam sequuti fuerint.) καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι. Idem uerbū quod superius uertit Ambulemus, στοιχῶμεν, hoc est, Quicunq; ad hanc incedent regulam.

Et super Israel dei.) τὸν Ἰσραὴλ, ut intelligas uirum aut populum. Et addit dei, propter synagogam satanæ.

De cætero.) τοῦ λοιποῦ. Non est τὸ λοιπὸν, quod aliâs uertit supereſt, aut quod reliquum est. Siquidem hic magis loqui uidetur de quæstionibus quàm de tempore, ut subaudias περὶ, τοῦ λοιποῦ. Tradidi quicquid erat tradendum, hoc firmum esse uolo, nec patiar rursus in dubium uocari.

Nemo mihi molestus sit.) κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω, id est, Labores mihi nullus exhibeat. Et ad hunc modum uertit & exponit diuus Hieronymus. Augustinus legit, Nemo laborē mihi præstet, haud tamen dissimulans in plerisq; codicibus haberi scriptum, Nemo mihi molestus sit, libro de prædestinatione sanctorum, in ipso statim initio.

Stigmata.) Græca uox est, significat autem notam impressam. Solent autem serui notari à dominis, ne quis alienus illos pro suis posset asserere. Sentit igitur se certas habere notas, quod sit seruus Iesu Christi, pro quo tam multa passus fuerat. Toties cæsus uirgis, toties lapidatus, toties obiectus bestijs, toties coniectus in uincula: ex his omnibus sibi parat auctoritatem aduersus pseudapostolos. Illi gloriabantur in cicatricibus circuncisorum, Paulus in suo corpore circumferebat notas crucis Christi. Tali igitur doctori potius credendum, q; delicatis magis, qui in alieno uulnere gloriantur.

ANNOTATIONVM IN EPIST. AD GALATAS, FINIS.

IN EPISTOLAM PAVLI AD EPHESIOS ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI.

EX CAPITE PRIMO.

Sermo pertur batissimus huius epistolæ.

IDEM in hac epistola Pauli feruor, eadem profunditas, idem omnino spiritus ac pectus. uerū non alibi sermo hyperbatis, anapodotis, alijsq; incommoditatibus molestior, siue id interpretis fuit, quo fuit usus in hac, siue sensuū sublimitatē, sermonis facultas nō est assequuta. Certe stilus tantū dissonat à cæteris Pauli epistolis, ut alterius uideri possit, nisi pectus atq; indoles Paulinæ mentis hanc prorsus illi uindicaret.

Gratia uobis & pax.) Hieronymus admonet gratiā & pacem pariter referri ad utrunq;, patrem uidelicet & filium, posse tamen sic accipi, ut gratia referatur ad patrē, pax ad filium, ut gratia patris intelligatur in eo, quod filium pro salute nostra dignatus est mittere. Pax autem filij in eo, quod per ipsum patri reconciliati sumus. Huius cogitationis occasionem præbuit Hieronymo, quod inibi mox sequitur, In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto. Certū est eum hunc sermonem ad patrē pertinere.

Qui sunt Ephesi.) τοῖς οὖσιν ἐφέσῳ. Quod potest & in secunda legi persona, Qui estis Ephesi.

Ephesi. Est autem Ephesus metropolis Asiæ, quæ proprie minor dicitur.

Benedictus deus.) Bifariam potest distingui, Benedictus deus, ut hactenus sit diastole, deinde separatim adijciatur, Et pater domini nostri Iesu Christi. Aut coniunctim, Deus & pater domini nostri Iesu Christi. Pater, quia genuit. Deus Iesu, secundum assumptum hominem. Id annotauit Hieronymus.

In cœlestibus in Christo.) ἐν τοῖς ἐπουρανίοις χριστῷ, id est, In cœlestibus, siue supercœlestibus Christo: ut sit Christo datiui casus. Ambrosius omittit hanc particulam, In Christo. Hieronymus legit In Christo. Si legis, Benedixit nos Christo, sensus erit, Benedixit nos in gloriam Christi. Si In Christo, sensus erit, Per fidem Christi conferri nobis hanc benedictionem. Atq; in hunc sensum interpretatur Theophylactus, quem nuper Athanasium falsò fecerunt. Nam is legit ἐν χριστῷ Ἰησοῦ.

Ante constitutionem.) πρὸ καταβολῆς. Quæ uox ita sonat, quasi dicas, Ante iacta fundamenta mundi. Sic admonet & diuus Hieronymus, idq; uerbis compluribus. καταβολή.

Et immaculati.) ἀμώμους. Quod magis inculpatos, siue irreprehensibiles, quàm immaculatos significat. Momos enim Græcis reprehensio est, siue deus reprehensionis.

In charitate.) Hæc uerba referri possunt ad superiora, ut intelligas nos inculpatos esse, & electos in charitate: uel ad ea quæ sequũtur, ut accipias nos prædestinatos in charitate. Quanq; Græci codices annectunt hæc superioribus. Et hoc annotauit Hieronymus.

Qui prædestinauit nos.) προορίσας. Hieronymus & Ambrosius legũt, In charitate prædestinãs nos. Verũ illud Prædestinãs apud Græcos præteriti tẽporis est, q̃si si genus uerbi mutari poterat, dixisset Prædestinatos, siue præfinitos. Atq; hoc sanè loco uere uerbũ est prædestinãdi, de quo in epistola ad Romanos nõnihil attigimus. Diuus Hieronymus hoc putat interesse inter ὁρίζειν, & προορίζειν, quod prius illud tribuat ijs quæ nũq; non fuerint, hoc posterius ijs, quæ cũ aliquando nõ fuerint, deinde cœperint esse: de quibus si qd decretũ aut cogitatũ fuerit priusq; essent, prædestinatio est. Rursum si quid de dño Iesu Christo, qui nunq; nõ fuit cũ patre, nec unq; eũ ut esset uolũtas paterna præcessit, destinatio est. Vnde in epistola ad Romanos de filio dei loquẽs, ὁρισθέντος dixit, nõ προορισθέντος. ὁρίζειν. προορίζειν.

In adoptionẽ filiorũ.) Græcis una uox, υἱοθεσίαν. qua significant eam adoptionẽ, qua quis in filij locũ adoptat̃: ut superius admonuimus. Nã & nepotes ac neptes adoptãtur.

In ipsum.) εἰς αὐτὸν, id est, In sese, ut ad patrem fiat reciprocatio: quanq; potest & ad Christum referri, sed coactius. Nam per adoptionem efficimur fratres Iesu Christi, non filij, iuxta mystici sermonis proprietatem, sed filij dei patris, uelut insiti corpori Christi, & unum cum illo effecti.

Secundum propositum.) κατὰ τὴν εὐδοκίαν, id est, Secundum placitum, aut potius secundum beneplacitum. Hieronymus putat uocem esse nouam, & à Septuaginta fictam, quo possent explicare quod est apud Hebræos רְצוֹן Rason. Porrò εὐδοκίαν proprie dici, ubi quid non solum placuit, sed etiam recte placuit. Nam placent, & quæ non recte placent. Ambrosius legit, Secundum placitum uoluntatis. εὐδοκία

In laudem gloriæ gratiæ suæ.) Quidam codices perperam addunt cõiunctionẽ, Gloriæ & gratiæ suæ, quum sit δόξης τῆ χάριτος αὐτου, id est, Gloriæ gratiæ suæ, ut intelligas laudari gloriam gratiæ diuinæ. Atq; ita sanè legit Hieronymus. Ambrosius legit, In laudem claritatis suæ: omissa mentione gratiæ, Nam pro δόξα reddidit claritatis, & tamen in enarrando meminit gratiæ. δόξαν uertere solet maiestatem, ac potentiæ magis conuenit maiestas, hic eam tribuit gratiæ. Mirabilior enim deus apparuit in redimendo homine q̃ in creando. Nusq; apostolus hic non extollit gratiam, extenuans operum humanorum fiduciam. Nunc sunt qui peccent in utrãq; partem. Medio tutissima uia est. Quod si deflectendum est, tutius est deflectere in partem gratiæ, qua glorificatur Christus, q̃ operum nostrorum, qua glorificantur homines.

In qua gratificauit.) ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν. Et gratificauit hic sonat, gratos siue charos reddidit, ἐχαρίτωσεν: unde participium est, κεχαριτωμένη μαρία. Quod si illic uertendũ erat gratia plena, hic uertere debuerat, gratia impleuit. Nam gratificare uox est Latinis auribus insolens, gratificari est in gratiam alterius aliquid facere.

In dilecto filio suo.) Filio suo apud Græcos & apud Hieronymum non adduntur, ἐν τῷ

τῷ ἠγαπημένῳ, id est,In eo qui dilectus est: neq; enim hic est ἀγαπητός. Ambrosius legit,ut uulgata habet æditio,& omnino sentit de filio. Verum eum maluit signare nomine dilecti,ut intelligeres nos amari à deo,non ex nostris meritis,sed ob amorem,quo filiũ prosequit pater,cui nos fratres esse uoluit.Annotauit hoc diligẽter Hieronymus nõ esse dictum,dilecto filio,Quid enim magni,si pater diligit filium? neq; dilecto pro omnibus,sed absolute dilecto in omnibus ac præ omnibus,& sine quo nemo diligitur cæterorum.

In,supereſt. In remissionem peccatorum.) In,præpositio,nec est apud Græcos,nec apud Ambrosium,nec apud Hieronymum,sed oportet annectere casum accusatiuum per appositionẽ exponentem.Exponens enim quæ sit illa redemptio,subiecit Remissionem peccatorum. Nam hæc seruitus,unde redemit nos Christus.Suffragabatur hic uterq; codex Cõstantiensis. In nobis.) εἰς ὑμᾶς, id est, In nos.

In omni sapientia & prudentia.) Hæc uel ad superiora possunt referri, uel ad sequentia:ut sit sensus,Quam affatim effudit in nos in omni sapientia & prudentia,siue notũ faciens nobis mysterium in omni sapientia & prudentia. Hieronymus posteriorem hanc distinctionem sequitur.

Vt notum faceret.) γνωρίσας ἡμῖν, id est,Patefacto siue notificato nobis mysterio. Interpres & Ambrosius,opinor,legit, γνωρίσαι. Hieronymus legit,Notum faciens,ut intelligas participium esse.Quanquàm est præteriti temporis.Quod dicam,etiamsi non admodum pertinet ad sensum,tamen haud est meo iudicio negligendum.Videtur mihi cæteri parum animaduertisse,quod legitur in Græcorum codicibus:habent enim ad hunc modum, ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει,γνωρίσας ἡμῖν.Verbũ ἐπερίσσευσεν hoc loco positum est transitiue,hoc est,Exuberare fecit:alioqui participium γνωρίσας nõ habet unde pendeat. Verti poterat in hunc modum,De qua ubertim impartiuit nobis patefacto nobis mysterio &c.Certe palàm est Theophylactũ ita sensisse,qui ἐπερίσσευσεν interpretans,subiicit, τοῦτ' ἔστιν ἀφθόνως ἐξέχεεν, id est, Ampliter effudit.

πρισσεύειν. transitiue.

Sacramentum.) Hoc loco mysterium significat, μυστήριον, & Græca uoce utitur Ambrosius.Mysterium autem Græcis dicitur res arcana,neq; uulgo efferenda. Quod quidem deinde translatum est ad res sacras,quas potissimum silentio ueneramur. Hic sentit diuinam uoluntatem de gentibus ad fidem uocandis superioribus seculis incognitã fuisse mundo,Iudæis existimantibus hoc promissum ad se proprie pertinere,at nunc quod latebat,innotuisse.

Secundum beneplacitum eius.) Hieronymus legit,Secundum beneplacitum, siue iuxta placitum suum, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτου.

Quod proposuit in eo.) Si legas ἐν αὐτῷ,alpha aspirato,significat in seipso.Si mauis ἀυτῷ prima uocali tenui,refertur ad filiũ,in quo pater proposuit nos sibi gratificare.Atq; hanc sententiã sequũtur interpretes magno cõsensu.Hieronymus indicat differẽtiam inter προορισμὸν & πρόθεσιν, hoc est,inter prædestinationem & propositionem siue propositum,quod illud pertineat ad ea quæ multo ante definimus in animo,quàm fiant:hoc quũ iam uicina est machinatio,ut penè cogitationem sequatur effectus.

In dispensatione.) εἰς οἰκονομίαν, id est, In dispensationem.

Instaurare.) ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est,Recapitulari,hoc est,Vt in summam conferrentur.Nam oratores uocant ἀνακεφαλαίωσιν, id est,Recapitulationem,cum ea quæ sparsim, ac fusius dicta sunt,summatim repetuntur,& simul iudici renouãtur.Diuus Hieronymus legit,Recapitulare,putatq; recte uerbum hoc à Latinis usurpari posse,& miratur quamobrem in Latinis codicibus magis habeatur Instaurare,q̃ recapitulare.Sunt,quorum est Theophylactus,qui interpretãtur ἀνακεφαλαίωσιν, ut Christus fieret & angelorum & hominum caput.Id quod conuenit ijs quæ paulo post sequũtur:Et ipsum dedit caput. Atq; adeo Græca uox ita sonat,quasi dicas ad caput reuocare.

Recapitulari.

Quæ in terra sunt.) τάπ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς,id est,Et quæ in cœlis sunt, & quæ in terra.Quod additur in Græcis codicibus, ἐν αὐτῷ, id est,In ipso,nec apud Ambrosiũ reperio,nec apud Hieronymũ.Ne apud Theophylactum quidem,certe quod attinet ad enarrationem illorũ.Nam in cõtextu addit Theophylactus.Et magis quadrabat in eodem,q̃ in ipso:nam Græca uox anceps est,ut intelligas in uno & eodem cõprehendi uniuersa.

di uniuerſa,& uniuerſam omnium rerum ſummam ad unum Chriſtū reuocari,& in uno ſemel eſſe quod per partes à multis ante petebatur.Niſi mauis per eundē,ut reſpondeat ad id quod ſequitur,In quo &c.ſiue per quem,ut ſit ſenſus,Per eundem inſtaurata oīa, per quem nos quoq; ſumus adſciti in ſortem & cōmunionē.Iam quod nos legimus oīa in Chriſto,apud Theophylactum legebatur πάντα τὰ ἐν χριστῷ, id eſt,Omnia quæ ſunt in Chriſto.Quanq; arbitror errore ſcribæ factum.

Sorte uocati ſumus.) ἐκληρώθημεν, id eſt,Sorte electi ſumus.Significat Hieronymus, uerbum hoc partim à ſorte,partim ab hæreditate dici,quod κλῆρος ambiguum ſit. Ambroſius legit,Sortiti ſumus,hoc eſt,In ſortem & partē hæreditatis ſumus adſciti. In libello ad uirgines legit,Sorte conſtituti ſumus.

Secundum propoſitum.) Non eſt Græcis εὐδοκίαν, ſed πρόθεσιν.

Qui operatur omnia.) τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος. Ambroſius legit,Eius qui cūcta creauit,ſi modo ſcriptura uacat mendo.At Græca uox magis ſonat,Eius cuius ui & uirtute fiunt omnia,hoc eſt,omnia agentis ac moderantis,ſicut iam ſæpius admonuimus: atque hoc pacto nos uertimus.

Qui ante ſperauimus.) προηλπικότας, id eſt, Qui ante ſperaſtis. Hoc diuus Hieronymus refert ad præſcientiam diuinam,in qua ſperauimus & anteq; mundus conderetur,ui delicet motus hac præpoſitiōe πρό. Theophylactus aliò refert,Speramus iam nūc quæ nobis contingent in futuro ſeculo,aut ſperare cœpimus,pridem cum in Chriſtum credere/mus.Ambroſius huc deflectit,ut pertineat ad apoſtolos, qui in Iudaiſmo quoq; uerſantes,tamen ſpem habebant in Chriſto,quem ex prophetarum oraculis expectabant. Id ſequitur Tertullianus libro aduerſus Marcionem quinto legens interim præſperauimus pro anteſperauimus. *Prædeſtinatio*

In quo & uos cum audiſſetis.) ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον, id eſt,In quo & uos qui audiſtis uerbum.Diuus Hieronymus non ineleganter legit in quo & uos audito uerbo ueritatis.Illud admonendum apud Græcos in nōnullis codicibus,primam eſſe perſonam,nō ſecundam,nos.Etiamſi ſecus legiſſe uidentur Ambroſius & Hieronymus, ut ex illorum interpretatione licet conijcere. Theophylactus enarrans non declarat quid legerit,licet contextus habeat, ὑμᾶς & ὑμῶν. Aldina habebat ἡμᾶς & ὑμῶν mixtis perſonis, Hiſpanienſis utrobiq; ſecundam perſonam. Cæteri ab hoc loco faciunt diſtinctionem, Qui ante ſperauimus in Chriſto:deinde ſeparatim adijciunt,In quo & uos,ut prius illud, referat̄ ad apoſtolos ſiue Iudæos,ſecundū ad Epheſios aut gentes.At mihi uidet̄ Paulus hoc loco ſubito mutaſſe perſonam,ſenſum autem magis attendens q; ſermonis leges. Cū enim dixiſſet, Vt nos eſſemus in laudem gloriæ illius,uelut exponens,quos dixiſſet nos, ne quis putaret eum loqui tantum de Iudæis,continenter adiecit τοὺς προηλπικότας, quaſi dicat,Cum nos dico, ſentio omnes qui ſperauerunt in Chriſto,inter quos ſumus & nos: atq; illud,Nos,ita dicit,ut ſuā perſonā cōiungat cum perſona gentiū,cum ſit doctor gentium. Verum in hoc ſenſu nōnihil obſtrepit Græca præpoſitio πρό, id eſt,ante. Nam ſi de uniuerſis accipiatur qui crediderant in Chriſtum,qui erunt illi qui ante crediderūt? Niſi placet ſequi ſenſum Hieronymi,quem calumniatur Ruffinus, ut Origenicum quiddam reſipientem. Porrò ſi placet mutare perſonam,& legimus,In quo ſperaſtis & uos, quem admodum legit Hieronymus,id quod ex illius interpretatione palàm eſt, nihil eſt quod nos offendat præpoſitio. Siquidem Ante,referetur ad Iudæos,qui priores uocati ſunt ad fidem,& priores crediderunt in Chriſtum:deinde ſequutæ gentes. Quod ſi omnino placet prima perſona,quemadmodum legunt Græci quidam, tum ante, præpoſitio referri poteſt ad alios poſtea credituros:nam illi inter gentes primi crediderant. Niſi mauis accipere confuſam ſpem,quam ethnici ſanabiles habebant.& ante prædicatum euangeliū & ſi nondū nouerant Chriſtū, ſperabant tamē aliquo modo ſalutē ueluti per ſomnium. *Ruffinus calumniator.*

Euangelij ſalutis.) Græcis per appoſitionem adiungitur euangeliū, ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας τὸ εὐαγγέλιον id eſt, Qui audiſtis ſermonem ueritatis,quod eſt euangelium ſalutis. Quaſi cæteri nihil ueri promittant qui præter euangelium aliquid docent.

In quo & credentes.) Credentes, apud Græcos præteriti temporis eſt, πιστεύσαντες, id eſt,Poſtq; credidiſtis,uel quia credidiſtis,ſiue accepta fide, aut fideles facti.

Signati,pro obſignati.

Signati eſtis.) ἐσφραγίσθητε. Quod ſignificat,Obſignati eſtis,quemadmodum tabulas obſignamus in pactis:quia poſtea ſequitur de arrabone, ut oſtendat ſpem eſſe certam. Hunc locum adducit Didymus in libello De ſpiritu ſancto,ratiocinans hinc ſpiritum ſanctum,non participatione alterius,ſed ſuapte natura ſanctum ac bonum eſſe,quod in ſigillo quo character imprimitur archetypus ſit boni:Si enim,inquit,ſignantur quidam ſpiritu ſancto,formā & ſpeciē eius aſſumentes, ex his eſt ſpiritus ſanctus,quæ habētur & nō habent, habentibus illum ſignaculo eius impreſſis.Ad Corinthios quoq; idem ſcribens: Nolite,inquit,contriſtare ſpiritum ſanctum,in quo ſignati eſtis,ſignatos eſſe conteſtans eos,qui cōmunionem ſuſceperunt ſpiritus ſancti.Hæc adduximus,ut intelligat lector,me non abs re Græcum obſignandi uerbum annotaſſe,neu qui philoſophari uolet in diuinis literis,Græcæ literaturæ expers, ἔξω τοῦ ἐλαιῶμ, quod dici ſolet,currat.

Qui eſt pignus.) ἀρραβών,id eſt, Arrabo.Atq; ita mauult legi diuus Hieronymꝰ,exiſtimans non idem ſonare Latinis arrabonem,& pignus,quod pignus dari ſoleat creditori, donec ſoluatur debita pecunia,arrabo ceu ſignum ſit & obligamentum futuræ emptionis.Pignus datur in mutuo,Arrabo in contractu uendentis & ementis,quo firma ſit obligatio.Quod ſi tanta eſt arra quam deus dat ſuis,quanta erit res ipſa quam præſtabit ſuo tēpore? & ἀρραβῶνα appellant & Græci, pignus ἐνέχυρον, ſiue hypothecam. Et qui,non Chriſtum refert,ſed ſpiritum,hoc eſt,qui ſpiritus eſt arrabo.

In redemptionem acquiſitionis.) εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, id eſt,In redemptionem acquiſitionis,ſiue poſſeſſionis,ut legit Hieronymus,emendans uulgatam æditionē quæ habebat,In redemptionem adoptionis.Vnde coniicere licet,nec hāc qua uulgo utimur,eandem fuiſſe cum ea,quam tunc habebat Hieronymus. Verum ille, quiſquis fuit, mihi uidetur interpretari uoluiſſe,uerbum alioquin anceps,acquiſitiōis.Nam ſenſus eſt, Spiritum ſanctum à deo datum fidelibus,uelut arrabonem,quo certum ſcirent fore, ut alī quando uindicaret ſibi poſſeſſionem ſuam,quam redemptione acquiſierat. Proinde nos uertimus,In redemptionē acquiſitæ poſſeſſionis.Rem enim quæ acquirebatur ac parabatur,acquiſitionem uocat,ut nos poſſeſſionem,rem poſſeſſam.

Audiens fidem.) ἀκούσας, id eſt, Audita fide ueſtra.

Ceſſo gratias agens.) Græcam figuram uertit:dicendum erat Latine,Non ceſſo gratias agere:atq; ita legit Hieronymus.Ambroſius legit,Gratias agendo.

Memoriam ueſtri.) Cur non mentionem ueſtri, μνείαν ὑμῶν; quandoquidem orantes,cum deo colloquimur.

Deus domini noſtri.) ὁ θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν. Hic palàm eſt patrem uocari deum Ieſu Chriſti,quod in alijs erat ambiguum.

In agnitionem.) ἐν ἐπιγνώσει, id eſt, In agnitione: quemadmodum legit Ambroſius: atq; item Hieronymus,annotans emphaſin uocis agnitiōis,qua agnoſcimus olim cognita,ſed quæ noſſe deſierimus aliquādiu,cum γνῶσις ſit eorū quæ prius incognita noſſe cœperimus.Et ſubindicat hic neſcio quid Platonicū,ex Origenis ni fallor ſentētia, de patre prius cognito,cuius p reuelationē ſpiritus denuo cœperimus recordari. Verū nihil erat hic opus fabula Platonica,Philoſophi cognoſcebāt deū,ſed non agnoſcebant,hoc eſt nō amplectebant,quēadmodū multi filij cognoſcunt quidē patrem,ſed non agnoſcūt:& his congruūt quæ ſequunt illuminatos oculos cordis.Nam ante uidentes non uidebant.

Hieronymus ſibi parū conſtans.

Illuminatos oculos.) Totus hic ſermonis contextus parū cohæret,in quo tamē admiror laborare Hieronymum,ut Paulū defendat aduerſus eos,qui illū calumniabātur,quod imperitus eſſet Græcanici ſermonis,ut qui ſolœciſmis ſcateret,cū alias ſæpenumero ipſe fateatur illum Græce neſciſſe,idq; defendat aduerſus eos,qui quod Paulus ſcripſerat,Etſi imperitus ſermone,nolūt modeſtiæ tribui,ſed ueræ cōfeſſioni.Putat aūt lectionis ordinē, ad hūc modum reddi poſſe:Audiens fidem ueſtram in domino Ieſu,& in omnes ſanctos eius,uidensq; excellentiam fidei ueſtræ in dominū,& in omnes ſanctos eius,nō ceſſo gratias agere,& memoriā ueſtri facere in orationibus meis,ut domini noſtri Ieſu Chriſti deus pater, pater autem gloriæ,det uobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis.Porrò quod ſequitur,Illuminatos oculos cordis ueſtri,ita per hyperbaton reddi poſſe putat, Quapropter & ego audiens fidem ueſtram in domino Ieſu,in agnitionem eius,illuminatos ocu-

Ordo hyperbati.

los

los cordis uestri,nō cessō gratias agere pro uobis, memoriam uestri facere in oratiōibus meis,ut deus domini nostri Iesu Christi,pater gloriæ,det uobis spiritū sapientiæ & reuelationis &c. At Ambrosius,Illuminatos oculos,refert ad uerbum det. Addit enim de suo, illuminatos habere oculos. Mirum autem quur Theophylactus hic nullum senserit scrupulum,aut si sensit, dissimularit.

Cordis uestri.) διανοίας ὑμῶν, id est, Mentis uestræ.

Supereminens magnitudo.) τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος, id est, Sublimis magnitudo,ut Hieronymus. Excelsa magnitudo,ut legit Ambrosius.

Operationē potētiæ uirtutis eius.) κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, id est, secūdū efficaciā, seu uim potentiæ fortitudinis,siue roboris eius:nā est energia. Ac mox repetit ἐνήργησεν:quod nos uertimus,Exercuit,nō ut uoluimus,qd'aiūt,sed ut potuimus.

Suscitans eum.) ἐγείρας αὐτὸν, id est, Suscitato eo.

Et constituens.) καὶ ἐκάθισεν, id est,Sedere fecit. Hieronymus legit,Sedere eum faciēs, Ambrosius,Collocauit. Nam Græca uox aliâs neutralē aliâs transitiuā habet significationē. Et uirtutē & dominationē.) Virtus hic est δύναμις, non ἀρετή:& dominatio est κυριότης, quod autoritatē sonat ac ius possidentis. Atq; id magis exprimit Latinis dominium,cū dominatio. Neq; enim de angelis loquitur tantum,sed in genere de uniuersis.

Sub pedibus.) ὑπὸ τοὺς πόδας, id est, Sub pedes.

Super omnem ecclesiam.) ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, id est,Super omnia ecclesiæ:ut ecclesiæ sit datiui casus,non genitiui,hoc est,Dedit illū ut sit caput ecclesiæ,præpositus uniuersis. Atq; ita legit Hieronymus in cōmentarijs,consentiens cū Græcis:& si secus Ambrosius uideatur legisse. Theophylactus enarrans,aperte declarat se legisse, quemadmodum nos ædidimus,addens sic Christum esse caput ecclesiæ,ut non solum excellat membra sua,uerumetiam uniuersa condita in cœlo & in terra. Nobiscū faciebat uetustior codex Cōstantiensis in quo nullo rasuræ uestigio scriptū erat,sup omnia ecclesiæ. *Sensus alius, quàm uulgus accipit.*

Et plenitudo.) Et,coniunctio non est in Græcis codicibus. Nec addebatur in uetustissimo codice S. Donatiani. suffragabatur uterq; codex Cōstantiensis. Et τὸ πλήρωμα uidet accusandi casu legendū,ut referatur ad Christū. Ad quod faciunt ea quæ sequuntur.

Qui omnia in omnibus adimpletur.) τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, id est,Plenitudo,siue impletio eius qui omnia in omnibus implet,siue impletur:nam participium est uerbi medij. Et utroq; modo uidetur interpretari diuus Hieronymus, ut intelligas corpus,hoc est,fideles esse cōsummationem ipsius Christi,qui est caput,qui ita adimpletur,ut sit omnia in oīibus:aut ita implet,ut omnia sit omnibus,quæ nūc in singulos, alia in alios sparsa sunt. Verum si accipias passiue πληρουμένου, accipi potest τὰ πάντα, id est,In omnibus:ut subaudias præpositionem ἐν,ut sit sensus,Christum per omnia adimpleri in omnibus corporis sui mēbris simul collectis. Et in hunc sensum interpretatē Theophylactus,ut πλήρωμα sit ecclesia,& πληρουμένου passiue ponatur. *Sēsus uarius.*

EX CAPITE SECVNDO.

ET uos conuiuificauit.) Verbū conuiuificauit,hoc loco non inuenio in Græco codice,nec apud Hieronymum,nec Ambrosium, nec in uetusto codice S. Donatiani,nec in utroq; Cōstantiensi, unde miror,quomodo in uulgatos libros irrepserit:nisi forte sumptū est ex cōmentatione Thomæ Aquinatis. Cæterum accusatiuus uos,referri poterat ad uerbum superius dedit, Dedit illum caput,uos membra:sed uero propius est huc repetendū ex hyperbato,de quo Paulo inferius dicemus. *Supereſt in noſtris.*

Quum essetis mortui delictis & peccatis.) Dubitari posset,datiui sint,an ablatiui,quasi dicas,Tibi mortuus sum:tametsi diuus Hieronymus ita uidetur accipere,quasi Græcis sit datiuus instrumenti,hoc est,Mortui per peccatū. Quod hic uertit Delictū,Græce est παράπτωμα:quod Hieronymus existimat esse primū illū lapsum ad peccādū. Nam peccatū,est Græce ἁμαρτία,quod grauius esse putat,cū ad ipsum facinus peruentū est.

Peccatis uestris.) Vestris,redundat,iuxta Græcorū exemplaria. Loquitur enim in genere de peccatis, quæ mortē adferunt omnibus. Noue dixit mortui peccatis,quum aliâs uocet mortuos peccato,in quibus extinctū est peccatū. Hic mortui dicunt peccatis,quos

occidit peccatum. Porrò hoc magis redundat pronomen ueſtris, quod ſequitur, in quibus aliquando ambulaſtis.

Ordo difficilis. Poteſtatis aëris huius ſpiritus.) κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος τούτου, τοῦ πνεύματος τοῦ. Biſariam accipi poteſt, ut per appoſitionē cohæreat aër cū ſpiritu. Poteſtatis aëris, qui quidē eſt ſpūs. Atq; ut ſic accipiamus, inuitat articulus τοῦ, τοῦ πνεύματος τοῦ. Sic em̄ per articulum ſolēt interpretari Græci. Verū obſtrepit nōnihil quod ſequit̄ τοῦ ἐνεργοῦντος τοῦ. Nec em̄ hic aër agit quicquā in filijs inobediētiæ, ſed inſtigatio diaboli. Proinde præſtiterit ita legere, Iuxta principem, cui ius & poteſtas eſt aëris, & ſpiritus, illius qui agit in filijs diffidentiæ, ut aërem intelligas hanc infimam orbis partem, in qua ſola regnat ille, nō ueluti dñs, cum Chriſtus dominus ſit omnium, ſed ut tyrannus, & nō niſi noſtro uicio potēs. Deinde ſpiritū accipias affectū mundanū, diuerſum ab illo cœleſti ſpiritu Chriſti, nihil amantis niſi cœleſtia, & utrūq; genitiuum aëris & ſpiritus, referas ad tertiū qui præceſſit, poteſtatis, quæ quidem hic non eſt, δύναμις, ſed ἐξουσία, ut ius & autoritatem intelligamus. Cæterū huius, pronomen interpres addidit de ſuo, cum non ſit apud Græcos, ne apud Hieronymum quidē, quanq; ante præceſſit mundi huius, κόσμου τούτου.

In filijs diffidentiæ.) ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, id eſt, In filijs inobedientiæ, ſiue immorigeris, aut ut uertit Cyprianus, cōtumacibus. Eſt enim filiorū proprium, eſſe dicto audientes, ac morigeros parentibus. De tropo iam ſæpius admonuimus Filij inobediētiæ, pro Filijs inobedientibus, ut paulo ante Pater gloriæ, pro Pater glorioſus. In nonnullis codicibus depraua tum erat in filios diffidentiæ.

Facientes uoluntatem.) θελήματα, id eſt, Volūtates: nam affectus uarij ſunt. Cæterum in multis codicibus deprauauerant, Voluptates, pro uoluntates.

Et cogitationum.) καὶ τῶν διανοιῶν. Hieronymus magis uidetur probare, Et mētium, diſtinguēs peccata carnis & mentium, quod illa ſint craſſiora, ueluti libido, gula, ebrietas: hæc animi magis, uelut hæreſis. Ambroſius legit Conſiliorum.

Natura, pro omnino. Natura filij iræ.) φύσει. Pro quo quidam uerterant Omnino, ut indicat Hieronymus, quod Græca uox ſit ambigua. Et Theophylactus admonet, Natura poſitum, pro uere ac proprie. Quēadmodū dicimus hominē natura miſerū, qui ſic eſt addictus miſeriæ, ut nolit effugere, ſi poſſit. Mihi uidetur naturā oppoſuiſſe gratiæ, quia paulo poſt ſequitur, Gratia ſalui facti eſtis. Ira erat noſtræ naturæ ſiue natiuitatis. Salus erat gratiæ, & ob id Chriſto imputanda, non nobiſipſis.

Per nimiam.) διὰ πολλήν, id eſt, Propter multam: & ita legit Hieronymus ac Ambroſius. Alioqui nimium dicitur, quod ſit immodicum.

Vis, καί. Et quum eſſemus.) καὶ ὄντας, id eſt. Etiam quum eſſemus, ut cōiunctio quæ apud Latinos & Græcos geminam uim habet, non copulet, ſed exaggeret.

Mortui peccatis.) Vitaſſet ambiguitatem, ſi dixiſſet, Mortui per peccata: nam alioqui Paulus uocat mortuos peccato, qui iam non peccant, quemadmodum paulo ante admonuimus. Ambroſius hoc loco nō addidit peccatis, tantū legit quū mortui eſſemus.

Conuiuificauit nos in Chriſto.) Neq; Nos, pnomen, neq; In, præpoſitio, eſt in Græcis codicibus, tantum eſt συνεζωοποίησε τῷ χριστῷ, id eſt, Conuiuificauit Chriſto, ut intelligas nos unà cum Chriſto reuixiſſe. Ita refert Auguſtinus libro aduerſus Fauſtū undecimo, cap. octauo, in libris manu deſcriptis. Retinebat germanam lectionem exemplar uetuſtius Conſtantienſe, deletis manu non recenti, duabus uocibus, nos & cuius. Nam In, præpoſitio in neutro addebatur.

Cuius gratia.) Neq; Cuius, additum eſt, ſed tantum, χάριτι ἐστε σεσωσμένοι, id eſt, Gratia ſalui facti eſtis. Et ita legit diuus Hieronymus, ut hæc particula, ceu per parēthesim interſeratur, quod palàm admonuit Theophylactus. Latini quidam adiecerunt enim, ſed perperam. Cæterum ordinem ſermonis hoc in loco, quoniam uidetur perturbatus, Hieronymus reſtituit ad hunc modum: Et uos cum mortui eſſetis delictis, & peccatis ueſtris, conuiuificauit Chriſto deus, qui dīues eſt in miſericordia, propter multam charitatē qua dilexit nos, miſertus eſt noſtri. Et cum eſſemus mortui delictis, in quibus aliquando ambulauimus ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundū principem poteſtatis aëris ſpiritus, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ, in quibus & nos omnes conuerſati ſumus aliquando in

Ordo perturbati ſermonis

do in desiderijs carnis nostræ, facientes uoluntates carnis & mentium, & eramus natura filij iræ, conuiuificauit nos Christo, ut bis repetas, Conuiuificauit nos, & tollas coniũctionem causalem, Deus enim. Nam ita legisse uidetur Hieronymus ὁ γὰρ θεός, quod hãc putet uel ab imperitis librarijs adiectam, uel ab ipso Paulo propter imperitiã Græcanici sermonis additam, cum in plerisq; sit δέ, id est, autem. Quanq; utraq; cõiunctio facit, quo minus absoluatur superior orationis pars, Cum essetis &c. Verum opinor Paulum addidisse coniunctionem δέ, aduersatiuam, ut redderet contrariam partem superioribus, hoc est, conuiuificatos esse, ei quod est, Mortuos esse peccatis: & quoniam intermiscuerat multa, uelut ad nouũ orationis caput addidit præpositionẽ. Melius aũt erat, si dixisset interpres, nihilominus deus cõuiuificauit. Annotãdũ & hoc, quod in hoc sermone Paulus subinde uariat personam, nunc illos compellans secunda persona, nũc seipsum illis admiscens. Addendum & illud apud Ambrosium, aliam esse lectionem quàm nos habemus, sed haud scio, an à scribis inductam. Scriptum est autem hũc in modum: Deus autem, qui diues est in misericordia, propter multam charitatem misertus est nostri.

Et conresuscitauit & consedere fecit.) συνήγειρε καὶ συνεκάθισεν, id est, Pariter cum illo suscitauit, simulq; cum illo sedere fecit.

In bonitate.) ἐν χρηστότητι. Quod Augustinus libro aduersus Faustum undecimo uertit, In benignitate. Significat enim dei erga nos clementiam lenitatemq;.

Gratia enim.) Enim, non additur in nonnullis Græcorum codicibus, sicut nec paulo inferius, Dei enim donum. Enim non additur: quanq; ita legit Ambrosius.

Ipsius enim sumus factura.) ποίημα. Ambrosius legit, Figmentum, uelut aliquid è materia factum. Atq; ita nos uerteramus, quod factura uox uideretur parum Latina, sed ab amicis eruditis admoniti, mutauimus Figmentum in opus. Verebantur enim illi, ne quẽ imperitiorem offenderet figmenti uocabulum. Atqui si uisum est istorum offensas omes simili studio uitare, nihil erat omnino mutandum. Nos tamen hac in parte obsequuti sumus amicorum uoluntati, potius quàm nostro iudicio.

In operibus bonis.) ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, id est, Ad opera bona.

Quæ præparauit deus.) οἷς, id est, Quibus, ad homines arbitror referẽdũ. Tametsi iuxta Græcanici sermonis, pprietatẽ, & ad opera referri potest, ut datiuus Græcus in accusatiuũ uertatur, quẽadmodũ legit Ambrosius, Quæ præparauit deus, & itẽ Hieronymꝰ. οἷς pro ἃ

Ab ea quæ dicitur circũcisio.) ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς, id est, Ab ipsis Iudæis: nam Græca lucidiora sunt. Populus Hebræorũ ob mẽbrũ genitale præfectũ circũcisio uocabat, cæteri præputiũ dicebant, sed dũtaxat Iudæis, quibus ut illud cognomẽ erat honorificũ, ita hoc ignominiosum. Et manufacta, referendũ est ad circũcisionẽ, non ad carnem.

Qui eratis.) Legendum, Quia eratis, aut quoniam, ut legunt Ambrosius Græcis consentiens & Hieronymus, suffragante utroq; Constantiensi. ὅτι ἦτε, ut sit iterata coniũctio, quasi posuisset, Quod, inquam, eratis.

Alienati à cõuersatiõe.) τῆς πολιτείας. i. A ciuilitate, siue à re publica Israël, siue Israëlis.

Et hospites testamentorum.) καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν, id est, Peregrini, siue extrarij, à pactis siue testamentis. Alluxit enim ad rempublicam, cuius modo meminerat. Vnde hospites uocat, alienos à iure ciuium, Et testamentorum promissionis dixit, iuxta idioma Hebræorum. Cæterum Ambrosius addit pronomen, legens, Promissionis eorum.

Et sine deo.) ἄθεοι. Qui nullum credunt esse deum, & ἀθεότης, quam Plutarchus ostendit minus malum esse, quàm superstitionem, δεισιδαιμονίαν, quod hæc deos imaginetur morosos ac uindices, quum deus natura beneficus sit. Sine deo. ἄθεοι.

In hoc mundo.) Hoc, redundat: nisi quod opinor interpretem uoluisse reddere uim articuli τῷ.

Et mediũ parietem maceriæ soluens inimicitias.) Græci ita distinguũt, ut accusatiuus inimicitias, referat ad inferius participiũ καταργήσας. Quanq; utroq; potest referri, ad λύσας quod præcessit, & ad καταργήσας quod sequit, ut inimicitiã, appositiue cohæreat cũ, mediũ parietẽ, aut cũ, Legem mandatorũ. Et mirũ cur cũ ὁ ποιήσας uerterit in uerbũ, non mutarit & alterũ λύσας, id est, Qui soluit, aut Soluto pariete. Rursum Græce est, τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, quasi dicas, Interstitium septi siue sepis. Et apud comicum, Mitio iubet

maceriam dirui,ut fiat una domus.Id ergo quod dirimit ædes ab ædibus μεσότοιχον uocat.Nec tamen male uertit interpres,nisi quod sermo non caret amphibologia. Siquidē medium parietem ferit,qui mediam partem percutit.

Locus apud uos corruptus

Decretis euacuans.) In,præpositio omissa,totum subuertit sensum,quasi decretis abo leuerit legem:imò aboleuit legem sitam in præceptis ac decretis.Quædam ædítio quam citat Hieronymus,habebat In dogmatibus,usurpata Græca uoce.Ambrosius legit,In decretis:alicubi citat,Edictis,ut libro de Abraham patriarcha,secundo, cap. sexto. Si Græcis esset additus articulus τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν τὰ ἐν δόγμασι, nullus supererat scrupulus, nunc sermo habet amphibologiam,Nam ἐν δόγμασιν referri potest ad præcedentia, simul & ad sequentia:Si ad præcedentia,sensus erit,abrogauit legem præceptorū sitam in decretis,Si ad sequentia,sensus erit,antiquauit legem præceptorum ceremonialium, per dogmata Euāgelica,ut ἐν præpositio posita sit uice per.Hoc sequutus uidetur interpres, qui præpositionem,ut nobis superuacuam omisit.Hanc interpretationē apud unū Theophylactum inuenio.Diuersam sequitur Ambrosius,cuius uerba subscribam,Quia legem quæ data erat Iudæis in circūcisione & in neomenijs & in escis,& in sacrificijs, & in sabbatis,euacuauit,hoc est,cessare iam iussit,quæ oneri erāt,& sic fecit pacem. Vnde Petrus apostolus dicit in actis apostolorū.Quid imponitis iugum super ceruicem fratrū, quod neq; patres nostri,neq; nos potuimus portare.In his Ambrosij uerbis,nulla fit mentio decretorum,per quæ lex fuerit antiquata. Subindicat autem Ambrosius circūcisionem & similes legis obseruationes obstitisse,quo minus conueniret inter gentes & Iudæos. His ergo per Christū antiquatis,fide conciliati sumus,quæ tam Iudæis q̄ gentibus absq; legis obseruatione conferret salutem.Hieronymus hunc in modum,Lex quoq; mandatorum subuersa est in dogmatibus,posteaq̄ circūcisio & sabbatismus qui relictus est populo dei,& pascha & pentecoste,& non apparere in conspectu dei uacuum,sunt altius intellecta q̄ resonant,& ab occidente litera recedentes,cœpimus uiuificantem spiritū sequi. Ex his Hieronymi uerbis perspicuum est,eum sentire legem abrogatam, nō per decreta, sed p eorū quæ decernebat,intelligentiā spiritualē.Nec abhorret ab his cōmentum scholiastæ,cui nomen fecerunt Hieronymo. Per solam,inquit, fidem iustificans,moralia sola decernēs.Iam & aliās Paulus legis præscriptiones appellat dogmata,uelut ad Colosſ. 2. De his quod aduersum uos erat chirographum decreti,quo loco Græci legunt τοῖς δόγμασιν, pro eo quod est ἐν δόγμασιν.Nā præpositio addita est ex idiomate sermonis Hebraici.Rursus alibi τί ἔτι δογματίζεσθε. Porrò nusq̄ legimus apud Paulū euāgelij præcepta dicta dogmata.Submouendus est igit̄ & ille scrupulus de articulo,Mihi uidetur omissus ob congeriem articulorū si dixisset,τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν τὸν siue τῶν ἐν δόγμασι.Nam mihi uidetur in decretis magis adhærere,pximæ dictioni, alioqui bis idē dici uidebatur, νόμον τῶν ἐντολῶν τὸν ἐν δόγμασιν. Nunc ostendens legem imperiosam appellat illam τῶν ἐντολῶν, quasi dicas ἐντείλασαν, id est,præcipientem,quomodo non persuasione & lenitate aut promissis,sed præscriptis,quæ uocat dogmata,latini placita dicūt.Etenim si quæras,quare deus iussit nos à talibus ac talibus abstinere cibis, Responderet Iudæus, Quia sic deo uisum est.Et euacuans,præteriti temporis est,quasi dicas,Antiquata lege.

Et conderet) Hic est,Crearet,siue pararet κτίσῃ, uelut explicans sententiam.

Inimicitias in semetipso.) ἐν αὐτῷ.Hieronymus legit,In ea,ut referatur ad crucem,non ad Christum.Siquidem & crux apud Græcos masculini generis est.Verum si reciprocū esset,id est,In seipso,haberet ἑ aspiratum, ἐν ἑαυτῷ. Quanq̄ ne id quidem à Græcis scriptoribus obseruatur:postremo secus legit Ambrosius.

In uno nouo homine.) In unum nouum hominem, est Græce, εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον. Atq; ita refert Augustinus lib.aduersus Faustū xxij.cap.lxxxix.suffragabatur exemplar utrūq; Constantiense.Cæterum quod est Græce ἀποκαταλλάξῃ,Latine uersum reconciliet,Augustinus uertit,Cōmutaret.Qui sic uertit,legisse uidetur ἀλλάξῃ.

Et pacem ijs qui prope.) Et pacem,non repetitur Græcis.

Habemus accessum.) προσαγωγὴν, id est, Aditum siue introductionem:ueluti cū quis introducitur ad conspectum principis.

Hospites & aduenæ.) ξένοι καὶ πάροικοι, id est,Peregrini & incolæ,siue accolæ,hoc est, qui

qui aliũde cõmigrarũt in alienã ciuitatẽ. Auguſtinus aliquoties legit, p Aduenæ, Inglini.

Sed eſtis ciues.) ἀλλὰ συμπολῖται, id eſt, Conciues, ut uerbum uerbo reddatur.

Superædificati ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum.) Hanc particulã & prophetarum eraſerant Marcionitæ, nimirum odio ueteris teſtamenti.

Angulari lapide.) Græcis unica uox eſt, ἀκρογωνιαίῳ, qua ſignificatur ſummus lapis in angulo ædificij, qui ſolet eſſe ualidiſſimus. Eſt autem ablatiuus abſolute poſitus, ueluti ſi dicas, In qua ſtructura Chriſtus ſummus eſt in angulo lapis. Et ob id Auguſtinus addu cens hunc locum in enarratione pſalmi lxxxi. addit Exiſtente, dilucide magis quàm Lati ne. Rurſus aduerſus Fauſtum libro duodecimo, capite uigeſimoquarto. ἀκρογω νιαῖῳ.

Ipſo ſummo angulari lapide.) Et hic ablatiuus ponitur abſolute, ac ſi dicas, Chriſto duce, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, id eſt, Ipſo Ieſu Chriſto ente ſũmo lapide angulari.

Conſtructa.) Græce ſignificantius, συναρμολογουμένη, id eſt, Coagmentata, ſiue com miſſa, ſiue coaptata. Hieronymus legit Cõpaginata, Ambroſius, Cõpacta. Nec ſignificat omnem ſtructuram hoc angulari lapide compactam eſſe, ſed quæcunq; illo lapide conne ctatur, eam ſurgere in templum domini. Eſt enim participium præſentis temporis, συναρ μολογουμένη. Quanq; πᾶσα uerti poterat, Tota ſtructura, ut non quamuis intelligas, ſed integram. Atq; ita interpretatur Theophylactus. *Cõſtructa pro coagmentata.*

In ſpiritu ſancto.) Sancto, redundat iuxta Græca & Ambroſium, atq; item Hierony mum: quorum & interpretatio declarat quid legerint. Spiritum enim opponit aduerſus carnalem Iudaiſmum, quem nuſq; nõ inſectatur Paulus.

EX CAPITE TERTIO.



Inctus Chriſti Ieſu.) Vinctus nomen eſt Græcis δέσμιος: & ob id mol lius cohæret cum genitiuo Ieſu Chriſti.

Data eſt mihi in uobis.) εἰς ὑμᾶς, id eſt, In uos. Hunc quoq; locum ἀνακο λουθόν, Hieronymus reddit ad hunc modum, Huius rei gratia ego Paulus uinctus Ieſu Chriſti, & uinctus pro uobis qui eſtis ex gentibus, cognoui my ſterium, ut uobis quoq; illud traderem, ſicut in hac eadem epiſtola paulo ante ſum loquu tus. Debetis autem audire diſpenſationẽ gratiæ dei, quæ data eſt mihi in uobis, qui eſtis ex gentibus, pro quibus & uinctus ſum Ieſu Chriſti. Quanquàm exiſtimat eſſe ſimplici us, fateri Paulum in aliena lingua balbutiſſe, & ſenſu magis quàm uerbis æſtimandũ. Po terat & hoc pacto tolli ſermonis imperfecti incommodum, ſi ſubaudias uerbum ſubſtan tiuum, ſum, Ego Paulus uinctus ſum Ieſu Chriſti. *Paulus balbu tiẽs in aliena lingua.*

Pro uobis gentibus.) Arbitror mendum eſſe, quod in Ambroſianis codicibus legitur pro uobis fratribus.

Diſpenſationem gratiæ.) οἰκονομίαν, id eſt, Diſpenſationem, ſiue adminiſtrationem.

Notum mihi factum eſt.) ἐγνώρισέ μοι, id eſt, Notum mihi fecit myſterium, quod rur ſum interpres uertit Sacramentum.

Sicut ſupra ſcripſi.) καθὼς προέγραψα, id eſt, Sicut ante ſcripſi, ut Ambroſius. Præſcri pſi legit diuus Hieronymus.

In breui.) ἐν ὀλίγῳ, id eſt, In modico, legit Hieronymus & Ambroſius. Significat ea ſe paucis de his ſcripſiſſe, ut Græca exponunt ſcholia. Poteſt eſſe ſenſus & hic: Quemad modum ſcripſi paulo ante. Meminit enim de his qui procul eſſent, gentes ſignificans. In eum ſenſum fermè Theophylactus.

In miniſterio Chriſti,) ἐν τῷ μυστηρίῳ, id eſt, In myſterio, qd ſolet uertere Sacramentũ.

Non eſt agnitum.) οὐκ ἐγνωρίσθη, id eſt, Non notificatum, ſiue reſeratum.

Alijs generationibus.) Apertius eſt, quod legit Ambroſius, Alijs ſeculis. Nam de æta tibus loquitur, non de nationibus.

In ſpiritu.) Græcis additũ eſt Sancto. Neq; lectio ſolũ diuerſa eſt, uerũetiã diſtinctio. Theophylactus ſic ordinat ſermonẽ, Sicut nunc reuelatũ eſt ſanctis apoſtolis eius, in ſpiri tu ſancto, ut intelligamus hoc illis per ſpiritũ ſanctũ fuiſſe reuelatũ. Ambroſius contra, ſpi ritu cõnectit cum his quæ ſequuntur, Sicut nunc reuelatum eſt ſanctis eius & prophetis, ſpiritu eſſe gentes cohæredes: id palàm arguit eiuſdẽ interpretatio, docẽs gentes eſſe co hæredes, non ceremonijs Moſaicæ legis, ſed ſpiritu, hoc eſt doctrina euangelica. Diuus *Lectio & di ſtinctio diuer ſa.*

Hieronymus

Hieronymus Græcorũ ſequit̃ diſtinctionẽ. Mihi magis ꝓbat̃ quod ſequit̃ Ambroſius.

Eſſe gentes.) εἶναι τὰ ἔθνη, id eſt, Vt ſint gentes.

σύσσωμον

Concorporales.) σύσσωμα, quaſi dicas, Vnius corporis. Hoc loco offendit aures Hieronymi coniunctionũ congeries, ut ipſi uidetur, incõcinna, cohæredes & concorporales, & compartícipes. Mirum eſt autem illum tantilla re offendi, qui toties Paulum facit imperitum Græci ſermonis, licet fateatur non imperitum ſcientia. Deinde quum hic fateat̃ legendum eſſe compartícipes, nec dubium quin in bonam partem, tamen in huius epiſtolæ capite quinto, negat hanc uocem legi in literis ſacris niſi in malam partem, uerum hac de re illic plura dicentur.

Promiſſionis in Chriſto Ieſu.) Deeſt apud nos αὐτῷ, id eſt, Suæ, ſiue eius: ut referatur ad ſpiritũ, ut ſenſiſſe uidetur Ambroſius cũ ſubſcribit: Hoc eſt quod dicit, ſpiritu gentes eſſe cohæredes & concorporatos & partícipes promiſſionis eius in Chriſto. Qui enim ſpiritu deum colit, opere legis opus non habet.

Omnium ſanctorũ.) In nõnullis Græcis addebatur hominum, ſed mendoſe, ni fallor. Et ἐλαχιστοτέρῳ, id eſt, Infimo, ut uertit Hieronymus. Sed Paulus ut magis ſe diminuat, è ſuperlatiuo finxit comparatiuum, ac ſi dicas, Infimiori pro infimo, aut poſtremiori.

Inueſtigabiles.) ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον, id eſt, Imperueſtigabiles diuitias. Nam quod apud Ambroſium legitur inæſtimabiles, haud ſcio, an errore ſit factum librarij, certe interpretatur Incomprehenſibiles.

φωτίσαι, pro in lucem proferre.

Et illuminare.) καὶ φωτίσαι πάντας. Ambroſius non addit Omnes, & ſermo commodior eſt. Nec apud Hieronymum ulla mentio, huius nominis additi, ſed tantum eſt, Illuminare. Neque Paulus illuminat homines, ſed in lucem profert, & quod ante fuerat recondi tum, facit omnibus perſpicuum.

Quæ ſit diſpenſatio.) Legit̃ &, ὁ πλοῦτος, id eſt, Quæ diuitiæ. Rurſum μυστήριον uertit Sacramentum.

Qui omnia creauit.) διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ, id eſt, Per Ieſum Chriſtum, additum eſt hoc loco apud Græcos, quãq; Hieronymus nõ habet, nec Ambroſius, nec uetuſti codices Latini.

Vt innoteſcat.) ἵνα γνωρισθῇ νῦν, id eſt, Vt innoteſcat nunc. Et Nũc, Hieronymus legit addita coniunctione, ſi modo codex mendo uacat.

In poteſtatibus cœleſtibus.) ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, id eſt, In cœleſtibus.

Per eccleſiam.) διὰ τῆς ἐκκλησίας. Præpoſitio per, hoc loco ſignificat inſtrumentũ, quaſi dicas, Opera eccleſiæ. Quãq;, ut ingenue fatear, ſermo Græcus planè anceps eſſet, niſi additus fuiſſet articulus τῆς: atq; ita ſenſus fuiſſet. Propter cõgregationes, ſiue eccleſias.

Multiformis ſapientia.) πολυποίκιλος, ſiue aliâs, παμποίκιλος, id eſt, Maxime uaria, & modis omnibus uaria. Nam πᾶν in compoſitione additum, adiungit epitaſin.

Secundũ præfinitionẽ.) κατὰ πρόθεσιν, id eſt, Secundũ propoſitũ, ut legit Hieronymus.

Senſus triplex.

Quam fecit.) ἣν ἐποίησεν. Sermo Græcus anceps eſt. Nam Græcus articulus referre poteſt uel ſapiẽtiam, uel eccleſiam, uel præfinitionẽ, quã Ambroſius & Hieronymus propoſitum uocant. Si ad propoſitum referatur ſenſus eſt, Iuxta tempus quod propoſuerat ſiue præfinierat in Chriſto: Si ad eccleſiam, ſenſus fuerit, Eccleſiã factam in Chriſto Ieſu: Si ad ſapientiam, intelligis in Chriſto factam, hoc eſt, creatam fuiſſe ſapientiam. Atq; hic ſenſus poſtremus maxime probatur Hieronymo. Et fiduciam eſt παῤῥησίαν, quam Ambroſius uertit Libertatem. Eſt autẽ audacia libere loquendi. Porrò nihil timidius animo ſibi male conſcio, ut contra, innocentia nihil fidentius.

In tribulationibus meis pro uobis.) αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν. Diuus Hieronymus admonet Græcum ſermonem eſſe ambiguum, quod uerbum ἐκκακεῖν ad quamuis perſonam accõmodari poſſit, ne deficiam ego, ne deficiatis, ne deficiant illi. Certe iuxta primum ac ſecundum ſenſum interpretatur Hieronymus, peto ne deficiam, ne me ſuperent aëreæ poteſtates, oppugnãtes undiq;.

Expenſa Hieronymi annotatio.

Quæ eſt gloria.) In quibuſdam Græcis codicibus habebatur, Quæ erit, ἥτις ἔσται. Hoc loco nõnihil ſe torquet Hieronymus, nec ſatis intelligo, cur ſe torqueat, exiſtimans huius ſermonis rationem nõ poſſe conſiſtere, niſi fateamur Paulum imperite loquutum, qui tribulationibus numero multitudinis ſubiecerit relatiuum ſingulare, Quæ eſt gloria. Quaſi uero

uero non hoc doceat grammatica, rectius etiam ad hūc modum nos loqui, quàm si dicamus, In tribulationibus quæ sunt gloria uestra. Atq; ille hoc tantum ducit incōmodum, ut per hyperbaton tentet hanc particulam, Quæ est gloria uestra, ad ea quæ præcesserūt detorquere, In quo habemus fiduciam & accessum & fidem &c. quæ fiducia, accessus & fides, uestra est gloria. Verū quoniam hoc uidit esse durius, mauult Paulū loquendi imperitū facere. Sed quid hic interim facient Hieronymo, qui uolūt apostolis omnibus scientiam linguarū dono spūs sancti cōtigisse, idq; donū eis fuisse perpetuū: quorum de numero uidet & Aquinas in epistolā ad Galatas. At Hieronymus toties nō ueretur Paulū imperitū Græci sermonis facere. Quāq; hoc sanè loco nō uideo quid imperite dictū uideri possit, nisi quod Hebraice magis q̄ Græce dixit, In tribulationibus, p ob tribulationes. *Paulus græce imperitus.*

Ad patrem domini nostri Iesu Christi.) Diuus Hieronymus indicat in Latinis codicibus addita quatuor uerba, Domini nostri Iesu Christi, cum in Græcis scriptura germana maneat. Non enim loquitur hic proprie de patre domini Iesu Christi, sed in genere ad illum patrem flectit genua, quem omnes creaturæ rationabiles agnoscunt conditorem & autorem. Et tamen mirum est, quod Hieronymus scribit additum in Latinis codicibus, nunc in Græcis reperiri. Quanquam Theophylactus enarrans locum non attingit hāc particulam: unde coniectādum est, aut è nostris codicibus additam Græcis, aut Græcorum codices & olim uariasse.

Omnis paternitas.) πᾶσα πατριὰ, id est, Omnis familia, ut indicat & diuus Hieronymus in cōmentarijs. Idem aduersus Heluidium scribens, fatetur Latinos paternitates uocare, quas Græci uocāt πατριὰς, quum ex una radice, multa generis turba diffūditur. Sed apud Græcos manet allusio uocum, quam Latinus conatus est obseruare. Iam quæstiones illæ, quas mouet hoc loco Thomas Aquinas, num qua paternitas sit in cœlo, & num omnis paternitas quæ est in cœlo & in terris, deriuata sit ab ea paternitate, quæ est in diuinis, quam apte pertineant ad hunc locum, uiderint Theologi: quandoquidem uocem, unde quæstionem omnem elicit, non intellexit. Certe alibi interpres uertit Familiam, uelut in psalmo, Omnes familiæ gentium, πατριαί. Item in Luca, De domo & familia Dauid. Subnotauit hoc interpres Origenis, homilia in Numeros, ij. Verum interpres ut dicere cœperam affectauit reddere uocum affinitatem, pater & paternitas. Atqui ea non erat tanti, ut huius gratia fuerit perdenda sententia. Parentela satis explicabat rem, si modo uerbum esset probum. Et tamen hoc ætate sua uulgo fuisse usurpatum testatur Hieronymus, uel ob hoc tolerabilius quàm paternitas: præsertim quum hic suffragetur analogia. Quemadmodum enim a cliens clientela, ita à parens parentela. Nos circumitione ut potuimus, reddidimus. *Paternitas. πατριά. Aquinas*

Virtute corroborari.) δωνάμι, id est, Virtute. Manifestior erat sensus, si Græca infinita uertisset per uerbum subiunctiuum, Vt corroboremini.

Sublimitas & profundum.) ὑψος βάθος καὶ ὕψος, id est, Et profunditas & sublimitas. Hieronymus, Et profundum, & altitudo.

Scire etiā.) Non est initiū noui capitis, ut sit opus etiā. γνῶναι πε, id, Scireq;, uel utq; scire tis. Supereminentem scientiæ charitatē.) Apud nos incertū est datiui ne casus sit, scientiæ, an genitiui, ut aut intelligas charitatē Christi sciri, quæ sit maior q̄ ut cognosci possit: seu iuxta Ambrosiū, quæ præmineat scientiæ nostræ: aut ut intelligas eximiam dilectionē cognitionis. Sed posterior sensus magis quadrat ad Græcū sermonē. Et hunc sequit Hieronymus. Porrò quod Ambrosius senserit id quod dixi, declarant hæc illius uerba, Post dei patris infinitam & incōprehensibilē cognitionē, & inenarrabilē clementiam, Christi quoq; agnoscere nos uult charitatē, quæ supereminētis est scientiæ, & subintelligit humanæ, ut sup scientiā hominū habeat dilectio Christi. Quis enim potest colligere mysterij huius charitatis rationē, ut & deus hominis causa homo nasceret &c. Quāq; in hac scriptura suspicor nō abesse mendum. Siquidē in contextu habetur, Cognoscereq; supereminentem scientiam charitatis Christi, quæ lectio multum dissonat à Græca. Præterea quod habetur in cōmentario Supereminentis est scientiæ, suspicor ipsum scripsisse, Supereminens est scientiæ, Porrò quæ Hieronymus hoc loco disserit, mihi uidēt aliquāto duriora. Nec refert hāc uocē, sciētiæ, ad supeminentē, sed ad charitatē. Certe Theo *Sensus duplex.*

phylactus

phylactus in eandem ſententiam interpretatur, in quam Ambroſius. Et cum Ambroſio conſentit Auguſtinus, citans hunc locum libro de gratia & lib. arb. cap. xix. Item, inquit, quum dicat apoſtolus ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, quid inſanius, q̃ putare ex deo eſſe ſcientiam quæ ſubdenda eſt charitati, & ex hominibus eſſe charitatẽ quæ ſupereminet ſcientiæ. Nihil autem eſſet ſcrupuli, ſi ὑπερβάλλω patiatur ſibi iungi caſum paternum, quemadmodum habet ὑπηφανίζω & ὑπηφανολογοῦμαι & ὑπερέχω, idem ſignificans quod ὑπερβάλλω. Neq; enim huc libet confugere, ut dicam Paulũ abuſum caſu ob Græci ſermonis uel neglectũ, uel inſcitiã. Theophylactus in hãc ſentẽtiã ediſſerit, Vt poſſitis, inquit, cognoſcere charitatem Chriſti, antecellentem omni ſcientiæ. Quomodo cognoſcemus nos? Primum quidem dicit hanc antecellere ſcientiæ, nimirum humanæ, uos autem non per humanam ſcientiam, ſed per ſpiritum cognoſcetis hanc. Deinde nec hoc dixit, cognoſcetis eam quanta ſit, ſed hoc ipſum, quod magna eſt, quod excellit omnem ſciẽtiam. Hoc precor ut à ſpiritu diſcatis. Et quis hoc, inquit, neſcit? Omẽs, & hi qui moleſte ferũt, quæ cotidie accidunt, & hi qui Mammonam præferunt deo. Quod ſi hanc cognoſceremus, haud quaq̃ uel obmurmuraremus diuinæ prouidentiæ, uel rebus præſentibus animum addiceremus, à deo deficientes qui nos ſic dilexit. Illud autẽ attende, Si dilectio præcellit omnem ſcientiam, quanto magis ipſa ſubſtantia. Hactenus Theophylactus, ex quibus apparet eum ſenſiſſe charitatem excellentiorem ſcientia.

Ei autem qui potens eſt omnia facere.) Græce eſt ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι, id eſt, Super omnia facere. Atq; ita legit Ambroſius & Hieronymus: ſed ita ut ὑπὲρ aduerbium uideatur non præpoſitio, pollere autem tantundem, quaſi dicas eximie. Certe proximo loco cũ repetitur, ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ, non poteſt aliud quàm aduerbium eſſe. Eſt autem epitaſis gemina, quemadmodum annotauit & Theophylactus. Deus poteſt omnia, quod nullus hominum, & poteſt cumulatiſſime præſtare, quicquid uult. Iam illud lector, uel non monitus, animaduertis hanc eſſe coronidem quandam, quales aliquoties Paulus ceu raptus & afflatus ſubnectit ſuæ diſputationi,

Coronides in Paulo.

Superabundanter quam petimus.) ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα, id eſt, Ex abundanti ſupra ea quæ petimus.

Quam petimus aut intelligimus.) ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, id eſt, Supra omnia quæ petimus aut cogitamus. Sic enim emendat Laurentius: licet id quidẽ ad ſenſum non ita magni refert. Illud tantum ſubmonendus eſt rudis lector, articulum ὧν congruere cum præcedenti dictione, quum à ſuo uerbo diſſentiat, idq; ex proprietate ſermonis Græcanici.

In eccleſia & in Chriſto.) Copula &, redũdat. Ambroſius ordine diuerſo legit In Chriſto Ieſu, & in eccleſia. Ac iuxta hũc ordinem interpretatur. In altero loco præpoſitio ſimpliciter uſurpata eſt, in eccleſia, quaſi dicas in ſenatu, in altero iuxta proprietatem ſermonis Hebraici. Optat enim ut glorificetur pater in congregatione ſanctorum per filium Ieſum Chriſtum, & in hoc ſenſu nullus eſt uſus præpoſitionis.

EX CAPITE QVARTO.

Digne uocatione.) ἀξίως τῆς κλήσεως, Addidit nominis caſum aduerbio, quaſi dicas, canit ſimiliter tibi. Et rurſus articulus reſpondet nomini antecedenti, diſſonans ſuo uerbo. Alioqui dicendum erat ἧς ἐκλήθητε.

Cum omni humilitate.) ταπεινοφροσύνης. Quæ ſignificat animi habitũ contrarium arrogantiæ: nam humilitas quæ ταπείνωσις, aliud quiddam ſignificat. Et ob id Ambroſius addit, humilitate animi, ne fortunæ humilitatẽ acciperemus.

Cum patientia.) μακροθυμίας, id eſt, Longanimitate, ſi quis ad uerbũ reddat. Ambroſius ſic legit, cum omni humilitate animi & modeſtia, cum magnanimitate, μακροθυμίαν, uertens magnanimitatem, cũ magis ſonet animi lenitatem, ac moderationem, qua fit ut non facile cõmoueamur neq; rapiamur ad uindictæ cupiditatem. Lõganimitas propius exprimit Græcam uocem quàm magnanimitas: & tamen aliud eſt longus animus quàm lenis & lentus ad iram. Patientia recte habet niſi quod anceps eſt, & ſæpius ad tolerantiã corporis, quàm ad animi lenitatem pertinet.

μακροθυμία

Solliciti ſeruare.) σπουδάζοντες, id eſt, Studentes. Quod Auguſtinus libro ſecundo aduerſus lit. Petil. cap. lxix. uertit Sollicite agentes. Ac mox cap. lxxviij. uertit ſtudentes ſeruare

uare:quemadmodum nos uertimus.Ambrosius sollicite seruantes.

In uinculo pacis.) ἐν τῷ σωνδέσμῳ.Quasi dicas,in colligatione & concatenatione.Augustinus in eodem loco uertit coniunctione.Nam uinculū unius dici potest, σώνδεσμος est quo aliud alij connectitur.

Qui super omnes & per omnia.) Satius erat in eodem genere perseuerare,& non miscere res personis.Super omnia & per omnia,aut sup omnes & per omnes:nam apud Græcos incertum est genus.Hieronymus magis uidetur amplecti neutrum genus, adducens illud Vergilianum: Deum nāq; ire per omnes, Terrasq; tractusq; maris, cœlūq; profundum.Ambrosius mauult genus masculinum,Super omnes per omnes,& in omnibus uobis,quorum postremum non potest non esse masculini generis. Theophylactus utrūq; ad nos refert genere masculino. *Varia lectio.*

Et in omnibus uobis.) Pro quo Ambrosius legit In omnibus credentibus.Apud Hieronymū non additur uobis,tantum est in omnibus.Nec potest aliud ex illius interpretatione deprehendi.Ex hoc loco Græci refellunt hæreticos,facientes filium patre, & spiritum sanctum utroq; minorem,quod præpositionem διὰ propriè dicerent competere in filium, ἐν in spiritum sanctum,quū ἐξ tribuatur patri.Hic utraq; præpositio tribuitur patri,διὰ & ἐν.Nec tamen habuit uim diminuendi.

Ascendens in altum.) ἀναβὰς εἰς ὕψος, id est,Postq; ascenderat in altum,præteriti tēporis.Iam testimonium quod adducit,est psalmo sexagesimo septimo.Septuaginta transtulerunt hoc pacto, ἀνέβης εἰς ὕψος ἠχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν,ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώποις. Paulus sciens ac prudens ab Hebræis unicam dictionem mutauit, ut indicat Hieronymus hunc edisserens locum.Cum enim apud illos legatur,Accepit dona in hominibus,hic mutauit,Dedit dona in hominibus,Nec ea uarietas quicq; officit sentētiæ: quandoquidem in psalmo promittitur futurum,quod nondum erat factum,& ob id dicit acceptisse dona,quæ post elargiretur.Hic quoniam apostolus describit quod iam erat factū, fundatis ubiq; per orbem ecclesijs,dedisse scribitur,non accepisse. *Paulus mutauit aliquid ab Hebræis.*

Quod autem ascendit.) τὸ δὲ ἀνέβη, τί ἐστιν id est, Illud autem quod dictum est ascendit quid & cætera.

Alios autem pastores & doctores.) Annotauit Hieronymus quod cum in cæteris discreuerit officiorum genera,hic duo coniunxit.Neq; enim dictum est quosdam pastores, quosdam doctores,sed alios pastores & doctores,quod quicunq; pastores sunt, ijdem debeant esse doctores.Cum Ambrosius id non animaduertens,opinor,distinctim accipiat, quasi diuersi sint pastores ac magistri.Rursum parū uidetur obseruasse,quod apud Græcos pro magistris est διδασκάλους, id est, Doctores.Magistros enim interpretatur Exorcistas,qui in ecclesia coërceant ac uerberent inquietos. Quāq; Theophylactus propositio sensu quem ostendimus & hunc attingat de diaconis. *Episcopus idē doctor.*

Ad consummationem sanctorum.) πρὸς τὸν καταρτισμόν. Hieronymus legit,ad instructionem.Significat autē & refectionē siue reparationē aut instaurationē rei collapsæ.Doctores em̄ succurrūt lapsis & deiectis.Maxime uero probat quod nobiscū uertit Ambrosius,ad cōsummationē sanctorū:nam & hoc sonat Græcis καταρτίζειν. Ita probe cōgruit quod sequitur:In ædificationem corporis Christi:nimirū ut corpus undiq; sit perfectum.

In agnitione filij dei.) Et agnitionis filij dei. ἡ γὰρ ἐπιγνώσεως, pendet enim ab ἑνότητα,quemadmodum & fides.Et ita legit diuus Hieronymus, qui & alibi monet propriè agnosci quod antea fuerat cognitum.

Et circumferamur.) Græcis est participium, περιφερόμενοι,id est,Circumacti.Augustinus legit Circumlati,cætera commode,si tempus responderet.Et paruuli,est νήπιοι, quod ita significat puerum,ut & parum prudentem significet.Et omni uento,rectius erat,quouis uento.Nam Græca uox παντὶ anceps est.

In nequitia hominum.) ἐν κυβείᾳ.Quod uerbum ductum est à lusu tesserarum,in quo qui potest,imponit & circumuenit alterum:etiamsi Faber in prima sanè æditione mutat pro nequitia, confusionem & perturbationem,sed deceptus,ut uidetur,similitudine figuræ υ,quæ cappa uideri possit,itaq; κυκείᾳ legit pro κυβείᾳ, cum sit β. Et mutauit ille quidē hunc locum in posteriore æditione,sed ita ut nec ibi suffrager homini.Qua de re nonni- *Nequitia pro astutia.* κυβεία.

hil attigimus in noſtra ad illum apologia. Videtur autem uerbum eſſe fictum à κυβεύω, quod eſt teſſeris ludo, quod in huiuſmodi ludis arte opus eſt, & quiſq; nititur circũuenire colluſorem ſi poſſit, ad ſuum duntaxat cõmodum ſpectans, ut κυβείαν dicere poſſis aleationem, hoc eſt uerſutiam, & fallax artificium, uel potius artificem fallaciam. Teſtatur & Heſychius κυβεῦσαι præter cætera ſignificare & χλευάσαι, quod eſt irridere aut ſubſannare. Idq; Hieronymus ad dialecticorum argutias & inſidioſas captiones refert. Hæc cũ animi noſtri coniecturam, tametſi magnopere probabilem ſecuti, literis prodidiſſemus, nacti Theophylacti epiſcopi in Paulinas epiſtolas cõmentarios, haud quaq; aſpernandos, cõperimus & illum nobiſcum ſentire, cuius equidem uerba, quod ad hanc rem pertinet, nõ grauabor aſſcribere κυβευταὶ λέγονται οἱ τοῖς πεπλοῖς κεχημλύοι, τοιοῦτοί εἰσιμ οἱ ψευδοδιδάσκαλοι μετατιθέντες τοὺς ἀφελεστέρους ὥσπερ πεπλους ὡς βόλοντι, id eſt, Cybeutæ dicuntur, qui talis utuntur: eiuſmodi ſunt falſi doctores, tranſponentes ſimpliciores ceu talos, prout uolunt. Mihi quidem ſatis faciebat mea coniectura, tam conſentanea uero. Cæterum, quoniã nõnullos magis cõmouet autoritas q̃ ipſa res, Græci interpretis ſuffragiũ addidim⁹. Illud admonet Hieronymus, totum hunc locum, ſi quis Græca legat, manifeſtiorem eſſe, ſed dum Latinis ad uerbum redditur, ſenſum fieri obſcuriorem. Paraphraſi poterat explicari ad hunc modum: Donec eò peruenia mus omẽs, ut eadem ſit omnium fides, & æque cognitus, ſiue agnitus filius dei, hoc eſt, ut pertingamus ad perfectam, ſolidam, ac uirilem ætatem, uidelicet ad eam menſuram ætatis, quæ nos plene adultos reddat in Chriſto, ne poſt hac ſimus infantes, qui circumagantur ac circumferantur quouis uento doctrinæ, imponente nobis hominum aſtu, hoc agentium, non ut Chriſtum ſyncere nos doceant, ſed callidis artibus adorti nos illaqueent, capiantq;. Quin potius iſtis neglectis, quæ uera Chriſtoq; digna ſunt ſectantes, per omnia adoleſcamus in illum, qui eſt caput omnium. Is autem eſt Chriſtus, non Moſes: hic enim membrum duntaxat eſt, non caput. Hieronymus legit, In fallacia hominum, in aſtutia, & cætera.

Paraphraſis.

Ad circumuentionem.) πρὸς τὴν μεθοδείαν. Dictum eſt autem à μεθοδεύω, quod eſt hominem adoriri ex inſidijs. Et erroris, ἡ πλάνης, melius uertiſſet impoſturæ. Nam πλάνη, & decipientis eſt, at error decepti. Mirum eſt autem quid ſecutus Ambroſius, legerit ad remediũ erroris, niſi forte methodum ille ſcripſit, idq; aliquis transformauit in remediũ. Auguſtinus uertit machinationem.

Veritatem autem.) Dilucidius erat, ſed quàm autem, aut ſed potius, corrigit enim quod præceſſit.

Veritatem autem facietes.) ἀληθεύοντες, id eſt, Veritatem ſectantes. Nam ἀληθεύω, eſt uel præſtare quod dixeris, uel uera loqui. Nam hoc oppoſuit τῇ κυβείᾳ καὶ τῇ πλάνῃ, hoc eſt, Verſutiæ & impoſturæ.

Creſcamus in illo.) αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, id eſt, Augeamus in illum omnia: ſic quidem emendat Laurentius. Ego ſanè puto recte uerti poſſe, Augeſcamus in illum per omnia, ut ad τὰ πάντα, ſubaudias præpoſitionem κατά. Tametſi Hieronymus legit, Vt augeamus in ipſo omnia, Et item Ambroſius, ſi tamẽ codices mendo uacant. Nec ab his diſſentit Theophylactus, interpretans omnia in nobis eſſe augenda & uitam & dogmata. Poteſt autem in uerbo tranſitiuo ſubaudiri nos, pronomen, etiamſi αὐξάνω apud Græcos neutralem habet ſignificationem, nec memini in alio ſignificatu comperiſſe. Proinde ſequatur lector, quod maxime probauerit: etiamſi noſtra lectio ab horum interpretatione minime diſſidet, præſertim cum mox ſequatur, τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος.

Compactum.) συναρμολογούμενον. Quod ante uerterat conſtructum.

Connexum.) συμβιβαζόμενον, id eſt, Coagmentatũ. Hieronymus legit conglutinatũ.

Iũctura ἁφή,

Per omnem iuncturam.) ἁφῆς. Quod non poſſis aptius uertere, quàm commiſſuram. Eſt enim ἁφὴ cõmiſſio, ſic ut utrũq; ſe mutuo contingat, ueluti membrum membro connexum. Proinde Auguſtinus in pſalmo decimo, legit, Per omnem tactum. Idem libro de ciuitate dei uigeſimoſecundo, capite decimooctauo, locũ hunc adducit hiſce uerbis: Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit, ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Et ipſe dedit, quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas, quoſdã uero euangeliſtas, quoſdam autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in

ædificationẽ

ædificationem corporis Christi,donec occurramus omnes in unitatem fidei,& agnitionem filij dei,in uirum perfectum,in mensuram ætatis plenitudinis Christi,ut ultra non simus paruuli,iactati & circumlati omni uento doctrinæ,in illusione hominum,in astutia, ad machinationem erroris:ueritatem autem facientes in charitate, augeamur in illo per omnia,qui est caput Christus,ex quo totum corpus connexum & cõpactum, per omnẽ tactum subministrationis,secundum operationem in mẽsuram uniuscuiusq; partis,incrementum corporis facit,in ædificationem sui in charitate.

Secundum operationem.) κατ' ἐνέργειαμ. Rursum est illud nomen toties obuium,quod actum ac uim occultam significat.Sentit de spiritu uitali,qui à capite proficiscens, impartit uim suam,non omnibus parem,sed quatenus conducit toti corpori.Ad eum modum interpretatur & Theophylactus,ut ἐνέργεα, quã hic operationẽ uertit, pertineat ad actũ spiritus Christi in membris suis,non ad opera nostra,quemadmodum exponit Lyranus. *Lyranus.* Thomas ita moderatur interpretationem,ut uideatur utrũq; sensisse.

In mensuram.) ᾧ μέτρῳ, id est,In mensura,etiamsi dissentiant Latina exemplaria,ut intelligas in corpore cuiq; membro iuxta suũ modulũ impartiri de uita corporis & alimento.Sic enim dixit in mensura,quasi dixisset per mensuram,siue iuxta modum.

Vniuscuiusq; membri.) μέρους, id est, Partis.Quanquàm Græcis exiguum discrimen inter μέλους, & μέρους.

In ædificationem sui.) ἑαυτοῦ, id est, sui ipsius.

In domino.) Quidam Græci codices habent, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, id est,In conspectu dei.

Sicut & gentes.) Nõnulli codices habent,Sicut & reliquæ gentes, τὰ λοιπὰ ἔθνη.

In uanitate sensus.) νοὸς,id est,Mentis potius q̃ sensus,atq; ad eum modum mox uertit interpres,Renouamini spiritu mentis uestræ. Valla iure taxat eos, qui sensum interpretantur, sensualitatem, eum Græcis νοῦς sit ea pars animi,quæ maxime semota est à materia corporis,quæq; sola putatur aliquid agere sine corporis organis. *Sensus,pro mente.*

Obscuratum habentes intellectum.) ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, id est, Obscurati cogitatione,siue animo.Hieronymus legit,obscurati mente,Ambrosius obscurati intellectu.At noster interpres hoc sanè loco clarius extulit ὄντες.

Alienati à uita.) Abalienati, ἀπηλλοτριωμένοι, id est, Abalienati.Et ita legit diuus Hieronymus. A uita dei.) Quidã codices habent,à uita dei, sed mendosè.Est enim à uita τῆς ζωῆς. Ambrosius legit,à fide dei.Potest & hic esse sensus,à uita qui est deus. Id enim subindicant articuli utrobiq; appositi τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ. A uera uita qui est deus. *Dissonat à nobis Ambrosius*

Per ignorantiam.) διὰ τὴν ἄγνοιαμ, Propter ignorantiam.

Et cæcitatem.) πώρωσιμ,Quod magis sonat excæcationem.Mirum unde Ambrosius legat pro cæcitatem,duritiam,nisi forte codex illius pro ,πώρωσιμ habebat σκλήρωσιμ.

Qui desperantes semetipsos.) οἵτινες ἀπηλγηκότες, ἑαυτοὺς παρέδωκαμ, id est, Qui socordia detenti tradiderunt semetipsos,emendatore Valla.At diuus Hieronymus existimat recte uerti posse,indolentes pro desperãtes,quod uox Græca hinc uidetur deducta, cum quis uacat dolore & sensu sui mali, & ob id stupens fertur in omne uitium.Ad eundẽ modum interpretantur Græcanica scholia.Et abutitur quidem M. Tullius uerbo indolentiæ,sed cupiens utcunq; explicare Græcam ἀναλγησίαμ. ἀλγεῖμ enim Græcis dolere. ἀπηλγηκώς dicitur, qui ut ita loquar,dedoluit,siue ut Comicus loquit̃ perdoluit,quiq; eò duritiæ peruenit,ut ad oẽm duritiæ sensum obsurduerit:sicut deferbuisse dicitur Latinis, qui desierit feruere,& desipere,qui sapere desierit.Haud scio an interpres legerit ἀπηλπικότες. Et facillimus est lapsus in una literula.Quin & Ambrosius legit atq; interpretatur, desperantes.Ac mea quidem sententia magis quadrabat ad sententiæ tenorem desperantes.Siquidem qui desperant esse uitam à morte corporis, auidissime rapiunt huius uitæ uoluptates,atq; his sese ingurgitant,uelut amissis illis nihil habituri suaue. *Noua Hieronymi interpretatio.*

Immundiciæ omnis in auariciam.) Videtur auaricia nihil habere confine cum immũdicia,aut libidine,atq; ob id admonet Hieronymus Græcis nõ esse φιλαργυρίαμ, aut φιλοχρηματίαμ, quæ uoces ab auiditate pecuniæ dictæ sunt,sed πλεονεξίαμ ab habendo plus q̃ æquum est uocatam.Porrò qui uehementer est auidus uoluptatum, non est contentus uxore sua,sed alienam quoq; constuprat,& subinde aliam inuadit,quo uoluptatis satie-

tatem euitet. Hoc pacto putat accipiendũ & eum Pauli locum, qui est in epistola ad Thessalonicenses priore, cap. quarto, Hæc est enim uolũtas dei sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione, ut sciat unus quisq; uestrũ suum uas possidere, in sanctificatione & honore, non in libidine desiderij, sicut & gentes quæ non nouerunt deũ, ut ne quis supergrediatur & circũscribat in negotio fratrẽ suum, quoniã uindex est dñs de his omnibus. Nam & illic quod interpres uertit, circũueniat est πλεονεκτῆμ. Mihi uidetur & ita posse accipi, ut ἐν πλεονεξίᾳ dictũ sit pro eo quod erat auide. Theophylactus refert ad omnẽ cõcupiscentiam immoderatã. Nam hæc pertrahit homines in cæcitatem mentis.

In auariciã.) In auaricia, ἐν πλεονεξίᾳ. Quasi dicas p auariciã siue cupiditatẽ rei alienæ.

Si tamen illum.) εἴγε, id est, Siquidẽ, aut si sanè. Admonet Theophylactus non esse dubitantis, sed confirmantis. Atqui tamen additum, dubiam reddit orationem.

Tamen nõ recte additum.

Deponite uos.) Græce sic est, ἀποθέσθαι ὑμᾶς, ἀνανεοῦσθαι, καὶ ἐνδύσασθαι, id est, Deposuisse uos ueterem hominẽ, & renouatos fuisse spiritu, & induisse nouum hominẽ. Aut ut legit diuus Hieronymus, deponere uos, ut referatur ad didicistis: sed tum omittendũ erat p nomen uos. Nam is ordinat in hunc modum: Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in illo docti estis, deponere uos secundũ priorem conuersationem ueterem hominẽ, qui corrumpitur iuxta desideria erroris. Ambrosius ad hunc legit modũ, Vt exponatis secundũ priorem conuersationem ueterem hominem, sed mox infinita uertit in imperatiua, renouamini, induimini. Theophylactus putat infinita posse referri, uel ad illud, Estis edocti, uel ad hoc, sicut est ueritas. Quasi interroges, quid estis edocti? nempe deponere ueterem hominem. Aut quæ est ueritas? nempe deponere &c.

Ordo.

Secundum desideria erroris.) Hilarius libro de trin. xij. addit pronomẽ, Secundũ concupiscentiam eius deceptionis, fortassis exprimere cupiens uim articuli τῆς ἀπάτης.

Renouamini autem.) Et hic infinita sunt, sicut admonuimus, quæ possunt pariter ad idem referri, Si didicistis.

Et sanctitate ueritatis.) ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. Ambrosius legit, In ueritate & iustícia. Verti poterat In religione ueritatis. Nam Græci literatores putãt ὅσιον dictũ quasi ἄσιον à uerbo ἄζω quod est ueneror ut numen.

Cũ pximo.) μετὰ τοῦ πλησίον, id est, ad pximũ. Tametsi recte uertit interpres. Nam cũ eo loqui dicimur, cui loquimur: ut pugnare cũ eo, aduersus quem pugnamus.

Irascimini & nolite peccare.) Id quemadmodũ è psalmo sumptũ est ita iuxta formam Hebræi sermonis extulit. Nam sensus est, si continget irasci, tamen ne peccetis, hoc est, cõpescite iram. Neq; enim Paulus iubet nos irasci, sed iram non uult esse diuturnam, nec ad iniuriam usq; progredi. Nec est iracundia Græce, quæ uox Latinis, non tam iram q̃ naturæ uitium, aut certe habitum significat animi facile irascentis, sed παροργισμῷ, id est, Iram, siue cõmotionem, aut iritationẽ: ut intelligamus ei qui lacessitus sit iniuria, etiam si quid doleat, tamen eum dolorem breuem esse oportere, & citra retaliationem iniuriæ debere consistere inter Christianos. Deinde diabolo, haud scio an hic pro calumniatore possit accipi. Sitis, inquit, cõcordes, ne si iuste etiã ulciscamini, præbeatis ansam calumniãdi ethnicis, quibus uidebimini uindictæ cupidi. Siquidem calumniatur & diabolus per organa sua: neq; quicq̃ uetat, calumniatorem appellari Latine diabolum ipsum. Quandoquidẽ non defuit & huic loco sic à me reddito diabolus.

Iracundia παροργισμός

Nolite dare.) μὴ δίδοτε, id est, Neq; detis.

Manibus suis.) ταῖς ἰδίαις χερσίν, id est, Propriis manib⁹. Quãq̃ hic ἴδιον & ἑαυτοῦ p idẽ pnomẽ suus, ppetuo cõsueuit uertere. Quidã codices nõ addũt suis, ut nec Ambrosius.

Quod bonum est.) Potest legi per parenthesim, quod bonũ est, quæ res bona est, uel operetur rem bonam, hoc est, nõ è turpi opificio quærat uictum, sed honesto.

Necessitatẽ patienti.) τῇ χρείαν ἔχοντι, id est, Opus habenti. Hoc admonet, ppter quosdã qui docent nos nõ obligari ad subueniendũ pximo, nisi in necessitate: Necessitatẽ aũt interpretant, quũ certo cõstat periturũ pximũ ni demus quod desiderat. Et tñ hoc ipsum quod sic datũ est, putant iure repeti, si qui accepit possit reddere. Ad has angustias detrusimus illã amplissimã charitatẽ euangelicã. Hieronymus legit, ei qui indiget. Et est ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι, i. Vt possit impartire. Nã ἔχω adiũctũ uerbis infinitiuis, aliquoties usurpat̃ p

possum

possum. Sermo malus.) λόγος σαπρὸς, id est, Sermo spurcus, aut uitiosus. Neq; enim sentit opinor de sermone leui, aut supuacaneo, sed obscœno aut pestilenti. Annotauit Græcæ uocis emphasin Theophylactus: etiamsi in euangelijs de arbore mala loquens, eadem uoce est usus euangelista.

Aedificationē fidei.) In Græcis codicib⁹ φῆ χρείας, id est, Vtilitatis lego, nō fidei. Hieronymus testat emendasse se, ad ædificationē opportunitatis, sed in Latinis codicibus, p opportunitatis, legi, fidei, ppter euphoniam. Atq; ita legit diuus Ambrosius. Admonet & Theophylactus de dictione χρείας. Nec uideo tamē quæ sit cacophonia in opportunitatis, aut quod malim utilitatis. Nam opportunitas aliud sonat Latinis q̄ χρεία, neq; opportunitas respondet uerbo oportet. Ex hoc loco colligere licet Hieronymū in hac epistola sequi quod ipse emendarat, & tamē nō in alia epistola plura sunt quæ discrepant à uulgata lectione. Vbi sunt igit̄ qui cœlū terræ miscent, quod aliqui dubitant, an uulgaris ædītio sit Hieronymi. Quod aūt hos cōmentarios scripserit post castigatū nouū testamentū, arguit liber ipsius de scriptoribus illustribus, in quo cōmemorat cōmentarios in epistolam ad Galatas, ad Titū, ad Philemonē. Præterea castigatū nouū testamentū, quū huius operis nullā faciat mentionē. Hic cerdo quispiam fortasse respondebit, obliuionē in causa fuisse aut spiritum hoc noluisse. Apparet autem Hieronymū extrema senectute hos cōmētarios ædidisse. In die.) εἰς ἡμέραν, id est, In diem. *Fidei pro opportunitatis*

Ira & indignatio.) θυμὸς & ὀργὴ, id est, Ferocia & ira, θυμὸς, ppriè est impetus animi efferuescentis & concitati.

Inuicē benigni.) χρηστοί. Hieronymus putat rectius uerti suauitatē, q̄ benignitatē, ut opponatur amarulentiæ & asperitati morum: nam & χρηστολόγοι dicti sunt, uehementer comes & blandi. Benignitas enim propriè ad dandum pertinet, hoc est, ad liberalitatem.

Misericordes.) εὔσπλαγχνοι. Quod nō solū ad misericordiā, sed ad oēm pietatis affectū pertinet, quasi dicas bonorū uiscerum. Nam uiscera, p affectibus usurpant diuinæ literæ.

Donantes inuicē.) χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, id est, Donātes uobisipsis, ut intelligas quod in alios bñfeceris, id tuo bono, tuoq; lucro fieri, magis q̄ illius qui accipit. Ita Hieronymus: neq; enim hic est donātes, p cōdonantes seu ignoscentes positū, sed χαριζόμενοι, id est, Largientes, seu libēter dantes. Ambrosius legit & interpretat donātes, ignoscētes, & remittētes peccatū: atq; ita sanè Paulus usus est in epistola secūda ad Corinthios eodē uerbo χαρίζεσθε. Et ego si quid donaui &c. quod quidē & hic sequutus est Theophylactus. Proinde si placet hic sensus, qui mihi magis arridet, ἑαυτοῖς uertendū erat uobis inuicem, ut mutuo ignoscamus alij aliorum erratis, nam & hoc ad misericordiam pertinet. *Excussa Hieronymi annotatio.*

Donauit uobis.) ὑμῖν, id est, Nobis, prima persona. Tametsi Græci codices uariant.

EX CAPITE QVINTO.

IN odorē suauitatis.) εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, id est, In odorē redolentiæ siue bonæ fragrātiæ. Hieronymus in præfatiōe Zachariæ: reddidit odorē bonæ fragrantiæ. Nec nominetur.) μηδὲ ὀνομαζέσθω, id est, Ne nominetur quidem.

Aut turpido, aut stultiloquiū.) Græcis hoc loco non repetitur, aut, sed &, & tamen laudo quod mutauit interpres. Etenim cum sensus sit idem tamen cōmodior est oratio. Quod si recte fit in aliquot locis, quoties libuit interpreti, quid uetat quo minus idem fiat quoties quoties ratio postulat?

Aut scurrilitas.) εὐτραπελία, id est, facetia siue lepos. Nam in bonam partem apud philosophos accipitur. Sentit autē urbanitatē scurrilem, & indignā graui uiro. Tametsi Hieronymus eiusmodi quoq; sales, qui tantum risus causa dicūtur indignos esse putat uere Christianis, adducēs illud ex Hebraico euāgelio, Nūq̄ læteris, nisi cū uideris fratrem tuū in charitate. Equidem ut iocos utcūq; tolero, modo docti sint & sale conditi, ita non fero quosdam, qui quoties urbani uideri uolūt, è diuinis literis ad suas ineptias detorquent aliquid. Quod infestiuum festiuitatis genus, impēse uideo placere monachis quibusdā, ac sacerdotibus etiā nōnullis, qui si cupiāt uel insectari quēpiā, canticū Mariæ, uulgo dictū Magnificat: aut canticū uulgo dictū Te deū: cōmutatis aliquot uerbis, detorquēt ad uirulentiā. Huiusmodi sales illis merito placēt, qbus placet Catholicon, Māmætractus, & id genus insulsissima gloſſemata, quibus arridēt frigidissimæ quæstiunculæ, ut ubiq; sui sint *εὐτραπελία* *Ioci insulsi.*

Camelus saltitans. similes,nō minus ridiculi dū iocantur,hoc est,dū camelus saltat,q̄ dū serias res agūt. Cæterū quod sequitur,gratiarū actio,Græcis est εὐχαριστία.Id uerbi diuus Hieronymus interpretatur gratiositatē seu gratiā,quod apud Hebræos gratiosus & gratias agens eodē uerbo dicatur.Putat em̄ in Prouerbijs ita scriptū, γυνὴ εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν, id est,mulier grata suscitat uiro gloriā.Nā cæteri quoq; interpretes,Aquila,Theodotion,& Symmachus uerterūt,χαροπός,id est,Gratiosa,nō εὐχάριστος.Hæc huc tēdūt,ut sermo Christianorū absit à scurrilibus iocis,sed sua quadā gratia cōditus sit.Verū id lectori expendēdū relinquo.Mihi Hieronymianū cōmentū hoc loco nō usq; quaq; probatur,præsertim Græcis nō suffragantibus.Ambrosius interpretatur εὐχαριστίαν,sermonē ad dei laudē facientē.

Quæ ad rem non pertinēt.) τὰ οὐκ ἀνήκοντα, id est,nō conuenientia,siue quæ non conueniunt:quemadmodum alibi uertit:ut ad personam referatur.Alius sermo scurram decet,alius seruum Christi.Et si iocandum est,debet adhiberi iocus decorus.Videmus & inter Paulum eremitam & Antonium iocos quosdam intercessisse,Hilarionem multa falsè dixisse.Verum huiusmodi sales non stultum risum excitant,sed laudem dei sonant.

πλεονεξία torquetur ad stuprū. Scitote intelligentes.) ἐστὲ γινώσκοντες, id est,Sitis cognoscētes.Quanq̄ quidā codices, habent, ἴστε, id est,sciatis,ut cōgeminatio epitasin habeat.Priorē lectionem sequitur Ambrosius & Hieronymus.De uoce πλεονεκτεῖν admonet diuus Hieronymus à πλέον ἔχειν dictam,ubi quis occupat alienum.Proinde superius aliquāto, Ne quis circūueniat in negocio fratrē,de adulterio interpretatus est: & hic πλεονεξίαν putat pro stupro accipi posse.

δουλεία λατρεία Quod est idolorū seruitus.) ὃς ἐστὶν εἰδωλολάτρης, id est,Qui est idolorū cultor.Hieronymus legit,qui est idolis seruiēs.Hic interpres λατρείαν modo cultū uertit, modo obsequiū modo seruitutē.Augustinus lib.de ciuitate dei decimo,admonet seruitutē q̄ quis nō est sui iuris appellari δουλείαν.Cæterū cultū eū quo colim⁹ deū plerūq; λατρείαν dici in sacris literis.

In regno Christi & dei.) Sic patrē uidetur appellare deū,quasi Christus nō esset deus. Verū id aliās admonuimus,patrē ex cōsuetudine sermonis apostolici significari,quoties deum absolute nominarit,cū ex plurimis locis palàm sit & Christum illis uocari deum.

Venit ira.) ἔρχεται. Venit hoc loco præsentis temporis est,aut certe futuri nam præteriti esse non potest.Rectius,opinor,accipi præsenti tempore,ut intelligamus ob huiusmodi,diuinam iram solere sæuire in filios male morigeros,minusq; dicto audientes.

In filios diffidentiæ.) ἀπιστείας, id est, Inobedientiæ,siue incredulitatis: quemadmodū antea meminimus.Hieronymus putat rectius uerti insuasibilitatis,quos nos intractabiles appellamus.Mirū aūt Hieronymo placere uerbū insuasibilitatis latinis auribus inauditū.Cyprianus in epistola ad Epictetū legit,In filios cōtumaciæ.Porrō de colore sermonis Hebraici,quo filiū contumacem,contumaciæ filiū uocant,crebro iam admonuimus. *Colos sermonis Hebræi.*

Participes eorū.) συμμέτοχοι,id est,Comparticipes,id est,Ne sitis participes malorū cū illis.Agit em̄ de fructibus impietatis,quorū non uult eos esse participes cū impijs,ut altera pars cōmunionis pertineat ad rem,altera ad personā.Id quidē diligenter,ac multis uerbis annotauit Hieronymus.Mihi quisquis particeps est,& alicuius rei particeps sit oportet,& cum aliquo particeps.Addit ille,in diuinis literis participem dici in bonam partē, comparticipem in malam.An hoc perpetuum sit nescio,Certe huius epistolæ cap.tertio, usurpauit in bonam partē,loquens de gentibus ad Christū cōuersis,συμμέτοχοι τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ,id est,cōparticipes promissionis.Nō est insectandus uir sanctus,sed tamē hic insignis lapsus est memoriæ . Primū iubet hoc discrimen diligenter obseruari,negat q̄ se meminisse sibi lectam comparticipis uocem in diuinis literis,nisi significatione mali,quū ipse huius epistolæ cap.tertio diligenter indicet additam his dictionibus præpositionem, concorporales & comparticipes dure quidem sonare latinis auribus,sed tamen nō omittēdam,quod in diuinis literis,nec apices nec puncta careant mysterio.Hæc admonere uisum est ut in his qui prodesse student moderatius feramus humanos lapsus,quum id usu uenerit uiro sic in diuinis uoluminibus exercitato. *Particeps cōparticeps.*

Fructus enim lucis.) Græce est,fructus em̄ spiritus,ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ πνεύματος.Quāq̄ Latini codices,& consensus interpretum & ipse sermonis ordo refragatur huic lectioni. Præcessit enim lucis mētio, Nūc aūt lux in dño,ut filij lucis ambulate.Quāq̄ Theophylactus legit & interpretatur fructus lucis.Item sequitur,& nolite communicare operibus infructuosis

infructuosis tenebrarum. Beneplacitum deo.) Græce est dómino.

Magis aũt redarg.) Omissa est coniũctio &, καὶ: & redarguite pro arguite. Ambrosius legit, obiurgate, sed accõmodati⁹ erat arguite ἐλέγχετε. Siquidẽ ipsa lux bonæ uitæ, arguit & prodit turpia facta tenebrarum, etiamsi nihil obiurges. Memor igitur metaphoræ subiecit, Magis autem arguite. Arguit enim qui reprehendit & uincit, & arguit qui prodit. Et sermo qui consequitur, Omnia autem à luce manifestantur, magis exigit, ut legamus arguite pro prodite, quàm pro obiurgate. Quanq; hic quoq; legit Ambrosius obiurgantur, quẽadmodũ ante legit & exposuit, obiurgate. Mecũ hactenus facit Theophylactus.

Omne enim quod.) τὸ φανερούμενον. Quoniã participiũ est mediũ, ambiguã reddit orationem. Nam potest esse sensus, Quicquid manifestatur, lux est: aut quicquid manifestat, lux est. Apparet autem potius actiue legendũ q̃ passiue. Nisi me moueret articulus participio appositus non nomini, interpretarer ad hunc modum, Id quod omnia manifestat, lux est, τὸ πᾶν φανερούμενον φῶς ἐστιν. Quicquid eñ celat nox & caligo, id lumen retegit aperitq;. Ex sancta piorum uita, & ex prædicata ueritate, omnia palàm fiunt, quæ ab hac dissident. Nunc autem habemus, πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστιν. Et Theophylactus passiue interpretatur φανερούμενον exponens, delictum simulatq; proditum ac retectum fuerit, uerti è tenebris in lumen. Atq; hoc nos sequuti sumus. Hieronymus legit arguta, sed interpres melius, qui temporis quoq; rationem expressit. Rursus ex hoc loco & proximo liquet, uulgatam translationem non esse Hieronymi.

Surge qui dormis.) Id quod Paulus citat, Hieronymus negat usq; reperiri in diuinis literis, sed uel ex apocryphis depromptũ existimat, uel ab ipso Paulo prophetico spũ proferri. Mirum est autem hunc scrupulum à Græcis dissimulari. *Quod Paulus citat nusquã legitur.*

Et illuminabit te.) καὶ ἐπιφαύσει σοι, id est, Et illucescet tibi Christus, siue oriet tibi Christus ut uertit & emẽdat diuus Hieronymus. Cæterũ qđ idẽ admonet à quibusdã legi, nõ ἐπιφαύσει, sed ἐφάψεται, id est, continget, qui uelint hoc uideri dictũ à Christo pendente in cruce, ad Adam illic sepultum, qui sanguine redemptoris contactus, uitam receperit, coactius est, & Iudaicas sapit fabulas. Et tamen Hieronymus testatur se interfuisse in cõcione in qua cõmentũ hoc miro plebis applausu sit exceptum. Quemadmodũ & ipse audiui de litera Syn, quæ lingua Britãnica sonat peccatum, media in Hebraico nomine Iesus. Itẽ de tribus inflexionibus, Iesus, Iesu, Iesum, quas interpretabatur ex postremis literis, sũmus ultimus & medius. Quanq; ita uideo legisse Ambrosium, nõnihil tamen & aliâs dissidens à nostra lectione. Legit enim hunc ad modum: Et exurge de mortuis, & continges Christum. Augustinus item enarrans psalmum tertium, legit, Et cõtinget te Christus. *Lectio duplex.*

Videte igitur fratres.) Fratres non est apud Græcos.

Caute ambuletis.) ἀκριβῶς, id est, Diligenter & accurate, nimirum in tanta luce. Vnde bene dixit, uidete, quod in tenebris non liceat cernere.

Redimentes tempus.) ἐξαγοραζόμενοι, Quasi mercantes & ementes. Et tẽpus hic occasionem sonat siue opportunitatem, quam uult emi cæterarum rerũ dispendio, τὸν καιρόν.

Mali sunt.) πονηραί. Quod ipsum uerbum ambiguum est ad afflictum & sceleratum, ut pote à labore dictum. Siquidem laboriosa res est & impostura. *Mali pro miseri*

Voluntas dei.) Domini est Græcis pro dei, τοῦ κυρίου.

In quo est luxuria.) ἀσωτία, id est, Luxus. Hoc admonui, ne quis hic luxuriã accipiat pro libidine, ita ut uulgus facit. Nec uideo cur Faber malit ꝓ luxuria insalubritatẽ, quasi hoc agat Paulus ceu medicus, ut simus salubri corpore, temperantes ab ebrietate. Nam ut donemus ἀσώτους dictos à uerbo σέσωσαι, id est, seruatus est, addita particula priuatiua α & abiecto σ, non potest tamẽ significare insalubritatem, nec usq; apud scriptores Græcos hoc sensu reperitur usurpatum: imò populus Asotorum sic dictus est Græcis, quod essent luxu perditi, sic assidue uersantes in comessationibus ut nusquàm uiderent solem, nec orientem nec occidentem. Quorum meminit & Plato, præter alios innumeros: hinc & uerbum deductum ἀσωτεύομαι luxu diffluo, quo usus est Athenæus libro dipnosophistarum octauo. Iam dictio quo, mea sententia non simpliciter refert uinum, sed totam orationis particulam quæ præcessit: nolite inebriari uino in quo, hoc est in qua re, & in qua uini temulentia est luxus. Porrò quod hic uocat ἀσωτίαν, alibi dixit ἀσέλγειαν. Nec omnino sit absurdum siquis aliqñ abutatur luxuria ꝓ uitio libidinis, propter cognationẽ *Faber* *ἀσωτία.*

huiusmodi uitiorũ,comesationis,temulentiæ,chorearũ,& libidinis. Tamẽ impudens mihi uideť,ꝙ Thomas extorquere conať,Luxuriã ꝓprie dici de immodico usu rei uenereæ, adeo ut hic etiã reijciat Augustinũ suũ,qui in libris quibus titulũ fecit De confessionibus scripserit,Luxuria ad satietatẽ & abundantiã se cupit uocari. Soluit aũt hũc nodũ hac arte,ꝙ sicut tẽperantia principaliter quidẽ,& ꝓprie est,circa delectatiões tactus, dicitť autẽ ex cõsequẽti ꝑ similitudinẽ quãdã in quibusdã alijs materijs: Ita luxuria principaliter quidẽ est in uoluptatibus uenereis,quæ maxime & præcipue animũ hois resoluũt,secũdario aũt dicit in quibuscũq; alijs ad excessum ꝓtinentibus. Hactenus Thomæ uerba recensuimus. Iã ne qd exagitemus,qd tã facile recedit ab Augustini sentẽtia,qui cũ primis nouit Romani sermonis ꝓprietatẽ,quis unq; dixit tẽperantiã ꝑcipue uersari circa uoluptates tactus,cũ sit moderatio omniũ affectuũ? Sed sit libido maxime affectus impotẽs,an præcipua pars huius mali sita est in tactu,ac nõ magis in oculis,in sermone, in animo? Deinde an luxuria trãsferť ad quẽuis excessum? An qui immodice amat pecuniã diceť luxuriosus, q̃ præter modũ frugaliseſt diceť luxuriosus? Atq; hic excessus est. Denicq; si Euclio amet, necq; det quicq;,dicetur luxuriosus? Et tñ hanc opinionẽ cõfirmat autoritate glossæ,quæ est in epistola ad Galatas,cap. v. quæ dicit: quod Luxuria est quælibet superfluitas. Ac mirũ quod hũc Pauli locũ nõ adduxerit,cũ citet locũ è ꝓuerbijs: Luxuriosa res est uinũ, sed usus uini pertinet ad potũ,ergo &c. Sed hunc nodũ satis feliciter explicat. Tertius nodus difficilis est,Luxuria,inquit,dicitur,libidinosæ uoluptatis appetitus &c. Hic cũ nullũ citet autorẽ,imaginatur libidinosam uoluptatẽ accipi pro uoluptate uenerea. Cũ Augustinus testetur libidinẽ frequẽter accipi pro quocũq; affectu nõ obtẽperãte ratiõi. Princeps occidit immerentẽ,libido est. Et tñ ut fateatur Augustinus sermonis usus aliquoties accõmodat hãc uocẽ proprie ad rem uenereã,qd de luxuria nemo probus autor unq; scripsit. Sed his etiã festiuius est qd interiecit,inter antitheses & lysis: Dicitur in libro de uera religiõe de luxuriosis: qui seminat in carne de carne metet corruptionẽ. Sed seminatio carnis fit ꝑ uoluptates uenereas,ergo ad has ꝓtinet luxuria. Primũ appello lectorẽ sobriũ,an ibi Paulus senserit de uoluptate uenerea,ac nõ potius de lege Mosaica,& si sensit, an ꝓprie senserit. Quod si sensit de impio amore rerũ omniũ uisibiliũ,quid hoc cõducit Thomæ, qui uult luxuriã ꝓprie cõuenire uoluptati uenereæ? Sub hæc inducit nobis Isidorum,qui putat luxuriosum dici,quasi solutũ: suspicor à luxando,siue à laxando, sed Venus maxime soluit animũ,igitur huc pertinet luxuria. At qui hoc nõ proposuerat Thomas,sed an proprie huc ꝓtineret. Postremo quid hic agit Thomas,nisi de uocabulo uitij? Porrò uocabulũ unde potius petendum fuit,q̃ ab autoribus Latinis? Quorsum aũt opus erat huc detorquere luxuriã cũ esset libido & impudicitia Latina notaq; uocabula. Et tamẽ uelut euicta re,secat luxuriam in omnes libidinum species. Nõ insector Thomam,sed planè miseret me illorum,qui nihil aliud discunt: & mihi minus displiceo,qui non perinde multum ætatis in huiusmodi scriptoribus consumpserim.

Implemini spiritu sancto.) Græce est,sed implemini spũ,nec additur sancto nec apud Græcos,nec apud Ambrosium,nec apud Hieronymum,nec in uetustis exẽplaribus,suffragante utroq; Constantiensi,tantũ est spũ,ἐν πνεύματι. Id opposuit temulentiæ uini.

Supereſt in noſtra æditione.

In psalmis.) In,redũdat ψαλμοῖς. Nec est in cordibus,sed in corde. Cæterũ psalmus & hymnus utrũq; Græcũ est. Illud significat cantionẽ,hoc laudem,sed proprie dei. Et hæc opposuit ebrijs cantionibus. In timore Christi.) Iam frequẽter admonui in timore ꝓinde ualere,ac si dixisset per timorem. Hieronymus putat hanc particulam sic accipi posse,quasi sit genus propositum,quod mox diuidatur suis partibus,uidelicet Mulieres subditæ sint uiris,seruí dominis,filij parentibus.

Subditæ sint.) Subditæ estote ὑποτάσσεσθε. Hieronymꝰ negat hãc particulã addi in Græcis codicibus,Subditæ sint,sed hũc sermonẽ pendere ex capite superiori,Subiecti inuicẽ in timore. Nimirũ,mulieres subditæ uiris &c. Et tñ id hodie reperitur in Græcorũ codicibus, adiectũ ut apparet,quo & sensus sit dilucidior,& capitulũ hoc separatim legi queat, si res ita postulet. Ipse saluator corporis.) καὶ αὐτός ἐστι, id est, Et ipse seruator corporis est. Et eius pronomẽ,apud Græcos nõ additur,nec apud Ambrosiũ,nec apud Hieronymum.

Supereſt rurſum.

In uerbo uitæ.) Vitæ apud Græcos nõ addiť,nec apud Ambrosiũ,nec apud Hieronymũ. Vt exhiberet.) ἵνα παραστήσῃ αὐτὸς ἑαυτῷ, id est, Vt adiungeret eam sibi ipsi. Et

continuo

cõtinuo additur glorioſam, ἔνδοξον, deinde, τὴν ἐκκλησίαν, id eſt, Nempe eccleſiam.

Sancta & immaculata.) καὶ ἄμωμον, id eſt, Irreprehẽſibilis. Tametſi imaculata nõ dãno.

Ita & uiri.) Et coniunctio redundat.

Vt corpora ſua.) ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα, id eſt, Vt ſuaipſorum corpora.

Corporis eius.) Poteſt legi & eiuſdem pro eius αὐτοῦ.

Propter hoc relinquet.) ἀντὶ τούτου, id eſt, Pro hoc, uel loco illius. Quod quidem anno tauit & diuus Hieronymus, pro ἕνεκεν τούτου dictum à Paulo ἀντὶ τούτου, quod fermè ualet, quaſi dicas pro patre ac pro matre. Teſtimoniũ aſſumpſit ex Geneſeos cap. ſecundo, ſed ſuo more decerpens, quod ad præſentem locũ cõmodum uidebatur. Nam omiſſis pronominibus, ſuum & ſuam, tantũ poſuit patrem & matrem. Deinde quod erat in medio, Et adhærebit uxori ſuæ, prætermiſit, & annexuit qđ ſequit̃, Et erũt duo in carne una, quod id efficacius ſit q̃ adhærere, nempe è duobus unum hominem fieri. *Annotatio Hieronymi quàm minuta.*

Et adhærebit.) καὶ προσκολληθήσεται, id eſt, Adglutinabitur, quæ uox non caret emphaſi. Nec eſt uxori ſuæ, ſed ad uxorem ſuam.

In carne una.) εἰς σάρκα μίαν, id eſt, In carnẽ unã, hoc eſt, è duobus fiet unus homo, iuxta ꝓprietatẽ Hebraici ſermonis, quí totũ hominem, carnem appellat nonnunq̃, nõnunq̃ animas, ipſos homines uocat. Itidem apud Græcos σάρκας ſæpe pro homine poſitum reperies. Verum de hoc aliàs à nobis dictum eſt: & item de tropo quo in unam carnem eſſe dicuntur quí ſunt una caro.

Sacramentum hoc.) μυστήριον, id eſt, Myſterium. Id nolui eos neſcire, quí ex hoc loco faciunt matrimonium unum ex ſacramentis ſeptem, iuxta peculiarem & exactam huius uocis rationem, nõ quod de hoc ſit dubitandũ, cum probabile ſit hanc traditionẽ ab apoſtolis, aut certe ſanctis patribus ad nos uſq; fuiſſe profectã. Etiamſi de hoc dubitatum eſt olim ab orthodoxis ſcholaſticis, imò diuerſa cõprobata ſententia. Nam quod obiicitur à nõnullis, à Dionyſio quí ex ꝓfeſſo tractat de ſacramẽtis eccleſiaſticis, ſingulorum ritus ac ceremonias diligẽter explicãs, nullã matrimonij factã mentionẽ: tum nec in tot uoluminibus in quibus Hieronymus de matrimonio diſputat uſq; appellari ſacramentũ, imò nec ab Auguſtino, quí in hanc partẽ Hieronymo ꝓpenſior, etiã de bonis coniugij ſcripſit, nomen hoc tribui, quodq; his etiã magis mirũ uideri poſſit, nec apud Iouinianũ, quí patronus erat matrimonij, uſq; de ſacramẽti uocabulo fit mẽtio. Nam ſi facta fuiſſet, erat is locus attingendus Hieronymo diluenti illius libros, præſertim cũ id faciat tã accurate. Atq; hoc telo in primis erat opus Iouiniano, cõiugiũ æquãti cœlibatui. Etenim ratiocinari poterat, ſi ſacramentũ eſt matrimoniũ, & uirginitas nõ eſt ſacramentũ, uincit etiã matrimonij dignitas. Hæc, inquã, atq; huiuſmodi, facile diſſoluunt̃ ab eruditis. Non igit̃ hæc dixerim, quaſi in dubiũ uocans an ſacramentũ ſit matrimoniũ, cuius ego dignitati maiorẽ in modũ faueo, ſed qđ ex his apoſtoli uerbis nõ uideat̃ admodũ efficaciter colligi. Siquidẽ particula aduerſatiua, Ego autem, ſatis indicat hoc magnũ myſterium ad Chriſtum & eccleſiã pertinere, nõ ad maritũ & uxorẽ. Neq; enim in hoc magnũ eſt ſacramentũ, ſi uir iũgat̃ uxori, quod & apud ethnicos fieri cõſueuit. Id ſentit, ni fallor, diuus Auguſtinus ediſſerens pſalmũ cxvij. Erũt, inquit, duo in carne una: quod magnũ ſacramentũ apoſtolus Paulus exponens: Ego, inquit, dico, in Chriſto & in eccleſia. Quanq; idẽ euidenter explicat libro de nuptijs ad Valeriũ: Quod magnũ, inquit, ſacramẽtũ dixit Apoſtolus, in Chriſto & in eccleſia. Quod ergo eſt in Chriſto & in eccleſia magnũ, hoc in ſingulis quibuſq; uiris atq; uxoribus minimũ, ſed tamẽ coniũctionis inſeparabilis ſacramentũ. Simili colore uſus eſt Paulus in epiſtola ad Corinthios priore. Et, ꝓpter conſcientiã, mox excluſurus errorẽ, ſubnectit: Conſcientiã aũt dico, non tuã ſed alterius. Tum ut dicere cœperam, hoc loco Græca uox nõ proprie ſacramentũ ſignificat, cuiuſmodi ſeptẽ uocat eccleſia, ſed arcanum & ſecretũ, quo uerbo frequẽter uſus eſt Paulus & de alijs, quæ longe abſunt à natura ſacramentorũ. Siquidẽ ad Theſſalonicenſes ſcribens, & iniquitatis myſteriũ appellat. Rurſus prima Cor. xiij. ubi nos legimus, & ſi nouerim myſteria omnia, Auguſtinus ad Valentinũ de gratia & lib. arb. legit, & ſi ſciero oĩa ſacramẽta, q̃ſi nihil interſit inter myſteriũ & ſacramẽtũ. Veteres ſacramẽtũ appellabãt iuſiurãdũ, aut religioſam obligationẽ, opinor quod hæc arcanis q̃buſdã ceremonijs peragerent̃. Et hic locus fuit à duob⁹ impetitus, *Matrimoniũ ſeptimũ ſacramentum.*

tus,quorum alteri respondimus,alter sic rem tractat,ut indignus sit cui respondeat. Neq; enim nego Matrimonium esse sacramentum,sed,an ex hoc loco doceri possit proprie dici sacramentum,quemadmodum baptismus dicitur,excuti uolo.

In Christo.) Et in Christum,& in ecclesiam. Tametsi non ignoro accusatiuum apud Græcos aliquoties idem pollere,quod alter casus.Potest autē accipi de Christo & de ecclesia.Nam & in hunc sensum usurpatur à Græcis, εἰς ἔμε & εἰς ἀπόλλωνα, in titulis.

Et uos singuli,unusquisq; suam uxorē,sicut seipsum diligat.)Hic sermo nec apud Græcos,nec apud nos iuxta rationem grammatices constat.Neq; difficile tamen fuerit ei mederi incōmodo,ad hunc modum:Quanquam uos quoq; singulatim hoc præstate,ut suā quisq; uxorem diligat,ut seipsum.

Sermo minime grammaticus.

Vxor autem timeat.) Græce est,ut timeat, ἵνα φοβῆται, id est, Vt reuereatur.Nam in hunc sensum putat accipi posse diuus Hieronymus. uerbum φοβεῖσθαι.

EX CAPITE SEXTO.

IN domino.) Hæc particula non additur apud Ambrosium, nec in cōmentarijs,haud scio an casu omissa.

In promissione.) Hieronymus subindicat hanc particulam, nō solitam haberi in omnibus libris,sed additam à nōnullis,quo quæstionem explicarent, quomodo hoc mandatum hic primum dicatur,cum in Exodo sit quintū. Hui iusmodi cum toties admoneat Hieronymus, tamen quidam cœlum terræ miscuerunt, quod simile quiddam uno aut altero loco facio.

Et sis longæuus.) γένῃ, id est,Et eris.Quanq; hoc loco ambiguum est.Potest ēm referri ad ἵνα, potest & absolute legi,ut & cōiunctio sonet consequentiam euentus,Si hoc feceris eris.

Et uos patres.) Vos,redundat,nam Græcis subauditur.

In disciplina & correptione.) ἐν παιδείᾳ & νουθεσίᾳ, id est,In eruditione siue institutiōe & admonitiōe.Nam id uerbi magis arridet diuo Hieronymo,quippe mollius quàm correptio,quo usus est Ambrosius.Quanq; non satis intelligo unde irrepserit uerbū conuersationis in libris primum à Frobenio nostro excusis,in quibus legitur, In disciplina & cōuersatione domini.Cæterū utraq; uox Græcis anceps est. παιδεία,tum eruditionē significat,tum castigationē,à puero dicta. νουθεσία admonitionem & obiurgationem siue correptionem,inde dicta,quod in animū alicuius ponas,& ingeras quid factum oporteat.

παιδεία νουθεσία

Dominis carnalibus.) τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα,id est,Dominis secundum carnē. Verum id recte mutauit ut effugeret amphibologiam,ne quis secundū carnē referat ad seruire.

Non ad oculum seruientes.) Græcis uox est composita, μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλίαν. Quasi dicas,non iuxta oculare seruitium,si quis studeat uerbum uerbo reddere.

ὀφθαλμοδουλεία.

Hominibus placētes.) Et hic composita uox est ἀνθρωπάρεσκοι,multo iucūdior quàm Latina periphrasis,sed interpres nō potuit reddere.Sonat quasi dicas,homoplacitos, eos qui studeant probari hominibus,potius quàm deo.

ἀνθρωπάρεσκοι.

Cum bona uoluntate.) μετ' εὐνοίας, id est, Cum beniuolentia. Mirum cur id interpres putarit immutandum.Mihi sanè non admodum arridet,quod Augustinus ex hoc dicto, colligit seruos non debere flagitare libertatem à dominis Christianis,quod lex Mosaica septimo quoq; anno uoluerit omnes seruos manumitti. Tametsi non negarim uerum esse quod dixit.Siquidē Paulus magis hic agit de dominis ethnicis q̄ Christianis. Et si fas nō est seruis flagitare eam libertatem,tamē parum Christianum uidetur,Christianos dominos nō id cōcedere seruis suis:quod lex illa multo Christiana inclemētior indulsit suis. Imò turpe uidetur inter Christianos omnino nomen heri aut serui audiri:cum ēm baptismus omnes fratres reddat,qui conuenit fratrem fratri seruum appellari? Sit hoc sanè cui uidetur iuris Cæsarei,modo ne iuris euangelici,iuxta quod seruus ex animo morem gerit dñō,dominus contra,seruum tractat ut fratrem in Christo.

Seruitus inter Christianos fœda.

Seruientes sicut domino.) Sicut aduerbium redundat,nec additur ab Ambrosio.Sentit enim hoc obsequiū quod impenditur impijs aut morosis dominis non impendi hominibus sed Christo,cuius amore sert dominis tyrannidem, ne quod offendiculum ponat euangelio.

Remit-

Remittentes minas.) ἀνιέντες τὴν ἀπειλήν, id est, Relaxantes minas, hoc est, minus feroces, minusq; minabundi. Vult enim eos esse minus imperiosos, & sint ethnici in suos.

Quia & illorum & uester dominus.) εἰδότες, ὅτι καὶ ὑμῶν αὐτῶν, id est, Scientes quod & uester ipsorum dominus est in cœlis: ut sit sensus, cum sciatis & uobis esse dominũ in cœlis, quem uereri debeatis. Ambrosius & Hieronymus legisse uidentur, ὑμῶν τε καὶ αὐτῶν, id est, Vester simul & illorum, ut intelligas cõmunem ambobus dominum. *Lectio uaria.*

Fratres.) Mei pronomen additum est apud Græcos, ἀδελφοί μου. Porrò nec Hieronymus, nec Ambrosius addit fratres, τὸ λοιπὸν autem melius uertisset, Quod superest.

Induite uos armaturam dei.) πανοπλίαν. Ea uox semel significat quicquid ad armandũ in pugnam militem pertinet. Quasi dicas, omnia simul arma quæ ad uirum pertinẽt. Vn de paulo inferius admonet diuus Hieronymus uertẽdum fuisse, nõ arma, quod Græci dicunt ὅπλα, sed uniuersa arma πανοπλίαν. Et Ambrosius, legit uniuersitatem armorũ. Cyprianus alicubi uertit tota arma. *πανοπλία*

Aduersus insidias.) μεθοδείας. idem quod ante uerterat, circumuentionem. Ambrosius legit aduersus nationes, sed codice opinor, deprauato, forte scriptum erat rationes. Nam μέθοδος ratio est, sed rei aggrediẽdæ, Est autem μεθοδεία si quis ex insidijs aggreditur aliũ. Hieronymus legit & interpretatur, contra uersutias diaboli. Quãquam hic potuisset uertere calumniatoris.

Colluctatio.) ἡ πάλη, id est, Lucta.

Mundi rectores.) κοσμοκράτορας, id est, Mundi dominos: quam dictionem planè nouam, nec usq; alibi repertam, diuus Hieronymus, putat à Paulo primũ fictam fuisse, quo nouis rebus explicãdis noua accõmodaret uocabula. Est aũt Græcis dictio cõposita, atq; idcirco cõmodius cohæret genitiuus tenebrarũ harũ. Tertullianus libro aduersus Marcionẽ quinto κοσμοκράτορας uertit munditenentes, Hilarius in psalmos uertit mũdipotentes, non ineleganter efficta compositione. *κοσμοκράτωρ, noua uox.*

Tenebrarũ harũ.) Græce est, τῶν σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, id est, Tenebrarũ huius seculi.

Aduersus spiritualia nequitiæ in cœlestibus.) Quod Faber admonet posse accipi in cœlestibus, pro eo quod est, aduersus cœlestes, id sermonis Græcanici ratio nullo modo patitur, meo quidem iudicio. Iam quod inibi grauiter stomachatur aduersus superstitiosos astrologos, & prognostas, ut demus non sine causa factum, certe non suo factũ est loco. Porrò spiritualia nequitiæ dixit, pro spirituales nequitias, seu potius uersutias, est enim Græce πονηρίας. Ambrosius in libro de paradiso, capite duodecimo, sic inuertit, ut sensum explicet, Aduersus nequitiam spiritualium, quæ sunt in cœlestibus.

Et in omnibus perfecti stare.) Græci sic legunt, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, id est, Omnibus confectis siue perfectis stare, id est, postq; omnia perfeceritis stare. Hieronymus legit atq; exponit, omnia operati stare. Cyprianus item in epistola quarti libri sexta: Vt cum omnia, inquit, perfeceritis, stetis accincti lumbos uestros &c. Quemadmodum nihil non facit miles quo possit hosti resistere, ac suam tueri uitam, ita nobis omnia sunt facienda cum spiritibus assidue luctaturis. Iam ut hæc quidem indicasse non magni negotij iudico, ita nõ arbitror tutũ hæc minuta uel nescire, uel negligere. Quid enim si Theologus hic mihi prolixo & elaborato sermone multa philosophetur de perfecte stantibus, aut imperfecte stantibus, nõne Græce peritis risum mouerit? nec id sanè iniuria. *Nostra lectio uitiata.*

State ergo succincti.) περιζωσάμενοι, id est, Accincti, siue circũcincti, hoc est, muniti. Nã ea pars corporis, baltheo laminis cõserto tegi solet in bello, ad quẽ nũc alludit Apostolus.

Tela nequissimi.) βέλη τοῦ πονηροῦ, Tela mali, siue sceleste illius.

Galeam salutis.) τὸ σωτηρίου, id est, Salutaris. Atq; ita legit Hieronymus in cõmentarijs. Nec est assumite, sed capite, δέξασθε.

Et in ipso uigilantes.) καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο, id est, Et in ipsum hoc uigilantes: quẽadmodũ legit Ambrosius. Incertum apud Græcos, an referatur ad spiritum, an ad rem.

In omni instantia.) ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει. De quo superius. Ambrosius legit pseuerãtia.

Cum fiducia.) ἐν παῤῥησίᾳ. Quæ proprie libertas est & audacia loquendi: quod Ambrosius uertit exerte.

Notum facere.) Cur non potius, ut notum faciam.

In cate-

Redundat apud nos. In catena iſta.) Iſta,redundat.Nec eſt apud Ambroſiũ,nec apud Hieronymum, ac ne in uetuſtiſſimis quidem exemplaribus,nominatim Paulino,ac Donatianico,ſuffragante utroq; Conſtantienſi.

In ipſo audeam.) ἵνα παῤῥησιάσωμαι. Quod uerbum explicans Ambroſius, dicit, ut in ipſo exerta libertate prout oportet me loqui.Nec eſt ita,ſed ut, ἵνα παῤῥησιάσωμαι,id eſt, ut audeam.

Chariſſimus frater noſter.) ἀγαπητὸς, id eſt,Dilectus:atq; ita legit Hieronymus, quod hic ueluti data opera ſemper uertit chariſſimus.

Vt cognoſcatis quæ circa nos ſunt.) τὰ περὶ ἡμῶν, id eſt, Quæ de nobis ſunt,hoc eſt, res noſtras & ſtatum noſtrum.

A deo patre noſtro.) Noſtro,non additur nec apud Græcos,nec apud Hieronymum, nec apud Ambroſium,ac ne in Paulino quidem exemplari.Suffragabatur uterque Conſtantienſis.

ἀφθαρσία *integritas.* In incorruptione.) ἐν ἀφθαρσίᾳ. Quod aliâs recte uerti ſolet immortalitas,hic ſonat integritatem ac ſynceritatem animi,uacantis omni corruptela uitiorũ.Hieronymus non approbat eos,qui ἀφθαρσίαν proprie ad corporis caſtimoniam applicant.Aſtipulatur nobis & Theophylactus interpres.Apud Ambroſium,nõ additur Amen in calce huius epiſtolæ,nec licet ex illius commentarijs conijcere quid legerit.

Annotationum in epiſtolam ad Epheſios,finis.

IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILIPPENSES ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI. EX CAP. I.

Timotheus uulgo perperam pronũciatur.  T Timotheus.) Quanq; id quidem nihil attinet ad ſententiam Pauli,tamen admonendum duxi,Timotheus pronunciandum antepenultima acuta,ſiue Græcam rationẽ ſequaris,ſiue Latinam:quod contra nunc fit in templis omnibus. Et licet optandum foret,ut hoc eſſet grauiſſimum erratum in uita Chriſtianorum,tamen fœdum eſt nos publicitus in re tam manifeſtaria perpetuo peccare.Quãq; extitit,qui religioſum exiſtimet,lapſus etiam huiuſmodi mutare,tanq; à patribus traditos.Quaſi hoc lemmate nõ poſſit defendi, quicquid quocunq; modo receptum fuerit.Et tamen quod dicit aliquid eſt,ſi ſermo fiat apud populum,lingua populo nota. Hanc epiſtolam Theophylactus poſtpoſuit ei quæ eſt ad Coloſſenſes.

Cum epiſcopis.) Græcis aliquot codicibus unica dictio eſt coëpiſcopis σὺν ἐπισκόποις, Quaſi cõmunicet ſuum officium,cum illorum preſbyteris. Quanquàm hic Græca uariant exemplaria,& in nonnullis ſcriptum erat, σὺν ἐπισκόποις, id eſt, Vnà cum epiſcopis.Poſteriorem lectionẽ ſequitur Ambroſius,à quo nos noluimus diſſentire. Theophylactus coniũctim & legit & interpretatur.Honoris enim gratia preſbyteros appellat epiſcopos.Etenim ut indicat Chryſoſtomus,nõ erant unius ciuitatis plures epiſcopi.Timotheum epiſcopum fuiſſe liquet ex ijs quæ illi ſcribit Paulus,nemini cito manus impoſueris,& olim epiſcopi diaconi uocabantur,uelut alibi,Miniſterium tuum imple.

Diacones mirum quis dixerit. Et diaconibus.) διακόνοις, id eſt,Miniſtris,ut ſæpius uertit.Quod ſi Græca uox placet, diaconis dicendum erat,non diaconibus.Et tamen hanc uocem aliquoties reperire eſt in libris Auguſtini,iuxta tertiam inflexionem,opinor,quod ſic eſſet uulgo uſurpata,quemadmodum baptiſmum genere neutro.

In omni

In omni memoria uestri.) ἐπὶ πάσῃ μνείᾳ ὑμῶν, μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος, id est, In omni memoria uestri, cum gaudio obsecrationem faciens: Ambrosius legit ad hunc modum: Super omni memoria uestra, semper in omni oratiõe mea pro omnibus uobis, cum gaudio orationem faciens, super communicatione uestra. ut gaudium referas ad communicationem ueluti gaudij causam. *Ambrosij diuersa lectio.*

In omnibus orationibus.) ἐν πάσῃ δεήσει, id est, In omni obsecratione.

Confidens in hoc ipsum.) πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο, id est, Persuasum habens hoc ipsum.

Socios gaudij.) Græcis est χάριτος, id est, Gratiæ, sed facilis lapsus in χάριτος & χαρᾶς. Et aliâs ostẽdimus alterũ pro altero usurpari. Ambrosius legit gaudij, Theophylactus gratiæ.

Omnes uos esse.) ὄντας. Rectius uertisset, Cum sitis socij gratiæ, uel qui & estis socij gratiæ, συγκοινωνούς.

Vos esse in uisce.) Esse, redundat. tantum est, In uisceribus Iesu Christi. Siquidem hoc adiecit, ne quis suspicaretur quicquam hic esse affectus humani, cur eos tantopere amaret. Viscera uocat affectum animi.

Magis ac magis.) ἔτι μᾶλλον, id est, Adhuc magis.

Potiora.) τὰ διαφέροντα, id est, Præstantia. Ambrosius legit utilia. Suspicor illius codicem habuisse scriptum συμφέροντα pro διαφέροντα, nisi διαφέρειν, id est, Referre dicamus, quæ ad rem nostrã pertinẽt. Theophylactus sine cõtrouersia διαφέροντα interpretatur συμφέροντα. *διαφέροντα.*

Et sine offensa.) Ambrosius legit inoffensi, quasi dicas robustos, qui non possint offendi, aut qui nusquã offendant. Quanquam Græca uox ambigua est, ἀπρόσκοποι, quasi dicas, tales, ut nemini sitis offendiculo. Et in hunc sensum interpretantur Græcanica scholia.

Per Iesum Christum.) τὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, id est, Qui est, siue contingit per Iesum Christũ, ut articulus Græcus distinguat hunc fructum à cæteris.

In omni prætorio.) ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, id est, In toto prætorio. Ne quis accipiat Paulũ per omnia prætoria ductum fuisse, cum ipse dicat aliud, nimirum captiui prædicationem usq; ad ipsam Neronis regiã peruenisse, & inde per uniuersam urbem fuisse uulgatã. Nam Theophylactus prætoriũ, ad Neronis familiam refert, cæteris omnibus, ad reliquos ciues. Ambrosius subdure prætorium refert ad Iudaismum, In cæteris omnibus, ad ecclesias gentium. Interpres autem non raro abuti solet omni, pro toto. *In omni prætorio, p in toto prætorio.*

Et in cæteris omnibus.) In, redundat: an subaudiendum sit, alijs expendẽdum relinquo. Neq; cæteris, refert prætoria, ut sit sensus, euangelium notum fuisse cæteris item prætorijs, sed cæteris eius ciuitatis, qui in prætorio non uersabãtur. Ita Theophylactus. Proinde coniunctio in, nullum habebat usum, nec additur ab Ambrosio.

Abundantius auderent.) Ambrosius Græcam figuram explanauit Latine, Amplius cœperunt audere. Nam in ὡς περισσῶς uidetur subesse synecdoche, aut si mauis eclipsis, quã tamen ausus est imitari Flaccus in Odis, Vt melius quicquid erit pati,
Vt subaudias possis, aut incipias, aut simile uerbum accommodum sententiæ.

Propter bonam uoluntatem.) διὰ εὐδοκίαν. Quod uertere solet beneplacitum. Ordo huius loci diuersus est apud Latinos & Græcos. Græca sic habent, οἱ μὲν διὰ ἐριθείας τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν οὐχ ἁγνῶς, οἰόμενοι θλῖψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου, οἱ δὲ διὰ ἀγάπης εἰδότες, ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι, id est, Alij quidem ex contentione Christum annunciãt non pure, arbitrantes pressurã addere sese uinculis meis. Alij uero ex charitate, sciẽtes quod in defensionem euangelij positus sum. Nostra lectio sic, Quidam quidem, & propter inuidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam uoluntatem Christum prædicant, quidam ex charitate, scientes &c. Apud Græcos bis est contentionis uocabulũ, priore loco ἐριὸς, posteriore ἐριθεία. *Ordo diuersus.*

Non syncere.) οὐχ ἁγνῶς, id est, Non pure. Ita Theophylactus. Ambrosius legit non simpliciter. Fortassis illius codex habebat οὐχ ἁπλῶς: & in tanta uocum affinitate facillimus est lapsus. Augustinus libro ij. contra Petilianum legit, Non caste.

Dum omni modo siue per occasionem.) Græci paulo diuersius legunt, τί γάρ; πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ Χριστὸς καταγγέλλεται, id est, Quid enim? attamen quouis modo siue per occasionem, siue uere, Christus annũciatur. Neq; enim iubet hoc esse faciendum, ut Christum aliquis insyncere prædicet, sed ex ijs quæ non recte fiebant id quod *Sensus alius ex Græcis.*

est boni excerpit,& contemnit illorum in se odium,modo quocunq; modo prosint euangelio.Ita fermè Chrysostomus in libello de profectu euangelij,& in commentarijs Theophylactus.Proinde omni modo,rectius uertisset,quouis modo.Neq; Paulus de his loquitur qui docerēt hæretice,sed qui recte docerent Christum,licet animo parum syncero. Nec hos probat tamen,sed negat sibi discutiendum quo animo id faciant,modo prosint.Porrò quod hic uertit occasionem πρόφασις est,quod & prætextum sonat,opponitur enim ueritati. Tertullianus libro aduersus Marcionem v.pro προφάσει legit causatione, sentiēs opinor, quod prætexerent se Christi negocium agere,quum suis commodis seruirent.

Secundum expectationem.)κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαμ.Quod plus quiddā significat, quàm expectationem,nimirum uehemēs cordis desiderium: dictione hinc cōposita, quod toto animo quippiā expectet.Non enim dixit προσδοκίαμ, sed ἀποκαραδοκίαμ, à gestu uehementer inhiantiū totoq; capite inflexo, hinc uoce composita Græcis.Mirum quid legerit apud Græcos Ambrosius,qui uerterit Secundum contemplationem meam,nisi forte cōmissum est hoc scribarum incuria.Attamen καραδοκέω Græcis etiam sonat contemplari scopum,inflexo capite.Id opinor exprimere uoluit Ambrosius.

Quia in nullo.)Quod in nullo ὅτι. Et rursum,Fiducia, παῤῥησία.

Sicut semper nunc.)Et nunc,legendum.

Et quid eligam ignoro.)Coniunctio &,obscuriorem reddit sententiam. Quandoquidē hoc sensit Paulus,Si uiuo,Christi causa uiuo,si morior,meo cōmodo morior,quod si procedit mea prædicatio, & prosum ecclesijs, adeo non præfero meum commodū uestro bono, ut dubitem etiā utrum eligam. Habet enim hoc loco κρίνειν, peculiarem & occultam uim excludendi, quod diuersum erat.Poterat & ita legi εἰ δὲ τὸ ζῆν, ut hic subaudias contigerit, aut fuerit: deinde subijcias, hoc mihi fructus est operis. Atq; ita coniunctio,more uulgari copulat quod sequitur, Verum prior lectio magis probatur, & eam sequitur Theophylactus. Adducit hunc locum Augustinus, uelut exemplum ambiguæ distinctionis,libro de doctrina Christiana tertio,capite secūdo.Nam potest ad hunc modū legi: Coartor è duobus,concupiscentiā habens,ut sit sensus,illum utriusq; rei torqueri desiderio,& uitæ & mortis.Potest & hoc pacto: Coartor è duobus, & hic distinctione interposita sequatur,concupiscentiam habens dissolui. Verum ex eo quod sequitur:Multo autem magis melius dissolui &c.colligitur,Concupiscentiam habens ad sequentia referendum esse. Quanquam Augustinus pro melius,legit optimum.

Distinctio uaria.

Coartor enim è duobus.)συνέχομαι. Quasi dicas, utrinque teneor. Ambrosius legit, ex his duobus,uelut exprimēs uim articuli τῷ δύο. Siquidē de morte & uita loquitur.In quorum utroq; est quod inuitet,est quod deterreat.

Multo magis melius.)Ambrosius legit,multo enim melius. Verum Paulus aliâs quoq; conduplicat comparatiuum,ad uehementiam,ut plurimum excessum significet,idq; iuxta idioma sermonis Hebraici. Proinde nos uertimus,Multo longeq; melius est. Porro quod hic uertit dissolui,Græcis est ἀναλύσαι, diuus Hieronymus aduersus Ruffinum, nō semel uertit reuerti.Nec uideo quomodo legi possit dissolui,nisi Græce esset ἀναλύεσθαι,& si interpretemur eum dissolui,qui dimittitur ut redeat,Nunc est ἀναλύσαι uerbum actiuum,quod an neutraliter inueniatur,quemadmodū apud Latinos soluere dicitur qui discedit,nescio.

Necessarium propter uos.)ἀναγκαιότερον, id est,Magis necessarium.

Et hoc confidens scio.)πεποιθὼς οἶδα, id est,Certum scio,siue persuasus scio.

Quia manebo & permanebo.)ὅτι μενῶ καὶ συμπαραμενῶ, id est, Quod manebo & permanebo simul cum omnibus uobis.Quanquam quidam codices habent μένω, id est, maneo siue maneam.

Vt gratulatio uestra.)τὸ καύχημα,id est,gloriatio.Quod semper consueuit uertere gloriā.

In me.)ἐμ ἐμοὶ, ut me,sit ablatiui casus.

Audiam de uobis.)ἀκούσω τὰ περὶ ὑμῶν,ὅτι στήκετε, id est,Vt audiam de uobis,uel potius ea quæ sunt de uobis,quod statis &c.

Vnanimes pariter.) μιᾷ ψυχῇ,id est,Vna anima,uidelicet in uno spiritu,in una anima.

Collaborare συναθλεῖν.

Collaborantes.) συναθλοῦντες, id est, Concertantes,hoc est,in hoc certamine adiuuātes nos. Ambrosius sic explicat, Pariter cum fide euangelij certantes. Nam collaborat illi, fortassis

taſſis in carmine probari poterit: & concertant qui inter ſe certant. At hic Paulus ſenſit, fidē periclitari, & uelut in certamine uerſari, quæ uincet, ſi ſint qui certamen idem cum illa capeſſant. Quāquam in Ambroſianis quoq; uerbis eſt amphibologia, poteſt enim accipi, certantes cum fide euangelij, certantes aduerſus fidem, aut certantes per fidem euangelij. Proinde nos ita uertimus, Adiuuantes decertantem fidem euangelij.

Terreamini.) μὴ πτυρόμενοι, id eſt, Non turbati, ſiue tumultuantes. Ambroſius legit, non paueſcentes. Quæ eſt illis cauſa.) Græce eſt illis quidē ἔνδειξις, id eſt, Oſtenſio. Et ideo Ambroſius legit, oſtentatio interitus. Neq; tamen non recte mutauit interpres, quādoquidem Græcis ἐνδεῖξαι, ſiue ἀποδεῖξαι dicitur etiam qui facit. Sic & aliās apud Paulū, Oſtendit mihi multa mala, pro eo quod eſt, fecit mihi multa mala. *Oſtendere pro facere.*

Et nunc audiſtis.) ἀκούετε, id eſt, Auditis.

De me.) Græcis eſt ἐν ἐμοί, id eſt, In me. Sed haud ſcio an noſtra lectio ſit uerior.

EX CAPITE SECVNDO.

Si qua igitur conſolatio.) Παράκλησις. Ambroſius legit, Si qua exhortatio, ne bis diceret conſolationē. Nihil tamē uetat quo minus conduplicatio faciat ad epitaſin. Sentit enim conſolationē quā illi debebant Paulo tot malis afflicto. Totum enim hoc officiū eò uergit, ut pro his omnibus inter ſe ſint concordes.

Si qua uiſcera miſerationis.) Græce eſt, Si qua uiſcera & miſeratiões, σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί. Atq; ita legit Ambroſius, ſuffragantibus & peruetuſtis exemplaribus Latinis. Nam in eo codice quem exhibuit bibliotheca Pauli apud Londinum, manifeſta raſura, teſtabatur, &, coniunctionem fuiſſe deletam, & miſerationes adhuc erat ſcriptum nominandi caſu, e, litera calamo diſpuncta. Manifeſtius etiam germanæ lectionis ueſtigium extabat in utroque Conſtantienſi. Cæterum in Græcis codicibus non reperio ſcriptum εἴτινα σπλάγχνα, ſed εἴτις σπλάγχνα, id eſt, Si quis uiſcera. Idq; cum in emendatis ſcriptis exemplaribus habeatur, demiror neminem interpretum offenſum hac lectione. Niſi forte σπλάγχνα hominem ipſum dixit, affectu miſericordiæ prædītum. Et Paulus magis rem ipſam reſpexit quàm uocem. Certe Theophylactus legit εἴτις σπλάγχνα, nec ullum tamen mouet ſcrupulum, Nec poteſt ſubaudiri, uerbum habet, propter nominandi caſum qui mox ſequitur, οἰκτίρμοι. *Si qua uiſcera, pro ſi quis uiſcera.*

Vt idem ſapiatis.) Sentiatis φρονῆτε, hoc eſt, ſitis concordes.

Idipſum ſentientes.) τὸ ἓν φρονοῦντες, id eſt, Vnum ſiue idem ſentientes. Eſt autem participium eius uerbi, quod modo uerterat ſapiatis.

Nihil per contentionem.) κατὰ ἐριθείαν. Ambroſius legit iritationem, hoc eſt, ad prouocandum alios.

In humilitate.) Græce ſic habet, Sed humilitate, alij alios exiſtimantes ſuperiores ſeipſis, ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. Et rurſus humilitatē uocat modeſtiam animi, qua quis ſibi nihil arrogat.

Conſiderantes.) σκοπεῖτε, id eſt, Conſiderate ſeu ſpectate. Spectamus enim quod expetimus: unde & ſcopus dictus. Ambroſius legit, contemplantes.

Quæ aliorum.) Græci addunt ἕκαστον, id eſt, Quiſq;. Addunt & coniunctionem καὶ, hoc pacto, ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστον, ſed & aliorum. Verum hanc non attingunt interpretes. Proinde uim habet, opinor, eandem, ac ſi dicas imò: Imò magis aliorum.

Hoc enim ſentite.) φρονείσθω, id eſt, Sentiat, ut ſubaudias unuſquiſq;, quod modo præceſſit, ſiue ſentiatur. Quanquam interpres bene reddidit ſenſum, hoc eſt, is ſenſus, is affectus ſit in uobis, qui fuit in Chriſto Ieſu. Aut, ita ſitis affecti uiciſſim alij in alios, ut Chriſtus fuit erga uos affectus. *Sentite, pro affecti ſitis.*

Eſſe ſe æqualem deo.) τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, id eſt, Vt eſſet æqualiter deo. Nam ἴσα nomen eſt, aduerbij loco poſitum. Loquitur enim de Chriſto, quatenus erat homo. Nec eſt ocioſus articulus apud Græcos, nimirum interpretās quid dixiſſet rapinam, haud dubium, quin hoc ipſum, ut eſſet par deo. Non uſurpabat ſibi æqualitatem cum deo, ſed deiecit ſeſe. Porrò forma hic eſt μορφὴ, quod ſpeciem ſonat aut figuram, quam in epiſtola ad Hebræos characterem uocat. Cæterum utrum hic forma ſit ea de qua Ariſtoteles diſputat in libris naturaliū, quæ reſpondet materiæ, uiderint ij qui huiuſmodi diſputationes in hunc inuehunt locum,

præsertim cum idem Paulus mox subijciat, Formam serui accipiens. Certe iuxta Chrysosto mi sententiam Christus seruus nō dicitur, sed filius. Tametsi diuus Hieronymus in epistolam Pauli ad Titum, id quod est apud Esaiam, cap. xlix. Magnum est tibi uocari puerum meum, putat à patre dici filio, & παῖδα, quod transtulerūt Septuaginta, Hebræis esse עבדי, quod famulum meum duntaxat significat. Diuus Ambrosius, formam interpretatur speci-

Forma dei, id est, specimen.

men seu exemplum, quod in corpore humano obambulans, æderet tamen argumenta diuinitatis: Forma enim, inquiens, dei, quid est, nisi exemplum, quod deus apparet, dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat. Iam quod accepit formam serui, non proprie referri uidetur ad humanam naturam assumptam, sed ad speciem & similitudinē

Forma serui specie peccatoris.

hominis nocentis, cuius personā pro nobis gessit, dum flagellatur, damnatur, crucifigitur: Serui, inquit, ex peccato fiunt, sicut Cham filius Noë, qui primus merito nomen serui accepit. Non enim mihi sicut quibusdam uidetur, sic formam serui accepisse, dum homo natus est. Porrò quod hic ait, Non arbitratus est rapinam, Ambrosius uelut explicans, dicit, Non sibi defendit æqualitatem, hoc est, non arrogauit sibi, quo nobis exemplum ostenderet humilitatis, sed subiecit se, ut exaltaretur à patre. Siquidem ad exemplum Paulus huc produxit Christum sponte humiliatum, & patris autoritate exaltatum. Neq; tamē me clàm est locum hunc à ueteribus ferè secus exponi, quantum ad quædam, quorum ego sententiæ non præiudico, sed quod adijciendum uidebatur lectoris studio in medium confero. Scio magnos autores, Hilarium, Augustinum, ut cæteros taceam, sic interpretari: Nō arbitratus est rapinam, quod esset æqualis deo, nam quod erat naturæ, nō putauit esse rapinæ. Cum esset in forma dei, hoc est, cum uere esset deus. Atq; hanc præcipuam habent clauam, qua confi-

Excussa ueterum interpretatio.

ciantur Ariani, qui solum patrem uere uolunt esse deū. Atqui si ueris agere fas est, quid magni tribuit Paulus Christo, si cum deus esset natura, intellexit, id nō esse rapinæ, hoc est, noluit seipsum? Illud autem compertum est, nusquā maiorem uim fieri scripturis sacris, quàm ubi cum hæreticis agentes, nihil non detorquemus ad uictoriam. Tametsi non uideo quid hic locus proprie faciat aduersus Arianos, qui non negabant dei filium esse deū, imò & magnum deum fatebantur & benedictum super omnia deum, sed arbitrabantur patrē aliquo modo peculiari dici deum, quo filius aut spiritus sanctus non diceretur. Non hic agit Paulus quid esset Christus, sed qualem se gereret, uidelicet nobis ædens exemplum. Deus erat, homo erat. Deum celauit, hominem exhibuit usq; ad sepulturā, nam miraculis & alij pij claruerunt. Et tamen si quas diuinæ naturæ scintillas obiter ostendit, semper ad patrem autorē refert, sibi nihil arrogans. Proinde totus hic locus mihi uidet uiolētius detorqueri ad Christi naturam, cum Paulus agat de specie exhibita nobis. Ad quem intellectum probe quadrat quod sequitur, Propter quod deus exaltauit illum. Quid est humiliauit? Ostendit speciem serui, & contempti. Quid est exaltauit? Declarauit speciem euecti, qui per se summus

Respōdet amico cuidam.

erat. Iam quod amicus quidā eruditus, literis ad me suis argutatur, hæc uerba: Qui cum in forma dei esset, non arbitratus est esse se æqualem deo, non competere in Christum, quatenus est homo, cum iuxta eam naturam uere rapina fuerit futura si se deo æquāsset, opinor sua sponte dilutum hac interpretatione: Hominem abiectum, hominem damnatum Christus agere non potuit, nisi fuisset homo. Nec est quod me quisquam magnis autorū nominibus obruat, imò nō hoc admonuissem, nisi mihi cognitum esset hoc magni nominis scriptoribus placuisse. Neq; tamē inficias iuerim Græca sic accipi posse: Qui cum in forma dei fuisset, hoc est, qui cum ab æterno fuisset deus, haud quaquam cogitasset rapinam, si se gessisset pro deo, tamen homo factus, nō id præ se tulit, quod semper fuit, non ostētauit quantus esset, sed quàm humilis esset, quàm mitis, quàm obediens, hanc nobis ostendens uiam ad summa perueniendi. Iam quod hic uertit, similitudine, Græce est ὁμοιώματι, quod magis sonat assimilationem: & quod hic habitu, illis est σχήματι, quod magis sonat figuram. Hæc paucis indicanda putaui, ut appareat quædam non admodum quadrare ad sensum Pauli,

Thomas de habitu.

quæ Thomas adducit de habitu, iuxta consuetudinem dialecticorum, qui Aristoteli dicitur ἕξις, quam & Latini uocant habitū, diuersa ab eo quæ dicitur διάθεσις. qualitas enim uelut in naturā uersa, Græcis dicit ἕξις ab hærēdo, Contra quæ facile tollitur διάθεσις, quā Latine possis affectionē dicere. Has ponit in primo genere qualitatis. σχῆμα uero & μορφὴν recenset in quarto genere, & sic recenset quasi inter has duas uoces, aut nihil aut q̄p minimum

interſit

interſit. Eſt autem & forma ſubſtantialis quam ὑποτελέχειαν appellat. Nec tamen male uertit interpres, Nam habitus Latinis nõnunquam & ad corporis ſpeciem refertur, at Græcis non item. Cæterum inuentus dixit, pro compertus, εὑρεθεὶς, nimirum certiſſimis argumentis. Nam Latinis inuentum dicitur, quod quæſitum contigit: ſic & illud dictum eſt, Inuenta eſt in utero habens. Et ut homo, poteſt accipi, ut homo quiuis alius, qualis non erat, etiamſi uere homo erat, quãtum ad naturam hominis attinet. Aut ſpecie hominis, nimirum id præ ſe ferens quod erat, ut indicat Theophylactus. Cyprianus hunc citans locum libro aduerſus Iudæos ſecundo cap. xiij. legit, Qui cum in figura dei eſſet. *Varij ſenſus.*

Exinaniuit ſemetipſum.) ἐκένωσεν ἑαυτὸν, id eſt, Inaniuit. Nam Qu. Curtius lib. iiij. exinanire dixit, pro exhaurire: Ita ut nec circumuenirentur, ſi arctius ſtarent, nec tamen mediam aciem exinanirent. Hic ἐκένωσε dictũ uidetur, pro fecit humillimum & nihili, ut nihil agant qui contendunt Chriſtum pauxillulum quiddam imminutum à deo, iuxta naturam hominis aſſumptam. Certe qui tantillo minor fit, non diceretur inanitus. Porrò quomodo dicatur diminutus, aut inanitus, non eſt huius inſtituti perſequi. *Fabrum uidetur deſignare*

Humiliauit ſemetipſum.) Sunt qui putent humiliare uocẽ eſſe parum Latinam. Ego certe optarim eſſe, etiamſi nondum cõtigit reperire apud idoneum autorem. Latine reddi poterat, ſubmiſit aut deiecit.

Deus exaltauit illum.) Plus explicat ſermo Græcus ὑπερύψωσεν, hoc eſt, uehementer exaltauit, ſiue inſigniter. Proinde Ambroſius legit ſuperexaltauit, ſtudens exprimere Græcam uocem.

Omne genu flectatur.) πᾶν γόνυ κάμψῃ, id eſt, Omne genu flectat, ut ſubaudias, ſe. Atq; ita citat Hilarius cum alijs locis tum libro de trinitate nono, ut appareat hoc noſtrũ flectatur, ſcribarum errore fuiſſe mutatum. Quanquam hoc ad ſenſum nihil refert.

Et infernorum.) καταχθονίων, id eſt, Subterraneorum.

In gloria.) εἰς δόξαν, id eſt, In gloriam, ὅτι κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός, id eſt, Quod dominus Ieſus Chriſtus in gloriam dei patris: ut intelligas hoc omnem confiteri linguam, quod Ieſus Chriſtus eſt dominus, idq; in gloriam dei patris. Quãquam illud In gloriam dei patris, referri poteſt ad uerbum confiteatur, quod præceſſit, ut omnis lingua confiteatur ad gloriam dei. *Locus apud nos male lectus.*

Veſtram ſalutem.) πλὴν ἑαυτῶν, id eſt, Veſtram ipſorum. Quanquã ut admonui, iſta pronomina compoſita ferè uertit per ſimplicia.

Salutem ueſtram operamini.) Et mox, Deus enim eſt qui operatur in uobis. Prius uerbum eſt κατεργάζεσθε, alterum eſt ab ἐνεργῶ, quod nos uertimus, qui agit, ne quis in hoc erraret. Atq; illud, In uobis ἐν ὑμῖν eſt in quibuſdam, in alijs, ἐν ἡμῖν in nobis. Quanquam hoc nihil intereſt ad ſenſum.

Et perficere.) καὶ ἐνεργεῖν, id eſt, Facere ſiue operari. Eſt autẽ infinitum participij, quod modo præceſſit ὁ ἐνεργῶν, id eſt, Qui operatur, ne quis putet eſſe nouum myſterium in uerbo perficere, quaſi ſit ad finem perducere. Ambroſius legit, operari.

Pro bona uoluntate.) ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Sermo eſt anceps, poteſt enim intelligi bona uoluntas, uel dei, uel Philippenſium. Theophylactus refert ad deũ, Ambroſius ad homines.

Sine murmurationibus.) Quidam Græci codices habent χωρὶς ὀργῆς, id eſt, Sine ira. Alij γογγυσμῶν, id eſt, Murmurationibus.

Et hæſitationibus.) καὶ διαλογισμῶν, id eſt, Diſceptationibus. Id aliquoties uertit, cogitationibus. Diffidens enim diſputat & argutatur.

Sine querela.) ἄμεμπτοι, id eſt, De quibus nemo queri ſiue cõqueri poſſit: alioqui ſine querela eſt, qui de nullo queritur. *Sine querela.*

Et ſimplices.) καὶ ἀκέραιοι, id eſt, Synceri, abſq; fuco.

Sine reprehenſione.) ἀμώμητοι, id eſt, irreprehenſibiles, ſiue inculpati, quod frequenter uertit immaculati.

Prauæ.) σκολιᾶς. Quod non ſignificat ſimpliciter prauum, hoc eſt, malum, ut uulgo putant, ſed tortuoſum & aſperum, ut reſpondeat illi, quod ſuperius poſuit ἀκέραιοι, id eſt, ſimplices: id quod uelut interpretans explicat, adiungens καὶ διεστραμμένης, id eſt, Diſtortæ. Auguſtinus enarrans Pſalmum cxlvi. pro praua legit, tortuoſa. *Praua tortuoſa.*

Luminaria.) φωσῆρες. Cum erecta machina tollitur in altum lumen sustinens. Vnde addit, uerbum uitæ sustinentes, hoc est, in uertice tenentes.

Lucetis pro lucete.

Inter quos lucetis.) φαίνεσθε. Anceps est, utrum sit imperãdi modus an indicandi, id est, utrum lucete, an lucetis. Certe lucete imperandi modo, legit Cyprianus in epistola ad Rogatianum presbyterum. Et Ambrosius sic exponit, ut declaret hæc non pronunciari à Paulo quod fiant, sed præcipi ut fiant: Cõmonet, inquiens, ut memores suæ professioni respondeant, ut inter diffidentes tam clari appareant, uita, conuersatione, moribus, quemadmodũ sol & luna inter stellas splendore sublimes sunt. Porrò φαίνεσθε non simpliciter significat lucere, sed in conspicuo esse ut omnibus appareat, ueluti lumen in ædito positum.

Ad gloriã.) εἰς καύχημα. De quo iam sæpius admonuimus. Et est ad gloriã mihi, εἰς καύχημα ἐμοί. Atq; ita legit diuus Ambrosius. Dilucidius erat, Vt gloriari possim in die Christi, quod non in uanum cucurrerim. Nam huc refertur illud καύχημα, ut coram Christo possit gloriari, illis adiuuantibus hanc gloriam. Ita sanè Theophylactus.

In die.) εἰς ἡμέραν, id est, In diem.

Sensus excussus.

Supra sacrificium. ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργείᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, id est, Super hostia & sacrificio fidei uestræ. Sentit suam mortem & uincula uictimam quandam esse, cuius ipse sit minister & sacrificus, semetipsum immolans pro fide illorũ, & hoc nomine gaudet. Non quod inficier ἐπὶ Græcis nonnunquam sonare accessionem, sed quod hic non faciat ad sensum Pauli, mea sententia. Facit enim ille ceu duas uictimas, alteram illorum fidem, quos Christo obtulit, cuius se ministrum & λειτουργὸν facit, alteram se, si dum studet illam uictimam rite deo exhibere, ipse mactetur, & fiat uictima: quod quidem non recusat, modo id efficiat, ut illos deo dignos exhibeat. In hanc sententiam interpretatur & Ambrosius, & Scholiastes pseudieronymus, atque huic cõsentiens Theophylactus. Recentiores quidam perperam exponunt supra, pro ultra, ac multo alium sensum inducunt, quàm Paulus Græcis uerbis expresserit.

Vulgata interpretatio reiecta.

Congratulor.) συγχαίρω, id est, Congaudeo.

Congratulamini.) συγχαίρετε, id est, Congaudete. Legi potest per modũ indicandi, gaudetis & congaudetis, id quod mihi sanè magis arridet.

Bono animo sim.) εὐψυχῶ. Græcis est composita dictio, & magis significat bene affici animo, quàm esse bono animo. Siquidẽ bono animo esse dicunt Latini, pro eo quod Græcis est θαῤῥῶ.

Cognitis quæ circa uos sunt.) γνοὺς τὰ περὶ ὑμῶν, id est, Vbi cognouero de rebus uestris, siue cognitis ijs quæ circa uos sunt. Ambrosius legit, Certior de uobis factus.

Redundat apud nos.

Tam unanimem.) Tam, redundat, tantum est ἰσόψυχον, id est, Æqualis animi. Nec addidit tam Augustinus adducens locum hunc libro aduersus Petil. secundo cap. lxxvi. Sed offensus interpres sensu, addidit tam, ne uideretur laudato Timotheo damnare cæteros. Est autem Græcis dictio noue composita, quæ parem & eũdem per omnia animum significat, quo modo Pythagorici summam & perfectam amicitiam significabant.

Qui syncera affectione.) ὅς τις γνησίως, id est, Qui uere & germane, ut legit Augustinus, epistola cxxxvij. siue ut aliâs uertit, ingenue.

Pro uobis sollicitus sit.) Græce sic est τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσῃ, id est, Res uestras curabit, ut sententiam reddam, magis quàm uerba.

Eius cognoscite.) γινώσκετε. Est quidem ambigua Græca uox. Tamen hoc loco rectius uertisset, Cognoscitis, quod declarant ea quæ mox sequuntur, quoniam ut patri cognoscitis, id est audistis, aut cognoscite ex me. Theophylactus legit cognoscitis, sic exponens, quasi Paulus citet Philippenses testes, quanta synceritate Timotheus se gesserit in euangelio.

Quoniam sicut patri.) Vertẽdum erat, quoniam sicut cum patre filius mecum seruiuit, uel Sicut patri filius, mihi conseruiuit. Siquidem Græca sic habent ὅτι ὡς πατρὶ τέκνον σὺν ἐμοὶ ἐδούλευσεν. Paulus seruiuit euangelio, nihil quærens sui commodi, huic se socium dedit Timotheus pari synceritate affectus.

Quæ circa me sunt.) Græci addũt ἆμα, id est, Protinus, siue cõfestim, quod hic interpres uidetur uertisse mox. Verũ illud mox, potius referendũ uidetur ad uerbum mittere.

Et spero mittere.) Cur non potius missurum? Nam infinita sic aliquoties usurpantur.

Veniam

Veniam ad uos.) Ad uos, redundat. Imò Græce est, Quod & ipse cito uenturus sim. Et ita legit Ambrosius.

Et mœstus erat.) καὶ ἀδημονῶν. Id Ambrosius uertit, Et impatienter sollicitus erat. Nam ἀδημονία est penè exanimari ac deficere præ dolore. ἀδημονεῖν.

Vsq; ad mortem.) παραπλησίον θανάτῳ, id est, Proxime mortẽ, siue Vt esset uicinus morti. Ambrosius legit, Prope mortem.

Festinantius.) σπουδαιοτέρως. Verti poterat & studiosius. Ambrosius legit, sollicitius, etiamsi deprauatum est sollicitus: mihi tamen non displicet quod uertit interpres.

Quod ex uobis deerat.) τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, id est, Vestrum defectum.

Absq; tristitia sim.) ἀλυπότερος ὦ. Ambrosius uertit, Meliore animo sim. Græca uox perinde sonat, quasi dicas, liberior sim ab omni dolore, siue minus doleam.

Cum honore habetote.) ἐντίμους ἔχετε, id est, In precio habete.

Tradens animam suam.) παραβουλευσάμενος. Ambrosius Græcam uocẽ propius expressit, In interitum tradens animam suam. Est autem παραβουλεύεσθαι male consulere, & nõ habere rationem alicuius, non, quod Faber putat, sponte consultoq; tradere. Sentit enim Paulus illum ope diuina seruatum fuisse: alioqui ipse se præcipitauerat in exitium uitæ. Faber.

Erga meum obsequium.) τὴν πρός με λειτουργίας. Ambrosius legit, circa meum officium. Quanquam nec is explicuit, quod Græca sonant uerba, quorum hæc est sententia, ut quod diminutũ fuit in obsequio uestro erga me, id suppleatis in his quos ad uos mitto, & quod minus fecistis mihi, in talibus compensetis. At nonnulli codices habent πληρώσῃ, impleret, non πληρώσητε. ut uerbum ad Epaphroditum sit referendum, non ad Philippenses, ac tum erit sensus, ut ille suppleret, quod in uestro erga me officio fuit diminutum. Ambrosius interpretatur, ut suppleret, si quid Paulus minus plene tradiderat. Theophylactus cum legat itidem ut Ambrosius, tamen secus interpretatur: Videlicet cum Philippenses Romæ non essent, tamen Epaphroditum illorum ad se munificentiam detulisse, atq; hoc pacto sarsisse, quod illorum erga Paulum officio, locorum seiunctio uidebatur detraxisse.

EX CAPITE TERTIO.

DE cætero.) Τὸ λοιπὸν, id est, Quod superest. Et χαίρετε potest legi, ualete.

Mihi quidem non pigrum.) ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρόν, ὑμῖν δὲ τὸ ἀσφαλές. Ad uerbum ita reddi poterat: Mihi quidem nõ pigrum, uobis autem tutum. At dilucidius simul & Latinius fuerit, Me quidem non piget, uobis autem tutum est. Sensus est, Nõ me piget huius laboris, ut sæpius eadem repetã, quo crebra admonitio, uos reddat tutiores, ne labamini. Nam hinc proprie dictum est ἀσφαλὲς. Mirum unde Ambrosius nobiscum legat, pro tuto, necessarium. Nam sic etiam interpretatur, nisi Græci ἀσφαλὲς uocant, quod uitari non potest.

Vide concisionem.) Distinxit concisionem à circumcisione κατατομὴν, περιτομήν. Conciditur enim quod discerpitur, & planè distrahitur. Circunciditur quod expolitur, resectis superuacaneis. Annotauit hoc diuus Hieronymus in commentarijs Michææ. Cæterum articulus præfixus singulis horum nominũ, indicat eum de certis quibusdam loqui, quos illi nouerint τοὺς κάπας, τοὺς κακοὺς, τὴν κατατομήν. Et uidete, posuit pro cauete, quemadmodum aliquoties in euangelio ὅρα, βλέπετε. Sic enim hunc locum adduxit Ambrosius in libello Ad uirginem deuotam, Vitate canes, uitate malos operarios. κατατομὴ περιτομή.

Qui spiritu seruimus deo.) Græce est, Qui spiritu dei seruimus, οἱ πνεύματι θεοῦ λατρεύοντες. Porrò seruimus dixit, pro eo qđ est, religione colimus. Et tamẽ in nonnullis habebatur θεῷ λατρεύομεν, id est, Deo seruimus. Indicat Ambrosius libro de spiritu sancto secundo, cap. vi. hũc locũ in Latinis codicibus falsariorũ perfidia uariatũ fuisse, atq; ob id Græcorũ exemplarium autoritate standũ, in quibus habebat, ὁι πνεύματι θεοῦ λατρεύοντες, id est, Qui spiritui dei seruimus. Atq; hinc colligit & spiritum esse deũ, cui cultus debeatur, quod tamẽ ex Græcis uerbis nõ consequitur necessario. Siquidem datiuus πνεύματι, modum indicare potest, ut uerbum λατρεύομεν ponatur absolute. Religiosi sumus. Quomodo? Non carne, sed spiritu. Atque in hunc sanè sensum enarrant Græcorum scholia, atque ipse etiam Theophylactus πνευματικῶς λατρεύοντες, καὶ διὰ νοὸς, id est, Spiritualiter & mente deum colentes, non *Locus falsatus apud Latinos.*

corporeis ceremonijs,quemadmodum Iudæi qui mentulam amputabant,mente impura.

Habeam fiduciam in carne.) Græcus habet,& in carne, καὶ ἐν σαρκί. Et ita legit Ambrosius. Atq; est quidem πεποιθέναι uerbū præteriti temporis,sed ijs abutimur pro uerbis præsentis temporis. Vnde & Ambrosius & interpres recte legunt, Fiduciam habeam,& fiduciam habere.

Circumcisus octauo die.)Græcus sic habet περιτομὴ ὀκταήμερος,id est,Circumcisio octaui diei.Se uocat circūcisionem,ut sæpe alias gentes uocat præputiū.In Ambrosianis codicibus locū hunc deprauarant parū attenti scriptores,legentes,Circumcisionem octaui diei.

Locus in Ambrosio depraua-tus.

Ex genere Israel.) ἐκ γένους Ἰσραήλ. Israël hoc loco nominatiuus esse potest,non genitiuus. Vt enim se modo uocauit circūcisionem pro Iudæo,ita se hic nominat Israël pro Israëlita. Quemadmodum & alias frequenter Israel pro Israelitis ponitur. Addidit autem ex genere, ad distinctionem proselytorum, qui erant quidem Israelitæ, sed uelut adoptione, non ex genere.

Cōuersatus sine querela.) γενόμην ἄμεμπτος, id est,Factus sum,siue is fui de quo queri nemo posset.Quanquam hoc haud male reddidit interpres.

Detrimenta.) ζημίαν, id est,Detrimentum.

Propter eminentem scientiam.) διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως,id est, Propter eminentiā cognitionis,ut neutrum positum sit loco nominis substantiui.

Vt stercora.) καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι, id est,Arbitror stercora esse,siue duco pro stercoribus.Græcis autem σκύβαλον dicitur,quod ex intestinis animantium canibus proijcitur ἀπὸ τοῦ τοῖς κυσὶ βάλλεσθαι. Etiāsi diuus Ambrosius in Psalmo cxviij.sermone octauo,legit: Æstimor stercora,ut Christum lucrifaciam,quasi Paulus passus sit se pro nihilo haberi.Idem tamen secus interpretatur,ac mea sententia rectius,in commentarijs,quos in hanc scripsit epistolam,præsertim suffragantibus Græcis,iuxta quos Paulus legem olim magnæ ueneratiōnis prorsus negligit,ut inutilem præ euāgelio Christi, cum in illa natus esset. In hanc enim sententiam adducit hunc locum Chrysostomus homilia de aduentu,numero xxxv. Quanquam haud scio an & illud τὰ πάντα ἐζημιώθην, uertendum fuerit, In omnibus detrimento sum affectus.Ambrosius uertit,Omnia damna duxi,& huic cōsentiens Augustinus. Et in hanc quidem sententiam interpretatur Theophylactus, ut intelligamus perinde dictum ζημιοῦσθαι, quemadmodū dicimus μακαρίζεσθαι & εὐδαιμονίζεσθαι. At idem Ambrosius edisserens Psalmum:Beati immaculati,sermone octauo, secus uertit,Propter quē omnium detrimentum passus sum,rursus à seipso nonnihil dissentiens.

Locus uarie intellectus.

Quæ est ex deo.) Adde iustitiam τὴν ἐκ θεοῦ δικαιοσύνην, ut repetatur iustitiam.Sic enim legit Ambrosius:Iustitiam inquam quæ fide constat,non legis operibus. Item,in fide ad cognoscendum illum.Sic distingunt Græci,ut intelligas eum cognosci ex fide.

Ex fide est.) διὰ πίστεως, id est,Per fidem.

Societatem passionis.) παθημάτων, id est, Passionum siue malorum,siue afflictionum. Ambrosius pro societate legit communicationem.

Si quo modo.) εἴπως,Si quâ.

Quæ est ex mortuis.) τῶν νεκρῶν,id est,Mortuorum.Miror cur hic placuerit περίφρασις,ni si quod suspicor hunc interpretem,& item Ambrosium ita legisse, ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν.

Facetum.

Sequor autem.) διώκω, id est,Sector,& assequi cupio. Interpres autē nimis Latine usus est eo uerbo sequor,idcirco admonui,ne quis erraret.Nam uulgatum est sequi præcedentē, sequi quod imitamur,rarius est sequi quod affectamus.

Si quo modo.) εἰ Ϲ,id est,Si &,siue etiā cōprehendam,Interpres legisse uidetur εἴπως.

In quo & comprehensus sum.) ἐφ' ᾧ, id est,In eo quod.Eundem sensum efficit hoc loco, ἐφ' ὃ & ἐφῷ. Proinde mihi sensus uidetur,Si quo modo assequar id, ad quod me Christus delegit,& in stadio hoc certare iussit.

Non arbitror.Laurentianus codex habuit οὔπω, id est,Nondum,meus οὐ,sed plures habent οὔπω.Et ita legit diuus Ambrosius.

Expensa Augustini interpretatio.

Quæ retro sunt.) τὰ ὀπίσω, id est,Quæ à tergo sunt,hoc est,quæ præterita sunt ac relicta. Sumit enim similitudinē à cursoribus,qui non attendunt,nec respectant quid spacij transmiserint,sed quid superfit.Augustinus enarrans Psalmum trigesimumnonum, interpretat

quæ

quæ retro ſunt,uitam priſtinam uitijs inquinatam. Cum mea ſentẽtia Paulus loquatur de pietatis gradibus, prætermiſſis inferioribus, ad magis ardua perfectioraq; connitendum eſſe.Nam & Corinthijs oſtendit uiam excellentiorem,ad quam proficiant, neglectis minoribus uirtutum donis.

Vnum autẽ.) ἓν δέ, Subaudiendũ eſt ago,quaſi dicat,ſolũ hoc ago,& in hoc ſum totus.

Quæ priora.) τοῖς δὲ ἔμπροσθεν, id eſt, Quæ à fronte ſunt.

Ad deſtinatum.) κατὰ σκοπὸν,,id eſt, Secundũ ſcopum aut præfixũ. Neq; tam male uertit interpres quàm obſcure.Hieronymus admonet Græcam uocem eſſe ſignificantiorem. Eſt enim σκοπὸς proprie ſignum præfixum ſagittantibus. Vnde quod animo deſtinamus ac præfigimus,ſcopus eſt. Auguſtinus cum alijs pleriſq; locis,tum in Pſalmum trigeſimumoctauum legit,Secũdum intentionem,pro κατὰ σκοπὸν. Cyprianus de clericorum uita,ſi modo hoc opus illius uideri debet,legit, Ad regulam ſequor. Tertullianus libro de carnis reſurrectione legit,Secundum ſcopum perſequor ad palmam. *Scopus quid.*

Hoc ſentiamus.) Hieronymus in primo aduerſus Pelagium dialogo, indicat hoc loco Græcorum exemplaria uariaſſe,in alijs ſcriptum fuiſſe φρονῶμεν, id eſt, Sapimus,modo indicandi,in alijs φρονῶμεν,id eſt,Sapiamus.

Aliter ſapitis.) φρονεῖτε, id eſt,Sentitis. Ac reuelabit futuri temporis eſſe debet,ἀποκαλύψει. ſed reclamantibus uetuſtis exemplaribus Latinis, atq; ipſo Ambroſio, qui ſecus non legit ſolum,uerumetiam interpretatur.Item Auguſtino cum alijs locis aliquot,tum libro aduerſus Creſconiũ ſecundo,cap. xxxi.Rurſus epiſtola xlviij. niſi mendum eſt in ſcriptura. Nam ſermone de uerbis apoſtoli xv.ſcriptum habetur,reuelabit.Rurſus libro de prædeſtinatione ſanctorum primo,cap. primo.Opinor enim dictũ aliter,pro eo quod eſt, ſecus aliquanto quàm oportet.Proinde ſi recta lectio eſt reuelauit,ſuſpicor à Paulo ſcriptum fuiſſe ἀπεκάλυψε. Senſus uterq; tolerabilis eſt. Siquidem opinor Paulum loquí de Iudæis ad Chriſti religionem conuerſis,qui nondum poterant contemnere patriæ legis obſeruationem.Paulus autem modo docuit ex fide contingere iuſtitiam.Sed tamen ſi quis,inquit,inter uos diuerſum ſentit,& legi nonnihil tribuit,non eſt cur ob id ſcindatur concordia,quæ peculiaris eſt Chriſtianorum,ſic potius interpretetur quiſq;. Quid mea refert, ſi deus hoc illi reuelauit ? ego nihilo ſecius ſequar,quod mihi mea dictat conſcientia. Alter hic eſt,Si quis diuerſum ſentit,hoc eſt,legi tribuit aliquid,feratur donec proficiat.Futurum eſt enim fortaſſis,ut hanc quoq; perfectionem illi deus aſpiret,ut aliquando contemnat,quæ nondũ poteſt contemnere.Quanquã haud me clàm eſt Ambroſium aliter interpretari. Theophylactus hũc ſenſum adfert:Si quid ſecus ſentitis de affectanda uictoria,non recte ſentitis.Sed tamẽ deus iſtam quoq; mentem uobis mutabit in melius.Hilarius libro de trinitate undecimo,legit Reuelabit,uerbo futuri temporis,& interpretatur, ijs qui nõdum abſolutam ueritatem aſſequuti ſunt,expectãdam reuelationem dei, qui plenam ueri cognitionem largiatur,& ſi quid prius erratum fuit corrigat. *Reuelauit. Reuelabit. Aliter, pro diuerſe, ſiue ſecus q̃ oportet.*

Veruntamen.) Græca paulo ſecus habent, nempe ad hunc modum, πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν, id eſt, Verum in eo ad quod peruenimus,eadẽ incedere regula,idem ſapere.Quanquam hi infinitiui pro imperatiuis poni uidentur. Hilarius libro de trinit. xi.uertit hunc in modũ, Verum in quo feſtinauimus,ipſo ingrediamur.

Imitatores mei.) συμμιμηταί μου, id eſt, Coimitatores mei,hoc eſt, imitemini me unà cum cæteris qui me imitantur. Aut hoc conueniat inter uos, etiamſi quid in cæteris diſſentitis,ut ſitis imitatores mei.Proinde nos uertimus:Eſtote pariter imitatores mei.Ambroſius nullum indicium dat huius coniunctionis.

Et obſeruate.) καὶ σκοπεῖτε, id eſt,Conſiderate. Atq; ita legit Ambroſius.

Formam noſtram.) τύπον ἡμᾶς, id eſt,Formam nos,ut ſit appoſitiue dictum.

Quæ ſæpe dixi uobis.) Apparet Paulum non abſoluiſſe quod cœperat.Multi enim ambulant,ut ſubaudias,nõ ut ego,ſed in carne & faſtu,ac ceremonijs,& ob id inimici crucis.

Terrena ſapiunt.) φρονοῦντες, Curant ſiue ſentiunt,hoc eſt,qui terreſtres habent affectus. Abuſus eſt participio loco uerbi.

Noſtra autem.) Noſtra enim.

Vnde.) ἐξ οὗ, id eſt,Ex quo,ſcilicet cœlo.Miror interpreti placuiſſe amphibologiã,adeo ut uelut

ut uelut hanc affectans à Græcis uerbis discederet: nisi quod Ex quo apud illum ferè sonat, ex quo tempore, siue postquam.

Corpus humilitatis, id est, humile sicut corpus mortis

Corpus humilitatis.) ταπεινώσεως, id est, Corpus humile & abiectum. Locutus est enim iuxta proprietatem sermonis Hebræi.

Configuratum corpori.) Græce sic habet, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι, id est, Vt fiat conforme corpori &c.

Secundum operationem uirtutis.) Et hoc Græcis ad hunc legitur modum, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα, id est, Secundū operationē seu uim, aut efficaciam, ut possit etiam subijcere sibijpsi omnia. Ambrosius legit: Qua possit etiam subijcere sibi omnia. Codex Donatiani habebat Secundum operationem, qua etiam possit.

EX CAPITE QVARTO.

Charissimi & desideratissimi.) ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι, id est, Dilecti ac desiderati, siue amabiles ac desiderabiles.

Et Syntychen obsecro.) Rogo & deprecor apud Græcos idem est uerbū. Proinde intempestiue interpres affectauit copiam hoc loco, cum anadiplosis eius uerbi faciat ad uehementiam affectus significandam.

Idipsum sapere.) τὸ αὐτὸ φρονεῖν, id est, Idem sentire, hoc est, cōcordes esse. Etiamsi Ambrosius interpretatur de amplexanda prudentia.

Etiam.) Hic affirmantis est, ναί. Et ἐρωτῶ, quod significat interrogo, hic pro rogo posuit. Nisi forte ἐρωτῶ anceps est apud Græcos, sicut rogo apud Latinos.

Germane compar.) σύζυγε γνήσιε. Syzygi dicuntur, quasi pariter ducentes iugum. Germanum autem hic uertit, quod superius uerterat synceram affectionem γνησίως. Quidam hoc referunt ad uxorem Pauli. Nam Græca possunt & fœminino genere accipi, σύζυγε γνήσιε, id est, Coniunx germana, hoc est, syncera coniunx. Sunt autem magni autores apud Græcos, qui putant Paulum habuisse uxorem. Et consentaneum est hic mulieres commendari mulieribus. Porrò qd addit γνήσιε, hoc est, germana siue uera, pulchre quadrat in eam quæ & ipsa Christum unà cum marito amplecteretur. Cum enim consensus est, non solū in conuictu, uerumetiam in professione fidei, in studio pietatis, in uitæ similitudine, tum denique uerum est coniugium. Alioqui impar coniugium uocatur, quoties diuersi religione, iugo matrimonij continentur. Sanctus Clemens Historiæ ecclesiasticæ libro tertio, referente Eusebio, locum hunc citat, quo doceat Paulo fuisse uxorem, quum tamen eam exemplo Petri non circumduxerit, quo uidelicet expeditior esset ad negocium euangelicum. Quin idem & Philippo uxorem fuisse scribit, & apostolos filias suas nuptum dedisse, tantum aberat ut damnarent matrimonium. Theophylactus tamen acriter repugnat, ne Paulo tribuamus uxorem: quasi uero in hoc sit aliquid periculi. Quod ne fiat, mauult hunc alteri mulierū uel fratrem uel maritum fuisse ac fortasse carceris custodem. Fatetur tamen fuisse, qui putarint hæc Paulum uxori suæ scribere, quos non alio refellit argumento, quàm uocis unius, quam masculino genere posuerit, fœminino positurus uidelicet, si de uxore loqueret. Sentit autē opinor, de γνήσιε. Nam de σύζυγος nemo nescit esse generis cōmunis. Verū qui putarūt de uxore dici, ni fallor, Græci fuerunt, quos tamen nihil offendit qd offendit Theophylactū, nimirum intelligentes in huiusmodi uocibus iuxta morem Atticum frequenter usurpari, genus masculinum pro fœminino. Quemadmodum Homerus dixit κλυτὸς pro κλυτή, & Euripides γενναῖος pro γενναία. Deniq; quum Theophylactus in epistola ad Titū cap. ij. legat σωτήριος pro salutifera, itaq; interpretetur: demiror quur hic offenderit γνήσιος. Proinde ut hanc sentētiam nō arbitror absurdam, ita fateor & alteram posse consistere. Tantum offendit, quod uirum ceu comitem adiūgit fœminis, præter morē suum. Deinde quis esset iste carceris custos, quem Paulus dignaretur tanto honore, ut eum γνήσιον σύζυγον uocaret, & eidem præferret mulieres. Consortes Euangelici laboris, Paulus solitus est appellare συνεργούς, σύζυγος magis cōgruit in par hominum, quos idem copulat iugum, unde Latinis quoq; dictum est coniugium. Lyranus admonet, germanum esse nomen proprium, ne nihil adderet de suo, quod hausisse uidetur è commentarijs qui falso Hieronymi titulo feruntur in omnes epistolas Pauli. Porrò cum hæc epistola scripta sit omnibus sanctis episcopis ac diaconis, nullius expresso nomine, non uideo quis hic possit intelligi.

Impar coniugium.

Adiuua illas.) συλλαμβάνου αὐταῖς, Commoda illis, ac manum admoue.

Mecum laborauerunt.) συνήθλησάν μοι, id est, Simul mecum decertarunt.

Gaudete in domino.) χαίρετε. Potest esse & ualete.

Modestia.) ἐπιείκεια, id est, Humanitas, siue æquitas. Ambrosius explanat, rationabilis cõuersatio, cum non contenditur de summo iure, sed alius alij pro tempore cedit, & id sequitur quod postulat humanitas. *Modestia, pro humanitate.*

Dominus enim.) Enim, redundat, nec additur apud Ambrosium.

Sed in omni.) Omni, nõ est epithetũ orationis, ἐν παντὶ, id est, In omni re, siue in omnibus.

Omnem sensum.) πάντα νοῦν, id est, Mẽtem siue intellectum, ne quis ad corporis sensum detorqueat. Certe mentem legit Ambrosius hanc enarrans epistolam, itaq; citat libro de Iacob, & beata uita, capite sexto.

Custodiat.) φρουρήσει, id est, Custodiet, futuri temporis. Neq; enim optat hoc illis, sed animat eos hac fiducia. Ita legisse Ambrosium, colliges ex ipsius interpretatione, si perpendas attentius.

De cætero fratres.) τὸ λοιπόν, id est, Quod reliquum est. Est autem continuantis post digressionem aliquam.

Quæcunq; pudica.) σεμνά. Quod Ambrosius legit, magnifica. Vertere poterat seuera, honesta, uerecunda. Nam hæc omnia significat Græcis σεμνά. Σεμνὰ seuera.

Quæcunq; sancta.) ἁγνά, id est, Pura siue casta.

Amabilia.) προσφιλῆ. Quod Hieronymus aduersus Iouinianum uertit Ad castitatẽ pertinentia, sed detorquens, opinor, ad suam argumentationem.

Bonæ famæ.) εὔφημα, id est, Bene ominata, siue boni ominis. Ambrosius uertit, laudabilia. Totum hunc locum ita reddidit Hieronymus: Quæcunq; ergo sunt uera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; ad castitatem pertinentia &c.

Si qua laus disciplinæ.) Disciplinæ, redundat iuxta Græcos codices. Nec apparet ex Ambrosianis commentarijs, quod secus legerit, quàm Græci. Et uirtus hic est ἀρετὴ, quæ opponitur uicio, non δύναμις, quæ pugnat cum imbecillitate. *Virtus* ἀρετὴ.

Hæc cogitate & agite.) Cogitate superest, Græcis tantum est ταῦτα πράττετε, id est, Hæc agite. Et ita legit Ambrosius. Hunc locum quidã magnis cachinnis magnisq; conuicijs insectatur, negans me apud me fuisse cum hæc scriberem. Ac mox deprehendi hominis errorem. Siquidẽ cum ego notassem lectionem posterioris partis, hæc agite & deus pacis &c. Ille somniauit me de priore parte loqui, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate quæ & didicistis. At dicet ille, quid annotabas, cum scriptura huius loci belle haberet in Græcis pariter ac Latinis codicibus? Non sum tam stupidus, ut præter occasionem id fuerim annotaturus. Etenim cum hæc scriberẽ, cõsului peruetustæ imò primæ, ni fallor, æditionis codicem, qui glossam habet adiunctam ordinariam & interlinearem ut uocant, præbitam è monasterio Cartusiensiũ, quod propinquũ est urbi Bruxellensi uicinum collegio Anderlacensi, in quo tum temporis ualetudinis causa rusticabamur. In eo sic habebatur scriptũ: Hæc cogitate quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & uidistis in me, hæc cogitate & agite, & deus pacis erit uobiscum. Et glossa in interstitio uersuum: Non solum, inquit, cogitate, sed & actu implete. Hic clamabit meus castigator, scripturã esse deprauatam, & illud cogitate repetitũ è loco superiore. Fateor, & ideo admonui, ne latius serperet ea scriptura, quæ iam codices innumeros occuparat. Det dominus talibus sycophantis, ut aliquando ad se redeant.

Quoniam tandem aliquando.) ὅτι ἤδη ποτὲ, id est, Quod iam aliquando.

Refloruistis p me sentire.) ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν, id est, Reuiguistis in sentiẽdo de me, ut subaudias κεῖται τὸ φρονεῖν, hoc est, reuiguit in uobis amor & sollicitudo, ac studium erga me, tametsi nõ misistis hactenus, quod opportunitas mittẽdi uobis defuerit, non animus.

Sicut & sentiebatis.) ἐφ' ᾧ, id est, In eo quod sentiebatis.

Occupati enim eratis.) ἠκαιρεῖσθε δὲ, id est, Sed non habuistis opportunitatem. Id enim sonare uidetur ἀκαιρεῖσθαι.

Propter penuriam.) καθ' ὑστέρησιν, id est, Iuxta defectum.

Non quasi.) οὐχ' ὅτι, id est, Non quod.

Sufficiens esse.) αὐτάρκης εἶναι, id est, Contentus esse. Apertius erat: Nam ego didici his in quibus

quibus sum contentus esse, ἐν οἷς εἰμὶ αὐτάρκης εἶναι, hoc est, noui quod adest boni cōsulere.

Scio humiliari & abundare.) περισσεύειν. Quod hic uertit, abundare, non solum pertinet ad rerum copiam, sed ad omnem præcellētiam, ut opponatur ei quod præcessit, humiliari. Nam de copia & inopia mox meminit. Etiamsi Theophylactus aliter exponit.

Vbiq; & in omnibus.) ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι, id est, In omni & in omnibus. Et sic legit Ambrosius. Tametsi probe uertit hoc interpres, ut accipias, ubiq;, pro eo quod est in omni re. Theophylactus priorem particulam ἐν παντὶ bifariam exponit, aut in omni tēpore, ut intelligas longam experientiam, aut in omni negocio, ut intelligas plurimarum rerum experientiam, In omnibus uero quæ obiter incidunt.

Institutus sum.) μεμύημαι, quod Ambrosius uertit, imbutus sum. Est autem proprie initiari mysteriis. Porrò mysteria primum discuntur, mox exercentur.

Abundare & penuriam pati.) περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι, hoc est, quasi dicas, pati, ut supersit, pati, ut desit, siue pati, ut nimium sit, pati, ut minus sit.

Qui me confortat.) ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντι. Non est confortat, quasi consolatur & reficit, sed confortat, id est, Potentem ac fortem reddit, corroborat erat Latinius.

In Thessalonicam.) ἐν θεσσαλονίκῃ, id est, In Thessalonica, ut subaudias ecclesia. Nec miserunt in Thessalonicam, sed Paulo miserunt, qui illic tum erat.

Semel & bis. Semel & bis.) ἅπαξ καὶ δίς. Quod si quis Latine uelit reddere, dicendum est, semel atque iterum. Ambrosius legit: Semel & iterum. Alioqui semel & bis nihil aliud sonat quàm ter.

In usum.) εἰς τὴν χρείαν, id est, Ad egestatem, siue ad necessitatem. Quanquam in usum nō est absurdum, modo intelligas, In usum, id est, Cum esset opus. Ambrosius legit, In usus meos misistis.

Non quia quæro datum.) οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα, id est, Non quod quæram ipsum donum. Ambrosius legit: Non quia munus quæram.

Sed requiro fructum.) Illud quæro, & hoc requiro, apud Græcos idem uerbum est ἐπιζητῶ, ne quis frustra miretur interpretis copiam.

Abundantem in rationem.) Hic melius uertisset Græcum participium in uerbum πλεονάζοντα, id est, Qui redundaret in uestrum commodum, potius quàm meum.

Habeo autem omnia.) ἀπέχω. Ambrosius legit, Percepi autem omnia. Nam ἀπέχειν est recipere ex aliquo ueluti censum aut reditum ex aruis. Et ad eum modum uertit in euangelijs, Receperunt mercedem suam ἀπέχουσιν. Id sentiens Theophylactus, submonet recipi, quod quasi debitum datur.

Repletus sum acceptis.) πεπλήρωμαι δεξάμενος, id est, Repletus sum accipiens, nisi quod participium est præteriti temporis. Commodius uertisset ad hunc modum, Expletus sum, posteaquam accepi ab Epaphrodito, à uobis missa, odorem &c.

Thymiamata in sacris. In odorem suauitatis.) ὀσμὴν εὐωδίας. Quod superius indicauimus, Nec est In odorem, sed odorem appositiue, suffragante Græcis codice Donatiani. Suffragabatur uterq; Cōstantiensis. Ambrosius legit, odorem bonæ suauitatis, sed mutato, sicuti conijcio, auferendi casu, in accusandi casum. Cyprianus exponens precationem dominicam, citat ad hunc modum: Saturatus sum, inquit, recipiens ab Epaphrodito quæ à uobis missa sunt, odore suauitatis, sacrificio accepto, & placente deo. Indicat autem quod uocauit odorem suauem, sumptum à sacris in quibus suffitus spargebantur grati naribus.

Omne desiderium.) πᾶσαν χρείαν, id est, Omnē necessitatem siue indigētiam. Valla emendat, implebit πληρώσει, sed codex unus habebat πληρῶσαι, id est, Impleat.

Cum spiritu uestro.) Sic & Ambrosius legit, sed Græci codices habēt, μετὰ πάντων ὑμῶν, id est, Cum omnibus uobis.

ANNOTATIONVM IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES, PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM FINIS.

IN EPISTOLAM PAVLI AD COLOSSENSES ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI.



IN PRIMIS non possum non mirari, quid in mentem uenerit ijs qui Colossenses ad quos scribit hanc epistolam Paulus, aiunt esse Rhodienses, ob nobilē illum colossum, qui memoratur inter septem mundi miracula. Nam de statua quidē nullus non meminit scriptorū. At de ciuitate huius nominis, ne ij quidem ullum fecere uerbum, qui totius insulæ situm diligentissime literis prodiderunt. Quin potius Colossæ ciuitas est Phrygiæ, quæ est in Asia minore, haud ita procul ab Hierapoli, & Laodicea, quarum & in hac epistola meminit Paulus. Laodiceæ cum ait, Volo autem uos scire, cuiusmodi certamē habeam pro uobis, & pro his qui sunt Laodiceæ. Ac rursum in calce: Facite ut & in Laodicensium ecclesia legatur, & eam quæ è Laodicea missa fuit, ut uos quoq; legatis. Ac paulo superius: Quoniam habet zelum multum pro uobis, & his qui sunt Laodiceæ, & his qui sunt Hierapoli. Constat autem Hierapolim & Laodiceā in Phrygia esse aut certe in confinio, autore Ptolemæo. Porrò Plinius libro sexto, capite trigesimo secundo, Colossas nominatim recensuit in descriptione Phrygiæ, quæ septentrionali sui parte Galatiæ sit contermina, Meridiana, Lycaoniæ, Pisidiæ, Mygdoniæ, ab oriente Cappadociam attingens. Oppida celeberrima sunt, Ancyra, Andria, Celena, Colossæ, Carina, Coiason, Ceranæ, Iconium, Midanum. Idem libro trigesimoprimo, capite secundo, prodidit Colossis flumen esse, in quod lateres coniecti lapides extrahantur. Ad hæc Strabo geographiæ suo libro decimo, inter loca Laodiceæ finitima, Colossarum quoq; mentionem facit. Iam uero Theophylactus quoque Græcus interpres de Colossensibus tradidit in hunc modum, πόλις φρυγίας αἱ κολοσσαὶ, αἱ νῦν λεγόμεναι χῶναι. καὶ ὅλον ἐκ τοῦ τῶν λαοδικέων εἶναι πλησίον, id est, Ciuitas Phrygiæ Colossæ, quæ nunc uocatur Chonæ. Atque id liquet ex eo, quod uicina sit Laodicea. Hæc abunde sufficiunt, opinor, ad refellendos eos, qui Colossenses in Rhodum transferunt. Nec ab hac nostra sententia dissentit Faber Stapulensis. Iam quod apud Suidā legimus Rhodienses & Lindios dictos, & Colossenses ob insignē Colossum, quem soli erexerunt, ut uerum sit, nō efficit, ut hæc epistola scripta sit Rhodijs. Cæterum quod in Græcis codicibus κολασσεῖς legimus, per alpha scriptum in secunda syllaba, haud scio an librariorum acciderit incuria, præsertim cum Theophylactus urbis situm exponens, Colossas scribat, non Colassas. Sic autem dicimus Colossæ Colossarum, quemadmodum Athenæ Athenarum.

Colossenses. *Colossas ciuitatē esse Phrygiæ, nō Rhodi* *Faber.*

A deo patre nostro.) Admonet Theophylactus hic nō addi mentionem Christi, quod tamen fieri solet in cæteris fermè epistolis. Et tamen hoc additum uidemus in Græcorum codicibus, non dubium quin errore librariorum, ex sua memoria quæ uidetur addentium. Certe Theophylactus non addit. Latini codices uariant.

Quod peruenit ad uos, sicut & in toto mundo est, & fructificat, & crescit.) καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, καὶ ἔστι καρποφορούμενον, Quemadmodum & in toto mundo etiam est fructificans, licet in nonnullis exemplaribus nō addebatur posterius καὶ ante ἔστι. Quæ tamen coniunctio mihi non uidetur ociosa. Prior eñ pertinet ad aduerbiū, quemadmodum, posterior ad id quod subauditur, peruenit ad uos, quemadmodum & in toto mundo est, & ita est, ut non solum prædicatum sit, uerumetiam fructificet.

Et crescit.) Hæc apud Græcos non legi. Faber indicat, αὐξανόμενον addi in quibusdam exemplaribus, atq; ita sanè legit Ambrosius. ac paulo inferius rursus hæc duo participia iunguntur, In omni opere bono &c.

Faber.

Sicut in uobis.) Sicut & in uobis, addita copula, καθὼς & ἐν ὑμῖν. atq; ita legit Ambros.

Conseruo nostro.) Græce uestro, ὑμῶν. Quanquam hic libri uariant, & magis quadrat nostro prima persona, ut intelligamus adiutorem Pauli & illorum ministrum.

Orantes & postulantes.) Et hæc participia debebat uertere in uerba infinitiua, orare & postulare, προσευχόμενοι καὶ αἰτούμενοι.

Vt impleamini agnitione,) ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν. Aut subaudienda est præpositio κατὰ, more Græcorum quasi per synedochen, aut πληρωθῆτε sumendum est actiue, id est, ut impleatis. Tametsi priorem sensum magis probo. Et eum sequitur Theophylactus.

Digne deo.) Domino est græcis, ἀξίως τοῦ κυρίου.

Omnia placentes.) εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν. Quasi dicas, in omnem placentiam. Ambrosius legit, Ad omne placitum.

In omni uirtute confortati,) Græcus sermo iucundior est, δυνάμει δυναμούμενοι, id est, In omni potentia facti potentes, siue ualētia ualescētes. Est enim participiū præsentis tēporis.

Claritatis.) δόξης, id est, Gloriæ.

Deo & patri.) Græce tantum est patri.

Qui dignos nos.) τῷ ἱκανώσαντι, id est, Qui nos fecit idoneos.

Idioma Hebræum. Filij dilectionis suæ.) Iam non semel admonuimus hanc sermonis formam peculiarem esse Hebræis, uas electionis, pro uase electo, & filius perditionis, pro filio perdito. Itidē hic filij dilectionis; pro filio dilecto, τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ.

Redemptionem & remissionem.) Græci codices sic habent, τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, id est, Redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Ambrosius uidetur item legisse, nisi quod non habet hic, per sanguinē ipsius. Cæterum quod redemptionē & remissionē, nullo coniunctionis interuētu, sed appositiue coniunxerit, indicat quod edisserens subijcit: Remissio enim peccatorum liberos facit. Exponens enim Paulus quid dixerit redemptionē, subdidit remissionem peccatorum.

Appositiue legendum.

Imago dei inuisibilis.) Inuisibilis, non refertur ad imaginem, sed ad deū, ἀοράτου, hoc est, dei. Quemadmodum enim solus pater dicitur immortalis & sapiens, ita solus dicitur inuisibilis, non quod filius iuxta diuinam naturam uisibilis sit, sed quod à patre habet naturam inuisibilem. Pater igitur ut fons manet inuisibilis. Cæterum per imaginem filium aliquo modo promit sese, dum per illum condidit hunc mundum, dum per eum hominem factū nobis innotescit.

Primogenitus omnis creaturæ.) Cum hic dixerit creaturæ, cur mox mutauit, condita sunt, cum Græcis eiusdem originis sint uoces κτίσις & ἐκτίσθη, Vel hinc colligi potest, nihil interesse inter creare & condere. Sensus autem hic esse potest, qui genitus fuit ante omnē creaturam. Ne quis cum Ario dei filium faciat creaturam. In hanc sententiam edisserit Ambrosius. Quod si mutato accentu legas, πρωτοτόκος πάσης κτίσεως, sensus erit, illum primum produxisse omnia, & omnem creaturam ab illo natam esse. Nec male congruit ad hanc sententiam quod sequitur, quod in illo creata sint omnia &c. Vtruncunq; sensum sequi malis, non uideo quid ad rem pertineat, ut ideas Platonicas huc in mediū protrahamus, id quod facit Aquinas. Quandoquidem iuxta sermonis Hebræi proprietatē, Paulus In ipso dixit, pro eo quod est, per ipsum, ut crebro iam obuium indicauimus. Declarat id, quod mox repetens hanc sententiam, quod hic dixerat, ἐν αὐτῷ, id est, in ipso, mutat in δι' αὐτοῦ, id est, per ipsum. Astipulatur nostræ sententiæ Theophylactus, hunc enarrans locum. Proinde quod sequitur εἰς αὐτόν, non erat uertendum in ipso, ne bis idem dicere uideatur, sed in ipsum, ut accipias hæc non fuisse condita per Christum ueluti per ministrum, sed tanquam per consortem imperij. Idcirco addidit, & in ipsum, ex quo pendeant omnia gubernanda. Ad eum modum sonant Græca quæ scripsit Paulus, & ad eundē interpretatur præter cæteros Theophylactus. Iam per se liquet, opinor, quod Thomas Aquinas in ipso exponit, tanquā per causam exemplarem, non admodū ad rem pertinere, quod tamen interpreti par sit imputare, qui secus uerterit, quàm scripsit apostolus.

In ipso, pro per ipsum.

Excussa Aquinatis interpretatio.

In cœlis & in terra.) τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. i. quæ in cœlis sunt, & quæ in terra.

Et ipse est ante omnes.) Magis quadrabat, Ante omnia. πρὸ πάντων. Nam de uniuersis loquutus est, & sequitur continuo, καὶ τὰ πάντα, id est, Et omnia. Tertullianus tamen libro

aduersus

aduersus Marcionem quinto, legit Ante omnes, colligens non posse dici Ante omnes, nisi qui sit ante omnia. Itidem legit Hilarius lib. de trin. ix.

Et omnia in ipso constant. (καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, id est, Omnia in illo consistunt siue constiterunt. tametsi Græci uerbi tempus recte mutauit interpres. Cæterum constare dicit conseruari.

Qui est principium primogenitus.) ὅς ἐστιν ἀρχὴ πρωτότοκος. Quoniam neutri dictioni apponitur articulus, potest & hic sensus accipi, Qui Christus est principium primogenitū ex mortuis, quasi dicas, primum principium, quod ille sit fons omnis resurrectionis. Nam huc accommodant Theophylactus & Ambrosius, quod Christus hic dicatur principiū, quod dux sit & autor resurrectionis.

Primatum tenens.) πρωτεύων, id est, Primas tenens, quanq; Græcis unica dictio est. πρωτεύειν.

In ipso complacuit.) εὐδόκησεν. Id si referatur ad patrem, cuius uoluntas ac decretum fuerit, commodior erit interpretatio, quàm si ad filiū. Atque ita sentit Theophylactus. Cum enim disputasset, in filio natura esse plenitudinem deitatis, adiecit huius rei, nullam adferri causam, nisi quod ita uisum sit deo. Proinde nos patri, addidimus de nostro.

Omnem plenitudinem diuinitatis.) Diuinitatis apud Græcos non lego, tantum est τὸ πλήρωμα. nec additur apud Ambrosium in contextu, licet enarrans addat explicandæ rei gratia. Nec addidit Hilarius, citans hunc locum libro de trinitate octauo, non uno in loco. Simili modo res habet apud Theophylactum. Quod si quis excutiat interpretationem diui Thomæ, deprehendet, ne ipsum quidem addidisse, Diuinitatis. Suffragabatur uterque codex Constantiensis. Et haud scio, an apud ullum omnino sit interpretem. Proinde demiror, unde uox ea in quædam exemplaria Latinorum irrepserit, nisi huc ex proximo capite huius epistolæ asscripta est à studioso quopiam. *Additum aliquid.*

Per eum reconciliari omnia in ipsum.) Cur non & antea uertit, In ipsum, cum Græcis eadem sint uerba, εἰς αὐτόν. quanquam rectius erat Reconciliare, uerbum actiuum, ἀποκαταλλάξαι. Et, erga se, melius quàm In ipsum.

Pacificans.) εἰρηνοποιήσας, id est, Pacificatis & ijs quæ in terra sunt, & quæ in cœlis. Alioqui sermo non carebit solœcismo, Non enim quemadmodum Græcus dicit εὐδόκησεν εἰρηνοποιήσας, ita & Latinus placuit illi pacem faciens.

Per sanguinem crucis eius.) Græca secus habent, διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ δι' αὐτοῦ, id est, Per sanguinem crucis eius, per ipsum siue per eundem, ut placuerit, referatur ad patrē, & hæc pronomina pertineant ad Christum.

Inimici sensu.) ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ, id est, Inimici mente siue cogitatione. Porrò sermo Græcis anceps est. nam datiuus διανοίᾳ potest accipi uelut instrumentaliter, hoc est, Per sensum siue mentem. aut relatiue, Inimici, sed cui? nempe menti. Etenim qui carni seruit repugnat rationi. Ambrosius & Hieronymus διανοίᾳ referunt non ad hominem peccantem, sed ad deum, ut accipias dei mentem, non hominis. Nam prior sic legit, Et uos quondam alienatos & inimicos consiliorum eius, in operibus iniquis &c. Posterior ad hunc modū, in epistola ad Ioannem episcopum Hierosolymitanū, Cum essetis alienati, & inimici sensus eius, quanquam ego sanè hostes malim quàm Inimici. Theophylactus, Mente ad Colossenses refert, ne se putarent excusandos, si fato aut natura fuissent hostes dei. Idcirco addit Mēte, ut intelligerent se suapte uoluntate fuisse hostes. *Sensus pro mente.*

Carnis eius.) Imò Suæ.

Et immaculatos.) ἀμώμους, id est, Irreprehensibiles. Quod Tertullianus alicubi non inelegánter uertit inuituperabiles, Nam hinc Momus deus, quod carperet aliena facta.

Et irreprehensibiles.) ἀνεγκλήτους, id est, Id est incriminabiles, siue inculpatos.

Quod prædicatū est in uniuersa creatura.) ἐν πάσῃ κτίσει. Torquetur hic nonnihil Aquinas, putans prædicatum est, positum pro prædicabitur, Imò hyperbole est, qua significat iam undiquaq; uulgatum euangelium Christi, ne quid cogitarent Colossenses de mutāda fide, quæ iam ab omnibus esset recepta. Magnificentius autē & ardentius est, In omni creatura, quàm inter omnes homines. Quod si quis non recipiat hyperbolen in literis diuinis, is si uolet, cum Hieronymo, cum Origene, cum Chrysostomo, cum Augustino litiget, qui frequenter annotant hoc schema. *Hyperbole.*

Qui nunc gaudeo.) Qui, apud Græcos non lego, sed tantum, nunc gaudeo, νῦν χαίρω. Et apud Græcos est, ἐν τοῖς παθήμασίμου, id est, in afflictionibus meis. Cui continenter adhæret pro uobis ὑπὲρ ὑμῶν, quanquam in his quoq; uerbis est nonnihil ambigui sensus, Gaudeo pro uobis, id est, gratulor uestro profectui, & gaudeo quod affligar uestra causa.

Et adimpleo ea quæ desunt passionum.) καὶ ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων. Commodius uertere poterat, Et suppleo quod deest afflictionibus Christi. Ambrosius ita, Et suppleo reliquias pressurarum. Porrò uerbum ἀνταναπληρῶ compositum ex tribus, ex ἀντὶ, quod significat uicē, quū quis alterius loco facit aliquid, & ἀνὰ, quod apud Latinos aliquoties ualet re, et πληρῶ, quasi redimpleo uice Christi, qđ in illius afflictionibus est diminutū.

Passio Christi quomodo impletur.

Ambrosius uidetur uoluisse sensum explicare Pauli, quum ait, reliquias. ut accipiamus passionem Christi non fuisse diminutam ad salutem hominum, sed unam esse passionē Christi & martyrum, hoc est, capitis & membrorum. Nec dissentit ab hac sententia Theophylactus, interpretans Christum in apostolis adhuc pati pro corpore suo, non quod desit aliquid, sed quod tam immensa sit illius in nos charitas. Scholiastes ille Latinus addit & aliud commentum. Adeo non piget me afflictionum, ut gaudeam etiam, libenter perpessurus usq; ad finem exemplo Christi, qui ad mortem usq; perstitit in euangelio.

Cuius factus sum ego minister.) Cuius, ecclesiam refert, non corpus. Ambrosius referre uidetur ad euangelium, nec uideo, unde repetitum, quanquam id sanè minutulum est, uerum ad hæc minutissima nonnunquam impingunt magni theologi, si Græce nesciant. Bis autē dictum est, Cuius sum ego minister, in priore loco cuius sine cōtrouersia refert euangelium, posteriore refert ecclesiam, nec aliud potest, quum Græce sit ἧς fœminini generis. Proinde nos uertimus, Cuius ecclesiæ.

Sacramētum. μυστήριον.

Verbum dei mysterium.) Cum hic Paulus uerbum dei uocarit mysterium, quod sæpe uertit Sacramentū, cur non addunt hinc octauū sacramentū? qui quum in scripturis sacramenti fit mentio, uolunt de septem illis accipi. quanquam mysterium hoc loco secretum & arcanum sonat, id declarant quæ sequuntur: Nunc autem manifestatum est.

In uobis.) εἰς ὑμᾶς, id est, In uos, Et ita legit Ambrosius, ut est in Græcis codicibus emendatioribus, quanquam in nonnullis Græcis codicibus scriptum habebatur ἐν ὑμῖν,

Notas facere diuitias.) Græce sic est, γνωρίσαι τίς ὁ πλοῦτος, id est, Notum facere quæ sint diuitiæ. Et ita legit Ambrosius.

Sacramenti.) μυστηρίου, id est, Mysterij, id est, Arcani,

Quod est Christus.) ὅς ἐστι χριστός, id est, Qui est Christus. tametsi Laurentius uertendū existimat, Quæ est Christus, ut quæ referatur ad diuitias, πλοῦτον, quæ uox Græca est masculini generis, & numeri singularis. Atq; ita quidem exponunt Græca scholia. Secus Ambrosius. Theophylactus uariat.

Corripientes.) νουθετοῦντες, id est, monentes, & ita Ambrosius. Nam Græca uox anceps est, quam aliquoties uertunt increpare.

Et docentes.) Hic Græci repetunt πάντα ἄνθρωπον. Atq; ita scriptum erat in codice Donatiani. Suffragabatur uterq; Constantiensis.

In quo &.) εἰς ὅ, In quod, in quam rem, ut non referas ad Christum, sed ad illorum perfectionem. Nec est simpliciter, Laboro certando, sed κοπιῶ ἀγωνιζόμενος, quod ad periculum pertinet. Siquidem agon interim certamen est, interim periculum.

Quam operatur.) τὴν ἐνεργουμένην, id est, Quæ operatur. Et ita Ambrosius. Et operationem, est ἐνέργειαν, ut intelligas uim agentem in Paulo. Et uirtute, est δυνάμει, quæ pugnat cum imbecillitate.

EX CAPITE SECVNDO.



Valem sollicitudinem.) ἡλίκον ἀγῶνα, id est, Quantum certamen siue periculum, nec est, Pro uobis, sed De uobis, περὶ ὑμῶν, quanquam agon & laborem sonat, sed cum difficultate periculoq; coniunctum.

Faciem meam.) τὸ πρόσωπόν μου, quod planè refertur ad faciem. Nam uidit personam meam, nec Latinum esse puto. etiamsi cuidam hoc magis arridet.

Constructi.) συμβιβασθέντων, id est. Compactorum. Quidam habent instructi. Ambrosius legit, Cum fuerint instructi in charitate. Hilarius instituti. Porrò hic idem est uerbum quod su-

quod ſuperius uertit, Conſtructi. ſignificat autem compactos & connexos, in morē membrorum unius corporis cohærentium apte inter ſe.

Diuitias plenitudinis.) πληροφορίας. Non eſt πληρώματος, quod ipſum item plenitudinē uertit. Nam πληροφορία magis ſonat certam perſuaſionem, quoties alicui plene fit fides, ita ut nihil iam addubitet, quemadmodum admonuimus in initio euangelij ſecundū Lucam. Optat enim illis certam cognitionem myſterij, ne quid omnino hæſitent. Ad quem modū interpretatur & Theophylactus, τοῦτ' ἔστιν, inquiēs, ὑπερμεθένους ἀμφιβάλλωσιν, id eſt, hoc eſt, ne ulla de re ambigant. Itaq; quæ conferunt in hunc locum recentiores interpretes, nō poſſunt admodum congruere ſenſui Paulino. *Plenitudo. πληροφορία.*

Dei patris & Chriſti.) Græci addunt coniunctionem καὶ, τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ τοῦ χριστοῦ, quemadmodum & alijs aliquot locis loquitur, quaſi dicas, eius qui deus eſt & pater, & eius qui unctus eſt. Abſconditi.) ἀπόκρυφοι, id eſt, Abſconditi. Hic nomen eſt non participiū, occulti ſiue arcani. In ſublimitate ſermonum.) ἐν πεθανολογίᾳ, id eſt, In perſuaſibili oratione, ſiue perſuaſibilitate, ſiue probabilitate. Ambroſius legit, In ſublimitate ſermonis, locum hunc ad ſophiſtas detorquens. Is fortaſſe legit λεπτολογίᾳ.

Et ſi corpore.) σαρκὶ, id eſt, Carne, quam opponit ſpiritui qui mox ſequitur.

Firmamentū.) τὸ στερέωμα φῶν εἰς χριστὸν πίστεως ὑμῶν, id eſt, Firmamentū ueſtræ in Chriſtū fidei. Miror unde diuus Ambroſius addiderit hoc loco, legit enim ad hunc modū, Vidēs ordinationem ueſtram, & ſupplens id quod deeſt utilitati fidei ueſtræ. Apparet enim illum ita legiſſe in Græcis codicibus, ἀναπληρῶν τὸ ὑστέρημα χρείας φῶν πίστεως ὑμῶν. Cæterum interpres de ſuo addidit eius, quo nihil erat opus, ob pronomen ueſtræ, quod ſequitur. *Ambroſij diuerſa lectio.*

Dominum noſtrum.) Noſtrum redundat apud nos, Græcis tantū eſt, χριστὸν ἰησοῦν κύριον. Conſentiebant exemplaria Conſtantienſia.

Et ſuperædificati.) ἐποικοδομούμενοι, præſentis temporis eſt, Vt ſuperſtruamini manente radice Chriſto ac fundamento, ſiue ut creſcatis in eo, ſiue ut collapſi nonnihil reſtituamini. Nam id poſtremum ſequitur Theophylactus.

Ne quis uos decipiat.) μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν, id eſt, Ne ſit qui uos deprædetur, aut in prædam abducat, Ambroſius uertit, Deprædetur, & item Hieronymus libro commentariorum in Oſeam. Rurſum in commentarijs quos ædidit in epiſtolam ad Galatas. Græca uox proprie ſonat ceu prædam abducere. Vnde & ἱεροσύλοι dicti Græcis qui deprædantur phana. Sacrilegium autem eſt abigere quod deo conſecratum eſt. Conſimilem ad modum legit Cyprianus in ſermone de bono patientiæ. Hilarius libro de trinit. xij. legit, Videte ne quis uos ſpoliet, & quod legit iterat in progreſſu ſermonis. Proinde miror unde hoc noſtrum decipiat ad nos deuenerit. Sentit autē cauendum, ne quis occultis inſidijs adortus, abducat eos à recta fidei uia, in errorem ac perniciem, ac ſeruitutem legis Moſaicæ. *Decipiat, pro deprædetur.*

Diuinitatis corporaliter.) θεότητος, id eſt, Deitatis. Et addidit σωματικῶς corporaliter, ut excludat umbras legis Moſaicæ. corpus enim opponitur umbræ, ut hic non ſit opus commento de deitate, quæ in triduo mortis cōiuncta fuerit corpori, licet ſeparata fuerit anima, tametſi Theophylactus germanam adfert expoſitionem à noſtra diuerſam, Corporaliter. id eſt, iuxta naturam & ſubſtantiam, non modo iuxta effectum, quemadmodum in prophetis, Aut quia deitas nunquā ſeiuncta fuit à corpore Chriſti. Fruatur ſuo quiſq; iudicio. Mihi ſimplicior uidetur & ad id quod agitur cōgruentior expoſitio, quā habet gloſſa ordinaria, de umbris legis, & de ueritate euangelica. Sequitur enim, Corpus autem, Chriſti.

Non manufacta.) ἀχειροποιήτῳ, dictio compoſita eſt, id eſt, Quæ fit ſine manibus.

Corporis carnis.) Græce ſic habet, τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν φῶν σαρκὸς, id eſt, Corporis peccatorum carnis, hoc eſt, Quod obnoxium eſt peccatis carnalibus. Auguſtinus in epiſtola ad Paulinum quinquageſima nona, teſtatur ita ſcriptum fuiſſe in nonnullis Latinorū exemplaribus, ne quis omnino contemnat, Græcis iniquior.

Sed in circumciſione.) Sed, redundat.

In quo & reſurrexiſtis.) συνηγέρθητε, id eſt, Simul reſurrexiſtis. Atq; ita legit Ambroſius.

Et uos quum eſſetis.) Apud Theophylactū ubiq; pronomen eſt primæ perſonæ, ἡμᾶς & ἡμῶν. Item in eo quod ſequitur, Donans uobis.) Nobis, eſt Græcis prima perſona, & ita legit Ambroſius. Agit enim Paulus de Iudæorum præputio, quod habebant in animo.

Delens quod aduersus.) Melius dixisset, Deleto quod aduersum nos erat chirographo. Atq; ita legit Ambrosius, ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον.

Locus uulgò nõ intellectus

Chirographũ decreti.) Græcæ Decretis est, τοῖς δόγμασιν. Græci codices ita distinguũt, ut accipias chirographum deletum, quod erat nobis contrariũ per decreta legis Mosaicæ, siue per decreta legis diuinæ. Sanè diuus Augustinus epist. quinquagesimanona ad Paulinum, legit Chirographum in decretis. Theophylactus interpretatur chirographum professionis Mosaicæ, sublatum & antiquatum decreto fidei euangelicæ. Metaphora ducta ab obligationibus legitimis. Vehementius obligat syngrapha αὐτόγραφος, hoc est, quã tuapte manu scripseris, hãc Græci chirographũ uocant. Id irritũ fit uel dispunctione siue cancellatione, quæ fiebat inductione linearum transuersarum: uel litura quæ fiebat spongia in corticibus, aut stilo in tabellis ceratis: uel laceratione. In dispunctione manẽt scripturæ uestigia, in litura nequaquam. Paulus igitur ut exaggeret dei erga nos clementiam, primũ declarat nos sic obstrictos fuisse, ut nequaquam esset locus inficiandi. Legis enim professio ueluti chirographum, & ipsa res atque etiam conscientia coarguebat nos transgressores esse legis. Quid igitur supererat, nisi pœna quæ ex pacto debebatur, hoc est, è chirographo nostro? Hic exuberauit dei benignitas. *Si* damnasset, queri non poteramus, *Si* debiti partem relaxasset, partem reliquisset, multa debebatur gratia. Si dispunxisset chirographum, superessent ueteris obligationis uestigia, nunc semel deleuit & oblitterauit, tegens quicquid erat nobis contrarium, & unde renasci posset actio: nec hoc contentus, discidit ac lacerauit chirographũ, tollens è medio & affigens illud cruci, in qua pro nobis dependerat, quod debebamus, & obligationem mortis uertit in pactum æternæ salutis. Huiusmodi quiddam annotauit diuus Chrysostomus in homilia quadam. Nec ociosum est in emphasi uocũ philosophari, præsertim in scriptis beati Pauli, cuius oratio schematibus ac tropis undiq; scatet.

Traduxit.) ἐδειγμάτισεν. quod Ambrosius uertit ostentauit. Augustinus epistola quinquagesimanona ad Paulinum, legit exemplauit, Græcam uocem fidelius quàm elegantius exprimens. Ad eundem modum adduxit libro de agone Christiano, capite secundo. Mirum autem quid sequutus, subinde locum hunc adducat hisce uerbis, Exuens se carnẽ, principatus & potestates exemplauit, quasi senserit Paulus, ita demum deuinci principatus, si uictor futurus carnem exuat. Sic enim & interpretatur libro aduersus Faustũ xvi. cap. xxix. Quin & Hilarius libro de trinitate ix. locum hunc sic refert, Delens quod aduersum nos erat chirographum in sententijs, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit è medio affigens illud crucí, exutus carnem, & potestates ostentui esse fecit. Ac ne quis existimet hoc deprauatione scripturæ accidisse, repetit carnis mentionem in explicando. Tale quiddam innuit & Scholiastæ commentum. Videntur illi ἀπεκδυσάμενος accepisse reciproce, exuens seipsum, quemadmodum luctaturi quo sint expeditiores uestem abijciunt, ita Christus carnem. Sed ad rem. Hic eodem uerbo Latino reddit παραδειγματίσαι, hoc est, Traducere, in initio Matthæi, & hoc loco δειγματίζειν, quum illud significet In exemplũ uertere, hoc ostentare, & spectandum omnibus proponere. Alluditur enim ad morem triumphantium, qui trophæa sua circumferebant, & populo ostentabant monumẽta uictoriæ &c. Quod si Thomas potuisset Græcos interpretes consulere, non opus erat hic geminis interpretationibus pro unica: Traduxit, inquit, sanctos in cœlum. Aut traduxit, hoc est, Expulit dæmones ab homine. Origenes in exodum homilia quarta, aut certe huius interpres explicat uim huius uerbi: Quos, inquit, in aduentu suo Christus dicitur traduxisse, hoc est, Captiuos duxisse, & triumphasse in ligno crucis.

Expensa Augustini interpretatio.

Traduxit, Thoma interprete.

Confidẽter palàm.) ἐν παῤῥησίᾳ, quod Ambrosius legit In autoritate. Origenes in Iesum Naue, homilia octaua legit, Traduxit libere triumphans. Est autem παῤῥησία quum quis palàm audet, præsertim in loquendo. quanquam Paulus aliquoties usurpat ad alia.

Palàm triumphans.) Illud obiter admonendum, spolians & triumphans, & cætera participia hoc loco, præteriti temporis esse.

In seipso.) ἐν αὐτῷ. Accipi potest, Per seipsum, hoc est, Suis ipsius præsidijs.

Neomeniæ.) νεομηνίας, id est, Nouiluniũ, à νέος nouus, & μὴν μηνὸς luna, siue mensis. siquidem Græci non à Calendis, sed ab initio nouæ lunæ mensem auspicantur.

Lectio duplex.

Triumphans illos in semetipso.) Origenis interpres homilia in Iesum Naue octaua, indicat

indicat in nonnullis codicibus legi, In semetipso, cæterū in Græcis haberi scriptum, In ligno. At hodie consentiunt hoc sanè loco Græcorum exemplaria cum nostris. Sunt quos urget hic scrupulus, satisne Latine dicatur Triumphās illos. certe triūphatas gentes dixit Verg.

ludicet in cibo aut in potu.) Est iucunda uocum affinitas in Græcis, quam interpres nō affectauit, ἐμφώσῃ ἢ ἐν πόσει, dicere poteris, in esculentis aut poculentis. Habet enim hoc schema præter iucunditatem, & contemptus & fastidij significationem. Quod genus est illud, Quotidianarum harum formarum. Quid ad hæc dicent isti, qui nulla ex re magis iudicant proximum, quàm ex cibo & potu, & ueste.

Corpus autem Christi.) Græca scholia, nominatim autem Theophylactus, indicant hūc locū bifariam legi. Primū ita, Illa sunt umbra, sed corpus ipsum, hoc est, ueritas, est Christi, τὸ δὲ σῶμα τοῦ χριστοῦ. Rursum ita, Corpus Christi, nemo uos decipiat, ut referas corpus ad fideles, qui sunt membra Christi, ut sit sensus, Vos autem qui estis corpus Christi, nemo de uertat à præmio quod cœpistis promereri credendo in illum. Atq; hic sensus probatur Augustino in epistola ad Paulinū. Sed prior lectio mihi uidetur accommodatior, utpote minus coacta. Ambrosius uidetur tertium quendam sensum arripere, quasi umbra & corpus utrūq; referatur ad ea quæ præcesserunt, cibus, potus, festū, neomeniæ, sabbata, hæc omnia erant umbra futurorum, sed eadem corpus Christi. sic enim infert: Hæc autem omnia sunt corpus Christi, quia elementorum per effectus sunt uocabula. Sed apostolus mea sentētia, corpus Christi uocat illa, quod quicquid illis adumbrabatur, id in Christo sit exhibitū, ut iam illa sint negligenda. Quum abest ipsum corpus, umbris utcunq; pascimur, cum adest, offendit etiam umbra. Atq; hunc ut dixi sensum sequitur Augustinus in epistola ad Paulinum, quinquagesima nona. *Ordo triplex.*

Quæ sunt umbra fut.) Augustinus aduersus Faustum, libro sexto, in libris manu descriptis, citat Quod est umbra. Fortassis aliquis Græce semiperitus, ᾱ mutauit in ᾰ, putans articulum pluratiuum non conuenire uerbo singularis numeri ἐστί.

Nemo uos seducat.) καταβραβευέτω, id est, In brabijs, aut præmijs fraudet. sic enim interpretatur Hieronymus in quæstionibus ad Algasiam, quæstione decima: Nemo aduersum uos brabium accipiat. Cum enim in certamine positus, iniquitate agonothetæ, uel insidijs magistrorum, brabium & debitam sibi palmam perdit, καταβραβεύεσθαι dicitur. Idq; uerbi uideri uult peculiare Cilicum, in qua prouincia Paulus natus & educatus fuit. Græcanica scholia admonent, καταβραβεύειν dici quoties penes alium est uictoria, penes alium præmiū. Ambrosius legit, Nemo uos deuincat. Ex his satis liquet, quantum absit à uero, Iacobi Stapulensis, hominis alioquin eruditi, in hoc loco sententia, quam in prima recēsuit æditione. Verum hunc in errorem induxit Valla, qui putat καταβραβεύειν esse ad brabium euocare, siue brabium ostentare. Fortasse leuiculum, sed tamen obiter admonendum illud, brabium dicendum esse Latinis, non brauium, hoc est, per b, secundum literam, non per u. deinde penultima acuta, aut circumflexa, quemadmodum est apud Græcos βραβεῖον, brabium siue brabeum. Qui de Græcarum uocum etymologijs conscripserunt, existimant βραβεῖον dictum à ῥάβδος, mutatis ac transpositis literulis aliquot, quod est uirga, siue sceptrum. unde qui regalia sceptra gestant, brabeutæ dicti sunt, quod horum partes essent in certaminibus præmium addicere qui uicisset, ne quis inter certantes oriretur tumultus. Atq; id propemodum indicat Martialis in præfatione quadam, cum ait, Contra retiariū ferula. Sunt qui putant palmeam uirgulam tradi solitam uictori, uictoriæ symbolum, eamq; uirgam brabeum appellari. Vnde καταβραβεύειν, est intercipere præmium, non euocare ad præmium. Hesychius indicat idem pollere παραβραβεύειν. Porrò quod addit θέλων, nō opponitur inuito aut nolenti, sed idem pollet ac si dicas, studio siue data opera, ut intelligerent illos maliciose insidiari Colossensibus. quanq; Augustinus in epist. ad Paulinū, participiū uolens, nō accommodat ad uerbū seducat, sed ad id quod sequit, In humilitate. Volēs in humilitate, quasi dicas, Affectator humilitatis, quemadmodū dicimus ἐθελόδουλος. Ex Ambrosio colligit, eos studio per humilitatē deijcere uoluisse animos hominū, ne sese erigerent ad cœlestia. Nec abhorret hinc Theophylactus, separans participiū uolens à superioribus, & interpretans pseudapostolos angelos quosdā colēdos ingerere, quo per hos patefieret hominibus aditus ad patrē alioquin inaccessum. Paulus aūt nescio qd supra angelos spirat Christo fret⁹. *καταβραβεύειν.* *Brabion unde dictum.* *Stapulensis.* *Volens, pro affectator.*

In humilitate.) ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Quod refertur ad animi modestiam. unde Ambrosius ita reddidit, In humilitate animi, distinguens ab humilitate conditionis, quæ ταπείνωσις dicitur. & tamen interim abusus uidetur ταπεινοφροσύνῃ, in malam partem. Nam qui iactant uisiones angelorum, crassos & abiectos requirunt animos, quibus facilius imponant, alioquin nasutis protinus subolet impostura.

Et religione angelorum.) θρησκείᾳ. Quod religionē sonat, nonnunq̃ & in bonā partem, sæpe tamen peregrinam ac superstitiosam. Vox, ut autumant, à Thracibus deducta, quod apud hos Orpheus multa de dijs confinxerit, traditis ceremonijs, quibus colerentur.

Ambulans.) ἐμβατεύων, id est, Ingrediens ea quæ non uidit. Tametsi Hieronymus in eodem loco ἐμβατεύων interpretatur, Incedens fastuose. Mirū unde diuus Augustinus legat, Quæ non uidit inculcans, quasi Græce legisset ἐμβαθεύων per θ. Ambrosius legit, Ea quæ uidet extollens. Hesychius indicat ἐμβατεῦσαι, nonnunquam idem ualere quod occupare, ueluti locum aut domum, aut totam hæreditatem. Sed Hieronymi magis arridet sentētia. Metaphoram ductam opinor à tragicis cothurnis, quandoquidem genus hoc ἐμβάδες dicuntur, quod in his sublimes incedant, qui regem aut deum agunt. Augustinus ad Paulinum, indicat in nonnullis Latinorum codicibus scriptum fuisse, Quæ uidit, quemadmodum legit & Ambrosius: In nonnullis, Quæ non uidit. Sed illud mirum, quum hic loqui uideatur de uisis angelorū, quomodo Augustinus interpretetur de sacrificijs, quæ quis ideo magni ducit, quod ea uiderit alicubi obseruari, uel quod non uiderit quidem ea facienda, sed quod opinione populari ducatur. Neq; minus durum quod Ambrosius hæc ad astrologiæ philosophiæq; studium detorquet.

Diuersa lectio & interpretatio.

Sensu carnis.) ὑπὸ τοῦ νοὸς, id est, A mente, ut legit diuus Ambrosius. Sic enim uocat affectum hominis impij.

Crescit in augmētum,) αὔξει τὴν αὔξησιν. Græca figura est, quasi dicas, uiuit uitam, gaudet gaudium, sic hoc loco, augescit augmentum.

Ab elementis huius mundi,) Huius redundat. tantum est, Ab elementis mundi. Mundum enim uocat quicquid uidetur.

Quid adhuc tanq̃.) Adhuc, redundat. Nec additur apud Ambrosium, τί ὡς, id est, Cur tanquam &c.

Viuentes mundo.) In mundo est Græce, & ita legit Ambrosius.

Decernitis.) δογματίζεσθε, id est, Decernimini. quāquam nec illud decernimini, explicat, id quod sensit Paulus. intelligit enim eos decretis & constitutionibus hominum duci, ueluti subiectos. & hoc uocat δογματίζεσθαι, id est, Dogmatizari. Dogma enim Græce decretū est, quod Paulus ferè in malam accipit partem, pro legibus quæ nō dei, sed hominum arbitrio præscribuntur, quemadmodum paulo superius. unde & decreta pontificum uocamus, distinguentes à lege diuina. Iam enim illa præcepta de delectu ciborum, de obseruatione dierum, de sacrificijs, hominum esse cœperunt, posteaq̃ apud deum euanuerant, Græcanica scholia, admonent Paulū nō dixisse δογματίζετε, hoc est, Decreta facitis, sed δογματίζεσθε, id est, Decretis oneramini. Annotauit idem Theophylactus, licet interpres Latinus longe diuersam sententiā extulerit. Græca sic habent, ὅρα δὲ καὶ πῶς ἠρέμα αὐτοὺς διακωμῳδεῖ, δογματίζεσθε εἰπών. ὡς γὰρ παιδία ἀρτιμαθῆ κάθησθε, φησὶν, δογματιζόμενοι καὶ νουθετούμενοι, τί δεῖ ποιεῖν. Ea sic reddidit interpres, Aduerte aūt quàm eos stultitiæ arguat, uituperetq̃: Cū decernitis, inquit, perinde dicat, nec secus ac pueri per lusum solent, dicaciores uos agitis, qui pridie nati, & nuper instructi sint, in consessum enim uenistis, ut sententias de dogmate proferatis, sanciatisq̃ quid factu sit necessarium, cum Græci sermonis hæc sit sententia: Quin & illud uide, ut illos tacite taxat, dicendo δογματίζεσθε. Siquidem ut pueri, inquit, qui nuper discere cœperūt, sedetis, uobisq̃ præitur ac præscribitur, quid facto sit opus. Hæc admonui lector, ut intelligas quid sit interpreti peregrini sermonis fidere. Proinde nec hoc loco probo Iacobi Fabri sententiā, qui uertit, Decreta quæritis. Interpres uulgatus, & Ambrosius legisse uidentur δογματίζετε. Idē legisse uidet̃ Tertullianus lib. de carnis resurrectione. Quomodo inquit, quidā quasi uiuētes in mundo sententiā fertis. Mirum autem quid sequutus Cyprianus lib. ad Quirinum iij. legat, Quid tanquam uiuētes in mundo, uana sectamini? Nisi forte quod à uerbo δοκεῖν dicatur δόγμα, humanas de rebus opiniones dicit uanas.

Fœde lapsus Theophylacti interpres.

Faber.

Ne gusta-

Ne gustaueritis.) Hæc tria uerba apud Græcos, singularis numeri sunt, μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς, id est, Ne attigeris, neq; gustaueris, neq; contigeris. Atque hæc uidentur dici à Paulo μιμητικῶς, id est, Per imitationem. Sic enim loquebantur qui suis decretis onerabant Christianos, ne gustes hoc, ne tangas illud, ne contrectes hoc. atq; his ceremonijs subigebant uelut in tyrannidem, quos Christus liberos esse uoluit. Et utinam his quoq; temporibus, non idem facerent sacerdotes quidam, omissis ijs quæ propius ad pietatem pertinent, qui constitutiones constitutionibus accumulant, hoc tantum agentes, ut plebē quàm maxime fieri potest illaqueatam, sibi reddant obnoxiam, suæ tyrannidi suoq; quæstui consulentes. Non igitur sic accipiendum est, quasi Paulus prohibeat tangi, gustariue quippiam, sed reprehendit eorum supercilium, qui hæc magno fastu prohibebant. Idem palàm indicat diuus Augustinus epistola quinquagesimanona ad Paulinū. Et tamen Ambrosius ita interpretatur, quasi Paulus his uerbis deterreat ab omni spe mundanorum, mea sententia non satis attente, quod quidem cum tanti uiri pace dictum sit. Idem citat in eundē sensum, enarrans psalmum centesimum decimumoctauum, sermone decimooctauo. Rursus libro de patriarcha Abraham secundo, capite sexto, alijsq; locis aliquot. Tertullianus recte adducit hunc Pauli locum libro aduersus Marcionem quinto. Et Theophylactus nobiscum facit, euidentius etiam glossa ordinaria.

Ne gustaueris, μιμητικῶς.

Expensa Ambrosij interpretatio.

Ipso usu.) τῇ ἀποχρήσει, id est, Abusu. & Ambrosius legit, Per abusionem. Agit enim de cibo & potu, quæ usu consumuntur, & in latrinam excernuntur. Nam ijs proprie dicimur abuti, quæ usu absumuntur. quemadmodum & iureconsultorum literæ nos docent.

Rationem quidem habentia sapientiæ.) λόγον hic interpretantur Speciem, quod quoniam Aquinas sensit duriusculum, annectit id quod sequitur, In superstitione. ut intelligamus in eiusmodi rationem esse sapientiæ, non simpliciter, sed ad superstitionem. At mihi uidetur oratio inabsoluta. Cœpit enim per μέν, & non reddidit, quæ illi respondet δέ. Proinde mihi uidetur λόγον, hoc loco sonare sermonem aut uerba, ut opponatur rei. Quod si absoluisset orationem, dixisset ad hunc modum, Quæ omnia uerbotenus uidētur erudita ac magnifica, nimirum ab angelis profecta, ut illi narrant. cæterum re longe absunt à religione Christi, quæ nec in superstitione, nec in abiectione animi, qua pecudum ritu homines, homunculi cuiuspiam arbitrio circumaguntur, nec in læsione corporis sita est, cum deus cibo uoluerit honorari corpus, non cruciari inedia, sed in puritate uitæ & charitate. Nobiscū facit aperte Theophylactus, Honorem autem corporis hic subsidium appellat, iuxta proprietatem sermonis Hebraici, uelut alibi, honora uiduas, & qui bene persunt præsbyteri duplici honore digni habeantur.

Thomas Aquinas.

In superstitione.) ἐν ἐθελοθρησκείᾳ. Quæ est falsa religio, interprete Hieronymo, in eo, quē modo citaui loco. Nam superstitio, δεισιδαιμονία dicit. Ambrosius legit, Superstitione. Porrò uox Græca ita sonat, quasi dicas, Spontanea religio, cū quis ultro sibi fingit religionē. Nā θρησκεία religio dicitur, à Thracibus, apud quos Orpheus primus cœpit nugari de dijs, ut modo dictū est, & θέλω uolo. Idq; probe quadrat in confictas ab homunculis ceremonias.

θρησκεία.

In humilitate.) ταπεινοφροσύνῃ. Diuus Hieronymus hoc quoq; uerbū notat, tanq; improprie hoc loco usurpatū, cū aliàs uirtutē sonare soleat, hic uiciū, quo quis humilia sentit atq; terrena. & abiecti est animi, ut patiatur sese uelut bubalū duci naribus præceptis hominū.

Ad non parcendū corpori.) καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, quod ad uerbū sonat, imparsimonia, hoc est, cū quis nō parcit alicui rei. Nā φείδομαι parco, & α particula est priuatiua. Ambrosius legit, Ad uexationē corporis. Atq; eam lectionē indicat et Augustinus in epist. ad Paulinū, cuius iam sæpe meminimus. Sentit enim de ijs qui superstitiose lacerabant, aut mutilabant corpus suū, aut immoderatis ieiunijs cōficiebant. Manent huius rei nōnullæ reliquiæ hodieq; apud Italos in flagellatorib⁹, cuiusmodi multa cōmemorat Apuleius in asino suo.

EX CAPITE TERTIO.

Quæ sursum sunt.) τὰ ἄνω. Cur non potius superna? Et φρονεῖτε, curate, potius quàm sapite.

Vita uestra.) Græci legunt, Nostra, ἡμῶν, id est, Nostra, prima persona.

Libidinē.) πάθος. Quod morbū uertas licebit, aut potius Mollitiē, ut de effœminatis et pathicis intellīgas. Nā alioqui qd attinebat addere libidinē, cū ante dixerit

Fornicatio.

Fornicatio. Neq; enim apte genus ſpeciei ſubnectitur. Porrò molliciem & Flaccus morbū appellat in Odis, Cum grege turpium morbo uirorum.

Propter quæ uenit.) δι' ἃ ἔρχεται, id eſt, Propter quæ uenit. ut uenit, ſit præſentis temporis, intelligasq; ſolere ob iſta uenire diuinam iram. Sic enim appellat uindictam.

Filios incredulitatis.) Quod ſuperius uerterat, Diffidentiæ, ἀπειθείας, idem & inobedientiam ſonat. Quanquam hoc loco Ambroſius non addit, in filios diffidentiæ. Tātum legit, propter quæ uenit. Iam de forma ſermonis huius Hebraica, non ſemel à nobis dictum eſt.

In quibus & uos.) ἐν οἷς. Sermo Græcus anceps eſt, quod articulus referri poſſit, uel ad filios inobedientes, inter quos & Coloſſenſes quondam fuerant, uel ad uicia quæ paulo ante commemorauit. Certe quod mox ſequitur, Cum uiueretis in illis, ad uicia pertinet.

Turpem ſermonem.) αἰσχρολογίαν, id eſt, Turpiloquium.

Mentiri inuicem. Nolite mentiri inuicē.) μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους, id eſt, Ne mentiamini alius aduerſus aliū. Quid enim eſt mentiri inuicem, quod uertit interpres, niſi mentiri uiciſſim.

Expoliantes.) ἀπεκδυσάμενοι, id eſt, Exuētes, id eſt, poſtquàm exuiſtis, nam præteriti temporis eſt. Vocem hanc interpres ſubinde uertit, Expoliantes.

In agnitionem dei.) Dei, redundat, iuxta Græca exemplaria. Nec Ambroſius addit. Nec addebatur in exemplari Donatiani. Cum his cōcordabat exemplar utrūq; Conſtantiēſe.

Maſculus & fœmina.) Hæc nòn inuenio apud Græcos. Nec attingit Theophylactus, ſed huc uidetur aſſcriptum ex epiſtolæ ad Galatas capite tertio. Suffragabatur & hic uterq; codex Conſtantienſis.

Gentilis & Iudæus,) Ἕλλην, id eſt, Græcus, pro quo uertit, Gentilis.

Scytha. Barbarus.) Poſt hanc uocem Græci omittunt coniunctionē, & oratio fit ardētior. Prius enim per iuga coniunxit, Iudæum cum Græco, circuncíſionem cum præputio. deinde citra copulam, copulat Barbarum cum Scytha, ſeruū cum libero. Porrò Barbaro oppoſuit Scytham, non quod is Barbarus non ſit, ſed quod præ hoc reliqui Barbari non ſint Barbari.

Dilecti uiſcera miſericordiæ.) Dilecti, hic participium eſt, nō nomen, ἠγαπημένοι. Nec eſt Miſericordiæ, ſed οἰκτιρμῶν, id eſt, Miſerationum, numero multitudinis.

Humilitatem.) ταπεινοφροσύνην. quod Ambroſius uertit, Humilitatem ſenſus. Nos modeſtiam maluimus. Nam modeſtia potius eſt, quam Græci uocant, ταπεινοφροσύνην, humilitas ſenſus magis in uicium ſonat, quemadmodum abiectus animo. Etiamſi Græca uox plus quiddā ſignificat, quàm modeſtia. Modeſtus enim eſt, qui non eſt arrogans, at ταπεινόφρων, qui ſibi minus tribuit quàm promeretur.

Modeſtiam.) πραότητα, id eſt, Manſuetudinem ſiue lenitatem.

Patientiam.) μακροθυμίαν, ad uerbum Longanimitatem, ſiue animi lenitatem, aut animi moderationem, qua quis non facile prouocatur.

Supereſt. Charitatem habete.) Habete, non reperio apud Græcos, nec apud Ambroſium, ſed referendus eſt accuſatiuus charitatem, ad uerbum ſuperius, Sitis induti.

Quæ eſt uinculum perfectionis.) σύνδεσμος τελειότητος, id eſt, uinculū integritatis. Reſpexit enim ad corpus, in quo ſpiritus colligat & connectit omnia membra, alioqui diſſipatura. Quanquam non me fugit pleroſque ſecus interpretari. Præterea Pax dei eſt, & apud Græcos, & Ambroſium, non Pax Chriſti.

Locus perperā expoſitus. Exultat.) βραβευέτω, id eſt, Præmij loco detur, ſiue cōtingat, aut palmam ferat, hoc eſt. Ne iudicet ira in uobis, aut inuidia, aut ſuperbia, ſed pax deferat palmam, ut is putet ſe uiciſſe, qui cæterarum rerum diſpendio pacem conſeruauerit. nam hæc demū eſt pax dei. Alioqui pax mundi ex uindicta naſcitur. In hanc fermè ſententiam interpretatur Theophylactus. Iam uero quorſum attinet recenſere, quid in hunc locum commentati ſint theologi recentiores, ſequuti uerbum exultandi. In qua.) In quam, εἰς ἣν, ſiue Ad quam.

Et grati ſitis.) καὶ εὐχάριστοι γίνεσθε, Superiūs admonuimus ex Hieronymiana ſententia εὐχάριστον, in diuinis literis accipi pro gratioſo & amabili, quemadmodum opinor accipiendum hoc loco. Siquidem id adiecit, uelut indicans, qua ratione pax inter eos poſſit conſiſtere, ſi comes ſint & benigni erga omnes, propenſi ad bene merendū de omnibus. Theophylactus interpretatur, Grati erga deū, hoc eſt memores, qualis ille fuerit in nos, ut & ipſi uiciſſim clementes ſimus erga conſeruos. Verū hæc expoſitio mihi uidetur eſſe coactior.

Abundanter.)

Abundanter.) πλουσίως. quasi dicas Opulente & diuitum more. Nam hoc uerbo delectatus est Paulus, quoties exuberantiam cuiuscunq; rei significari uult.

Docentes & commonentes.) Aut abusus est participio loco uerbi, idq; iuxta proprietatem Hebraei sermonis, aut hæc referēda sunt ad id quod præcessit, Grati sitis, deinde ueluti per parenthesim interiectis aliquot uerbis, subnectatur, Docentes & commonentes, ut hæc sit Christiana benignitas, docere & commonere. Cæterum uosmetipsos quod Græcis est ἑαυτοὺς, melius transtulisset, Vos inuicem. Quis enim docet seipsum?

In psalmis.) In redundat apud nos, nec est apud Græcos, nec apud Ambrosium.

In cordibus.) In corde. Et est Domino, non deo. Deinde, Omne quodcunque, & cōiunctionem addunt Græci.

Deo & patri.) τῷ θεῷ καὶ πατρί. Articulus semel duntaxat positus facit, ut dei patrisq; cognomen ad unam personam pertineat. Ei qui est deus ac pater, Deus ob autoritatem, pater ob eximiam in nos charitatem.

Ad illas.) πρὸς αὐτὰς, id est, Erga illas, siue aduersus illas.

Placitum est in domino.) In, redundat, εὐάρεστον τῷ κυρίῳ, gratum siue acceptum.

Ad indignationem.) μὴ ἐρεθίζετε, id est, Ne prouocetis. Ad indignationem, additum est ab interprete quopiam. Ambrosius tamen legit, Ad iram prouocare.

Pusillo animo.) μὴ ἀθυμῶσιν, id est, Ne despondeant animum, & animo deijciantur.

Ad oculum seruientes.) Rursum usus est illis duobus nominibus, ὡς ὀφθαλμοδουλίαις, & ἀνθρωπάρεσκοι, de quibus ante admonuimus.

Timentes dominum.) θεὸν, id est, Deum, pro dominum legunt Græci, ne quis accipiat hominem esse timendum.

Sicut in domino.) ὡς τῷ κυρίῳ, Tanquam domino, hoc est, Deo.

Christo seruite.) τῷ δὲ κυρίῳ Χριστῷ δουλεύετε, id est, Domino enim Christo seruitis. tametsi Græca uox est anceps, δουλεύετε. Ambrosius legit ad hunc modum, Recipietis retributionē hæreditatis domini Christi, cui seruitis. *Lectio diuersa.*

Qui enim iniuriam facit.) ὁ δὲ ἀδικῶν, id est, Qui uero iniuriam facit, aut qui non recte facit. Ambrosius legit, Qui enim inique gerit, fert id quod gessit inique, quo seruet Græcarū uocum affinitatem, ἀδικῶν, & ἠδίκησε. Quam nos ita reddidimus, Qui peccabit, reportabit peccatū suum. Augustinus libro de natura boni aduersus Manichæos, nescio quid sequutus adducit hoc testimonium his uerbis: Quod enim nocet, recipiet illud quod nocuit.

Acceptio apud deum.) προσωπολημψία, id est, Personæ respectus, siue discrimen.

Apud deum.) In Græcis codicibus non reperio. Nec hic agitur proprie de respectu personarum apud deum, sed de paribus peccatis.

EX CAPITE QVARTO.

Æquum.) τὸ ἰσότητα, id est, Aequalitatem, seu potius æquabilitatem. Et iustum uocat, id quod seruis debetur à dominis. Aequabilitatē, ne alium in delitijs habeant, aliū inique tractent, quæres intolerabilem facit seruitutē. Preterea uos, pronomen, interpres addidit de suo, οἱ κύριοι, Ambrosius non addidit.

Sale sit conditus.) ἅλατι ἠρτυμένος. Ambrosius legit, Semper in sale gratia sit conditus, quasi dictum sit, Sermo uester sit salsus, conditus gratia. Tametsi Græca perinde ualent ac si dicas, Sermo uester semper habeat gratiam, sale conditus, ut intelligamus iucunditatē ac modestiam in colloquijs Christianorū cum ethnicis, sed eam cum sapientia coniunctam. Hoc detorqueri potest ad nos, si quando cum magnatibus agendum est, ne intempestiua maledicentia & acerbitate prouocemus eos, reddamusq; deteriores quàm sunt, sed prudēti moderatione sermonis paulatim adducamus ad meliora, si quid aberrāt. *Quomodo monendi magnates.*

Nota faciet.) Græci legunt, numero multitudinis, πάντα ὑμῖν γνωρίσουσι τὰ ὧδε, id est, Omnia uobis nota facient quæ hic sunt. Loquitur enim de duobus, Tychico & Onesimo, Nec additur, qui pronomen, nec apud Græcos, nec apud Ambrosium.

De quo accepistis mandata.) Sermo Latinus uideri possit anceps, & intelligi per Barnabam aliquid fuisse præceptum Colossensibus. Quod ita demiror interpretari Theophylactum. Sed Græci carent hac ambiguitate, περὶ οὗ. Rursum dubium est, utrum Græcus articulus referat Barnabam, an Marcum. Hic rursus mihi monendus est lector,

lector,quàm non sit tutum credere libris in aliam uersis linguam. In prioribus æditionibus asscripsi duo uerba,fretus interprete,quia fortasse tum Græcus codex non erat ad manum, In hac quarta æditione consului Græcum codicem, & multo aliud reperio quàm interpres nobis tradidit,Nam Græca sic habent,παρὰ βαρνάβα ἴσως ἐλάβομεν τὰς ἐντολὰς, ὥστε δέξασθαι αὐτὸν μετὰ τιμῆς. δύναται μὲν οὖν εἶναι, καὶ εἰς τὸ ἐλάθειν ἐντολὰς, εἶτα ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς ἀναγνῶναι, ὅτε ἐὰν ἔλθῃ πρὸς ὑμᾶς ὁ κολασσεὺς δέξασθε αὐτὸν ἐντίμως, id est, De Barnaba forsitan acceperant mandatum, ut eum honorifice reciperent. Potest quidem poni punctũ post hæc uerba,accepistis mandata, deinde ab alio initio legi, *Si* uenerit ad uos ὁ Colassenses, excipite illum honorifice. Quod apud Theophylactum legitur παρὰ βαρνάβα, aut παρὰ usurpauit pro περὶ, aut quod est credibilius,scriptor ita deprauauit. Indicat autem Theophylactus si coniunctim legas, dicendum δέξασθαι modo infinito ut legit Ambrosius. *Si* disiunctim, δέξασθε modo imperandi. Qui dicitur Iustus.) Iustus hic Latina uox ἰδίωμα, cũ Paulus testetur fuisse Iudæũ.

Semper sollicitus.) ἀγωνιζόμενος, id est, Certans siue laborãs, uel potius enixe laborans.

Vt stetis perfecti.) Vt sitis, ἵνα ἦτε. Atq; ita legit Ambrosius. Apparet interpretem pro ἦτε legisse στῆτε.

Multum laborem.) ζῆλον πολλὸν, id est, Multum zelum, siue multam æmulationem.

Lucas medicus.) Λουκᾶς ὁ ἰατρός. Articulus discernẽdi causa additus, magis suadet, ut hoc de alio quopiam Luca dictum accipiamus. Ambigunt enim interpretes.

Et quæ in domo eius est ecclesiam.) καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτοῦ ἐκκλησίαν, id est, Et domesticam eius ecclesiam. Ambrosius, si modo non fallunt codices, existimat Nympham fuisse mulierem deuotam, ut uocant. Sed αὐτοῦ pronomen apud Græcos additũ, significat uirum fuisse, non mulierẽ Nympham. Porrò quod addit, Et quæ in domo illius est ecclesiã, opinor hic ecclesiam accipi nõ pro uniuerso cœtu, sed pro reliqua familia iam Christiana. Nam Græci interpretes putant, magnatem aliquem ob id fuisse, quod domi habuerit ecclesiam.

Ecclesia quæuis congregatio.

Et quum lecta fuerit.) Ex huius occasione loci, quidam epistolam subornarunt, uelut à Paulo scriptam Laodicensibus, sed quæ nihil habeat Pauli, præter uoculas aliquot ex cæteris eius epistolis mendicatas. Etiamsi Faber homo doctus, sed aliquoties nimiũ candidus, diligenter reliquis admiscuit epistolis. Græcanica scholia, negant hanc epistolam, de qua hic agit, à Paulo scriptam fuisse Laodicensibus. Neque enim dixit, Quæ scripta fuit ad Laodicenses, sed quæ scripta fuit ex Laodicea. Proinde fuisse epistolam, quam Laodicensis quispiam scripserit ad Paulum, in qua tamen inessent quæ ad Colossensium rem pertinerent. Theophylactus indicat fuisse, qui putarint hanc esse quæ prior est Pauli ad Timotheum, quod eam scripserit Laodiceæ. Tertullianus libro aduersus Marcionem quinto, indicat hæreticos quosdam tradere, epistolam quæ iuxta nos scribit Ephesijs, Laodiceis inscriptam fuisse. Verum ut hac de re non pronuncio, ita nihil uereor asseuerare, eam quam Stapulensis addidit Pauli non esse. Non est cuiusuis hominis Paulinum pectus effingere. Tonat, fulgurat, meras flammas loquit Paulus. At hæc præterquam quod breuissima est, quàm friget, quàm iacet. Iam illud stultum etiam est, non solum impudens, quod pleraque ex hac ipsa collegit epistola, quisquis hanc effinxit. At si quicquid erat in epistola Laodicensium, idem in hac habetur, & quidem tanto copiosius, quorsum attinebat mandare, ut illa hic quoque legeretur? Denique qui factum est, ut hæc epistola apud Latinos extet, quum nullus sit apud Græcos, ne ueterum quidem, qui testetur eam à se lectam? Quãquam quid attinet argumentari. Legat qui uolet epistolam, extat enim in Iacobi Fabri Stapulẽsis commentarijs. Nullum argumentum efficacius persuaserit eam non esse Pauli, quàm ipsa epistola. Et si quid mihi naris est, eiusdem est opificis, qui nænijs suis omnium ueterum theologorum omnia scripta contaminauit, conspurcauit, perdidit, ac præcipue eius, qui præ cæteris indignus erat ea contumelia, nempe diui Hieronymi. Nihil enim ferè habemus huius præter commentarios in prophetas & epistolas aliquot, quod non sit studiose ab hoc furcifero uel mutilatum, uel adulteratum, uel confusum, turpissimeq; contaminatũ, ut ne quid dicam de tot uoluminibus insulsissimis, quæ idem artifex Hieronymi titulo euulgauit. At Fabri mei candorem, & ipse libens imitarer, nisi uiderem fieri, ut dum ad hunc modum ob secundamus indoctis aliquot, indignis afficiantur contumelijs, non solum heroes illi, qui nobis pulcherrima sui monumenta reliquerunt, uerumetiam bonæ spei ingenia, quæ hac impostura,

Faber.

Epistola falsò inscripta Paulo.

Hieronymus cõtaminatus.

Impoſtura,aut deterrentur à literis,ſi ſuboleat,aut inſiciuntur ſi non ſuboleat.Idem conſimili candore,pſalterio ſuo,adiecit epiſtolam Hieronymi nomine ad Damaſum papam, in qua poſtulat,ut ad calcem in ſingulis pſalmis adderetur,Gloria patri.Atqui hac ne fingi quidem poſſit quicquàm infantius,indoctius,inſulſius.Tantum abeſt,ut Hieronymi, hoc eſt,hominis inimitabili doctrina ſimul & eloquentia præditi uideri poſſit.

Vobis legatur.) ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε, id eſt, Vt & uos legatis,nam præceſſit eam.

Gratia.) Domini noſtri Ieſu Chriſti.Hæc omnia apud Græcos non inuenio.Et ita legit Ambroſius,quemadmodum habetur in Græcis exẽplaribus, ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν, id eſt, Gratia uobiſcum.In codice Donatiani ſcriptum erat,Gratia domini Ieſu uobiſcũ:uterq; codex è Conſtantia præbitus,conſentiebat cum Græcis, Gratia uobiſcum, Amen. *Supereſt apud nos.*

Annotationum in epiſtolam ad Coloſſenſes,per Deſiderium Eraſmum Roterodamum,finis.

IN EPISTOLAM PAVLI AD THESSALONICENSES PRIOREM, ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI. EX CAP. I.



T pax.) Hoc loco Græci addunt illa penè ſolennia, à deo patre noſtro,& domino Ieſu Chriſto,cum Ambroſius tantum legat, Gratia uobis,& pax,iuxta noſtros codices. *Supereſt apud Græcos.*

Memores operis.) Poteſt & ſic accipi,Memores ueſtri,propter opus fidei,ut ſubaudias, ἕνεκα. Suſtinẽtiæ.) ὑπομονῆς.i. Tolerãtiæ ſiue patiẽtiæ ſpei, hoc eſt,Quod patiẽter perſeueraſtis in ſpe.Ambroſius legit, Expectationis, pro ſuſtinẽtiæ.

Ante deum.) ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ,id eſt,Coram deo.

Scientes fratres.) Nec apud Græcos in hoc ſermone,ſeruata eſt ratio Grammatices,quod tamen incommodum nos interpretatione uitauimus,etiamſi me non fugit Theophylactum ad Paulum referre Scientes.

Non in ſermone tantum.) In proxima epiſtola admonuimus λόγον opponi ueritati & efficaciæ,pro quo illic interpres uerterat Speciem. Itidem hic ſentit prædicationem ſuam,& miraculis fuiſſe comprobatam.

In plenitudine.) ἐν πληροφορίᾳ. De quo ſuperius admonuimus,id eſt,In certitudine,& certa perſuaſione.Nec enim certam facit fidem,qui docet tantũ,ſed qui miraculis ac malorũ tolerantia perſuadet,is demum uere perſuadet,id quod non faciebant ψευδαπόστολοι. Theophylactus tamen hoc poſtremum ad toleratas afflictiones refert, quod cõſentaneũ non ſit,quenquàm pro uana doctrina tantum uelle perpeti malorum. Thomas duas adducit interpretationes,ſed quarum neutra ſcopum attingat: In plenitudine, inquit, ne ſe putarent minus accepiſſe,quàm Iudæos. Aut,In plenitudine,quia nihil illis non tradiderit Paulus eorum quæ ad fidem pertinẽt.Ambroſius Græcam uocem ita circumloquutus eſt,Non in phantaſia,ſed in ueritate plenitudinis. πληροφορίᾳ. *Thomas.*

Excipientes uerbum.) δεξάμενοι τὸν λόγον. Melius recepto uerbo,ſiue ſermone,ſiue Qui domini uerbum accepiſtis:quod ut Paulus tradidit,non ſine perſecutione,ita illi receperunt non citra afflictionem & inſectationem malorum. Cæterum hoc loco, aut δεξάμενοι participium poſitum eſt loco uerbi,aut ita diſtinguendum eſt,quemadmodũ diſtinguit Theophylactus, Imitatores mei facti eſtis & domini,ut hactenus ſit diſtinctio, deinde ſequatur,Excipientes uerbum,ut ſit ſenſus,Imitati eſtis me & ipſum Chriſtũ,eo quod

euãgelij causa libenter perpessi sitis afflictionem. Ambrosius legit, Imitatores nostri facti estis & ipsius domini, suscipientes uerbum.

Forma.) τύποι, id est, Formæ, quod Ambrosius uertit in exemplum, & recte.

Remigius taxatus à Valla

Diffamatus est.) ἐξήχηται, id est, Exsonuit, siue ebuccinatus est, ut admonet Laurẽtius, isq; optimo iure ridet Remigium, qui notarit Paulũ ueluti solœcissantem, quod abusus sit hoc uerbo diffamare in bonam partem, quasi uero Paulus Latine scripserit, ac non magis Græce: aut quasi Paulo præstandum fuerit quicquid quilibet uerteret interpres: ut si Remigius pro νήφω uerteret, Inebriari, Paulus in ius sit uocandus, uiolatæ Latinitatis reus. Iam uero palàm falsum est, omnia uerba apud Latinos ad eundem modum composita, significare in malã partẽ, nisi forte dispergere, disiungere, dissoluere, ad idq; genus alia sexcenta, sunt in malã accipienda partem. Apud Græcos huiusmodi uox est, quæ addita nominibus ac uerbis id efficit, ut δυσυχᾶμ, δυσφημᾶμ, cõtraria εὖ, apud Latinos non itẽ. Certe Augustinus diffamare utitur pro diuulgare, cum fama longe lateq; spargitur. Inscitiæ utcunq; dari uenia potest, uerum quis ferat tantam arrogantiam cum inscitia coniunctã? imò quis non rideat tam insignem stultitiam, ut non consultis uoluminibus, hoc imputet Paulo Græce scribenti quod admissum sit ab interprete Latino? Nisi forte Remigius credidit Paulum Græcis scripsisse Latine. Denicq; fieri potest, ut hoc cõmentum aliquis Remigij scriptis assuerit.

Profecta est.) ἐξελήλυθεμ, id est, Emanauit, siue peruenit, aut potius dimanauit: neq; eũ dixit, In omnem locum, sed in omni loco, ut intelligas id quod ante clanculum mussitabatur, iam cœptum publicitus prædicari.

Qui eripuit.) ῥυόμενον ἡμᾶς, id est, Qui eripit nos, participiũ præsentis temporis.

EX CAPITE SECVNDO.

SEd ante passi multa.) Multa, addidit nescio quis de suo. Nam nec apud Græcos est, nec apud Ambrosium, nec in uetustis exemplaribus, nominatim Donatianico, concordabat uterq; Constantiensis, καὶ προπαθόντες καὶ ὑβριθέντες, id est, Et ante passi, & cõtumelijs affecti. Porrò passum usurpauit Græcorũ more, pro afflicto: quibus & πάθος, siue πάθημα, dicitur afflictio.

Fiduciam habuimus.) ἐπαῤῥησιασάμεθα. Quod ita circumloquitur Ambrosius, Exerta libertate ausi sumus. Est autem παῤῥησιάσασθαι, palàm & intrepidè, quod dicendum sit dicere, quemadmodum sæpe iam admonuimus.

In multa sollicitudine.) ἐν πολλῷ ἀγῶνι, id est, In multo certamine, siue labore, aut periculo, quod tamen sæpe uertit ad hunc modum. Ambrosius Certamen legit.

Non de errore.) οὐκ ἐκ πλάνης. Error apud nos tantum est decepti, at πλάνη Græcis est & decipientis: unde maluissem uertere Impostura. In hunc sensum interpretantur Græcorum cõmentarij. Etenim qui fallere studet, non conijcit semetipsum in pericula, sed delicijs indulget potius, & suum ipsius negocium agit.

Neq; ex immundicia.) ἐξ ἀκαθαρσίας, id est, Ex immundicia, quod Græcanica scholia exponunt, Maleficum & abominandum, quam ideo uocat immundiciam, quod fiat impuris & sordidis artibus ad imponendum simplicibus.

Vt crederetur à nobis.) Aredundat, hoc est, Vt nobis committeretur euangelium, πιστευθῶαι τὸ εὐαγγέλιον.

Sensus duplex.

Quum possemus uobis oneri esse.) ἐν βάρει εἶναι, id est, In onere, siue in pondere esse. Quod quidem bifariam legunt Græcanica scholia. Aut ἐν βάρει, hoc est, In pondere & autoritate, quoniam præcessit, Non quærentes gloriam, & sequitur: Sed facti sumus paruuli. Ad hæc Ambrosius uidetur de honore, non de grauatione interpretari. Denicq; ad hunc sensum facit, quod cõtinenter adiecit, Vt Christi apostoli. Neq; enim est apostolorũ grauare suo supercilio quenq;. Aut ἐν βάρει, quod nihil ab illis acceperit, nec usq; sumptui, aut oneri fuerit. Prior interpretatio mihi magis arridet.

Sed facti sumus paruuli.) Interpres & Ambrosius legisse uidentur νήπιοι, id est, Paruuli, siue pueri. Verum Græci codices habent ἤπιοι, id est, Mites, minimeq; austeri. Vtrũq; tolerabile est. Verum posterius propius facit ad Pauli sensum, ut opponatur ei, ἐν βάρει, ut intelligas eum non fuisse usum fastu & supercilio inter illos, quẽadmodum faciebant

pseudapostoli

pſeudapoſtoli,ſed manſuetudine,& lenitate. Vtrãq; ſcripturam indicat Theophylactus interpres. Ambroſius Honori legit,nõ oneri,& ita ediſſerit: Ad cõprimendos,inquit,eos, quibus nec facultas erat nec pudor,& tamẽ honorẽ ſibi poſcebant. Se ẽm potius q̃ dei do ctrinã cõmendari uolebant. Apoſtolus aũt qui gloriã non ad præſens,ſed in futuro requi rebat,ſe humilẽ faciebat,ut dei prædicatio exaltaretur. Hactenus Ambroſius. Iam ut illud donemus in cõtextu pro oneri ſcriptũ honori,certe palàm eſt,Ambroſiũ amplecti ſenten tiam,quæ nobis uiſa eſt potior. Cui ego ſanè libẽtius ſubſcripſerim,nõ tantũ ob id quod aptius quadret ad huius loci ſententiã,cũ cæteris item cõpluſculis ad hũc ipſum locis pul chre cõſentiens,uerũetiam quod inter tot egregias dotes quibus principem ac præcipue epiſcopũ prædituũ eſſe oportet,nõ alia ſit,qua uel ornẽt decentius,uel cõmendetur effica cius,q̃ morũ & ingenij lenitas ac manſuetudo,quæ ferè nõ niſi eximiã probitatẽ, & inſi- *Dos primæ*
gnem ſapientiã,tum comitari ſolent,tum arguere. Vulgaris,aut ficta probitas ſuũ habet *principum.*
faſtũ,ſuũ habet ſuperciliũ,& ſibi plus æquo indulgens,ut alienarũ uirtutum eſt maligna æſtimatrix,ita uitiorũ alienorum acerba inſectatrix eſt. Quanq̃ aũt huius laudis prima ſecundũ Chriſtũ gloria penes Paulũ noſtrũ eſt,qui quũ cæteros omnes omnibus & doti bus & officijs apoſtolicis longe præcurreret,tamen unus apoſtolũ eſſe ſeſe uelut ignora bat,hoc ſeſe gerẽs ſubmiſſius,quo maior eſſet: tamen his quidẽ temporibus,neminẽ noui qui propius ad hanc laudẽ accedat,q̃ ille meus,imò non meus,ſed totius inſulæ Britanni cæ Mœcenas Gulielmus Vuaramus archiepiſcopus Cantuarienſis,in quo cum nihil ſit, quacũq; contempleris hominẽ,quod non eximium ac maximũ eſſe iudices,tamen haud *Archiepiſco-*
alia re maior uideri ſolet,quàm quod modis omnibus maximus,ſolus ipſe magnitudinẽ *pus Cãtuarie-*
ſuam nõ agnoſcat. Quo fit,ut cũ cæteris uirtutibus ſuperet,etiam maximos,hoc uno no mine ſuperet & ſeipſum,quod ſibi magnus non eſt. Si quis expendat dignitatis faſtigiũ, ſi negociorum molem & amplitudinem,ſi iudicium penè diuinũ,ſi uim ingenij incompa rabilem,ſi eruditionẽ undiquaq; abſolutam,ſi uitæ puritatẽ,ſi fortunæ ſplendorem,quẽ pro temporum ac regionis cõſuetudine,tolerat uerius quàm habet,ne inter ſummos qui dem ullum inuenies,quẽ cum hoc auſis cõferre. Rurſum ſic obuius & expoſitus eſt omi- *Modeſtiæ*
nibus,ut uix reperias uel in media plebe,inter infimæ ſortis homines,quem hic nõ anteeat *laus.*
comitate,facilitate,manſuetudine. O mentem uere heroicam & apoſtolico uiro dignam, cum humanũ prætergreſſus ſis modum,tum teipſum in ordinem redigere,ac nec infimũ quenq̃ hominem faſtidire. Alijs paululũ eruditionis criſtas erigit. Alijs imaginum ſplen dor animos effert. Sunt quibus uita caſtior ſupercilium adducat. Neq; deſunt,quos me diocris etiã aura fortunæ ſuſtollat,neq; ſui ſinat meminiſſe. Hic ſemp in omi doctrinæ ge nere ſummas tenuit,ut qui ingenio longe feliciſſimo,quod naturæ deiq; munere contige rat,ſtudium adiunxerit indefatigabile. Deinde in grauiſſimis ſimul ac ſplendidiſſimis re gni regiſq; negocijs,toties ac tot annos uerſatus eſt,idq; non ſine ſumma laude,tum pie- *Memento le-*
tatis,tum prudentiæ. Nũc deniq; ceu mirificus quidam Geryon,tergeminum heroa ſuæ *ctor hæc eſſe*
præſtat uniuerſæ Britanniæ,archiepiſcopum ac primatem,cancellarium,& Mœcenatẽ, *ſcripta,prima*
archiepiſcopum religioni,cancellariũ iuſticiæ & reipublicæ, Mœcenatem ſtudijs. Quis *editione, hoc*
eſt tanto animi robore prædituſ,qui non ſub horũ uno quolibet ſudet anheletq̃, quæ uir *eſt An. 1515.*
ille ſolus ſuſtinet? præſertim qui prorſus intelligat quid quiſq; titulus efflagitet. Siquidẽ archiepiſcopi primatiſq; titulus,quem uir ille ſanctiſſimus Thomas,ſuo martyrio reddi- *Thomas Can-*
dit auguſtiorẽ,illud exigit,ut quod Romanus pontifex uniuerſo debet orbi,hoc ille uni- *tuarienſis.*
uerſæ præſtet Britanniæ. Iam cancellarij munus,ſummũ & incorruptum totius regni iu dicem requirit,& ad quẽ omnibus ſit aditus,laicis pariter & clericis,à quo tamen nulla iã ſit appellatio. Quas hic negociorũ moles,quos cauſarum fluctus uno ab homine ſuſtine ri putas? Vt ne uocem interim ad hãc rationem,neq; pauca,neq; mediocria curarũ pon dera,quæ ex regijs accedunt negocijs,ut domeſticas ſollicitudines diſſimulẽ,quas in tam numeroſa familia non mediocres eſſe conſentaneum eſt. Et tamẽ unum illud pectus, tot rebus obeundis,nõ ſolum ſufficit,uerumetiam ſupereſt. In tam immenſo circumſtrepen tium negociorum agmine ſuppetit,quod tribuat religioni,quod priuatis amicorum affe ctibus,quod euoluendis libris,quos adeo non faſtidit,ut cũ nullis amicis confabuletur li bentius,quoties à publicis functionibus ocij nonnihil ſuffurari licet. Nimirum hoc illi tri-

buit admiranda quædam naturæ felicitas, & incredibilis ingenij dexteritas, hoc iudicio non minus acre q̃ promptum & expeditum, hoc diutinus rerum usus, super omnia uero perpetua quædã uitæ sobrietas ac uigilantia. Ne minima quidẽ ætatis portio datur aleæ, nulla uoluptatibus, nulla cõuiuijs, nulla somno, imò naturæ quoq; nõnihil detrahit, quod adijciat iuuandæ patriæ. Hac ratione fit, ut & tempus & ætas iam alioqui grandior, & ualetudo tot tantisq; negocijs obeundis, sustinendis, exantlandisq; sufficiat, quibus ne decẽ quidem alij pares esse possint. Iam fieri non potest quin, in tam uaria negociorum turba, quædam existant non ingentia solum, sed etiam molesta, periculosaq;. Quandoquidem non temere dictum est illud, ne Iouem quidem placere omnibus. At hunc nemo uidit tristem, nemo cõmotũ, nemo uultuosum: tãta est infatigati pectoris uis & constantia. Tum æquitas ac suauitas tanta, ut ab hoc uicti discedant æquioribus animis, quàm à nonnullis solent uictores. Sibi perpetuo tranquillus est, alijs comis & alacris. Iam uero Mœcenatis personam quam ultro suscepit, ita tuetur ac sustinet, ut insula semper uiris & opibus potens, olim religione nobilis, nunc optimis item literis ac disciplinis, huius potissimum opera sic effloruerit, ut nulli regioni cedere debeat, seu Græcæ pariter ac Latinæ literaturæ peritiam requiras, seu species eloquentiæ uires, seu mathematicorum acumina, seu reliquã philosophiæ cognitionẽ, seu literarũ arcanarũ mysteria. Vnus alit plurimos, euehit plerosq;, sauet, fouet, ornat, ac tuetur omnes, non solũ eximios, sed & mediocres, nec suos tantũ, sed exteros etiã & quouis sub cœlo natos. Quorũ in numero me quoq;, quantulus cũq; sum, esse uoluit illius benignitas. Cuius beneficentiæ, q̃q; alias quoq;, plusæ & exundanti, illud etiam geminam addit gratiam, quod uix unq; admoneri sese patitur, rogari nũq;. Quin & gratias agentẽ mox interpellat, uelut hoc ipsum nimiũ sit eum, qui sumo sit affectus beneficio, uerbis agnoscere quod accepit. Abunde sibi relatam gratiã putat, si studijs profuit, si bene cessit omnibus quod ille de suo priuato cõtulit munus. Et quẽadmodum nõ iactat, si feliciter prouenit benignitas, ita negligit ac ceu nõ meminit, si quãdo secus euenit. Quandoquidem fieri non potest, quin & id accidat nonnunq; ei, qui propensus sit ad bene merendum de omnibus. Iudicio ascisci, quos uelit fouere, sed eo sanè candido, & amico magis q̃q; seuero. Cæterum quos semel complexus sit, cõstantissime fouet, nec ullis inuidorum obtrectationibus potest alienari. Quas si quando cogitur audire, mire dissimulat, id quoq; studens, ne uel ad eum perueniant quẽ petunt, ne quid illius contristetur animus. Cuiusmodi Mœcenas, si mihi primis illis contigisset annis, fortassis aliquid in bonis literis esse potuissem. Nunc natus seculo parum felici, cum passim impune regnaret barbaries, præsertim apud nostrates, apud quos tum crimen etiam erat quicq; bonarum literarum attigisse, tantum aberat ut honos aleret hominum studia. In ea regione, quæ Baccho Cereriq; dicata tũ esset uerius quàm Musis, quid quæso, poteram ingenio uix mediocri præditus? Nam clarissimũ uirũ Henricũ Berganum episcopum Cameracensem, primũ studij mei Mœcenatẽ, mors inuida præripuit. Huic proximũ Gulielmũ Monteiouium inclytum Angliæ primatem, aulæ negocia bellicq; tumultus intercepe runt. Quanq; ut uere dicam, huic ipse defui potius, quàm ille mihi. Per hunc denicq; contigit summus ille Cantuariẽsis, sed prouectiori iam & ad quadragesimũ deuergenti annũ. Et tamẽ huius excitatus benignitate, in literarũ studijs ueluti repubui reuiguicq;. Et quod nec natura dederat, nec patria, hoc huius dedit benignitas. Habẽt hoc mortaliũ ingenia, habent hoc studia literarũ, præsidem aliquem, ac ducem desiderant, qui suppeditet ociũ, qui addat animũ, qui tueatur aduersus excetram inuidiæ, quæ nõ aliter q̃ umbra corpus sequitur eruditionis gloriam. Denicq; ad cuius iudiciũ suas exigant uires, cui suas cõsecrẽt uigilias. Vidit hoc, opinor, prudẽs antiquitas, quæ Musis uirginibus suũ præfecit Apollinem. Proinde sicuti uere dictum est Græcorũ prouerbio, annũ fructificare, nõ aruũ, quod cœli clementia plus adferat momenti ad segetis prouentum, q̃ soli bonitas, ita principũ benignitas est, quæ facit ingenioſos. Nulla regio tã barbara, tam procul à solis equis, ut ait Maro, deuergens, quæ non habeat dexterrima ingenia, quæ uel in media Græcia nata uideri possint, si non desint Mœcenates. Apud Italos extitere complures doctrinæ proceres. Quãobrem? Nempe quod apud hos plurimus honos literis sit habitus. Et ut priscos sileam, nostra memoria multos euexit Nicolaus quintus pontifex Romanus, nonnullos Pius,

Sobrietatis laus.

Aequitas

Britãniæ laus

Benignitas

Henricus à Bergis episcopus Cameracensis.

Gulielmus Monteiouius.

Qui apud Italos fouerint studia.

Pius,complures Beſſario, plurimos Medicenſium familia,ceu nata prouehendis bonis literis,cui nunc debemus LEONEM huius nominis decimũ,cuius auſpicijs hic meus deſudat labor. Apud Gallos ubi cœperũt eſſe Mœcenates,mox ingens ingeniorũ prouentus efflоruit. Etenim ut de cæteris taceam,nõne Iacobus Faber Stapulẽſis,ante annos aliquot ueluti reuixit bonis literis,idq; fouente doctiſſimo ſimul & integerrimo uiro Guliel mo Briconeto præſule Lodouenſi? An non Gulielmus Copus inſtaurandæ rei medicæ reuiguit,ſimulatq; Lodouici regis huius nominis duodecimi,affulſit aura? Tametſi huic uiro ſuæ iam literæ rem familiarẽ ſatis amplam pepererãt. Cõperio nullã eſſe Germaniæ partem,nam eo nomine cenſentur hodie,qui Germanice loquunt,quæ non fertilis ſit ingeniorũ,& huiuſmodi ingeniorum,quorũ haud pudeat Italiam. Verũ quoniam huius regionis principes ad rem bellicã,ppenſiores ſunt,q; ad rem literariã,ſit ut plures illic ſint inſignes caballi,q; inſignite docti,utq; politiora ſint arma q; carmina. Alioqui qd uel Athenis naſci potuit,acutius aut feſtiuius ingenio Iacobi Sturmi Argentorací? At deũ immortalem quã non ſpem de ſe præbet,admodum etiã adoleſcens,ac penè puer,Philippus ille Melanchthon utraq; literatura penè ex æquo ſuſpiciendus? Quod inuentionis acumen? quæ ſermonis puritas? quanta reconditarum rerum memoria? quàm uaria lectio? quàm uerecunda regiæq; prorſus indolis feſtiuitas? Iam Heluetia nobilior armis quàm literis, præter tres Amorbacchios fratres,Brunonem,Baſilium,& Bonifaciũ,bonis literis natos, ut cæteros interim ſileam,nõne Henricum Glareanum nobis ædidit,prorſus ætate iuuenẽ,ſed in diſciplinis omnibus quas mathematicas uocant,reliqua in philoſophia,in Græcis,ac Latinis literis,nihil enim dicam de poëtica,qua lauream etiam meruit,idq; donante Cæſare MAXIMILIANO,denicq; in omni literarũ genere eò progreſſum,ut plericq; ſenes inuidere citius poſſint quàm aſſequi. Quod ſi huiuſmodi ingenijs honos etiam acceſſerit,unicus artium altor,proſpicio futurum,ut Heluetia clarior ſit literis quàm bellis plusq; debeat Muſis q; Marti. At in alijs quidẽ ſæpenũero uidemus magna uitia, uel ætati cõdonari,uel eruditioni. In his oĩbus quos recenſui,uitæ morũq; ꝓbitas,cũ eruditione ex æquo certat. Qd ſi horũ q talibus ingenijs nõ defuerũt exẽplũ cæteri principes certẽt æmulari, uiderem⁹ nimirũ nõ ſine cauſa dictũ eſſe à ueteris comœdiæ ſcriptoribꝰ, οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς οὐδέν ἐς' οὐδ' ἡ τέχνη. Neq; uero male cõſtat ratio dati & accepti,inter egregios principes,& bonis prædítos literis. Nam ſi cupiũt æternã apud poſteros famã,quod olim pulcherrimum erat affectare,hanc ſolæ doctorum hominũ literæ præſtare poſſunt, certius ac uerius quàm ullæ ceræ,quàm ullæ pyramides,quàm ullæ ſtatuæ,q; ulli tituli aut Coloſſi. Si non cupiunt,hoc magis debetur ea laus,quod non cupiant. An Mœcenati periſſe credis agellum Sabinum,cuius uſufructum donauit Horatio? Non poterat pluris uendere quantumlibet diligens negociator. Quod innumeri reges immenſa pecunia, quam in Coloſſos,& Pyramides inſumebant,conſequi nõ potuerunt,hoc iſte breui agello mercatus eſt,nullis unq; ſeculis intermoriturum famæ decus. Atq; utinam omniũ benigniſſimo Mœcenati ſaltem aliquam huius gratiæ portionem queam rependere. Non quod ille quicq; huius rei uel poſtulet uel expectet. Egregia uirtus abunde ſeipſa contenta eſt,quæ quidem quo maior eſt & abſolutior,hoc magis fugitat gloriam. At uera gloria ſequitur fugientem. Pulchrius eſt meruiſſe famam,quàm obtinuiſſe. Non refert illius cui debetur,at noſtra refert,ne parum grati,parumq; memores uideamur. Refert omniũ ut egregia uirtutis exempla poſteritati conſecrentur,quo plures inflammentur ad honeſti ſtudium. Verum quod ingenioli noſtri tenuitas non poteſt aſſequi,quod noſtra præſtare non ualet infantia,id alij præſtaturi ſunt,uel hoc nomine feliciores, quod gratiores eſſe licet. Nos tamen adnitemur,ſi modo uita comes erit, quam uel in hoc ipſum annos aliquot proferri cupiam,ut liqueat certe conatos fuiſſe,ſi minus cõtinget aſſequi. Sed dũ harum rerum cogitatione teneor,haud ſcio quo modo penè operis inſtituti immemor, diutius quàm par eſt,immoror digreſſioni. Proinde ad id quod agitur recurrendum.

Leo decimus

Faber.

Copus

Iacobus Sturmius

Philippus Melanchthon.

Amorbachij,

Henricus Glareanus

Ariſtophanes.

Deſiderantes uos cupide.) οὕτως ἱμερόμενοι ὑμῶν. Conatus eſt explicare ἔμφασιν uerbi, ſignificat enim alicuius deſiderio mutuoq; teneri affectu,ſicuti parentis,aut amici. Theophylactus indicat duplicem apud Græcos lectionem. Quoſdam enim legere ὁμῶς ἱμερόμενοι, id eſt,adglutinati uobis & adhærentes,ab ὁμοῦ ſimul,& ἴσχω, quod eſt connecto. Rurſus

alios legere ἱμειρόμενοι, quod ſonat cum affectu deſiderantes, ἵμερος enim deſiderium ſonat, ἱμείρομαι deſiderio tangor, uox compoſita uidetur ab ἵω ſiue ἵημι, quod eſt mitto ſiue tendo, & ἔρος amor ſiue cupido, quaſi dicas rapior cupidine.

Volebamus.) εὐδοκοῦμεν. Et hoc uerbum affectum habet, quaſi dicas, geſtiit animus, tametſi Græca uox poteſt eſſe præſentis temporis.

Quoniam chariſſimi.) διότι ἀγαπητοί, id eſt, Propterea quod dilecti &c.

Memores enim facti eſtis.) μνημονεύετε γάρ, id eſt, Meminiſtis enim. Atq; ita legit Ambroſius. Labores noſtri.) κόπον καὶ μόχθον. Duobus uerbis idē ſignificauit, niſi quod μόχθος labor eſt cum difficultate coniunctus, quaſi dicas, conatum aut molitionem, & ideo uerterunt fatigationes. In Græcis uocibus iucundior eſt affinitas ſoni.

Nocte & die.) νυκτὸς γὰρ καὶ ἡμέρας, id eſt, Nocte enim & die.

Quàm ſancte.) ὡς ὁσίως, id eſt, Vt ſiue quod. Quanq; & interpres recte uertit. Theophylactus annotat emphaſim huius uocis ὁσίως, quod religionem ac reuerentiam numinis ſonat Græcis. Hoc adeſt ei, qui meminit ſe dei negocium agere. Nam quod addit δικαίως, refertur ad homines, quorum nemini fecit iniuriam.

Et ſine querela.) ἀμέμπτως, id eſt, Ita ut nemo de nobis queri potuerit, hoc eſt, inculpate.

Affuimus.) ἐγενήθημεν, id eſt, Fuimus.

Paulus balbutiens. Qualiter unumquenq; ueſtrum.) Hic niſi ſubaudias uerbum, complexi fuerimus, aut aliud ſimile, ſermo erit imperfectus. Verum id in Paulo iam nouum eſſe non oportet. Facile licebat mederi, niſi repetitū eſſet ὡς: & cum ante dixiſſet ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, rurſum addidiſſet, παρακαλοῦντες ὑμᾶς. Verū hæc eſt balbuties apoſtolicæ charitatis, quæ ſe uerbis humanis ceu temulenta non explicat.

Et teſtificati ſumus.) καὶ μαρτυρόμενοι, id eſt, Teſtificantes, aut potius obteſtantes.

Verbū auditus dei.) ἀκοῆς τοῦ θεοῦ. i. Sermonē de deo, aut ſermonē quo deū diſcebatis.

Accepiſtis non ut uerbum ho.) Vt, non inuenio in quibuſdam exemplaribus Græci, οὐ λόγον ἀνθρώπων, id eſt, Non ſermonem hominum: etiamſi hic nōnihil uariant Græci codices, Et apparet ex Græcorum ſcholijs ὡς aduerbium non eſſe additū in priori parte, ſed, Suſcepiſtis uerbum dei: quod efficacius eſt, quàm ut uerbū dei. Certe apud Theophylactum non aſſcribitur, cū ſic exponit quaſi legiſſet ὡς, in poſteriore particula additur καθὼς, ſed additur ἐστὶν ἀληθῶς, Proinde quoniam ὡς aliquando dicitur, & de his quæ uere ſunt, uitauit addere in priore particula, alioqui addendū erat, ſicut re uera nō eſt. Quāquam prior illa uox, dei, ad ſuperiora pertinet, Cum accepiſſetis à nobis uerbum auditus dei, hoc eſt uerbū quod uobis per nos loquebatur deus. At ego malim, cū acciperetis, cū cum accepiſſetis. Alioqui quomodo accipiebant, quod iam acceperant.

Qui operatur.) Qui, apud Græcos referri poteſt uel ad uerbū, uel ad deum, ſed magis ad uerbum: & ita Ambroſius, Quod & operatur, addita etiā copula, & in hoc cū Græcis cōcordans. Nam Paulus ſentit diuini uerbi ueluti ſemen agere in Theſſalonicenſibus, dū ipſis factis declarant uim ſermonis euāgelici. Hoc pacto cū legit, tū interpretat Theophylactus. *Semen actus.* Vobis qui credidiſtis.) τοῖς πιστεύουσιν, id eſt, Qui creditis: & ita legit Ambroſius, aut certe Qui credebatis, propter uerbum præteriti tēporis cui adhæret.

Contribulibus ueſtris.) Græce eſt, proprijs contribulibus, ἰδίων συμφυλετῶν, id eſt, A proprijs contribulibus. Quanq; magis ſignificat eiuſdem gentis cū tribus.

Sicut & ipſi.) Subaudi nos.

Et prophetas.) Græce eſt, Et proprios prophetas, ἰδίους προφήτας.

Peruenit autem in illos ira dei.) Dei, apud Græcos hoc loco non additur, ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ, id eſt, Peruenit aūt in illos ira, id eſt, ultio. Et uetuſti codices nominatim duo Conſtantienſes habebant, præuenit, quomodo legit & Ambroſius. Præuenit aūt dictum eſt pro occupauit, dū illi cōtantur reſipiſcere. Annotauit Theophylactus additū articulū ἡ ὀργὴ quo ſignificaretur uindicta illa ineuitabilis, quam illis īminere prædictū eſt à Chriſto & à prophetis. Porrò εἰς τέλος dixit, pro eo quod eſt extrema, ſiue ad extremum, hoc eſt implacabilis ira dei. Deſolati.) ἀποφανισθέντες. i. Velut orphani facti, & orbati uobis ceu filijs. Ad tēpus horæ.) πρὸς καιρὸν ὥρας. Cur non potius, Ad opportunitatē, ſiue occaſionem, aut certe articulum temporis, hoc eſt, ad breue tempus? Quandoquidem hora

tempus

tempus est,Græcis:καιρὸς, breue tempus.Nos uertimus,ad spacium temporis. Theophylactus putat in utraq; uoce esse diminuendi emphasim,Nam καιρὸς articulus temporis,& hora minima diei pars. Certe sic extenuauit apostolus absentiam suã,quã neq; perpetuã uult intelligi,quum ait πρὸς καιρὸν, neq; diuturnam,quum ait ὥρας.

Aspectu,non corde.) προσώπῳ,οὐ καρδίᾳ, id est,Facie non corde.Atq; ita legit Ambrosius;sed magis placet quod uertit interpres.

Abundantius festinauimus.) ἐσπουδάσαμεν. Quod significat & studuimus,& curauimus.Et abundantius dictum est pro magis,siue uehementius.

Et semel & iterum:) καὶ ἅπαξ, id est, Et bis:sed Latine uertit interpres.

Nõne uos ante dominum.) Græcis additur cõiunctio καί.Nõne & uos.Huius emphasim annotauit Theophylactus.Sentit enim non hos solum,sed & cæteros quos cõuertit ad Christum esse coronam suam & gloriam.

Ante dñm.) ἔμπροσθεν τοῦ κυρίου, id est,Coram dño,siue in conspectu domini.

EX CAPITE TERTIO.

VStinentes.) στέγοντες, id est,Nõ ferentes,hoc est,impares desiderio uidendi uos. Placuit nobis.) εὐδοκήσαμεν. Quod ut explicaret Ambrosius uertit, optimũ duximus.Diuus Hieronymus putat uocem esse nouam à Septuagin ta confictam,ad explicandam proprietatem Hebræi sermonis.

Remanere.) ἀπολειφθῆναι, Siue ut aliàs habetur καταλειφθῆναι, id est,Relinqui.Ambrosius legit,Vt Athenis soli relinqueremur.

Ministrum dei.) Addunt Græci ὁ συνεργὸν ἡμῶν, id est,Cooperarium nostrũ.Ita Ambrosius,Et participem operis dei:sic enim reddit συνεργόν.

Ne quis moueatur.) σαίνεσθαι. Quod Græca quidẽ scholia exponunt,turbari,aut terreri.Sumpta metaphora à canibus,caudã mouẽtibus,quod idẽ admonuit Theophylactus.

Veniente & annunciãte.) Vtrũq; apud Græcos præteriti tẽporis est,ἐλθόντος ὁ εὐαγγελισαμένου, id est,Cum uenisset,& annũciasset quemadmodũ legit Ambrosius.

Sicut & nos.) καθάπερ καὶ ἡμεῖς,ὑμᾶς, id est,Sicut & nos,uos. Aut quoque coniunctio erat omittenda, aut &.

Abundantius orãtes.) ὑπερεκπερισσοῦ. Et exprimens uerborum ἐπίτασιν Ambrosius,legit,abundantissime orantes.Congeminauit enim Paulus uehementiam affectus, ὑπερεκ, id est,Eximie, ἐκπερισσοῦ, ex abundanti,siue ex supfluo,quasi dicat,supra modum, & plusq; oportet. Et abundare faciat.) Hic utrũq; uerbũ posuit trãsitiue πλεονάσαι & περισσεύσαι, de quorũ altero supra meminimus,Nam id rarius est,ideoq; monendũ duximus.

Et nos in uobis.) εἰς ὑμᾶς, id est, In uos.

Sine querela.) ἀμέμπτους, id est,Irreprehensa,ut legit Ambrosius.Refertur eñ ad corda,quæ talia uult esse Paulus,ut nulla de his possit esse querimonia.

EX CAPITE QVARTO.

VT quemadmodũ accepistis.) Vt,redundat.Sequitur enim hæc cõiunctio.

Sic & ambuletis.) ἵνα περισσεύητε μᾶλλον, id est, Vt abundetis magis. Reliqua nempe hæc,Sicut & ambulatis,redundant.Adiecta uidentur explicandæ sententiæ gratia.Ambrosius tamẽ addit sicut & ambulatis.Atq; ita scriptum comperimus in antiquis exemplaribus Latinis.Ex Theophylacti cõmentarijs non apparet additum fuisse,certe in contextu abest. *In nostris plus est.*

Ne quis supergrediatur & in negocio fraudet.) In superioris epistolæ capite quarto, indicauimus ex autoritate Hieronymi,uerbum quod est hic πλεονεκτεῖν,non pertinere proprie ad auaricíam,sed ad fraudẽ,qua cũ iniuria nobis occupamus uxores alienas: alioqui putat ille incõcinne cõiũgi auaricíã cũ libidine.Atq; ita sanè interpretatur hoc loco Theophylactus. Quoniã uindex.) Propterea quod uindex siue ultor &c. διότι.

Sicut prædiximus.) Sicut & prædiximus.Et ita legit Ambrosius,addita cõiunctione, ut uideatur hæc esse repetitio pristinæ admonitionis, quã debebant meminisse.

In immundicíam.) ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ.Quod perinde ualet ac si dicas,non uocauit nos hac lege,ut essemus immundi.Siquidẽ causa & conditio uocationis erat,ut desineremus esse quod eramus.Hanc enim uim habet nõnunq; præpositio ἐπὶ,apposita dandi casui. Quã-

quàm in eo quod proxime sequitur, abusus est, ἐν pro ἐπί.

Expensa Hieronymi sentẽtia.

Qui hæc spernit.) Hæc, redundat, ὁ ἀθετῶν, id est, Qui reiicit. Addidit interpres pronomẽ, hæc, explicandæ rei gratia. Demiror aũt cur ita Hieronymo uisum sit ἀθετεῖν uertere præuaricari: nam in libro Didymi de spiritu sancto tertio, nõnihil de suo adijciens, scribit in hũc modũ: Neq; enim uocauit nos deus ad immundiciam, sed ad sanctificationẽ. Itaq; qui spernit, siue, quod melius habetur in Græco, qui præuaricat, nõ hominẽ præuaricat, sed deũ &c, Quis enim præuaricatur hominẽ? ut iam idem sit ἀθετεῖν & præuaricari.

Qui etiam.) Etiam, non est, τὸν διδόντα, id est, Qui dedit. Et ita legit Ambrosius.

In nobis.) εἰς ὑμᾶς, id est, In uos.

De charitate fraternitatis.) φιλαδελφίας, id est, Fraterno amore. Ambrosius uertit, De affectione fraternitatis, Siquidem hac uoce, ex amore & fratre composita, apostoli significare solent, mutuum Christianorum inter ipsos amorem: idq; ex Hebræorum more, qui omnes suæ gentis fratres uocant.

Necesse habuimus.) χρείαν ἔχετε, id est, Necesse habetis, hoc est, non est necesse uobis ut scribam. Interpres legisse uidetur εἴχομεν.

A deo didicistis.) θεοδίδακτοι. Quod hic extulit dictione composita, Ioannes extulit duabus incompositis, διδακτοὶ θεοῦ, quod illic uertit docibiles dei, hic significat à deo doctos, & diuino instinctu per se afflatos.

Et operam detis.) καὶ φιλοτιμεῖσθε. Quod significat ambitiose conari. Ambrosius uertit eniti, nos, In hoc incumbatis.

Vt uestrum negocium agatis.) καὶ πράσσειν τὰ ἴδια, id est, Vt agatis res proprias. De

Ociosi & curiosi.

terret eñ ab alienis appetendis & ocio, quò iam tũ sub religionis prætextu ꝓpendebant plerique. Nunc hoc hominum genere refertus undiq; mundus est. Porrò ridicule quidam locum hunc interpretantur de curando negocio propriæ salutis.

Et nullius aliquid desideretis.) καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε, id est, Nullius indigentiam habeatis. Potest autem nullius, uel ad hominem referri, uel ad rem. Curate, ne quid uobis de fit: aut curate, ne sit implorandum auxilium alienum.

De dormientibus.) περὶ κεκοιμημένων. Quasi dicas, somno sopitis, uel soporatis, à dormisco magis quàm à dormio.

In aduentu.) In aduentum, εἰς τὴν παρουσίαν. Qui relinquimur & superesse permittimur in illum aduentum. Nec enim ociose additus est articulus.

Non præueniemus eos qui dormierũt.) τοὺς κοιμηθέντας. Certius erat, qui dormiũt, siue qui obdormierũt: nam dormisse dicũtur potius, qui iam uigilãt, experrecti. Porrò Græca uox pinde sonat quasi dicas, somno sopitos. Augustinus lib. de ciuitate dei xx. legit, Qui ante dormierũt. Vnde apparet in nõnullis Græcis codicibus scriptũ fuisse προκοιμηθέντας.

In iussu.) ἐν κελεύσματι. Nõ est simplex iussio, sed uox illa, qua nautæ seu milites se mu-

κέλευσμα.

tuo adhortantur ad rem strenue gerendam.

Adducet cum eo.) σὺν αὐτῷ, id est, Secum, aut cum eo, hoc est, cum filio. Id quod mihi magis probatur.

In iussu & in.) Et, redundat, ἐν φωνῇ, id est, Cũ uoce: quasi dixisset in iussu uocis. quod genus est illud, molemq; & montes, pro molestis montibus.

Primi.) πρῶτον, id est, Primum siue prius.

Nos qui uiuimus.) Paulus ita loqui uidetur, quasi resurrectio ea ætate esset futura quæ hæc scribebat. Tametsi quoniam participijs est usus, quæ sequuntur rationem eius uerbi cui adhærent, uerti poterant & per futurum, ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι, ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα, id est, Nos qui uiuemus & reliqui erimus, unà cum illis rapiemur. Mirum autem quantũ hic sudetur & ab Augustino & à recentioribus, dum explicare cupiunt, quod Paulus hoc loco planè dicit quosdam rapiendos ad immortalitatem qui uiuãt. Verum id quoniam non est huius instituti, nec persequar in præsentia, & aliâs à nobis super hac re dictum est. Certe diuus Ambrosius libro de fide resurrectionis capite ix. sic adduxit hunc locum, ut sentire uideatur, residuos in aduentu Christi rapiendos ad illum, non gustata morte, uel hisce uerbis: Illis, inquit, dulcior uita post requiem. Viuẽtibus & si grata compendia, tamen ignorata remedia. Nam mortem, ni fallor, illic remedium appellat.

Ambrosij sententia.

Sed

Sed hæc scribenti, subit suspicio, ab Ambrosio scriptum fuisse ingrata remedia, pro ignorata remedia: etiamsi in utraq; æditione constanter habebatur ignorata. Proinde tutius esse puto, quod rectius est sequi, præsertim cum aliàs idem uideat sentire, nominatim hunc explanans locum. Putat & qui residui fuerint in ipso raptu transituq; mortē gustaturos. *Correctus locus in Ambrosio.*

Obuiam Christo.) εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου, id est, In occursum domini. Atq; ita legit is, quisquis fuit, qui scripsit epistolam ad Demetriadem uirginem. Nam sunt qui putāt eam esse non Hieronymi, sed Iuliani.

In uerbis istis.) ἐν τοῖς λόγοις τούτοις τοῦ πνεύματος, id est, In uerbis his spūs. In nonnullis Græcorum codicibus additum reperi. Verum haud scio an mendose, præsertim cum nec apud Hieronymū, nec apud Ambrosium ita legam, ne apud Theophylactum quidem.

EX CAPITE QVINTO.



T momentis.) καὶ καιρῶν. Melius fortassis uertisset, articulis, siue opportunitatibus. Nam χρόνος simpliciter tempus significat, ut annum aut mēsem. At καιρὸς articulum temporis cum res gerenda est. Tertullianus libro de carnis resurrectione uertit, de temporibus autem & spatijs temporum.

Diligenter scitis.) ἀκριβῶς οἴδατε, id est, Exacte nostis, siue ad plenū scitis

Et securitas.) ἀσφάλεια, id est, Cum tuta res, & nihil est periculi: & idcirco Ambrosius uertit, firmitas.

Superueniet interitus.) ἐφίσταται ὄλεθρος, id est, Instat uel imminet interitus siue exitiū, uerbo præsentis temporis, ut efficacius exprimeret inexpectatum mali incursum. Nec est effugient, sed effugiant, ἐκφύγωσιν, hoc est, non possent effugere.

In utero habentis.) τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, id est, In utero habenti, dandi casu. Est autem hic ὠδὶν, id est, dolor, sed proprie parturiētium. Vnde Ambrosius sic extulit, Quemadmodū dolor partus prægnanti: ut sit sensus, Sic illis imminere subito diem iudicij, ut mulieri gra uidæ nixus ingruit & dolor partus.

Non estis noctis, neq; tenebrarum.) Valla legit ἐσμὲν, id est, Sumus, non estis. Quan quam quod ad sensum pertinet nihil interest. Sentit enim de oīnibus Christianis. Ambrosius legit, Non estis noctis.

Loricam fidei.) θώρακα. Ea pars corporis est apud medicos, quæ pectus & humeros ac scapulas complectitur usq; ad stomachi sedem. Vnde & uestis aut armatura hanc muniens, thorax dicitur. Et galeam spem dixit appositiue. Nos quo dilucidior esset sermo, uertimus, Pro galea, spem salutis. *Galeam spem salutis, pro quæ est spes salutis.*

Et ædificate alterutrum.) εἷς τὸν ἕνα, id est, Vnus unum, hoc est, uicissim alius alium.

Vt habeatis illos abundantius in charitate.) Græca sic habent, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ. Quorum sententia sic reddi poterat, Vt illos summopere habeatis in precio, per charitatem. Ambrosius ita legit, Vt illis summum honorem habeatis in charitate &c. Congeminauit autem ὑπερεκπερισσοῦ, de quo superius admonuimus.

Propter opus illorum.) διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν. Quod perinde sonat, quasi dicas, Propter facta illorum. Hunc locum oportet annotare diligenter episcopos, qui exigunt à suis summum honorem, cum ipsi non curent præstare suum officium. Paulus iubet eos haberi in summo honore, sed propter opus, non propter inanem titulum, hoc est, laborātes, præsidentes in domino, non cum fastu dominantes: admonentes, docentes, consolantes, quod proprium est episcoporum munus.

Et pacem habete cum eis.) εἰρηνεύετε ἐν αὐτοῖς, id est, Pacifici sitis inter illos. Quanquā interpres uertit sententiam satis recte. Alij Græcorum codices habebant ἐν ἑαυτοῖς, hoc est, inter uos. Atq; ita legit Ambrosius. *Varia lectio.*

Corripite inquietos.) νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους, id est, Admonete inordinatos, siue incōpositos. Sentit autem intractabiles, qui parere nolunt, & ob hoc turbant cōmunem pacem.

Suscipite infirmos.) ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, id est, Subleuate & fulcite: quod Ambrosius legit, Opitulamini infirmis: nam ἀντέχεσθαι proprie est adiutare adnitentem.

Patientes estote.) μακροθυμεῖτε, hoc est, Lenti ad iracundiam.

In omnibus uobis. εἰς ὑμᾶς, id est, In uos.

Omnia autem probate.) Autem, apud Græcos non additur, nec ad rem facit. Cæterū

δοκιμάζετε

δοκιμάζειν Græcis quoq; uerbum est anceps,quemadmodum Latinis probare,quod interdum est approbare,interdum explorare cuiusmodi sit. Theophylactus hoc loco interpretatur,probate dijudicate. Quemadmodum alibi,Probate spiritus,si ex deo sint. Audiendi prophetæ,sed cum iudicio. Miror quod exēplar secutus Augustinus,legit hoc pacto, idq; in libello aduersus Adamantium:Spiritum nolite spernere.prophetiam nolite extinguere. Omnia legite,quæ bona sunt tenete:nisi qđ arbitror scriptoris accidisse uitio. Aut certe sensum Pauli ad suū negocium accōmodauit. Tertullianus in libro de præscriptionibus hæreticorum:Omnia examinate,quod bonum est tenete.

Abstinete uos.) ἀπέχεσθε, id est,Abstinete. Nec additur,uos.

Sanctificet uos per omnia.) ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς, καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ &c.id est,Sanctificet uos totos,& integer spiritus uester,& anima &c.quemadmodum refert Tertullianus in libro de resurrectiōe carnis. Hieronymus in quæstionibus ad Hedibiam,ita citat hunc locum:Deus igitur pacis sanctificet uos per omnia,uel in omnibus plenos,siue perfectos:hoc enim magis sonat ὁλοτελῆς. Ergo sensus est,Sanctificet uos per omnia perfectos,hoc est,& in spiritu,& in anima,& in corpore. In has enim partes hominem diuidit Paulus. Porrò ὁλόκληρον sonat integrum,non quod nos uocamus integrum incorruptum,sed quod omnibus suis numeris ac partibus constat. Quod subindicauit Didymus in opere de spiritu sancto. Siquidē colligens hoc loco spiritum non posse spiritū diuinum intelligi,Incredibile,inquit,atq; blasphemum,orare Apostolum,ut spiritus sanctus integer seruetur,qui nec immutationem potest recipere,nec profectum.

Tres hominis partes.

Sine querela.) ἀμέμπτως, id est, Irreprehensibiliter.

Epistola hæc.) Hæc,redundat apud nos. Additum est autem ad explicandum articulum, τῶν.

Annotationum in epistolam Pauli priorem ad Thessalonicēses,
per Des. Erasmum Roterodamum,finis.

IN EPISTOLAM PAVLI AD THESSALONICENSES SECVNDAM, ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI. EX CAP. I.



T dignum est.) Inuenitur quidem & hoc apud Latinos, cæterum usitatius magisq; Latinum est, ut par est καθὼς ἄξιόν ἐστιν. Supercrescit fides uestra.) ὑπεραυξάνει,præpositio Græca sonat epitasin. Alioqui latinis supercrescit quod innascitur alicui rei,aut quod incremento suo opprimit alia.

Supereſt.

Vnusquisq; uestrū.) ἑνὸς ἑκάστου πάντων. Addunt,omniū, ad uehemētiam. Et Ambrosius,uniuscuiusq; omniū uestrū.

In exemplum.) nō est παράδειγμα sed ἔνδειγμα, id est,Exēplum,siue ostensionē,aut specimen, aut declarationē, Nam exemplar imitandi gratia proponit, ἔνδειγμα declarat quod latebat. Tū eñ clarescet dei iustitia,quū cruciatibus æternis dedentur qui hic sine fine cruciant pios,& regno cœlesti potientur,qui hic spe promissæ felicitatis dira perpessi sunt. Præpositio in,redundat. Aut nominandi casu ostensio,ut referatur ad illos qui affliguntur,id est,uos estis documentū,& ostenditis rectum esse iudiciū dei,cum tanta passos remuneratur regno suo.

Supereſt.

In regno dei.) In,præpositio redundat,nec addit Ambrosius.

Si tamen iustum est.) Ambrosius legit,siquidē, non si. Et Aquinas annotauit in nonnullis exemplaribus scriptum fuisse siquidem, pro si tamen. Græca scholia exponūt hoc loco

loco εἴπερ positum pro ἐπειδήπερ, id est, Quandoquidem: affirmantis enim esse, non dubitãtis. Quod si maxime siquidem ponatur pro si, tanto magis affirmabit, ueluti uerum inferens, de quo nefas sit dubitare. Mirum quur interpres putarit addendum tamen.

Retribuere retributionem.) ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν, id est, Retribuere afflígentibus uos afflictionem. Et Ambrosius, Retribuere eis qui uos deprimunt pressuram. Proinde uidet errore librariorum deprauatum in uulgatis exemplaribus, præsertim cũ in peruetusto exẽplari bibliothecæ Paulinæ extet, Retribuere tribulationem: atq; ita scriptũ comperi & in alijs nõnullis per typographos excusis. Quin & ipsum schema ex cõtrarijs contextum indicat germanam lectionem. Opponit enim afflígentes afflictis, & afflictionem requiei, quæ Græcis est ἄνεσις, id est, relaxatio, Nam θλίβω, pprie est premo. *Mendũ apud nos.*

Virtutis eius.) δυνάμεως, id est, Potentiæ.

Dantis uindictam.) Dantis, ad dominum refertur, non ad flammam. Nam quamuis apud Latinos anceps est sermo, apud Græcos non est.

In flamma ignis.) ἐν πυρὶ φλογός, id est, In incendio siue igni flãmæ. Atq; ita legit Ambrosius. Pœnas dabunt.) δίκην τίσουσιν, id est, Pœnam luent, siue pendent.

In interitum.) In, redundat, ὄλεθρον αἰώνιον, ut addatur appositiue, & intellígamus non quamlibet pœnam, sed æternam.

Gloria uirtutis.) ἰσχύος, id est, Roboris siue potentiæ: ne quis accipiat ἀρετὴν, id est, uirtutem, quæ pugnat cum uitio, ut sæpius iam admonuímus.

Admirabilis fieri.) θαυμασθῆναι, Quod Ambrosius expressit, mirificarí. Est enim Græcis uerbum passiuum, cum alijs quis redditur admirandus.

Quia creditum est testímonium nostrum.) ὅτι ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν. Ambrosius ut uitet amphibologiam, sic explicat, Quia fidem habuit testímonium nostrum. Sed Latinius poterat, quod fides habita sit testimonio nostro.

In die illo.) Ambrosius hic addit, aduentus domini.

In quo etiam oramus.) εἰς ὃ καὶ προσευχόμεθα, id est, In quod & oramus, siue ad quod. Si refers ad superiora, hic erit sensus, ut cum primis fiat deprecatio, hoc est, ante omnia. Et in hanc sententiam exponit Chrysostomus. Sin ad sequentia, sensus erit, ut precatiónes fiant ab omnibus.

Sua uocatione,) τῆς κλήσεως, id est, Vocatione. Nec additur sua, apud Græcos, nisi qđ articulus additus fermè tantundem efficit: itaq; nos addidimus Ista uocatione.

Et dignetur.) ἀξιώσῃ. Ambrosius uertit, Dignos habeat.

Omnem uoluntatem.) εὐδοκίαν, id est, Beneplacitum siue bonum propositum. Miror quid sequutus Ambrosius legat, omni placito bonitatis, nisi subaudiuit κατὰ, Perficiat uos iuxta bonam uoluntatẽ suam. Rursus hic uox est, qua Paulus & Euangelistæ solent excludere merita hominum.

Bonitatis suæ.) ἀγαθωσύνης. Nam suæ, rursus abundat.

Et opus fidei.) Et hic Ambrosius legit opere, ut respondeat placito.

In uirtute.) ἐν δυνάμει, id est, Potentia & robore.

Clarificetur.) ἐνδοξασθῇ, id est, Celebre fiat, aut nobilitetur, aut glorificetur.

EX CAPITE SECVNDO.

PEr aduentum.) Græca sic habent, ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χρίστου, καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν. Quorum sententia ita reddí poterat, Nomine aduentus domini nostri Iesu Christi, & nomine aggregationis nostræ in illum. Atq; in hunc sensum interpretantur Græca scholia. Obtestat enim eos non solum hoc nomine, quod Christus apparíturus sit in sua potentia, sed quod ipsi quoq; fideles illic sint adfuturi, & adiungendi Christo. Ipsum autem siue illum non refert dominũ, sed aduentum, παρουσίαν, & est ἐπ' αὐτῷ. Ambrosius legisse uidetur ἐπ' αὐτὸ, nisi codex mendo uacat. Legit enim in idipsum.

Cito moueamini.) ταχέως σαλευθῆναι. Quod est proprie fluctuantis, & dimoti de loco.

A uestro sensu.) νοός, id est, Mente siue intellectu.

Tanq; per nos missam.) ὡς δι' ἡμῶν, id est, Tanq; per nos. Missam, additũ est explicandi causa, etiamsi nonnihil mutat de sensu. Nam Paulus non uult eos commoueri, neq; per spiritum

ſpiritum,tanq̃ à Paulo profectum,neq̃ per ſermonẽ,Pauli nomine allatum,neq̃ per epiſtolam,illius iuſſu aut nomine ſcriptam:atq̃ id ſonant uerba Græca.

Dies domini.) Pro domini Græcus habet Chriſti.

Niſi uenerit diſceſſio.) ἀποσασία. Quod Ambroſius uertit, defectionem:nempe cum aliquis deſciſcit à ſuo autore ſeu principe.Et ἡ articulus additus ſignificat inſignem illam & ante prædictam defectionem.

Homo peccati.) ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας. Diuus Ambroſius ut explicaret uim articuli, legit,homo ille,ut acciperemus de certo homine dictum.

Super omne quod dicitur.) Interpres legiſſe uidet ἐπὶ πᾶμ ὃ λεγόμμνομ. Verũ Græci codices ſic habẽt, ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα,id eſt,Supra uel aduerſus omnẽ qui dicitur deus,aut cultus,ſiue ueneratio.Hieronymus in quæſtionibus citat ad hũc modum:Contra omne quod dicitur deus aut religio,propius accedẽs ad Græca uerba.Quã quam uideo quoſdam pro πάντα legere πᾶμ τὸ λεγόμμνομ, id eſt,aduerſus omne quod dicitur deus aut religio.Nam σέβασμα proprie dicitur id quod adoramus,& ſumma reuerentia ueneramur,& quod maieſtate præcellit:idq̃ uerti poterat, numẽ. Theophylactus legens πάντα,id eſt,omnem,ſic enarrat locum,ut πάντα referre uideatur ad omnes dæmones aut homines qui pro dijs habiti ſunt, σεβάσμα ad ſimulacra,lucos aut phana.

Sermo inabſolutus.

Tanq̃ ſit deus.) ὅτι ἐστὶ θεὸς, id eſt,Quod ſit deus,hoc eſt,oſtentans ſe eſſe deum,cum non ſit.Paulus non abſoluit ſermonis ordinem,ſed uelut oblitus eorum quæ cœperat, interijcit,quæ ueniunt in mẽtem. Videbatur enim additurus,quoniam niſi uenerit defectio & cætera non ueniet dies domini.

Non retinetis.) οὐ μνημονεύετε,id eſt,Non meminiſtis.O nouam copiæ affectationem, etiam cũ iniuria ſenſus. Vtrum, quæſo, iſtud eſt uertere diuinas literas,an potius in re ſeria ludere? Cum ſimplex,notum ac proprium uerbũ ſuppeteret,ille maluit retinetis. Tolerabilius erat tenetis,etiamſi futurum erat ἀμφίβολον. Sed aliud eſt retinere, aliud tenere. Tenet qui meminit,aut etiam qui intelligit,retinet qui reuocat alioquin abiturum. Et hoc loco quidam τραγικῶς in me deſtomachatur,qui prorſus ſim ignarus linguæ Latinæ, nimirum non intelligens retinere pro meminiſſe Latine dici,cum ſic loquutus ſit Seneca in epiſtola quadam quam ſcripſit ad Paulum,atq̃ ita uerterit hic idem interpres in Actis apoſtolorum capite xx. Quaſi quiſq̃ eruditus credat illas epiſtolas eorũ eſſe, quorum titulos habent,aut quaſi conſequens ſit,ideo Latine dictum hoc loco retinetis,pro tenetis, quod idem alibi ſit ad eũdem modum loquutus.Et qui tam argutis ſyllogiſmis rem agit, nec ullum interim locum producẽs è probatis Latini ſermonis autoribus,me uocat prorſus ignarum linguæ Latinæ,me rudem appellat,hebeti craſſoq̃ ingenio. Sed male habet hominem,quod taxarim interpretem,cuius patrocinijũ ſuſceperat,ſed reum interim ſuũ in tot locis deſtituit,ubi ne uerbum quidem pro illo mutit,quod ipſum tamen eſt uerecũdius quàm cauſam illius tam ſiniſtre agere.

Hæc dicebam uobis.) Ambroſius,niſi codex mendoſus eſt,legit ad hunc modũ, Non meminiſtis,quod me adhuc apud uos agente,hæc dicebantur uobis.

Vt reueletur in ſuo.) Deeſt,ille, εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸμ,id eſt,Vt ille reueletur.Ille, inquam,aduerſarius,de quo modo dictum eſt.

Faber.

Myſterium operatur iniquitatis.) Myſterium,eadem uox eſt quam aliàs uertit,ſacramentum.Iacobus Faber putat operatur hic accipi paſſiue pro patratur. Tametſi nihil eſt neceſſe,cum ſit uerbum medium.Et ἐνεργεῖμ non eſt proprie patrare aut facere,ſed agere, hoc eſt,uim ſuã exercere,ſicuti ſpũs dicit operari in nobis, cum uim ſuam & efficaciam oſtendit.Ita nunc Paulus dicit Antichriſtum nondum apparuiſſe,ſed tamen occulte iam illius ſpiritum ualere.& agere in his qui perſequuntur Chriſtianos.Græci interpretes arbitrantur hoc dictum in Neronem.

Tantum ut qui tenet nunc te.) μόνομ ὁ κατέχωμ ἄρτι ἕως. Videtur in Græco codice deeſſe, ὁ κατέχωμ ἄρτι κατεχέτω,id eſt,Is qui nunc obtinet,obtineat donec &c.niſi malumus apoſiopeſin eſſe,quæ plus ſignificarit ſilendo,quàm ſi uerbum explicuiſſet. Hunc locum exponunt de imperio Rhomano,quo ſoluto ſit uenturus Antichriſtus.Nonnulli de Nerone,quem putant aut reſurrecturum,ac futurum Antichriſtum,aut in hoc ſublatũ aſſeruari,ut

uari,ut suo tempore prodeat,quidam de fictis Christianis.Quibus de rebus accuratius disserit Augustinus libro de ciuitate dei xx.capite decimonono.

Interficiet.)ἀναλώσῃ,id est,Consumet.

Illustratione aduentus.)τῇ ἐπιφανείᾳ,id est,Apparitione.etiamsi Ambrosius legit illustratione præsentiæ suæ.Augustinus,illuminatione præsentiæ suæ. ut accipias claritate Christi aduenientis,obscuratum iri Antichristum.

Et prodigijs mendacibus.)ψεύδους,id est, Mendacij.sic legit & Ambrosius. Quanquam interpres si studio sic uertit,uertit eleganter,sin casu,feliciter.

His qui pereunt.)In his est Græce,licet reclament Latini.

Charitatem ueritatis.) τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο,id est, Dilectionem ueritatis non acceperunt.Atq; ita legit diuus Ambrosius.Durius enim cohæret charitas cum genitiuo casu ueritatis,Sentit enim amorem ueri aut charitatem ueram, aut si credimus Theophylacto,ipsum Christum,qui fuit utrũq; charitas & ueritas.

Ideo mittet.)καὶ διὰ τοῦτο,id est,Et ideo.Deest enim nobis copula.

Operationem erroris.)ἐνέργειαν πλάνης,id est, Efficaciã seductionis uel imposturæ,ut referatur ad prodigia,quæ facturus sit Antichristus nimirum agente in illo spiritu immũdo. Quandoquidem diuus Hieronymus arbitratur Paulum hunc sumpsisse locum ex Esaia, qui scribit,Dominus miscuit ei spiritum erroris.Porrò spiritus est agere,uelut ignis.

Sed consenserunt.)ἀλλ' εὐδοκήσαντες,ᾧ τῇ ἀδικίᾳ. Quod ita uerti poterat: Sed quibus placuit iniquitas.Aut,sed approbauerunt iniquitatem, ut aliàs συνευδοκοῦσιν. *Consentire, probare.*

Quod elegerit nos.)ὅτι εἵλετο ὑμᾶς,id est,Elegit uos.

Primitias in salutem.)ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν,id est,Ab initio ad salutem. Et Ambrosius legit,à principio. Apparet interpretem legisse ἀπαρχὰς, siue ἀπαρχήν,quod sonat primitias, ut sit sensus,illos inter primos fuisse uocatos ex Thessalonicensibus.Sin legas ἀπ' ἀρχῆς,pertinet ad diuinam prædestinationem. Quanquam ex ijsdem uerbis & hic sensus accipi potest,eripuit nos deus ab imperio.Theophylactus in cõtextu legit ἀπ' ἀρχῆς, id est,ab initio. & interpretatur de prædestinatione,Nec tamen certo liquet,an legerit ἀπαρχὰς. *Varia lectio.*

In qua & uocauit.)εἰς ὅ,id est,In quod, Idq; potest uel accipi absolute uel referri ad spiritum,ut dicas,in quem.Et ita indicant Græca scholia. Vetusti codices habent,in quam,ut legit Ambrosius,Ex his conijcere licet primam scripturam fuisse, in quem, scilicet spiritũ. Id lectori uisum est durius,eoq; quem mutauit in quam, ut mollius referatur ad fidem proximam.Mihi tamen magis placet ut ὅ sumatur absolute.

Quas didicistis.) ἐδιδάχθητε, id est , Quas docti estis,ut obiter magis commendet suũ officium.

Deus & pater noster.)Sermo Græcus mollior est , ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν,id est,Is qui deus & idem pater noster est. Nam si dixisset ὁ θεὸς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν,uisus fuisset designare duas personas,quarum alter fuerit deus,alter fuerit pater.Ambrosius non addidit copulã, haud scio an uitio librariorum.

Exhortetur corda uestra.) παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας,id est,Consoletur corda uestra. Tametsi uerbum παρακαλέσαι ambiguum est.& apud Græcos sermo præcedit opus , apud nos diuersus est ordo,In tradendo pietatẽ prius est facere quàm docere,in disciplinis prior est sermo quàm opus.Primum enim discendum quid expediat facere.

EX CAPITE TERTIO.

AB importunis.) ἀπὸ τῶν ἀτόπων. Quod magis sonat absurdis & prodigiosis, Ambrosius legit,ab iniquis. ἄτοπος autem Græce dicitur qui nulli loco conuenit,quales sunt hæretici.

Fidelis autem deus.) Græce est dominus,πιστὸς δέ ἐστιν ὁ κύριος.

Quoniam quæcunq;.) ὅτι, Quod.Mira confusio coniunctionum.Sermo Græcus habet amphibologiam.Potest enim hic accipi sensus , Confidimus de uobis , idq; freti præsidio domini , quod præcepta nostra,quemadmodum seruatis nunc , ita & in posterum sitis seruaturi.potest & hic accipi, Confidimus de uobis, quod ea quæ præcepimus & seruatis & seruaturi estis in posterum.In priore sensu coniunctio καὶ, connectit hæc duo uerba,præcepimus & facitis,In altero repetita coniunctio,utramq; particulam,& facitis & facietis,

facietis,ex æquo cõnectit cum uerbo confidimus. Priorem ſenſum uidetur ſequi Theophylactus,poſteriorem Ambroſius,In priore ſenſu,prius καὶ ſimpliciter copulat,poſterius poſitum eſt pro etiam,quod eſt idiomatis Græcanici.

In charitate.) εἰς τὴν ἀγάπην,id eſt,In dilectionem dirigat.

Patiẽtia Chriſti pro ea qua Chriſtus expectatur.

Et patientiam Chriſti.) καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ χριστοῦ, id eſt,in expectationem Chriſti.Ita legit Ambroſius,& recte. Cæterum ὑπομονὴ ſonat perſeuerantiam in re quapiam nõ ſine moleſtia,ſed rurſum cum expectatione præmĩ,aut certe finiendi mali.

Denunciamus autem.) Idem uerbum eſt quod uerterat præcipimus, παραγγέλλομεν.

Ambulantes inordinate.) ἀτάκτως,Aut incompoſite ſiue turbulente. Iam nouũ non eſt, quod ambulare dixit pro uerſari.

Non inquieti fuimus.) οὐκ ἠτακτήσαμεν,id eſt,Non inordinati ſiue non incompoſiti fuimus. Ambroſius uertit,Non intemperanter uiximus apud uos. & ἀτάκτως item uertit intemperanter. Miræ uero huius interpretis deliciæ, qui modo ἀτάκτως uertit, inordinate, nunc ἠτακτήσαμεν uertit,Fuimus inquieti,cum utriuſq; dictionis eadẽ ſit origo. Recte uertit Ambroſius, modo ſenſit intemperanter, idem eſſe quod turbulente, & intractabiliter. Siquidem Latinis in ordinem cogi dicuntur,qui communi lege aſtringuntur,nec ulla in re differunt à cæteris. Huic diuerſum eſt, ſi quis contemptis legibus publicis,ſuo uiuat arbitratu.Id enim uocat Paulus ἀτακτεῖν,præter ordinem uiuere. Metaphora ſumpta eſt à militia, ubi non licet ordinem deſerere,quod illi uocant λιποτακτεῖν.

Paulus gratis docuit.

Neq; gratis panem manducauimus.) Ambroſius legit,edimus, ut appareat illum legiſſe ἐφάγομεν,pro ἐλάβομεν,Cæterum ἐλάβομεν quod nunc habetur in Græcis codicibus,magis quadrat cum eo quod ſequitur,à quoquam.

In labore & fatigatione.) κόπῳ καὶ μόχθῳ.De quo ſuperius meminimus. uterq; uertit eodem modo,κόπος labor, μόχθος labor moleſtus.

Quaſi non habuerimus.) ὅτι οὐκ ἔχωμεν,id eſt,Quod non habeamus. Et demus,nõ daremus,δῶμεν,hoc eſt,quod id nobis non liceat facere.Quo dicto ſimul & excuſat alios qui ſumebant,& ſuam temperantiam exaggerat, qui adeo nihil exegerit præter ius,ut ne quod iuſtum quidem fuerat acceperit.

Denunciabamus.) παρηγγέλλομεν,id eſt,Præcipiebamus. Vtinam interpres hic tam feliciter copiam affectaſſet,quàm id facit ſedulo. Plutarchus libro ſuo titulum indidit, γαμικὰ παραγγέλματα.quis auderet hoc uertere connubiales denunciationes. Apud iureconſultos lego,operis noui denunciationem. Cæterum an ſemper denunciet,qui præcipit ac præſcribit,neſcio. Etenim ſi non licet quouis loco pro hominibus ponere mortales, multo minus arbitror quouis loco ius eſſe denunciare ponere pro præcipere.

Audiuimus enim.) ἀκούομεν γάρ,id eſt,Audimus enim,ut ſit tempus inſtans.

Ambulare inquiete.) ἀτάκτως. Quod paulo ſuperius uertit, inordinate,nunc uertit,inquiete. Rurſum Ambroſius intemperanter. Et hoc loco περιπατοῦντας aptius eſt, obambulantes,hoc eſt,circumuagantes,quæ eſt natiua huius uocis ſignificatio.

Nihil operantes,ſed cur.&c.) Non ſeruauit interpres elegantiam Græci ſchematis,μηδὲν ἐργαζομένους,ἀλλὰ περιεργαζομένους,id eſt,Nihil agentes,ſed curioſe agentes. Nam tale quiddã eſt in his Pauli uerbis,quale Fabius commonſtrat in dicto Domitij Afri, qui dixit oratorẽ non agere ſed ſatagere.Eſt autem hic gemina gratia,prior eſt,in affinitate uocum,quod genus eſt,legationibus immorandum eſt,non immoriendũ,altera eſt in deprauatione uerbi, qualis eſt in agere & ſatagere. Agit enim qui ſuo fungitur officio, Satagit qui uehementer ſed fruſtra molitur.ἐργάζεσθαι laudis eſt, περιεργάζεσθαι uituperabile,& tamen plus eſſe uidetur περιεργάζεσθαι quàm ἐργάζεσθαι. Subeſt autem & ἐναντίωσις nõ ingrata.ἐργάζεται qui operatur frugifera, περιεργάζεται, qui infrugifera. Quanquam illud περιεργαζομένους ſignificat & ſuperuacua & inutilia agentes,quæ πάρεργα dicuntur, quaſi nihil ad rem pertinentia. Hinc certe apparet aliud eſſe ἐργαζομένους & ἐνεργοῦντας, ἐργάζεσθαι & ἐνεργεῖν, cum utrunque ſoleat eodem uerbo reddere.

Denunciamus & obſecramus.) παρακαλοῦμεν,quod eſſe poterat, hortamur, ſed melius eſt obteſtamur,ut mitiget præcipientis autoritatẽ,Precibusq; minas regaliter addit, inquit ille.Paulus cõtra,minis addit preces,ac ne uel autoritas uel preces contẽni poſſint, adiecit,

In domino

In domino Iesu. In domino Iesu Christo.) διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν, id est, Per dominũ nostrum.

Suum panem.) τὸν ἑαυτῶν ἄρτον, id est, Suum ipsorum panem. idq; ἐμφατικώτερον: quasi dicas, non alienum, sed suum.

Per epistolam hanc.) Hunc, est Græce, non hanc. hoc est genere masculino, non fœmini/no. sicut & in emẽdatioribus Latinorũ exemplaribus, nominatim in Cõstantiensi utroq;. Theophylactus indicat apud Græcos fuisse duplicem lectionem, alterã, εἰδέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν διὰ τῆς ἐπιστολῆς, id est, Si quis uero nõ paruerit sermoni nostro per epistolam, ut intellígas Paulum per epistolam loquí Thessalonicensibus. Alteram lectionem testatur placuisse Ioanni Chrysostomo, ut pro ἡμῶν primæ personæ, ponatur ὑμῶν secũdæ personæ, sitq; sensus, Si quis non paruerit uobis proponẽtibus ex hac mea epistola, quod præcipio, hunc notetis. quod Græcis est, σημειοῦσθε, hoc est, Sit uobis notus ut fugiatis, quemadmodũ signamus boues cornupetas, quo uitentur. In græcis uerbis dubiũ est, an notate referat ad, per epistolam, sed consensus interpretum refert ad sermonem, λόγῳ. *Mendum.*

Vt confundatur.) ἵνα ἐντραπῇ, id est, Vt pudeãt, & ut rubore suffundatur, cum uiderit se uitari ab omnibus. Cõfunditur & is qui alioqui perturbatur. Idcirco diuus Ambrosius, ut explicaret uim uerbi Græci, uertit, Vt reuerentia confundatur.

Quasi inimicum.) ὡς ἐχθρόν, id est, Vt inimicum. Mira apostoli lenitas, qui ne intractabilem quidem uelit pro inimico haberi.

Corripite ut fratrem.) νουθετεῖτε. Ambrosius uertit, Monete consilijs. cui magis placuit uerbum lenius. Sempiternam.) διὰ παντός, id est, Semper, aut perpetuam.

In omni loco.) ἐν παντὶ τρόπῳ, id est, In omni modo. Quanquã interpres uidetur legísse τόπῳ, pro τρόπῳ. & ad eundem modũ legit Ambrosius, etiamsi Græca scholia τρόπῳ legunt. Theophylactus διὰ παντὸς refert ad tempus, ἐν παντὶ τρόπῳ ad negocium, hoc est, in opinionibus, in dictis, in factis. Ex Ambrosij commentarijs nõ liquet, quid legerit, Nec absurdus tamen sensus est, in omni tẽpore & in omni loco, & semper & ubiq;, sermone prouerbiali.

Deus sit cum om.) Dominus est, non deus. & ita legit Ambrosius.

Et salutatio mea.) Mea, ablatiui casus est, & refertur ad manu. Mea manu Pauli.

ANNOTATIONVM IN EPISTOLAM PAVLI SECUNDAM AD THESSALONICENSES, PER DES. ERASMUM ROTERODAMũ, FINIS.

IN EPISTOLAM PAVLI AD TIMOTHEVM PRIOREM ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTEROD. EX CAPITE PRIMO.

SECVNDVM imperiũ.) κατ' ἐπιταγήν. Apertius hic erat, iuxta iniunctionem, siue delegationem. Nam ἐπιτάττειν est iniungere & mandare quippiã. Sentit enim de munere apostolico, quod non ipse sibi uindicarit, sed ab ipso Christo fuerit delegatum. Annotauit hoc Chrysostomus, indicãs plus esse ex delegatione ac iussu apostolum quàm uocatũ dici. Nam ad Romanos scribens dicit κλητὸς, id est, uocatus.

Dei saluatoris nostri.) Hic certe nemo poterit tergiuersari, quin pater dictus sit saluator, ut nihil agant, qui quod est in epistola ad Titum, Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri dei, uolunt non aliò quàm ad filium referri. *Pater seruator.*

Et Christi Iesu spei nostræ.) καὶ ἐλπίδος ἡμῶν. Apertius erat, Iesu Christi, qui est spes nostra, Nam articulus καὶ habet uim exponentis. Et salutis autorem facit patrem, filium spem appellat. In hunc sensum interpretãtur Chrysostomus, Ambrosius & Theophylactus. Cæ

terum an quod hic Paulus tribuit Christo, nos recte tribuamus uirgini matri, aut alijs diuis, alijs excutiendum relinquo.

Dilecto, pro germano. Dilecto filio.) γνησίῳ τέκνῳ, id est, Germano filio. Et ita legit Ambrosius, atq; adeo Chrysostomus, aut quisquis fuit eius operis autor. licet interpres ubiq; insulserit suum charissimus, quemadmodum interpres Theophylacti legit, dilecto. Cũ enim tot uerbis agit de similitudine filij patrem referentis, satis declarat se γνήσιον legisse non ἀγαπητόν. Germanum uocat, uerum & ingenuum non adulterinum, quod per omnia responderet spirituali patri Paulo, id quod est filiorum, referre parentem, & non degenerare. Sed de hac uoce aliàs dictum est. Filius autem uel ætatis uel charitatis est nomen. Nam quum Paulus omnes Christianos fratres appellet, qui conuenit, ut episcopum appellet filium.

Gratia & misericordia.) Græci non addunt coniunctiones hoc loco, sed gratia, misericordia, pax. & ad eum sanè modũ legit Ambrosius. Annotauit hoc Chrysostomus quod ad unum hunc scribens meminerit misericordiæ, quum in cæteris mentionẽ faciat pacis & gratiæ. Annotauit idem Origenes in epistolam ad Romanos.

Christo Iesu domino nostro.) Græcanici codices iterant domini cognomen, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, id est, A domino Iesu Christo, qui est dominus noster. Quasi aliter sit dominus omnium, aliter fidelium, quos peculiariter possidet. Quanquã dissentit & Ambrosius & uulgata æditio. Theophylactus contra nobiscum facit. Nos Græcam lectionem non mutauimus, sed ita, ut liberum sit lectori, utram uolet sequi. Nam uidetur haud quaq; otiosa hæc iteratio, Magnũ enim solatium est Christianis habere peculiariter talẽ dominũ, cui curæ sunt. Annotauit hoc licet obscure Chrysostomus ac Theophylactus.

Sicut rogaui te.) παρεκάλεσάσε. Quanquam Græca uox anceps est, tamen hic magis quadrabat, hortatus sum, ut Vallæ placet. Tametsi Paulus eo uerbo nonnũquam usus est erga plebeios. Imò nominatim annotauit hoc Chrysostomus, & hunc sequi gaudens Theophylactus, quod tantus apostolus uerbo tam humili tamq; blando usus est erga discipulum. Porrò quod Stapulensis admonet καθὼς potius uertendum fuisse sic, quàm sicut, quid sibi uelit prorsus non intelligo. Neq; enim opinor, καθὼς accipi posse pro οὕτως. *Faber.*

Vt remaneres Ephesi.) Oratio plenior est Græce q̃ Latine, propterea quod προσμεῖναι potest esse uel infinitiui modi uel imperatiui, quantum ad sensum attinet. Sicut te rogaui manere maneto. Atq; ita legisse uidetur Ambrosius, qui legit, ut denunciares. quod non quadraret, nisi accederet, maneto, aut simile uerbũ. Porrò quod nos adiecimus, ita facito, non deprecabor admissum sacrilegium nisi idem frequenter facit interpres, & nisi hoc frequenter fieri cogit necessitas. Neq; sensi προσμεῖναι sumendũ imperandi modo priore sermone, sed in posteriore quæ subauditur. Neq; tamen necesse est, eandẽ omnino uocem subaudiri. Hæc non adderem grauaturus lectorem, nisi quidã libris æditis non minus indocte, quàm uirulente locũ hunc exagitassent.

Ne aliter docerent.) μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, id est, ne diuersa doceant, aut potius ne diuersis uterentur doctoribus. uerbo composito, ab ἕτερος alius, & διδάσκαλος doctor, ἑτεροδιδασκαλεῖν, quod est, nunc his, nunc illis uti doctoribus. Quanquã Chrysostomus & hunc sequutus Theophylactus, ἑτεροδιδασκαλεῖν interpretantur diuersam inducere doctrinam, ut ad pseudapostolos pertineat. Nos ambigue uertimus, Ne diuersam sequantur doctrinã, quod commune est, & docentibus & discentibus diuersa. Vsus est eodẽ uerbo huius epist. cap. sexto. Consentit cum interpretatione ueterum Ambrosius.

Interminatis.) ἀπεράντοις. id est, Quæ finem non habent, cuiusmodi nonnullæ sunt uulgatium Theologorũ quæstiones, opiniones: ac difficultates. Nam quo plus est eiusmodi quæstiuncularum, hoc plus etiam subscatet è casibus nunc̃q; finiendis, quorum etiam si milies mille milia produxeris, plura tamen supererunt. In quibus ut absit impietas, tamen ipsa difficultas quæstionũ, auocat ab ijs, quæ propius ad rem pertinẽt. Chrysostomus putat hunc locum non esse accipiendum de historia ueteris testamenti. Sed Ambrosius palàm de ea uidetur interpretari, cum ait: Ne oblectarentur fabulis quas narrare consueti sunt Iudæi de generatione suarũ originũ, de Abrahã & Isaac, & cæteris patriarchis, & de circumcisione, & de ijs quæ postea tradita sunt à Mose, cæteraq; quæ sequuntur in hanc sententiam. Ac mihi sanè, ne hi quidem ad uerã Christianamq; pietatẽ magnopere uidẽtur facere, qui de Chri-

Quæstionum examina.

Iudaicæ genealogiæ.

sti ge-

sti genealogia tam anxie tamq; penè dixerim Iudaice disputant. Atq; in totum ex ueteris testamenti libris pro rei cõmoditate delibari quædã magis probarim, quàm illorũ autoritatem æquari maiestati euangelicæ, imò penè anteferri. Quid enim nũc aliud legit in tẽplis? Quin etiã illos libros Iudæorũ recipimus in canonem nostrũ, quos illi in suũ recipere noluerunt, Christiani propensiores in Iudæorum libros, quàm ipsi in suos. qui tamen sua sic amãt, ut nulla gẽs insanius. Porrò quod hic uertit, interminatis, Ambrosius uertit, infinitis

Aberrantes.) ἀστοχήσαντες, id est, Cũ aberrassent. Et est uox propria his qui aberrant à scopo. Id subindicat & Chrysostomus.

Conuersi sunt.) ἐξετράπησαν. Ego malim, deflexerunt. Et magis explicat Græcam uocẽ, ueluti cum aberrans à scopo, aliò se deflectit.

In uaniloquium.) εἰς ματαιολογίαν. Quantum ad pronunciationem attinet, matæologia, non multum abest à theologia, cum res inter se plurimum discrepẽt. Proinde nobis quoq; cauendum est, ne sic sectemur theologiam, ut in matæologiam incidamus, de friuolis nugis sine fine digladiantes. Ea potius tractemus, quæ nos transformẽt in Christum, & cœlo dignos reddant. Quorsum enim attinet decertare, quot modis accipiatur, peccatum, priuatio duntaxat sit, an macula inhærens animæ? Hoc potius agat Theologus, ut omnes horreant oderintq; peccatũ. Totis seculis disputamus, an gratia qua deus nos diligit ac trahit, & qua nos illum uicissim diligimus, eadẽ sit gratia, & an sit aliquid creatũ an increatũ. Illud potius agamus, puris precibus, innocentia uitæ, pijs factis, ut eo munere nos dignetur deus. Digladiamur sine fine, quid distinguat patrẽ à filio, & utrũq; à spiritu sancto, res an relatio, & qui consistat, tres dici, quorũ nullus sit qui alius, cum sint una essentia. Quanto magis ad rem pertinet, hoc modis omnibus agere, ut ternionẽ illum, cuius maiestatẽ scrutari fas non est, pie sancteq; colamus & adoremus, illiusq; cõcordiã ineffabilẽ nostra concordia quoad licet exprimamus, quo cõtingat aliquãdo & in illius asciscí consortiũ. Disputamus qui fieri possit, ut ignis quo cruciabuntur impiorũ animæ, cum sit materialis, agat in rem incorpoream. Quanto magis referebat, huc totis uiribus eniti, ne quid in nobis reperiat ignis ille qualis qualis est quod exurat. Atq; hæc si uel animi laxandi gratia, uel citra cõtentionẽ agitarentur, ferri poterant. Nunc tota ætas in huiusmodi quæstionibus consumitur, & res usq; ad clamorem, usq; ad uera dissidia, usq; ad conuicia, nonnunq; usq; ad pugnos procedit. Quot quæstionũ examina suscitamus circa baptismũ, circa synaxim, circa pœnitẽtiæ sacramentum, quorum nonnulla sunt eiusmodi, ut nec scire magnopere referat, & ut asseuerari possunt, ita nec refelli, nec probari. Illud magis ad rem pertinebat, in hoc incumbere, ad hoc nos inuicẽ adhortari, ut uita Christo digna, baptismi sacramento respondeamus, ut ad sacras illas epulas frequenter ac pure accedamus, ut non multũ sit in uita, quod pœnitentiæ cauterio sit exurendũ. Quid autẽ nunc loquar de quæstiunculis nõ solũ superuacaneis, sed penè dixerim impijs, quas mouemus de potestate dei, de potestate Rhomani pontificis? An deus possit quoduis malũ, etiam odium sui præcipere, & omne bonũ prohibere, etiam amorẽ & cultum sui. An possit actu infinitũ secundum omnẽ dimensionẽ producere. An potuerit hunc mundũ etiam ab æterno meliorẽ facere quàm fecit. An possit producere hominem, qui peccare nullo modo queat. An reuelare possit alicui suũ futurũ peccatum, aut damnationẽ. Num possit aliqua distincte intelligere, si ad illa non habeat distinctas relationes rationis. An possit respectũ producere sine fundamento & termino. An possit naturã uniuersalẽ producere & conseruare sine singularibus. An possit aliquo prædicamento contineri. An potestatẽ creandi possit cõmunicare creaturæ. An possit ex facto facere infectũ, ac per hoc ex meretrice facere uirginẽ. An quælibet persona diuina possit quãlibet naturã assumere, quomodo uerbũ humanam assumpsit. An tres personæ possint simul eandẽ naturam assumere. An unũ suppositum creatũ possit alterã naturam creatã assumere. An hæc propositio, deus est scarabeus, aut cucurbita, tam possibilis sit, quàm hæc, deus est homo. An deus assumpserit indiuiduũ humanum, an speciẽ. An potius conueniat deo, nõ posse facere impossibile, an impossibile non possẽ fieri à deo. Vtrum prius conueniat deo posse producere, an creaturæ posse produci. An in mente diuina sint omniũ rerum ideæ, & illæ practicæne sint an speculatiuæ. An doctrinæ Aristotelicæ & naturali rationi sit cõsentaneũ, deniq; an ipsa res cogat fateri aliquẽ esse respectum ab omnibus rebus absolute distinctũ,

Quæstiones Theologorũ curiosæ.

Quæstiones penè impiæ de deo.

An deus aliquo ab ipso distincto sit unus. An personæ diuinæ uero numero dicantur tres. An numerus personarũ in diuinis pertineat ad substantiam, an relationẽ. Et an ad primã intentionẽ an secundam. An per relationes & distinguantur & cõstituantur. An pater producat filium,& spiritũ sanctum,ratione intellectus, an uoluntatis. Item an ratione essentiæ an attributi,naturaliter an libere. An essentia in patre sit principiũ generatiuũ filij, & an sit terminus paternæ generationis. An deus generet deum. An pater prius origine producat spiritum sanctum quàm filius. An in deo sit intellectus agens & possibilis. An spiritus sanctus procedens à patre & filio,ab uno principio proficiscatur an à duobus, An hæc propo
De potestate pontificis. sitio sit possibilis,pater deus odit filiũ deum. An anima Christi potuerit falli, an fallere, an mentiri. Iam uero de Rhomani pontificis potestate,penè negocioſius disputatur q̃ de potestate dei,dum quærimus de duplici illius potestate,& an possit abrogare quod scriptis apostolicis decretũ est. An possit aliquid statuere,quod pugnet cũ doctrina euangelica. An possit nouum articulũ cõdere in fidei symbolo. Vtrum maiorẽ habeat potestatẽ quàm Petrus,an parem. An possit præcipere angelis, an possit uniuersum purgatoriũ quod uocant tollere. Vtrũ simplex homo sit, an quasi deus, an participet utrãq; naturam cum Christo. An clementior sit quàm fuerit Christus,cum is non legatur quenq; à purgatorijs pœnis reuocasse. An solus omniũ non possit errare. Sexcenta id genus disputantur magnis æditis uoluminibus,idq; à magnis Theologis, præsertim professione religionis insignibus. Atq; hæc fiunt non sine manifesta suspitione adulationis,nec sine iniuria Christi, ad quem collati principes quantumuis magni quid aliud sunt quàm uermiculi? An putant hæc placere Leoni nostro,germano ueroq; Christi uicario,qui tanquam uerus pastor nihil habet antiquius salute gregis Christiani,ut uerus Christi uicarius, nihil habet charius gloria principis sui Christi? Et tamen huiusmodi quæstiunculis serio occupantur quorundam Theologorum scholæ. His ætas rerum omniũ fugacissima cõteritur,cum pleraq; sint eius generis, ut doctius nesciantur quàm sciantur,ut ridicule quærantur,temere definiantur. Breue tempus est,et arduũ est negocium agere uere Christianum. Quin igitur omissis rebus superuacaneis,ea potissimum spectamus quæ Christus nos scire uoluit,quæ prodiderunt apostoli, quæ proprie ad charitatẽ faciunt, de corde puro,& conscientia bona,& fide non ficta, quã unam Paulus appellat finẽ,& perfectionẽ totius legis. Tot iam annis cauillamur in scholis,quibus uerbis sit loquendũ de Christo. An hæc propositio sit uera,Christus fuit ab æterno,an recte dicatur compositus ex utraq; natura,an cõstare, an conflatus, an commixtus, an conglutinatus,an coagmentatus,an ferruminatus,an copulatus. Nihil horũ placet,tantum placet unitus nouũ uerbum,cum nihil minus significet,quàm hoc cui significando repertum est. Porrò si quæreretur,an pie dicamus naturam humanã unitam diuinæ,fatentur pie dici. Rursus,an pie dicatur diuina unita humanæ,ambigũt. Si hæc essent colloquia pomeridiana Christianorũ,probarem huiusmodi sermonibus excludi fabulas ineptas. Nunc hæc uidentur fidei nostræ præsidia. Quærimus ea, quæ nec scire possumus, nec scire iubemur. Illa negligimus,quæ sola fuerant meditanda. Sunt autẽ quædam hoc ipso perniciosa, quod obscuritate sua remorantur ac fatigant ingenium, melioribus alioqui rebus occupandum. Talem opinor fuisse philosophiã Pythagoræ. Et hoc nomine taxantur & ab ethnicis Heracliti libri, in quibus Socrates iocabatur opus esse natatore Delio. Certe hoc nomine Chrysostomus damnat philosophiã Platonis, quod numeris & ænigmatibus sit inuoluta, non aliter perniciosa,quàm foret tabula quæpiam elegans, quæ fugientẽ è prælio remoraretur. Atqui talia fermè sunt,quæ traduntur ab his qui se iactant scietia subtilis Theologiæ: qui etiamsi uera prædicarent,tamen ea explicant uerbis nõ modo sordidis,sed adeo obscuris & inuolutis,ut tanti nõ sit sic discere. Quod genus sunt quum disputant de quatuor instantibus naturæ. Item cum differunt quod persona non dicit relationem originis nec communem,sed duplicem negationẽ communicabilitatis in genere non extra genus, & connotat aliquid positiuũ,& est nomen primæ intentionis non secundæ. Item cum aiunt personas in diuinis esse in se inuicẽ per circumincessionẽ, circumincessionem uero uocẽ nouam noue definiunt: Circũincessio, inquiunt,est subsistentis in subsistente realiter distincto mutua præsentialitatis assistentia in eadem essentia. Rursus cum definiũt, unio personalis siue hypostatica,est relatio disquiparantiæ realis quidẽ in uno extremo, cui in altero nulla realis ratio respondet. Item unio uerbi in Christo, est relatio extrinsecus adueniens,terminata ad uerbum & fundata in assumpta humanitate,& est ista relatio nõ dependẽtis ad causam effectiuam,

fectiuã,ſed ſuſtentificati ad ſuſtentificãs. Huiuſmodi tricarũ apud iſtos plena ſunt omnia. Et in hac Theologia tam nõ ſimplici uitam omnẽ conſumunt, qui ſimplicem & apoſtolicã profitentur. Et qui ipſo etiam cognomine ſummam modeſtiã profitentur, huiuſmodi philoſophiæ profeſſione tollunt criſtas. Qui congruit apoſtolicæ uitæ profeſſio, cum ethnicæ philoſophiæ tanto tamq; curioſo ſtudio? Os conſecratum eſt euangelio, & nihil crepat niſi Auerroem & Ariſtotelem. Horretur pecuniæ contactus, & in blaſphemi philoſophi libris tota ducitur ætas? Veteres qui in paganiſmo aut per ætatis inſcitiam talia didicerãt, ex his quædam decerpebant ad eruditionẽ Chriſtianam. Nunc qui Chriſti ſimplicitatem profitentur & aluntur prædicando euangelio, talia coguntur perdiſcere. Noui quendã Theologum, qui negabat annos nouem ſufficere ad intelligenda quæ Scotus ſcripſit tantũ in præfationem Petri Lombardi. Audiui rurſus aliũ, qui prædicabat fieri non poſſe, ut quis intelligeret unã propoſitionem in toto Scoto, niſi metaphyſicam ipſius uniuerſam teneret memoria. Huiuſmodi labyrinthis Baſilides, Valentinus & Marcion captabãt animos ſimplicium. Deniq; fingamus hæc eſſe frugifera, quanta hic occurrit opinionũ pugna: Fingamus rurſus omnia cõuenire, quàm multa fruſtra quæruntur, & multa temere definiũtur. Et prætexunt has argutias ad reuincendos ethnicos & hæreticos eſſe neceſſarias: quum illa nuſq; ſint uſui, niſi inter eiuſdem ſcholæ ſodales. Nõ hæc eò ſpectant ut ſuadeam eſſe damnandã dialecticam ac philoſophiã, quæ traduntur in ſcholis, immodicũ in friuolis ſtudiũ improbo. Neq; min⁹ peccãt qui nobis obijciũt fumos cabaliſticos & talmudicos. Simile eſt illorũ ſtudiũ, qui philoſophiã omnẽ reuocarũt ad numeros. Tẽpus in collecto eſt inquit Paulus, & ingẽs agit negociũ, quur placẽt iſta diſpẽdia? Tradant optima, idq; quantũ licet cõpẽdio, reſecent ſuperuacanea. Quod utinã facerẽt & Iurecõſulti. Quin illud potius agimus, qbus rebus transformemur in Chriſtũ. Id fiet, ſi meditemur pro uiribus illius innocẽtiã, abſtinentes ab omni flagitio, ſi quantũ in nobis eſt, æmulemur illius charitatẽ, de omnibus bene merentes, ſi imitemur patientiã, adeo nõ retaliantes iniuriã, ut etiã pro malefactis, repẽdamus benefacta. Neq; de his quæ loquunt.) Græce eſt, quæ loquuntur, ἃ λέγουσι. Ita & Ambroſius, neq; quæ dicũt. Nec eſt geminũ, neq;, in pleriſq; Græcorũ codicibus, in aliis additur μὴ π.

Sciẽtes hoc.) εἰδὼς, id eſt, Sciens. Mutat aũt & aliis aliquot locis Paulus ſubinde numerũ. Quanq; referri poterat ſciens, ad uerbũ χρῆται, id eſt, utatur. Certe Ambroſius pro ſciens, legit, Certũ habens, numero ſingulari, ſuffragabatur exẽplar utrũq; Conſtantienſe. Si quis legitime utatur. Proſonomaſia in Græcis uocibus euidentior, νόμῳ νομίμως, lex & legitime. *Numerus ſubito mutatus.*

Et nõ ſubditis.) ἀνυποτάκτοις, id eſt, Qui ſubdi nolũt, nec ferunt imperiũ. Ambroſius uertit, Inobſequẽtibus. Contaminatis.) βεβήλοις, id eſt, Prophanis & arcẽdis à ſacris. Porrò cõtaminati piaculo aliquo, à ſacris arceri ſolent. In eundẽ ferè ſenſum ſonat Græcis, ἀνόσιον, nam ὅσιον dicitur ab ἅζομαι & σέβομαι. Vnde ἀνόσιον uocãt, qui nõ ueretur nec deos nec homines. Et ideo ſubiecit prophanis, qui alieni ſunt à ſacris.

Homicidis.) ἀνδροφόνοις, id eſt, Viricidis, ſi quis ad uerbum uertat.

Plagiarijs.) ἀνδραποδισταῖς. i. Qui aliena mãcipia ſubducũt furto, quod genus furti plagiũ uocãt apud Iurecõſultos. Quemadmodum qui ſacra furantur, ſacrilegi, qui de publico aut principis fiſco, peculatores, qui iumẽta aliena abducũt, abigei. Ita qui liberos aut ſeruos alienos, plagiarij. Id uero cũ extet nõ ſolũ apud Iurecõſultos, uerũ in omnibus penè bonis autoribus, qs nõ admiretur Lyrani, aut ſi quis alius hoc aſſcripſit cõmẽti, uel imperitiã, qui hoc ignorarit, uel ſocordiã, qui nõ ueſtigarit, uel impudẽtiã, qui tam expedite ſit interpretatus: Plagiarij, inquit, ſunt aſſueti plagas & uerbera aliis inferre. Et hũc ſequutus Carrẽſis: Plagiarijs, inquit, qui plagas cuiuslibet generis inferũt proximis. Aquinas cũ cætera fermè exponat, plagiarios prudẽs diſſimulat, ſatis ipſo ſilentio cõfitens, uocẽ ſibi parũ intellectã fuiſſe. Græca uox à mancipio dicta eſt. ἀνδράποδον enim mancipium, ἀνδραποδιστὴς, quaſi dicas, fur mãcipiarius. Illud annotãdũ, qd apoſtolus exorſus Catalogũ uitiorũ per iuga, uelut ingruente agmine coniunctionẽ omittit, iniuſtis & nõ ſubditis, impijs et peccatoribus, ſceleratis & cõtaminatis, patricidis & matricidis. Hactenus per iuga, homicidis, fornicarijs, maſculorũ cõcubitoribus, plagiarijs. Quibus rurſus addit iugũ, mendacibus & periuris, ut ſcires orationis curſum eſſe finitũ. Quæ eſt ſecundũ euangeliũ.) Hæc duo uerba, quæ eſt, non inuenio in Græcis codicibus. Quanq; recte ſunt addita explicãdi cauſa. Ambroſ. & interpres uulgatus legiſſe uidentur addito articulo, τῇ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον. i. Quæ eſt ſecundũ euãgeliũ. Nec ex Chryſoſtomi commentarijs, nec Ambroſij colligere licet, quod legerint. Theophy-

lactus legit sine articulo, sed admonet articulũ esse supplendũ τῇ οὔσῃ κατὰ, quemadmodũ Latini. Interpres legisse uidetur τῇ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, uidelicet addito articulo. Sensus autem anceps est non minus apud Græcos quàm apud nos. Siquidem accipi potest Euangelium gloriæ beati dei, quod prædicet gloriam dei, aut Euangelium gloriæ, id est, gloriosum, ut respondeat legi Mosaicæ, quæ gloriam nõ habet, collata ad splendorẽ Euangelicũ, siue quod promittat æternã gloriã in futuro seculo, siue quod hoc ipsum esset gloriosum pro Christo pati ob euangelium, qd' gentibus uidebatur esse stultitia, & idcirco addidit μακαρίου, quod in his malis sit uera fœlicitas.

Quod creditum est mihi.) Creditum, hoc loco cõmissum significet oportet, ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ. Concreditum erat apertius. Inuitus, ita me deus amet, dissentio à uiris, quos animo ueneror, sed tamen prima debet esse publicæ utilitatis ratio, præsertim si citra contumeliam sanetur error. Faber pro eo quod interpres uertit, Quod creditum est, transtulit, cui creditus

Faber. sum ego, nõ animaduertẽs Græci sermonis idioma, sicut annotauimus & in Apologia nostra. Porrò quod adijcit in examinatione, in idẽ recidere, cui creditus sum ego, & quod creditum est mihi, quis non uidet longe secus habere? Nisi forte nihil interest, utrũ dicas, commissus est mihi filius tuus, an commissus sum filio tuo.

Et gratias ago.) καὶ χάριν ἔχω, id est, Gratiam habeo.

Qui me confortauit in Christo Iesu) In, redundat, nec est apud Chrysostomũ, nec apud

Superest. Ambrosium, nec in uetustis exemplaribus, nominatim in Constantiensi uetustiore, τῷ ἐνδυναμώσαντί με χριστῷ, id est, Qui me potentem reddidit Christo. ut Christo sit datiuus, & intelligas Paulum in Christi gloriam fortem ac potentem fuisse, non suam. Potest et hic esse sensus, habeo gratiam Iesu Christo, cuius præsidio potens sum.

Qui prius fui.) τὸν πρότερον ὄντα. Licet & sic, Cum prius essem, uel cum prius fuerim.

Et contumeliosum.) ὑβριστὴν, quod magis significat eum qui uim facit, hoc est, oppressorem seu uiolentum. Nec enim hic ad libidinem referendũ est. Siquidẽ apparet Paulus gradibus quibusdam exaggerare suum peccatum. Si tamen hoc dicẽdum est peccatum, quod pio studio facias per errorem. Primus gradus est maledicere. Secundus, insectari. Tertius, admouere uim. Nam potest insectatio citra uiolentiam consistere.

Sed misericordiam.) ἀλλὰ καὶ, id est, Sed &, quasi dicat, non solum ueniam consequutus sum, cum talis fuerim, sed & misericordiam, ut fierem apostolus. Nã et aliâs sese extenuans, autoritatem sibi traditã, dei misericordiã uocat, uelut in epistola ad Corinthios priore, cap. vij. Consiliũ autẽ do tanq̃ misericordiã consequutus. Quanq̃ autem ab hac annotatione nostra non abhorret interpretatio Ambrosiana, tamen non potest liquido colligi, uel apud hunc, uel apud Chrysostomũ, additã fuisse coniunctionẽ &. Certe apud Theophylactum καὶ non additur. ἐν ἀπιστίᾳ, id est, Nondũ credẽs, ut uertit Ambrosius, siue per incrudelitatẽ.

Fidelis, pro certus. Fidelis sermo.) Hac ceu præfatiuncula solet uti Paulus, rem certam et indubitatam dicturus, ut fidus ad rem quoq; referatur pro indubitato. Hieronymus in epistola ad Marcellã testatur à quibusdam legi, Humanus sermo, sequutus opinor, Græcos codices, qui pro πιστὸς habuerint χρηστός. Et acceptione, Græcis est, ἀποδοχῆς, quod & approbationem sonat. Non reijcitur enim quod approbatur.

In hunc mundum.) Hunc, redundat.

In me primo.) ἐν ἐμοὶ πρώτῳ. Primo, hic nomen est, non aduerbium.

Omnem patientiam.) μακροθυμίαν, id est, Longanimitatem, si quis ad uerbũ reddat. Ambrosius pro hoc uno uerbo, duo posuit, magnanimitatem & patientiam. Est autem eiusdẽ magni esse animi & lenis moderatiq̃. Nam uindicta pusilli est animi. Addidit omnem, exaggerans suũ peccatũ, unde & se primũ uocauit, nõ tempore, sed magnitudine cõmissorũ.

Ad informationem eorũ.) πρὸς ὑποτύπωσιν. Quod Ambrosius uertit, ad exemplum. Est enim ὑποτύπωσις, cum res expressa subijcitur oculis. In Paulo igitur deus uelut exemplar proposuit, quid sibi debeãt sperare, quicunq; relictis moribus pristinis crediderũt in Christum. In uitam æternam, mirum nec ab Ambrosio attingi, nec à Chrysostomo, nec à Theophylacto, duntaxat in commentario, Quum tamen apud omnes referatur in contextu. ui

ἄφθαρτος, immortalis. detur autẽ additum, uelut ab apprecante, ut hoc cedat illis ad uitam æternam.

Immortali, inuisibili.) ἀφθάρτῳ, id est, Qui corrumpi non potest, quod recte uertit, immortali,

mortali,præsertim cum de uiuo loquatur. Et nos in epistola ad Romanos, cap. ij, uertimus ἀφθαρσίαν immortalitatem, pro incorruptionem, ne quis acciperet de libidine.

Soli deo.) μόνῳ σοφῷ θεῷ, id est, Soli sapienti deo. ut soli sapienti coniungas, & deo referat ad omnia. atq; hæc uox sapienti, interiecta inter, soli, & deo, dirimat ne coniunctim accipiantur, atq; hinc ansam arripiant qui cum Arrianis sentiunt. Et ad eum quidem modum legit Chrysostomus, & hunc sequutus Theophylactus, si modo non fallunt codices. Cæterũ nec apud Ambrosium, nec apud Hieronymum, nec apud ullum præterea scriptorem antiquum reperio. Siquidem Ambrosius enarrat hunc locũ huiusmodi uerbis: Hæc ad dei patris personam pertinent, quem immortalem ideo solum & inuisibilem appellat, quia omnis immortalitas ab ipso est. Ac mox, Simili modo & in Euangelio legitur domino dicente: Quia nemo est, inquit, bonus, nisi unus deus. Et iterum ipse dicit: Bonus homo de bono thesauro profert bona, nemo tamen nisi unus deus bonus est, quia ipse fons bonitatis est, ex quo cæteri potantur ut boni sint. Ipse est & inuisibilis solus deus, qui nulli unquã uisus est. Omnia enim agit per filium, quem idcirco uisum dicimus, ut licet aliter quàm est apparuisset, tamen illum significemus. Honorificentiam ergo & gloriã deo patri in ueritate pronũciat, cuius pietate et prouidẽtia Christus liberauit peccatores ex morte. Hactenus Ambrosiana recensuimus. Ex quibus satis opinor liquere, sapienti, in huius exemplaribus additum non fuisse. Adducit huius loci testimonium Augustinus aduersus Adimantũ, nec addit, sapienti. Rursus enarrans psalmum lxvij. Iterum psalmum cix. Quanquam nec ex interpretatione Chrysostomi satis liquet ab ipso additum, sapiẽti. Cum enim sic argumentatur: Ecce soli deo dixit, Num igitur filius deus non est? & soli immortali, non igitur & filius immortalis est? probabilius fit illum non legisse, soli sapienti, sed soli deo. Quanquam in calce epistolæ ad Romanos, additur sapienti, nec id dissimulat Ambrosiana interpretatio. Et Theophylactus addit hoc loco, atque etiam interpretatur, Solum patrem proprie dici sapientem, quod fons est sapientiæ. Sed nihil est quod in his anxie torqueamur, Arianorum hæresi sic radicitus emortua, ut ne uestigium quidem ullum supersit. Nam siue nomen soli referas, non ad deum, sed ad epitheta, immortali, inuisibili, non deerit quod calumnietur impius lector. ut solus, inquiet, pater sit inuisibilis, certe non solus immortalis. Siue coniunctim ad deum, aut etiam disiunctim, magis arripiet ansam calumniandi. Cæterum nobis quod solum addidit, non excludit filium aut spiritum sanctum à consortio patris, sed à consortio falsorum deorum, qui opinione falsissima hominum dij erant. Aut iuxta diuum Ambrosium, ideo patrem solum uocat immortalem, quod hic fons sit omnis immortalitatis. Ad hanc rationem & filius immortalitatem habet à patre, à quo habet ut sit deus. Nec impie sensurus sit, opinor, qui patrem ita dicat solum esse deum, ut intelligat solum esse principium totius deitatis, quemadmodum loquitur Augustinus libro de trinitate quarto. Quod si iuxta Ambrosium, pater recte dicitur immortalis solus, quod solus sit fons immortalitatis omnibus, solus sapiens, quod sit fons omnis sapientiæ diuinæ & humanæ, cur non aliqua ratione solus dici possit deus, unde filius habet ut deus sit, unde spiritus sanctus, unde ipse? Verum ita fit in rebus humanis, ubi semel studiorum pugna incaluit, non hoc agit quisq;, quod ad concordiam faciat, sed quod ad uictoriam. Chrysostomus & Theophylactus in hoc laborant, ut hæc omnia sint filio communia cum patre. Verum id rarum est in literis apostolicis, Christo aut spiritui sancto tribuere uocabulum dei, siue ad uitandũ offendiculum quorundã, siue quod id suo tempori reseruarent. Neq; enim statim ab apostolis Christus prædicatus est deus aut filius dei. Petrus enim uirum appellat in Actis, approbatum à deo. Et Paulus apud Ephesios, uirum uocat in quo starueratdeus &c. Imò ne in symbolo quidem, quod uulgus apostolorũ uocat, nominatim dei cognomen apponitur filio aut spiritui sancto. Et in Matthæo Christus ipse mittens primum suos ad prædicandum, uetat ne cui dicerent quod ipse esset Christus. Quo quidem in loco admonet Origenes, quod nos modo diximus. Idem admonet Chrysostomus. Non enim quiduis, quouis tempore, aut apud quosuis dicendum est.

Sapiẽti, uidetur additum.

Quomodo pater dicatur solus deus.

Non statim Christus prædicatus deus.

Secundum præcedentes in te prophetias.) κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σε προφητείας, id est, iuxta præcedentes super te, siue ad te prophetias. Atque id quidem Græcanica scholia referunt ad id quod sequitur, Vt milites bonam militiam. Verum potest referri & ad id quod præcedit,

præcedit,Hoc præceptũ tibi commendo,hoc est,sicuti spiritu prophetiæ admonitus feci te episcopum,ita iuxta eandẽ prophetiam,nunc præcipio ut milites, secundũ eandẽ prophetiam,& illi respõdeas.In hanc fermè sententiã Chrysostomus,neq; dissentit Ambrosius.

In illis.) Subaudiendum prophetis,nec aliud apud Græcos subaudiri potest,hoc est,milites secundum eas,& illis respondeas. Quod ridicule Hugo quidam à Charo exponit de prophetis exponendis.Sed quorsum attinet in his unum aut alterũ notare locum, cũ facilius sit in hoc autorum genere inuenire errata quàm effugere. Et tamen sunt qui indigne ferant quicquam in horũ scriptis reprehendi.In Carrẽsi quod Cardinalis sit,seu potius quod prædicatoriæ gentis.In Lyrano non ob aliud,nisi quod minorita fuerit. Tantum isti tribui uolunt titulis suis ac cultibus,cum æquis animis ferant nos dissentire à Cypriano,ab Hieronymo,aut Cyrillo. Quam quidam repellentes.)Prætériti temporis est, ἀπωσάμενοι,id est, Qua repulsa quidã,id est,contempta conscientia.

Hugo à Charo.

Circa fidẽ naufragauerunt.) ἐναυάγησαν,id est, Naufragium fecerunt.Quis enim unquã dixit naufragare. Ex quibus est.) ὧν ἐστιν,id est,Quorum de numero est.

EX CAPITE SECVNDO,

OBsecro igitur.) παρακαλῶ. Quod hoc sanè loco rectius uertisset, adhortor ut fiant.Ambrosius legit,exhortare,secunda persona,fortasse legit,παρακάλεϊ.

Distinctio

Primum omnium.) Omnium,incertum est,an referatur ad primum an ad obsecrationes.Et uterq; sensus tolerabilis est.Si refers ad superiora,hic erit sensus,ut cum primis fiat deprecatio,hoc est,ante omnia. Et in hanc sententiam exponit Chrysostomus,& Ambrosius,nempe diluculo. Sin ad sequentia,sensus erit, ut precationes fiant ab omnibus.

Obsecrationes,orationes,postulationes.) δεήσεις.Ambrosius uertit,Deprecationes,& rectius.Quod hic uertit postulationes, ἐντεύξεις,uulgo uocant intercessiones. Idq; sonat Græca uox. Quanquam hanc uocem interpres uarie reddit. Græcanicum scholiũ ita distinguit hæc tria,ut dicat,δέησιν uocari, qua rogamus ut liberemur à malis, quod si uerum est, elegantissime Ambrosius uertit,deprecationes.προσεύχεσθαι esse,qua precamur,ut nobis contingant bona.ἔντευξιν autem,cum querimur de his,qui nos lædunt.quod si uerum est,apte uertisset,interpellationes. Sed hisce de rebus fusius differit Augustinus in epistola lix.ad Paulinum, si quis copiosius postulet edoceri.

Δέησις προσευχὴ ἔντευξις.

In sublimitate.) ἐν ὑπεροχῇ,id est,His qui sunt in dignitate. Ambrosius legit:Qui in sublimiori loco positi sunt.

Quietam & tranquillam.) ἥρεμον καὶ ἡσύχιον,id est,Placidam & quietam &c.

Et castitate.) καὶ σεμνότητι,Quod uerbũ latius patet, nempe ad omnem morũ grauitatẽ & honestatem. Mediator dei & hominum.) Græce est μεσίτης,quod nos uertimus conciliatorem.Tertullianus libro de resurrectione carnis uertit,sequestrem.

Semetipsum redemptionem.)ἀντίλυτρον.Id significat precium,quo redimunt captiui ab hostibus in bello,aut à piratis.Siquidem quæ uulgo uocant ransonas, Græci λύτρα uocant. Deinde quo magis explicaret Christi commutationem, qui suo capite permutauit nos omnes,addidit ἀντίλυτρον,cum caput capite,uita redimitur uita.

Cuius testimonium.) Cuius,pronomen quod non est in Græcis codicibus, & confirmatum est,quod nec ipsum est apud Græcos, addita sunt ab interprete quopiam explicandæ sententiæ causa.Nam Græca sic habent,τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις, εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ,id est, Testimonium temporibus suis,in quod positus sum ego. Quãquam ad eundem modum legit Ambrosius,consentiens cum uulgata ædítione. Cum Græca lectione congruebat uterque codex Constantiensis sic:pro omnibus,testimonium temporibus suis, in quo positus sum ego.Testimonium autem appositiue additum est, Quod seipsum dedit antilytron, testimonium erat promissionis propheticæ, & confirmatio diuinæ charitatis erga genus humanum.Ita fermè Theophylactus & Chrysostomus. Cæterum articulus additus nõ est ociosus,τὸ μαρτύριον,id est,quod erat illud testimonium,de quo nemo debeat dubitare. Nõ enim fallit,qui morte sua fidem facit.

Prædicator.)κῆρυξ,id est,Præco,siue nuncius,potius quàm prædicator.

Veritatem dico.) Deest apud nos ἐν χριστῷ, id est, In Christo. Tametsi nec apud Ambrosium

brosium additur, nec apud Chrysostomum, nec apud Theophylactum.

Puras manus.) ὁσίους, quod Ambrosius uertit sanctas. Quanq; interpres hoc loco bene reddidit puras, quod in sacris oporteat omnia esse pura. Cæterum hic puras non sentit lotas, more Iudæorum, sed puras à rapinis, puras à libidine, puras à pugnis & sanguine.

Et disceptatione.) διαλογισμοῦ. Quod Laurētius maluit uerti, hæsitatione, cumq; hac sententia conueniunt Græcanica scholia. Quanquam Stapulensis haud absurde trahit ad animum parum pacatum erga proximum, & in hanc sententiam enarrat Chrysostomus. tametsi eandem uocem interpres crebro uertit, cogitationem. *Faber.*

In habitu ornato.) ἐν καταστολῇ κοσμίῳ. Non satis tutū est hoc præcipere mulierculis, præcipue Britannicis, aut etiam Italicis, quæ sua sponte satis comuntur. Imò Paulus iubet fœminas uti amictu modesto, ut tegantur undiq;, & habitus uitæ testetur integritatem, ac mulierem uerecundiam, id enim sonat κόσμιον. Quorsum enim attinet admonere mulierculas, ne cultu utantur sordido? Apparet Aquinatē hic nonnihil offensum, & ob id philosophatē de ornatu interiori mentis, qui requiratē à fœminis, quod alioqui corporis animiq; robore minus ualeant. Ornantes se.) κοσμοῦντας ἑαυτάς, id est, Ornare seipsas.

In tortis crinibus.) ἐν πλέγμασιν. Sententiam periphrasi reddidit.

Vel uestę preciosa.) ἢ ἱματισμῷ πολυτελεῖ, id est, Vestitu sumptuoso.

Promittentes.) ἐπαγγελλομένας, id est, Profitentes, ut uertit Ambrosius. Et profitētes, hic accusatiui casus est, hoc est, eo cultu utantur qui deceat mulierem, quæ ipsa re præferat pietatem. Nam non est mulierum docere, professores autem dicuntur doctores. Cæterum pietatem, quam hic θεοσέβειαν uocat, quæ uox cultum dei sonat, ne quis de pietate in liberos accipiat, eam factis ipsis præstari uult, non cultu promitti, quemadmodū hodie faciunt, quas nonnas uocant.

Dominari in uirum.) αὐθεντεῖν ἀνδρός, quasi dicas, autoritate uti in uiros, & illos ad suū affectum cogere. Ab hac uoce dicuntur authentica.

Mulier seducta in præuaricatione fuit.) Fuit nō est referendum ad participium, decepta fuit, sed ad particulā quæ proxime præcessit, In præuaricatione fuit, hoc est, transgressa est, siue obnoxia facta est transgressioni. Hunc sensum facit hypostigme Græca, ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα, ἐν παραβάσει γέγονε, id est, decepta cœpit transgredi præceptum.

Si permanserit.) ἐὰν μείνωσιν, id est, Si manserint, numero pluratiuo, ut referatur ad filios. ut palàm testatur Hieronymus, exponens hunc locum aduersus Iouinianum. In eandem sententiam clarissime disserit Chrysostomus, hac ratione seruari posse mulierē, si genuerit liberos, & eos curarit diligenter instituēdos in fide Christi, castisq; moribus. Cum hoc consentit suo more Theophylactus. Nec ab hac lectione simul & interpretatione dissentit Ambrosius. Pudet autem uel ipsius nomine hoc loco referre, quæ Thomas Aquinas commētetur in hæc Pauli uerba, quàm se torqueat, quot rimas quærat, quibus elabi possit. Qui uolet ipse conferat, & intelliget, quid sit scribere commentarios in nouum testamentū, non cōsultis Græcis exemplaribus: Saluabitur, inquit, quantum ad salutem corporis, quia non priuabitur sexu suo & facultate generandi. Saluabitur quoad salutem animæ, quia non priuabitur gratia. Ac mox post admixtam allegoriam, cui tamen non admodum fidit, reddit ad literalem expositionem, ut ly, per, non declaret causam, sed repugnantiā. sitq; sensus, mulier saluabitur, etiamsi incedat per generationē, id est, si nubat. Cætera piget referre. Dicant mihi qui contemptis ueteribus, his tribuūt omnia, quid isti potuissent in enarrandis sacris uoluminibus, si coacti fuissent, rem suo, quod aiunt, Marte peragere, ueterum auxilio desti tuti, à quibus cum hauserint fermè quicquid habent lectu dignū, uix usquā tamen illos agnoscunt autores. Id quo animo sit ab illis factū, alij uiderint. Hoc sanè loco mihi uelim respondeant, quibus impēdio placet illa decantata de Thoma fabula, ubi nam erat hic Paulus ille, qui fassus dicitur, suas epistolas à nemine prius intellectas, quàm Aquinas cōmentarijs suis eas illustraret? Theophylactus indicat quosdam interpretari locum illū, Saluabitur autem per filiorum generationē, de uirgine matre, quasi per illam seruatæ sint omnes mulieres, eo quod genuit redemptorem. Nam Græca uox τεκνογονία, potest & de uno filio filiáue dici. Verum hoc commentum reijcit, quod minime congruat ijs quæ præcedunt & quæ sequuntur. *Si manserint.* *Thomas lapsus.*

Cum so-

σωφροσύνης. Cum sobrietatē.) μετὰ σωφροσύνης, quod Hieronymus aduersus Iouinianū uoluit uerti, pudicitiā magis q̄ sobrietatē. Et hic interpres modo uertit pudicitiam, atq; ita legit & Ambrosius. Quanquam Græca uox anceps est, magis tamen sobrietatem sonans & sanitatem mentis, quàm pudicitiam. Sed ut dictum est, Hieronymus illic uirginitatis agit patronū.

EX CAPITE TERTIO.

Fidelis, pro quo Ambrosius humanus



delis sermo.) πιστὸς ὁ λόγος. Et hoc loco diuus Ambrosius uertit, humanus sermo. unde coniicere licet illum pro πιστὸς legisse χρηστὸς. Chrysostomus & Theophylactus referunt ad superiora, quæ Paulus uoluerit indubitata esse, quod dixit mulierem seruari gignendis, & recte instituendis liberis.

Si quis episcopatum desiderat.) ὀρέγεται, id est, Appetit, siue expetit. Et præclarum opus est potius quàm bonum, καλοῦ ἔργου. Id uerum erat eo seculo. At his temporibus, qui episcopatum expetit, præclarum censum expetit, præclarum imperium expetit, ut sunt hodie complures episcopæ. Opus autem dixit, quod episcopus Græcis dicatur ab inspiciendo & prouidendo. Cæterū quanquam interpres bis posuit desiderat, Græcis tamen duo sunt uerba, ὀρέγεται, & ἐπιθυμεῖ. Id in alijs pensat, eandem uocem aliter atq; aliter reddēs.

Oportet enim.) δεῖ οὖν, id est, Oportet igitur.

Prudentem.) σώφρονα, id hoc loco Ambrosius uertit Pudicum, id quod impendio placet Hieronymo, quod magis sonat sobrium & sanæ mentis. Nam νηφάλιον quod præcessit & uigilantem sonat & abstemium, unde & νηφάλια sacra in quibus pro uino libabat aqua. Etymologia uocis uarie traditur apud Græcos. Sunt autē comites sibi, uigilantia & sobrietas. Nec decet speculatorem omnium saluti uigilantem esse dormitabundum, nec uigilare potest qui luxui indulget.

Vnius uxoris uirum.) μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. Id nunc nimium dure, ne dicam ridicule, torquent ad unam ecclesiam. An episcopus non habet multas ecclesias? At Chrysostomus interpretatur de unica uxore, quam habeat episcopus, addēs tamen esse nonnullos qui sic exponant, unius uxoris uirum qui fuerit semel duntaxat maritus. Et periclitatur Chrysostomus, ne Paulus exigere uideatur ab episcopo, ut uxorem habeat, aut exemplo Iudæorū plures habeat simul. At nunc non solum à tot presbyteris exigitur castitas, uerumetiā matrimonium ab hypodiaconis contractum dirimitur. Quin id quoq; uehemēter astringūt, quod eo seculo, quo summa erat sacerdotum raritas, instituit Paulus seruandum in episcopis, ut non adiret hūc honorem digamus. Iam enim, cum tot sint sacerdotum ubiq; milia, excluduntur à sacerdotio, qui uel imprudentes duxerint corruptā. Imò qui ante baptismū habuerit uxorem, & à baptismo duxerit alteram priore defuncta, arcetur à sacerdotio, licet hac in parte gnauiter reclamante Hieronymo. Quin illud magis mirum, cum tot egregias dotes requirat Paulus in episcopo, cæteris prætermissis, solius uxoris habetur ratio. Admittitur incestus, admittitur homicida, admittitur pirata, admittitur sodomita, sacrilegus, parricida, deniq; quis non? solus digamus excluditur ab hoc honore, qui solus nihil admisit. Mirum est autem ut quædam urgemus ac pluſquam mordicus tenemus, ad quædam prorsus conniuentes. Si quis perpendat horum temporum statum, quotam hominū portionē monachorum greges occupent, quotam sacerdotum et clericorum collegia: deinde perpendat, quàm pauci è tanto numero uere seruent uitæ castimoniam, tum in quæ libidinum genera quàm innumeri deuergant, quanto cum probro complures palàm incesti sint & impudici, fortassis iudicabit magis expedire, ut ijs qui prorsus non continent, ius fiat publici matrimonij, quod absq; mala fama, pure sanctēq; colant, potius quàm infeliciter ac turpiter libidinentur. Nunc cœlibes habet mundus quàm plurimos, castos perpaucos: quanquam nec is castus est, qui uenerem non attingit, quia nō licet. Sed etiam atq; etiam uereor ne census ecclesiastici castrent hodie clericos uerius quàm pietas, dum metuimus, ne quod tenemus intercipiatur, aut certe nihil accedat. Verum hæc non sunt huius instituti.

Sacerdotibus interdictū matrimonium.

Digamus qui corruptam insciens duxerit

Ornatum.) κόσμιον, id est, Compositum, siue bene moratum, aut modestum. Idem uerbum quod uertit, in habitu ornato.

Hospitalem.) φιλόξενον benignum in peregrinos & aduenas. Annotauit Græcæ uocis emphasim Theophylactus. Nunc hospitalitatē appellant quum satrapas ac reges magno luxu excipiunt donatosq; dimittunt.

Doctorem.

Doctorem.) διδακτικὸν, id est, Docibilem, siue appositum ad docendum. Id enim sensit Paulus, atq; id est præcipuum episcopi munus. Nam cætera quæ recensuit requiruntur etiã à subditis. Cæterum docere populum, hortari, consolari, monere, redarguere, propria maxi meq; splendida est episcoporum functio, quam nunc multi libenter cedunt alijs quamlibet sordidis: Vbi receptum est ut episcopi ditionem prophanam gerant, saltẽ deberent in præcipuis festis concionantes apud populum ornare munus euangelicæ prædicationis. Hieronymus aduersus Pelagianos libro primo, reprehendit uulgatam æditionem, quæ habeat docilem, appellans Latinam simplicitatem, & uertit, qui docere possit. Nam docilis est qui facile discit. *Hieronymus taxat hãc æditionem.*

Nõ uinolentum.) πάροινον. Quod Ambrosius uertit, uino obnoxiũ, uinosum dicere poterat. Chrysostomus cumq; hoc Theophylactus negat hoc accipiendum de uinoso, sed de feroci & elato, & ad uim parato, quales sunt qui uino temulenti debacchantur. Mansuetudo præcipue decet patrem.

Non litigiosum.) ἄμαχον, id est, alienum à pugna, quod Hieronymus aduersus Pelagiũ uertit, absq; iurgio. Et illud, non percussorem, μὴ πλήκτην, non pertinet ad uiolentiam manuum, sed acerbitatem linguæ, ne sæuus & improbus sit obiurgator. Id annotauit & diuus Hieronymus. Quid enim magni sit si episcopus temperet manibus? Hieronymi sentẽtiæ subscribit Chrysostomus. Ambrosius uertit pro percussore, uerberatorem. Et apud Horatium legimus, Verbera linguæ. Item apud Ciceronem, Verberatur Tyro, tacito duntaxat cognitionis conuicio. *Percussor, qui lingua sæuiat*

Non cupidum.) ἀφιλάργυρον, id est, Ab argenti cupiditate alienum. Hieronymus aduersus Pelagium uertit, non auarũ. Hoc subiecit, uel quod hospitalis esse non possit, qui sit auarus, uel quod ut ait Theophylactus, quidam ex hospitalitate congerant thesauros.

Domui suæ bene præpositum.) προϊσάμενον, id est, Qui bene præsit. ut mox uertit, Qui domui suæ bene præesse nescit προϊστᾶναι, Ac rursus de diaconis τέκνοις καλῶς προϊσάμενοι, qui filijs suis bene præsint. Taxat enim argute Vala quod bene præpositum esse nõ est laus episcopi, sed eius qui commisit episcopi munus.

Cum omni castitate.) Non est hoc loco σωφροσύνης, quod aliquoties sonat pudicitiam, nonnunq; sobrietatem ac modestiam, de quo paulo ante dictum est, sed σεμνότητος, quod multa significat apud Græcos, pudorem liberalem & ingenuum, grauitatem, reuerentiam. Hieronymus dum undiq; captat præsidia tuendæ & ornandæ uirginitatis, hic quoq; transtulit pudicitiam. Nos maluimus reuerentia, quod præcesserit subiectio, ut accipias liberos patri morigeros, & liberali præditos pudore. Idem apparet sensisse Chrysostomũ. Alioqui quid est, cum omni castitate? Cæterum hæc uarie leguntur, primum sic habent Græca, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, ἀλλ' ἐπιεικῆ, ἄμαχον, ἀφιλάργυρον, &c. Non uinosum, nõ percussorem, & turpi lucro deditum, sed humanum, abhorrentem à pugnis, alienum ab auaricia. Ambrosius ita legit: Non obnoxium uino, non uerberatorẽ, sed modestum, non litigiosum, non asperum. Iam frequenter admonui in huiusmodi catalogis uariare scripturam. Porrò quod Græce dicitur αἰσχροκερδῆ, diuus Hieronymus in epistola ad Heliodorũ uertit, turpilucrum, Græcam imitatus compositionem. Etiamsi non me clam est, hunc locum, ut innumeros alios apud Hieronymum in uulgatis codicibus deprauatum esse. *Pudicitia. σεμνότης.*

Diligentiam habebit.) ἐπιμελήσεται, id est, Curam aget, aut curabit. Quis enim sic loquitur, non habet diligentiam mei?

Ecclesiam dei.) Non potest deprehendi ex Ambrosio, aut Chrysostomo, quod addiderint dei. Nam ecclesia opponitur domo. Et ecclesia magna domus est. Certe apud Ambrosium non additur in contextu, Nec Theophylactus enarrans attingit.

Non neophytum.) νεόφυτον, Nuper natus, aut nuper insitus. Sic enim Paulus uocat recens baptizatum, quod à baptismo censeantur Christiani. Cæterum hoc loco diaboli, fortassis non male uerti poterat calumniatoris. Requirit enim Paulus ab episcopo, nõ solum ut ipse uacet omni culpa, uerumetiam ne sit obnoxius calumnijs, aut suspicioni. Proinde uult mores ac uitam illius in christianismo diu spectatam esse, ne quisquam uel calumniari possit. Id autem iam tum Hieronymianis temporibus adeo non obseruabatur, ut ea tum fuerit summa episcopi commendatio, si statim à baptismo raperetur ad hoc honoris. Ad hunc sensum facit quod præcessit, In opprobrium. Neque uero me fugit Ambrosium hoc *Neophytus.*

interpretari,non de fama illibata,ſed de ſuperbia tumoreq; animi.Certe cum ſermo Græcus ſit anceps,non arbitror abſurdum,ſi quis hic in ſuo ſenſu abundet, ut ait Paulus. Sanè pro me facit,quod mox repetens eundem ſermonem,ſcribit hunc in modum: Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum,ab iſs qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat & laqueum diaboli.Duplex enim indicat periculum, ne neophytus inſolenter ſe gerat in nouo honore,atq; ita ſit obnoxius calumniæ.Nam & epiſcopũ oportet ab omni faſtu tumoreq; procul abeſſe,& famam oportet habere non obnoxiam probris aut calumnijs.Senſus aũt hic cõſtat,ſiue diabolum accipias ſatanã,qui per maledicas linguas contaminet bonorũ famã,ſiue calumniatorẽ hominẽ.Nos pro neophyto, uertimus nouiciũ.

Bilingues.) δίλόγους, id eſt,Duplices in ſermone,& in dictis inconſtantes.

Et ſic miniſtrent.) εἶτα, id eſt, Deinde.

Nullum crimen habentes.) ἀνέγκλητοι ὄντες, id eſt,Eiuſmodi,ut nemo poſſit eos crimi nari.Id quod indicat Hieronymus aduerſus Pelagium.Nam ἔγκλημα,eſt in ius uocare,& crimen imponere.Et ἔγκλημα atrox eſt iniuria,ob quam aliquis in ius uocari poſſit. Porrò ἀνέγκλητος is dicitur,cui nullum crimen poſſit impingi,nõ ſolum qui nullum habeat crimen.Siquidẽ multarum pudicitia fuit infamis.Et Catonis innocẽtia non fuit ἀνέγκλητος,cum legatur ſæpenumero uocatus in ius,ſed ſemper abſolutus.

Mulieres ſimiliter pudicas.) Cum ipſe ſermonis tenor palàm declaret eũ loqui de uxoribus epiſcoporum ac diaconorum, mea ſententia, rectius uertiſſet uxores & mulieres, quandoquidem Græcis eſt γυναῖκας.Siquidem Paulus non hic inſtituit uniuerſum populum,ſed epiſcopum cum ſua familia & clientela,quam totam uult eſſe illibatam. Nec admodũ repugnat ſententiæ meæ,quod Chryſoſtomus interpretatur hunc locũ de mulieribus quarũ miniſterio utebatur eccleſia, poterãt emm hæ diaconorũ & epiſcoporũ uxores eſſe.Certe de uiduis quas eccleſia ſuſceperat,poſt ſuo loco præcipit.Nec uideo cur hic abhorreamus à nomine uxorum cum in confeſſo ſit Græcis ſacerdotibus permiſſum eſſe matrimonium. Deinde σεμνούς,eadem uox, qua in liberis epiſcopi requirebat reuerentem uerecundiam.

Non detrahentes.) μὴ διαβόλους, id eſt,Non calumniatrices,quod Ambroſius uertit, Non ſtudentes diſcordiæ.Nam διάβολος dicitur à διαβάλλω,quod eſt diſpergere rumorẽ, ſed aduerſus hominem. Nam huic uitio ferè affinis eſt ille ſexus.

Diacones.) διάκονοι, id eſt,Miniſtri,& diaconi,non diacones.

Myſterium fidei.) Quidam interpretantur de dogmatibus fidei,Poteſt autem & de ſilentio intelligi,ne quid,quod ſolent miniſtri,efferant eorum quæ domi geruntur.

Acquirent.) περιποιοῦνται, id eſt,Acquirunt, tempore præſenti.

Hæc tibi ſcribo fili Timothee.) Duo hæc uerba,fili Timothee,non reperio in quibuſdam Græcis codicibus,nec Ambroſius addit,ne Chryſoſtomus quidem in ipſis commentarijs.Tantum eſt ταῦτά σοι γράφω.Nam cætera ex uulgata æditione ab alio quopiã ſunt aſſcripta.Theophylactus ne in contextu quidem habet.Cũ Græcis concordabat exemplar utrũq; bibliothecæ Conſtantienſis.

Eccleſia baſis ueri.

Columna & firmamentũ ueritatis.) στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.Hæc ad eccleſiã referenda ſunt,non ad Timotheum,ſicut quidam opinantur.Nam illam uocat columnam & baſim ac ſedem ueri.Ac in eum ſanè ſenſum citat locum hunc Auguſtinus, exponens Pſalmum quadrageſimũſeptimũ. Eccleſiam appellat domum dei,ut eam diſtinguat à ſynagoga Moſi,columnam & firmamentum ueritatis,ob certitudinem dogmatum inuiolabilem,quum ludæi uerſentur in umbris.

Et manifeſte.) ὁμολογουμένως, id eſt,Confeſſe,ſiue citra controuerſiam.Ambroſius ſic explanauit περιφράσι,Et quidem omnium confeſſione magnum eſt myſterium &c. Item ſacramentum,hic eſt myſterium, hoc eſt, arcanum.

Diuerſa lectio.

Quod manifeſtum eſt in carne.) Græce ſecus eſt, θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, id eſt,Deus manifeſtatus eſt in carne:& quæ ſequũtur,ad deum referenda ſunt.Ambroſius & uulgatus interpres legerunt pro, θεός,ὅ, id eſt,quod.Secus legunt Chryſoſtomus & Theophylactus,quos ſi ſequi uolumus,genera participiorum mutãda ſunt, iuſtificatus, prædicatus, creditus,aſſumptus.Cæterum utra lectio ſit uerior, ambigo nonnihil. Offendit Laurentium

tium quomodo mysterium dicatur assumptum in gloriam. At cur non magis offendit, quod deus dicitur iustificatus? Id quod ne in Christum quidem prima fronte satis congruit. Siquidem de Christo interpretatur Ambrosius. Mihi subolet, deum additum fuisse aduersus hæreticos Arianos. Cæterum mea quidem sententia simplicissima fuerit interpretatio, si quis mysterium intelligat prædicationem euãgelij, quod sæpe aliâs mysteriũ uocat, prius occultum & ignotum, nunc manifestatum uniuerso mundo. Iam enim agit aduersus eos, qui pro gratia Christi, ceremonias legis Mosaicæ conabantur inducere, nec alia conditione recipiebant ethnicos. Pietatem igitur uocat legem Christi, uacuam ceremonijs, cuius mysterium magnum est, sed quod iam sit manifestatum per Christi humanitatem, quod iustificatum in spiritu & uirtute dei, nimirum per miracula. Iustificatũ autem dicit, ob uim iustificãdi datam Christo, per fidem sine lege Mosaica, quod uisum est angelis, qui canebant, Gloria in excelsis deo, quod prædicatum est gentibus, cum soli Iudæi expectarent, quod creditum est non solum Iudæis, sed uniuerso mundo. Deniq; post resurectionem receptum est in cœlum, unde fuerat profectum. Proinde hoc sanè loco mihi magis arridet nostra lectio, præsertim quum magnus sit uetustorum exemplarium cõsensus. Nam Chrysostomi interpretatio hoc loco coactior est ac durior, si quis expendat. *Expositio dilucida.*

Apparuit angelis.) ὤφθη. Cur non potius uisus est, siue conspectus est? Et, creditũ est in mũdo. Sermo Græcus ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, non uacat amphibologia, potest enim utrũlibet intelligi. Cõmissum est hoc mysterium in mũdo, data apostolis & episcopis autoritate prædicandi. Aut, habita est illi fides, & persuasum est in mũdo hominibus, quod iuxta naturæ ordinem uidebatur incredibile. Posteriorem sensum sequitur Chrysostomus. *Duplex sensus.*

EX CAPITE QVARTO.

Spiritus autem manifeste dicit.) ῥητῶς, quasi dicas præscripte, siue præcise, & certo, non obscure & inuolute, quemadmodũ loqui solet in prophetis. Nam ῥητὰ dicuntur Græcis certo præscripta & præfinita.

In nouissimis temporibus.) ὑστέροις, id est, Posterioribus siue sequentibus, Neq; enim est ἐσχάτοις.

Discedent.) ἀποστήσονται, id est, Deficient, siue desciscent.

Spiritibus erroris.) πνεύμασι πλάνοις, id est, Spiritibus seductoribus, siue deceptoribus, aut fallacibus, ut uertit Ambrosius. Itidẽ Hilarius lib. de trin. decimo. Quin & Augustinꝰ aduersus Faustũ libro xv. cap. x. legit Spiritibus seductoribus. Sed interpres legisse uidetur πλάνης non πλάνοις, νης per η nõ per οι diphthongũ. Tametsi id ad sensum nihil habet momenti. In hypocrisi.) ἐν ὑποκρίσει, id est, In simulatione, ut Ambrosius, siue in fictione, & mirum est Christianos hac Græca uoce tantopere delectatos. Et ψευδολόγων, Ambrosius elegantius uertit falsiloquorum, uoce item composita, ut est apud Græcos. Augustinus Mendaciloquorum. Itidem Hilarius de trin. libro decimo, reddidit Græcam uocẽ, mendaciloquorum, nos falsiloquorum uertimus.

Cauteriatam habentes.) κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, id est, Quibus cõscientia cauterio notata est. Nam ferro candenti notabantur malefici, stigmatis impressis cuti. At isti non corpus, sed animum habent stigmaticum ob uitæ dedecora, quorum ipsi sibi conscij sunt. Augustinus aduersus Faustum libro xv. pro Cauteriatam habentium legit cauteriantium. Sed haud scio an uicio scribarum. *Cauteriati.*

Doctrinis dæmoniorum.) δαιμονίων, potest hoc loco adiectiuũ esse à δαιμόνιος quod recte uerti poterat diuinorum, propter ea quæ sequuntur cauteriatam, & cætera, quæ in dæmonia non quadrant, sed in diuinos, qui fingunt se cum spiritibus habere cõmercium, idcirco adiecit In simulatione falsiloquorum. Quod si legimus dæmoniorum pro diuinorũ, genitiui perpetuo referentur eódem. Sin dæmoniorum pro dæmonum, Nam δαιμόνων legit Theophylactus, sensus erit, fore qui auersi à doctrina Euangelica, auscultent falsæ doctrinæ, quam dæmones fallaces inuehent per homines qui sub specie pietatis insinuant mendacia. *Dæmonij diuini.*

Hæc proponens.) ὑποτιθέμενος, id est, Suggerens siue admonens.

Enutritus uerbis.) Potest & actiue legi, educans illos uerbo fidei. Nam participiũ est medium præsentis temporis ἐντρεφόμενος. Atq; ad id facit, quod mox sequitur, Quam

assecutus es,hoc est,trade alijs quod à nobis didicisti.

Assecutus, pro assectatus.

Quam assecutus es.) ἣ παρηκολούθηκας,id est,Quã usq; secutus es.Neq; enim hic assecutus,accipiendum est eo significatu,quo rhetores accipiunt.Et astipulantur Græca scholia,quæ sic exponunt,cuius es alumnus,hoc est,in qua es educatus,& ab adolescentia uersatus.Latinis enim qui ob rei difficultatem non attingunt,id,ad quod tendunt, negantur assequi,quod Græci dicunt,ἐφικνεῖσθαι,siue ἐπιτυχεῖν, cui diuersum est ἀτυχεῖν, Latinis frustrari.Cæterum qui seriem omnem rei totius ordine sequuntur,nihilq; prætereunt, παρακολουθεῖν dicuntur.Ad eum modum usus est & Lucas in præfatione historiæ euangelicæ ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσι, sentiens nullam uitæ partẽ à se prætermissam quã non peruestigasset.Et Athenæus libro primo, τὸς περὶ τὰ παρὰ κίρκῃ λέοντας ποιῆ καὶ λύκους, ταῖς ἡδοναῖς παρακολουθήσαντας, nimirum eos notans,qui per omnẽ uitam uoluptatibus fuissent addicti.Porrò ridiculum fuerit,si quis hic interpretari uelit eos uoluptates assecutos.Pro nobis faciunt Chrysostomus ac Theophylactus,qui exponunt de assiduo diuinarum literarum studio in quo Timotheus à puero fuerat uersatus.

Ineptas autem.) βεβήλους, id est,Prophanas.

Deuita.) παραιτοῦ, quod Ambrosius uertit,abnue.Est autem παραιτεῖσθαι,deprecari,& reijcere,& non admittere.

Quæ nunc est & futuræ.) τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης, quod Ambrosius apertius, Præsentis & futuræ.Vnde non male quadrat promissiones,ut habent Græci, ἐπαγγελίας.

Fidelis sermo.) πιστὸς pro ἀξιόπιστος.Nec sine tropo,quod hominis est tribuit sermoni. Porrò Græcis ἀποδέχεσθαι frequenter est amplecti cũ approbatione.Recipimus enim quod non reijcimus,& hæc particula confirmat id quod mox dixerat de ꝓmissis utriusq; uitæ.

In hoc enim laboramus.) Græce est,& laboramus.Nam laborare dixit pro molestijs affici,quo quidem argumento confirmat promissionis fidem.Quis enim laboraret ꝓ uanis promissis?

Et maledicimur.) ὀνειδιζόμεθα, id est,Probris afficimur. Ambrosius legit, Persecutiones patimur,miror quod nam sequutus exemplar.

Quia speramus.) ὅτι ἠλπίκαμεν, id est, Quod speramus.Nisi quod in huiusmodi uerbis affectus,Græci nõnunquam præteritum tempus usurpãt ꝓ præsenti. Nec est, in deum, sed in deo.

Nemo adolescentiam.) Quum Græce sit νεότητος,rectius uertisset iuuentutẽ.Nec enim Timotheus erat adolescens,sed nondum habebat senectutem episcopo dignam. Monet igitur ut quod deest ætati,præstet morum integritate.

Sed exemplum esto.) τύπος.Quod aliquoties uertit formam.

In charitate.) Græci sic habent, ἐν λόγῳ,ἐν ἀναστροφῇ,ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει, ἐν ἁγνείᾳ, id est,In sermone,in conuersatione,in dilectione,in spiritu,in side,in puritate.Nimirum in spiritu redundat iuxta Latinos.Quod tamen in cõmentarijs non attingit Chrysostomus,cum legat & interpretetur Theophylactus.Nec opus est admonere,in sermone, dictum pro,per sermonem.

Negligere gratiam.) χαρίσματος, id est, Donum.

Presbyteri pro presbyterij.

Manuũ presbyteri.) Sic quidam habent codices.Verum antiqui consentiunt cũ Græcis,apud quos est πρεσβυτερίου, id est,Presbyterij,non presbyteri.Et ita legit Ambrosius. Illud autem dicit:Habes non solum prophetiæ donum,uerũetiam efficaciam imposita manu dandi spiritum & alijs,idq; ex officio presbyterij tui,nimirũ episcopus.Nam antiquitus nihil intererat inter presbyterum,sacerdotem & episcopum,ut testatur & diuus Hieronymus.Deinde propter schisma,è multis delectus est episcopus.Porrò quo minus hic sensus accipi possit,& presbyterium,quod impositis tibi manibus accepisti, obstat Græca præpositio μετὰ, quæ comitem significat,non instrumentum.Alioqui probe quadraret cũ eo quod dixit in proxima epistola,Resuscita donũ dei,quod est in te per impositionem manuum mearũ.Atq; haud scio an hic quoq; fatendum sit Paulum Græci sermonis elegantiã neglexisse,præsertim cũ in hanc sententiã interpretetur Chrysostomus, ut prophetia sit donũ & autoritas docẽdi,deinde per impositionẽ manuũ factus sit episcopus.

Hæc meditare.) ταῦτα μελέτα, quod interpres eleganter uertit.Sed Hugo Cardinalis

non

non intelligens hoc uocabulum,ad hunc exponit modum: Versa in corde per iugem memoriam. Quanꝯ ab hac interpretatione non abhorret Thomas,quem miror non saltem Ambrosium consuluisse. Est autem meditari,exerceri,in re quapiam. Id satis aperit Ambrosius,interpretans de exercitatione sacræ doctrinæ,ut uita quoꝯ præstet quod docet. Et in his libris qui glossam habent ordinariam,in spacio quod dirimit uersus hoc cõmenti adiectũ est: Hæc exequere assiduo actu. Chrysostomus ac Theophylactus interpretãt de iugi uehementiꝯ studio,quod uel ad animum uel ad corpus potest referri. Nullus enim negat meditationem animi esse posse,uelut cum quis dicturus apud iudicem,secum meditatur,quæ quomodo dicturus sit. Verum hoc admonui quod animaduertissem quibusdam nihil aliud esse meditationem quàm cogitationem.

Manifestus sit omnibus.) ἐν πᾶσιν, id est,In omnibus.

EX CAPITE QVINTO.

Seniorem ne increpes.) πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς. Hic senior ad ætatem refertur,propterea quod sequitur iuniores, & comparatiua posita puto loco positiuorum. Cæterum non est simpliciter increpa,sed ἐπιπλήξῃς, quod significat plagam infligere,& transfertur ad id quod est aspere, sæueꝯ obiurgare. Ita Flaccus in odis, Metuentis patruæ uerbera linguæ. Et superius nolebat episcopum πλήκτην, hoc est,acrem obiurgatorem.

Sed obsecra ut patres.) Valla mauult hoc loco exhortare, quod παρακάλει sit anceps ad tria,ad hortandum,ad obsecrandum,& consolandum,quæ tamen omnia inter se finitima sunt. Verum illi parum uidetur è dignitate episcopi,si obsecret, præsertim peccãtem, maxime iuniorem, aut adolescentulum. Certe Ambrosius legit,exhortare. Et in eam sententiam interpretantur Chrysostomus ac Theophylactus.

In omni castitate.) ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ. Cum omni puritate,licet castitatis uerbum non displicet. Sic enim uideo Chrysostomum interpretari,ut absit suspicio impudicitiæ,nimirũ hanc clausulam proprie referens ad id quod proxime præcessit. Ambrosius ita silet de castitate,ut non uideatur legisse,Mea sententia referri poterat ad omnes partes superiores, ut siue cum senioribus agat,siue cum iunioribus,siue cum puellis,purus sit ab omni specie,uel sæuitiæ,uel contumaciæ,uel auariciæ, uel odij.

Vidua unde dicta.

Quæ ueræ uiduæ sunt.) Hoc est,destitutæ, ac desolatæ. Nam χήρα Græcis dicitur à χηρῶ, quod est desolo,ac destituo,siue orbo. Vnde & Latinis uidua dicitur à uiduando, hoc est, orbando: hinc uiduertas pro desolatione & solitudine. Palàm enim Paulus allusit ad etymologiam Græcæ uocis,id quod paulo inferius explanatius dicit,ἡ δὲ ὄντως χήρα καὶ μεμονωμένη, id est,Quæ uere uidua est ac desolata. Iã uero frequenter admonuimus,honorandi uerbum iuxta morem Hebræorum subsidij significationem habere.

Discat primum domum suam.) μανθανέτωσαν,discãt numero multitudinis: ut hoc præceptum ad filios & nepotes pertineat,qui sic instituendi sunt à matre seu auia, ut pij sint erga parentes, hoc enim uocat εὐσεβῆν, quod Theophylactus interpretatur γηροκομῆν, quod & γηροβοσκῆν appellant Græci. Cæterum Chrysostomus uariat in huius enarratione loci. Ambrosius uidetur magis ad uiduam referre, qui fortasse legit μανθανέτω, id est, Discat: & haud scio an Chrysostomus quoꝯ,cum addit,hoc esse reddendũ in nepotibus quod in defunctis parentibus uidua non possit. Theophylactus sine controuersia legit,discant,iuxta priorem interpretationem.

Varia lectio.

Domum suam regere,) εὐσεβῆν, id est,Pie tractare,ut uertit diuus Ambrosius. Atque item Augustinus quæstionum in Deuteronomium quadragesimatertia.

Mutuam uicem.) ἀμοιβὰς,quasi dicas taliones. Alludit ad ἀντιπελάργησιν.

Hoc acceptũ.) Græce est bonũ & acceptũ,καλὸν καὶ ἀπόδεκτον,siue honestũ & acceptũ.

Speret in deo.) ἤλπικεν,id est,Sperauit,siue sperat,ut legit & Ambrosius,indicãdi modo,non imperandi. Nam in huiusmodi uerbis nõnunꝯ,præteritum pro præsenti usurpatur. Et Paulus hic non præcipit,quid uelit facere uiduas, sed explicat descriptione, quas uere uiduas dixerit. Cæterum nihil erat,cur Vallam offenderet temporis ratio. Certe hactenus nobis suffragabatur codex S. Donatiani. Suffragabatur utercꝯ codex Cõstantiẽsis.

Modus,pro modo.

Et instet.) Et instat Græce est, ἐπιμένει, id est,Perseuerat,siue assidua est,&c. Per-

seuerat,legit Ambrosius,indicandi modo.Consentiebant & hic duo Constantienses.

Quæ in delicijs est.) Ita distinguunt Græci,ut duo contraria coniungant,uiuens mortua est, ζῶσα τέθνηκεν,quasi dicas,uiuens non uiuit. Quanquam participium utrouis referri potest. Verum sensus argutior est,iuxta Græcam distinctionem.Adde quod hæc lectio multo mollior est,ad quam legit & edisserit Chrysostomus.Apertius autē Hilarius cōmentario in psalmum lxvij.ex Origenis ut opinor,sententia,Et apostolus inquit, scit quasdam mortuas uiuere,id est,dū uiuunt esse iam mortuas.Augustinus item quæstionum in Deuteronomium quadragesimatertia,refert hunc ad modum:Quæ autem in delicijs agit,uiuens mortua est,suffragantibus & uetustissimis exemplaribus Latinis,in quibus addita hypodiastole subiecta uerbo,est,separat eam orationis partem ab illa quæ sequitur,Quæ uero in delicijs est,uiuens mortua est.

Si quis aūt suorū.) εἰ δέ τις,Rectius si qua.Nam hæc de uidua loquit̄ Paulus.Admonēt & Græca scholia.Itaq; interpretat̄, Ambrosius, nempe de uidua. Certe Theophylactus nominatim interpretat̄ de uidua,quæ uiuens in delicijs nullius curā habet,nisi suūpsius.

Curam non habet.) οὐ προνοεῖ, id est,Non prospicit,siue prouidet suis.

Fidē abnegauit,& infideli deterior est.) Hoc uidetur esse durius dictū,& ob id Aquinas distinctione nodum explicat.Ad eum enim modum explicat quod dixit Paulus: Fidem abnegauit,factis,inquit.Recte quidem Aquinas.Etenim qui quod dictat fides Christiana quæ naturæ doctrinam non abrogat,sed perficit,non præstat,is hac parte desciuit à fide.Nec est simpliciter Deterior infideli,sed hac parte deterior est, qui hoc officij non præstet suis,quibus naturæ uinculo iungitur,quod ethnici quoq; instinctu naturæ præstant. At hodie iudicio quorundam summa habetur pietas,si quis domi relictis liberis & uxore,aut etiā grandæuis parētibus, uel Hierosolymas abeat,uel in monasteriū abdat sese,sibi uicturus,aut fortassis etiā uentri. Si filios educauit.) Græcæ iucūdius est dictione cōposita,ἐτεκνοτρόφησεν. Si liberos educauit,ut filias quoq; cōplectaris.Itē quod sequit̄,Hospitio suscepit,cōposita uox est ξενοδόχησεν, qđ nos uertimus,Si fuit hospitalis.

Si omne opus bonum subsecuta est.) εἰ παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ ἐπηκολούθησεν. Significat eam quæ in nullo bono opere defuerit,& omnibus pietatis officijs semper adfuerit. Hieronymus in Zachariam pro subsecuta est,dixit prosecuta est.Nos uertimus,Si in omni opere bono fuit assidua.Quæ Carrensis philosophatur in subsecuta est,quasi subsequatur,quæ se putet non apprehendisse,legat si quis est φιλόγελως.

Carrensis.

Adolescentiores autem.) νεωτέρας δέ. Malim iuniores. Neq; enim est comparatiuum loco positiui positum,sed refertur ad id quod modo dixerat,Nō minor sexaginta annis. Verū quæ infra hos annos sunt reijce,hactenus dūtaxat,ne cibo ecclesiæ pascant̄ ociosæ.

Deuita.) παραιτοῦ. De quo superius dictum est,id est,reijce,& refuta,hoc est,ne recipias alendas.Neq; enim sentit eas arcendas à colloquio.

Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo.) ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ χριστοῦ. Id interpretatur Hieronymus in epistola ad Geruntiam:Propter has,inquit,igitur quæ fornicatæ sunt in iniuriam uiri sui Christi.Hoc eſt καταστρωνιάσωσι Græcus sermo significat.Nam στρηνιᾶν lasciuire significat,siue ferocire,quod deductum putant à uerbo στρεῦμαι, ceu metaphora sumpta à iumentis,quæ cum pabulo ferociunt,auellūt habenas,& suopte arbitrio feruntur.Alij rursum dictum putant à στρωνὸν, quod est durum. Vnde Hesychius στρωνὲς βοᾶν interpretatur, τὸ σκληρὸν βοᾶν, id est,Dure siue ferociter clamare. στρωνὲς enim Græcis sonare σαφὲς,ἰσχυρὸν,τραχύ,συγνὸν,ἀνατεταγμένον, id est,Manifeste,ualide,aspere,odiose,pertinaciter,denicq; idem esse quod στρωνόν.Porrò στρωνιῶντες interpretatur hoc pacto, πεπλεγμένοι, contorti,addens nonnūquam idem ualere,στρηνιᾶν quod διὰ πλοῦτον ὑβρίζειν, id est,ob diuitias ferocire,& βαρέως φέρειν, id est,grauiter ferre.Sophilus apud Athenæum libro tertio,uidetur uti pro deliciari,siue lasciuire, γαστρισμὸς ἔσαι δαψιλὴς,τὰ πρόσιμια ὀρῶ. χορταθήσομαι πᾶσιν ἀγαθοῖς, νὴ τὸν Διόνυσον ἄνδρες, κἀκστρηνιῶ. Ea si quis ad uerbum reddat, ad hunc habent modum:Ingluuies erit opipara,procœmia uideo.saturabor omnibus bonis, per Bacchum uiri, iam lasciuio. Rursus eodem in libro, ἐστρηνίων πῶς καταβεβρωκὼς σιτία,ἴσως ἐλεφάντων τεττάρων, id est,Lasciuiebā deuoratis cibis,quatuor fortassis elephantorum.Proinde καταστρηνιᾶν dicuntur, qui iam minus audientes sunt dicto. Theophylactus καταστρηνιῶσιν interpretatur ἀκολάστως κεχλήθφωνται, id est, Accisſauerint, & deliciari

Luxuriari.
καταστρηνιᾶν

cœperint:priore uerbo dicto à moribus petulantissimæ mulieris, cui nomen fuit Accò, quemadmodum in Chiliadibus nostris explicuimus.Idem uerbū habetur Apocalypsis cap.xviij. ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν καὶ ἐστρηνίασε, p quo Latinus reddidit,& in delicijs fuit.Atq; in ibi mox καὶ στρηνιάσαντες. Porrò κατά, præpositio significat contra, & in malam partem cū habet genitiuum casum.Ergo καταστρηνίᾶν τοῦ χριστοῦ, est in iniuriam Christi lasciuire.Sic em̄ mihi uisum est interpretari.Et in hanc sententiam enarrant Chrysostomus ac Theophylactus.Siquidem uidua quæ recipitur alenda,quodammodo se deuouet sponso Christo, in cuius contumeliam rursus de marito nouo cogitat.Non satis intelligo, quid hoc loco sibi uelit Faber,qui primum quod Paulus adolescentiores uiduas dicit,iubet intelligi de morum inconstantia,cum paulo ante palàm expresserit sexaginta annos in grādioribus, atq; hac ætate minores reijci iubet.Deinde quas ille prohibet recipi stipe ecclesiæ alēdas, hic addit per pontificē uel inuitas in monasterium retrudendas, si id petierint parentes. Ad hæc miratur,si quid aliud significet luxuriari quàm fornicari.Et ob id insulse dici, luxuriatæ Christo,dicendum autem deliciatæ Christo.Atqui si de uitiosis delitijs agit hic Paulus,ut agere certum est,qui minus insulse dicatur,deliciatæ Christo,quàm luxuriatæ Christo? Aut quid omnino significat deliciatæ Christo? Quanquàm in emendatis exemplaribus habetur,luxuriatæ in Christo.Quod si qui codices reperiūtur,in quibus distinctio,uerba hæc,in Christo,semouet à superioribus,& connectit his quæ sequuntur, certè nullus interpretum alicuius momenti in eum interpretatur modum.Secus autem distinguit Hieronymus,secus Ambrosius,secus Thomas Aquinas.Equidem non possum non admirari, quid acciderit ei uiro,tum ut opinor,pio,tum ut habetur erudito, ut ad hunc modū lasciuire uoluerit in Paulinis literis,q̄si in re ludicra uersaretur,præsertim post tot egregios ac,pbatos interpretes.Deniq; sic ista tractans,ut non addubitet,sed mera decreta nobis præscribat.Inuitus hæc admoneo,sed hoc exigit diuinarum literarum autoritas, exigit utilitas publica,ut tantisper leuis sit amici ratio,maxime cum is adiuuetur potius q̄ lædat.Neq; recuso talionē,modo absit,pcacia. Admonitus ingenue fatebor errorē,ac mutabo si minus queam tuerí,quin insup gratiā habebo.Sed de his paulo accuratius diximus in scholijs,quæ cōscripsimus in epistolas diui Hieronymi. Ambrosiꝰ legit,Cū em̄ in delicijs egerint.Et Thomas indicat hic luxuriā nō esse,ppriū libidinis uitiū,sed īmodi cū usum,& copiam rerū quarūlibet.Hoc recte,sed eadem de re in argumentis non recte.

Fabet.

Habentes damnationē.) κρῖμα, id est,Iudiciū.Quāq; interpres recte expressit sensum.

Irritam fecerūt.) ἠθέτησαν,id est,Repulerunt,aut reiecerunt,aspernatæ sunt. Tametsi significat hoc quoq; quod uertit interpres.Reijcimus enim quod desijt apud nos ualere.

Non solum ociosæ.) Deest autem.Non solum autem οὐ μόνον δέ, ac coniunctio ad epitasin facit:eam euidentius explicat,imò.

Verbosæ.) φλύαροι, id est,Nugaces,siue inepte loquaces.

Loquentes quæ.) λαλοῦσαι. Quod aliquoties significat garrire. Vnde illud λαλήμ ἄρισος: & λάλοι Græcis dicūtur garruli. Volo autem.) Volo igitur, βούλομαι οὖν.

Matresfamiliâs esse.) οἰκοδεσποτεῖν, id est,Familiam administrare:ne quis accipiat de liberis progignendis,de quo modo dixerat,sed de gubernatiōe familiæ:quod Græca uox euidentius declarat,dicta à domo & dominio.Et quod,pxime præcessit τεκνογονήσῃ Græce festiuius dictū est uoce cōpositā,q̄ Latine,filios seu liberos procreare.

οἰκοδεσποτῆσαι τέκνογονεῖν.

Retro post satanam.) ὀπίσω τοῦ σατανᾶ,id est,Post satanā,nec opus est retro.Deinde qđ hic uertit,Cōuersæ sunt,Ambrosius legit, deerrauerūt ἐξετράπησαν, id est, deflexerūt.De quo supra meminimus.Sensus est aūt,illas desciuisse à Christo,& secutas satanā: nā hoc uocat post satanā,illū ducē sequi deserto Christo. Si qs fidelis.) Græce est,Si qs fidelis aut si q̄ fidelis,εἴ τις πιστὸς ἢ πιστή. Atq; ita legit Ambrosius. Puto germanā scripturā fuisse, Si qua fidelis,ut intelligamus curā mulierū cōmēdari mulieribꝰ,puta si qua mater habet filiam uiduā.Atq; hāc scripturā habebat uterq; codex Cōstantiēsis.Verū quoniam uidebant ab hac cura cognatorū excludi uiri, aliquis adiecit si quis.Atq; apud Theophylactū addit quidē in contextu,πιστὸς ἢ πιστή,uerū enarrās locum tale nihil attingit. Idē cōperies apud Chrysostomum,quum uterq; notarit emphasim huius uerbi, ἐπαρκείτω, quod declarat esse suppeditandum,quod necessitati satis est, non quod alat lasciuiam. Idem autē

Deest apud nos.

uerbum est quod mox sequitur ἐπαρκέσῃ. Prius uertit subministret, posterius sufficiat, nā prius accipitur actiue, ut suppedito, posterius neutraliter, ut suppetit apud Latinos. Nisi mauis subaudiri in posteriore, ecclesia, Ne grauetur ecclesia, quo possit ea sufficere uere uiduis. Cæteris uiduis quæ desolatæ nō sunt hactenus ꝓuidit, ne alerentur à cognatis infidelibus, sed Christianæ à Christianis, Solas desolatas uult ali sumptibus ecclesiæ.

Vt non grauetur.) Et non grauetur, καὶ μὴ βαρείσθω, id est, Sumptibus suis alant, & non onerent ecclesiam.

Honor, pro subsidio.

Qui bene præsunt presbyteri,) Presbyteri hic episcopi uocabulum est non ætatis. Et honorem subsidiū significat, non uulgarem istū honorē, decedere de uia, aperire caput, flectere genu, quemadmodū non uno in loco annotauit & diuus Hieronymus. Siquidē in alijs eleemosyna dicit̄, cæterū in ijs quos ætas, aut dignitas, aut alioqui meritū uenerādos reddit, honos appellatur præstitum officium. Et Latini munus honorarium uocant.

Non alligabis os.) οὐ φιμώσεις. Quod Ambrosius uertit, Non infrenabis. Cæterum locus quem citat, extat Deuteronomij capite uicesimo quinto. Mos autem est apud nōnullos circūacto iumento trituram facere, cum apud nostrates flagellis excutiant. Annotandus hic locus ijs qui tantis clamoribus, tantaq́ tyrannide decimas, & plusq́ decimas extorquent, à pauperrimis quoq́ laicis, nec intelligunt, legem uetare, ne quis obliget os boui, sed trituranti, hoc est, docenti, monenti, exhortanti, sacrificanti, ac cæteris sacerdotalibus officijs fungenti. Quid autem hoc ad istos quosdam, qui non solum in ocio, sed in Sardanapalicis delitijs uitam omnem transigunt? Quanq́ aliud est laborare ore non infrenato. aliud explere scrinia sanguine pauperum. Atq́ hæc dixerim, non quo laici segniores sint ad beneficētiam erga sacerdotes suos, quibus si boni sint, nulla par gratia rependi potest, sed ut nos uicissim nostri meminerimus officij.

Sacerdotes nihil aliud quā decimatores.

Aduersus presbyterum.) Incertum an de seniore loquatur, an de episcopo. Chrysostomus ad ætatem refert; Ambrosius ad dignitatem. Diuus Hieronymus in epistola quadā ad Marcellam indicat à quibusdam, aliud hoc loco solere legi, nimirū illud: Aduersus presbyterum accusationem ne recipias, uerum hanc lectionem qua nos utimur præfert. Et tamen quod damnat Hieronymus, sequitur Ambrosius, cōmode tamen interpretans, aduersus presbyterum ob ordinis dignitatem non facile recipiendam accusationem, nec ulla fit mentio duorum aut trium testium. Quid enim opus est hoc præcipere in presbytero, quod in omnibus seruandum est? Hoc sic excusat Chrysostomus, in senioribus potissimū esse seruandum. Et haud scio an lector quispiam eruditulus offensus prima specie sermonis, mutauerit uelut enarrare cupiens quod sensit apostolus. Rursum quod sequitur, Peccantes autem coram omnibus argue, si superiora ad presbyteros referas, ad eosdē pertineat oportet: ut sit sensus, crimen non facile recipiendum, nisi sint idonei testes. Quod si constiterit, palàm esse arguendos in exemplum omnium. Chrysostomus ac Theophylactus utrūq́ de grandæuis exponit.

Præiudicium aliud apud Paulum.

Sine præiudicio.) χωρὶς προκρίματος. Sine præiudicio. Præiudicium hoc loco non significat, quod apud iureconsultos, rem prius iudicatam, sed præcipitatum iudicium, cum ex concepta temere opinione quippiam agitur, & iudicamus ipsi apud nos anteq́ compertum habeamus. Ad hunc modum interpretantur Græcanica scholia.

In alteram partē declinando.) κατὰ πρόσκλησιν. Interpres legisse uidet̄ πρόσκλισιν ꝑ iota, nō ꝑ ita, id est, à uerbo προσκλίνω, non προσκαλῶ: atq́ ita legit diuus Ambrosius, apud quē est, In aliam partem declinans. Et diuus Basilius in principio prouerbiorum, citantibus Græcanicis scholijs. Neque secus legunt & interpretantur Chrysostomus ac Theophylactus. At Clemens legit, ut nunc habent Græcorum exemplaria, nisi quod mihi legendum uidetur πρόκλησιν, non πρόσκλησιν, hoc est, prouocationem, non aduocationem: si cui tamen placet per ita, scribere.

Varia lectio.

Noli adhuc aquā.) μηκέτι, id est, Ne posthac aquam biberis. Significat eū usq́ ad id tēpus, aquā potitasse, ut ratiocinat̄ diuus Hieronymus: & Græcis unica dictio est ὑδροπότει.

Frequentes tuas infirmitates.) ἀσθενείας. Infirmitates intellige non morbos aut graues ægrotationes, sed corporis debilitatem.

Manifesta sunt.) πρόδηλοι, id est, Præmanifesta, hoc est, per se manifesta, etiam priusq́ damnentur

damnentur cuiusquam iudicio. Nam illud præ, refertur ad externum iudicium. Loquit̃ enim de palàm malis ac palàm bonis, rursus de clam malis aut bonis.

Præcedentia ad iudicium.) προάγουσαι εἰς κρίσιν. Iam enim illa condemnata sunt priusquam is qui admisit adductus sit in iudicium.

Quorundam autem.) Quosdam autem est Græce, atq; ita legit Ambrosius, τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν, id est, Quosdam aũt etiam subsequuntur: suffragatur uterq; Cõstantiẽsis.

EX CAPITE SEXTO.

NE nomen do.) Græce est, nomen dei, τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ. Atq; ita legit & Chrysostomus, cumq; hoc Ambrosius, ut colligere licet ex interpretatione.

Quia beneficij participes sunt.) οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι, id est, Ii qui beneficentiæ participes sunt, siue qui beneficentia iuuantur, & in uetustis codicibus, qui comperi non quia. Refertur autem ad seruos, nõ ad dominos. Quanq; Theophylactus bifariam exponit. Chrysostomus licet ambigue loquatur, tamen uidetur hunc sequi sensum, hoc diligentius seruiendum dominis Christianis, quod in eos officium collocatur, qui ex supercilio dominorum transierunt in affectum parentum, & pro formidatis dilecti esse cœperunt: Ait enim, non contemnant, quia fratres sint, sed magis seruiant quoniam fideles sunt atq; dilecti, qui beneficium sumunt. In eandẽ sententiam interpretatur Ambrosius. *Varia expositio.*

Si quis aliter docet.) ἑτεροδιδασκαλεῖ, id est, Diuersa docet, aut diuersam doctrinam sequitur. Nam uidet̃ in eos cõpetere, qui fastidita doctrina euangelica uacabant inanibus quæstiunculis. Est autem Græcis unica dictio composita, de quo superius admonuimus.

Et non acquiescit.) προσέρχεται, id est, Accedit: ita sonat Græce, & apte respondent Latina. Fortassis interpres legit προσέχεται, id est, Adhæret.

Superbus est,) τετύφωται, id est, Inflatus est. Ambrosi⁹ legit, superbit. Cyprianus in epistola quadam legit, Stupore elatus. Suspicor ab ipso scriptum fuisse, tumore elatus.

Sed languens.) νοσῶν, id est, Aegrotans, quod apud Græcos sæpius ad animum refertur, ut νοσεῖν dicantur, qui desipiunt ac delirant, hoc est, animi morbo laborant. Quod uerbi mire quadrat in istos sophisticos theologos, qui contemptis ijs, quæ necesse est discere, in stultissimis illis suis argutijs, & nihili labirynthis, ætatem uniuersam conterũt miseri. Quod tamen nolim ita dictum accipi, ut quod nonnulli solent, in ordinis contumeliam detorqueatur, quod in paucos dicitur, honestissimo indignos ordine, perpetua friuolarum quæstionum scabie prurientes, neque prorsus aliud agentes per omnem uitam. Atque utinam Theologi sic temperent sua studia, ut nulli sint in quos hæc uere dici possint. Eleganter autem Paulus unico uerbo dixit pugnas uerborum λογομαχίας, cum isti iactent se totos in rebus esse. *Languens νοσῶν* *λογομαχία*

Ex quibus oriuntur.) Paulus inuidiam & contentionem singulari numero posuit, atque item Ambrosius.

Malæ conflicta.) παραδιατριβαί. Malæ, Græci referunt ad suspiciones. Et Theophylactus hanc particulam, etiam cõmentario interiecto separat ab ijs quæ sequuntur. Nam quod sequitur, παραδιατριβαὶ, per se sonat in malam partem, propter præpositionem παρὰ, quæ sæpius id efficit, ut in παραφρονεῖν & παραφέρεσθαι & παραβλέπειν. Dicuntur autem congressus & disputationes philosophorum diatribæ Græcis, quas hic addita præpositione inutiles facit, & nihil ad rem ꝑtinentes. Scholia græcanica admonent metaphorã sumptã à scabiosis, qui mutuo conflictu, contactuq; morbũ cõmunicant. Sic & Theophylactus ait, παραδιατριβαὶ τοῦτ' ἔστι. σχολαὶ μάταιαι. διατριβὰς γὰρ τὰς σχολὰς ἔθος καλεῖν. ἢ ὅτι καθάπερ τὰ ψωραλέα τῶν προβάτων παρατριβόμενα νόσου πληροῖ καὶ τὰ ὑγιαίνοντα. οὕτως καὶ οὗτοι παρατριβόμενοι ἑτέροις διαφθείρουσιν αὐτούς, id est, Paradiatribæ, id est, scholæ supuacaneæ. Nã mos est scholas uocare diatribas. Siue quod sicut scabiosæ oues, dum affricant sese, morbo implent & sanas: Ita isti quoq; dum alijs affricant se, corrumpunt eos. Eadẽ penè uerba sunt apud Chrysostomũ. In nõnullis exemplaribus habebatur διαπαρατριβαί. Suspiciones aũt malas hic Græci interpretantur falsas opiniones & cõmenticias, ut congruat cum inutilibus conflictationibus. *παραδιατριβαί.*

Veritate priuati sunt.) ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας. Ambrosius uertit, Et qui ueritate caruerunt

ruerunt. Græce ſonat efficacius, Quibus adempta eſt ueritas, iuxta illud Publij: Nimium altercando, ueritas amittitur. εὐσέβειαν, Ambroſius cum dixiſſet pietatem, uelut interpretans addit, & dei culturam.

Quæſtum eſſe pietatem.) Poſt hæc uerba reperi apud Græcos, ἀφίσασο ἀπὸ τῶν τοιούτων, id eſt, Abſtine à talibus. Item Ambroſius, Diſcede ab huiuſmodi. Atqui id in uulgatis Latinorum codicibus non habetur. Etiamſi Theophylactus legit & interpretatur Chryſoſtomum ſequutus.

Cum ſufficientia.) μετ' αὐταρκείας. Ea uox ſignificat cum quis ſua ſorte contentus eſt, nec aliud deſiderat.

Haud dubium quia.) δηλονότι. Quod eſt affirmantis. Et plenius reddidiſſet Græcarũ uocum affinitatem εἰσενεγκεῖν & ἐξενεγκεῖν, ſi uertiſſet inferre & efferre.

In hunc mundum.) Addidit ſuo more hunc, quod non eſt apud Græcos.

Et alimenta.) διατροφὰς. Cyprianus enarrans precationem dominicam uertit, & exhibitionem, hoc eſt, quod uocant præbendam, propius accedens ad ſenſum Pauli, quàm qui uertit alimenta.

His contenti ſimus.) ἀρκεσθησόμεθα, id eſt, Contenti erimus. Interpres legit, ἀρκεσθησώμεθα per ω mega.

Supereſt. Et in laquenm diaboli.) Diaboli apud Græcũ non eſt, nec addit apud Ambroſiũ. Verũ de conſentaneum eſt adiectũ à quopiam ex ſuperioribus, qui locũ uoluerit interpretari.

Et inutilia.) Copula redundat. Nec eſt apud Græcos inutilia, ſed ἀνοήτους, id eſt, Stulta. Quanquam interpres legiſſe uidetur ἀνονήτους, atq; item Ambroſius.

Quæ mergunt.) βυθίζουσι, id eſt, Demergunt in profundum.

Et cupiditas.) ἡ φιλαργυρία, id eſt, Pecuniæ ſtudium. Ambroſius legit auaricia. Alioqui cupiditas aliarum item rerum eſt, ut gloriæ, imperij, uoluptatum, uindictæ.

Quam quidam appetentes.) Hic argutatur Vala, quid referat hæc uox quam, nõ cupiditatem, Quis enim dicitur appetere cupiditatẽ, ſed pecuniam, inquit, incluſam in hoc uerbo φιλαργυρίαν. Quum apud Latinos nulla ſit hic dictio, quæ pecuniam habeat incluſam, de Græcis accipiatur oportet quod indicat Laurentius. At in φιλαργυρία quid incluſum eſt ἄργυρος aut ἀργύριον, quomodo igitur apud illos cõgruit articulus τῆς. Prorſus hic humanũ quiddã accidit Laurẽtio. Dicunt aũt appetere ſtudiũ pecuniæ, q huc incũbunt.

Errauerunt à fide.) ἀπεπλανήθησαν, id eſt, Aberrarunt.

Patientiam, manſuetudinem.) πραότητα. Ambroſius uertit Tranquillitatem animi.

Fidei.) Videbatur frigidũ ſi Paulus ei præciperet fidem, quem fecerat epiſcopũ, hoc eſt fidei doctorem. Proinde Theophylactus fidei uocabulo excludit quæſtiones rixoſas, quas uult à Timotheo reiici.

In qua uocatus es.) In quam, εἰς ἣν. Ad quam, Ambroſius. Græci addunt καὶ, in quam & uocatus es, tametſi non additur apud Theophylactum.

Sine macula.) ἄσπιλον, id eſt, Immaculatum: & refertur ad ipſum Timotheum, nõ ad mandatum, id eſt, ut ſerues mandatũ immaculatus, irreprehenſus. Etiamſi Ambroſius refert ad mandatum, ſi modo codex uacat mendo: conſimiliter & Chryſoſtomus, licet anceps ſermone diſſerens hæc, ut habetur uerſus. Nam Græci codicis nõ erat copia. Quanq; ſermo Græcus non uetat, quo minus adiectiuum referatur ad præceptum. Iam ut maxime ἄσπιλον & ἀνεπίλημπτον referas ad mandatum, tamen ſubeſt aliquid amphibologiæ. Nam ſi referas ad ſerua, ſenſus eſt, ne macules mandatum tuo uitio, Sin ad mandatum, ſerua mandatum, quod maculam aut reprehenſionem neſcit, quemadmodum pſeudapoſtolorum præcepta. Et tamen huic ſenſui refragatur articulus nõ additus, potius dicendũ erat πλὴν ἐντολὴν πλὴν ἄσπιλον.

Vſq; in aduentum.) μέχρι τῆς ἐπιφανείας, id eſt, Vſq; ad apparitionem, ſiue illuſtrationem, quod ego ſanè malim, quia ſequitur, quam ille oſtenſurus eſt. Quid oſtendet? Nimirum gloriam filij ſui, quem ante exhibuerat humilem.

Quem ſuis temporibus.) Quẽ refert aduentũ, non Chriſtũ, id quod liquet ex Græcis.

Solus potens.) μόνος δυνάστης. Id proprie dicitur de principe, aut magiſtratu: unde & δυνάστια.

Rex

Rex regũ.) Græce est regnantiũ τῶν βασιλευόντων, Regnãt em̃ quidã potius q̃ sunt reges Hæc omnia Theophylactus accõmodat personæ filij, sed Ambrosius mea sententia rectius accõmodat patri, quod perspicuum est ex hisce uerbis, Non quia aliud lumen filij sit, quippe quum in psalmo scriptum sit, Et in lumine tuo uidebimus lumen, hoc est lumẽ patris est in filio, sed quia nemo uidet patrem, ac per hoc inaccessibile inhabitat lumen. Non enim est ordo alicui uidendi patrẽ nisi Christo qui de deo est, hic uidit deum. Filius autem quia omnia ipse agit, & apparere dicitur & uideri. Illud ergo peculiare patris est, quod supra dictum est. Quid scripserit Chrysostomus incertum. Certe uersus sibi uidet̃ contradicere. Nam initio rogat, de quo ista dicta sunt? De patre an de filio? De filio scilicet, quem suis, inquit, temporibus & cætera. Ac paulo post uelut oblitus sui mouet aliam quæstionem. Qui solus, inquit, habet immortalitatem. Quid ergo? filius nõ habet? Ex his uerbis palàm est Chrysostomum quæ dicta sunt accõmodasse patri. Aliâs erat absurda quæstio. Sed propius intuenti Chrysostomus in priore quæstione non percontatur quis sit ostensurus, sed quis ostendendus. Pater ostendit, filius ostenditur. Theophylactus fatetur Chrysostomum hæc principaliter asscribere patri, quanq̃ & filio & spiritui sancto cõmunia. Thomas Augustinum sequutus exponit de trinitate. De ueritate sententiæ nõ disputo, sed de cõsuetudine sermonis Euãgelici & apostolici. Quũ em̃ alijs in locis huiusmodi tribuant̃ patri ceu propria, sine cõtumelia filij aut spũs sancti, quur hic torquemus ad trinitatẽ? Neq; enim ideo non est æternus filius, quia patri tribuit̃ æternitas, ut notio peculiaris: nec ideo pater nõ est sapiẽs, quia filio asscribit̃ sapiẽtia: nec ideo filius nõ est bonus, quia spiritui sancto tribuit̃ bonitas. Sed in his sacræ literæ habẽt suũ quendã loquendi modum. Ad patrem autorem referuntur omnia, ab illo est immortalitas, uita & lumẽ. Iam in huius sermonis initio facta est distinctio personarum, usq; ad aduẽtum domini nostri Iesu Christi. Hoc ad filium, quem aduentum illustrabit pater. Et in symbolo filius dicitur aduenturus in gloria patris, & in euangelio, deum nemo uidit aut nouit nisi filius. Similiter & in appendice epistolæ ad Romanos, dicitur solus sapiens deus, quum inibi bis fiat filij mentio, Prædicationem Iesu Christi, ac mox, per Iesum Christum. Deniq; quum toties Paulus nominatim patrem appellet deum, filium tantum dominum, neq; quisquã offendatur, quur hic trepidamus in consuetudine mystici sermonis? Hic in nõnullis desiderare cogor candorem Christianæ charitatis, æquis auribus audimus solũ deum patrẽ esse immortalem, & insectamur si quis pio sensu dicat solum Christum fuisse prorsus alienum ab omni contagio peccati.

In sempiternũ.) In superest. Et κράτος, potestatem quoq; significat, ut imperiũ. Proinde Ambrosius pro imperio legit potestas.

Diuitibus huius seculi.) τοῖς πλουσίοις ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, id est, Iis q sunt diuites in præsenti seculo. Non sublime sapere.) ὑψηλοφρονεῖν. Quod Ambrosius uertit superbe sapere. Significat autem elato esse animo & arroganter de seipso sentire.

In incerto diuitiarum.) ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, id est, In diuitiarum incertitudine.

Nobis omnia abunde.) πλουσίως. Rursum interpres non reddidit iucunditatem, quæ est in uocum affinitate πλούτου & πλουσίως. Quasi dicas, diuitiarum & diuitialiter, siue opulentiæ & opulente.

Bene agere.) ἀγαθοεργεῖν. Dictio composita est ex bono & opere, quasi dicas bene operari. Demiror quid legerit diuus Ambrosius qui reddidit hunc locum hoc pacto, In uolũtate bonorum operum, nisi forte legit ἐθελοεργεῖν.

Facile tribuere.) εὐμεταδότους εἶναι, id est, Faciles esse ad impartiẽdum. Ita legit Ambrosius, nisi quod omittit esse.

Thesaurizare.) ἀποθησαυρίζοντας, id est, Reponentes siue recondentes sibi.

Et ueram uitam.) Græcis est æternam uitam. Ambrosius tamen legit atq; interpretatur ueram uitam. Contra Chrysostomus legit æternam, nihil tamen adijciens in intepretatione, unde certo liqueat quid legerit. Theophylactus sine controuersia legit τῶν αἰωνίου ζωῆς, etiãsi nec is attingit enarrans, licet hoc non magni referat, quando non est alia uera uita, nisi uita immortalis. Nam uita impiorum mors est, & hæc uita breui finienda, cursus est ad mortem. *Diuersa lectio.*

Depositũ

Depositum custodi.) παραϰαταθήϰλω, id est, Quod tibi commissum est. Sentit autem hanc doctrinam quam illi & in initio cõmendarat. Et ita exponunt Græca scholia. Non enim uult aliquid addi traditis.

Vocum nouitates.) ϰενοφωνίας, id est, Vocum inanitates. Ambrosius & interpres legisse uidentur ϰαινοφωνίας. Quanquam Græca scholia per ε legũt. Nec enim hic agit de nouandis uocibus, sed de disputationibus superuacaneis. Ex interpretatione Chrysostomi non liquet, quid legerit. Theophylactus legit & interpretatur ϰενοφωνίας, id est, ματαιολογίας, non dissimulans tamẽ Chrysostomum uideri legisse ϰαινοφωνίας per αι diphthongum. Addit uideri, quod quemadmodum diximus ex illius enarratione non liquet quid legerit.

Falsi nominis.) ψευδωνύμου. Quasi dicas, falsõ nominatæ scientiæ. Nec enim est sciẽtia ubi fides non est. Et hæc omnia mire quadrant in hos quosdã spinosos theologistas. Nõ enim de omnibus loquor, & fortassis nulli tales futuri sunt. Et apte dixit, ἀντιθέσεις, oppositiones, quod omnibus de rebus inter istos mira sit digladiatio.

Promittentes.) ἐπαγγειλόμενοι. Cur non potius profitentes?

Circa fidem exciderunt.) ἠστόχησαν, id est, Aberrarunt, sicut antea uertit. Ductum aũt ab ijs, qui aberrant à scopo.

Gratia tecum.) Hoc Paulus suapte manu subscripsit, ut putat Ambrosius.

Annotationum in epistolam Pauli priorem ad Timotheum, per Des. Erasmum Roterodamum finis.

IN EPISTOLAM PAVLI AD TIMOTHEVM SECVNDAM, ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI. EX CAP. I.



Imotheo charissimo fil.) Hic non est γνησίῳ, ut in superiore, sed ἀγαπητῷ, id est, dilecto.

Gratia & misericordia.) In Græcis codicibus absunt conjunctiones. Tantum est, Gratia, misericordia, pax.

Gratias ago.) χάριν ἔχω, id est, Gratiã habeo. Nam ita mauult Valla. Et ad eũ modũ legit Ambrosius. Quanq; haud absurde Vala dubitat, an quis apte dicatur habere gratiam deo. Nam gratiam habere dicitur, qui animum habet referendi beneficij, Sed gratias agit etiam is qui non cogitat de referendo, tantum declarat animum gratum ac memorem.

A progenitoribus meis.) ἀπὸ προγόνων, id est, A progenitoribus, siue à maioribus. Ambrosius legit, à proauis. Significat enim Paulus se natum ex ijs, qui longa retro serie fuerint cultores dei. Nam meis pronomen, redundat, additum apud nos explanandæ rei gratia. Progenitorum autem uocabulum non solum complectitur parentes, sed superiores etiam nominibus carentes. Et seruio non est δουλεύω, sed λατρεύω, id est, Quem colo. Nam hoc quoq; significat λατρεύω, Colebat & in Iudaismo, sed impura conscientia.

Fidei quæ in te est non ficta.) Melius Ambrosius, Eius quæ in te est synceræ fidei.

Recordationem.) ὑπόμνησιν, id est, Commonitionẽ: cum aliquid suggeritur memoriæ, ne ueniat in oblitionem.

Matre tua Ethnice.) Eunice, ut habetur & in nostris exemplaribus uetustissimis, uel potius Eunica, à uictoria dictum uocabulum. Est autem nomen meretriculæ apud Theocritum

critum. Carrensis homo diligens, interpretatur Etnicem Græcis sonare fortunatam. Is qui sic primum interpretatus est, legit Eutyche, aut aliud somniauit. *Carrensis.*

Certus sum autem quod & in te.) πέπεισμαι δὲ, ὅτι καὶ ἐν σοὶ, id est, Persuasum autem habeo, quod & in te, scilicet est ea fides.

Quod & in te.) Hic Græce colon est, ut subaudias habitat.

Admoneo te.) ἀναμιμνήσκω, id est, Commonefacio, seu potius redigo in memoriam.

Resuscites.) ἀναζωπυρεῖν. Quod est proprie ignem iam conditum, ac sopitū suscitare. Ambrosius legit, Vt recrees donum dei.

Sed uirtutis est.) δυνάμεως, id est, Potētiæ & roboris ac fortitudinis. Et quod modo uertit timoris, Græce est δειλίας, quod & ignauiam sonat, animíq; imbecillitatem. Cæterum σωφρονισμῦ quod noster uertit sobrietatis, Augustinus alicubi legit cōtinentiæ, hic crebro uertit pudicitiæ. Sobrietas autem plura cōplectitur, Nec enim sanus est qui luxu, somno, amore, odio simíliúe affectu tenetur.

Gratiam dei.) χάρισμα, id est, Donum. Et ita Ambrosius. Mirum quod Græcum exemplar secutus Ambrosius legat, Noli itaq; erubescere in testimonium domini nostri, neq; in me uinctū eius. Atq; ita legisse propemodum declarat illius interpretatio in qua habetur: Non est enim unde erubescatis in ea. Etiamsi in euangelio legimus, Qui confessus fuerit in me &c. Sed mirum est hanc sermonis formā hic affectatam, cum apud Græcos non sit.

Collabora.) συγκακοπάθησον, id est, Simul affligere cum euangelio, & particeps esto afflictionum quæ prædicationem euangelij comitantur.

Qui nos liberauit.) τῷ σώσαντι, id est, Qui nos saluos fecit, aut seruauit. Ita & Ambro.

Vocatione sua.) Sua, non est in Græcis codicibus, ne in uetustis quidem exemplaribus aliquot, nec apud Ambrosium, nec apud Chrysostomum in interpretatione: tantum est, uocatione sancta. In utroq; Constantiensi habebatur sua, sine sancta. Nec secūdum opera. Ambrosius legit merita pro opera.

Ante tempora secularia.) ἀιωνίων, id est, Æterna. Sic enim notat uniuersum tēpus, quod cœpit ab orbe condito. Mirum est quem autorem secutus Aquinas, dicat seculum esse mille annorum, cum ludi seculares centesimo quoq; anno soliti sint instaurari: & addit mille annos esse hominis ætatem, quod tam diu uiuere dicatur homo quamdiu durat illius memoria, sed illam non porrigi ultra mille annos. At quot milia sunt hominū, quorum nunc memoria celebrior est, quàm ante mille annos fuerit illorū uita? Et quotusquisq; est cuius memoria duret usq; ad annos ducentos. Quorsum autem attinebat hic facere mentionem annorum, quum loquatur de æterna prædestinatione quæ tēpus nescit? Quoties Paulus excludit operū fiduciam, cōmendans dei gratiā, & sunt hodie, qui abhorrentes ab huiusmodi sermone iactant bona opera sua, nec gratiæ nec fidei laudem ferentes sat æquis auribus. *Aquinas expensus.*

Per illuminationem.) διὰ φωτὸς ἐπιφανείας, id est, Per apparitionē, quod superius uertit aduentum. Quanquam epiphania nonnunquam illustrationem sonat, ut & ἐπιφανὴς, illustris. Atqui interpres non reddidit Græcarum uocū affinitatem φανερωθῆσα & ἐπιφανείας. Quasi dicas, illustrata est per illustrationem Iesu Christi.

Destruxit quidem mortē, illuminauit autē uitam.) καταργήσαντος, id est, Qui aboleuit, & obliterauit: & φωτίσαντος, id est, In lucē produxit. Nam hæc duo inter se cōposuit ueluti pugnantia. Mors regnabat, ei regnum abrogatum est. Latebat uita, ea per Christū emicuit.

In quo.) εἰς ὃ, id est, In quod, nempe euangelium.

Prædicator.) κῆρυξ, id est, Præco, potius quàm prædicator.

Magister gētium.) διδάσκαλος, id est, Doctor. Tria sibi uindicat. Præco palàm euulgat, apostolus nihil celans, exequitur quod commissum est, doctor reddit rationem ut persuadeat. Hanc autoritatem deo tribuit, In quod positus sum, & cōfirmat argumento, ob quam causam etiam hæc patior. Nunc multi disputando doctores sunt, non patiendo.

Non confundar.) οὐκ ἐπαισχύνομαι, id est, Non erubesco, siue non pudet me.

Scio enim cui credidi.) Non est sensus Græci sermonis, Paulum non ignorare, cui confisus esset. Verum hæc est sententia, Scio quod is cui credidi, potens est seruare depositū meum, οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα. καὶ πέπεισμαι, ὅτι δυνατός ἐστιν. Nam si prior esset sensus, non diceret ᾧ, sed τίνι. Quanquā potest & hic esse sensus, Noui enim eum cui credidi, & certus sum *Verus sensus*

quod potens sit. Cum ego eandem sententiam reddiderim explanatius, quàm reddidit interpres, miror cur quidam hunc locum magnis conuicijs putarit insectandum, quasi non intellexerim quid Paulus sentiret. Quanquam in prima æditione librariorum errore, quod coniunctio fuerat per incuriam relicta, secundo loco, pro quo nos habemus quia. Denique siue legas, noui eum cui credidi, & certus sum quod is potens est &c. Siue coniunctim, scio certusq; sum, quod is cui credidi potens est, &c. eadem fermè redditur sententia.

Formam habens.) ὑποτύπωσιν ἔχε, id est, Formam habe, siue exemplar habe, hoc est, alijs formam propone pie uiuẽdi. Ambrosiana lectio hoc loco nõnihil discrepat tum à nostris, tum à Græcis. Sic enim legit, Formam habens sanorum uerborum quæ à me audisti in fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu. Bonum commendatum custodire per s.l.q.h.i.n. Et belle quadrat, si custodire dictum sit pro custodi.

Sanum egrotare Græcis quid.

Sanorum sermonum.) ὑγιαινόντων. Quicquid probant id Græci uocant ὑγιὲς. unde & prouerbium, ὑγιὲς οὐδὲν ἒμ, cum omnia displicent. Contrà, cum res cum uitio cõiuncta est, aiunt, τὰ πάντα νοσεῖμ. & ὑγιαίνειν iubemus eos, in quibus desideramus sanam mentem.

Scis enim hoc.) Enim, redundat.

Auersi sunt à me.) ἀπεστράφησάν με, id est, Auersati sunt me, hoc est, aspernati sunt. Ambrosius legit auersati, non auersi. Et nemo dicit, auersatus est à me: unde suspicor præpositionem à librario adiectam.

Omnes qui in Asia sunt.) πάντες οἱ ἐν τῇ ἀσίᾳ. Potest legi & erant: nam tempus non exprimitur Græcis uerbis.

Philetus pro phygellus.

Philetus.) φύγελλον, id est, Phygellus, atq; ita legitur in peruetustis exẽplaribus Latinis. itaq; citatur à diuo Hieronymo in epistola de uestibus Aaron. Et ita legit Ambrosius.

Cũ Romã uenisset.) γενόμενον ἐν Ῥώμῃ, id est, Cũ esset Romæ. Atq; ita legit Ambrosius.

Sollicite.) σπουδαιότερον, id est, Studiosius. Ambrosius submonet πλουσιονομασίας in εὑρε & εὑρεῖν, repperit in afflictiõibus quẽ q̃rebat, reperiat & in die iudicij misericordiã q præstitit.

Et quanta Ephesi.) καὶ ὅσα, id est, Et quæ, siue quæcunq;, aut potius in quibuscunq;.

EX CAPITE SECVNDO.



Onfortare.) ἐνδυναμοῦ, id est, Fortis aut robustus esto, aut corroborare, Nam confortare quidam negant esse Latinum.

Labora sicut.) σὺ δὲ κακοπάθησον, id est, Tu igitur feras afflictiones: nam hoc significat κακοπαθεῖν, ut modo admonuimus.

Superest apud nos.

Nemo militans deo.) Deo, redundat: etiamsi additur apud Ambrosium, non tamen in interpretatione. Apud Chrysostomum in primo contextu nõ additur deo, nec apparet ex interpretatiõe quod addiderit. Adhibet enim Paulus hoc simile à militibus sumptum, quorum nemo curat rem domesticam, posteaquam sacramento fuerit addictus militiæ, sed imperatoris sui negocium agit. Multo magis id conuenit facere eum, qui militat euangelio. Porrò has ceu parabolas adhiberi, planissime testatur interpres Chrysostomus. Theophylactus nobiscum certe legit implicat, non implicet, nec addit deo, licet interpres de suo addiderit.

Implicat se.) ἐμπλέκεται, id est, Implicatur. Quanquam huiusmodi passiua subinde uertit per pronomina reciproca. Sed deprauatius qui legunt implicet imperandi modo. Non enim iubet ne se implicent, sed negat eos deo militare qui sese inuoluunt.

Victus quod ad uitæ pertinet necessitatem.

Negocijs secularibus.) ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, id est, Vitæ negociatiõibus, aut occupationibus. Porrò βίος uictum magis sonat quàm uitam. Et apud iureconsultos uictus nomine continetur & uestis. Qui militat, non est sollicitus de uictu, rem uictoriæ agit, de uictu prospicit imperator.

Vt ei placeat, cui se probauit.) ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ, id est, Vt ei qui se militem delegit placeat, hoc est, ei cuius spiritu delectus est & adscriptus ad hanc militiam. Fortassis interpres uertit, ei qui se probauit, licet Ambrosius legit atq; etiam interpretatur, cui se probauit, id sentiens ut apparet, cui se concredidit. Chrysostomi interpres legit, qui se elegit.

Diuersa lectio.

Nam & qui certat in agone.) ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, id est, Sí uero & certet aliquis. Verbum est unde dicuntur athletæ: nam ab ijs quoq; ducit simile.

Non coronabit.) οὐ στεφανοῦται, id est, Nõ coronat, suffragãte Ambrosio, hoc est, nõ satest

quomodocunq;

quomodocũq; certare,ſed ita certãdũ ut uincas. Suffragabat codex Cõſtantiẽſis uetuſtior.

Laborantem agricolam.) Video Græcos etiam interpretes nonnihil hærere hoc in loco, ſed mea ſententia ſermonis ordo paulo perturbatior,obſcuritatem adduxit orationi:ea tolletur,ſi κοπιῶντα ſit præteriti temporis,& ab eo pendeat aduerbium πρῶτον, id eſt,prius,& non ad infinitum uerbum quod ſequitur λαμβάνειν. Vt ſententiam ad hũc ordinemus modum:Oportet agricolam accipere fructus,ſed ſi prius laborarit. Tres enim adhibuit parabolas,militis,athletæ,& agricolæ,quorũ unuſquiſq; cæteris curis omiſſis,ſuum munus gnauiter obit. Neq; deeſt præmium, ſi ſuo quiſq; prius functus fuerit officio. Equidem opinor hoc ſenſiſſe Paulum,licet diuerſam ſententiam ſequatur Ambroſius,interpretans,eum primum debere ſumere qui primus eſt,ac deinde diſtribuere reliquis. Chryſoſtomus bifariam interpretatur. Cæteri athletæ non capiunt præmiũ,niſi parta uictoria. Agricola & dum colit terram nonnihil interim fructus percipit,expectans in poſterum copioſiorem prouentum. Aut agricolæ,quoniam cum diuite fideliq; terra commercium habet, nõ interuertitur ſuum præmium,ipſe primus capit,qui colit.

Dabit enim tibi dominus.) Græce non eſt dabit,ſed δῴη, id eſt,Det,quod eſt precantis, Ad eum modũ palàm enarrat hunc locũ Chryſoſtomus, cum dicat Paulum paterno affectu non deſinere precari bona Timotheo,ceu timentem filio chariſſimo. Tametſi interpres Chryſoſtomi noſtram ſecutus æditionem,uertit dabit, pro det. *Dabit p det.*

In quo laboro.) κακοπαθῶ, id eſt, Affligor,quod ſuo more ferè transfert laboro. Quanq; non ſum neſcius,& apud Latinos laborare aliquoties ſic accipi, ut ſit idem quod in rerum difficultatibus uerſari. Quaſi male operans.) ὡς κακοῦργος, id eſt, Vt maleficus,aut facinoroſus. Miror quod exemplum ſecutus Ambroſius uerterit,quaſi latro. Nihil enim ſimile in κακοῦργος & λῃστὴς,quod magis ſonat facinoroſum. Quanquam in euangelio conſtanter hic interpres κακοῦργους uertit latrones,ut illic indicauimus. *Latro κακοῦργος ſic & in euãgelijs.*

Non eſt alligatum.) οὐ δέδεται, id eſt,Non fuit alligatum. Eſt autem alluſio feſtiua in Græcis uocibus δεσμῶν & δέδεται, id eſt, Vincula & uinctum fuit.

Cũ gloria cœleſti.) αἰωνίου, id eſt, Æterna. Interpres & Ambroſius legiſſe uidentur οὐρανίου.

Fidelis ſermo.) Rurſum eſt πιστὸς ὁ λόγος, Quæ uerba Paulus ſuo more præmittit, dicturus rem certam & indubitatã,aut ſubijcit,uelut aſſeueratione cõfirmans quod dixit. Quanquam Ambroſio non adduntur hoc loco.

Si negauerimus.) εἰ ἀρνούμεθα, id eſt, Si negamus,in quo modo ,pnunciauit & ſuperiora.

Si non credimus ille fidelis eſt.) Nec hoc loco ſeruata eſt Græcarum uocum affinitas,ἀπιστοῦμεν, πιστός, id eſt, Diffidimus, fidelis ſiue fidus.

Noli contendere uerbis.) λογομαχεῖν. Dictione compoſita, id eſt, pugnare uerbis:uerbũ cognatum ei nomini quod ante uertit Pugnas uerborum. *λογομαχεῖν.*

Nihil enim utile eſt.) εἰς οὐδὲν χρήσιμον, id eſt,Ad nullam utilitatem. Iam enim nouũ eſſe nõ debet,adiectiuũ uſurpari loco ſubſtantiui,niſi malis hãc particulã p parẽtheſin interſeri.

Niſi ad ſubuerſionem.) Et niſi,redundat. & ad ſubuerſionem refertur ad illud ſuperius, noli pugnare uerbis,ſiue ut Apuleius loquitur uerbigerari,ut illud, Ad nihil utile,per parentheſim interſeratur,ſi ſubaudiatur uerbũ ſubſtantiuũ eſt. Quanq; interpres & Ambroſius quo ſenſus eſſet dilucidior,unum & alterũ uerbum de ſuo addiderunt. Sic autẽ ordinandus eſt ſermo:Hæc admone,conteſtans coram domino,ne uerborum pugnas ſequantur,nulla utilitas, ad ſubuerſionẽ audientiũ. Cæterũ infinitum quod interpres retulit ad Timotheum, haud ſcio an rectius accõmodetur ad cæteros omnes,ut hoc ipſum ſit,quod illos admonet per Timotheum,ne inter ſe friuolis quæſtiunculis depugnẽt, cum Chriſtiana philoſophia nõ ſit ſophiſtica diſputatio,ſed uita pura & Chriſto digna. Siquidem Timotheo non timebat ab hoc morbo,ſed animat eum ad cõtemnendos eos qui tali morbo tenebantur. *Ordo.*

Sollicite autem cura.) σπούδασον ἑαυτὸν. id eſt, Stude teipſum &c. Auguſtinus legit, Satisage pro ſtude. Nec eſt τὸ autem,uel apud Græcos,uel apud Ambroſium.

Probabilem exhibere.) δόκιμον, id eſt, Probatum: ſiue probum.

Operariũ inconfuſibilem.) ἀνεπαίσχυντον, id eſt, Qui non pudefiat, ſiue erubeſcat. Quanquam Ambroſius legit, non impudoratum. Porrò impudoratos uocari, qui contentionibus nituntur: uelut hoc pertineat ad diſputationes contentioſas, quas pugnas uerborum

appellat,quod in his nemo uelit cedere,sed sua quisq; pertinacissime tueatur,& alius alium conspuat. Augustinus libro primo contra Cresconium capite secundo:Non erubescentem legit pro inconfusibilem.

ὀρθοτομοῦντα. Recte tractantem.) ὀρθοτομοῦντα. Sonat quasi dicas, recte secantem. Et scholia Græcorũ admonent metaphoram sumptam à securi aut gladio,quo resecantur inutilia & superuacanea. Est prouerbiũ de Tenedia bipenni,quod si quis legat, melius intelliget huius loci sensum. Incidit enim sermo ueritatis,cum in huiusmodi disputationibus ueritas amittatur,& spinis quibusdam inuoluatur. In hanc sententiam,cum interpretentur magno consensu ueteres orthodoxi,tamen uisum est cuidam incessere quod nos pro tractantem uertimus secantem,nequaquã reprehendentes quod uerterat interpres,sed dilucidius explicãtes quod scripsit ac sensit Paulus. An recte tractare sonet Græcis ὀρθοτομεῖν in præsentia non disputo,fortassis interpres nõ habebat alias uoces, quibus redderet Græcam. Certe Ambrosianam interpretationẽ,nemo prorsus intelliget,nisi Græcæ uocis emphasim teneat. Huius cõmentum subscribam,quandoquidem mihi uidetur, non in hunc usum tantum cõducibile. Quoniã sunt aliqui qui dicunt cõtentionem audientibus prodesse, apostolus autem sciens magis obesse,hoc mandat, ut unusquisq; hoc curet,ut spreta altercatione semetipsum probabilẽ faciat,& impuderatos appellans eos,qui contentionibus nitũtur. Necesse est enim, ut contentio extorqueat aliquid, imò multa quæ dicantur contra conscientiam, ut intus,in animo perdat,foris uictor abscedat. Nemo enim patitur se uinci, licet sciat uera quæ audit. Recte autem tractat & bona conscientia,qui uolentibus loquitur & pacificis. Collatio ergo inter dei seruos esse debet nõ altercatio. Hactenus Ambrosius. Qui quod hic monet, idem plurimis in locis admonet Chrysostomus. A qua quidem regula quãtum absint qui hodie uirulentis libellis,ac linguis sese lacerant,tam impie crudeles in proximum, quàm turpiter adulãtes erga principes,uiderint alij. Certe liquet Ambrosium interpretari quid sit recte secare,qui amputat cõtentiosa,& relinquit placida atq; utilia, recte secat, nimirum amputatis ijs,quæ noxia sunt. Chrysostomus scribit hũc in modum:Complures enim illud undiq; lacerant atq; discerpunt,plurimaq; illi immiscent noxia germina. Non ait dirigentem,sed recte tractantẽ,ac si dicat Amputa quæcunq; adulterina oriuntur,& cætera huiusmodi, summa cũ uehementia incumbe,ut resecentur. Atq; uelut in loris atq; corrigijs superflua quæq; atq; à prædicatione aliena,gladio spiritus abscinde. Hactenus Chrysostomus. Huic ita succinit Theophylactus:Recte tractantem uerbũ ueritatis:Etsi,inquit,plerisq; id uerbũ discerpunt,traducũtq; aliò,tu tamẽ idipsum recte pertracta. Vel pertracta,inquit,hoc est, dirige & circũcidito inutilia quæq;,& deme gladio sermonis & uerbi,quæ ab euãgelij sunt prædicatione aliena. Nec hinc abhorret glossema quod in rhapsodia,quã nescio qua de causa uocant ordinariã,interiectũ est in spacio dirimente uersus,sic habet,haud scio an ex Bedæ cõmẽtarijs decerptũ:Secundum cõpetentiam singulorum ut altis spiritalia,Lac distribue paruulis. Videmus omnes exponere Græcæ uocis Emphasim,quæ à secando dicatur,cum nulli Latinorum tractare significet secare. Sed Tomi Græcis dicũtur uolumina,quæ Latini uocant tractatus,fateor,sed Tomi dicuntur à secando,quod olim in pellibus scribebãt, in hoc resectis,ut conuolui possent in surculum. Sed tractantur etiam quæ uerbis disputantur.

Prophana autem.) βεβήλους. Quam uocem superius uertit inepta.

Et uaniloquia.) Copula &,redũdat. κενοφωνίας, id est,Inanes uoces. eadem uox quam superius uertit uocum nouitates:& hoc quoq; loco Ambrosius ita legit καινοφωνίας,id est,nouitates,consentiente & Chrysostomo. Cæterum. κενοφωνίας uerti poterat,inaniloquia. Imò sic hoc sane loco uertit interpres. Germanam lectionem adhuc retinent duo Constantienses,& alij minus deprauati.

Deuita.) περιΐσασο. Quod tametsi significet abscide, tamen quoniam Græca præpositio ancipitis est naturæ,melius hoc loco uertas,supersedeto,siue prætermittas. Græca scholia bifariam exponunt, aut reijce, aut insta uehementer,ut coërceantur. Opponitur enim quod modo dixerat ὀρθοτομοῦντα,recte secantem & dijudicat rem,reiectis & recisis altercationibus superuacaneis, quibus lites non finiuntur, sed aluntur ac augentur. Dictu mirum quo spiritu Paulus præsenserit, & quàm graphice depingat inextricabiles Theologistarũ quæstiones. Et admonet Ambrosius Christianorum disputationes collationes esse debere,non altercationes.

altercationes. Et Chryſoſtomus ubiq; deſtomachatur in hoc hominum genus, & tamē ille nondum audierat noſtras diſputationes de filiationibus, de relationibus, de inſtātibus: ne quid adijciam quod iuſtius, ſed periculoſius dici poterat. *Anxiæ quæſtiones.*

Proficiunt ad impietatem,) προκόψουσι, id eſt, Proficient, futuri temporis, & ita legit Ambroſius ſuffragantibus uetuſtis exemplaribus, Nec tam eſt multum, quàm amplius. Porrò quod dicit, inaniloquia proficere ad impietatem, non omnino id ſentit Paulus, quod fortaſſe uerba Latina ſonant, huiuſmodi diſceptationes adducere nos ad impietatem. Verum id ſentit diſceptationes huiuſmodi, quo magis admittuntur, hoc magis ſerpere & creſcere ad maiorem impietatem, gliſcentibus indies contentionibus ambitioſis. ἐπὶ τὸ πλεῖον ἀσεβείας, id eſt, Ad maiorem impietatem. Atq; in hūc modum Græcanica ſcholia interpretantur, & optime congruunt ea quæ ſequuntur.

Vt cācer ſerpit.) Cācer hoc loco morbꝰ eſt γάγγραινα. Ne quis animal hoc loco putet eſſe. *Cancer morbus.*

Serpit.) νομὴν ἕξει, id eſt, Paſtionē habebit, ut conueniat cum uerbo proficiet, quod eſt futuri temporis. Porrò morbus is depaſcitur locum quem occupauit: unde ſtatim arcendus.

Qui à ueritate exciderunt.) περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν, id eſt, Circa ueritatem aberrarunt, de quo uerbo ſuperius admonuimus. Nam ἀστοχεῖ, qui non attingit, quod deſtinabat attingere, ueluti ſcopum, aut aliud ſimile.

Cognouit dominus.) Hoc additum apparet, uelut exemplū ſignaculi, quod palàm declarat Chryſoſtomus & huic libenter accinens Theophylactus, hunc enarrans locum. Vnde minus quadrat, quod legitur in Ambroſianis codicibus, Cognouit enim dñs. Quanq; ad eundem modum refert Auguſtinus libro de Catechizandis, capite ſecundo. Et Chryſoſtomus putat teſtimoniū hoc deſumptum ex libro Deuteronomij, quod tamen nihil officit annotationi noſtræ. *Enim, ſupereſt.*

Et ſubuerterūt.) ἀνατρέπουσιν, id eſt, Subuertūt. Perſiſtebāt enim adhuc in ſuo peruerſo ſtudio. Sic adducit Auguſtinus lib. cōtra Fauſtū iiij. cap. ij. iuxta fidē uetuſti uoluminis manu deſcripti, quod nobis exhibuit honorabile collegiū canonicorum Martinenſiū Louanij.

Qui ſunt eius.) τοὺς ὄντας αὐτοῦ, id eſt, Qui ſunt ſui. Atq; ita citat diuus Hieronymus in Zachariam. Tolerabile eſt quod legit Ambroſius epiſtola prima, Cognouit dominus, qui ſunt ipſius: quod ipſe, ad reciproci pronominis naturam proxime accedit.

Et diſcedit.) Diſcedat ἀποστήτω. Atq; ita legit Ambroſius, atq; ipſe etiam Aquinas, conſentientibus uetuſtis exemplaribus. *Diſcedit pro diſcedat.*

Qui inuocat nomen.) ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα, id eſt, Qui nominat nomen, quemadmodum habēt & antiqui codices. Siquidē in exemplari Paulino euidens raſura teſtatur, aliud fuiſſe ſcriptum. Et in codice Donatianico ſine raſura ſcriptum erat, Qui nominat nomen domini. Suffragabatur utrunq; Conſtantienſe. Theophylactus & legit & exponit nomen nominat, licet interpres Latinus conſtanter infulſerit pro nominat inuocat. Auguſtinus, loco quem modo citauimus, refert, Qui inuocat nomen domini. Tametſi in quibuſdam Græcorum exemplaribus additum erat χριστοῦ, atq; ita legit Chryſoſtomus, niſi mendum eſt, Nam Theophylactus legit κυρίου, quod mihi magis probatur, Nam dominum nullus agnoſcit niſi ſeruus illius. Alijs enim uerbis apoſtolus retulit ſentētiam quæ eſt 1. Corinth. 12. Nemo poteſt dicere dominum Ieſum niſi in ſpiritu ſancto.

Et alia quidem in honorem.) Dilucidius erat, Hæc quidem in honorem, illa uero in ignominiam: ut hæc referat proxima, nempe lignea ac teſtacea, illa aurea & argentea. Carēt enim Græci huiuſmodi pronominum proprietate. Quod ſi ſchematis decus uoluiſſet interpres reddere, dicendum erat, In decus ac dedecus τιμὴν, ἀτιμίαν.

Si quis igitur purgauerit ſe.) ἐκκαθάρῃ. Chryſoſtomus notat uerbi præpoſitionem quaſi plus ſit ἐκκαθάρῃ quàm καθάρῃ.

Et utile domino.) Et, redundat. εὔχρηστον, Quod ſonat accommodum uſibus domini.

Ad opus bonum paratum.) Paratum, hoc loco participium eſt ἡτοιμασμένον. Vt intelligas non promptum, ſed à domino in hunc uſum præparatum.

Fidem ſpem.) Spem, nec eſt in Græcis, nec in antiquis Latinorū codicibus, nec eſt apud Ambroſium, nec apud Theophylactum, nec apud Chryſoſtomum, ſiue ſpectes contextū, ſiue excutias interpretationē, ne in codice quidem Donatianico quem in tertia æditione

habuimus in consiliis. Nec in duobus è Constantia missis. Ambrosius cum Græcis tãtum tria ponit, fidem, charitatem & pacẽ. Fides excludit ambitiosas disputationes, charitas non quærit quæ sua sunt, ex his pax alitur. Et pacem.) Et copula redundat.

Sine disciplina quæstiones.) ἀπαιδεύτους ζητήσεις, id est, Ineruditas quæstiões. Atq; ita uertit Ambrosius. Et rursum deuita est παραιτοῦ, in quo mirum illum nõ meminisse suæ copiæ. Sonat autem reijce, & aspernare, nec admitte.

Generant lites.) μάχας, id est, Pugnas. Eleganter autem huiusmodi disputationes rixosas, pugnas uocat.

Non oportet litigare.) μάχεσθαι, id est, Pugnare. Et rursum paulo post, μάχεσθαι uertit, litigare. Tametsi non admodum mutatur sententia, tamen perit emphasis metaphoræ.

Docibilem esse.) διδακτικὸν, id est, Idoneum ac paratum ad docendum, magis quàm imperiosum. Nunc quidam cogere malumus quàm docere.

Patientem.) ἀνεξίκακον, id est, Tolerantem malos siue mala. Plus enim significat uox Græca quàm tolerantem.

Cum modestia.) ἐν πραΰτητι, id est, In mansuetudine seu lenitate. Potest enim utróuis referri, uel ad superiora, Tolerantem malorum in lenitate, uel ad inferiora, erudientem in lenitate. Quanquam non inficias eo παιδευτὴν nonnũquam sonare corripere.

Supereſt in noſtris. Qui resistunt ueritati.) Veritati, redundat, nec est apud Ambrosium. Nam is quidẽ ad hunc legit modum, Corrigentem eos qui diuersa sentiunt.

Ne forte det.) μήποτε δῷ, Nequando det. Quanquam si Latine loqui uoluisset interpres, dixisset, si quãdo. quod μὴ apud Græcos non semper est negãtis aut prohibentis, sed nonnunquam dubitantis, ut apud nos, num aut si. Senfit orationis incommodum Augustinus. Proinde libro quem inscripsit de singularitate clericorum primo, capite decimoquarto interpretatur, ne quando det, ut aliquando det.

Ne quando, pro ſi quando.

Et resipiscant.) ἀνανήψωσιν, id est, Redeant ad sobrietatem, uel expergiscantur: utrumque enim significat νῆφειν.

Diaboli laqueis.) Græcis est laqueo, numero singulari.

A quo captiui tenentur.) ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ. significat autem proprie uiuum capi in bello. nam hinc Græca uox composita est, sicut & aliàs admonuimus.

EX CAPITE TERTIO.

Erunt.) Erunt enim, ἔσονται γὰρ.

Seipsos amantes.) φίλαυτοι, id est, Sui amantes, & sibi placẽtes, hoc est, suis cõmodis studentes. Vnde dicta φιλαυτία, cæcus, ut inquit Flaccus, amor sui. Id Ambrosius ita reddidit, Erunt homines sui tantũ amatores. Nos super hac dictione φίλαυτος copiosius disseruimus in Chiliadibus nostris. Hugo Carrensis planè theologice explicuit hãc uocem, cuius equidem uerba suo flore subscribam: Sicut, inquit, solet dici de ribaldo, qui quando magnum frigus est, amplectitur se brachijs, ut sic calefaciat se quoquo modo, & dicitur derisorie, iste ribaldus multum diligit se, qui sic se amplectitur brachijs. An non flagitium fustuario dignum, sic nugari in adorandis literis, idq; tam indocte, nõ solum impie? Et tamen hæc legunt attoniti qui Moriæ lusum ferre nõ possunt. Saltem qui tam impense fauẽt Carrensi negent hæc ab ipso scripta, sed ab illius sodalibus parum sobrijs addita.

Hugo Carrenſis.

Cupidi.) φιλάργυροι, id est, Cupidi pecuniæ. auari legit Ambrosius.

Elati.) ἀλαζόνες, id est, Gloriosi, ut ipse interpretatus est Plautus. Ambrosius legit, insolentes. Hieronymus in Michæam legit, fastidiosi. At suspicor scriptum fuisse, fastuosi. Non damno quod uertit interpres, sed tamẽ elatus esse potest qui non sit ἀλαζὼν, qui fastu se iactat ac uenditat, cum sit inanis rerum bonarum.

Parentibus non obedientes.) ἀπειθεῖς, id est, Immorigeri, siue intractabiles.

Scelesti.) ἀνόσιοι. Quod rectius Ambrosius uertit, impij. Dici possunt & impuri.

Sine affectione.) ἄστοργοι. Quod ꝓprie significat eos q nullo affectu sunt in suos, puta filios, aut famulos, aut uxorẽ. Deploratissimi sunt eũ in qbus etiã naturæ affectus obsoluerũt.

ἄσπονδοι fœdifragi.

Sine pace.) ἄσπονδοι. Quod Ambrosius uertit, sine fide. σπονδὴ fœdus significat & amicitiam, quod refertur ad alienos, & non domesticos, cum quibus boni, fœderibus & amicitiæ

uinculis copulantur,quibus natura cõiuncti non sunt.Gradus enim aliquot attigit, Parentibus immorigeri,quæ est impietatis species,erga deum impij ἀνόσιοι,erga benemeritos ingrati,erga propinquos ἄστοργοι,erga amicitiæ fœdere iunctos ἄσπονδοι.

Criminatores.) διάβολοι,id est,Calumniatores,siue delatores.

Sine benignitate.) ἀφιλάγαθοι.Quod ita sonat,quasi dicas,nõ amici bonis.Sic interpretantẽ Græcanica scholia.Ambrosius uertit,bonorũ inimici. Cyprianus, bonũ nõ diligentes.

Proditores.) προδόται,id est,Desertores amicitiæ & sodalitatis.

Proterui.) προπετεῖς,id est,Præcipites,siue temerarij.

Tumidi.) τετυφωμένοι,id est,Inflati.Quanq; haud male interpres uertit:eosdem & turgidos uocamus.Ipsum esse suspicor,quod Cyprianus aliquoties reddit,stupore elati.

Cæci.) Cæci,nec est in Græcis,nec in Latinis exemplaribus antiquis,nec apud Chrysostomum,nec apud Ambrosium. Opinor hanc uocem sic irrepsisse, quod sciolus aliquis in margine asscripserit, ueluti corrigens,pro τετυφωμένοι, τετυφλωμένοι. Quorum prius sonat elatos,posterius cæcatos. *Supereſt in noſtris cæci,*

Et uoluptatum amatores.) φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι.Longe uenustius dixit Græce, dictionibus compositis,id est,uoluptatum amantes,magis quàm amantes dei.Cyprianus legit,uoluptatem magis quàm deum diligentes. Tantum agmen uiciorum sequitur philautiam.Eam pestem reddit insanabiliorem addita pietatis simulatio.

Speciem pietatis.) μόρφωσιν.Quasi dicas,formationem. Notat enim eos,qui dictis norunt alijs præscribere,quomodo debeant pie uiuere,cum ipsi diuersa sequãtur. Cyprianus legit,deformationem religionis.

Virtutem autem.) δύναμιν.Vim hoc loco melius uertisset,aut opponatur speciei.

Abnegantes.) ἠρνημένοι,id est,Inficiati,nam præteriti temporis est,id est,Qui abnegarũt.

Et hos deuita.) ἀποτρέπου,id est,Auersare,quod est plus q̃ deuita:neq; enim est illud παραιτοῦ,quod solet uertere,deuita. Qui penetrant.) ἐνδύνοντες,id est,Qui subeũt.Ambrosius legit,Qui irrepunt:uerum hoc non male uertit interpres.

Oneratas peccatis.) σεσωρευμένα,Quasi dicas accumulatas,& aceruo peccatorũ obrutas.

Ad scientiam ueritatis peruenientes.) ἐλθεῖν δυνάμενα,id est,Venire potentes.

Iamnes & Mambres.) Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς, id est,Iannes & Iambres, quos Chrysostomus ait fuisse duos magos Ægyptiorum,qui portentis ædendis certarint cum Mose,quãquam in Exodo non addantur illorum nomina, sed quæ Paulus acceperit ex traditione Iudæorum,quam ἄγραφον uocant,aut certe à spiritu sancto. Quasi uero hoc tantopere retulerit scire magorũ nomina. In Hebraicorum nominũ interpretatione legimus utrũq; Mambres & Iambres similiter expositum, quasi nihil interfit Iambres sones aut Mambres. Hoc recte an secus scriptum sit,par est periculum esse penes autorem potius quàm penes iudicem. *Iambres Mambres.*

Sed ultra non proficient.) οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον. Ambrosius legit,Non proficient amplius.Quod noster uertit insipientia, Ambrosius ignorantia. ἄνοια magis est amentia, siue dementia,atq; ita uertit interpres Chrysostomi.

Assecutus es.) παρηκολούθησας.Quod non proprie significat assecutus es,hoc est,adeptus es.Alioqui qui quadrabit quod cõsequitur persecutiones & passiones.Nam hæc nemo dicitur assequi. Vnde magis intelligendum est à principio usq; ad finem adfuisti, & testis es omnium.Id enim significat παρακολουθεῖν,ut admonuimus & aliâs. In eum sensum interpretatur Theophylactus,unde nos uertimus assectatus es.

Qualia mihi facta sunt.) οἷα μοι,id est, Quæ mihi:nã οἷα pro ἃ Græcis usurpare mos est.

Antiochiæ.) ἐν Ἀντιοχείᾳ,id est,In Antiochia,nisi de ciuitate loquatur: ac de ciuitate, opinor, accipiendum.

Seductores.) γόητες,id est,Impostores.Ambrosius legit,deceptores.

Errantes & in errorem.) πλανῶντες καὶ πλανώμενοι,id est,Seducẽtes & seducti. Quod ita reddidit uel explanauit uerius Ambrosius,Ipsi errantes,atq; alios erroribus inuoluentes.

Quæ te possunt instruere.) σοφίσαι,id est,Erudire,siue sapientem reddere.

Per fidem quæ est in Christo Iesu.Deest in Ambrosio,uerũ id arbitror casu commissum.

Diuinitus inspirata.) θεόπνευστον,quod uerbo composito iucundius dixit Paulus.

Vtilis est.) Et utilis,addita cõiunctione καὶ ὠφέλιμον. Apparet subesse tacitam uim argumentandi

gumentãdi in cõiunctione. Scriptura ut eſt diuinitus inſpirata, & efficax eſt ad multa cum humana doctrina ſit inefficax. Aut ſcriptura eſt diuinitus inſpirata, & eadem eſt utilis &c. ut omnes referatur duntaxat ad ſcripturam canonicam.

Vis tacita in καὶ.

Ad corripiendum.) πρὸς ἐπανόρθωσιν, id eſt, Ad correctionem. Hoc loco diuus Ambroſius, πρὸς ἐπανόρθωσιν, uertit ad redintegrationem, pro quo noſtri codices habent, ad corripiendum. Sed haud ſcio an interpres ſcripſerit ad corrigendum. Et quod diuinaram in hac quarta æditione comperi in exemplaribus Conſtantienſibus, Ad corrigendum. Nam Græca uox ſonat erigere quod erat incuruũ. Niſi forte ἔλεγχος & ἐπανόρθωσις ad idem pertinet. Nam Ambroſius in exponendo utranq; ſententiam uidetur ſimul complecti. Sic enim ſcribit: Manifeſtũ eſt, quia omnis ſcriptura cuius deus autor oſtẽditur, utilis eſt. Ad hoc enim data eſt, ut proficiat imperitis, & inſtauret deformes, attrahens iniquos ad iuſtitiam, ut homo dei in omni opere bono perfectus ſit. Hactenus ille. Iam quod Paulus dixit, Ad doctrinam, hic exponit, ut proficiat imperitis: quod ait Ad redargutionem & correctionem, hic, ut inſtauret deformes. Deniq; quod ad eruditionem quæ eſt in ipſa iuſtitia, hic interpretatur, attrahens iniquos ad iuſtitiam.

Vt perfectus ſit homo.) ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, id eſt, Vt perfectus ſiue integer ſit is, qui eſt homo dei.

Inſtructus.) ἐξηρτισμένος, id eſt, Conſummatus & perfectus. Atq; ita legit Ambroſius. & conſentit Græcorum interpretatio.

EX CAPITE QVARTO.



Eſtificor corã.) διαμαρτύρομαι οὖν ἐγώ, id eſt, Teſtificor igit̃ ego ſiue obteſtor.

Deo & Ieſu Chriſto.) Deo dixit pro patre, ſed apud Græcos quoniam nõ additur domino, ſermo fit anceps. Etenim ſi complexim legas ſenſus eſt, Ieſum Chriſtũ eundem & deum dici & iudicem, Sin diſiunctim, dei nomẽ ad patrem pertinet, iudicis ad Chriſtum. In ſuperiore epiſtola cap. ſexto diſiunxit, Præcipio tibi coram deo qui iuſtificat omnia, & Chriſto Ieſu, &c. Nec hic additur domini cognomen, ac ſic aptius cohæret cum relatiuo quod ſequitur, qui.

Viuos & mortuos.) Aut prouerbiali figura dictũ eſt pro omnibus, aut pios & impios ſenſit, aut defunctos ante iudicij diem, & quos ille dies in uita deprehenderit. Quanta ſollicitudine Paulus obteſtatur ſuum Timotheũ. In priore epiſtola, dixerat, præcipio, hic obteſtor, quod eſt uehementius, & addit quod eſt terribilius, qui iudicaturus eſt uiuos & mortuos. Vtinam omnes epiſcopi ſic cogitarent, hanc obteſtationem cuiq; ſingulatim eſſe proditã, ſicut eſt re uera. Quid autem exigit cum tam religioſa obteſtatione? Serues mandatum ſine macula & irreprehenſibile, uſq; in aduentum domini, Prædica uerbum. Quid Paulo reſpondebimus paſtores ubi uentum erit ad iudicium, cuius nos commonefacit?

Et per aduentum.) κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν, id eſt, In aduentu, ſiue iuxta aduentum. Refertur enim ad participiũ iudicaturus in aduẽtu. Interpres legiſſe uidet̃ καὶ pro κατὰ. Cæterũ nõ eſt hic παρουσίαν ſed ἐπιφάνειαν, quod magis ſonat illuſtrationẽ, Sequit̃ enim regni mentio.

Opportune importune.) εὐκαίρως, ἀκαίρως, id eſt, Tempeſtiue & intẽpeſtiue, & hoc prouerbiali figura dictum eſt pro aſſidue & inſtanter.

In omni patientia.) μακροθυμίᾳ, id eſt, Longanimitate, aut ſi hoc uerbum uidetur parum Latinum, lenitate. Eſt enim Græcis uirtus quæ opponitur ὀξυθυμίᾳ.

Pruriens auribus.

Magiſtros prurientes.) διδασκάλους, id eſt, Doctores: & prurientes hic nominandi caſu eſt accipiendum. κνηθόμενοι, id eſt, Qui titillantur & pruriũt auditu, unde quærunt, qui ſcalpant aures uoluptate orationis, non qui radant ueritate.

Tu uero uigila.) νῆφε, id eſt, Sobrius eſto ſiue uigila.

Labora) κακοπάθησον, id eſt, Feras afflictiones, ſiue ut nos uertimus, Obdura in afflictionibus. Sobrius eſto.) Quo loco quod quidã antiqui codices habent, Vigilans eſto, in Græcis codicibus non inuenio, nec apud Ambroſium, ne apud Chryſoſtomum quidem, imò nec in optimæ fidei codice Paulinæ bibliothecæ. Suſpicor autem hac occaſione irrepſiſſe, quod νῆφε utrũq; ſignificat, ſobrius eſto, & uigilãs eſto. Proinde fieri poteſt, ut quod doctus aliquis annotarit Sobrius eſto, id poſt in contextum traductum ſit.

Miniſterium tuũ imple.) πληροφόρησον. De quo uerbo, frequẽter & aliãs admonuimus.

Hoc

Hoc est facito plenam fidem tuæ prædicationis. Id fiet, si uiderint & uitam respondere doctrinæ, & in tantum te non uenari tua compendia, ut afflictiones etiam atrocissimas alacriter feras amore Christi.

Iam delibor.) σπένδομαι, id est, Immolor. Ambrosius legit quidē delibor, sed enarrās declarat nihil interesse, inter delibor & immolor. Chrysostomus ac Theophylactus hoc aiunt interesse quod hostia non relinquatur tota deo, cum libamen totum relinquatur. Hoc quid sit aliis excutiendum relinquo.

Et tempus meæ resolutionis.) ἀναλύσεως. Cyprianus in epistola quadam legisse uidetur ἀναλήψεως, sic adducens huius loci testimonium: Ego iam delibor, & tempus instat assumptionis meæ. Origenis interpres cum aliâs tum in homilijs in Numeros, indicat duplicem huius loci fuisse scripturam, resolutionis & regressionis. Regressionis uerbum quid sibi uelit, nō satis intelligo, nisi quod Græcis ἀνάλυσις utrunq; sonat resolutionem & reuersionem: ut enim qui discedit soluere dicitur, ita reditus resolutio, Græcis ἀνάλυσις. *ἀνάλυσις. resolutio & reditus.*

Certamen bonum.) τὸν καλόν. Quod non sonat simpliciter bonū, sed præclarum & egregium. Et articulus indicat illud certamen euangelicum.

In reliquo.) λοιπόν, id est, Quod superest, atq; ita uertit Ambrosius. Hic interpres uertere consueuit, de cætero. Sed & his.) ἀλλὰ καὶ πᾶσι, id est, Sed & omnibus.

Qui diligunt.) τοῖς ἠγαπηκόσι, id est, Qui dilexerunt. licet in uerbis affectuum abutantur Græci præteritis.

Festina ad me.) σπούδασον, id est, Stude, siue da operam. Alioqui quæ sermonis figura est, Festina cito, hoc est, ἥκομαι καὶ κατέχομαι, quemadmodum iocatur Aristophanes.

Diligens hoc seculum.) ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα, id est, Postquam dilexit præsens seculum, siue amplexus præsens seculum.

Crescens in Galatiam.) κρίσκης, id est, Crisces, sed Græcus sermo deflexit uocem Latinā, sicut πόδης pro pudens.

In ministerio.) εἰς διακονίαν, id est, Ad ministerium.

Penula) Græce φελόνην. Quod est pallij genus, non consularis, ut quidam putāt, sed quo tegimur ab imbribus, pelliceum, ut putat Hesychius. Quanquam idem addubitat num sit scriniolum: alij putant esse thecam librorū. Ita Græcanica scholia. Hieronymus in tertio aduersus Pelagium dialogo, uertit lacernam siue penulam. Tametsi in plerisq; codicibus pro lacerna, deprauatum erat lucerna, à lucernario quopiam. *Penula quid.*

Et membranas.) Et, redundat. μεμβράνας. Hic Latinam uocem Paulus usurpauit. O supellectilem apostolicam, penulam quæ defendat ab imbribus, & libros aliquot, haud dubie sacros. Nunc quantum est caballorum, quantum bombardarum, quantum aliarum rerum, quas referre non libet. *Supellex Pauli.*

Ærarius.) χαλκεύς, id est, Faber ærarius, ne quis de quæstore ærarij, aut custode æris accipiat, ut interpretati sunt quidam.

Multa mala mihi ostendit.) ἐνεδείξατο, id est, Multis malis me affecit. Annotauit & Augustinus libro de locutionibus Geneseos primo, in sacris literis ostendere frequenter usurpari pro facere. *Ostendere, pro facere.*

Reddet illi dominus.) Græce est, reddat ἀποδώῃ, ut sit imprecantis. Etiamsi Augustinus in explanatione sermonis in monte habiti legisse uideri poterat, reddet futuri temporis, ita dissoluens propositam ab ipso quæstionem, Paulum non imprecari malum ei qui læserat, sed prædicere quid euenturū esset. Quod idem tractat libro aduersus Faustū xvi. cap. xxij. quo quidem & ipso loco in uulgatis exemplaribus, reddet scriptū legitur. Quāquam eodē mox loco adducit illud Pauli, Vtinā & abscindantur, qui uos conturbant, quod certe prædicentis esse non potest. Præterea quid opus erat excusari, quod imprecationes in sacris literis inuenirentur, si hæc dicta sunt uerbis futuri temporis, consentientibus & exemplaribus Latinis? Atq; adeo Chrysostomus ipse legisse uidetur ἀποδώσῃ, non ἀποδώῃ, quantum ex eius interpretatione colligere licet. Theophylactus ingenue testatur se legisse ἀποδώῃ uerū id ait positum pro ἀποδώσῃ. Atqui si parum est apostolicum, pertinaciter obsistētibus euangelio imprecari uindictam diuinam, qui conuenit ut quidam omni malorum genere persequantur, qui maiestatem illam uel leuiter attigerint. *Paulus imprecatur uindictam.*

Et tu

Et tu deuita.) φυλάσσου, id est, Obserua, siue caue. Hæc particula non est in uulgatis libris Ambrosij, cum tamen in commentarijs testetur se legisse. Resistit.) Restitit ἀνθέστηκε.

Et liberauit.) ῥύσεται, id est, Liberabit, futuri temporis, suffragante utroq; Constantiensi. Sequitur enim & saluum faciet.

Prædicatio impleatur.) πληροφορηθῇ, id est, Ad plenũ persuaderet, & certã haberet fidẽ.

Cui gloria.) Græcus codex addidit, Et imperium ϗ κράτος.

Eubolus.) εὔβουλος, Eubulus penultima producta, nomen à bono consilio dictum.

Et Prudens.) καὶ σώφρων. Ambrosius & antiqui codices habent, Pudens, rursum uoce Latina nonnihil detorta à Græcis.

Et fratres eius.) Nõ eius, sed omnes, est apud Græcos. Et ita legit diuus Ambrosius, consentiente Chrysostomo, deniq; & exemplari Paulino, ad hæc utroq; Constantiensi. Recensitis enim nominatim aliquot ex suis, reliquos generali nomine complectitur.

Gratia uobiscum.) Pro hoc nescio quo casu in Ambrosianis codicibus legitur uale. Et tamen ex commentarijs licet diuinare quod legerit quemadmodum nos.

ANNOTATIONVM IN EPISTOLAM PAVLI AD TIMOTHEVM SECVNDAM, FINIS.

IN EPISTOLAM PAVLI AD TITVM ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTEROD. EX CAPITE PRIMO.



Postolus autem.) Nouauit hic nonnihil formam salutationis, Autem subiunxit, quum non præcesserit quidem, quod Hieronymus alicubi tribuit imperitiæ sermonis Græci, quasi hoc nusquàm apud Græcos reperiatur. Imò notant hoc Grammatici δὲ apud Græcos frequenter poni pro coniunctione copulatiua, τε. quod hoc loco factum apparet.

Secundum fidem electorũ dei.) Diuus Hieronymus hic rursus impingit insciciam sermonis Græcanici, Qui nõ iuxta humilitatem, inquit, ut pleriq; æstimant, sed uere dixerat, & si imperitus sermone non tamen scientia &c. Nec uideo causam quur id faciat, nisi forte quia dixit electos dei, quemadmodũ antea dixerat seruus dei, ac mox quã promisit deus. Erat seruus dei non iuxta Mosaicam legem, sed iuxta fidem electorũ, & apostolus Iesu Christi, iuxta cognitionem ueritatis euangelicæ, quum Iudæi mordicus tenerẽt umbras. Et pietatem opposuit ceremonijs: & ἐπίγνωσις est nõ γνῶσις, agnitio uerius quàm cognitio, de quo sæpe meminimus. In spem.) ἐπ' ἐλπίδι. id est, In spe &c. siue sub spe.

Qui non mentitur.) ὁ ἀψευδὴς, quasi dicas, immentiens aut immẽdax & mendacio alienus. Non mendax legit Ambrosius, & item Hieronymus.

Ante tempora secularia.) πρὸ χρόνων αἰωνίων, id est, Ante tempora æterna. Ita legit Hieronymus. Augustinus aduersus Priscillianistas, cap. vi. & alijs aliquot locis, præsertim aduersus Manichæos de Genesi cap. ij. legit hic quoq;, Ante tempora æterna. Cæterũ æterna uocari, nõ quæ nullum habuerint initiũ, cum aliquod sit mundi cõditi initiũ, sed ante quæ nulla fuerint tẽpora. Aquinas hic nihil meminit de mille annis, & admonet alterã scripturã habuisse, p secularia, æterna, id est, antiqua. Hoc qd sibi uelit nescio, nisi forte Græcus aliqs codex habuit ἀρχαῖα, pro αἰώνια. Sic enim Act. xv. uidet ab antiquis diebus dictũ, p æterno.

Manifestauit autem.) Nec hic præcessit μέν quæ respondeat δέ. & suis Græce est, ἰδίοις, ut ad rem referatur non ad deum. Vnaquæq; res suum tempus habet. Et nobis non suo tempore, uel alieno tempore fieri dicitur, quod fit intempestiue. Et τὸν λόγον quidam interpretantur de promissionis uerbo, quidam ipsum filium interpretantur.

Quæ

Quæ credita est mihi.) ᾧ ἐπιστεύθην ἐγώ, quod Faber Stapulensis ita uertit, Cui commissus sum, quasi nihil referat, utrum dicas, filius tuus commissus est mihi, an commissus sum filio tuo. Demiror autem ei uiro, tam profundum obrepsisse somnum, ut non agnosceret figuram Græci sermonis, qua ita loquũtur, hanc rem ego commissus sum, quoties sentiunt, hæc res commissa est mihi, præsertim cum hæc loquendi formula toties sit obuia in Paulo. At conijcere mihi uideor quid imposuerit Fabro nostro, nimirum ᾧ articulus postpositiuus, dandi casu positus, cum accusandi casus magis cõueniret. Verum id factum est ob nomen quod antecessit eodem casu κηρύγματι, cum quo concordat ᾧ, iuxta Græci sermonis idioma, dissidens à suo uerbo. Sic enim legitur, fateor, in nonnullis exemplaribus, cum in emendatioribus habeatur ὃ ἐπιστεύθην, atq; adeo sic ipse Faber scribit in examinatione sua. *Faber.* *Articulus à suo uerbo dissidens.*

Secundum præceptum.) Rursum Græce est κατ' ἐπιταγήν, id est, Iuxta iniunctionem. Nos uertimus, delegationem. Sentit enim sibi munus hoc prædicandi delegatum à domino, sic ut recusare non liceat.

Tito dilecto filio.) γνησίῳ τέκνῳ, id est, Vero, legitimo, proprio ac germano filio. Atq; ita legit Ambrosius, quasi dicas, uere filio & non notho, neq; degeneri à patre. Notat elegantiã huius uerbi & diuus Hieronymus hunc enarrãs locum, addens Græcæ uocis proprietatẽ non exprimi posse Latinis, licet uero, germano, ingenuo propemodũ explicare uideaẽ. Pugnant autem inter se γνήσιον & νόθον hoc est adulterinum. Et Plinius libro decimo cap. iij. quintũ aquilarũ genus, γνήσιον uocat, idq; sic interpretatur uelut uerũ solumq; incorruptæ originis. Ambrosius hoc loco legit germano filio, quẽadmodũ & in priore ad Timotheũ. *γνήσιῳ.*

Gratia & pax.) χάρις, ἔλεος, εἰρήνη, id est, Gratia, misericordia, pax: etiãsi misericordiã, nec Hieronymus, nec Ambrosius addit. Certe quẽadmodũ Græci codices habẽt legit Chrysostomus ac Theophylactus, quorũ posterior attingit etiã in enarrãdo. Sed apparet additũ apud Græcos, non tantũ ob id, quod reclamat consensus Latinorum codicum, uerum etiã quod Origenes in epistolam ad Romanos annotans ac distinguens formas salutationum quibus Paulus usus est in singulis epistolis, loquitur hunc in modum, Ad Timotheum prima & secunda, gratia misericordia & pax. &c. Ad Titum uero, gratia & pax à deo patre.

Reliqui te Cretæ.) ἐν κρήτῃ, id est, In Creta. Græci & urbium nominibus apponunt præpositionem, id quod apud Latinos rarissimum est. At interpres, ab insulæ uocabulo sustulit Græcã præpositionem, quod prorsus est intolerabile, præsertim cum ea sit apud Græcos.

Quæ desunt corrigas.) ἐπιδιορθώσῃ, id est, Supercorrigas, ut explicandi gratia sic loquamur. Sentit autem se prius correxisse quædam, eadem nondum ad plenum correcta, iubet à Tito corrigi. Emphasim Græcæ uocis, notauit Hieronymus, præsentem explicãs locum. Et in eandem sententiam liquido interpretatur Chrysostomus, cuius interpres uertit, supercorrigeres. Proinde nos uertimus, pergas corrigere. *Supercorrigere.*

Per ciuitates.) κατὰ πόλιν, id est, In ciuitate, siue per ciuitatem, id est, in singulis ciuitatibus, siue oppidatim. Hæc insula quondã dicta est ἑκατόμπολις quod centũ habuerit oppida.

Sine crimine.) ἀνέγκλητος. Quod non ita sonat, quasi dicas, uacantem omni culpa, sed quem nemo possit accusare, siue criminari, & uocare in ius ob crimen aliquod. Sic enim interpretatur & Chrysostomus. Plus enim est ἀνέγκλητον esse quàm uacare crimine, propterea quod integritas non raro sit obnoxia crimini, ob speciem probabilem culpæ. At ne hãc quidẽ Paulus patitur in sacerdote. ἔγκλημα enim est intento crimine uocare in ius. Et ἔγκλημα commissum, ob quod aliquis in ius trahi possit. ἀνέγκλητος, qui non possit ad hunc modum accusari. Atq; idem repetit paulo post, Oportet episcopum sine crimine esse. *ἀνέγκλητος.*

In accusatione luxuriæ.) ἀσωτίας, id est, Luxus: ne luxuriam pro libidine accipias, quod facere uidetur Lyranus, qui meminit filiorum Heli. Quid autem sonat Latinis in accusatione luxuriæ? Sentit enim Paulus sobrios nec infames de luxu.

Sicut dei dispen.) ὡς hic non similitudinem significat, sed congruentiam. Proinde magis conueniebat tanquam, uel ut, quàm sicut.

Non superbum.) μὴ αὐθάδη, id est, Non præfractum, quod Hieronymus & Ambrosius legunt, Non proteruum, & recte sanè. Nos uertimus, præfractum, id est, durum, & sui sensus plus satis tenacem. Quam uocem quidam suo iudicio uehemẽter eruditus negat se intelligere, quid sibi uelit, quum aliquoties obuium sit apud Ciceronem. Qui scribit libro officiorum

officiorum tertio: Ego etiã cum Catone meo dissensi. Nimis mihi præfractum uidebatur, ærarium uectigaliaq; defendere, omnia publicanis negare. Exemplũ consimile citat ex eiusdem Hortensio Nonius Marcellus: His contrarius Aristotius præfractus, ferreus, nihil bonum nisi quod rectum atq; honestum est. Vel ex hoc grammatico licebat discere quid esset præfractus, nimirum durus, inquit, & inflexibilis.

Non percussorem.) μὴ πλήκτην. Hoc Hieronymus putat non pertinere ad pugnos, sed ad linguam contumeliosam & iurgiosam. Vnde & Horatius in Odis, Patruæ uerbera linguæ. Quemadmodum & in superioribus annotatum est.

Non turpis lucri cupidum.) μὴ αἰσχροκερδῆ. Græcam uocem unicam tribus circumlocutus est interpres, quasi dicas, turpilucrum. Sentit autem Paulus, omne studium lucri fœdũ esse sacerdoti. At Carrẽsis festiuiter exposuit, turpis lucri, id est, secularis. Quasi sit aliud genus quæstus ecclesiasticum honestum. Sensit, opinor, de captandis testamentis, & auertendis ad se rebus male partis, de inuolandis religionis defendendæ prætextu, alienis facultatibus, de inescandis sacerdotijs, de emungendis deliris aniculis, de compilandis crassis negociatoribus. Nam nõnullis eius generis histrionibus, is quæstus nunc multo est uberrimus.

Carrensis.

Captatores.

Benignum.) φιλάγαθον, quasi dicas, studiosum bonarum rerum, aut amãtem bonos. Superius dixit ἀφιλάγαθον. Hieronymus hoc loco pro φιλάγαθον, legit bonorum operũ amatorem. Theophylactus exponit ἐπιεικῆ, μέτριον, μὴ φθονοῦντα, id est, humanum, modestum, minime inuidum.

Sobrium.) σώφρονα, quod Hieronymus uertit, castum. Ambrosius, prudentem. Atq; hæc omnia significat σώφρων, nisi quod sobrius, omnia fermè complectitur. Notat autem diuus Hieronymus ueterem interpretem, qui uerbi ambiguitate deceptus, pro pudico uerterit, prudentem. Atqui ut interpreti nonnihil patrocinet, si Græca uox ambigua est, nimirum utrunq; significans, prudentem & pudicum, quomodo deceptus est uertens prudentem? An prudentia non congruit episcopo? Verum ut aliãs admonui, diuus Hieronymus studio tuendæ uirginitatis, undiq; colligit & asciscit præsidia, & quicquid potest ad suas pertrahit copias. Quãquam σώφρων Græcis non tam prudentem sonat, quàm sobriũ & sanè mentis, ut intelligamus animum sibi præsentem, & nullis temulẽtum cupiditatibus. Siquidem hæc duo cõponit inter se Euripides, in Iphigenia Aulidensi, συνασωφρονῆσαι σοὶ βούλομ' ἀλλ' οὐ σωφρονῆσαι. Theophylactus σώφρονα interpretatur καθαρὸν, δίκαιον, τὰ πρὸς ἀνθρώπους, δηλονότι, ἀπροσωπόληπτον, id est, purum, iustum in hominum commercio, citraq; personarũ delectũ.

Expensa Hieronymi annotatio.

Iustum sanctum.) ὅσιον. Quod ita interpretatẽ Hieronymus, ut dicat significare sanctitatem mixtam pietate, quæ ad deum refertur. Nam ἅγιος, sanctus, hoc est, purus à uicijs. εὐσεβὴς, pius in deum.

Continentem.) ἐγκρατῆ, id est, Temperantem. Quod ut indicat diuus Hieronymus quidam haud recte, ad solam referunt libidinem, cum ad omnes pertineat affectus, iram, auaritiam, ambitionem, inuidiam, timorem, ut omnibus his sit superior episcopus. Mire id perspexit Paulus, non posse prospicere alijs, qui ipse sit obnoxius affectibus. Ego nullam spem uideo rebus publicis, nisi princeps contingat, liber ab omnibus uulgi cupiditatibus. At hodie haud scio, an ullum hominũ genus magis seruiat omnibus affectibus, siue prophanos spectes principes, siue sacros. Hæc una res est quæ leges Cæsareas, quæ põtificias, quæ scholas theologicas, quæ conciones ecclesiasticas misere uiciauit. Adeo ut si spergatur, nihil magis sit futurum hæreticum, quàm si quis Christum ingenue pureq; doceat.

ἐγκρατῆς.

Amplectentem.) ἀντεχόμενον, quod Ambrosius uertit, tenacẽ, diuus Hieronymus, obtinentem. Ambrosius elegãtissime expressit Græcam uocem. Nam ἀντέχεσθαι dicitur proprie, qui adhæret alicui, uelut unguibus affixus, nec se finit auelli.

Fidelem sermonẽ.) πιστὸν λόγον, quod aliãs Ambrosius uertit, Humanus sermo: significat aũt sermonẽ certũ & indubitatũ, ut certa respõdeat, & quæ ipsam ueri faciem præ se ferant.

Vt potens sit exhortari.) Græce est τῇ παρακαλεῖν, & exhortari. Hieronymus uertit, cõsolari. Et in doctrina, dictum est pro per doctrinam. Doctrina non tantum ad hoc conducit episcopo, ut doceat indoctos, uerumetiam ut consoletur afflictos, aut exhortetur extimuletq; cessantes. Inobedientes.) ἀνυπότακτοι, quod diuus Hieronymus legit, non subditi. Sonat autem, quasi dicas, qui in ordinem cogi non possint.

Deceptores

Deceptores.) φρεναπάται. Græcis est dictio cõposita quæ perinde sonat, ac si dicas, mentiũ deceptores: & ad hũc modũ interpretatur diuus Hieronymus. Pessimum autẽ & pernicios issimum genus decipiendi, ubi quis mentem omnium actionum fontem, prauis inficit opinionibus. Nam hac uia fit, ut non solum non pudeat malefactorum, uerum etiam ex his laudem petamus. Cæterum uaniloqui, Græce est ματαιολόγοι, quod nõ sonat mendacem, sed inania friuolaq; loquentẽ. Nam uanus proprie Latinis dicitur mendax.

Quos oportet redargui.) ἐπισομίζῃ, id est, Occludere, siue obturare os. Hieronymus legit, silentium indici. Hoc ex loco palàm est Laurentium in euangelio Lucæ legisse, aut certe somniasse ἐπισομίζαμ pro ἀποσομίζῃ, de quo quod tũ succurrebat illic diximus. Hic obiter annotandum semper quæstus notari, qui urgent & insulciunt ceremonias. ἐπισομίζαμ.

Proprius eorum propheta.) ἴδιος αὐτῶν προφήτης. Prophetam uocat poëtam, qui qua si præsenserit futura. Proprium autem uocat, quod Cretensis fuerit ipse qui hæc de Cretensibus scripserit, siue quod per ironiam prophetam uocauit, quasi talibus Christianis, tales congruerent prophetæ, siue quod is Epimenidis liber unde uersiculus hic sumptus creditur, titulum habeat, περὶ τῶν χρησμῶν, id est, de oraculis. Tametsi non desunt qui testimonium hoc ad Callimachum Cyreneum referant, apud quem initiũ huius carminis inuenitur κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, quod Iouis sepulchrum apud se esse confinxerint, cũ is iuxta uulgi opinionem fuerit immortalis. Hieronymus indicat & prouerbio iactatum apud Græcos. Extat & prouerbium Græcis, Cretensium testans uanitatem, κρητίζαμ πρὸς ὃμ κρῆτα. Verum hac de re qui uelit plenius cognoscere, legat Miscellanea Angeli Politiani, aut nostras Chiliades. Nam hic, quoniam annotationes scribimus, breuitati, quantum licet studendum. De occasione huius carminis testantur & Græcanica scholia. Est autem uersus integer heroicus apud Epimenidem Cretensem. In quo sanè demiror Stapulensem laborasse, ut carmen carmine redderet, idq; ad hunc modum, Gnosius usq; loquax, mala bestia, uiscera pigra. Nec enim idem est loquacem esse & mendacem, nec ut hominem cibo deditum, uentrem dicimus, item uiscera dicimus, ut interim donemus Gnosium recte positum pro Cretensi, & usq; pro semper. Cretenses. Faber.

Malæ bestiæ.) θηρία. Quod non simpliciter bestias, sed & feras ac ueneno noxias bestias significat. Indicat hoc titulus Nicandri, qui scripsit θηριακὰ, neq; enim ouem recte dixeris θηρίον. Quin & hodie Germani sonant Thier pro animali.

Ventris pigri.) Ventres legendum est, γαστέρες ἀργαί. Nam ipsos uentres appellat homines abdomini deditos. Quemadmodum & Lucilius uentri deditos, uentres appellat. Et Terentius in Phormione, pugnos, inquit, in uentrem ingere, parasitum indicans. Germanam scripturam obtinebat Constantiense exemplar recentius. In uetustiore deprehendi quiddam ridiculum. Aliquis doctus annotarat in margine, Menetis poëtæ abusus est uersiculo, quem postea Callimachus usurpauit. Id scriba rudis insulserat in contextũ. Et Menetis posuit pro Epimenidis. Dixerit aliquis, quorsum opus est talibus nugis morari lectorem? ut mihi credatur si quando cõmonstro locum simili modo deprauatum, quod utinam rarius accideret in sacris præsertim uoluminibus.

Increpa illos dure.) ἀποτόμως, id est, Ad uiuum & seuere. Nec est increpa, sed argue, ἔλεγχε, hoc est, refelle.

Vt sani sint.) ἵνα ὑγιαίνωσι. Illud admonendus est lector, Paulũ frequentius usum hoc uerbo, quo Græci significant, quicquid probandũ est. Vnde illud, μηδὲν ὑγιὲς, id est, nihil sanum, cũ omnia displicent. Hic igitur ut sani sint, nihil aliud est, quàm ut recte se gerant. Vt rursum νοσῶμ, id est, ægrotare dicitur apud illos, qui non recte est affectus.

Auertentium se à ueritate.) ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν, id est, Auersantium ueritatem, hoc est, abhorrentium à ueritate. Vehementius enim est quod habent Græca.

Coinquinatis autem.) μεμιασμένοις. Quod magis sonat, impiatis, & piaculo aliquo prophanatis, ut sint arcendi à sacris. Quin & illud omnia munda mundis, rectius erat, omnia pura puris. Quandoquidem his uerbis utuntur, cum de castitate sacrorum agunt. Extat enim lex apud Senecam: Sacerdos sit casta castis, pura puris. Vides ut Paulus in nullos incandescat acrius, quàm in eos qui Mosaicis ceremoniis, Christũ tendebant abolere, & hoc prætextu tyrannidem in Christianam plebem occupabant. Ceremoniæ.

Abominati & incredibiles.) βδελυκτοὶ ὄντες, καὶ ἀπιθεῖς, id est, Abominabiles cum sint & incredeli. Ambrosius & Hieronymus legunt, execrabiles & inobedientes, pro quo nō male quadrabat, intractabiles aut impersuasibiles. Cæterum profitentur magis congruebat hic quàm confitentur, ὁμολογοῦσιν εἰδέναι, id est, Profitentur se scire. Nam hoc quoq; significat ὁμολογεῖν.

EX CAPITE SECVNDO.

Sobrios.) νηφαλέους, quam uocem Hieronymus admonet ambiguam esse significantem utrūq;, & sobrium, hoc est, nō temulentū, & uigilantem. Quandoquidem & uerbum νήφειν anceps est.

Pudicos.) σεμνούς, quod aptius Ambrosius uertit, graues, hoc est, seueros, & honestatem præ se ferentes.

σώφρων. Prudentes.) σώφρονας, id est, Moderatos siue Modestos: quod rursum diuus Hieronymus uertit, pudicos, suo more. Et ne uideat absurde senibus præcipi pudicitia, addit, ne in aliena ætate turpiter libidini uacare uideātur. Adeo etiā in sanctissimis uiris deprehendere licet uestigiū aliquod hūani affectus. Chrysostomus σώφρονας interpretatur, ob animi moderationem, quod ea ætas ob mētis imbecillitatē soleat immoderatius excandescere. Quēadmodum iubet νήφειν, quod somniculosi tardiq; sint senes, tum σεμνοὺς esse uult, quod ferè dū repueraſcūt, ineptiant. Deniq; sanos esse iubet, quod desipiscat senū uulgus.

In habitu sancto.) ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς. quod perinde ualet, ac si dicas, eo amictu, eoq; incessu & corporis motu, q deceat sacras matronas, ac deo dicatas. Ambrosius uertit, In statu religione digno, uelut explicans compositam uocem, ἱεροπρεπεῖς, & κατάστημα referens non solum ad uestitum, sed ad omnem corporis habitum ac gestum. Sic enarrat & diuus Hieronymus.

Non criminatrices.) μὴ διαβόλους, id est, Non calumniatrices, siue delatrices. In Hieronymo legimus, incentrices, haud scio an mendose: etiamsi idē exponit, accusatrices.

Multo uino seruientes.) πολλῷ οἴνῳ δεδουλωμένας, id est, Multo uino deditas, siue addictas. Solent autem anus huic uicio affines esse.

Bene docentes.) καλοδιδασκάλους, id est, Honesta docentes. Opinor quod quædā illis annis lenæ sint, alienæ nequitiæ ministræ.

σωφρονίζω. Vt prudentiam doceant,) ἵνα σωφρονίζωσι, id est, Vt sobrias siue pudicas reddant, quod posterius Hieronymus legit, ut ad castitatē erudiant, suo more torquens quicquid potest ad uirginitatē, cui fauit, nō sine suspicione, nec sine calumnia. Ambrosi⁹ legit, ut instituāt.

Adolescentulas.) Hunc accusatiuum Græci referūt ad σωφρονίζωσι. Vt intelligas mandari matronis natu grandioribus, ut doceant puellas amare maritos.

Prudentes,) σώφρονας, quod rursus Hieronymus legit, castas. Sed quia sequitur castas siue puras, ἁγνάς, fortassis quadrabat hic, sobrias aut prudentes.

Domus curam habentes.) οἰκουρούς, quod sonat, domus custodes, ut assidue domi sint,

οἰκουρός. & rem domi curent, quæ præcipue mulierum laus. Vnde ueteres, autore Plutarcho, pingebant Venerem testudini insistentem, quod id animal nunquam à domo discedat, symbolum probæ matrisfamiliâs.

Vt nō blasphemet.) Hoc adiectū putāt ob eas quæ maritū haberēt ethnicū aut Iudæū

Vt sobrij sint.) σώφρονες. Et hic Hieronymus legit, pudici, sui similis.

Teipsum præbe.) Præbens, παρεχόμενος. Et ita legit Ambrosius, Græcis cōsentiens.

Exemplum.) τύπον, id est, Formam aut exemplar potius q̄ exemplum.

In doctrina, in integritate.) Græce sic habent, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα, ἀφθαρσίαν, λόγον ὑγιῆ, id est, In doctrina, integritatem, grauitatem, incorruptionē. Ad eū modum legit fermè Chrysostomus, nisi quod parum liquet, unde illi sit dictio, copiam, nisi forte ille pro ἀδιαφθορίαν scriptum repperit, εὐπορίαν. Sic enim illius uertit interpres: In doctrina, inquit, copiam, honestatem, sermonem sanum, irreprehensibilem. Porrò in nonnullis codicibus additur ἀδιαφθαρσίαν, cum præcesserit ἀδιαφθορίαν. Nihil est autē quod priori respondeat, nec apud Ambrosium, nec apud Hieronymum, nec apud Chrysostomum. Theophylactus non attingit ἀδιαφθαρσίαν. Atq; hoc quoq; nomē ἀδιαφθορίαν Hieronymus torquet ad uirginitatem, cū mea sententia magis declaret integritatem animi.

nullis

nullis cupiditatibus corrupti,no ira,non ambitione,non auaricia.Locum hunc secus refert diuus Hilarius lib.de trin.viij.In omnibus teipsum bonorum factorum præbens exẽplum,docentem cũ ueneratione uerbũ sanũ &c.Quod græce est σεμνότητα,Hilarius uertisse uidetur cum ueneratione.Verbum sanum est λόγον ὑγιῆ:de quo diuus Hieronymus nonnihil admonet,nempe quæ sequuntur,ad integritatem doctrinæ posse referri,sed obstare quod sequitur,sermonẽ sanũ.At mihi non uidetur esse causa,cur hic offẽdamur.Quãquam enim nemo docet,nisi loquatur,tamen refert non paulum,quomodo loquaris.

Irreprehensibile.) ἀκατάγνωστον. Quod & ita sonare potest,quod contemni nõ possit, hoc est,ut cum autoritate doceat.

Vereatur.) ἐντραπῇ, id est,Pudefiat,quod sæpius iam uertit,cõfundatur.Ambrosius & Hieronymus legunt, reuereatur.

Nihil habens dicere.) μηδὲν ἔχων λέγειν,id est,Nihil potens dicere,siue nihil habens qd dicat.Nam ἔχειν cum infinito uerbo,significat posse apud Græcos.

Subditos esse.) Diuus Hieronymus admonet hunc locum bifariam legi. Altero modo,ut accipias,seruos subditos esse debere dominis in omnibus,ut hæc particula ἐν πᾶσι referatur ad uerbum præcedens.Altero,ut intelligas seruos complacentes esse debere in omnibus, ὑποτάσσεσθαι,ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι. Atq; ita quidem habent Græci codices, huius tempestatis.Etiamsi Hieronymus indicat,Græcos secus distinguere,nempe iuxta priorem sensum,cum iuxta posteriorem distinguant hodie,quos ego uiderim codices. Porrò εὐαρέστους interpretatur,non qui satisfaciant ac placeant dominis,sed sibi nõ displiceant, & suam fortunam,qualiscunq; est,boni consulant.Quæ quidem interpretatio,haud scio an sit coactior.Nam & superius εὐάρεστον dixit Paulus,quod gratũ esset & placeret,licet Græci δυσάρεστον appellant,cui non facile fiat satis,cui diuersus sit εὐάρεστος. Mirum est autem, unde Ambrosius legerit,optimos,nisi mendum est,aut nisi codex illius habebat εὐαρίστους. Certe εὐάρεστοι hic dicuntur qui modis omnibus student placere,quod magis congruit cũ eo quod sequitur μὴ ἀντιλέγοντας.

Distinctio uaria.

Ambrosius diuerse legit.

Non cõtradicẽtes.) μὴ ἀντιλέγοντας.Quod elegãter reddidit Ambrosius, respõsatores.

Non fraudantes.) μὴ νοσφιζομένους.Quod Hieronymus legit, furantes est emi: νοσφίζεσθαι aliquid decerpere ac furtim detrahere,cũ totam rem non aufis tollere,quod serui solent.

Sed in omnibus.) Sed fidem omnem, πίστιν πᾶσαν.Et Hieronymus legit,fidem omnẽ, Et huic consentiens Ambrosius.

Apparuit enim.) ἐπεφάνη.Quod Hieronymus & Ambrosius uertunt,illuxit. Apparet enim quod uidetur,etiamsi non sit.At ἐπιφαίνεται, quod sit cõspicuũ & illustre.Nam ante uidebatur apud Iudæos in angusto latêre,nunc usq; ad seruorũ genus illustrata est.

Dei & saluatoris.) Græca secus habent, ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σωτήριος,id est,Gratia dei salutaris uel salutifera.Etiamsi Hieronymus & Ambrosius aliter legunt.Quanquam in antiquissimo Græco codice Chrysostomi legamus σωτήριος,neq; secus exponit,si quis expẽdat attentius.Sine controuersia Theophylactus legit σωτήριος.Certe coniunctio &, non additur in Latinis emendatioribus.Quod autem ait seruatoris,potest uel de patre uel de filio accipi.Sic enim Hieronymus,uel quod dei patris uiuens & subsistens gratia ipse sit Christus,uel quod Christi dei saluatoris hæc sit gratia,& nõ merito nostro saluati sumus. Idem fieri potest in proximo loco,ut doctrinam seruatoris nostri dei,ornent in omnibus. Minimum autem discrimen est inter σωτῆρος & σωτήριος.

Abnegantes.) ἀρνησάμενοι, participium est præteriti temporis,poterat uerti,abnegatis secularibus desiderijs,ut legit Ambrosius:Abnegata impietate & secularibus desiderijs.

Seculare,pro mundano.

Secularia desi.) κοσμικὰς ἐπιθυμίας, id est,Mundana desideria.Alioqui Latinis seculare dicitur,quod centesimo quoq; anno instauratur:ut ludi seculares.Neq; enim est ab eo quod sequitur, ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, in hoc seculo.

Sobrie.) σωφρόνως. Quod hic quoq; Hieronymus uertit,pudice,suo more,ne parum uideatur constans.

Et aduentum.) ἐπιφάνειαν, id est, Apparitionem siue illustrationem,ut & alibi uertit. Quanquam eadem uox & aduentũ significat,sed cum splendore,ueluti cũ emergit sol.

Magni dei & saluatoris.) τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος. Id ita legi potest,ut utrũq; per-

tineat ad Christum, dei & seruatoris, aut prius pertineat ad patrem, posterius ad Christum. Chrysostomus ac Theophylactus utrũq; tribuunt Christo, & item Hieronymus exultantes aduersus Arianos, ceu uictores, cum sermo planè sit anceps, Imò magis pro illis faciat quàm pro nobis. Primũ negari non potest, quin sermo Græcus sit ambiguus & ex æquo pertinẽs ad sensum utrumlibet. Quid autem agas aduersus hæreticum ex loco prorsus ancipiti? Quod si illos urgeas interpretũ consensu, certe Ambrosius uir summus & episcopus orthodoxus, diuisim accipit, ut magni dei referatur ad patrem, seruatoris ad Christum. Ipsius uerba subscribam: Hanc esse dicit, beatam spem credentiũ, qui expectant aduentum gloriæ magni dei, quod reuelari habet iudice Christo, in quo dei patris uidebitur potestas & gloria, ut fidei suæ præmiũ consequantur. Ad hoc enim redemit nos Christus, ut puram uitam sectãtes repleti bonis operibus regni dei hæredes esse possimus. An non hic palàm dicit patrem reuelaturum gloriam suam iudice Christo? At aduẽtus in sacris literis nõ tribuitur patri, sed filio. Nec hic simpliciter nominatur aduentus patris, sed aduentus gloriæ, quam interim expectamus in humilitate constituti. Tum apparebit manifestas nostra, cum aperietur gloria magni dei patris, & seruatoris nostri Iesu. Quid autẽ hic metuimus Arianos, quum tot locis Paulus dei uocabulum tribuat patri, filium appellans dominum? Si filius dei, tantum in principio euangelij Ioannis adeo clare pronunciatus esset deus, nõne sufficeret aduersus uniuersos Arianos? Postremo Ariani quidam hũc quoq; locum accipiunt de filio, & tamen non credunt quod nos credimus. Magnum emẽ deum fatentur, uerum negant, & hæc est illorum impietas. Quãq; omissus articulus in libris Græcis facit nõnihil pro diuersa sententia μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος. Euidentius distinxisset personas si dixisset καὶ τοῦ σωτῆρος. Miror quid sequutus Scholiastes ille, magnum deum interpretatur spiritum sanctum. Fortasse locũ captabat, in quo spiritus sanctus manifeste diceretur deus. Nam quod Thomas apparitionẽ gratiæ tribuit spiritui sancto, cui peculiariter asscribitur opificium conceptionis Christi, non arbitror ad hunc locum posse torqueri.

περιούσιον nouũ uerbũ.

Populum acceptabilem.) περιούσιον, id est, Peculiarem. Diuus Hieronymus in cõmentarijs huius loci, negat se à quopiam secularium perito literarum potuisse discere, quid esset περιούσιον, uerum ex Deuteronomio collegisse, unde Paulus hunc locũ sumpsisse uidetur, Vt esses ei in populum acceptabilem ex omnibus populis. Rursum in Psalmo xxiij. Elegit sibi dominus in possessionem sibi, quod dictum est in possessionem, Septuaginta ac Theodotion transtulerunt περιουσιασμὸν: Aquila & quinta æditio περιούσιον, syllabæ cõmutatione facta, non sensus. Symmachus pro eo quod est in Græco περιούσιον, in Hebræo סְגֻלָּה expressit ἐξαίρετον, hoc est, egregium uel præcipuum, pro eo quod idem in alio uolumine, Latino sermone utens, peculiarem interpretatus est. Putat emẽ Hieronymus minimum interesse inter περιούσιον & ἐπιούσιον. Porrò uarietas hæc nascitur ex ambiguitate præpositionis περὶ & ἐπί. Etenim qui uertunt possessionem & peculiarem, huc spectarunt, quod οὐσία significat substantiam, hoc est, facultates & possessionẽ, & περὶ, circũ: ut quod in bonis nostris sit, & in nostro, ut aiunt, ære, id peculiare dicimus. Rursum qui uerterunt egregium, huc respexerunt, quod περὶ significat aliquoties eminentiã, & οὐσία essentiam, quasi dicas, reliquas substantias antecellentem. Existimat in eundem sensum accipi posse quod est in precatione dñica, Panẽ nostrũ, ἐπιούσιον, id est, nõ uulgarem, sed eximium illũ, qui de cœlo mittitur, qua de re & suo loco nonnihil attigimus. Porrò quod addit Faber, Hieronymo idẽ esse περιούσιον & γνήσιον, miror unde sumpserit, nisi forte idẽ esse putat peculiare & ingenuũ aut uerũ. Quemadmodũ Symmachus, ut dixi, peculiarem uertit.

ἐπιούσιον.

Faber.

Sectatorem bon.) ζηλωτὴν, id est, Aemulatorem. Et ita Ambrosius.

Cum omni imperio.) μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. Non quod iubeat illum esse imperiosum, sed quod uelit hæc diligenter mandari atq; iniungi populo.

περιφρονῶ καταφρονῶ

Nemo te contemnat.) μηδείς σε περιφρονείτω. Diuus Hieronymus admonet hic nõ esse idem uerbum, quo usus sit Paulus scribens ad Timotheum: Nullus adolescentiam tuam contemnat, illic esse καταφρονείτω. καταφρονεῖν enim dicit, qui despicit ac nihili facit, quod & in bonam partem accipi possit, ueluti si quis pro Christo contemnat cruciatus aut mortem. At περιφρονῶν, qui fastu quodam sibi uidetur alio melior ac sapientior, citatq; citra nomen

menclaturam quod est apud Aristophanē in Nebulis, ubi Socrates sic inducitur loquēs, ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, interpretans ad hunc modum, Scando per aërem, & pluris me noui esse quàm solem. Vult igitur Paulus Titum ita uiuere, ut nemo sit qui sibi melior uideri possit, quanq̄ ipse sit episcopus.

EX CAPITE TERTIO.

Dicto obedire.) πειθαρχεῖν. Quod est proprie magistratibus parêre. πειθαρχεῖν.

Non litigiosos.) ἀμάχους, id est, Non pugnaces, hoc est, non iurgiosos & contentiosos.

Increduli.) ἀπειθεῖς. Ambrosius, inobsequentes, Hieronymus legit, inobedientes.

Et humanitas.) καὶ ἡ φιλανθρωπία, id est, Amor erga homines, non ἀνθρωπότης. Nam quidam hoc loco humanitatem, interpretantur incarnationem Christi. Quorum de numero est Thomas, qui tamen addit alteram interpretationem. Porrò quod Theophylactus exponit de assumpta natura humana, non est accipiendum quasi pater eam assumpserit, de quo sensit & ipse interpretans, sed quod pater sic dilexerit humanum genus, ut eius seruandi studio, filium unicum demiserit in terras, ut homo factus nos ad se traheret. At Paulus hic loquitur de patre Iesu. Quod hic uertit humanitas, Hieronymus interpretatur, clementiam in cōmentarijs. Et ἐπεφάνη. Hieronymus uertit, illuxit, hoc est, palàm facta est per filium incarnatū. Nec enim locum habet distinctio Thomæ, quam hic inducit, quod Græca uox qua usus est Paulus, nihil aliud significare potest, quàm studiū & amorem erga homines, cui diuersa est μισανθρωπία. Et quod deum saluatorem uocat, magis ad patrem referendum uidetur, quàm ad filium. Certe de patre interpretantur Ambrosius simul & Hieronymus. De filio nullus adhuc interpretatus est. Porrò quo minus accipi possit de tota Trinitate, palàm obstat Hieronymus, qui demonstrat in hoc capitulo distinctim exprimi tres personas, simul operantes negocium salutis humanæ, cuius hæc uerba sunt in cōmentarijs: Diligentius, inquit, attendamus & inueniemus in præsenti capitulo manifestissimam trinitatem. Benignitas quippe & clementia saluatoris nostri dei, non alterius quàm dei patris, per lauacrum regenerationis, & renouationem spiritus sancti, quem effudit super nos abunde per Iesum Christum &c. Minus quidem euidenter Ambrosius, sed tamen eadem scribit: Deus enim, inquit, misericordia sua saluos nos fecit per Christum, cuius gratia renati spiritum sanctum accepimus. Vides lector, ut & hic tres distinguat personas. His equidem non onerarem lectorem, nisi locus hic cum sit perspicuus tamen magnis calumnijs fuisset impetitus. Videmus autem hic patrem uocari saluatorē, quemadmodum in superiore capite. Thomas,

Non ex operibus iusticiæ.) οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, id est, Non ex operibus, quæ sunt in iusticia. Sentit autem de operibus legis Mosaicæ, de quibus multa scribit Romanis. Quanq̄ orthodoxi de omnibus operibus hominum interpretantur. Qui uociferantur uocem esse delicatorum militum, quoties extenuantes nostra merita extollimus gratiam dei, quur non obstrepunt Paulo, qui toties reijcit nostra opa, toties inculcat gratiam & misericordiā domini, quur nō in ius uocāt Chrysostomū, Theophylactum, Ambrosiū, Hieronymum, breuiter ueteres omnes qui talibus uocibus explerunt suos libros?

Et renouationis spiritus sancti.) Sermo Græcis est anceps quod διὰ paternum casum postulet. Ac legi potest, & renouationem spiritus sancti, ut repetatur præpositio, & per renouationem spiritus sancti. Atque ita sanè legit Hieronymus ordinans hunc locum in commentarijs. Neque secus interpretatur Chrysostomus, ita repetens, Hoc est enim quod ait, per renouationem spiritus sancti.

Abunde.) πλουσίως. Quod Hieronymus uertit, opulenter. Augustinus ad Valentinū legit ditissime.

Volo te confirmare.) βεβαιοῦσθαι. Quod anceps est uerbū: potest enim esse confirmari.

Vt curent bonis operibus præesse.) ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι. Ambrosius ita reddidit, Vt solliciti sint ad effectum bonorum operum. Ea potissimum inculcanda, quæ faciunt ad uitæ pietatem.

Bonis operibus.) Hic, datiuus est non ablatiuus, & respondet præpositioni præ. Sic em̄

præesse bonis operibus,quemadmodum dicitur aliquis præfectus annonæ aut militiæ.

Qui credunt.) οἱ πεπιστευκότες, id est,Qui crediderunt.Ita legit Ambrosius.

Pugnas legis.) μάχας νομικὰς, id est, Pugnas legales, quod Hieronymus explicans, Quæ ueniunt,inquit,ex lege.

Deuita.) περιΐσασο, de quo superius diximus.

Varia lectio.

Post unam & secundam.) Latinius erat,post unam & alterã.Et ita legit Hieronymus. Ambrosius legit,post primã,interpretans illos semel duntaxat admonendos,ne si sæpius id fiat,confirmatiores reddantur in malo,sed deuitandos,ut sibi relicti aut frigeant nemine obsistente,aut soli pereant.Ambrosianam lectionem hodie sequimur,qui hæreseos semel conuictum,si relabatur,nõ deuitamus,sed incendimus.Tertullianus in libro de præscriptionibus hæreticorum refert,quemadmodum Ambrosius.

Et genealogias.) γενεαλογίας.Quod Ambrosius reddit,originum enumerationes. Et, admonitionem melius quàm correptionem,ut indicat idem.Cæterum hæreticum ni fallor appellat,non qui dissentiat à quibuslibet placitis doctorum,sed factiosum, licet & factiosus sit qui hæreseos autor est.Sic interpretatur Chrysostomus locũ,prima Corinth. xi. Oportet autẽ hæreses esse. Chrysostomus ac Theophylactus interpretantur de peruersis dogmatibus.

Deuita.) παραιτου, id est,Reijce:non est περιΐσασο,quod mox eodem uerbo expressit.Hic locus est,quem senex quidam Theologus,& imprimis seuerus,in concilio produxit. Cũ uenisset in quæstionem,num quis esset locus in literis canonicis, qui iuberet hæreticum affici supplicio capitis.Deuita deuita,inquit,putans deuitare Latinis esse de uita tollere. Id ne quis suspicetur meum esse cõmentum accepi ex Ioanne Coleto,uiro spectatæ integritatis quo præsidente res acta est.Eamus nunc & negemus periculosum esse errare in uerbis.Sic iureconsulti furem suspendunt,quod lex latronem plecti capite iubet,& Gallorum uulgus furem latronem appellat.Sic medici frequenter errant,magno capitis nostri periculo,dum ob inscitiam uocabulorum uenenum porrigunt pro remedio.

Et in uerbis errare periculosum.

Proprio iudicio condemnatus.) αὐτοκατάκριτος, uoce composita,per se cõdemnatus, qui pertinaciter dissideat ab omnibus.Cyprianus in epistola primi libri tertia, legit, à semetipso damnatus.Rectius erat per se damnatus,hoc est damnatus,etiamsi nemo iudex de illo pronunciet,quemadmodum dicimus αὐτοδίδακτος. Cæterum illud subuersus est, Græce est ἐξέσφαλται, quod & ita potest accipi,excidit à uia,siue deflexit.Et ἁμαρτάνει potest uerti,errat,sed ita errat,ut sit per se condemnatus,etiamsi nemo illum condemnet, ut qui semel atq; iterum admonitus noluerit resipiscere.

Festina.) σπούδασον, id est,Stude siue cura.Nicopolis Thraciæ ciuitas, à uictoria qua Augustus deuicit Cleopatram, ut indicat Hieronymus. Theophylactus scripsit eam imminere Histro flumini.

Legis peritum.) νομικόν. Hieronymus legit,Legis doctor.

Præmitte,pro deducito.

Studiose præmitte.) πρόπεμψον. Imò deducito,siue prosequere, quod officiũ solemus hospitibus exhibere.Atq; in hunc sensum interpretatur diuus Hieronymus.

Discant autem & uestri.) Nostri,prima persona legitur tum in Græcis codicibus,tum in Latinis antiquis,& consentiunt interpretes.

Gratia uobiscum.) Græci legunt,Gratia cum omnibus uobis.Eam lectionem probat Hieronymus, testans in nõnullis codicibus adiecta fuisse duo uerba domini nostri. Ambrosius legit Gratia dei,cum omnibus uobis.Exemplar Cõstantiense habebat Gratia dei cum omnibus uobis,Amen.

Annotationum in epistolam Pauli ad Titum,
per Des.Erasmum Roterodamum,finis.

In epistolam



IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILEMONEM ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI.

DILECTO adiutori.) ἀγαπητῷ καὶ συνεργῷ, id est, Dilecto & adiutori, siue cooperario. Atq; ita legitur in uetustis codicibus Latinorum, in Hieronymo, Ambrosio, & Chrysostomo: quorum Ambrosius ita circūloquitur, τῷ συνεργῷ, & laborum nobis participi. Nam dilecto, hic nomen est, non participium, cuius admonet & Hieronymus in cōmētarijs, quibus hanc explicat epistolam, censens ἀγαπητὸν magis sonare diligibilem quàm dilectum, atq; in re ipsa hoc interesse, quod ἠγαπημένος, id est, dilectus esse possit qui non sit ἀγαπητός, id est, dignus qui diligatur, uelut cū inimicos ex præcepto Christi diligimus, sunt quidē nobis ἠγαπημένοι, id est, dilecti, at non ἀγαπητοί. Vide quantulam rem Hieronymus nō iudicarit indignam quam annotaret etiam in cōmētarijs iustis & accuratis, & ego quibusdā uideor nihil indicasse. ἠγαπημένος ἀγαπητός

Et Appiæ sorori charissimæ.) καὶ ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ, id est, Et Apphiæ dilectæ. Hanc Chrysostomus existimat fuisse uxorem Philemonis. Notat Pauli consilium Chrysostomus, ascisci multas psonas quo facilius exoret, adiungit Timotheū quē fratrē uocat, solitus uocare filium, sed fratris uocabulum conueniebat autoritati. Deinde Philemoni tribuit geminos titulos, dilecto & cooperario, ut hic quoq; Paulo consentiat, & huic adiungit Appiam, quam dilectā nominat: rursus addit Archippum quem συστρατιώτην dicit. Eodem pertinet quod seipsum appellat uinctū Iesu Christi, Inhumanius est negare uincto. Tanta erat sollicitudo apostolo, ut unū homuncionem fugitiuum reconciliaret.

Quæ in domo tua est ecclesiæ.) τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ. De familia sentit opinor. Proinde nos uertimus, congregationem. Indicat hoc haud obscure Chrysostomus, hunc enarrans locum. Cæterum quando hæc epistola scribitur ad plures, incertum erat quò referretur pronomen tua, ad Philemonem, an ad Archippum, qui proxime præcessit in ordine recensionis, nisi mox totum sermonem uerteret ad unum Philemonem. Quod antē nos indicauit Hieronymus. *Ecclesia familia.*

Semper memoriam tui faciens.) Aduerbium ἀεὶ, potest utrolibet referri, uel ad superiorem partem, uel ad insequentem. Nec ad sensum magnopere refert, an intelligamus semper agentem gratias, an semper memorem in deprecationibus ad deum. Admonuit & hoc Hieronymus, ne quis causetur à me res friuolas afferri. *Amphibologia.*

In domino Iesu, & in omnes sanctos.) Mirum cur casum mutarit, cum Græcis sit utro bicq; casus accusandi, In dominum Iesum, & in omnes sanctos. Quemadmodū legit Ambrosius, cumq; hoc Chrysostomus.

Euidens fiat.) Græci legunt ἐνεργὴς, id est, Efficax. Nam ἐναργὴς per alpha, significat euidens. Ita legisse uidetur interpres. Hieronymus admonet in Græco melius haberi ἐνεργὴς, quod exponit, efficax, siue operatrix, ut accipiamus fidem ipsis factis præstitam & cōprobatam. Et in hunc sensum enarrat Chrysostomus ac Theophylactus. Mirum autē quid secutus Ambrosius, pro euidens & efficax legerit accepta. *Ambrosius diuersa legit.*

Omnis operis boni.) Operis, redundat, nec inuenitur uel in Græcis, uel in antiquis codicibus Latinorum. Ad hæc nec apud Hieronymum, nec apud Ambrosium, nec apud Chrysostomum, aut Theophylactum, tantum est, omnis boni.

In Christo Iesu.) Ante hæc uerba reperio in Græcis codicibus, τὸ ἐν ὑμῖν, id est, Quod est in uobis. Idq; legit apud Chrysostomum ac Theophylactum, & apud Hieronymum. Ambrosius legit, quæ est in nobis, ut agnitionem referat, non bonum. Et dilucidius est, erga Christũ Iesum, ut hæc particula referatur ad efficax, ut cõmunicatio fidei tuæ sit efficax, erga uel in Christum Iesum, ad cuius gloriam spectat fidei tuæ cõmunicatio. Siquidẽ in pleriscq; Græcorum codicibus scriptum comperio, εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν. Quod si legamus ἐν Χριστῷ, uertendum erat, per Christum Iesum, ut intelligas agnitionem boni, siue bonũ, esse in nobis beneficio Christi, non nostro merito. Cæterum cum Theophylactus interpretetur de fide uiua & operante in nobis, gradibus uirtutũ, tamen interpres aut non sentiens hoc, aut dissimulans semper insulcit suum euidens, cũ non congruat expositioni.

Gaudium enim magnum habui, & consolationem.) Græce est χάριν ἔχομεν πολλὴν, καὶ παράκλησιν ἐπὶ τῇ ἀγάπῃ σου, id est, Gratiam habemus multam, in dilectione tua. Interpres legit χαρὰν, eamq; lectionem secuti uidentur Hieronymus & Ambrosius, cumq; his Chrysostomus, & germanam ac ueram arbitror, quod in huiusmodi uocum affinitatibus passim labi comperiamus notarios. Et tamen aliàs annotatum est à nobis, χάριν accipi pro χαρὰν apud Paulum. Theophylactus legit χάριν, sed interpretatur χαράν.

Requieuerunt.) ἀναπέπαυται, id est, Refocillata sunt.

Multam fiduciam.) παῤῥησίαν. De quo sæpius admonui.

Quod ad rem pertinet.) τὸ ἀνῆκον, id est. Decens siue conueniens. Sentit enim illius esse officij, quod tamen sic ab eo petit, quasi sit gratuitum aut præter officium.

Cum talis sim ut Paulus.) Græce sic habet, μᾶλλον παρακαλῶ, τοιοῦτος ὢν, ὡς Παῦλος πρεσβύτης, id est, Magis autem hortor, cum talis sim, ut Paulus senex. Sentit enim se cum id quod æquum erat, suo iure potuisset imperare Philemoni, nempe Paulus & senex, postremo uinctus Iesu Christi, maluisse tamen uti precibus, memorem charitatis potius, quàm autoritatis. Ambrosius interpretatur Philemonem Paulo fuisse coæuum, quod tamẽ nec Chrysostomus, nec Theophylactus, nec Hieronymus indicat. Ambrosius legit cum talis sis. Sed hic palàm reclamat ratio grammaticæ, nisi forte placet ut Paulus hic uideatur admisisse solœcismum, aut ὢν nominandi casus positus sit pro ὄντος & subaudiatur pronomen σου, quæ sermonis forma nonnunquam reperitur apud Græcos. Hieronymus interpretari uidetur iuxta Græcos, cum ait, Grandi petentis autoritate proposita, per quam & apostolus obsecrat & senex & uinctus Iesu Christi. Hos itaq; sequi maluimus, sic tamẽ ut liberum sit cuiq; suo frui iudicio.

Illum ut mea uiscera.) αὐτόμ τοῦτ' ἔστι τὰ μὰ σπλάγχνα, id est, Ipsum, hoc est, mea uiscera. Porrò quod in pleriscq; Latinis additur, Filium meum charissimum, apud Græcos nõ additur. Nec est quicquam in Hieronymi commentarijs, unde coniectes eum legisse filium charissimum. Forassis adiectum est hoc ab eo, qui uoluerit interpretari, quid sit, hoc est uiscera mea.

Sine consilio.) χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης, id est, Sine tua sententia.

Hora, pro tempore.

Ad horam.) πρὸς ὥραν. Recte monuit Hieronymus hic horam pro tempore positam, nisi quod hora breuiculum tempus magis indicat. Quanquam quod Græci usurpant horam pro tempore, id propemodum imitatus est Horatius:

Qui purgor bilem sub uerni temporis horam.

Vt in æternum.) ἵνα αἰώνιον, id est, Aeternum, hoc est, ipsum iam non temporarium ministrũ, sed perpetuo tecum uicturum. Atq; ita legit Ambrosius, simulq; Hieronymus. Et consentiebat cum Græca lectione uterq; codex Constantiensis.

Sed pro seruo.) Græce est ὑπὲρ δοῦλον, id est, Supra seruum. Quidam legisse uidentur ὑπὲρ δόλου. Quãq; hic magis quadrabat ἀντὶ δόλου. Certe Hieronymus legit, Iam non scuti seruum, sed plus seruo, quãq; Latinius erat, seruo potiorem. Et sic habebat exemplar utrunq; Constantiense.

Ego reddam.) ἀποτίσω, id est, Dependam siue resoluam. Est enim sermo fideiubentis pro Onesimo, & sese illius uice obstringentis. Diuus Hieronymus ex hoc loco ratiocinatur, Onesimum non sine furto profugisse à domino suo. Quod idem testatur Theodoretus in Græcorum scholijs. In ijsdem reperio Philemonem Phrygem fuisse, apud hos autem

Philemon Phryx.

autem ingens erat mancipiorum prouentus,unde & prouerbiũ,Phrygem plagis emendari.Et tamen produnt hunc Onesimum postea Romæ martyrij lauream meruisse.

Ita frater.) Ita,hic affirmantis aduerbium est,ναί.Ambrosius addit sic:Ita frater, sic ego te fruar in dño.Est autem uox obtestantis fratrem aut filium,quẽ optamus nobis esse uoluptati,quasi nihil sit nobis illius fruitione dulcius.Per eam igitur adiurat Philemonem. Hieronymus ναὶ uult esse blandientis,quẽadmodũ apud Hebræos est,ana.Est autem allusio ad nomen serui,quẽ cõmendat.Nam Onesimus Græce utilis est. Ad quod alluserit & superius,cũ diceret:Qui tibi aliquãdo inutilis fuit,nũc autẽ & mihi & tibi utilis, hoc est, nunc id est, quod dicitur ὀνήσιμος. Declarat autem hæc epistola,quamlibet breuis,Paulum hominem fuisse singulari quadam præditum humanitate,qui tãto studio seruum fugitiuum cõmendauerit,& ei cõmendauerit,obsecrans & obtestans,cui pro sua autoritate proq; meritis in illũ poterat imperare quod rogat.Deinde quid festiuius etiã dici poterat,uel ab ipso Tullio in huiusmodi argumẽto:nisi quod quidã nomine dũtaxat Christiani,animo infensissimi Christo,nihil eruditũ putant,nihil elegans,nisi quod idem sit ethnicum.Et uniuersum sermonis florem semel perijsse existimant,si quid de Christo fuerit admixtum,quod illius sapiat doctrinam,cum ea uel prima sit eloquentiæ pars, sermonẽ rebus accõmodare.Quo magis etiam admiror,ullos de hac epistola dubitasse, num Pauli esset,cum pro ratione modoq; argumenti,nihil esse magis Paulinum possit.

Onesimus Græce utilis.

Humanitas Pauli.

Donari me uobis.) χαριοθήσομαι ὑμῖν, id est,Donabor uobis.Et ita legit Ambrosius.

Annotationũ in epistolam Pauli apostoli ad Philemonem, per Des.Erasmum Roterodamum,finis.

IN EPISTOLAM PAVLI AD HEBRAEOS ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI. EX CAP. I.



Oquens.) λαλήσας, id est,Locutus, præteriti temporis, Olim locutus in prophetis,proximis temporibus locutus est nobis in filio.Interpres illud fugisse uidetur,ne bis diceret locutus,cũ Paulo utrobiq; sit dictio cõsimilis λαλήσας & ἐλάλησεν & in his sit etiam gratia schematis.

In prophetis in filio.) Chrysostomus etiã annotat præpositionem in positam esse loco per.

Splendor gloriæ.) ἀπαύγασμα, id est, Refulgentia,siue relucentia,quod ex alio resplẽdet.Nam filius lumen est de lumine.

Et figura.) χαρακτὴρ, quam dicere possis,formã expressam ex alio,siue notam rei cuipiam impressam,uelut in cera. Vox dicta à uerbo χαράττω,quod est insculpo siue notam imprimo.Hieronymus adducẽs hunc locũ in cõmentarijs Esaiæ legit pro character,forma.Nihil aũt ppius exprimit archetypũ q̃ imago impressa sigillo. Et substantiæ,ὑποστάσεως,nõ est οὐσία, quã essentiam uertit Quintilianus: ὑπόστασις à substendo dicta est,quæ Græcis aliquãdo accipit̃ p psona.Ex hoc uerbo nata est magna digladiatio,quod Ariani exigerent treis hypostases,& uerbũ homousij non reciperent.

Ob duo uerba totus orbis sctus est.

Portansq; omnia uerbo uirtutis suæ.) φέρων τε τὰ πάντα. Meo quidem iudicio, φέρων hoc loco non significat idem quod portans siue baiulans, sed agens potius, siue mouens ac moderans. Nam φερόμενα dicuntur Græcis,quæ impetu quodam aguntur:unde & φορὰν impetum uocant. Et ἄγων καὶ φέρων dicitur,qui suo arbitratu moderatur aliquem. Sentit enim Paulus,aut quisquis fuit autor epistolæ,non solum mundum hunc cõditum per filiũ

Portans, pro moderans.

per filium, quemadmodum modo dixerat, Per quem fecit & secula, uerum conditum regi & administrari, idq; non studio curaq; & industria, sicut administrant homines, sed uerbo, hoc est, nutu suæ potentiæ. Nam quod principi uerbū est, quo iubet aliquid fieri, hoc illi est uelle. In hanc sententiam interpretatur & Chrysostomus, annotans emphasin huius participij φέρων. Gubernat enim aliquis cū negocio. Fert, qui sine negocio mouet quo libet. Proinde nos uertimus, Agat moderetur q;. Thomas licet non senserit emphasim huius uocis, tamen haud multum aberrat à scopo.

Purgationem peccatorum faciens.) Græci addunt δι' ἑαυτοῦ, id est, Per seipsum purga. pec. fa. Et faciēs apud Græcos præteriti tēporis est, unde trāsferre poterat, purgatiōe peccatorum facta, ne sedēdo uideat purgare. Prius em purgauit morte sua, deinde cōsedit.

Sedet.) Sedit, præteriti temporis est apud Græcos, ἐκάθισεν, quasi dicas, cōsedit. Chrysostomi interpres uertit Sedere fecit. Et huic lectioni consentit enarratio cū Chrysostomi, tū Theophylacti, quos mirū nihil fuisse offensos participio γενόμενος, nisi forte legerūt γενόμενον. Et sanè Græca uox est ambigua. Sed obstat participiū, quod sequit γενόμενος.

Ad dextram &c.) Græca aliquanto secus habent, ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης, id est, In dextra throni maiestatis. Quanquam hic exemplaria Græcorū uariant, nec throni mentio additur apud Theophylactum. Atq; hic uere maiestas est, non δόξα.

Tanto maior angelis factus.) Non est Græce μείζων, sed κρείττων, quod sonat potiorem siue potentiorem. Vel hunc explicent locum, qui contendunt nullo modo Christum fuisse angelis minorem. Quomodo dicetur maior factus, qui nunquam fuerit minor: nisi forte sophistarum more libebit argutari, ex æquali factum maiorem.

Christus aliquo modo fuit minor angelis.

Differentius.) διαφορώτερον, id est, excellentius: quod διαφέρειν duo Græcis significat, differre & præeminere.

Hæreditauit.) κεκληρονόμηκεν, id est, Hæreditate accepit, siue sortitus est.

Ego ero illi in patrem.) q; aliâs quadrabat, Loco patris & loco filij, tamē hic malui: Ego ero illi pater, ille mihi filius, ne quis imaginetur adoptionem.

Et cum iterum.) ὅταν δὲ πάλιν, id est, Cum autem iterum.

Et ad angelos quidem suos.) Suos, supereſt. Nec additur in emēdatioribus Latinis.

Flammam ignis.) πυρὸς φλόγα, id est, Ignis flammam, hoc est igneam flammam.

Sedes tua deus.) ὁ θρόνος σου ὁ θεός. Incertum est, an hic sit sensus, ó deus sedes tua est in seculum seculi, an hic, Ipse deus est tibi thronus in seculum seculi. Nam sermo Græcus anceps est. Sed priorem sequuntur interpretes. Chrysostomus annotauit & hic articulū esse additum, ὁ θεός: quæ quidem annotatio non uideo quem habeat locum, nisi accipiamus ὁ θεός dici filio. Innuit enim Chrysostomus articulo significari uerum deū. De patre uero nec Ariani dubitant quin sit ὁ θεός.

Duplex lectio

Ipsi peribunt tu autem permanebis,) Græcis uerba sunt præsentis temporis, pereunt & permanes, ἀπολοῦνται, διαμένεις. Quāq; pereunt ambiguum est, & in διαμένεις solus accentus facit futurum tempus διαμενεῖς.

Mutabis eos.) ἑλίξεις αὐτούς, id est, Volues, siue uertes eos. Atq; id uerbi magis quadrat in cœlos, aut etiam in uestem. Interpres legisse uidetur, ἀλλάξεις. Et apud Hebræos est תַּחֲלִיפֵם transitiuum secundum, à uerbo, חָלַף quod est, mutauit, quemadmodū mutatur amictus. Vnde & mutatoria dicūtur, annotante Capnione nostro. Græci cōstanter legūt ἑλίξεις, nō ἀλλάξεις. Atq; ita interpretatur Chrysostomus & Theophylactus. Proinde quid legendum sit, eruditis expendendum relinquo.

In ministeriū missi.) Missi apud Græcos pñtis tēporis, ἀποστελλόμενα, id est, Qui mittūtur. Mittūtur em & hodie. Et capient, nō capiunt, hoc est, futuro tēpore nō præsenti.

EX CAPITE SECVNDO.

Pereffluamus.) Valla mauult præterfluamus παραῤῥυῶμεν. Chrysostomus interpretatur pereamus, sumptumq; putat ex prouerbijs Salomonis: Fili mi ne effluas, ἵνα μὴ παῤῥυῇς. Prorsus em & irreparabiliter perit, quod dilabitur.

Quæ cum initium accepisset enarrandi.) Enarrari legitur in uetustis exemplaribus nominatim in Paulino. Græce est, λαληθεῖσα, hoc est, quæ primū dicta fuit à domino.

De quo

De quo loquimur.) Quo, refert orbem terræ, non deum. Id quod ex Græcis palã est.
Quis dicens.) τις, id est, Quidam.
Minuisti eum paulominus ab angelis.) Admonet hoc loco Iacobus Faber Stapulensis, apud Hebræos haberi, minuisti eũ paulominus à deo. Atq; ita prorsus indicauit Hieronymus, aut si quis alius fuit Psalmo viij, p angelis qui illis uocantur מלאכים Malachim haberi אלהים Eloim. Thomas refert hunc locũ ad humanam naturam Christi, qui minor angelis factus sit non iuxta animam, sed iuxta corpus assumptum, per quod mortalis & doloribus obnoxius erat, cum angeli nullis malis attingi possint. Cuius equidẽ sententiam non reijcio, nisi quod prudenter accipiendum est, quod dixit Christum secundũ animam humanam non fuisse inferiorem angelis. Nam si nullus doloris sensus ad ullam animæ partem pertinebat, non potuit esse acerbissimus in Christo dolor, quẽ ipse tamẽ Thomas uult proximum fuisse cruciatibus damnatorum apud inferos. Et si hoc nomine minor est alijs, quod corpus haberet obnoxium doloribus, multo magis dicetur minor quod animã haberet obnoxiam tædio mœroriq;. At Faber hoc loco dissentiens à Thoma, multis argumentis cõtendit, A deo legendũ esse, nõ ab angelis, quæ recẽsere longius sit, nec admodũ necessariũ, cũ liber extet formulis semel, atq; iterũ excusus. Verum siue legas A deo, siue ab angelis, uidetur idẽ manere scrupus. Etenim si de assumpto intelligas homine, quemadmodũ necesse est, nõ paululum fuit imminutus à deo, imò infra abiectissimos etiã homines, quẽadmodũ ipse de se testatur in psalmis, Ego autẽ sum uermis, & nõ homo, opprobrium hominũ & abiectio plebis. Nulla enim proportio naturæ humanæ ad diuinitatem. Ne ab angelis quidem paululum fuit diminutus, qui usq; ad famem ac sitim, usq; ad flagra, ad crucem, usq; ad mortem deniq; descenderit. Proinde mihi uidetur illud, paulominus, quod Græce est βραχύτι, nõ ad dignitatis imminutæ modum esse referendum, sed ad temporis modũ quo uersatus est Christus in terris, quasi dicas, Ad breue tempus diminutus est ab angelis: quemadmodũ interpretatur Chrysostomus & Theophylactus. Neq; uero refellit huius partis sensum, id quod sequitur, Gloria & honore coronasti eũ, omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues &c. Siquidem prius illud pertinet ad Iesu uitam actam in terris & passionẽ, hoc posterius ad glorificationẽ, ad quã ut homo subuectus est. Neq; uero prorsus hoc fefellit Aquinatem, qui indicat paulominus, bifariam accipi posse, uel ut pertineat ad quãtitatem, sic em̃ loquitur, uel ut pertineat ad durationem. Stapulensis in ius trahit interpretem epistolæ, qui quidẽ quis nam fuerit, incertum est. Vt parum probabile sit ipsam epistolam à Paulo fuisse conscriptam, sanè sunt qui Lucam putent interpretem fuisse. Quam opinionem si recipimus, is interpres in ius uocari non potest, præsertim cum apud Hebræos hæc uox אלהים eloim πολυσημος habeatur, quippe quæ utrouis numero, singulari aut plurali, deum, aut deos declaret, nõnunquam angelos, aut homines etiam admiratione dignos. Interdũ principes aut iudices, ut illic: Principi populi tui nõ maledices. Et Exodi capite uicesimo primo, Offerat eũ dominus dijs, & applicabitur ad hostium. Quo loco Hebræi dijs interpretantur Iudicibus. Et Chaldaica interpretatio sic extulit, Adducat eum magister suus ad iudicem: quemadmodum annotauit & Capnion noster in rudimẽtis Hebraicis. Verũ hæc ad præsens institutũ proprie nõ attinẽt, nisi quatenus exigit lectionis ratio. Proinde paucis indicasse sat esse duximus. Alioqui erãt in hac epistola diligentius excutiẽda permulta, quæ nõ nisi uerbosa disputatione possint explicari. Vnum illud addam, Hieronymum uideri non admodũ probasse, quod hæc proprie tribuantur Christo, quum hunc enarrans psalmum ait, Hũc locum Apostolus in epistola ad Hebræos super Christo interpretatur. Et de autore eius adeo fuit dubitatũ, ut sero recepta sit à Romana ecclesia: quandoquidem in hanc unam omnium nihil cõmentatus est Ambrosius. Et Hieronymus ait à nonnullis non fuisse receptã, ob id quod in ea nõnulla citarentur, quæ apud Hebræos non inueniantur. Ex hoc loco Faber Stapulensis, uir cum primis probus ac doctus, ansam arripuit cõflictandi mecum, siue id fecit instinctu alieno, siue quo meum animum exploraret, siue affectu quodã humano, ut nullus adhuc hominũ extitit, qui omnibus horis sapuerit. Sed quoniã illius insectatio cõmentarijs intermixta passim legitur, neq; cõmodum est uisum nostram apologiã, q̃ illi copiosius respõdeo, in hũc insulcire locũ, capita rerũ dũtaxat ãnotabo lectori.

Faber

Thomas

A deo, non ab angelis

Eloim Hebræis multa significat.

Capnion.

Faber ab Erasmo dißentiẽs

Primum

1 Primum,quod facit me reiícientem ſuam ſententiam, ac Hieronymianam interpretationem,res ipſa declarat longe ſecus eſſe,cũ utrãq; recenſeam,nec hanc,nec illam reiíciẽs, ſed tantum indicans ſcrupulum,qui uideatur in utraq; lectione obſtrepere, eumq; conor amoliri,per hoc & Fabri parteis adiuuãs.Nam is ſcrupulus grauius obſtabat,ſi legamus eum paulum diminutum à deo,quàm ab angelis.

2 Deinde quod hanc diſputationem mecum ſuſceptam,uocat propheticæ intelligentiæ defenſionẽ,ad me certe non pertinet,quum ego propheticãm intelligẽtiam pro uirili ad iuuem,non impugnem.Nec hic ſine contumelia me facit intelligẽtiæ propheticæ aduerſarium,etiamſi conſtaret prophetam hoc ſenſiſſe quod ille uult,quum nec Fabro aduerſer,& Hieronymianam annotationem nominatim etiam adducam.

3 Deinde quod dixeram illum hac in parte à Thoma diſſentire,id ita defendit, quaſi crimínis uice intentarim,cum nihil tale ſit in ſcriptis meis.Solus Hieronymus admonuit de Eloim,cæteri omnes tum Græci,tum Latini legunt Ab angelis,cum his conſentit Thomas,niſi quod addit diſtinctionem de corpore & anima Chriſti,Id quoniam habebat peculiare,nominatim illius feci mentionem. Quid enim magni erat ſi dixiſſem Fabrum hic diſſentire à Thoma,ubi diſſentit ab omnibus orthodoxis,imò ab ipſo Paulo,quẽ putat huius autorem epiſtolæ,& à publica eccleſiæ lectione,tot ſeculis recepta comprobataq;.

4 Quarto loco ſic mecũ argumentat,quaſi iam conſtaret,ac definitum eſſet,legendum A deo,nõ ab angelis,cum id uerſetur in quæſtione,imò maxime uertatur in dubiũ, quod ille ueluti certum & confeſſum aſſumit,an legendum ſit A deo,quod ſemel duntaxat annotauit Hieronymus & unus & paucis uerbis,nec improbans tamen receptam lectionẽ, & aliis locis adducens hunc pſalmum,iuxta id quod nos uulgo legimus.

5 Quinto loco,uelut impie dictum,reiícit ac refutat,quod obiter ſcripſerim id quod in pſalmo legitur,Minuiſti eum paulominus ab angelis,de homine aſſumpto intelligendũ, perinde quaſi his uerbis diſtraxerim Chriſti hypoſtaſim,aut quaſi Chriſti uocabulũ,pro una dũtaxat natura uſurparim,quum nihil tale ſermo meus habeat:qui neq; à Latinæ linguæ conſuetudine,nec à ueterum ſcriptis,nec à ſacris literis abhorret,niſi palàm calumniari uelis.Quod diminutus dicitur Chriſtus,utiq; pertinet ad naturã humanam aſſumptã, iuxta quam diminutus eſt.Et tamen oſtendo,ex ſuperuacuo non abſurde aliquid poſſe enunciari de altera naturarũ quæ ſunt in Chriſto,quod in alteram proprie cõpetat. Sed hæc copioſius diſſeruntur in Apologia:nam paucis annotari non poſſunt.

6 Sexto,quod ille uelut abſurdum execratur,Chriſti uocabulum pro una accipi natura, demonſtro recte accipi iuxta uulgatam ſcholarum opinionem, nempe pro diuina unita humanæ,etiamſi negem id à me factum,idq; doceo clariſſimis argumentis.

7 Septimo,quod ille toties inſulcit,homo aſſumptus fuit imminutus à deo, conſtat Fabri ſermonem eſſe,non meum.

8 Octauo,quod dixímus Chriſtum,non ſolum infra angelos deſcendiſſe,ſed infra abiectiſſimos etiam homines,Faber atrociter eum ſermonem refutat,tanq; impium & Chriſto deoq; indigniſſimũ, tanq; ſpiritui aduerſantẽ,& literæ quæ occidit adhærẽtem, tanq; prophetæ repugnantem,quum ego multis modis demonſtrem,hunc ſermonem cũ primis eſſe pium,concinentem oraculis prophetarum,congruentem cũ interpretatione orthodoxorum,cum primis conſentientem cum uerbis Pauli,præſertim ſi modum deiectionis,æſtimemus non iuxta naturam hominis aſſumptam dũtaxat,uerumetiam iuxta naturæ corruptæ iniurias pleraſq;.Potiſſimum autem iuxta ſpeciem hominis nocentis,quã noſtra cauſa geſſit ad tempus,iuxta quam crucifixus eſt inter duos facinoroſos, uelut & ipſe damnatus ob ſcelera ſua. Nam iuxta hunc ſenſum potiſſimum placet Ambroſio,intelligi quod ad Philippenſes ſcribit Paulus,Exinaniuit ſemetipſum &c.

9 Nono,quod inibi ratiocinatur Faber,Si propter naturam humanam aſſumptam,paulum eſt imminutus à deo,cum deus eſſe perſeuerarit,non conſiſtit abiectũ fuiſſe infra abiectiſſimos homines,palàm eſt omnibus nõ agere Fabrũ dialectice,dũ aſſumit aduerſum me βραχύτητα hic referri ad modũ dignitatis,ut opponat multũ,cũ ego doceam referri ad tẽpus,ut opponatur diu:neq; pugnant plurimũ eſſe diminutũ,& pauliſper eſſe diminutũ.

Decimo,quod in calce huius particulæ adiecit,me intendere hunc eſſe ſenſum prophe-

tæ,Chriſtum

tæ,Christum non paulum fuisse imminutum ab angelis,ac tanto minus à deo, & ex his consequi,multo magis à deo diminutum,si multum fuit diminutus ab angelis:atq; ita denicq; prophetæ sensum utroq; modo subrui,siue legamus à deo,siue legamus ab angelis, satis opinor,ex superioribus liquet,hoc illi non modo sine causa,uerumetiam sine mente in me dictum esse.Eiusdem farinæ est illa clausula,Quare hic sermo seipsum elidit, & falsum esse,omni ex parte manifestat.Nulla enim pugna in meo sermone,sed in ijs quæ Faber ex sese cõminiscitur,tota hæc pugna est.

Porrò quod undecimo loco subijcit,non consistere sermonem, quo scribo Christum ne ab angelis quidem paululum fuisse diminutum, qui ad mortem usq; crucis descenderit,nemo non uidet ita dictum,ut aut ipse non perpenderit quid diceret,aut amicum uoluerit irridere: Si non ab angelis, inquit, paulum quidem fuit diminutus, quomodo approbatur in Propheta legendum esse,Minuisti eum paulominus ab angelis? Pugnant ne paulominus,& non paulominus,paululum,& non paululum? Non animaduertit Faber hanc enunciationem,Ne ab angelis quidē paululū fuit diminutus,affirmatiuam esse,non negatiuam,quæ significat diminutū,sed non paulum, imò multū:secus esset si dixissem, Ne paululum quidem fuit diminutus.Liquet igitur hic nihil esse quod secum pugnet.

Duodecimo loco,quæ nos adduximus è psalmis,Ego sum uermis & non homo, similiaq;,Christi testantia humilitatē,negat uere in Christum cõpetere,sed tantum iuxta æstimationē impiorum.Atqui cum interprete Augustino,imò ueteribus omnibus,hæc Christo tribuantur,ob humanam naturam assumptam,& naturæ nostræ iniurias, postremo ob afflictiones quas ut homo nocens perpessus est,ne hæc quidem in illum uere competent.Imò quia Christi deiectio,nobis humilitatis exemplum præscribit,opinor magis cõuenire,ut hoc exemplum,ut summū,ita uerissimū esse credamus.Quod si appellatio uermis,& in membra Christi competit,nõ statim cõsequitur in ipsum non competere.

Decimotertio,quod adducit Mariam matrem Iesu,dilectum discipulum, Magdalenā, ac reliquas,multa compassione fleuisse Christum,magis pro me facit.Etenim si nihil in illo erat non magnificum ac felix,quid super illo flebant?

Decimoquarto,quod rogat qui cõueniat,eum dici uermē,qui sit primogenitus omnis creaturæ,& superior est omnibus creaturis,uicissim eũ rogabo,qui cõuenerit olim Christum dici deum & hominem,mortalem & immortalem,filium hominis & filiũ dei, mortuum & uiuum? Quis enim non uidet diuersissima in eundem competere, ob naturarum diuersitatem,quas eadem hypostasis complectitur.

Decimoquinto,quod dicit Iesum ita fuisse hominem,ut omnium maxime uere fuerit homo,nihil ad me pertinet.Mihi satis est,quod ipse sese uocat nõ hominē.Neq; eñ quisquam ita insanit,ut accipiat illum nõ fuisse uere hominem.Sed quemadmodum quæ cõtemptissima sunt,dicuntur nõ esse,ita deiectissimos homines,non homines dicimus. Porrò an Christus magis fuerit homo quàm cæteri,dialecticis disputādum relinquo. Ego ut summũ hominē fuisse profiteor,ita nõ ausim affirmare maxime omniũ fuisse hominem.

Decimosexto,quod Christus,ut ait in euangelio,nõ asscribit sibi nomen uermis,sed ea potius quæ sunt dignitatis,Primum mihi satis est,quod se in Propheta uermem dixerit. Neq; uero quæ in sacris literis testantur Christi dignitatem,derogant illius assumptæ humilitati,ut neq; retrorsum,quæ declarant humilitatem,derogant celsitudini.

Decimoseptimo,negat Christum uermem dici posse,quod terrenus non sit, sed iuxta Paulum cœlestis,imò & cœlestis erat,& terrenus.Iuxta illud dicitur filius dei,iuxta hoc filius hominis,siue Adæ. Porrò quod addit de proportione identitatis, aut æqualitatis, an ulla talis sit,ipse uiderit.Sed si hanc solam ponit in Christo,nõ erit ullo pacto imminutus à deo,quod tamen fatetur Faber.Quod si iuxta assumptam naturam dicitur inferior deo patre,proferat ille si quam nouit proportionem inter creatorem & rem creatam.

Decimooctauo,quod ratiocinatur & seraphim ad deitatem collatos uermes dici posse,nihil ad me pertinet.Neq; uero sic argumentor,Inter hominem & deum nulla est proportio,igitur homo uermis est:uerum ita colligo,Christus se uermem dicit & non hominem,opprobrium & reiectamentum plebis,igitur non fuit paululum ab angelis diminutus,sed plurimum,etiam infra uulgus hominum.

Decimonono quæstionem mouet,an ob iniurias susceptas,Christus fuerit in se diminutus.Exponat quid dicat in se,& nihil fuerit negocij illi respondere. Neque ratio uetat Christum quo plura passus est,hoc merito fuisse maiorem, & tamen interim uere deiectum. Vt dissimulem hic quod me facit aduersarium suũ,qui pro ipso faciam, quod meũ sermonẽ coniungit cũ opinione Iudæorum,qua Christus multum fuit diminutus: quod periculũ denunciat,si meis dictis pertinaciter hæream.Ego uero mea facile recantabo, si prior recantet Paulus quod scripsit,Exinaniuit semetipsum.

Vigesimo loco,negat mortem Christi dicendam humiliationem,sed magis exaltationem,quum ipse dicat,Cum exaltatus fuero à terra,omnia traham ad me. Eadem ratione Iatrones poterant dici exaltati.Imò Paulus ipse,Christi passionem,diminutionẽ interpretatur in hac ipsa epistola,Exaltationẽ,resurrectionis & immortalitatis gloriã.Atq; hoc loco uidetur sibi parum constare Faber.Cum enim omnibus machinis hoc agat Faber, ne Christus dicatur uere humiliatus fuisse,sic concludit,passionem illius non uocandam humiliationem in malam notam.Fatetur igitur esse humiliationẽ in bonã notam. Atqui in optimam notã nos illi tribuimus.Quis enim aliter tribuat Christo,nisi prorsus impius?

Vigesimoprimo,ait Christum cum ista pateretur nihilo secius fuisse regem angelorũ, uelut absurdum sit dicere illum humiliatum infra angelos,qui rex sit angelorum. Atqui ea ratione non fuit inferior deo,cũ fuerit deus.Et tamen hoc certe dat Faber.

Vigesimosecundo,sic ait,Verũ hæc omnia pro nobis miseris iuxta oracula pati debebat,& uideri admirandus supra omnes,& uideri abiectus & humiliatus: nimirũ innuens non humiliari,qui immeritus affligitur:imò hoc magis se deiecit, quo magis innoxius,p indignis ea pati uoluit.Et,ni fallor,sicut uere uisus est admirandus,ita uere uisus est abiectus & humiliatus,non simpliciter,sed quod mihi satis est aliquo modo.

Vigesimo tertio,quod proponit de martyribus,pro me facit.Humiliantur illi,cum cruicem præbent lictori, exaltantur glorioſæ mortis,tum memoria,tum præmio.

Vigesimo quarto,negat βραχύτι ad temporis modum posse referri,quo Christus uersatus est in terris,cũ eum mox iubeantur adorare omnes angeli. Mirum uero si iubentur adorare qui deus est.Nec tamen ideo consequitur nõ aliqua parte fuisse inferiorem, qui fuerit mortalis,cum illi sint immortales.

Vigesimo quinto,fortiter negat apud Hebræos, Meat, sonare spatium temporis,sed quantitatis,siue magnitudinis,& locis aliquot productis,putat se rem factã habere,quasi uero consequatur,si Meat alicubi sit usurpatum apud Hebræos,ut non declaret breuitatem temporis, non posse usquam ad temporis significationem accommodari.Certe psalmo triceſimo sexto,Adhuc pusillũ & non erit peccator,Hebræis est Meat. Item psalmo centeſimo octauo,Fiant dies eius pauci,rursus est Meatim. Rursum psalmo secundo,Cũ exarserit in breui ira eius,est Bimeat.Nec dubito quin centũ loca produci queant, si quis hoc agat. Vide quid est rem dubiam,ut exploratam asseuerare.

Vigesimo sexto,quis non uidet præceptionẽ nihil ad rem pertinere,qua docet hæc uocabula multũ ac parũ,similiaq;,quoties iungũtur uocabulis auctionẽue designãtibus,nequaq; solere significare tẽpus,sed paulominus adiũgit uerbo,minuisti.Nõ enim hic agitur,recte ne uerterit Latinus interpres,sed quid Græca uox βραχύτι declaret. Quis eñ Latinus unq; dixit paulominus,p paululũ? quod magis sonat,ppemodũ.Q̃d si βραχύτι Græcis ad tẽpus pertinet,non uertendũ erat paulominus aut paululũ,sed pauliſper.Neq; quicq; uetat ita loqui,Pauliſper auxisti rem meã,pauliſper deiectus fuisti.

Vigesimo septimo, conatur & Græcorũ autoritate probare,βραχύτι,non posse ad tẽpus referri,quod Eustathius Homeri interpres,de talentis loquens, βραχύτι dixerit, non tẽpus indicans,sed magnitudinẽ aut æstimationem.Primũ plus tribuendũ arbitror Athanasio,Chrysostomo,Origeni,uiris usq; ad eloquentiæ miraculũ Græce peritis,q; Eustathio alienorũ cõmentariorum rhapsodo.Ad hæc qui consequitur,Eustathius βραχύτι accõmodauit ad magnitudinem,igitur non potest ad tẽporis modũ pertinere: ut quoniã breuem fustem dicimus,non liceat dicere breue tempus.

Vigesimo octauo,quod docet si quis tempus uolet significare, dicendũ esse ἐπ᾽ὀλίγον aut μικρόν:quod posterius est apud Ioannem:hæc non significant tempus,nisi quia subau-

ditur

ditur χρόνῳ, asinum significatura, si subaudiatur ὄνῳ, quemadmodum usu uenit & in βρα χεῖ, cum dicimus ἐν βραχεῖ, id est, Breui, nimirum tempore.

Vigesimo nono, docet si interpretes Septuaginta tempus intelligi uoluissent, dicturos fuisse, ἠλάττωσας αὐτὸν ταχὺ παρ' ἀγγέλους, idq; ita Latine uertendum fuisse, Minuisti eum cito ab angelis. Verũ quis ita loquitur, Cito uixit, pro nõ diu uixit? licet cito mortuus est, apte dicatur, qui nõ diu uixerit. Christus cito exaltatus fuit, quia nõ diu fuit humiliatus.

Tricesimo, Vulgariũ & Athanasiũ duos facit, cũ cõmentarij in epistolas Pauli, qui circumferũtur uersi à quodã Priore S. Balbinæ, Vulgarij sint, seu potius Theophylacti Bulgarien sis episcopi, non Athanasij. Quod protinus deprehendet qui Græca contulerit.

Tricesimoprimo, cum Faber asseueret hãc lectionem esse impiam atq; adeo hæreticã, si quis contendat tueri, paulisper imminutus ab angelis, tamen Chrysostomum ac cæteros orthodoxos omnes, nõ aliter excusat, q̃ quod decepti per Septuaginta qui uerterint Ab angelis, putarint sic esse apud Hebræos, ac difficultate loci cõstricti, huc cõfugerint, ut βραχύτι ad tẽporis modũ detorquerent, sed falso. Mallem illũ de tantis ecclesiæ columnis paulo ciuilius fuisse loquutũ, præsertim cũ nemo sit omniũ qui non cum illis hac in parte sentiat. Ipse denicq; Hieronymus, sicut ante docuimus, idq; in opere nõ suspecto, cũ cõmẽtarij quos habemus in psalmos, aut non sint Hieronymi, aut certe multis locis contaminati sint alienis emblematis, ut omittã, quod tot seculis magno cõsensu, sic legit, sic cantat, sic docet ecclesia, quæ ut labi possit alicubi, certe sensum hæreticũ nõ amplecteret tot ætatibus. Tricesimo secundo, quæ adducit ex euangelio de dignitate Christi, contra me nõ faciunt, qui sic illi tribuo pro tempore assumptam humilitatem, ut dignitati nõ derogem: Vno, inquit, patre minor dicitur, uerum sed eidem patri fuit æqualis: ita secũdum aliquid inferior fuit angelis, non simpliciter inferior.

Tricesimo tertio, multis uerbis docere nititur hominem unitum diuinitati, hoc ipso, sic exaltatum fuisse super omnia, ut paulum esset imminutus à deo. Atqui quod Faber hic uocat exaltationem, Paulus uocat exinanitionem. Et addit, formam serui accipiẽs, quod ipse quoq; Faber superius interpretatur, Humanam naturam. Certe Faber inæqualitatẽ ponit in Christo, secundum quiddam: quæ si sumitur iuxta comparationem diuinæ naturæ & humanæ, quomodo secundum hæc dici potest paulum diminutus?

Tricesimo quarto, expatiatur in campum late patentem, multa colligens de excellentia Christi, quibus adeo nihil detraho, ut ad illius dignitatem mihi ieiune, parceq; dicta uideantur. Sed ut ante demonstratum est, hæc non officiunt ijs quæ de eiusdem humilitate sunt dicta, iuxta naturam assumptam.

Tricesimoquinto, quando Faber usq; adeo mordicus tenet, Christũ non nisi paululum fuisse imminutum à deo, uel illud expediat, quo sensu Paulus dicat eundem exinanisse se? An exinanire significat paululũ quiddam diminui, quod nobis penè sonat In nihilum redigere? Perinde q̃si dicas, Exanimauit hominẽ, & interpreteris, id est, Leuiter cõmouit.

Tricesimo sexto, nõ satis amice patrocinat Aquinati, qui Græce, Hebraicéq; ignarus, sequutus sit aliorum errorem. Atqui si Christus nullo modo fuit angelis inferior, manifesta blasphemia est, illum angelis facere inferiorem. Id certe uel citra linguarum peritiam sentire poterat Thomas, uir non omnino stupidus.

Tricesimo septimo, quoniam Faber omnem culpam reijcit in interpretem, sic argumẽtabar, Si Lucas est interpres huius epistolæ, hunc non oportet reum agere. Id, inquit, non recipimus, quum omnes sentiant incerto autore translatam. Imò quisquis est cuius extat argumentum in hãc epistolam, testatur Lucam pluscq; interpretem huius epistolæ fuisse, qui memor sensus & ordinis post obitũ Pauli, ex sua memoria Græce illam descripserit. Non asseuerat, inquis, sed testatur ita multos sensisse. Quod si prorsus incertus est interpres, ut fateris, quomodo Faber certò negat esse Lucam?

Tricesimooctauo, iam adijcit in fine, Cæterum non oportet autoritatem scribentis qui cũq; is fuerit, sed ueritatem facere uictoriam. Id si uerũ est, quomodo Faber unam unius Hieronymi annotationem sequutus, de re tanta tam constanter pronũciat? Deinde quid si Lucas sit autor, nam id assumpsi, non erit huic aliquid deferendum?

Tricesimo nono, fatet Eloim Hebræis polysemũ esse, & respõdere duabus uocibus Latinis

tinis,deus & dij. Verũ est quod fatetur & negari non potest,cæterũ hoc adijciendũ erat, quod cõstat Eloim non solũ sonare deos,uerumetiã primates,iudices,denicq; & angelos.

Quadragesimo hoc ait interesse,quod Eloim quoties absq; pluralitatis nota ponit̃,deum sonat,atq; ita semper transtulerunt Septuaginta. Rursum quoties deos sonat, additur col,pluralitatis nota.Id nihil opus est aliunde petitis argumentis refellere, cum ipse sermo ἐνδιάθετος seipsum refellat.In hoc psalmo nõ addit̃ col,& tñ non uerterunt deũ. Rursum Exodi uigesimo secundo,Dijs nõ detrahes,nõ apponit̃ col,& tñ uerterũtDeos.

Quadragesimo primo,flagellat interpretem huius epistolæ,qui in psalmo nõ uerterit Eloim;A deo,cũ idem fecerint Septuaginta,quibus magis cõueniebat hoc imputari.

Quadragesimo secundo,Quidam Hebræus Hispanus,homo mea sententia non uulgariter exercitatus in suis literis,ait hoc interesse inter Eloim & Malachim, quod angeli quoq; quoties de dignitate agitur,quod assistunt deo,Eloim uocantur, ubi de functione, hoc est,cum aliquò mittuntur,Malachim uocantur.At hic dignitatis fit collatio.

Quadragesimotertio,eleuat paraphrasin Chaldæorum,quæ iuxta Septuaginta translationem,pro Eloim,habet Malachim,id est,angelos.Cui ego in hac sanè parte puto nõ nihil tribuendum,præsertim cum consentiat cum autoritate Septuaginta, quam ferè sequuntur & apostoli.

Quadragesimo quarto,ut censor seuerus obiurgat me,& amentiæ accusat,qui scripserim quod Hieronymus nõ uideatur admodũ probasse,hũc psalmũ ꝓprie tribui Christo, sic detorquens,quasi ꝓprie dixerim uere,cum Latine, ut opinor, dixerim proprie tribui quod ita tribuitur,ut in aliũ nemínem cõpetat.Permulta sunt in psalmis,quæ nobis cum Christo sunt cõmunia.Nihil igitur in his meis uerbis,quod tam acriter debuit incessi.

Quadragesimo quinto,procul reijcit meam cõiecturam,quod collegerim ideo uideri nõ admodũ,pbari Hieronymo,hæc proprie tribui Christo, quod scripserit, hunc locum apostolus in epistola ad Hebræos,super Christo interpretatur. Fateor grauem autorem Paulum,sed primũ incertum,an is huius epistolæ sit autor. Deinde fatetur Hieronymus hunc scripturas aliquando ad uictoriam detorquere.Postremo non uideo quomodo possit totus hic psalmus Christo accõmodari.Solemus autem in autorem reijcere, siquando ipsi fidem dictorum præstare nolumus. Verum id quoniam paucis annotari non potest, ex Apologia qui uolet reliqua petat.Neq; hic quicq; affirmo,tantum aio uideri.

Quadragesimosexto,quod Christus in euangelio citat uersiculum ex hoc psalmo, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem,non arguit necessario psalmum hunc proprie in Christum competere.imò sententia potest esse generalis quam adducit.

Quadragesimo septimo,stultitiam impingit,qui scripserim usq; adeo dubitatũ de autore huius epistolæ,ut sero sit recepta à Romanis,cum hoc ad rem propositã nihil attineat. Certe hactenus pertinebat,ut si Pauli non est,minus nos eius urgeat autoritas.

Quadragesimooctauo,negat cõstare quod hanc Romani sero receperint. Neq; mihi constaret,nisi Hieronymus hoc literis prodidisset,testans sua ætate Apocalypsim nõ fuisse receptam à Græcis,Epistolam ad Hebræos à Latinis.Nam hanc Græci libentius receperunt in odium Arianorum.Comperiet hoc nõ esse meum somnium,qui legerit epistolam ad Dardanum,de terra repromissionis,ubi fatetur à Latinis non fuisse receptam, cũ maxime uellet esse receptam.Legat eiusdem cõmentarios in Esaiæ caput sextũ. Rursum eiusdem in caput octauum clarius etiam,rursum in Matthæi caput uigesimũsextum.

Quadragesimonono,arguit eam fuisse receptam à Romanis iam olim,quod hæc translatio præcesserit tempora Hieronymi. Vt hoc donemus esse uerũ,tamen hinc nihil aliud confici potest,q̃ hanc epistolam translatam fuisse ante tempora Hieronymi. Neq; enim statim quod translatum est,receptum est.

Quinquagesimo,existimat euidentissimũ esse argumentũ,epistolã hãc fuisse receptã à Romanis,ꝙ Hieronymus utat̃ eius testimonio aduersus Iouinianũ.Si ideo fuit recepta, quod huius utitur testimonio,receptus fuit & Pythagoras,cuius aduersus eundem utitur testimonio.

Quinquagesimoprimo,suauiter irridet argumentationem meam,ut minime dialecticam,Sero fuit recepta,quia in hanc nihil cõmentatus est Ambrosius, quasi consequatur

pari ra/

pari ratione, in quẽcunq; librum nõ scripsit cõmentarios Ambrosius, eũ sero fuisse receptũ à Romana ecclesia. Ac uere prædicat, hoc enthymema nõ unis dignum Anticyris, si quis ad eum colligat modum. At ego in re cõiecturali synathrœsmo sum usus. Primum quod sero recepta sit, teste Hieronymo: deinde quod quædam in ea citentur ex Hebræorum uoluminibus, quæ illic nõ reperiantur. Addo in cumulum coniecturarũ, quod Ambrosius, cum in cæteras omnes scripserit, in hanc unam non scripserit. Erant & aliæ coniecturæ, quas hic uelut aliud agens, non putaui recensendas. Nec est necesse, ut ex singulis coniecturis nascatur certa conclusio. Satis est si ex multis congestis argumentis, confletur probabilis suspicio.

Quinquagesimo secũdo, existimat argumentũ irrefutabile hanc epistolam fuisse receptam, quod Ambrosius ac Hieronymus in libellis suis utantur illius testimonio. Id argumento est, sic fuisse receptam, ut iam tum à multis legeretur, ueluti Pauli, nõ aũt fuisse receptam autoritate publica, uelut partem scripturæ canonicæ, de qua nõ liceret dubitare.

Quinquagesimo tertio, iam ad argumentũ quod adducit ex Dionysio, qui in libris de diuinis nominibus adducat huius epistolæ testimonium. Respondeo, quoniam incertus est ille Dionysius, fieri posse, ut aliquanto posterior fuerit Ambrosio.

Quinquagesimoquarto, fortiter asseuerat nullos unquàm de hac epistola dubitasse, præter Ebionitas, Marcionitas & horum similes hæreticos. Quod si doceo Hieronymũ & Augustinũ de hac epistola dubitasse, sicut mox & in calce huius epistolæ docebimus, ex regula Fabri consequetur eos esse hæreticos, qui nobis certe sunt orthodoxi, nec dubito quin & ipsi Fabro.

Quinquagesimoquinto, ait Hieronymum cum ait illic quædam citari, quæ non compareant apud Hebræos, hæreticorum recitare calumnias, non suam sentẽtiam. Quid senserit Hieronymus de hac epistola, mihi non satis liquet: nam is uafer est, & in hac fuit opinione, ut non protinus euulgandum sit, quod apud te senseris, quãdo Christus turbis per parabolas loquutus est, solis discipulis aperiẽs regni mysterium. Quod si apud Hebræos ea reperiuntur, cur Hieronymus non indicat?

Quinquagesimo sexto, in calce cõcludit de hac non esse dubitandũ, quandoquidẽ sacrosanctæ synodi, & canones eam approbarunt. De synodorũ approbatione, mihi nõ cõstat. Nunc certe constat receptam. Quo animo recepta sit, mihi nondum constat, an ut Pauli, an ut cui debeatur par autoritas cum cæteris. Quibuscunq; legibus recepta est, eã accipio: tantum illud dicam, Apocalypsis, si non fuisset in canonem recepta, nihilominus consistere potuisse fidem Christianam. Porrò si sacrosancta synodus approbauit epistolam ad Hebræos, cur audet Faber in ea locum taxare uelut impium & Christo indignũ? nisi forte synodo fuit exemplar emendatum, & mox ab approbatione, repente totius orbis, Græci pariter ac Latini codices, omnes deprauati sunt, adeo ut à nemine sciri potuerit, quid ea synodus legisset.

Quinquagesimo septimo, quicquid est incõmodi, aut offendiculi, id in interpretem reiicit, sed meo iudicio parum pudenter, in tanto Græcorum ac Latinorum codicum cõsensu, præsertim quum nemo ueterum hoc lemmate sit usus, tum incertum sit, an Lucas sit interpres. Verum hac de re nihil contendo: tantum tribus uerbis admoneo lectorem, quo illi cogitandi, quærendiq; materiam suppeditem, quod quidem maxime conueniebat huic argumento, quo profitemur annotationes, non definitiones.

Summa rerũ capita, paucis annotauimus fastidioso lectori. Qui uolet rem plenius cognoscere, legat apologiam nostram, qua Fabro respondemus. Imperitiæ crimen facile agnoscam, impietatis in Christum, nec debeo, nec possum agnoscere, cui soli fateor oẽm deberi gloriam, longe maiorem, cẽq; omnis humana prædicatio queat illi tribuere. Nec est contumelia, quod illi tribuimus humilitatẽ, cuius crucẽ, cuius flagra reuerẽter adoramus etiã, cuius ignominia, nostra est gloria. Atq; utinam Faber dũ suam tuetur sententiã, non impetisset simplicem ac syncerum amicum tot dictis odiosissimis, quod illo uiro dignum erat, etiamsi quid illi fuissem aduersatus. Et tamen quod ad cõtumeliam attinet, facile uel negligo, uel amicitiæ condono, uel homini denique ignosco, præsertim cũ quicquid hic criminis aut erroris impingit, sit mihi cum probatissimis ecclesiæ doctoribus, imò cũ publi-

co totius ecclesiæ iudicio commune. Cæterum non opinor tantum esse tribuendum amico,ut in illius gratiam haberi uelis blasphemus & impius in Christum: ubi non sis. Et hanc tamen calumniam sic à me depuli,ut quoad licuit,non læserim amici famam:ut nemini dubium esse possit, quin necessitatis fuerit, quod me defendi, Christiani pudoris, quod à talione abstinui.

Eum uero qui modico q̃ angeli.) τὸν δὲ βραχύτι παρ᾽ἀγγέλους ἠλαττωμένον, id est, Eum uero qui paulum quiddam præ angelis diminutus est. Si quis uerbũ uerbo reddat,si quis sensum malit,Eum uero qui paulisper præ angelis diminutus est.

Gratia dei.) Hic ablatiui casus est χάριτι θεοῦ, id est, Per gratiam dei,hoc est, beneficio diuino.

Pro omnibus.) ὑπὲρ παντὸς, id est,Pro uniuerso,siue pro omni aut quouis.

Decebat enim eum.) Hoc ad patrem est referendum, non ad filium. Laborat enim in hoc Theophylactus,ne præpositio per,diminuere uideatur autoritatem. Nam & per eũ fieri dicuntur omnia,à quo fiunt omnia. Proinde non solum de filio dicitur, quod per illum condita sunt omnia, uerum etiam de patre. Vnde consummare legendum est actiue,non passiue τελεῖσαι. Certe in exemplari quod nobis exhibuit bibliotheca Paulina apud Londinum,scriptũ uisitur consummare,licet deprauator aliquis,e,trãspunxerit calamo. Suffragabatur codex Constantiensis uetustior. Sensus enim hic est, Decebat enim eum,nempe patrem,qui non unum filium Iesum,sed cum illo multos adducere uellet in gloriam,ut eum qui esset princeps,ac dux salutis cæterorum,legitimum & perfectũ redderet uarijs afflictionibus. Ad eum modum & legit & interpretatur Chrysostomus. Proinde librariorum errore in nõnullis codicibus,Cõsummari scriptum habetur uerbũ passiuum. Quam tamen lectionem reperio in cõmentarijs Fabri.

Autorem salutis.) ἀρχηγὸν σωτηρίας, hoc est,Ducem,ac principem. Nam autoritas magis est penes patrem,iuxta diuum Hilarium,etiamsi Christus etiam autor est.

Laudabo te.) ὑμνήσω σε. Hymnis celebrabo.

Fidens in eum.) In eodem, πεποιθὼς ἐπ᾽ αὐτῷ.

Et pueri mei.) Mei,supereſt, τὰ παιδία ἅ μοι, id est,pueri quos mihi.

Nunq̃ enim angelos apprehendit.) οὐ γὰρ δήπου, id est,Non enim uidelicet. Quanq̃ δή expletiua coniunctio,uehementiæ nonnihil addit. Et που nonnunq̃ uertitur Alicubi, ut sit sensus,Nusq̃ in diuinis literis legi,quod deus assumpserit angelicam naturã. Quod si probatur,uertendum erat, Non enim usquàm sanè angelos apprehendit. Ad eum sensum facit & uerbum præsentis temporis. Demiror autem quid sequutus interpres Chrysostomi, legat, Non enim quenq̃ angelorum apprehendit, nisi forte putauit in genitiuo ἀγγέλων subaudiri τίνα,uerum is genitiuus est uerbi. Certe Chrysostomus Græcus nõ discrepat à nostra lectione. Iam ipse Chrysostomus admonet metaphoram sumptam ab ijs,qui cursu insequentes, fugientem occupant ac retrahunt.

Angelos apprehendit.) Apprehendit,præsentis temporis, ἐπιλαμβάνεται, id est, Assumit & induit,quemadmodum & mox semen Abrahæ apprehendit. Quãq̃ aliâs utatur hoc uerbo Paulus pro assequi.

Et fidelis pontifex.) ἀρχιερεύς, id est,Summus sacerdos: tametsi sæpius ita uertit.

Ad deũ.) τὰ πρὸς τὸν θεὸν, id est,In his quæ ad deũ pertinent,aut quæ apud deũ aguntur.

In eo enim.) ἐν ᾧ γὰρ, id est,Nam in eo quod,hoc est. Ideo quod.

Et tentatus.) Et,copula redundat,nec legitur in uetustis Latinorũ exemplaribus. Sunt autem meo quidem iudicio coniungenda hæc duo, πέπονθεν, πειρασθείς, id est, Quod accidit illi tentari,ut participium positum sit loco uerbi infinitiui.

Et eis qui tentantur.) Redũdat hic quoq̃ copula,Et In uetustiore codice Constantiensi quispiam adiecerat in spatio.

EX CAPITE TERTIO.

Pontificem cõfessionis uestræ.) Nostræ,legũt Græci, ἡμῶν: atq̃ ita Chrysostomus,suffragante uetustissimo simul & fidelissimo codice Paulino. Consentiebat uterq̃ Cõstantiensis. Ac rursus est ἀρχιερέα. Cæterũ apostolũ uertere poterat,Legatũ. Mihi rectius uidetur quadrare Professio,quàm confessio,

sio,quando Græca uox est ambigua.

In omni domo.) ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ, id est,In tota domo.

Amplioris enim gloriæ.) Interpres sequutus Græcum sermonem,genitiuum uertit,p ablatiuo.Dicendum erat,Ampliori gloria dignus.

Habet domus.) Rursum hic genitiuum pro ablatiuo transtulit:nam dicendū erat,Am pliorem domo,uel ampliorem quàm domus.Laurentius indicat hic lapsum Remigium interpretem,qui nō inuenerit exitū sententiæ,eamq; culpā reiecit in Latinū interpretem. Thomas,& hoc recentiores,accipiunt honorē domus,gloriam in domo,aut de domo se/ cus interpretantibus Chrysostomo & Theophylacto,qui populum dei, domus appella/ tione designatum uolunt.Moyses administrauit populū,Christus cōdidit.Nos quo ma/ gis perspicuus foret sensus,expressimus ad hūc modum, Tanto nanq; maiore gloria q; Moyses,hic dignus est habitus,quanto maiorem habet honorem,qui construxit domū, quàm ipsa domus.

Interpres pa/ lā dormitans.

Lapsus recen tiū theologo/ rum.

Quæ domus.) οὗ οἶκός ἐστε, id est,Cuius domus,ut cuius,referat uel ad deū,uel ad domus.

Fiduciam.) παῤῥησίαν, quasi dicas, Audaciam.

Et gloriam.) καύχημα. Plus aliquid adiecit,si non olum fidamus,uerumetiam glorie/ mur,ac ueluti iactemus fortem nostram.

Probauerunt.) Græci addunt Me.

Quadraginta annis.) Hoc Græci distinctione referunt ad superiora,Viderunt opera mea per quadraginta annos.At eam lectionem palàm refellit quod sequitur,Quibus au/ tem infensus fuit quadraginta annis.

Distinctio per peram apud Græcos.

Infensus fui generationi.) προσώχθισα.Laurentius magis probat infensus quàm offen/ sus,ob id,ni fallor,quod offensus dure cohæret cum datiuo,generationi isti.Etiamsi apud Suetonium legimus,offensior pontificibus pro subiratus.Atqui infensus Latinis dicitur, qui aduersus tendit in quempiam.Porrò Græcis προσοχθος, est tædium molestiamq; ca/ pere ex re quapiam.Denicq; Hebræis est אקוט quod tædij molestiæq; significationem sonat.Vnde diuus Hieronymus transtulit,Quadraginta annis displicuit mihi generatio illa,hoc est,Pertuli eam semper rebellantem,idq; non sine tædio meo.Nam deus in literis diuinis sæpenumero hominum more loquitur.

Infensus fui, προσώχθισα

Generationi huic.) ἐκείνῃ est Græce, id est,Illi:& illa,uertit Hieronymus,ut modo in/ dicatum est.

Et dixi semper.) Græci distinguunt,ut semper,aduerbium,referatur ad uerbū, errant, nec additur pronomen ἡμῖν.

Quibus iurauí.) ᾧς ὤμοσα, id est,Sicut iurauí.Interpres legisse uidetur, οἷς. Porrò il/ lud,Si introibunt,est abiurantis,ut perinde ualeat,quasi dicas,Iurauí eos nō ingressuros in requiem meam.Aliquoties addimus,emoriar,si fecero:Dispeream,ni optimum erat.

Si,abiurantis.

Ne forte.) μήποτε, id est,Ne quando.

Discedendo à deo uiuo.) ἐν τῷ ἀποστῆναι, id est, In deficiendo,siue desciscendo.

Hodie cognominatur.) τὸ σήμερον καλεῖται, id est, Vocatur.Totum enim hoc tempus usq; ad uitæ finem uocatur hodie.

Vt non obduretur.) ἵνα μὴ, id est, Vt ne.

Hodie si uocem eius.) In repetitione huius sermonis nonnulli Græcorum codices ha/ bebant, μου, id est, Vocem meam.Alij rursus αὐτου, id est, Eius.Indicat Chrysostomus hic hyperbaton esse, in hoc quod dicitur uocem eius &c. Totum enim sermonem qui in me dio est,pendere usq; ad initium proximi capitis,Timeamus ergo.Porrò ergo addidit,ad corrigendum hyperbatum longiusculum.Item hyperbaton uideri potest in eo quod præ cessit:Sicut dicit spiritus sanctus,Hodie &c.usq; ad uerbū,uidete fratres.Siquidem in me dio nullum est uerbum,quod absoluat orationem.

Hyperbaton.

In illa exacerbatione.) Illa,redūdat,nisi quod additum est,explanandæ rei gratia.

Quidam enim audiētes.) ἀκούσαντες,præteriti temporis est,id est,Cum audissent.

Quorum cadauera.) ὧν τὰ κῶλα, id est, Quorum membra. Interpres legisse uidetur πτώματα, nisi maluit exprimere sensum.Nam membra dicūtur & uiuorum.

Non introire.) μὴ εἰσελεύσεσθαι, id est, Non introituros.

Quia potuerunt introire.) Hoc loco uerba quæ addũtur, In requiem ipsius, non inuenio in Græcis exemplaribus, ne in antiquis quidem Latinis. Verum è superioribus apparet adiecta.

EX CAPITE QVARTO.



E forte.) μήποτε, id est, Ne quando.

Aliquis ex nobis deesse.) ὑστερηκέναι, id est, Non assequutus fuisse.

Et nobis.) Et, redundat.

Nunciatum est.) εὐηγγελισμένοι, id est, ut ad uerbum reddam, Euangelizati sumus, hoc est, Nobis prædicatum est euangelium. Sic alibi pauperes euangelizantur.

Non admixtus, μὴ συγκεκραμένους, id est, Non contemperatus, hoc est, Non apte coniunctus, uelut anima copulatur corpori temperatura, quod fides ueluti uita sit auditui.

Ex his quæ audierunt.) τοῖς ἀκούσασιν, id est, iis qui audierunt. Porrò datiuus hic pertinet ad participium, admixtus. Hunc locum perturbatiorem reperio in Græcorum cõmentarijs. Apud Theophylactum Græcũ mendosus habebatur, apud uersum etiam mutilus: proinde Theophylacti Græca subscribam ut habent, μὴ συγκεκραμένους τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν. τοῦτ' ἔστι, μὴ ἑνωθέντας μὴ συμφρονήσαντας πρὸς τὴν πίστιν τοῖς ἀκούσασιν, ἀλλ' ἀποξενγέντας αὐτῶν. θαυμασίως δὲ οὐκ εἶπε, μὴ συμφωνήσαντας, ἀλλὰ μὴ συγκεκραμένους, ἵνα πλὴν ἄκραν ἕνωσιν δηλώσῃ. ἀκούσαντας δὲ ἐνταῦθα λέγει τοὺς πιστεύσαντας, οὗτοι γὰρ ἂν τι ἀκούσαντες ἂν λέγοιντο. ὁ δὲ ἐν ἁγίοις Ἰωάννης, μὴ συγκεκραμένους φησὶν τοὺς πρὸς Χαλὲβ καὶ Ἰησοῦν. οὗτοι γὰρ ἀσυσσίαστοι ἔμειναν, οὐδὲ συναπεκράθησαν φησὶν, οὐδὲ συνέστησαν καὶ συνεφθάρησαν τοῖς ἄλλοις συστάζουσι καὶ μίαν πᾶσι γνώμην ἔχουσι. τισὶ δὲ τούτοις; τοῖς ἀκούσασι καὶ μηδὲν ὠφεληθεῖσι. τοῦτο δὲ καὶ πλὴν μεγάλην αὐτὴν καὶ βαθεῖαν σοφίαν ὁ ἅγιος οὕτω εἰπὼν, ἐμοὶ γοῦν ἀναξίῳ οὐκ ἔδωκε νοῆσαι πῶς αὖ εἶπεν, id est, Non admixtos fidei, iis qui audierant, hoc est, non unitos, nõ concordes de fide cum iis qui audierant, sed ab illis diuulsos. Mire uero non dixit, nõ consentientes, sed non commixtos, quo summam unitatem declararet. Qui audierãt hic dicit pro eo, quod est, qui crediderant, Nam hi cuipiam audisse dici possunt. Cæterum diuus Ioannes, non admixtos intelligit Chaleb & Iesum. Nam hi permãserunt alieni à seditione, neque simul cum cæteris seditionem mouentibus, eundemq; cum omnibus animũ habentibus, inquit, commixti sunt, neque simul insurrexerunt, neque simul consumpti sunt. Quibus autem illis? Nimirum iis, qui audierunt nec ullam receperunt utilitatem. Hoc uero iuxta magnam suam ac profundam sapientiam locutus est sanctus ille: mihi uero indigno non dedit intellectum, quomodo hoc dixerit. Hæc Theophylactus, quũ in translatione Latina quædam diuersa sint, quædam absint. Nam illic Basilij non Ioannis fit mentio, & postremi uersus prætermissi sunt. Ex his colligo uel apud Græcos fuisse duplicem lectionem, uel apud nos lectionem esse deprauatam. Etenim si Græci recte legunt συγκεκραμένους, nobis admixtis legendum est non admixtus. Et sanè in uetustiore codice Constantiensi habebatur admixtis, citra ullum rasuræ aut inductionis uestigium. Nec dubito quin eadem lectio in pluribus exemplaribus inueniri queat, si quis uetustas excutiat bibliothecas. Quinimo dũ hæc scribo, consulo æditionem Hispanicam, & admixtis comperio, non admixtus, & Græce συγκεκραμένους non συγκεκραμένου. Vnde apparet & apud Græcos fuisse duplicem lectionem. Nam & in Theophylacto scriptum erat συγκεκραμένως, pro ω, quod aliquis correxerat, annotata diphthongo ου: & æditio Aldina habebat συγκεκραμένος, consentiens cum exemplaribus quæ nos sequuti sumus. Sed in utraq; lectione scrupuli nonnihil est. Etenim si legas συγκεκραμένους, non consistit interpretatio Chrysostomi locum accommodantis ad Chaleb & Iesum Naue, Nam his planè sermo profuit, qui ideo se non admiscuerunt seditioni, quia credebant sermoni diuino. Si legas, συγκεκραμένου, dure cohærent duo datiui τῇ πίστει & τοῖς ἀκούσασι. Deinde quomodo dicitur sermo non auditus iis qui audierunt? Verum hic postremus scrupulus facile discutit ex Græcis uerbis, in quibus auditus nomen est ἀκοῆς nõ participiũ, perinde sonans quasi dicas sermo rumoris siue pmissionis. Quidã em̃ hoc interpretant de exploratoribus nũciantibus quæ uidissent. Iam si legas συγκεκραμένους, sensus erit nõ, profuisse incredulis audisse eundẽ sermonẽ de terra repromissa, quem alij audierant, eo quod per fidem

fidem non essent admixti ijs qui audierant,hoc est auscultarant,ut ἀκοὴ accipias simplicem auditum,mox eandem uocem accipias pro credulitate,quasi dicas, audierant & nō audierant.Et ad hanc sententiam non est legendum fidei sed fide,ut sit Græcus datiuus declarans modum,similis instrumentali.Quomodo dicis eos non fuisse admixtos cæteris?Quia non crediderunt quemadmodum & illi.Hoc pacto non offendunt duo datiui, quorum alter est modi,alter respondet præpositioni σύν. Si legas συγκεκραμμένος, intelliges sermonem non fuisse cōmixtum fidei,in his qui audierant.Quemadmodum enim ui num non prodest homini,nisi misceatur corpori,ita non prodest auditus sermo,nisi fides eū transferat in animi uiscera.Atq; ad hanc sententiam datiuus fidei respōdet præpositioni σὺν,& ijs qui audierunt,datiuus est acquisitionis,ut subaudire possis in,in his qui audierunt,& audierunt nihil aliud ualebit quàm auribus hauserunt. Quanq; hic locus & apud Chrysostomum est perturbatior,si modo hi commentarij sunt illius. Nam titulus indicans eos post mortem illius æditos,nonnihil suspicionis præbet lectori.In his autē deprehendas duplicem lectionē.Etenim quum ait, ἀλλ' οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος οἱ ἀκοὴς ἐκείνους μὴ συγκεκραμμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν, satis declarat se legisse,sermonem admixtum cum fide in his qui audierant.Rursus in progressu sermonis uidetur aliud legisse, ὃ δὲ λέγει, τοιοῦτόν ἐστιν.ἤκουσαν κἀκεῖνοι ὥσπερ ἡμεῖς ἀκούομεν, ἀλλ' οὐδὲν ὄφελος αὐτοῖς γέγονε. μὴ τοίνυν νομίσητε ὅτι ἀπὸ τοῦ ἀκουσθῆναι τοῦ κηρύγματος ὠφεληθήσεσθε, ἐπεὶ κἀκεῖνοι ἤκουσαν, ἀλλ' οὐδὲν ἀπώναντο,ἐπειδὴ μὴ ἐπίστευσαν.οἱ οὖν πρὸ ἡμῶν Χαλὲβ καὶ Ἰησοῦς,ἐπειδὴ μὴ συνεφώνησαν τοῖς ἀπιστήσασι,διέφυγον τὴν κατ' ἐκείνων ἐξενεχθεῖσαν τιμωρίαν. καὶ ὅρα τι θαυμαστὸν,οὐκ εἶπεν οὐ συνεφώνησαν,ἀλλ' οὐ συνεκράθησαν,τουτ' ἔστιν ἀσαφιάσως διέκεισαν,ἐκείνων πάντων μίαν καὶ τὴν αὐτὴν γνώμην ἐχόντων. ὑπαῦθα μοι δοκεῖ καὶ σάσιν αἰνίττεσθαι, id est,Quod autem dicit tale est, Audierant & illi,quēadmodū nos audimus,sed nihil utilitatis hinc ad illos redijt.Proinde ne putetis,quod uobis,pfutura est audita prædicatio,quandoquidē & illi audierant,sed nihil inde fructus perceperunt,eo quod non crediderunt.Igitur Chaleb & Iesus,quoniam non cōsenserunt ijs,qui non crediderunt,effugerunt uindictam,illis illatam. Ac uide mirum quiddam,Non dixit,non consenserunt,sed non commixti sunt,hoc est ab seditione subduxerunt sese,quum omnes illi unam & eandem mentem obtinerent.Hic mihi uidetur & seditionem tacite significare. Ex his uidetur is quisquis hæc scripsit legisse συγκεκραμμένους, uidelicet quū ait, οὐ σωνεφώνησαν ἀλλ' οὐ σωνεκράθησαν,idq; accommodat ad Chaleb & Iesum qui abstinuerunt à coniuratione,parentes uoci dei. Verum hæc sententia ne consistit quidem,quum negetur sermo profuisse ijs qui se non miscuerant.Proinde suspicor hoc commentarium esse rhapsodiam diuersarum opinionum.Mihi simplicior lectio uidetur συγκεκραμμένον,ex præpositio supereſt,& qui legendum non quæ.

Qui credimus.) οἱ πιστεύσαντες, id est,Qui credidimus.

Et quidem operibus.) καίτοι, id est,Quanquam:ut intelligas iurasse,illos non introituros in requiem,cum iam parata esset requies,nempe perfectis mundi operibus,quibus absolutis,requieuit deus die septimo:tametsi tolerari potest & altera lectio. καίτοι quanquam.

Quibus prioribus.) Prius est,Græce πρότερον.

Terminat diem.) ὁρίζει, id est,Designat,siue definit,aut præstituit.Nec additur quendam apud Græcos:quanq; exemplaria uariant hoc loco.

De alia loquerentur post hac die.) περὶ ἄλλης ἐλάλει μετὰ ταῦτα ἡμέρας, id est, De alia loquutus fuisset,post hæc,die.Nisi accipias posthac,aduerbialiter.Sentit enim aliū quendam sabbati diem,qui illum primum sequeretur.

In ipsum quis.) Melius erat,In idem exemplum, αὐτῷ ὑποδείγματι. Ac mihi quidem Græcorum uerborum sententia uidetur hæc esse,Ne quis cadat ut illi ceciderunt in deserto,eodē exemplo incredulitatis & inobedientiæ:& sicut illi ceciderunt ob incredulitatem,ut dicit psalmographus,ita isti perirent similiter,similiter peccantes.In hunc sensum consentiunt Græcanica scholia. Græca sic habent, ἵνα μὴ ᾧ τῷ αὐτῷ τὶς ὑποδείγματι πέσῃ εἰς ἀπείθειαν.

Et efficax.) ἐνεργής. Hieronymus alicubi uertit,Euidens:quod,ut opinor, legerit ἐναργής. At hoc sanè loco magis quadrabat Efficax. ἐνεργῆς. ἐναργής.

Et

Et penetrabilior.) τομώτερος, id est, Acutior siue incidentior, si sic liceat Latine loqui, à uerbo τέμνω, seco, siue incido.

Gladio ancipiti.) δίστομον. i. Vtrinq; incidente, siue utrinq; acutũ: quod Hieronymus cõplurib⁹ locis uertit, Bicipiti. Græci aciẽ gladij uocãt στόμα os, quod hac parte mordeat.

os gladij. Ac medullarum.) καὶ μυελῶν. Quanq; nõnulli Græci codices habent, μελῶν, id est, Membrorum. Theophylactus legit, μυελῶν, una cum Chrysostomo.

Et discretor.) κριτικὸς, id est, Iudex, siue qui iudicare possit: unde & Latinis critici dicũtur. Græci κρίνειν hic exponunt ἐτάζειν, id est, examinare, etiã si belle uertit interpres.

Vlla creatura inuisibilis.) οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς, id est, Non est creatura, non manifesta, siue occulta.

Et aperta.) καὶ πεπραχλισμένα. Quod perinde sonat, quasi dicas, ceruicata. Græci putant metaphoram sumptam ab ouibus, quibus pellis à ceruice detrahitur cum excoriantur, siue ab ijs qui ceruicem inflectunt quum se submittunt, & agnoscũt se esse inferiores. Sic & Iuuenalis,

Aulam resupinat amici, de scrutante omnia.

Superest, Confessionẽ spei nostræ.) Spei nostræ, apud Græcos nõ inuenio: nec asscribitur in exẽplari Paulino, nec in Donatianico, nec apud Chrysostomum. Mihi uidetur articulus additus explicare, quam professionem sentiat, uidelicet eam, cuius pauloante dixit Iesum apostolum nostræ confessionis. In constantiensi uetustiore scriptum erat, teneamus confessionem eius. Consentiebat alter recentior.

Qui non possit cõpati.) συμπαθῆσαι. Compatiendi uerbũ optarim equidem Latinis tam esse receptũ, q; Græcis est συμπαθεῖν, idemq; pollere. Proinde nos coacti, periphrasi rem sumus eloquuti. Est enim συμπαθεῖν, affici, moueriq; sensu alieni mali.

Tentatum autem.) Melius erat, Sed tentatũ. Eadem uis utriusq; coniunctionis, sed nõ semper ubiuis quadrant omnes apud nos.

Pro similitudine.) καθ' ὁμοιότητα, id est, Iuxta similitudinem. Quod non ita accipiendum est, quasi Christus aut non fuerit uere homo, aut nõ fuerit uere passus, sed quod ipse immunis à peccato, carnis naturæ peccatricis mala assumpsisset, & perinde pœnas dederit, quasi ipse peccasset.

Ad thronum gratiæ eius.) Eius, redundat, nec est in uetustis exemplaribus, τοῦ ἀγάπης τῆς χάριτος. Nam gratiam opponit seueritati legis Mosaicæ.

In auxilio opportuno.) εἰς εὔκαιρον βοήθειαν, id est, In opportunum auxilium.

EX CAPITE QVINTO.

EX hominibus assumitur, pro hominibus constituitur.) Aut addenda erat coniunctio &, aut nomen relatiuum qui: quod ego posterius malim, etiamsi participio Græco non addidit articulum ὁ. Nõ enim hæc dicuntur de Christo pontifice nostro, sed adhibentur similitudinis conferendæ gratia.

μετριοπαθεῖν Qui condolere possit.) μετριοπαθεῖν: quod sonat, quasi dicas, Moderate ferre, hoc est, non grauiter succensere. Quanq; Græcanica scholia μετριοπαθεῖν exponunt, p συμπαθεῖν, id est, Compati, uoce ipsa nihil tale præ se ferente. Theophylactus pro unica uoce multas reddit, συμμετρεῖν, συμπαθεῖν, συγκαταβαίνειν, συγγινώσκειν, id est, Congruere, cõdolescere, accõmodare se, ignoscere. Vox autẽ Græca dicta est, à moderandis affectibus. Non enim facile remittit, qui læsus impotenter irascitur. Quod equidẽ admiror, ne Vallæ quidem animaduersum fuisse, qui recte uerti potuisse putat, qui particeps passionum possit esse. Chrysostomus annotauit hoc sermone denotari præcellentiam Christi à reliquis sacerdotibus, ob id, ni fallor, quod hic solus liber ab omni peccato, tamen alienis peccatis indoluerit. At nunc quo fastidio, quo supercilio despicimus alienum erratũ, q; atrociter sæuimus in lapsos, ipsi grauioribus obnoxij uitijs.

Tanq; Aaron.) καθάπερ Ἀαρών, id est, Quẽadmodũ & Aaron, addita cõiunctione.

Semetipsum clarificauit.) ἐδόξασε, id est, Glorificauit.

Pro sua reuerentia.) ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, id est, A reuerentia. Sua, additum est explicandi

candi gratia, quanq; magis quadrabat Sui. Atq; ita scriptũ fuisse in codice Paulino, testatur etiamnum rasuræ uestigium. Illud item admonendum, εὐλάβειαν, non modo significare reuerentiam, uerumetiam pietatem. Quod sanè uerbi non male quadrabat hoc loco, quum loquatur de patre & filio.

Et quidem cum esset filius.) καίπερ ὢν υἱός. Interpres separauit hæc, quorum ordo inter se cohæret, propter Græca participia. Sensus autem ad hunc habet modũ, Qui in diebus carnis suæ, cum precationes & supplicationes apud eũ, qui ipsum poterat seruare à morte, cũ clamore ualido & lachrymis obtulerit, & exauditus sit pro reuerentia, tametsi filius esset, didicit ex his quæ passus est obedientiã. Per participia reddi poterat ad hũc modũ, Qui in diebus carnis suæ, precationibus & supplicationibus ei, qui se seruare poterat à morte, cũ clamore ualido & lachrymis oblatis, & exauditus pro reuerẽtia, quamuis esset filius, tamen ex his quæ passus est, didicit obedientiam. *Explanatio.*

Cum esset filius dei.) Dei, non est in Græcis, nec apud Chrysostomũ interpretem, nec apud Theophylactũ. Cũ filius esset nõ seruus, tamen afflictus est, tanq; noxius seruus. *Dei, superest in nostris.*

A deo pontifex.) ἀρχιερεύς, id est, Summus sacerdos: quanquam hic ἀρχιερέα, sic penè perpetuo uertit.

Grandis sermo.) πολὺς ὁ λόγος, id est, Multus, siue copiosus.

Et interpretabilis ad dicendum.) Suspicor interpretem uertisse, Ininterpretabilis, sicut superius, Ininuestigabiles. Nam Græce est δυσερμήνευτος λέγειν, id est, Difficilis interpretatu & explicatu. Quo quidem loco nõnihil demiror Thomam, qui putarit hanc uocem, interpretabilis, bifariam exponi posse, ut in, habeat negationem, quem nemo possit interpretari: aut affirmatiue interpretabilis, qui indigeat interpretatione. Primũ enim si in negat, uelut in illis, indoctus, impius, quid significat quod superat, terpretor? Quanquã quibus uerbis addi solet hæc præpositio, cũ negationem habet? quasi liceat dicere, Inamare, pro non amare, quemadmodũ inamabilis, & impudere pro non pudere, quemadmodũ impudens. Nec enim interpretor compositũ est ab in, & terpretor, sed ab inter & uerbo inusitato seu nomine potius. Deinde ut accipiamus affirmatiue, quis hoc illi concedat interpretabilem idem significare, quod indigentem interpretationem? Velut si sanabilis dicatur qui egeat sanatione. An non hoc insignitæ cuiusdam impudentiæ est, hæc cum autoritate docere, non consultis Græcis, sine quibus hæc definiri nõ possunt? siue id scriptũ fuit ab illo uiro, siue alius quispiam admiscuit. Siquidem Græca uox omnino respuit hãc Aquinatis distinctionem, quæ nihil aliud declarare potest, quàm difficilem ad interpretãdum, hoc est, quẽ non facile quisquã interpretetur, uel enarret potius. Nam ἑρμηνείαν etiã philosophi uertunt enunciationem. *Taxata Thomæ sententia.*

Et imbecilles ad audiendum.) νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς, id est, Segnes auribus, ut ipse paulo post uertit.

Expers sermonum.) ἄπειρος, id est, Inexpertus, siue rudis. Non enim omnino caret eloquijs, sed in ijs nondum adoleuit. Expers autem respondebat ad particeps, & hoc fefellit interpretem, aut certe scribam. *Experi, pro rudis.*

Sermonum dei.) λογίων, id est, Eloquiorum, autore Valla.

Paruulus enim est.) νήπιος. Cur non magis infans, cum loquatur de lacte? præsertim cũ Græca uox nõ proprie significet paruulũ, sed puerũ, aut parũ sapientẽ, præsertim ætate.

Pro consuetudine.) διὰ τὴν ἕξιν, id est, Propter habitũ: quanq; interpres non male rem explicuit, si dixisset Pro assuetudine, siue assuefactione. Nam habitus in hunc sensum uox est philosophis peculiaris. At sensus est, αἰσθητήρια: quod magis sonat organa sentiẽdi, ne quis putet esse νῦν, quod ita subinde uerterit. *Habitus ἕξις.*

EX CAPITE SEXTO.

Quapropter intermittẽtes.) ἀφέντες. i. Omittẽtes, seu potius omisso sermone.

Inchoationis.) Melius uertisset, Primordij, siue principij, quemadmodũ paulo ante uertit, Exordij, ἀρχῆς. Sentit autem ea uerba, quibus rudes adhuc in Christo initiantur, & instituuntur, nempe catechumeni.

Fidei ad deum.) ἐπὶ θεόν, id est, In deum.

Baptismatum doctrinæ.) Quidam hoc coniunctim legũt, ut sit sensus, Doctrinæ, quæ

est de

eſt de baptizando. At Græcanica ſcholia ſic interpretantur, ut ſeparatim ſit legendum. Omittentes ſermonem illum, quibus primum inſtituuntur rudes in Chriſto, nempe eum qui eſt de pœnitentia, hoc eſt, primum admonentur, ut relinquant uitam priſtinam, rena ſcituri in Chriſto: deinde de fide in Chriſtū condiſcūt, quid ſit credēdum: deinde his tradi tis ſuccedit baptiſma, cuius myſteria tum demū aperiuntur. Poſt hæc docentur de ſacra mentis fidei noſtræ, & parantur ad accipiendum ſpiritum ſanctum. Quanquam ſi mauis cōiunctim legere, nihil uetat, quo minus intelligas de inſtituto & doctrina prima, quæ ba ptizandis, hoc eſt, catechumenis ſolet tradi. Quod ſi placet, ſingula quoq; quæ ſequun tur, poſſunt ad doctrinam referri, quæ eſt de impoſitione manuū, de reſurrectione mor tuorum, de iudicio æterno. Atque hunc ſenſum mihi ſequi uidetur Chryſoſtomus, ut to tum hoc quod recenſuit de pœnitentia, de fide, de baptiſmatibus, de manuum impoſi tione, de reſurrectione mortuorum, de iudicio æterno, fundamentum ſit doctrinæ Chri ſtianæ, ſine qua nemo ſit Chriſtianus. Cæterum in his adoleſcere, & à uirtute in uirtutem progredi perfectionis eſt.

Guſtauerūt etiam.) Guſtauerūtq; eſt Græce, γευσαμένους π. Ne putemus hic nouū eſſe caput. Guſtauerunt nihilominus.) Rurſum uim coniunctionis circumloquutus eſt: nam Græce eſt, Et guſtauerunt.

Virtutesq; futuri ſeculi.) δυνάμεις, ut intelligas hic eſſe infirmitatem, illic apparere po tentiam, quæ iam nunc incipit, in pijs, ceu pignus immortalitatis futuræ. Hoc admonere uiſum, ne quis interpretetur de uirtutibus, quæ uitijs opponuntur.

Locus olim quibuſdam ſuſpectus.

Rurſum renouari.) ἀνακαινίζειν, id eſt, Renouare, uerbo actiuo, ut ſubaudias ſe. Hic quo que locus in cauſa fuit, quo minus hæc epiſtola Pauli putaretur nōnullis, quod id uideat aſſerere, quod à nōnullis hæreticis defenſum eſt, ſi quis à baptiſmo relapſus eſſet in pecca tū letale, hoc eſt, in homicidiū, aut adulteriū, aut ſimile, non poſſe pœnitentia reſtitui. Ve rum hanc difficultatem, duobus explicant modis. Primum ut accipiamus impoſſibile, di ctum, quod admodum difficile uoluit intelligi. Eſt autem tempeſtiua huiuſmodi exagge ratio in deterrendo. Nam ſuffrigidum mihi uidetur ſic elabi, ut dicamus impoſſibile eſſe, quoad noſtras uires. Deinde ut pœnitentiam cū baptiſmo coniungamus. Siquidem, per baptiſmum peccatis priſtinis morimur. Porrò baptiſmum non iterari, iam olim receptū eſt patrum autoritate. Ad hanc ſententiam faciūt quæ ſequūtur. Rurſum ſibi crucifigen tes filium dei, quod aliàs Paulus baptiſmum appellet unà cum Chriſto crucifigi, commo riq; & conſepeliri. Proinde ut ille non niſi ſemel mortuus eſt, ita non cōuenit iterari bapti ſmum. Eódem pertinet renouandi uerbū. Nam pœnitentia, qua nos utimur, non tam re nouamur, quàm ſarcimur. Solus baptiſmus renouat. Ad hunc fermè modum Chryſoſto mus. Apparet autē tum fuiſſe, qui Iudaico animo ſatis eſſe putabant ceremonias ſacramē torum, atq; hac fiducia licentius peccabant, quod arbitrarentur ſubinde licere ad ea reme dia recurrere. Hunc igitur errorem diligenter eximit hoc loco Paulus.

Ad pœnitentiam.) εἰς μετάνοιαν. Admonet Chryſoſtomus, præpoſitionem εἰς, uſurpa tam uice ἐν, & ἐν, poſitum loco διὰ, more Hebræorum.

Rurſum crucifigentes.) ἀνασταυροῦντας: quod Hieronymus quodam in loco uertit Re crucifigentes, Græcam exprimens uocem.

παραδείγματα τίθημι.

Et oſtentui habentes.) παραδειγματίζοντας: quod uertit in Matthæo Traducere. Verti poterat Infamantes, ſiue ludibrio exponentes. Reddunt enim quodammodo Chriſtū in famem, & ludibrium faciūt, qui cum ſemel ſit mortuus, ſemper uicturus, ſua uita efficiūt, ut illi ſit ſæpius moriendum, uidelicet iterantes id, propter quod ille mortem ſuſcepit.

A quibus colitur.) δι' οὓς καὶ γεωργεῖται, id eſt, Per quos & colitur: ut intelligamus fru ctum reddendum, non quibuslibet, ſed ijs, quorum opera culta eſt terra. Id enim efficit ad dita coniunctio, quam interpres omiſit.

Viciniora ſaluti.) ἐχόμενα σωτηρίας, id eſt, Propinqua ſaluti, ſiue adhærētia ſaluti. Cer te Auguſtinus libro contra Creſconium tertio, capite lxxiij. citat meliora & hærentia ſa luti. Verum interpres, quoniam præceſſerat comparatiuū, ſubiunxit item cōparatiuum.

Et dilectionis.) Græce eſt, καὶ τοῦ κόπου ἧς ἀγάπης, id eſt, Laboris dilectionis, nempe la boris, quem ob charitatem in iuuandis proximis adierunt.

Oſtentare

Ostentare.) ἐνδείκνυσθαι, id est, Ostendere, siue monstrare, exhibere, præstare. Nam ostentare semper in malum sonat.

Ad expletionem spei.) πρὸς τὴν πληροφορίαμ. Quasi dicas certificationem. Certissimæ enim spei fiducia nascitur ex pijs operibus, potius q̄ ex syllogismis, & qui frigide sperat, languet in pijs operibus. Nā πληροφορία dicit̄, cum certissimis argumētis rei cuiuspiā fit fides. πληροφορία.

Vsq; in finem.) ἄχρι τέλους. Id quod non solum accipi potest, de perseuerantia usq; ad finē uitæ, sed multo magis de perfectione spei, quæ crescit et adolescit in nobis, simul augescente pietate, donec occurramus in uirū perfectum. Nā hinc cœpit hæc disputatio Pauli, ut grandescerent in Christo.

Vt non segnes.) ἵνα μὴ νωθροὶ, id est, Ne languidi aut segnes. Id quod paulo superius uertit, debiles. Et patientia.) μακροθυμίας, id est, Longanimitate, si quis ad uerbū exprimat. Expressius autē dixit Apostolus quàm interpres, qui per fidem & patientiam.

Hæreditabunt.) κληρονομούντων. i. Hæreditate capiunt, & est præsentis tēporis, nō futuri.

Abrahæ nempe.) Nempe posuit pro quippe, ᾧ γὰρ ἀβραάμ. Sed in quibusdam codicibus recte habetur nanq;, uelut in exemplari Paulino, & in alijs item emendationibus.

Nisi benedicens benedixero.) Non est Græce εἰμὴ, nisi, sed εἰ μὴν, quod ut indicat Theophylactus hoc loco aduerbiū est cōfirmandi. Nihil autem aliud est iusiurandum, quàm uehemens confirmatio. *Nisi, iurantis.*

Multiplicabo.) Cur non potius multiplicauero, πληθυνῶ.

Per maiorem sui.) Rursum oblitus, reliquit Græcum casum. Latine dicendum erat, maiorem se. Quanq; apud Græcos pronomen nullū additur, sed tantū est, per maiorem. *Interpres aliū dormiens.*

Et omnis controuersiæ finis.) Græci legunt illis αὐτοῖς, non αὐτῶν. ut accipias illis, nempe hominibus iusiurandum est finis omnis controuersiæ.

Ad confirmationem iuramenti.) Apparet & hic εἰς, id est, In, positū pro per. Finitur controuersia, confirmatione iurisiurandi.

Immobilitatem.) τὸ ἀμετάθετον, id est, Immutabilitatem, siue firmitatem. Solent enim hominum testamenta, & pacta rescindi, at dei non item.

Quibus impossibile est.) Græce est, in quibus, ἐν οἷς. Nec est fortissimum, sed ἰσχυρὰν, id est, Validum.

Quasi ancoram.) ὡς ἄγκυραν, id est, Tanquam ancoram. Vetusti Latinorum codices habent, sicut ancoram.

Ad interiora uelaminis.) καταπετάσματος. Quod proprie significat aliquid obtentum atq; obductum quod arceat conspectum.

EX CAPITE SEPTIMO

PRimum quidem interpretatus rex iustitiæ.) Nam Melchisedec apud Hebræos sonat regē iustitiæ. Quandoquidē illis מַלְכִּי Malci rex meus dicit̄. In compositione autem iod litera euphoniæ gratia assumitur, צֶדֶק zedec iustitia. Solom שָׁלוֹם autem pacem sonat. Id uocabuli quidam putant inditum à Melchisedec urbi Hierosolymarum. Hoc ex loco deprehēdi potest error interpretationis, in libello qui incerto titulo circumfertur adiectus utriusq; testamēti uoluminibus de uocabulis Hebraicis, cum appareat id operis nihil aliud esse, quàm tumultuariā nō unius hominis coaceruationem. Etiamsi diuus Hieronymus testatur sese hisce de rebus librum ædidisse. Nam illic Melchisedec exponitur in hūc modum, Melchisedec rex iustus, siue rex iustitiæ, aut rex pacis, siue pacificus. Atqui in hoc nomine Melchisedec nulla uox est, quæ pacē significet. Neq; Paulus ait Melchisedec sonare regem pacis, sed Melchisalem מַלְכִּי־שָׁלוֹם exprimere regem pacis. Hieronymus in nominibus huius epistolæ exponit Melchisedec rex iustus. *Notatus quidā de etymologia Melchizedec. Liber de Hebraicis nominibus nō est Hieronymi.*

Sine patre, sine matre.) ἀπάτωρ ἀμήτωρ. Compositis apud Græcos dictionibus. Et sine genealogia, apud illos est, ἀγενεαλόγητος, quod ferè sonat, quasi dicas, cuius generis orīgo, non possit reddi. Sine Genealogia.

Intuemini autem.) θεωρεῖτε δέ, id est, Consideratis, siue uidetis. Quanquam pōtest accipi, & considerate.

De præcipuis.) ἐκ τῶν ἀκροθινίων. Quod significat primitias frugum. Interpres legisse uidetur,

detur, ἀκροθινίωμ, quæ uox præcipua significat. Verum hoc loco ἀκροθίνια dixit pro spolijs, siue exuuijs ab hoste detractis, interpretantibus ad eum modum & Græcanicis scholijs, ipsoq; Chrysostomo. Et reperitur in hoc significatu apud Philostratum sophistã. Interpres illud sequutus uidetur, quod in fastigio acerui præcipua soleant poni. Illud ridiculũ quod

Notatus interpres Chrysostomi.

interpres Chrysostomi, cum acrothinia uertisset præcipua, nostram sequutus æditionem, subiecit, præcipua dicuntur exuuiæ, uidelicet oblitus se Latine loqui non Græce. Quanq; & Latinis opima spolia dicebantur uelut egregia, quæ ducibus essent detracta. Græca uox dicta est uel à tangẽdis summis, unde & ἀκροδινιάζειμ & ἀκροδινῶς, uel ab ἄκρομ, quod est summum, & δίνες acerui frumentorum aut ordei.

Quanquam & ipsi exierint.) Sermo latinus anceps est, utrum hæc uerba pertineant ad leuitas accipientes decimas, an ad fratres dantes. Cæterũ quoniam Græcis est ἐξελκυθότας, non potest alio referri quàm ad fratres.

Cuius aũt generatio, &c.) ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν, δεδεκάτωκε τὸμ Ἀβραάμ, id est, Is qui non numeratur ex generatione eorum, decimas sumpsit ab Abraham.

Sine ulla cõtradictione.) χωρὶς δὲ πάσης ἀντιλογίας, id est, Sine omni uero cõtradictione, quod modo uertit controuersiam.

Ibi autem contestatur.) Contestans, μαρτυρούμενος, id est, De quo testatum est, quod uiueret. Nam de hoc pronunciatum est, quod pontifex esset in æternum. Siquidẽ participiũ μαρτυρόμενος, medium est. Et in hanc sententiam interpretantur Græcanica scholia.

Ὡς ἔπος εἰπεῖν, nusquã alias est apud Paulum.

Vt ita dictum sit.) ὡς ἔπος εἰπεῖμ, id est, Vt sic dicam. Ad uerbum sonat, ut uerbũ dicã. Idem Græci dicunt ὡς τύπῳ εἰπεῖν. hoc genus sermonis nusq; reperies apud Paulũ alibi.

Et Leui qui.) Et, hoc loco non est accipiẽdum simpliciter pro coniunctione copulatiua, uerum pro etiam, siue quoq;, ut sit sensus, nõ solum Abrahã dedisse decimas Melchisedec, uerum etiam in Abraham autore gentis, ipsum etiam Leui, cuius est ius decimarum soluisse decimas. Porrò quod præmollijt sermonem, dicens, ut ita loquar, explicat paulo post: Nam adhuc in lumbis patris erat, hoc est, nondum erat natus Leui, quem tamen dico quodam modo fuisse decimatum in patre.

Decimas accepit.) ὁ δεκάτας λαμβάνωμ, id est, Qui decimas accipit, siue solitus est accipere, participio præsentis temporis. Loquitur enim non de Melchisedec, sed de sui temporis leuitis, decimas accipere solitis.

Sub ipso.) Subaudi, sacerdotio Leuitico, ne quis ad hominem referat.

In quo enim.) ἐφ' ᾧ μὲν γὰρ, id est, In quem enim, siue de quo.

De alia tribu est.) φυλῆς ἑτέρας μετέσχηκεμ, id est, Alterius gentis, siue tribus particeps fuit.

In qua tribu.) εἰς ἣμ φυλήμ, id est, De qua tribu, siue ad quam tribum.

Nihil de sacerdotibus.) Sacerdotio legendum, περὶ ἱερωσύνης. Sed ut πρεσβυτέριομ, ordinẽ presbyterorum declarat, ita Paulus sacerdotium pro collegio sacerdotum usurpasse uidet.

Et quantum est non sine iureiurando.) καὶ καθόσομ. Apertius uertisset, & quatenus non citra iusiurandum, ut sit sensus, hoc esse meliorem spem nostram, per quam Christo sacerdote accedimus ad deum, quod illi sacerdotiũ commissum fuerit in æternum, idq; non sine iureiurando, quo certior esset spes promissorum.

Sempiternum ἀπαράβατομ.

Sempiternum habet sacerdotium.) ἀπαράβατομ, id est, Quod ad alium transire nõ possit, quod successione non aliunde transmigret ad alium, quemadmodum fieri necesse erat in sacerdotio Mosaico.

Secundum ordinem Melchisedec.) τάξις. & ordinem significat & ordinationem. ac mea sententia hic magis quadrabat ordinatio. Non enim agitur, quotus fuerit Melchisedec, aut Christus, sed quomodo fuerit ordinatus.

In perpetuum potest.) εἰς τὸ παντελές, Quod magis sonat ad plenũ, siue perfecte, hoc est, ut Græcorũ exponũt scholia, nõ solum hic, sed etiam illic. Verũ hoc nonnihil prima fronte

Locus olim suspectus quibusdam.

sapere uidetur Origenis dogma, quemadmodum & alias habet quædam, quæ illius decretis in speciem patrocinari uideantur, ut de seruandis dæmonibus.

Accedens.) Et Græci codices & Latini uetustiores habent, accedentes, προσερχομένους.

Ad interpellandum pro nobis.) ὑπὲρ αὐτῶν, id est, Pro ipsis.

Innocens.) ἄκακος, Expers doli. Sic & Chrysostomus interpretatur. Nam innocens Græcis

Græcis non poteſt Latine reddi, ſi Ciceroni credimus.

Qui poſt legem eſt.) Græce eſt, οἱ μετὰ τὸν νόμον, id eſt, Quod poſt legem eſt. Tametſi Græca præpoſitio μετὰ anceps eſt. Nam legi poteſt, & ſupra legem. Quod ſi legis, qui poſt legem, intellige poſt legem conditam, nempe in pſalmis. Siue mauis ſupra legem, intelligit plus fuiſſe ponderis in uoce diuina, quàm in præcepto Moſi. Abrogat enim id quod poſterius eſt prius condita, & abrogat quod à maiore profectũ ſit autore id quod minor inſtituerat. In æternum perfectũ.) τετελειωμένον. Quaſi dicas, factum ſemper idoneũ ac legitimum: Neq; enim ſacerdos ſemper aut ubiq; idoneus eſt ad peragendum ſacrum.

EX CAPITE OCTAVO.

Capitulum autem.) κεφάλαιον, id eſt, Summa ſiue caput. Sentit enim ſe cõpendio dicturum, quod fuſius diſſeruit, & id quod eſt præcipuũ explicaturum.

Magnitudinis.) μεγαλωσύνης. Potius maieſtatis, ſicut paulo ante uertit.

Sanctorum miniſter.) λειτουργός.) Quod non ſimpliciter ſonat miniſtrum, ſed plerunq; miniſtrũ ſacrorũ, & qui fungatur officio ſacerdotij, pro alijs. Vnde quod nos uulgo uocamus officium, Græci λειτουργίαν appellant. Vocem putant hinc dictam λεῖτον olim dicebant prytaneum, hoc eſt, locum publicum in quo uerſabantur magiſtratus, & ἔργον opus, unde commutatis aliquot literis λειτουργοὶ dicti qui in his locis magiſtratibus inſeruiebant. Porrò genitiuus ſanctorũ poteſt uel ad homines referri, uel ad ipſa ſancta, ut dicatur adminiſtrare ſancta pro nobis, ueluti ſacerdos. Quanq; autem Græcanica ſcholia malunt de hominibus accipere, tamen id quod proxime conſequitur magis ſuadet, ut de rebus ſanctis accipiamus, miniſter ſanctorum, & tabernaculi ueri. ut ueri quoq; referatur ad ſancta. Vt enim hoc tabernaculum, nempe cœlum, uerum eſt tabernaculũ, ita ſancta ſanctorum quæ illic adminiſtrat uere ſancta ſunt. Theophylactus & Chryſoſtomus ſequuntur poſteriorem ſententiam, etiamſi Theophylactus recenſet utramq;. *Miniſter, pro adminiſtrator*

Si ergo eſſet.) εἰ μὲν γάρ, id eſt. Si enim.

Nec eſſet ſacerdos.) οὐδ' ἂν ἦν ἱερεύς, id eſt, Ne ſacerdos quidem eſſet, ut qui nihil offerret, quale lex præſcripſerat.

Cum conſummaret.) μέλλων ἐπιτελεῖν, id eſt, Cum conſummaturus eſſet.

Nunc aũt melius.) διαφορωτέρως, id eſt, Excellẽtius. licet in nõnullis habeat διαφορωτέρας.

Quanto.) Latinus debebat addere, tanto, ut reſpondeat quanto. Nam Græcis licet omittere. Illud prius.) ἡ πρώτη ἐκείνη, id eſt, Primum illud. Niſi quod Græci abutuntur aliquoties, hoc ſuperlatiuo uice comparatiui.

Culpa uacaſſet.) ἦν ἄμεμπτος, id eſt, Fuiſſet irreprehenſibile, ſiue de quo queri non poſſis, aut in quo nihil poſſet deſiderari. Quod tamen Chryſoſtomus ita torquet, ut ἄμεμπτος accipiatur pro eo, non quod ipſum ſit inculpabile, ſed quod inculpabiles reddat, ut culpa ſit hominum non teſtamenti. Quanquam Paulus ad Rhomanos fatetur legem fuiſſe infirmam, nec potuiſſe conferre perfectam ſalutẽ. & in actis idem affirmat Lucas. Et Petrus appellat onus omnibus importabile. Et deus apud prophetam appellat iuſtificationes nõ bonas. Quæ omnia iuxta Chryſoſtomi ſententiam accipienda ſunt. Nihil enim à deo profiſciſcitur, quod non ſit bonũ. Et Paulus aliàs legem ſanctam & bonam appellat.

Locus inquireretur.) ἐζητεῖτο τόπος, id eſt, Quæſitus fuiſſet locus.

Vituperans eum.) μεμφόμενος γάρ Verbum eſt, unde deductũ erat nomen, ἄμεμπτος Probat enim non caruiſſe reprehenſione, cum ipſe deus de eo queratur.

Ecce dies ueniunt.) Hoc teſtimonium adduxit ex Hieremiæ capite trigeſimo primo, & ita adduxit, ut appareat ſequutum per omnia ædítionem Septuaginta, ſed ab Hebraica ueritate minimum abhorrentem. Primũ ueniẽt, pro quo Hieronymus uertit, ueniant, Græce eſt ἔρχονται, quod ad utrunq; tempus pertinet. Nam de pacto, ſiue ut alibi uertitur, fœdus mox dicemus. Quod autem Hieronymus uertit, irritũ fecerũt, Paulus, ſiue quis alius fuit, ad hunc enim modum citat Hieronymus, expreſſit οὐκ ἐνέμειναν, id eſt, Non perſtiterunt in teſtamento ſiue pacto. Deinde quod ille uertit, dominatus ſum eorum, hic explicuit, ἠμέλησα αὐτῶν, id eſt, Neglexi eos, iuxta ſeptuaginta. Præterea quod Hieronymus uertit, in uiſceribus, hic extulit, εἰς τὸν διάνοιαν, id eſt, in mentem. Ad hæc quod Paulus dixit, ἕκαστος, Hieronymus uertit, uir, ſequutus ἰδίωμα ſermonis Hebraici. *Citat iuxta Septuaginta.*

Qua apprehendi manum.) Magis est,apprehendens manum.

Dabo legem.) δίδουϛ,id est,Dans.pendet enim à superioribus.

Superscribam.) ἐπιγράψω,id est,Inscribã,quod Græca præpositio sit ambiguæ naturæ.

Proximum suum.) τὸν πολίτην αὐτου,id est,Ciuem suum.Quanquam alij codices habent, τὸν πλησίον,id est,proximum.

A minore usq; ad maiorem.) ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν, id est, A paruo illorũ usq; ad magnum illorum,consentientibus & Hebræis.

Veterauit prius.) πεπαλαίωκε,id est,Antiquauit,siue fecit antiquum.

EX CAPITE NONO.

HAbuit quidem & prius.) εἶχε μὲν οὖν,id est,Habuit quidem igitur. Et prius nomen est,& ad testamentum refertur. Nec est Græce prius,sed primum.

Et sanctũ seculare.) τό,πε ἅγιον κοσμικόν,id est, Sanctum mundanum,quod in eam partem admitterentur, etiam proselyti ac gentes,id quod indicãt commentarij in hunc locum Chrysostomi ac Theophylacti.

Candelabra.) ἡ τε λυχνία.Et candelabrũ numero singulari.Nos lucernas uertimus,quod idem candelabrum multas sustineat lucernas.

Quæ dicitur sancta.) Sancta hoc loco pluralis est numeri,neutri generis, ἥ τις λέγεται ἁγία,quæ dicitur siue dicuntur sancta,ut respondeat ad hoc,quod mox sequitur,sancta sanctorum. Torquetur admodum diuus Augustinus, in quæstionibus super Leuiticũ, quæstione quinquagesima tertia,quem in sensum accipiendum sit,sanctum sancti, putatq; dictum τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων,perinde quasi plene dicas, τὸ πνεῦμα ἅγιον,τοῦ θεοῦ ἁγίων, id est, Spiritũ sanctum sancti dei, cum constet hanc conduplicationem iuxta idioma sermonis Hebraici, epitasin habere sanctimoniæ. Siquidem priorem partem duntaxat sanctum appellat,alteram ut eximie sanctam,sanctum sanctorum.

Excussa Augustini sententia.

Post uelamentum autem secundum.) Secundum, referendum est ad uelamentum,non ad tabernaculum. Apud nos enim anceps est sermo,apud Græcos nequaquam.

Thuribulum.) θυμιατήριον.Quod locum quoq; significat,aut aram,in qua fit suffitus.

Super quæ erant.) ὑπὲρ ἄνω δὲ αὐτῆς,id est,Supra illud autem,siue supra illam,ut referas ad arcam,attestantibus scholijs Græcanicis.

In priore quidem.) εἰς μὲν τὴν πρώτην. Cur non potius in primum quidem? cum præsertim Græcus interpres ita loquutus sit, & grammatices ratio postulet. Similiter in eo quod sequitur εἰς δὲ τὴν δευτέραν.

Sacrificiorum officia.) τὰς λατρείας. Explicuit interpres Græcam uocem, quam aliquoties uertit culturam,siue obsequium.

Quem offerret.) ὃ προσφέρει,id est,Quẽ offert. Nec est pro ignorãtia, sed pro ignorantijs.

Parabola similitudo.

Quæ parabola.) Cur non potius similitudo? Aut quid hic opus uoce Græca?

Temporis instantis.) εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα,id est, In tempus quod instabat,hoc est, pro tempore tum præsente.

Iuxta quam.) καθ' ὃν,id est,Iuxta quod,siue in quo,ut subaudias tempore.

In cibis & in potibus.) Interpres non potuit reddere Græci sermonis gratiã,ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι,nisi dixisset in esculentis & poculentis.

Et iusticijs.) δικαιώμασι,id est,Iustificationibus.

Impositis.) ἐπικείμενα,id est, Imposita, refertur enim ad munera & hostias. Apud Græcos certa est lectio, Nec tam est imposita quàm sita. In his enim quæ commemorauit sita est Iudaica religio.

Assistens.) παραγενόμενος,id est, Accedens. Alioqui parum apte cohæret,quod mox sequitur,Introiuit in sancta.Etenim qui potest introire,qui iam assistit?

Per amplius.) Duæ sunt dictiones,διὰ τοῦ μείζονος, Per id quod amplius, siue maius erat.

Non manufactum.) οὐ χειροποίητον,Dictione composita.

Qui per spiritum sanctum.) διὰ πνεύματος αἰωνίου,id est,Per spiritum æternũ.Et in hunc modum legit & interpretatur Chrysostomus.

Morte intercedente.) θανάτου γενομένου,id est,Morte facta. Quanquam interpres bene reddidit sententiam.

Vbi enim

Vbi enim teſtamentum,mortem &c.) At diuus Hieronymus prodidit uocem, quam interpretes uerterunt teſtamentũ,Hebræis magis ſonare pactum aut fœdus בְּרִית. Quod ſi uerum eſt,apparet & hãc epiſtolam ſcriptam ab eo, qui Hebraice neſcierit,id quod haud ita diſſimile ueri uidetur. Certe diuus Hieronymus conſtanter uertit pactum. Iam διαθήκη Græcis diſpoſitionem ſonat magis quàm teſtamentum. Et hebræis עֵרוּת à teſtibus dictũ eſt,quod pacta quæ rata uelimus eſſe,ſub teſtibus ſanciri ſoleant. Proinde Septuaginta uidentur hoc ſequuti,qui teſtamẽtum tranſtulerunt. Verum ſi quis uocem ſequi malit,quàm ſermonis uſum ac proprietatem,quicquid adhibitis agitur teſtibus,teſtamentum erit. Nec eſt confirmatum,ſed βεβαία,hoc eſt,ratum,ſiue firmum,ut ſubaudias eſt. *Teſtamentũ Hebræis pactum eſt.*

Lecto enim,)λαληθείσης γαρ,id eſt,Dicto enim.

Mandato legis.) Græca ſecus habent,λαληθείσης γαρ πάσης ἐντολῆς,κατὰ νόμον ὑπὸ μωϋσέως παντὶ τῷ λαῷ,id eſt, Cum enim omne mandatũ dictũ ſiue recitatũ eſſet iuxta legẽ à Moyſe toti populo. Et lana coccinea.) καὶ ἔριον κόκκινον,id eſt,Lana coccina, à cocco, quæ adhibetur tingendæ purpuræ.

Hic ſanguis teſtamenti.) Ad hæc alluſiſſe uidetur Chriſtus in cœna, Hic ſanguis noui teſtamenti,ſimili modo ſuum repræſentans ſacrificium.

Sine ſanguinis effuſione.) Græce compoſita dictio eſt,αἱματεκχυσίας. Et hic locus nonnihil ſapere uidetur Origenicum,ſi legas quæ ſequuntur,etſi quis craſſius interpretetẽ. Proinde Chryſoſtomus rem trahit ad allegoriam. Synagoga terra erat,eccleſia cœlum. Illorum ſanctum paulo ante uocauit mundanum,noſtra cœleſtia ſunt, cum ſimus ipſi cœleſtes.

Non enim in manufactis.) Græce eſt,In manufacta ſancta.&c.εἰς χειροποίητα ἅγια, & conſentiunt noſtri codices emendatiores.

Exemplaria uerorum.) Græce non eſt ὑποδείγματα,quemadmodum paulo ante, ſed ἀντίτυπα, ueluti reddentia ſimilitudinem uerorum. Neq; mihi uidentur abſurde dici exemplaria, uetera illa,quæ deliniabant ac uelut adumbrabant,euangelicam hiſtoriam. Certe nobis erant exemplaria,etiamſi deo nõ fuerunt. Qui ſcripſit hanc epiſtolam nihil intereſſe putauit,inter ὑπόδειγμα & ἀντίτυπον.

In conſummatione.) ἐπὶ συντελείᾳ,id eſt, Sub conſummationem, ſiue inſtante conſummatione. Nam eam uim habet aliquoties ea præpoſitio,ſi dandi caſui iungatur,ut captauit illum ἐπὶ θανάτῳ.

EX CAPITE DECIMO.

NOn ipſam imaginem.) οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα. Ipſam poſuit pro ueram & expreſſam,quæ rem totam ut eſt,repræſentet. Vnde & Chriſtum imaginem dei uocat. At umbra nihil repræſentat præter extrema quædam corporis lineamenta,unde rudis illa priſcorum pictura cœpit.

Alioquí ceſſaſſent offerri.) Græcanica ſcholia admonent per interrogationem eſſe legendum,an non deſiſſent offerri? Interpres legiſſe uidetur,ἐπεὶ ἐπαύσαντο ἂν προσφερόμενοι. Pro nobis facit Theophylactus. Certe aut omittenda erat negatio,aut legendũ per interrogationem,quæ uim habet negandi. Cæterum hic eleganter interpres participiũ uertit in uerbum infinitiuum, ἐπαύσαντο προσφερόμενοι pro προσφέρεσθαι, quod aliàs quidem parum eleganter reliquit. *Interpres collaudatus.*

Sed in ipſis commemoratio.) Subaudiendum eſt,ſacrificijs ſiue hoſtijs,ſiue in ijſdem. Loquitur enim de iteratis.

Sacrificium & oblationem noluiſti.) Quiſquis hanc ſcripſit epiſtolam,minimum diſcrepat ab æditione ſeptuaginta in citandis ueteris inſtrumenti teſtimonijs, iuxta quos ita legimus, θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ ἐζήτησας, τότε εἶπον, ἰδοὺ ἥκω. ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, τοῦ ποιῆσαι τὸ θέλημά σου. Vbi pro aures poſitum eſt corpus, atq; ita legit Auguſtinus, enarrans pſalmum trigeſimum nonum. At diuus Hieronymus iuxta ueritatẽ Hebraicam tranſtulit hoc modo, Victima & oblatione non indiges,aures autem fodiſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non petiſti,tunc dixi,ecce uenio. In uolumine libri ſcriptum eſt de me, ut facerem placitum tibi deus meus. Cæterum quod dicit,Aures autem perfodiſti mihi,indicat obedientiam fidei,quam deus iam requirebat à ſuis cultoribus,faſtiditis uictimis. *Corpus pro aures.*

Vt faciam deus.) Hoc referendum est ad illud quod præcessit, Ecce uenio, ut faciam &c. annotantibus Græcorum scholijs, & liquet ex his quæ sequuntur.

Tunc dixi, ecce uenio.) Vbi hæc uerba repetuntur dixit, est Græce τότε εἶρηκεν. Mirum est autem, cur interpres Latinus mutauerit personam, cum referantur uerba superius posita. Et tamen ita scriptum fuisse in uetustissimo codice Paulino rasuræ uestigium indicat. Necq; secus legisse uidetur Chrysostomus, uel hoc argumento, quod quæstionem mouet, de quo hoc dicatur. Nam si legisset, tunc dixi, hoc est, si ipse diceret de se, non conueniebat interrogare, de quo hoc diceretur. Post hæc consului Græcum codicem, & repperi εἶρηκεν, id est, dixit, in posteriore loco, quum apud Theophylactum esset εἶπον, id est dixi: Variãt & Latini codices. Vt sequens statuat.) τὸ δεύτερον, id est, Secundum, siue posterius.

Sacerdos præsto est cotidie.) ἱερεὺς ἕστηκεν, id est, Sacerdos stat, ut uerbũ uerbo reddam. Nec est quod nos offendat temporis ratio, cum in huiusmodi uerbis præteritũ usurpetur pro præsenti. Hoc admonui, quod animaduerterim quosdam frustra offendi, in quibus est

Faber. Stapulensis noster. Alioqui si legas stabat, parum congruet quod mox consequitur, Quæ non possunt auferre peccata. Quanquam Græce est, οὐδέποτε δύανται, id est, Nunq; possunt. atq; ita scriptum comperi in exemplari Paulino, atq; item in Constantiensi.

Pro peccatis offerens hostiam.) προσενέγκας θυσίαν. Participium est præteriti temporis, quamobrem mutato genere, uertere poterat, oblata hostia.

Sanctificatos.) τοὺς ἁγιαζομένους, id est, Eos qui sanctificantur.

Dabo leges.) δίδους νόμους id est, Dans leges. Codex Donatiani habebat dãdo pro dabo,

Deest nobis. consentiebat Constantiensis.

Et peccatorum.) Deest Latinis, ὕστερον λέγει, id est, Postea dicit.

In introitu.) Valla castigat, in introitum, quasi nos confidamus futurum, ut introeamus sancta. Et est quidẽ Græcus sermo anceps, εἰς τὸν εἴσοδον. Verum non uideo cur non recte possit accipi, nos habere fiduciam in introitu, quo Christus pontifex pro nobis ingressus est sancta. Etiamsi diuersa lectio mihi non improbatur, & magis quadrat ad ea quæ sequuntur, Accedamus cum uero &c.

Initiauit.) ἐνεκαίνισεν, id est, Innouauit, siue dedicauit, unde encænia.

Viam nouam.) ὁδὸν προσφατον, id est, Viam recentem.

Accedamus.) προσερχόμεθα, id est, Accedimus. Etiamsi hic Græcorum exemplaria uariãt.

πληροφορία Et in plenitudine est, ἐν πληροφορίᾳ, de quo sæpe iam admonuimus. Ac de certitudine fiduciæ, interpretantur Græcorum commentarij, qui Chrysostomo inscribuntur.

Confessionem indeclinabilem.) ἀκλινῆ, id est, Non uacillantem, neq; huc & illuc nutantem, hoc est, firmam & immotam. Alioqui indeclinabile dicitur, quod uitari non possit.

προξυσμὸς. In prouocationem charitatis.) εἰς παροξυσμόν. Quod Lucas in actis accipit pro excandescentia in malam partem, hic in bonam usurpauit pro extimulatione.

Collectionẽ nostram.) ἐπισυναγωγὴν, id est, Aggregationẽ, quasi postea accesserint, aut accessuri sint. Quanto uideritis.) ὅσῳ βλέπετε, id est, Quanto uidetis.

Terribilis autem.) Melius erat, sed terribilis. Quanquam idem significant hæc coniunctiones, tamen nonnihil refert aliquando, quam quo loco ponas.

Et ignis æmulatio.) ζῆλος, igni ueluti sensum tribuit. Nã zelũ appellat impetũ ulciscẽdi.

Qui consumpturus est.) ἐσθίειν μέλλοντος, id est, Qui comesurus est, siue deuoraturus.

Locus olim suspectus. Et hic locus palam adimit spem Christianis relapsis in peccatum, nisi commode interpretemur iuxta rationem, quam superius indicauimus ex Chrysostomi sententia, atq; etiã Theophylacti, non posse repeti baptismum, qui Christi mortem representat. Testatur nominatim Theophylactus, hunc Pauli sermonem à nonnullis eò fuisse deprauatum, ut interpretarentur, non dari locum ueniæ, à baptismo reuolutis in uitia. Quoniam autem ea quæ sequuntur, Sed terribilis expectatio iudicij, uidẽtur pugnare cum hac interpretatione (Nam alioqui dixisset, sed sequitur pœnitentia) posset & sic explicari, ut Paulus ὑπερβολῇ utatur, quo magis deterreat eos à peccando. Similia sunt in epistola Ioannis. Aut ut intelligamus de ijs qui deficiunt à lege Christi, quos aduersarios uocat.

Irritam quis faciens.) ἀθετήσας τις νόμον, id est, Aliquis qui irritam fecit legem.

Mereri supplicia.) ἀξιωθήσεται, id est, Merebitur, seu dignus habebitur.

Immundũ

Immundum duxerit.) κοινὸν, id est, Commune. Sic enim uocant Iudæi, quod est prophanum & abominandum. Porrò duxerit, positum est pro existimarit, aut habuerit.

Mihi uindictam.) Græce est, uindicta nominandi casu, ἐμοὶ ἐκδίκησις, ut & ante admonuimus. Perinde ualet ac si dicas, mea est uindicta, & meum est ulcisci, non uestrum. *Mihi uindicta.*

Et ego retribuam.) Et, redundat, consentiente Constantiensi.

Quia iudicabit.) Quia, non est apud Græcos. Cæterum illud, in altero quidem opprobrijs, dilucidius uerti poterat, per tum & tum, aut partim & partim, aut non modo & non solum. Partim quidem dum & probris & pressuris affecti, spectaculo fuistis omnibus, partim dum consortes ita conuersantium facti estis. Vt sit sensus, illos duplici nomine laudari, qui non solum ipsi persequutionē ob Christi fidē sustinuerint, uerū & alijs hæc patientibus adfuerint & cōmunicarint. Porrò quod Laurentius arbitratur, ex hoc potissimū uerbulo doceri posse, hāc epistolam esse Pauli, quod de uinculis suis meminerit, friuolū est, ne dicā ridiculū, quasi non omnes fermè apostolorū successores & adiutores in uinculis fuerint. *Argumentum Laurentij.*

Spectaculū facti.) θεατριζόμενοι. Theatron Græcis spectaculum. Vnde qui in theatrum producuntur, ut omnibus sint spectaculo, θεατρίζεσθαι dicuntur.

Nam & uinctis.) Græce est, τοῖς δεσμοῖς ἐμοῦ, id est, Vinculis meis, interpres legisse uidetur δεσμίοις. Theophylactus legit δεσμοῖς μου. Vtraq; lectio sanam habet sententiam.

Cognoscentes uos.) Græci sic legunt, γινώσκοντες ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς καὶ μένουσαν, id est, Cognoscentes uos habere in uobismetipsis meliorem substantiam in cœlis & manentem. Quidam codices pro ἐν ἑαυτοῖς habēt, ἐν οὐρανοῖς, id est, In cœlis. Quidam habebant ad hunc modū, ἔχειν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς, id est, habere uobisipsis meliorem substantiam in cœlis.

Nolite itaq; amittere.) μὴ ἀποβάλητε οὖν, id est, Ne abijciatis igitur.

Patientia enim uobis necesse.) ὑπομονῆς γὰρ ἔχετε χρείαν. Quod non simpliciter sonat patientiam, qua toleramus mala, sed patientem expectationem, cum spe præmij duramus in malis, & nos rebus melioribus seruamus. *ὑπομονή.*

Adhuc enim modicum aliquantulum.) ἔτι γὰρ μικρὸν, ὅσον, ὅσον, Quod ita uertere poterat: Adhuc enim perpusillum, aut perquàm exiguum tempus, Nam Græci sermonis condupli catio, epitasin habet breuitatis temporis, idq; iuxta proprietatem Hebræi sermonis, qui cōgeminatione uerbi eiusdem uehementiam explicant. Quod genus est illud Hieremiæ, Ficus bonas bonas, & ficus malas malas. Rursum illud eiusdem, templum domini, templum domini. Itidem Esaias capite decimo, Adhuc enim paululum, modicumq;, & consummabitur indignatio mea. Ex fide uiuit.) ζήσεται, id est, Viuet, siue uicturus est. *ὅσον, ὅσον.*

Quia si.) Antiqui codices habent, quod si. Græci, καὶ ἐὰν, id est, Et si.

Non placebit animæ meæ.) οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, id est, Non complacitum est animæ meæ in illo. Quanquam diuus Hieronymus existimat ea legendum, ut referatur ad uisionem, non ad hominem. præcedit enim in Habacuc, unde hic desumptus est locus, Scribe uisionem &c. Atq; illud si subtraxerit se, refert ad Christum tardantem, nō ad hominem desperantem. De quo cui cordi fuerit copiosius edoceri, legat huius enarrationem in secundum caput Habacuc. *Noua Hieronymi interpretatio.*

Subtractionis filij.) Filij non reperio in Græcis codicibus, ac ne in Paulino quidē exemplari, nisi quod aliquis recentiore manu in spacio uersus dirimente asscripserat, filij. Suffragabatur nobis hic uetustissimus codex Constantiensis. Porrò ita dixit non sumus subtractionis, quasi diceret, non sumus subtractores, hoc est, qui refugiunt ac detrectant obedire, sed sumus fidei, hoc est, fideles, quasi dicas sumus dei. Nec est simus, sed sumus, ἐσμὲν, modo indicandi, non imperandi.

EX CAPITE VNDECIMO.

Perandarū substantia.) ἐλπιζομένων ὑπόστασις. i. Quæ sperantur, ut sperandarū nomen sit gerundiuum nō participiū. ὑπόστασιν dixit, certitudinē, & id cui aliquid innititur ac fulcit. Augustinus enarrans caput euangelij secundū Ioannē xiiij. sic adducit, Est autē fides sperantium substātia, ut ἐλπιζομένων accipiatur actiue, quū sit uerbū mediū, quasi fides sit quo nitantur credētes. Hic quidam argutantur circa hanc definitionē, ut ipsi uocāt, cū encomiū fidei potius sit quàm definitio

Definitio fidei. dialectica. Tametsi Hieronymus ac Theophylactus eam appellant definitionem, quod speciem aliquam habet definitionis, qua rei naturā explicant dialectici. Siquidem hoc exordiolo ingreditur fidei laudationem, mox & exemplis ostendens, quantā uim habeat fides. Nisi forte putant esse finitionem, ubicunq; legerint est. Veluti si dicam, literæ sunt in rebus aduersis solatium, in secundis ornamentum, hanc eruditionis laudatiunculam existiment ad definitionum leges exigendam. Et sunt qui submota hac definitione, ceu nimium apostolica, parumq; magistrali, subijciūt aliā sophisticam, & Aristotelis redolentem dialecticā, uidelicet hanc, Fides est uoluntaria certitudo absentium, infra scietiam & supra opinionem cōstituta. Deblaterat & alia fermè huius generis uulgatissimū glossema in caput de summa trinitate & fide catholica. Quorū est illud, Symbolū dicitur à syn, quod est simul & bolus morsus quod singuli apostolorū attulerint morsellū suum. Illud adijciā, hoc loco fidem nō

Fides pro fiducia. usurpari proprie pro ea, qua credimus credēda, sed qua speramus, hoc est, ipsa fiducia. Glossema quoddam uetustum indicat hoc dictum per synecdochen, quum fides sit & præteritorum & præsentium & futurorum.

Argumentum.) ἔλεγχος, id est, indicium. nam id hoc loco significat argumentum. Interpres Chrysostomi uertit conuictio. Etiamsi in libris uulgatis ubiq; deprauatum est coniunctio. Eam uocē quum toties repetat, nullus tamen animaduertit mendum ne in postrema quidem æditione. Certe sensus ipse monere poterat lectorem huius rei. Etenim quum ait, Coniunctio quippe est in rebus admodum manifestis, perspicuum est hic non congruere coniunctionem.

Non apparentium.) Græce est, οὐ βλεπομένων, id est, Quæ nō uidentur. Nec est senes, sed seniores, πρεσβύτεροι. Et ἐμαρτυρήθησαν, quod hic uertit testimonium consequuti sunt, transferre poterat, Testimonio probati sunt, siue testimonium emeruerunt.

Ex inuisibilibus uisibilia.) εἰς τὸ μὴ ἐκφαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, id est, Vt ex his, quæ non apparent, ea quæ uidentur fierent.

Plurimam hostiam.) πλείονα θυσίαν, id est, Copiosiorem hostiam, siue plus hostiarum. Interpres ne diceret plurem hostiam, comparatiuum mutauit in superlatiuum.

Esse iustus.) Græce dixit magis quàm Latine, ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος, Testimonio dictus est esse iustus, siue testimonium meruit quod esset iustus.

Muneribus eius.) De muneribus est Græce, ἐπὶ τοῖς δώροις, id est, De donarijs.

Deo additur. Sine fide autem impossibile est placere deo.) Deo, hoc loco non repetitur apud Græcos, quos ego uiderim, sed subauditur ex superioribus. Certe nec apud Chrysostomum Græcū nec apud Theophylactum additur.

Metuens.) εὐλαβηθείς, id est, Cauens, siue ueritus.

Fide qui uocatur Abraham.) πίστει καλούμενος Ἀβραάμ. Interpres non respexit ad uerbum

Duplex sensus. præteriti temporis, obediuit. Itaq; uertendum erat, Fide uocatus Abraham obediuit: aut, fide cum uocaretur Abraham obediuit, ut fide, pertineat ad uerbum obediuit. Sed rectius ad utrunq; accommodatur. Vocatus Abraham per fidem, & obediuit per fidem. Siquidē fide promeruit, ut illi nomen augeretur. Non enim illi prius auctum est, quàm de eo dictū est, Credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Theophylactus sic interpretatur, ut uocatus non faciat ad nominis appellationem, sed ad iussum dei, bis enim uocatus est à deo, cum iuberetur relinquere natalem terram. Rursum cum uocaretur in montē, immolaturus filium. Ac iuxta hunc sensum ordinandus est sermo, Abraham cum uocaret à deo, per fidem obediuit.

In locū exire.) Et hoc Græce, obediuit exire, poterat Latine, obediuit siue paruit exiens, siue ut exiret.

In casulis.) ἐν σκηναῖς, id est, In tentorijs.

Sara sterilis.) Epitheton sterilis, non inuenio in Græcis, licet asscriptum sit in uetustissimis nostris codicibus. Ex Chrysostomi & Theophylacti enarratione parum liquet, an interpres addiderit de suo, an hinc sumpserit.

In conceptione seminis.) εἰς καταβολὴν σπέρματος. Interpres probe & uerecunde reddidit sententiam Græci sermonis. Imbecillitas enim corporis obstat, quo minus semen subsidat & adhæresat in matrice, propter imminutam attrahendi ac retinendi uim. Nam illud

καταβολὴ

καταβολὴν aliquoties uertit fundationem. Proinde Chryſoſtomus uim uerbi explanãs, exponit, Ad ſuſcipiendum ſemen ac retinendum. Demiror autẽ cur Faber maluerit pro conceptione ſucceſſionem, niſi quod uerecundius etiam quàm interpres ſtuduit efferre: aut, quod magis ſuſpicor, librariorum incuria, pro ſuſceptione mutatum eſt ſucceſſione. Theophylactus indicat quoſdam eſſe in hac ſententia, ut putent & fœminis ineſſe ſemen, & ad id, hunc locum poſſe accommodari. Faber.

Etiam præter tempus ætatis.) Græce ſic eſt, καὶ παρὰ καιρὸν ἡλικίας ἔτεκεν, id eſt, Et præter tempeſtiuitatem ætatis peperit. hoc eſt, aliena ætate.

Orti ſunt.) ἐγεννήθησαν, id eſt, Nati ſunt, ſiue geniti.

Et hoc emortuo.) καὶ ταῦτα νενεκρωμένου. Ne quis putet Abraham iam uita defunctum genuiſſe filios. Sic enim uertit quidam, Ex uno nati ſunt, & ipſo cum mortuus eſſet. Imò Græcus ſermo ſignificat illũ iam effœto defectoq; fuiſſe corpore, ſicut & in epiſtola ad Rhomanos dixit mortificationẽ uuluæ & corporis. Deinde Ⓒ ταῦτα, ex cõſuetudine Græci ſermonis facit ad epitaſim, quod Latini reddere ſolent, idq; atq; id, & quidẽ, aliiſq; ſimilibus modis. Vt ne Laurentium quidem oportuerit admodum offendi numero pronominis. Faber. Vallа.

Propter quod ab uno orti ſunt.) διὸ καὶ ἀφ' ἑνὸς ἐγεννήθησαν, καὶ ταῦτα νενεκρωμένου, id eſt, Propter quod ab uno nati ſunt, ſiue ex uno, idq; emortuo, ſiue, eoq; emortuo.

Aſpicientes.) Cum mutarit genus paulo ante, ut temporis ſeruaret rationem, cur nõ idẽ facit in hoc participio? Nam dicere poterat, non acceptis, ſed eminus, ſiue procul conſpectis & ſalutatis, & confeſſi.

Et ſalutantes.) Ante hæc uerba inuenio in Græcis codicibus, καὶ πεισθέντες, id eſt, Perſuaſi.

Et ſiquidem illius meminiſſent.) καὶ εἰ μὲν ἐκείνης ἐμνημόνευον, ἀφ' ἧς ἐξῆλθον, εἶχον ἂν καιρὸν ἀνακάμψαι, id eſt, Et ſiquidẽ illius meminiſſent, unde fuerãt profecti, habuiſſent tempus reuertendi. Nec enim aſſentior hac quidẽ in parte Laurentio Vallæ, qui putauit in hunc uertendum fuiſſe modum. Et ſiquidem illius recordarentur, ex qua exierant, haberent tempus reuertẽdi, ueluti de præſenti loquatur, non de præterito. Atqui id longe ſecus eſt. Loquitur enim de Abrahã ac ſimilibus, quibus liberũ erat in patriam redire, ſi patriæ deſiderium eos tenuiſſet. Cæterũ Laurentium offendit uerbum præſentis temporis, quod mox ſequitur. Nũc autem meliorẽ appetunt. Quaſi uero noua ſit huiuſmodi temporis hypallage. Quid quod ut ſequitur ita præceſſit etiam uerbũ præſentis temporis, ἐμφανίζουσιν ὅτι. Certe quod paulo inferius ſubijcitur, Non confunditur deus, uocari deus illorũ, non poteſt niſi ad patriarchas accommodari. Dicitur enim deus Abraham, deus Iſaac, deus Iacob. Iam num Latine dici poſſit, Erubeſcit uocari bonus, quemadmodum dicimus, cupit uideri bonus, uiderit Laurentius, qui hoc negat, cum nihil obſiſtat, quo minus ita loquamur. Deeſt nobis. Hypallage temporis.

In quo ſuſceperat.) ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος, id eſt, Qui promiſſiones acceperat.

Arbitrans.) λογισάμενος, id eſt, Perpendẽs, etiamſi participium præteriti temporis eſt.

In parabolam accepit.) ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, id eſt, In ſimilitudine adduxit, hoc eſt, In typo Chriſti immolandi. Siquidẽ illũ referendũ eſt ad Iſaac, quem uiuum reduxit domum.

Et adorauit faſtigiũ uirgæ illius.) Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis notat interpretes Septuaginta, qui perperam tranſtulerint, adorauit contra ſummitatem uirgæ eius, cum apud Hebræos habeatur, & adorauit ad caput lecturi. Quod ſi uerum eſt, quid facie/mus autori quiſquis eſt huius epiſtolæ? aut qui patrocinabimur Hieronymo? Porrò cum Hieronymus fateatur Græcam uocem eſſe ancipitem, quur alterũ ſenſum aſſeuerat eſſe falſum, alterum adeo mordicus tenet, ut interpretãs adiecerit etiam aliquid de ſuo? adorauit, inquiens, dominum conuerſus ad lecturi caput. Intantum eo tempore abhorrebant ab adorandis ullis rebus creatis, ſoli deo hoc honoris ſeruantes: cum hodie repertum ſit ex ſupernaturali philoſophia, ligneam ſtatuam, eadem adoratione adorari, qua adoratur æterna trias. Neq; quiſquam eſt, cuius aures hic offendat ſermo: cum undiq; tam multa producantur offenſiua piarum aurium. Cæterum quum locis aliquot in ſacris uoluminibus legamus adoratos reges, quid erat periculi ſi pater adoraſſet filium principem? Vt Reg. ij. cap. ix. Et Reg. iij. cap. i. Adorat Solomon, etiam à Dauid patre ut uidetur. Quidã ſic elabũtur quaſi adorauerit non uirgã Ioſeph, ſed regnum Chriſti, quod intelligebat eo ſceptro ſignari. Auguſtinus aperit aliam rimam, ut pro αὐτῆς legamus αὐτῆς, iiſdem quidem literis, ſed mutato Annotatio Hieronymi pugnat cum hac epiſtola.

ſpiritu,

ſpiritu, ſiue addita litera ἑαυτῆς, ut intelligamus ſenē innixū baculo ſuo adoraſſe dominū. Illud diſſimulandum non eſt in Græcis, non eſſe adorauit ſummum uirgæ, ſed ad ſummū. Cum noſter interpres præpoſitionem, uelut ocioſam reliquerit. Si quidem hoc adorare uidemur, ad quod prono corpore nos inclinamus.

De profectione.) περὶ τῆς ἐξόδου, id eſt, De exitu.

Fide Moſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium &c.) Ante hunc locum additum erat in codice Donatiani, ſed manu recentiore: Fide Moſes grandis factus, occidit Aegyptium conſiderans dolorem fratrum ſuorum.

Temporalis peccati.) πρόσκαιρον ἔχειν ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν, id eſt, Quàm temporariam habere peccati fruitionem.

Theſauro Aegyptiorū.) τῶν ἐν αἰγύπτῳ θησαυρῶν, id eſt, Theſauris qui erant in Aegypto.

Aſpiciebat.) ἀπέβλεπεν. i. Reſpiciebat, ſiue ſpectabat, aut rationē habebat retributionis.

Animoſitatem regis.) τὸν θυμὸν, id eſt, Iracundiam, ſiue ferociam.

Tanquam uidens.) ὡς ὁρῶν. Melius erat, perinde quaſi uideret.

Primitiua.) πρωτότοκα, id eſt, Primogenita.

Quod experti.) ἧς πεῖραν λαβόντες, id eſt, Cuius nempe maris, experimentū cum cepiſſent Aegyptij. Circuitu dierum ſeptem.) κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας, id eſt, Circundati. Nec alioqui mea ſententia ſatis expreſſit ſententiam. Non enim ſentit obſidione ſeptem dierum muros euictos, ſed poſteaq; ſingulis diebus leuitæ portātes arcam circumiſſent ciuitatem, ſeptimo die ad clangorem tubarum muri corruerunt.

Excipiens exploratores.) Et hoc participium præteriti temporis eſt, δεξαμένη, exceptis exploratoribus.

Locus notatus olim de Iephthe.

Quid adhuc dicam.) λέγω, id eſt, Dico.

Iephthe.) Quod Græci ſcribunt Hiephthae, tetraſyllabum ἰεφθάε. Notatus eſt à nōnullis & hic epiſtolæ locus, ut admonet Chryſoſtomus, quod Iepte meretricis filium, & filiæ immerentis interfectorem, in ſanctorum Catalogo recenſeat, item Barachi & Samſonem.

Impetum ignis.) δυνάμιν. id eſt, Vim.

στόμα ἀπὸ τέμνω.

Aciem gladij.) στόμα, id eſt, Os gladij, ſiue στόματα numero multitudinis, quod tamen Græci pro acie ponunt, quod ea parte mordeat. Quanquam ſunt apud Græcos, qui στόμα quoq; dictum putant à τέμνω, id eſt, incido, quod ore incidamus, & comminuamus cibū. Vnde & δίσομος dicitur gladius utrinq; incidens.

Conualuerunt de infirmitate.) ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας, id eſt, Potentes redditi ſunt ex imbecillitate, ne quis ſomniet eos reualuiſſe à morbo. Chryſoſtomus interpretatur de reuerſis ab exilio Babylonico, in quo cum fuiſſent deiecti ac mortuis aſſimiles, poſtea reſtituti ſunt priſtino uigori. Theophylactus attingens & hanc interpretationem, admiſcet de Ezechia, qui à morbo reualuit. Poſteriorem ſequitur Thomas.

Caſtra uerterunt exterorum.) παρεμβολὰς ἔκλιναν, id eſt, Incurſiones ſiue impreſſiones in fugam uerterunt, & inclinarunt. Dicitur enim inclinata acies, cum parat fugam, & cedit in bello. Nec male uertit interpres, ſi quis modo ſentiat, quid hoc loco ſit uertere, hoc eſt, ad fugam impellere. Demiror autem cur Stapulenſis maluerit euertere quàm uertere. Nā uertere multo erat aptius. Certe euertere, non uideo, quo pacto tolerari poſſit hoc ſanè loco. Iā aliquanto inferius mulieres, Græce eſt γυναῖκες, quæ uox & ſexum ſignificat & uxorem. At hoc loco mortuos, de liberis accipiendum eſt.

Faber.

Diſtenti ſunt.) ἐτυμπανίσθησαν. Quod à corio ſumptū eſt, in tympano diſtento. Quanq; Græcanica ſcholia interpretantur de his qui fuſtibus contuſi perierunt. Cæditur enim crebris ictibus tympanum.

Secti ſunt.) Quod Hieronymus alicubi uertit, Serrati ſunt, ut accommodet ad ſupplicium Eſaiæ.

Tentati ſunt.) Neſcio quo caſu acciderit, ut nec apud Chryſoſtomum nec apud Theophylactū ulla fiat mētio huius particulæ Tentati ſunt, præſertim cum ſit dilutior utriſq; quibus miſcet. Præcedit enim diſſecti ſunt, et ſequit, occiſione gladij occubuerūt. Mihi uidetur adiectitia. Suſpicor enim eruditulum aliquem pro ἐπρίσθησαν, mutare uoluiſſe ἐπειράσθησαν atq; ita uocem utranq; relatam in contextum, cū altera eſſet aſcripta in ſpatio marginis.

In melotis.)

In melotis.) ἐν μηλωταῖς, id est, Pellibus ouillis. Sicut λεοντῆ dicitur exuuium leonis. Equidem non possum ridere uirum alioqui magnum Thomam Aquinatem, tamen miseret me, ac pudet, illius nomine tam fœdi lapsus, etiamsi fateor hæc non omnino proprie pertinere ad fidem, nec esse periculum ut Hæreticus iudicetur, qui consimiliter fuerit hallucinatus: Verum illud periculũ est, ne qui bonas didicere literas cum hæc legunt, ex his metiantur cætera, ut est hominum ingenium: Melota, inquit, est uestis facta de pilis camelorum, ut quidam dicunt. Vel melius, quod taxus habet pellem hirsutam, de qua fit uestis quæ dicitur melota. Iam quanto insulsius, imò impudentius, delirat super hac uoce quisquis fuit autor operis omnium indoctissimi, quod uocant Catholicon. Hic triumphum agant, scilicet qui apostolicæ simplicitatis prætextu suæ patrocinantur insciticæ. Huiusmodi sanè uel ipsos superant apostolos. Neq; enim quisquam illorũ tam inscius uocum aut rerũ fuit, ut ex oue faceret camelum, aut aliud nouum animal arbori cognomine. Quanq; ego uix adduci possum, ut credam hæc ab Aquinate scripta, primũ Italo, deinde tam cæteris in rebus uigilanti. Et haud scio an bona pars huius erroris interpreti sit imputanda, qui è duabus Græcis uocibus, alteram transtulerit, alterã reliquerit. Si quidem in pellibus caprinis Græce est αἰγείοις. At cur fugit ad eundem modum circumloqui μηλωταῖς in pellibus ouillis? Nisi quod suo more horruit bis dicere pellibus. Quanquam μηλωτὴ non tam pellem ouis significat quàm exuuium, hoc est, pellem corpori detractam unà cum lana.

Melotæ Thomæ lapsus miserandus, si modo is ea scripserit.

Catholicon.

Egentes.) ὑστερούμενοι. i. Destituti rebus necessarijs. Quanquã interpres bene reddidit.

Testimonio fidei probati.) μαρτυρηθέντες διὰ τῆς πίστεως, id est, Testimonio cõprobati sunt per fidem.

Prouidente.) Et hoc participium est præteriti temporis apud Græcos, προβλεψαμένου, id est, Quod deus melius quiddam de nobis prospexerat.

EX CAPITE DVODECIMO.

Mpositam nubem.) περικείμενον, id est, Circumpositam, siue circundatam, & undiq; cingentem nos. Nubem autem uocat ingentem multitudinem ac turbam testium.

Nubes pro multitudine.

Pondus.) ὄγκον, id est, Onus, siue sarcina.

Circũstans nos.) Nos, non est in Græcis codicibus, & est εὐπερίσατον, id est, quod facile circumfistat, & hæreat atq; amplectatur, quasi nolens abijci. Proinde nos uertimus, tenaciter inhærente peccato. Iam an satis quadret Aquinatis interpretatio, qui circumstans peccatum exponit occasionem peccandi, alijs discutiendum relinquo.

Thomas.

Autorem & consummatorem.) ἀρχηγὸν καὶ τελειωτήν. Non explicuit interpres uim & festiuitatem Græci sermonis, qui cõstat ex contrarijs inter se uocibus, quarum prior composita est ex principio, posterior deducta à fine. Perinde quasi dicas inceptorem & finitorem, ut idem Christus sit autor initij simul ac finis.

Confusione contempta.) Confusionem suo more probrum atque ignominiam uocat, cum Græce sit αἰσχύνη.

Atq; in dextera.) Græce est, Et in dextra throni dei, ἐν δεξιᾷ τε τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ.

Sedet.) ἐκάθισεν. id est, Sedit, siue consedit. Quanquam, ut dixi, in his præteritum pro præsenti usurpatur.

Consolationis.) παρακλήσεως. Hic sanè magis quadrabat adhortationis. Imò utrunq; bene habet. Etiamsi Theophylactus interpretatur de exhortatione.

Tanquam filijs loquitur dicens.) Dicens apud Græcos non est.

Neq; fatigeris.) ἐκλύου, id est, Deficias, siue defatigeris.

Flagellat autẽ omnẽ filiũ.) μαστιγοῖ. Quod Hieronymus in Osee uertit, castigat, quæ uox mutata literula uidetur à Græca deducta fuisse. Nam flagris cædi apud Romanos seruilius est. Cæterũ illud recipit positum est pro eo quod est approbat, & non abdicat ac reijcit.

Castigo μαστιγῶ.

In disciplina perseuerate.) Græcus codex secus habet. εἰ παιδείαν ὑπομένετε, id est, Si castigationem sustinetis, consentientibus & interpretibus Græcis. Nam paulo ante quod erat παιδεύει, uertit castigat, & ab eo deductum παιδείαν, uertit disciplinã, quẽ secuti quidam, disciplinam uocant castigationem, non satis approbante Valla. Quanq; disciplinam reperire licet apud probos autores, præcipueq; Suetonium, pro seueriore institutione, gubernatione, cuius-

παιδεύω.

neq́, cuiusmodi solet adhiberi primis annis. Augustinus enarrans psalmum centesimum decimumoctauum, Disciplinam interpretatur, cum quis molestijs eruditur. Cæterū quod Græce est προσφέρεται, & interpres reddidit offert se, Augustinus libro de tempore barbarico, capite sexto, legit, Sicut filios uos aggreditur deus. Hoc enim agit Paulus, ne horrescant manum castigantis dei, non enim, inquit, admouet uobis manū, ut hostis hosti, sed ut pater filijs, emendaturus, non perditurus.

Ergō adulteri.) Opinor interpretem uertisse, adulterini, pro spurijs & illegitimis. Quos Græci simulq́ Latini uocant νόθους, quo uerbo usus est Paulus.

Eruditores habuimus.) παιδεύτας, ab eodem uerbo παιδεύω, quod significat ueluti puerum instituere, quod plagis & obiurgatione nonnunquam opus sit.

In tempore paucorum dierum.) πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, id est, Ad paucos dies.

Secundum uoluntatem suam.) κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, id est, Vt ipsis uidebatur, hoc est, suo arbitratu. Nonnunquam & præter meritum.

In recipiendo.) εἰς τὸ μεταλαβεῖν, id est, Vt participes fiamus.

Pacatissimum.) εἰρηνικόν, id est, Pacificum, siue pacatum.

Vt ne quis claudicās erret.) ἵνα μὴ τὸ χωλὸν ἐκτραπῇ, id est, Ne id quod claudum aberret, hoc est, ne claudicatio abducat à uia, præsertim cum sit angusta. Certis igitur & non uacillantibus passibus opus est in hac.

Et gressus rectos facite.) ὀρθὰς τροχιὰς. Quod ut indicat Theophylactus aut uestigium est rotæ currus humi impressum, aut ipsa terra currentium pedibus conculcata.

Contemplantes.) ἐπισκοποῦντες, id est, Considerātes, & curam agentes. Translatum ab exercitu longum faciente iter. Nam hic aliquot uiris cura delegari solet prospiciendi ne desit commeatus.

Ne quis desit gratiæ dei.) μή τις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος, id est, Ne quis sit deficiens, aut destitutus à gratia dei, hoc est, qui non possit assequi, uelut in uia sunt qui deficiant

Impediat.) ἐνοχλῇ, id est, Obstet, siue obturbet. Augustinus sermone de uerbis Apostoli decimosexto, pro impediat, legit molestat.

Vendidit) ἀπέδοτο, id est, Reddidit, id est, in alterius rei uicem dedit. Etenim qui uēdit, aut permutat, pro eo quod accipit reddit aliquid. Nec est primitiua, sed πρωτοτόκια, id est, Primogenitalia, ut ita docendi causa loquamur, hoc est, ius primogeniti.

Scitote.) ἴστε γάρ, id est, Scitis enim.

Hæreditare.) κληρονομῆσαι, id est, Hæreditate accipere.

Ad tractabilem montem.) Montem in multis Latinis codicibus abest. Nec Theophylactus addit montem, nec Chrysostomus, ψηλαφωμένῳ ὄρει, id est, Ad montem contactum, siue qui tangebatur, at non sine pernicie tangentium. Allusit enim ad montem Sina, et illud psalmi, Tange montes & fumigabunt.

Origenis noua lectio.

Et accessibilem ignem.) καὶ κεκαυμένῳ πυρί, id est, Accensum ignem. Origenes homilia in Numeros tertia, nec addit montem, & pro accessibilem legit, ardentem: Non enim accessistis ad ardentem & tractabilem ignem. Mirum autē quid idem sequutus legat: & multitudinem angelorum collaudantium. Et Augustinus libro quæstionū in Genesin primo, quæstione centesima sexagesima octaua, legit ad hunc modum, Sed accessistis ad mōtem Sion & ciuitatem dei Hierusalem, & ad milia angelorū exultantiū, quum tale nihil sit apud Græcos. Se excusauerunt.) παρῃτήσαντο, id est, Deprecati sunt, siue recusarunt.

Ne eis fieret uerbum.) μὴ προστεθῆναι αὐτοῖς λόγον, id est, Ne sibi commēdaretur sermo, aut ne sibi adderetur sermo. Nimirū post talia præludia, expectabāt duram orationē. Quanq́ Græcus sermo nōnihil habet ambiguitatis, quod αὐτοῖς ad homines referri potest, & ad prodigia quæ præcesserant. ut sit sensus, ne adiungeretur sermo talibus monstris iam uisis: aut ne ipsis sermo committeretur, quem acerbum expectabant.

Non enim portabant.) οὐκ ἔφερον γάρ, id est, Non ferebant enim, nō tolerabant.

Quod dicebatur.) τὸ διαστελλόμενον, id est, Quod distinguebatur, pro præcipiebatur. Expressit enim Hebraici sermonis figurā, iuxta quam dictū est et illud, Distinxit in labijs suis.

Supereſt in Græcis.

Si bestia tetigerit montem, lapidabitur.) Hic quidam Græci codices addunt, ἢ βολίδι καταπελθήσεται, id est, Aut iaculo configetur.

Quod ui-

Quod uidebatur.) τὸ φανταζόμενον. Non est simpliciter, quod uidebatur, sed quod uidetur uidebatur, sicuti uidentur spectra, & uisa, aut somnia.

Moyses autem dixit.) Suspicor hunc esse locum, de quo senserit Hieronymus, cum ait, à quibusdam hanc epistolam non asscribi Paulo, quod nonnulla citentur in ea, ueluti de ueteri instrumẽto, quæ apud Hebræos non habeantur. Siquidẽ Exodi cap. xx. ubi narrat̃ historia traditæ legis, nihil huiusmodi dicit Moses: ac ne tertio quidẽ eiusdem uoluminis capite, cum in rubo uidet dominũ. Nam torquet huc eum locũ Aquinas. Idq; quoniã sensit parũ esse solidum adiecit, dixit saltem facto: ne huic quidẽ fisus cõmento addidit: Vel forte apostolus utitur alia litera, quam nos nõ habemus. Sed utrum apocrypha utitur an approbata? Si apocrypha, negat alicubi Hieronymus morem esse apostolis apocryphorum uti testimoniis. Sin approbata, cõstat nostris exemplaribus aliquid approbatæ ædition is deesse. *Locus olim notatus.*

Et multorum milium angelorum frequentiam.) καὶ μυριάσιν ἀγγέλων πανηγύρει. Mire coniunxit μυριάσιν & πανηγύρει, cum myriades aliquoties dicamus innumerabilem turbã. Alioqui myrias Græcis est numerus complectẽs decem milia: atq; ita sanè adducit Ambrosius, libro de Cain & Abel, secundo, capite secũdo. Et πανήγυρις dicitur, quoties diebus festis, aut comitiis, uniuersus populus congregatur.

Et iudicem omnium deum.) καὶ κριτῇ θεῷ πάντων, id est, Ad iudicem deum omnium.

Et spirituum.) καὶ πνεύμασι, id est, Et ad spiritus. Dictu mirum, quàm hic uigilarit Aquinas indicans huius loci triplicem esse lectionem, Primam esse Græcorum, Et spiritum iustorum perfectorum, ut sit sensus, Accessistis ad spiritum sanctum, qui facit perfectos in iustitia. Alteram huiusmodi, Et spirituum iustorum perfectorum, ut sit sensus, Accessistis ad deum, qui est iudex omnium, sed est quasi hæreditas spirituum iustorum perfectorum. Tertiam, & spiritus iustorum perfectorũ, ut accipiamus nobis fore societatem cum spiritibus sanctorum qui sunt perfecti. Sed primã approbat, quod sit ut ait ille planior, deinde quod Græcorum, cum ultima cum Græcis consentiat. iuxta quam Chrysostomus interpretatur animas piorum. Nullus indignatur Thomæ, qui cum Græce nescierit, tamen indicat uariã lectionem, idq; nullius autoritate fultus, in me destomachantur, qui tot rebus ad hoc negotium instructus, iudicem non quid ego somniem, sed quid legerint ueteres ac probati utriusq; linguæ scriptores. *Thomas.*

Et sanguinis asperionẽ.) καὶ αἵματι ῥαντισμοῦ, id est, Et sanguinẽ asperionis, sanguinem qui aspergitur Hebræorum more.

Melius loquentem quàm Abel. κρείττονα λαλοῦντι παρὰ τὸν ἅβελ, id est, Meliora loquentem quàm sanguis Abel. Nam id palàm postulat articulus τὸν. Sanguis enim Abel dicitur loqui de terra & efflagitare uindictam. At Christi sanguis loquitur expiationem. Ita non modo Græci, uerumetiam Thomas. Hoc incommodum uitare poterat, si uertisset, Abelis.

Loquebatur.) χρηματίζοντα, id est, Oracula reddebat. Nec enim est simpliciter loqui, sed ex oraculo respondere.

Adhuc semel & ego.) Et, redundat. Porrò testimonium adductum est ex Aggæi capite secundo. Hebræa sic reddidit Hieronymus, non dissentientibus Septuaginta: Adhuc unũ modicum est, & ego commouebo cœlum & terram.

Mouebo.) σείω, id est, Concutio, præsentis temporis.

Mobilium.) τῶν σαλευομένων, id est, eorum quæ fluctuant, siue concutiuntur.

Habemus gratiam.) Theophylactus legit, ἔχωμεν, id est, Habeamus. Verũ in huiusmodi facillimus est lapsus.

EX CAPITE DECIMO TERTIO.

Caritas fraternitatis.) ἡ φιλαδελφία, id est, Fraterna charitas, hoc est, charitas Christianorum inter ipsos mutua.

In uobis.) Apud Græcos non additur, nec in codice Donatiani. Item copula &, quæ sequitur, non est apud illos *Supereſt apud nos.*

Placuerunt quidã &c.) ἔλαθόν τινες, ξενίσαντες ἀγγέλους, id est, Latuerunt quidam accipientes hospitio angelos. Sic enim ad uerbum uerti poterat. Porrò sensus hic est: Quidam imprudentes siue inscientes acceperunt angelos hospitio. Interpres male secutus est Græcam figuram, quam Latinitas non admittit. Cæterũ quod in nostris codicibus placuerunt

cuerunt habetur ſcriptum, id ueriſimillimum eſt librariorum errore inductum, qui cum nō intelligerent latuerunt, nam is ſermo nihil ſignificat Latinis, mutata ſcriptura fecerunt, pla-

Placuerunt p latuerunt. cuerunt. Id probabilius facit, quod in priſcis ſcriptoribus Chriſtianis uidemus in ſermone Græcam figuram frequenter uſurpatam, uelut in Irenæo & Tertulliano, ueluti pro eo quod Latine diceretur, inſciens præterij domum, illi loquuntur, latuí præteriens domum.

Valla. Mihi non uſquequaque ſatisfacit, quod hoc loco uertit Laurentius, per hanc latuit quoſdam, quod angelos in hoſpitium accepiſſent. Neque enim id ſenſit Paulus, hoc hoſpitalitati tribuendum, quod ignorarint quos exceperant, ſed quod acceperint angelos, cum ſe putarent homines accipere. At multo minus, quod in hunc locum commentatur laco-

Faber. bus Faber Stapulenſis, qui putat idem eſſe latuiſſe, quod occultatum & non uiſum fuiſſe, ſcribens in hunc modum, Dicendum latuerunt, non placuerunt. Etenim Lot & familia eius latuit, angelis hoſpitio ſuſceptis, cum Sodomitæ uellent eum impetere & perfringere fores continuo percuſſi cæcitate ab angelis. Verum ſecus interpretantur Chryſoſtomus ac Theophylactus, Græcam etiam figuram interpretantes, quæ tamen uel mediocriter Græce peritis incognita nō eſt. Et Theophylactus hanc laudem accōmodat ad Abraham & Lot cōmuniter. Chryſoſtomus adeo tribuit Abrahæ, ut dubitet, num & Lot oporteat eſſe communem. Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Geneſim libro primo, citans hoc teſtimonium: Per hanc enim, inquit, quidam neſcientes, hoſpitio receperunt angelos. Et de Lot dubium non eſt quin neſciēs receperit angelos, exiſtimans homines eſſe. Cæterum de Abraham nonnihil addubitari poterat, quod adorarit & dominum appellarit, cum tres cōſpiceret. Rurſum cum cibum offert, & pedum lotionem, uelut ex itinere feſſis, uidetur homines credere. Thomas Tenedia bipēnis, ita nodum diſſecat, ut dicat Abraham primum eos habuiſſe pro uiris probis, & ob id exhibuiſſe humanitatis officia, licet adorarit adoratione δουλείας, mox agnouiſſe angelos, in quibus loqueretur deus. Idem admonet geminæ lectionis. Nam præter hāc quam uulgo habemus legi, per hanc quidam neſcientes receperunt angelos, & tamen non dignatur huius lectionis ullum nobis autorē indicare. Iam quū tot argumenta pro nobis faciant, quum tantus ſit Græcorum omnium conſenſus, quum orthodoxi ſcriptores indicent etiam Græcam loquutionem, quū apud Auguſtinum reperiatū uera lectio, quum ipſa res reijciat uerbum placuerunt, tamen quidam magnis clamoribus defendit placuerūt, non alia ratione, quàm quod hoc à ſcribis inductum eſt in uulgatos codices. Quid iſtis facias qui nec diſcere uolunt, nec docere poſſunt?

Laborantium.) κακοχυμιῶν, id eſt, Afflictorum.

Tanquam & ipſi in corpore morantes.) ὡς καὶ αὐτοὶ ὄντες, id eſt, Tanquam & ipſi ſitis in corpore. Laurentius putat ſubaudiendum ipſorum, tanquam ipſi ſitis in corpore afflictorum, quod mihi nequaquam probatur. Sentit enim de corpore cuiuſq; ſimilibus obnoxiis malis. Ita & Theophylactus.

Theophylactus. Honorabile connubium in omnibus.) ἐν πᾶσι, quod uarie exponit Theophylactus. In omnibus, ut ſubaudias modis, aut in omnibus ætatibus, aut in omni tempore, deniq; inter omnes. Quod quidem poſtremum mihi maxime probatur. Quādoquidem & apud ethnicos, honos habitus eſt matrimoniis, ob fauorem publici commodi. Etiamſi nō hæc prædicantur in laudem matrimonij, ſed præcipiuntur, ut ſubaudias eſto, Videtur enim habere uile matrimonium, qui id adulteriis cōſpurcat. Cæterum quod hic uertit thorus, Græce eſt κοίτη. Eam uocem in epiſtola ad Romanos, uertit concubitum, agens de Iſaac & Rebecca: tametſi κοίτη non ſignificet proprie concubitum, ſed cubile.

Non te deſerā nec relinquā.) ἀνῶ ἐγκαταλείπω, id eſt, Relinquo ac deſero, præſentis temporis. Locus eſt Ioſue cap. primo. Etiāſi Hieronymus uertit, Nō dimittā nec derelinquam te.

Nolite abduci.) μὴ περιφέρεσθε, id eſt, Ne circumferamini. Interpres legiſſe uidetur πρὸφέρεσθε. & utrunq; uerbum ſatis quadrabat.

Optimum eſt enim.) καλὸν γὰρ, id eſt, Bonum enim.

Promeretur deus.) εὐαρεστῆται, id eſt, Conciliatur deus, ſiue placetur deo. Quanquam interpres promeretur dixit pro demeretur & conciliatur.

Et ſubiacete eis.) ὑπείκετε. Et eis, redundat, id eſt, concedite ac deferte.

Peruigilant.) ἀγρυπνοῦσι, id eſt, Vigilant.

Quaſi

Quasi rationem reddituri.) ὡς λόγον ἀποδώσοντες, id est, Tanquam rationem reddituri.

Hoc enim non expedit.) ἀλυσιτελὲς γάρ, id est, Inutile enim.

Aptet uos.) καταρτίσαι, id est, Perficiat. Et in omni opere bono, legunt Græci.

Verbum solatij.) παρακλήσεως. Cur non potius exhortationis hoc loco?

Perpaucis scripsi.) δι' ὀλίγων ἔγραψα, id est, Per pauca, siue paucis. Sūt em̄ Græce duæ dictiões.

Cognoscite fratrem nostrum.) γινώσκετε anceps est. Potest enim accipi nostis, & ad sensum haud multum interest.

De Italia fratres.) οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, id est, Itali. Neq; fratres est apud Græcos. Optime lector, nihilo minoris uelim esse tibi hāc epistolam, quod à multis dubitatū sit Pauli esset, an alterius. Certe cuiuscunq; est, multis nominibus digna est, quæ legatur à Christianis. Et ut à stilo Pauli, quod ad phrasim attinet, longe lateq; discrepat, ita ad spiritū ac pectus Paulinum uehemēter accedit. Verū ut nō potest doceri certis argumētis cuius sit, quod nullius habeat inscriptionē, ita compluribus indicijs colligi potest, si nō certis, certe probabilibus, ab alio quopiā quàm à Paulo scriptā fuisse. Primum quod sola omniū Pauli nomē nō præferat, tametsi nō me fugit hoc utcunq; dilui ab Hieronymo, sed ita ut magis retūdat aduersarij telum, quàm astruat quod defendit: *Si ideo*, inquit, Pauli nō est, quod Pauli nomē non præferat, igit̄ nullius erit, cum nullius præferat titulum. Sed audi ex aduerso, *Si ideo* quisq; liber huius aut illius credi debet, quod eius titulum præferat, igitur & euangeliū Petri, Petro tribui debet, quod præferat Petri nomen. Deinde quod tot annis, nempe usq; ad ætatē Hieronymi, nō recepta fuerit à Latinis, quemadmodum ipse testatur in epistolis suis. Ad hanc coniecturā facit, quod Ambrosius, cum omnes Paulinas epistolas sit interpretatus, in hanc unam nihil scripserit. Præterea quod enarrans Esaiæ caput vi. recensuit Hieronymus, quod in hac quædā testimonia citentur ex ueteri testamento, quæ nō reperiant̄ in Hebræorum uoluminibus, de quibus nonnihil attigimus huius epistolæ cap. xij. Vt ne dicam interim inesse locos aliquot, qui quorundā hæreticorum dogmatibus prima fronte patrocinari uideant̄. Velut illa, quod uelum separās sancta sanctorū, interpretatur cœlum, ac multo magis, quod palàm adimere uideat̄ spem à baptismo relapsis in peccatū. Idq; nō uno in loco, cū Paulus & eum receperit in cōmunionē sanctorū, qui dormierat cum uxore patris. Adde huc, quod diuus Hieronymus cum alijs aliquot locis ita citat huius epistolæ testimonia, ut de autore uideat̄ ambigere, tum edisserēs caput Hieremiæ xxxi. Hoc, inquit, testimonio Paulus apostolus, siue quis alius scripsit epistolam, usus est ad Hebræos. Rursum in Esaiæ cap. l. Dicitur & in epistola quæ fertur ad Hebræos, alijsq; locis penè innumeris, alicubi negans referre cuius sit, modo salubria doceat. Item cap. vi. Vnde & Paulus apostolus in epistola ad Hebræos quā Latina cōsuetudo non recipit. Rursus enarrans Esaiæ cap. viij. citās huius epistolæ testimoniū dicit, in epistola quæ ad Hebræos inscribitur docet, licet eam Latina cōsuetudo inter canonicas scripturas nō recipiat. Item enarrans Matthæi cap. xxvi. Licet inquit, de ea Latinorum multi dubitent. Item in Zachariæ cap. viij. citans addit, si tamē in suscipienda epistola Græcorū autoritatem Latina lingua non respuit. Item in epistola ad Paulinum, Octauā enim ad Hebræos à plerisq; extra numerum ponitur. Idem in Catalogo refert Gaium in hac fuisse sententia, ut tredecim duntaxat epistolas asscriberet Paulo, quæ est ad Hebræos negaret illius esse. Deinde subijcit suo nomine Hieronymus, sed & apud Romanos usq; hodie quasi Pauli nō habetur. Consimilem ad modū Origenes homilia in Matthæum xxvi. cum adducat huius epistolæ testimoniū, nō audet tamē ab aduersario fiagitare, ut Pauli uideat̄, ac remittit penè ut sit eo loco, quo liber qui inscribitur secreta Esaiæ. Et Augustinus citaturus huius epistolæ testimoniū de ciuitate dei, libro xvi. cap. xxij. præfatur hunc in modū: De quo in epistola, quæ inscribitur ad Hebræos, quam plures apostoli Pauli esse dicunt, quidā uero negant, multa & magna conscripta sunt. Quin idem aliās frequenter adducens huius epistolæ testimonium: Scriptū est, inquit, in epistola ad Hebræos, omisso Pauli nomine. Sic intellectum est in epistola ad Hebræos. Et de illo etiam in epistola legitur, quæ inscribitur ad Hebræos. Hæc atque huiusmodi cum plus centies occurrant, nusquā quod sanè meminerim, citat Pauli nomine, cum in cæteris citationibus, Pauli titulū libenter sit solitus addere. Ambrosius licet in hanc unam nō ædiderit commentarios, tamē eius testimonijs nō infrequēter utitur, & uidet̄ eam Paulo tribuere. Quin Origenes apud

Epistola hæc an Pauli sit.

Eusebium testatur à pleriſq; dubitatũ an hæc epiſtola eſſet germana Pauli, præſertim ob ſtili diſſonantiam, quanq; ipſe Paulo fortiter aſſerit: Locus eſt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro vi. cap. xvij. Rurſus eiuſdẽ libri. cap. xv. narrat apud Latinos hanc epiſtolam nõ fuiſſe tributã Paulo apoſtolo. Reſtat iam argumentũ illud, quo non aliud certius, ſtilus ipſe, & orationis character, qui nihil habet affinitatis cum phraſi Paulina. Nam quod adferũt hic quidã, Paulum ipſum Hebraice ſcripſiſſe, cæterũ Lucã argumentũ epiſtolæ, quam memoria tenebat, ſuis explicuiſſe uerbis, quantũ ualeat, uiderint alij. Neq; enim in uerbis ſolum aut figuris diſcrimen eſt, ſed omnibus notis diſſidet. Et ut Paulus Græce ſcribens, multũ ex idiomate ſermonis Hebraici retulit, ita & in hac, quã ut uolunt iſti ſcripſit Hebraice, nõnulla ſermonis illius ueſtigia reſiderent. Quid quod ne Lucas quidẽ ipſe in Actis apoſtolorũ, hoc eſt, in argumento, quod facile recipit orationis ornamẽta, parũ abeſt ab huius epiſtolæ eloquentia. Equidem haud interponam hoc loco meam ſententiam. Cæterum admodum probabile eſt quod ſubindicauit diuus Hieronymus in catalogo ſcriptorũ illuſtrium, Clementẽ Romanum Pon. à Petro quartũ, autorem huius epiſtolæ fuiſſe. Clemẽtis enim meminit Paulus, & hic Timothei facit mẽtionem. Sed præſtat, opinor, ipſa Hieronymi uerba ſuper hac re aſſcribere: Scripſit, inquit, nempe Clemens, ſub perſona Romanæ eccleſiæ, ad eccleſiam Corinthiorũ, ualde utilem epiſtolã, quæ & in nõnullis locis publice legit̃, quæ mihi uidetur characteri epiſtolæ, quæ ſub Pauli nomine ad Hebræos fertur conuenire. Sed & multis de eadẽ epiſtola nõ ſolũ ſenſibus, ſed iuxta uerborũ quoq; ordinẽ abutitur. Omnino grandis in utraq; ſimilitudo eſt. Hactenus diuus Hieronymus, ſatis ciuiliter indicans prudenti doctoq; lectori, quid ipſe ſuſpicetur. Idem in epiſtola ad Dardanũ teſtatur hãc à Latinis non fuiſſe receptã, ſed à pleriſq; Græcis ſcriptoribus hactenus receptã ut crederẽt eſſe uiri eccleſiaſtici, Pauli tamẽ eſſe negarẽt, ſed Barnabæ potius aut Clemẽti tribuerent, aut iuxta nonnullos Lucæ, quod idem diligenter annotauit Hieronymus in Pauli Catalogo. Ex his dilucidum eſt ætate Hieronymi Romanã eccleſiã nondum recepiſſe autoritatẽ huius epiſtolæ, & Græcos qui recipiebãt iudicaſſe nõ eſſe Pauli, deniq; Hieronymus ad Dardanum negat referre cuius ſit, quũ ſit eccleſiaſtici uiri. Et tamẽ hodie ſunt qui pluſq; hæreticũ eſſe putant, ſi quis dubitet de autore epiſtolæ, non ob aliud, niſi quod in tẽplis additur Pauli titulus. Si eccleſia certo definit eſſe Pauli, captiuo libẽs intellectũ meum in obſequium fidei, quod ad ſenſum meũ attinet, non uidetur illius eſſe, ob cauſas quas hic reticuiſſe præſtiterit. Et ſi certo ſcirem nõ eſſe Pauli, res indigna eſt digladiatione, Nec hac de re tantum uerborum facerem, niſi quidam ex re nihili tantos excitarent tumultus.

Stilus an certiſſimũ argumentum.

Hieronymus.

ANNOTATIONVM IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS PER DES. ERAS. ROT. FINIS.

IN EPISTOLAM IACOBI ANNOTATIONES DES. ERAS. ROTEROD. EX CAPITE I.



IACOBVS apoſtolus.) Apoſtolus, non additur in his libris, quos ego uiderim, nec in Latinis emẽdatioribus. Et fieri poteſt, ut nomen commune cum apoſtolo præbuerit occaſionẽ, ut hæc epiſtola Iacobo apoſtolo aſſcriberetur, cum fuerit alterius cuiuſdam Iacobi. Nam de hac quoq; nonnihil eſt dubitatum. Idem accidit in duabus poſterioribus, quæ ob nomen commune, Iohanni tribuuntur apoſtolo, cum alterius ſint autore Hieronymo, qui Iacobum hunc negat eſſe apoſtolum è numero duodecim qui recenſentur in Euangelio, ſed alium quendam cognomento iuſtum, filiũ Mariæ ſororis matris domini, qui primus fuerit ordinatus epiſcopus Hieroſolymitanus ab apoſtolis. Nec enim obſtare, quod hic aliãs uocẽt apoſtolus,

Iacobus non è numero duodecim.

apostolus,cum apud Paulum discipuli Christum prædicantes,apostoli dicantur. Ac ne ab hoc quidem hanc epistolam esse profectam,asseuerabant quidam, licet, ut inquit idē Hieronymus,paulatim procedente tempore obtinuerit autoritatē. & hunc esse qui cum Hierosolymis communicarit Paulus,& cuius toties fiat in apostolorum actis mentio. Ita Hieronymus in Catalogo. Rursus enarrans Esaiæ cap.xvij. Idem enarrans caput primum epistolæ ad Galatas, dicit illos uehementer errare, qui credunt Iacobum quem uidit Paulus,fuisse unum è numero duodecim apostolorum. Verum superuacuum arbitror anxiè de autore digladiari,rem potius amplectamur,& spiritum sacrum autorem exosculemur.

Opus perfectum habet.) ἔχέτω,id est,Habeat. Atq; ita legitur & in Latinis exemplaribus emendatis. Et integri.) καὶ ὁλόκληροι. Vt opponatur mutilis. Nam dissidia uetāt quo minus corpus sit integrum.

Indiget sapientia,) λείπεται σοφίας,id est, Si cui deest sapientia.

Postulet à deo qui dat.) αἰτείτω ἀπὸ τοῦ διδόντος θεοῦ,id est,Postulet ab eo qui dat,nempe deo,ut intelligas non aliunde petendam sapientiam.

Affluenter.) ἁπλῶς,id est,Simpliciter & pure. Id enim interpretatur quod mox sequitur, Et non improperat.

Et non improperat.) Sunt qui negent in hoc sensu improperat esse Latinum,& uerum est Plinio improperare dictum, pro intro properare. Attamen mihi persuaderi nō potest, uocem esse confictam, cum toties sit obuia in sacris libris, improperare & improperiū.

Nihil hæsitans.) μηδὲν διακρινόμενος,id est,Nihil dijudicans. Quanquā hæc affinia sunt, & ob id utroq; modo solet uertere.

Et circumfertur.) καὶ ξιπιζομένῳ,id est,Iactatur siue rapitur.

Non ergo existimet.) μὴ γὰρ,id est,Non enim.

Quod accipiat.) ὅτι λήψεται,id est,Quod accipiet,aut accepturus sit.

Vir duplex animo.) δίψυχος. Quasi dicas,bianimis,ut dicimus bilinguis.

In exaltatione.) ἐν τῷ ὕψει,id est,In sublimitate. Opponit enim inter se pugnantia. Interpres legisse uidetur,ἐν τῇ ὑψώσει.

In humilitate.) ἐν ταπεινώσει,id est,In humiliatione, siue deiectione.

Decor uultus eius.) Subdura est metaphora quæ uultum tribuit herbæ. Est enim hic χόρτος, quod interdum transfert fœnum,nonnunquam gramen,rarius herbam. Proinde sciat lector Græce esse εὐπρέπεια τοῦ προσώπου,id est, Decor aspectus eius,siue speciei.

Dives in itineribus suis.) πορείαις. Vide num legi possit,πορίαις,ut sit,in abundantia. Certe ad sensum uideretur accommodatius.

Repromisit deus.) Græci legunt dominus, pro deus. Ne quis autem suspicetur aliquid subesse mysterij quod repromisit dixit pro promisit, Nam Græce est ἐπηγγείλατο. est eadem uox apud Suetoniū in Othone Tiberio & Claudio Cæsaribus consimiliter usurpata. Neq; enim præpositio re, hic significat iterationē actus, sed relationē,ut recipit, nō qui bis capit, sed qui quod ab alio debetur capit,& retinet,non qui bis tenet, sed qui tenet uolentē abire.

Quoniam à deo tentatur.) ὅτι ἀπὸ θεοῦ πειράζομαι, id est, Quod à deo tentor. Tametsi hāc figuram Latinus sermo non recipit, nisi omittas coniunctionem quod.

Intentator est.) ἀπείρασός ἐστι κακῶν,id est, Inexpertus est malorum. siue non potest tentari malis. Significat autem deum neq; tentari ipsum malis, neq; tentare quenquā, quasi dicas, intentabilis. Demiror autē interpretes non circuitione potius uocem hanc explicuisse. Nā Latinis intentator est, qui mali quippiā impingit. Quod si ἀπείρασος accipiatur actiue bis idem dixit. Et cōiunctio reclamat huic sensui. *Intentator.* ἀπείρασος.

Abstractus & illectus.) ἐξελκόμενος & δελεαζόμενος,id est, Illectus & inescatus. Tametsi participia hæc præsentis sunt temporis,id est, dum illicitur & inescatur.

Generat mortem.) ἀποκύει. Metaphora sumpta à grauidis. Quasi dicas enititur.

Dilectissimi.) ἀγαπητοί,id est,Dilecti.

Datum optimum.) δόσις ἀγαθή,id est,Donum bonū, siue donatio bona. Hieronymus legit,Omnis perfecta donatio,in loco quem mox cito.

Non est transmutatio,) παραλλαγή. Quod Hieronymus in priori aduersus Iouinianum commentario uertit,differentiam. Augustinus libro de ciuitate dei xi. legit, Apud quē non

est immutatio, nec momenti obumbratio. Rursus aduersus Manichæos de natura boni, cap. xxiiij. Hilarius de trinitate libro iiij. legit, Apud quem non est demutatio.

Nec.) ἢ, id est, Aut, pro nec.

Vicissitudinis obumbratio.) τροπῆς ἀποσκίασμα, id est, Conuersionis obumbratio. Significat autem ab hac luce iaci umbram, & solstitijs crescere, ac decrescere nostrū solem. Ita propemodum & diuus Hieronymus in loco quem modo citauimus.

Voluntarie enim &c.) βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων, id est, Volens progenuit nos uerbo ueritatis, ut simus primitiæ quædam creaturarum eius, siue creaturarum suarum. Beda indicat hunc locum à quodam sic legi, ut simus primitiæ creaturarū eius, quasi intelligat nos esse cæteris rebus creatis præstantiores, quod olim singularum rerum primitiæ offerrentur, hoc est præcipua quæq. Porrò quod noster interpres τινα uertit aliquod, iuxta hanc sententiam rectius uertisset quoddā, siue primitiæ quædam, ut addito nomine intelligamus sermonem habere metaphoram.

Scitis fratres mei.) ὥστε ἀδελφοί, id est, Itaque fratres mei. Interpres legisse uidetur ἴστε, pro ὥστε. Nam scitis enim quod est in nostris codicibus in Græcis non reperio.

Si autem.) Autem redundat.

Omnem immunditiam.) ῥυπαρίαν, id est, Sordiciem.

Abundantiam.) περισσείαν, id est, Superfluitatē. Alludit enim ad sordes & superflua corporis. Etiamsi non desunt, qui negent superfluitatem esse uocem Latinam. Atq; non uideo qui minus à superfluo liceat dicere superfluitatem, quàm ab exiguo exiguitatē, ab assiduo assiduitatem, à perpetuo perpetuitatem.

Et non auditores tantum.) Tantum, non inuenio apud Græcos, ne in Aldina quidem æditione. Sed quidam indicat esse in Rhodiensi codice. Salua res est. At ego uereor, ne is codex sit ad nostros emendatus. Imò ne in Latinis quidem emendatioribus additur tantum, sed adiectū uidetur abs quopiam, cui cum absurdum uideretur præscribi nobis ne essemus auditores uerbi, uelut interpretans scriptoris mentem, addidit auditores tantum.

Perspexerit.) παρακύψας, id est, Qui prospexerit, à gestu caput obliquātis intuēdi studio.

In lege perfecte.) εἰς νόμον τέλειον, id est, In legem perfectam. Codex Donatianicus habebat In lege perfecta.

Libertatis.) τὸν τῆς ἐλευθερίας, id est, Quæ est libertatis, siue nempe libertatis.

Permanserit in ea.) ὁ παραμείνας οὕτως, id est, Et permanserit sic.

Religiosum esse.) Græci addunt ἐν ὑμῖν, id est, Inter uos. Sed seducit cor suū.) Ex corde uago atq; instabili nascitur, linguæ petulātia, unde nos uertimus, sed aberrare finit cor suū. Est enim Græcis ἀπατῶν. Ab hoc seculo.) ἀπὸ τοῦ κόσμου, id est, A mundo.

EX CAPITE SECVNDO.

προσωποληψία.

Esu Christi gloriæ.) Quod iuxta proprietatem Hebræi sermonis perinde ualet ac si dicas, glorioſi, Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς δόξης. Vide lector, num δόξης hic declaret non gloriam, sed opinionē, ut referatur ad προσωποληψίαν. Sitq; sensus, ne habeamus fidem domini nostri Iesu Christi, in discretione personarū, ut ex sua quisque opinione quemlibet æstimet, non hac quatenus est Christianus, sed quatenus nobis aut magnus, aut humilis est ob affinitatem aut diuitias.

In conuentum uestrum.) εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν, id est, In congregationem siue cœtum uestrum. Hic palàm est, synagogam esse quemuis cœtum aut conlessum hominum.

Aureum anulum habentes.) χρυσοδακτύλιον. Dictione composita uocauit, gestantem anulos aureos, quasi dicas, auranuleus.

In ueste candida.) ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ. i. In ueste splēdida, tametsi olim magnificū erat ac regale candidis amiciri. In sordido habitu.) ἐσθῆτι. Variauit interpres, cum Græce sit eadem dictio. Qui indutus est ueste præclara.) ἐπὶ τὸν φοροῦντα τὴν ἐσθῆτα τὴν λαμπρὰν, id est, In eum qui gestat uestem splendidam. Et est eadem uox, quam modo uertit candidā, immodicus affectator copiæ. Aut sede sub.) ἢ κάθου ὧδε, id est, Sede hic.

Copia.

Nō iudicatis.) οὐ διεκρίθητε. i. Iudicati estis in uobisipsis. Nā & sic accipi potest, & magis quadrat ad ea quæ sequunt̄. Cæterū & coniunctio quæ apud Græcos additur, tantū ad uehementiam & affectū facit, καὶ οὐ διεκρίθητε. ut & non, perinde polleat ac si dicas, an non.

Cogitationū

Cogitationum iniquarum.) πονηρῶν, id est, Malarum.

In hoc mundo.) τοῦ κόσμου, id est, Mundi. Interpres, mirum quo consilio, semper addit, mundo pronomen demonstratiuum. etiamsi hic in nonnullis additur τούτου.

Diuites autem.) Autē, redundat, & repugnat sensui. Interpres legisse uidetur πλουσίους δέ, perinde quasi præcesserit μέν. Pauperes quidem in hoc mundo, sed diuites in fide.

Exhonoraſtis pau.) ἠτιμάσατε, id est, Ignominia afficistis, siue contemptui habuistis.

Pet potentiam opprimunt.) Quod Græci dicunt unico uerbo καταδυναστεύουσιν, quasi dicas, abutuntur suo magistratu & potestate, in uestrum malum.

Ad iudicia.) εἰς κριτήρια, id est, Ad tribunalia.

Redarguti à lege.) ἐλεγχόμενοι. Quod melius uertisset, Et redarguimini, ut tempus quoque respondeat.

Quicunq; autem.) Enim est Græcis, non autem.

Quasi transgressores. ὡς παραβάται, id est, Vt transgressores.

Incipientes iudicari.) μέλλοντες κρίνεσθαι, id est, Iudicandi. Et in hunc quidem modum frequenter transtulit interpres. At hic sanè fuit intolerabile. *Incipientes pro futuro.*

Qui non facit.) μὴ ποιήσαντι, id est, Qui non fecerit.

Superexaltat autem misericordia iu.) κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως. Opinor interpretem uertisse, superexultat, id est, supergloriatur. Sensus est, gloriatur misericordia aduersus iudicium, tanquam uictrix, ut nihil iam ad rem faciant, quinq; expositiones Hugonis Carrensis, quas in hunc inuehit locum, ὅλας ἁμάξας, pro unica interpretatione, examen interpretationum faciens. Ea est insciticæ fœcunditas, cum ueritatis simplex sit oratio. Vtitur autem eodem uerbo ad eundem modum paulo inferius, μὴ κατακαυχᾶσθε καὶ ψεύδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας, id est, Ne gloriemini & mentiamini aduersus ueritatem. Id conijcere licet ex uerbis Augustini, quibus enarrat Psalmum clxiij. Idem libro de ciuitate dei xx. cap. xviij. interpretatur, superexaltat, superat, Sed cum ad iudicium, inquiens, uentum fuerit, misericordiā esse superaturam, non longe quidem aberrans à scopo, quod ad sensum attinet. Apparet & Augustinum legisse superexultat, etiamsi in uulgatis codicibus deprauatum est, superexaltat. uictoris enim est exultare. Rursus in quæstionibus in Exodum legit, Superexaltat misericordia in iudicio. Vt hinc manifestior etiā suspicio detur illum legisse, superexultat, Certe ex Bedæ commentarijs palàm est, illum legisse superexultat. Eius uerba subscribam, Superexultat autem misericordia iudicium, quia quemadmodum damnatus in iudicio dei dolebit, qui non fecit misericordiam: Ita qui fecit, remuneratus exultabit atque gaudebit. Aliter superexaltat misericordia iudicium. Non dictum est, uincit misericordia iudiciū. Nō enim est aduersa iudicio, sed superexaltat qui plures per misericordiam colligunt, sed qui misericordiam præstiterunt. Ex his perspicuum est Bedam iuxta Græcorum exemplaria legisse superexultat, licet scriba penè ubiq; uocem eam deprauauerit. *Hugo Carrensis.*

Et soror. Aut, est Græce, non &.

Calefacimini.) θερμαίνεσθε, id est, Calefiatis siue calescite. Quis enim ferat calefacimini? Aut cur non potius mutato genere calefaciatis uos, quemadmodum non semel huius uerbi participium uertit in euangelio, θερμαινόμενον, calefaciebat se. Sed ex obsoletis autoribus citant literatores facior. ut donemus, quorsum attinet obsoletis atq; etiam dubijs uti cum suppetant usitata certaq;. *Calefacimini.*

In semetipsa.) καθ' ἑαυτήν, id est, Per se, hoc est, sola.

Sine operibus.) ἐκ τῶν ἔργων σου, id est, Ex ex operibus tuis. Interpres legisse uidetur ἐκτὸς τῶν ἔργων. nam minimum est discrimen in uocibus, cum sententia tota pugnet. Quod si legis sine operibus, quemadmodum legit interpres, non uideo qui constet sensus. nam fides ostendi non potest, nisi factis. Sentit autem quisquis hic fuit Iacobus, demonstra tuam fidē quam habes, adiunctis factis, ut utrunq; habeas, & ego solis factis declarabo, mihi neutrū deesse. Sermo uidetur apud Græcos aliquanto dilucidior. Siquidē ut Iacobus doceat nec fidē absq; operibus, nec opera sine fide ualere, proponit duos colloquentes, quorum alter fretus sua fide negligat opera. Huic dicitur: Tu fidem habes, sit hoc tibi satis. Rursus alter fidens operibus neglecta fide, respondet illi. Et ego facta habeo, mihi satis est. Iacobus utriusque sermonem refellit, Imò neutrum, inquit, quod habet sufficit ad salutem. Sed tu qui *Varia lectio.*

fidem tuam iactas, doce factis ipsis tibi fidem esse, quæ certe res ocioſa non eſt, & ego factis ipſis declarabo mihi neutrum deesse. Neq; enim cõuenit, ut hæc uerba Fidem habes, pertineãt ad perſonam apoſtoli, qui reiſcit fidem carentem factis.

Credidit Abraham deo.) Idem teſtimoniũ quod Paulus adduxit in epiſtola ad Romanos aduerſus fiduciam operũ, hic adducit ad commendationem operũ. Verum Paulus illic opera uocat obſeruationem legis Moſaicæ, hic ſentit de officijs pietatis & charitatis.

Opera duplicia.

Videtis quoniam.) ὁρᾶτε τοίνυν ὅτι, id eſt, Videtis igitur quod.

EX CAPITE TERTIO.

PLures magiſtri.) πολλοὶ, id eſt, Multi.

Sumitis.) λαμβάνομεθα, id eſt, Sumemus, ſiue quod Valla mauult, accipiemus. Non enim ſumimus niſi uolentes, accipimus & nolentes. Siquidem uulnus accepit recte dicimus, ſumpſit uulnus nõ itẽ. Et quod ſequitur, Offendimus omnes, præſentis eſt temporis, non præteriti, πταίομεν, id eſt, labimur. ut intelligas omnes quotidie labi. Item quod ſequitur, Si quis in uerbo non offendit, πταίει, præſentis temporis eſt. Poteſt etiam freno.) δυνατὸς χαλιναγωγῆσαι καὶ ὅλον τὸ σῶμα. i. Potes freno moderari & totum corpus.

Si autem frenos.) Græce non eſt, ſi autem, ſed ecce ἴδε. Interpres legit εἰ δέ. Beda indicat in quibuſdam ſcriptum fuiſſe, Sicut autem equis &c.

Ad conſentiendum.) πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν, id eſt, Vt nobis obediant ſiue pareant.

Omne corpus.) Et omne corpus legit Græcus, ſed neceſſe erat coniunctionem abijcere, cum dixerit, ſi autem. Quod ſi recipimus εἰ δὲ hic erit ſenſus, qui os equi freno poteſt moderari, eadem opera circumaget quò uolet totum corpus equi.

Et ecce naues.) ἰδοὺ καὶ τὰ πλοῖα, id eſt, Ecce & naues, ſiue Naues quoq;.

Cum magnæ ſint.) τηλικαῦτα ὄντα, id eſt, Cum tantæ ſint.

A uentis ualidis,) σκληρῷ, id eſt, Duris. ſed interpres aliud uidetur legiſſe.

Minentur.) ἐλαυνόμενα, id eſt, Aguntur ſiue uehuntur.

Circumferuntur autem.) Autem, redundat.

Modicum quidem.) Quidem, redundat & officit ſenſui.

Lyranus.

Et magna exultat.) καὶ μεγαλαυχεῖ. Lyranus legit, exaltat, & magna exponit, mala: & exaltat, prouocat. Arbitror ab interprete fuiſſe ſcriptum, exultat. hoc eſt, iactat, id quod Græca uox ſonat. Nec Beda diſſimulat in quibuſdam codicibus ſcriptum fuiſſe, Magna exultat. Itaq; ſcriptum comperimus in codice uetuſtiſſimo Donatiani. Græcis eſt ſermo iucundior dictione cõpoſita à μεγάλα magna & αὐχεῖν gloriari ſiue iactare, id eſt, magnifice ſe iactat.

Ecce quantus ignis.) Opinor interpretem uertiſſe, quãtulus ignis, id eſt, quàm puſillus.

Quãtus, pro paruus.

Nã Græce eſt ὀλίγον πῦρ, id eſt, exiguus ignis. Hieronymus in lxvi. Eſaiæ cap. ita citat: paruus ignis quàm grandem ſuccendit materiam. Teſtatur & Beda in nõnullis exemplaribus ſcriptum fuiſſe: Ecce modicus ignis &c. Hoc adieci, ne quis putet Græcos codices fuiſſe uitiatos. Et ſyluam, hoc loco rectius uertiſſet materiam.

Mundus, ſumma.

Vniuerſitas iniquitatis.) ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, id eſt, Mundus iniquitatis. Eſt autem aliquando mundus, cumulus rerum ſimul repoſitarum. Vnde mundum muliebrẽ dicimus.

Lingua conſtituitur.) Sic lingua, legunt Græci, οὕτως ἡ γλῶσσα,

Beſtiarum.) θηρίων, id eſt, Ferarum, aut noxiarũ beluarũ. Nam id propriè ſignificat θηρίον.

Cæterorũ, pro cetorum.

Et cæterorum.) καὶ ἐναλίων, id eſt, Marinorum. Interpres legiſſe uidetur ἄλλων, aut certe ſcripſit, cetorum, quod ipſum adhuc in nonnullis extat codicibus. Id ſcriptor oſcitans mutauit in cæterorum. nam manſueſcunt & marinæ beluæ, ut delphines.

A natura humana.) τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ, id eſt, Ingenio humano, ſiue naturæ humanæ. Quanquam hoc paruí refert ad ſenſum.

Inquietum malum.) ἀκατάσχετον, id eſt, Incoêrcibile ſiue incohibibile. Hieronymus ſecundo aduerſus Pelagium dialogo, tranſtulit, Incontinens malum. Benedicimus deũ & patrem.) Latinis male dicit qui dicit conuicium, at non ſtatim benedicit homini qui laudat.

Ex ipſo ore.) ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος, id eſt, Ex eodem ore.

Emanat.) ῥεῖ, id eſt, Scatebra emittit. Si tamen Latine dicitur, emanat aquam.

Dulcẽ & amaram aquã.) τὸ γλυκὺ, καὶ τὸ πικρὸν, id eſt, Dulce & amarũ, ut ὕδωρ ſubaudias.

Ficus

Ficus uuas facere.) συκῆ ἐλαίας ποιῆσαι, id est, Ficus oleas facere. Siquidē ficum opposuit oleæ, quod hæc acerbi saporis sit & austeri, dissimilis ficui. Quanquam mox meminit uitis.

Sic neq; salsa dulcem potest facere aquam.) οὕτως οὐδεμία πηγὴ ἁλικὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ, id est, Sic nullus fons, salsam & amaram facere aquam.

Et disciplinatus.) ἐπιστήμων, id est, Sciens, siue scientia prædītus, quod recentiores uocant, scientificus. ἐπιστήμων sciens.

Operationem suam.) τὰ ἔργα αὐτου, id est, Opera sua.

Et contentiones sint.) Græce tantum est, & contentionem, καὶ ἐρίθιαν. Ac mox sequitur, In corde uestro.

Desursum descendens.) Quod hic additur à patre luminum, non habetur in codicibus Græcis, sed huc apparet assciptum ex primo capite, Nec attingitur à Beda.

Animalis diabolica.) Animalis hic deducīt ab anima, ψυχική. Sic enim aliquando uocat affectum humanū, ut opponatur spiritui. Carrensis putat ab animalibus dictū, quod brutorū sit, duci uoluptatibus, Cum Beda nominatim hoc admoneat quod dicimus citās Græcam autoritatē, quæ tamē istis nostris nimiū uilis est. Nec est diabolica, sed dæmoniaca, δαιμονιώδης, hoc est, nō à spiritu Christi, sed à spiritu huius mūdi. Et dæmones Græcis dicūtur quasi δαήμονες, hoc est, sciētes, & his antiqui tribuebant artium humanarum inuentionem. Carrensis. Diabolica, p dæmoniaca.

Ibi inconstantia.) ἀκαταστασία. Quod magis sonat tumultum & seditionem.

Pudica est.) ἁγνή, id est, Pura siue casta. Et modesta, Græce est ἐπιεικής, id est, Humana siue æqua. Nam mundi sapientia reddit morosos.

Suadibilis.) εὐπειθής, id est, Tractabilis, siue morigera, & cui facile persuadeatur.

Bonis consentiens.) Hæc non inueniuntur in Græcis codicibus, quos ego sanè uiderim, ac ne in uetustissimo quidem codice Donatiani, etiamsi Beda legit & interpretatur.

Iudicans sine simulatione.) Græce est, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος, id est, Nihil discernēs, & nihil simulans. Aut sine dijudicatione, sine simulatione. Et tamē illud iudicans reperitur etiam in uetustis codicibus. Demiror autem quid secuutus Augustinus, pro ἀδιάκριτος legit, inæstimabilis. Sic enim habet lib. de gratia & libero arbitrio ad Valētinum cap. ultimo, Quæ autem desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia & fructibus bonis, inæstimabilis, sine simulatione. Quis sic uertit, uidetur uocē, ἀδιάκριτος, nam est anceps, usurpasse significatione passiua. Hoc nusquā reperitur.

EX CAPITE QVARTO.



Tlites.) καὶ μάχαι, id est, Pugnæ, tametsi contentiones pugnas uocat.

Nónne in cōcupiscentijs.) Deest nobis quod est apud Græcos, οὐκ ἐνταῦθεν, id est, Nónne hinc. Neq; est in concupiscentijs, sed ἐκ τῶν ἡδονῶν, id est, ex uoluptatibus uestris, siue libidinibus, cum id sequimur, nō quod per se rectum est, sed quod animo collibuit.

Occiditis & zelatis.) φονεύετε καὶ ζηλοῦτε. Non uideo quid illud uerbū occiditis ad sensum faciat. Forte scriptum fuit, φθονεῖτε & ζηλοῦτε, id est, Inuidetis & æmulamini, & non potestis consequi: ut scriptor dormitans pro φθονεῖτε scripserit φονεύετε, præsertim cum sequatur Ad inuidiam, concupiscit spiritus. Certe Beda hæc uerba, concupiscitis & non habetis, occiditis, & zelatis, non attingit. φονεύετε pro φθονεῖτε.

Litigatis & belligeratis.) μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε, id est, Pugnatis & bellatis.

Propter quod non post.) διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς, id est, Propterea quod non postulatis.

Vt in concupiscentijs.) Rursum hoc loco est, In uoluptatibus, ἐν ταῖς ἡδοναῖς.

Adulteri nescitis.) Græce est μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, οὐκ οἴδατε, id est, Adulteri & adulteræ, an nescitis? Amicitia huius mūdi.) του κόσμου, id est, Mūdi: & huius adiecit suo more.

Inimica est deo.) ἔχθρα του θεοῦ ἐστιν, id est, Inimicitia est dei, seu potius cum deo, sicut annotauimus in Paulo. Atq; ita legitur & in Latinis exemplaribus emendatioribus, etiam ijs, quæ formulis excusa sunt. Nec aliter recenset Beda, nisi quod inimica legit pro inimicitia. Discrimen est in accentu ἔχθρα inimicitia ἐχθρὰ inimica.

Amicus esse seculi.) κόσμου, id est, Mundi.

Ad inuidiam spiritus concupiscit.) Et in hunc locum plaustra onusta interpretationibus inducunt Theologi recentiores, qui si quando destituuntur ueterum commentarijs, quos

quos nobis rhetorici & grammatici ſcriptores,ut iſti uocant,reliquerunt, tum deniq; ſui ſimiles ſunt.Mihi ſenſus hic potiſſimum probatur,Spiritus hominis mũdo deditus, ſibi inuidet,ſed deus copioſius impertit ſuam gratiam, quàm ipſi cupiamus. Neq; tamen liquet, ubi reperiatur hoc ſcriptum.Beda ſenſum triplicem adducit.

Qui habitat.) ὃ κατῴκησεμ, id eſt,Qui habitauit ſiue ſedem poſuit.

Maiorem autẽ dat.) Ante hæc uerba in Græcorum nõnullis exemplaribus adiecta ſunt quædam,quæ ueluti compleant ſermonem,διὸ λέγει, κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. Verum ea ſuſpicor à ſtudioſo quopiam huc addita in marginali ſpacio, ex epiſtola Petri priore,deinde à ſcriba parum erudito in cõtextum tranſlata.Nam in pleriſq; tantum eſt, μείζω δὲ δίδωσι χάριν. Hoc loco ſubijciuntur uerba quæ mihi uidebantur adiecta,quæ tamen comperi in æditione Aldina, διὸ λέγει, κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν.

Humilibus.) ταπεινοῖς.Quod ad conditionem pertinet magis,quàm animum.

Duplices animo.) δίψυχοι,id eſt,Duplicis animi.

Miſeri eſtote.) ταλαιπωρήσατε. Verbum à tolerantia dictum.

Alterutrum.) ἀλλήλων,id eſt,Inuicem,ſiue alij alijs.

Detrahit legi.) καταλαλεῖ,id eſt, Obloquitur,ut & ſuperius, ὁ καταλαλῶν,id eſt,Qui obloquitur ſiue obtrectat. Vnus eſt enim.)Enim,redundat,& nihil facit ad ſententiam.

Et iudex.) Hæc duo uerba non reperio apud Græcos.

Perdere & liberare.) σῶσαι καὶ ἀπολέσαι, id eſt,Seruare & perdere.

Tu autem.) Autem,non addunt Græci.

Qui iudicas proximum.) τὸν ἕτερον, id eſt,Alium ſiue alterum.

Ecce nunc qui.) ἄγε νῦν,id eſt,Age nunc.

Hodie aut.) Græce eſt,hodie & cras,σήμερον καὶ αὔριον. Nec eſt In illũ,ſed in hãc εἰς τήνδε.

Ibi quidem.)Quidem,redundat à Græcis exemplaribus.

Annum.)Græci habent,annum unum, ἐνιαυτὸν ἕνα.

Quid ſit in craſtinum.) τὸ τῆς αὔριον,id eſt,Quæ ſit craſtinæ diei fortuna.

Ad modicum parens.)Mirum cur hic tam poëtice loqui uoluerit, ut diceret parens pro apparens,cum Græce ſit φαινομένη.

Et deinceps exterminabitur.) ἀφανιζομένη,id eſt,Euaneſcens,ſiue,non amplius apparẽs, ſi uoluiſſet & uocum affinitatem reddere.

Pro eo quod dicatis.) ἀντὶ τοῦ λέγειν ὑμᾶς, Pro eo,ſiue loco eius quod dicere debuiſtis. Quod ita reddi poterat,Cum ita potius dicendum ſit uobis.

Si dominus uoluerit.)Græca ſic habẽt,ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν,καὶ ποιήσωμεν τοῦτο, ἢ ἐκεῖνο, id eſt,Si dominus uoluerit, & uixerimus, & fecerimus hoc aut illud. Sed haud ſcio an Græca hoc loco ſint deprauata,legendumq; καὶ ζήσομεν,& ποιήσομεν, id eſt, Et uiuemus, & faciemus,ut intelligas,nec uicturos,nec facturos aliquid,niſi dominus uoluerit,Niſi malimus accipere imperatiue, ζήσωμεν,& ποιήσωμεν, id eſt,uiuamus & faciamus.

EX CAPITE QVINTO.

Tineis comeſta ſunt.) σκώληκα γέγονεν, id eſt,Facta ſunt tineoſa,ſiue tineis obnoxia,ſiue talia,ut à tineis rodantur.

Et mãducabit.) Poteſt eſſe præſentis tẽporis φάγεται exedit ſiue comedit.

Theſaurizatis uobis iram.) ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, id eſt,Theſaurizaſtis in extremis diebus.Nec additur,uobis iram.Conſentiebat cum Græcis uetuſtiſſimus codex Donatiani.

Quæ fraudata eſt à uobis.) ὁ ἀπεστερημένος, id eſt,Quæ fraude non reddita eſt,Refertur autem ad mercedem,meſſoribus debitam.

Et clamor eorum.) καὶ αἱ βοαὶ τῶν θερισάντων, id eſt,Clamores eorum qui meſſuerunt.

Epulati eſtis.) ἐτρυφήσατε,id eſt,Deliciati eſtis.

Et in luxurijs enutriſtis corda ueſtra.) Græca ſic habent, ἐτρυφήσατε ἐπὶ τῆς γῆς, & ἐσπαταλήσατε, καὶ ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν,id eſt,Deliciati eſtis in terra,& laſciuiſtis,& enutriſtis corda ueſtra. In die occiſionis.) ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς,id eſt, Vt in die mactationis,hoc eſt, In die feſto,quo ſolent mactari uictimæ in epulum.

Adduxiſtis

Adduxistis.) κατεδικάσατε, id est, Condemnastis. Fortassis interpres uerterat addixistis, pro condemnastis. Id librarius aut parum attentus, aut parum eruditus uertit in adduxistis. Certe addixistis scriptum erat in peruetusto codice Donatiani. *Adduxistis p addixistis.*

Non restitit.) ἀντιτάσσεται, id est, Resistit, præsentis temporis. Atq; ita legit Beda.

Donec accipiat temporaneum & serotinum.) Græci legunt, ὑετὸν πρωϊμόν καὶ ὄψιμον, id est, Pluuiam matutinam & serotinam seu uespertinam, aut si mauis pluuiã præproperam & seram. Nam Augustinus libro de idiomate ueteris instrumenti, putat serotinum uocem esse parum Latinam, adducẽs locum hunc ex Deuteronomio, Et dabit pluuiam terræ tuæ in tẽpore suo, matutinum & serotinum. Cæterũ significari his uocibus anni partes, quod agricolæ in ipsa satione pluuiam aliquam desiderent. Ac rursus in æstate, quo grandescant uegetẽturq; sata. Atq; adeo ex hoc ipso loco uidetur Iacobus hanc particulam mutuatus. *Augustinus.*

Estote uos.) Et uos, legit Græcus.

Aduentus domini appropinquabit.) ἤγγικε, id est, Appropinquauit, præteriti temporis, aut certe præsentis, instat.

Exitus mali.) τὴν κακοπαθείας, id est, Afflictionis. Cæterum hæc uerba exitus mali & lõganimitatis uidentur addita ex diuersa interpretatione. Nec enim habebãtur in duobus peruetustis exemplaribus Donatiani. Etenim quod aliquis uerterat κακοπαθείας & μακροθυμίας exitus mali & longanimitatis, hoc alius uertisse uidetur laboris & patientiæ, utrunq; scriba doctulus coniunxit.

Beatificamus.) μακαρίζομεν, id est, Beatos iudicamus, siue beatos dicimus. Et non est sustinuerunt, sed sustinent, τοὺς ὑπομείναντας.

Sufferentiam.) τὴν ὑπομονὴν, id est, Tolerantiam, siue patiẽtiam. Finem domini uidistis. Finem appellat, quod per afflictiones euaserit ad summam gloriam.

Quoniam misericors est.) πολύσπλαγχνος, id est, Valde misericors.

Est est, non non.) τὸ ναὶ ναί, καὶ τὸ οὒ οὔ, id est, Quod est etiam, etiam: & quod est non non. Nec est sermo uester, sed uestrum est, sit est: & uestrum non, sit nõ, hoc est, quod affirmatis, uere affirmate, & quod negatis, uere negate, quemadmodum admonuimus in euangelijs. *Est est, Non non.*

Tristatur autem.) κακοπαθεῖ, id est, Affligitur.

Oret æquo animo & psallat.) Nescio an scriptor aliquis hũc locum deprauarit, nam Græca longe secus habent, κακοπαθεῖ τὶς ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω. εὐθυμεῖ τις; ψαλλέτω, id est, Affligit aliquis inter uos? oret. æquo animo est aliquis? canat. Nimirum ut in rebus afflictis opem petamus à deo, in rebus secundis, gratias agamus deo. Nam id uocat psallere. Tametsi secus & legit & interpretatur Beda. *Græca à nostris multum dissonantia.*

Vngentes illum oleo.) Hoc relictum erat ex præcepto euangelico, quo Christus mandauit suis, ut in quas ædes essent ingressi, sanarent ægrotos, ungentes oleo. Nam consentaneũ est quod legimus factum ab apostolis, iussu domini factum fuisse, licet non legamus fuisse iussos. Id nunc fit in extremo uitæ discrimine.

Saluabit infirmum.) τὸν κάμνοντα, id est, Laborãtem. Nam de ægroto sentit.

Peccata uestra.) Vestra, apud Græcos non est, tametsi subauditur. Et magis est errata, q̃ peccata παραπτώματα, quasi dicas, lapsus. Sentit enim de quotidianis offensis Christianorũ inter ipsos, quos continuo uult reconciliari. Alioqui si de confessione sensisset, quã dicimus partem sacramenti pœnitentiæ, non addidisset ἀλλήλοις, id est, uobis inuicem, sed sacerdotibus. Ab hac sententia non dissentit interpretatio Bedæ. Et ita palàm citat in commentarijs quos scripsit in quintum caput epistolæ Ioannis. *Hinc quidam colligunt confessionem sacramentalem.*

Vt saluemini.) ὅπως ἰαθῆτε, id est, Vt sanemini.

Iusti assidua.) ἐνεργουμένη, id est, Operans, siue cum agit, ut intelligas efficacem, ex animo profusam. Fortassis interpres uertens assiduam, sensit intentam & instantem ut assequatur quod petit.

Similis nobis.) ὁμοιοπαθὴς, id est, Similiter affectus, aut similibus affectibus obnoxius.

Terra dedit fructum.) ἐβλάστησε, id est, Germinauit.

Si quis ex uobis.) ἐν ὑμῖν, id est, In uobis, siue inter uos.

Saluabit animam eius.) Eius, non addunt Græci, tantum est σώσει.

Et operit.) καὶ καλύψει, id est, Operiet. Beda indicat in Latinis codicibus duplicem esse lectionem

ctionem,ſaluabit animam eius,& ſaluabit animam ſuam, addens Græcum ſermonem eſſe ancipitem.Id uerum eſſet ſi adderetur pronomen.Etenim ſi ſcriptum eſſet αὐτου ſonaret ſuam,ſin αὐτου ſonaret eius. Nunc apud Græcos pronomen non additur in his ſanè codicibus,quos mihi uidere contigit.

De autore huius epiſtolæ.

De hac item epiſtola,tametſi ſalubribus præceptis referta, dubitatũ eſt olim,cuius eſſet, ut initio dicere cœperam.Nec enim referre uidetur uſquequaq; maieſtatem illam & grauitatem apoſtolicam.Nec Hebraiſmi tantum,quantum à Iacobo,qui fuerit epiſcopus Hieroſolymitanus expectaretur. Diuus Hieronymus in Catalogo ſcriptorum illuſtrium ex autoritate Hegeſippi,indicat multos huius nominis fuiſſe diſcipulos.Et ipſe in titulo epiſtolæ non appellat ſeſe apoſtolum,quanquam in noſtris adiectum eſt apoſtoli cognomen,ſed reclamantibus magno conſenſu Græcorum exemplaribus.Iam Hieronymus in eo quẽ modo citaui libello,ſcribit his quidem uerbis: Vnam tantum ſcripſit epiſtolam,quæ de ſeptem canonicis eſt,quæ & ipſa ab alio quodã ſub nomine eius ædita aſſeritur,licet paulatim tempore procedente,obtinuerit autoritatem. Hactenus ille.Satis indicat diuus Hieronymus, quid de huius autore epiſtolæ ſenſerit.Quanquam ego ſuper hac re cum nemine digladiabor.Epiſtolam probo & amplector.Illud mirũ ſuper hiſce rebus nullos odioſius & conſtantius aſſeuerare,quàm qui ne id quidem explicare poſſunt,qua lingua ſcripta fuerit, Hebraica,an Græca,quo interprete,Latina facta ſit.Hieronymus uir tãtus addubitauit,& prudẽter quid ſenſerit indicat.Nos quo minus ſapimus,hoc audacius affirmamus.

ANNOTATIONVM IN EPISTOLAM IACOBI APOSTOLI PER DES. ERAS. ROT. FINIS.

IN EPISTOLAM PETRI APOSTOLI PRIOREM, ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTEROD. EX CAPITE I.



APPADOCIAE Aſiæ.) Videndum cur Aſiam ponat inter ſpecies, cum ſit genus, niſi forte intelligit Epheſios,quæ proprie dicit Aſia minor. Nam de Aſia maiore non uidet accipi poſſe,cum mox ſubiiciat Bithyniam partem Aſiæ minoris.

Aduenis diſperſionis ponti. &c.) Non eſt Græce προσηλύτοις, quo uerbo ſignificare ſolent eos,qui ex paganiſmo ſeſe contuliſſent ad legem Moſaicam,ſed παρεπιδήμοις.ut nihil dicat Lyranus,qui putat hæc proſelytis potiſſimum ſcribi.Etiamſi is Bedam uidetur ſequutus, qui admonet in commentariis,aduenas Latine dici qui Græcis dicuntur proſelyti,ſubin dicans hanc epiſtolam illis ſcribi.Iam dialecton Hebraicã, de qua toties admonui,oportet eſſe notã lectori,Aduenis diſperſionis,pro aduenis diſperſis, ſiue ſparſim incolentibus. Videntur enim hæc ad Iudæos proprie ſcribi, quod Petrus eſſet apoſtolus circumciſionis.

Præſcientia p prædeſtinatione.

Iuxta præſcientiam.) κατὰ πρόγνωσιν, Iuxta præordinationem,ſiue præfinitionem.Nam & Lyranus fatetur hoc loco præſcientiam accipi pro prædeſtinatione.Neq; Thomas inficiatur prædeſtinationem aliquoties accipi pro præſcietia. Verum hac de re copioſius aliquanto dictum eſt in annotationibus noſtris in Paulum. Quin & Latinis ſcita dicuntur decreta,& cognitores iudices. Cæterũ hæc particula,Iuxta præſcientiam,referenda uidetur ad id qd̃ præceſſit electis,ut intelligamus electos nõ temere neq; fortuito,ſed deſtinato decreto, cõſilioq; dei.alioqui nõ uideo quò pertineat. Mecum ſentit Beda non aſpernandus autor.

In ſanctificationem.) ἐν ἁγιασμῷ, id eſt in ſanctificatione, hoc eſt, per ſanctificationem ſpiritus,

ſpūs,iuxtà proprietatē Hebraici ſermonis.Nam quod ſequit̄,In obedientiā,Græcis alia eſt præpoſitio εἰς ὑπακοὴν,quod utrum accipiendum ſit eos eſſe electos ad obediendum, an electos per obedientiam,lectori diſcutiendum relinquo.Mihi prior ſenſus magis arridet. Sentit enim illos hoc ipſum debere deo,quod delecti ſint ad fidei gratiam, quam hic obedientiā uocat,ut per hanc purgarentur à peccatis aſperſione ſanguinis Ieſu.Porrò ſanctificationē ſpūs oppoſuit operibus legis Moſaicæ,à quorū fiducia uult eos abducere. *Fides obedientia.*

Deus & pater.) Poteſt cōiunctim legi,poteſt & diuiſim quēadmodū & aliàs indicauimus. Per reſurrectionē.) διὰ ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν. Hic propemodū uidetur ambigue accipere ἀναστάσεως,& neutraliter & actiue,quantum ad Chriſtū neutraliter, quantum ad nos actiue.Nam id annotauit Thomas in epiſtolam ad Romanos.

In hæreditatem.)hoc referendum eſt ad uerbum, regenuit. Regenuit uos cœleſti generatione in hæreditatem cœleſtem.Nam Iudæi longe aliud regnum expectabant per ſuum Meſſiam.

In uobis.) εἰς ὑμᾶς,id eſt,In uos,hoc eſt,erga uos:ut referatur ad hæreditatē cōſeruatā.

In uirtute.) Satis erat uirtute.

In quo exultatis.) Legi poteſt,& exultate,imperandi modo ἀγαλλιᾶσθε, quemadmodum inferius.Si placet indicandi modus,uidetur abuti præſenti pro futuro.

Modicum nunc ſi oportet.) ὀλίγον ἄρτι. Dilucidius erat,Nunc ad breue tempus afflicti ſi neceſſe ſit.

Multo precioſior ſit auro.) Sit,redundat.Porrò Græca lectio ſic habet, πολὺ τιμιώτερον χρυσίου τοῦ ἀπολλυμένου, διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου, id eſt, Multo precioſior auro,quod perditur,ſiue perit,& tamen probatur per ignem,ſiue perdito,ac pernicioſo auro:ut intelligas rem uilem ac peſtilentem,igni probari.Quanto magis conuenit explorari fidem noſtram,num ſyncera ſit. *Græcis longe diuerſa ſentētia.*

In reuelatione Ieſu Chriſti.) Vitare poterat amphibologiam,ſi uertiſſet,Cum reuelabitur Ieſus Chriſtus. Quod enim aliàs ἐπιφάνειαν & παρουσίαν, hic ἀποκάλυψιν dixit.Beda aliquanto ſecus legit. *Amphibologia.*

In quem nunc quoque &c.) Græce paulo diuerſius eſt, εἰς ὃν ἄρτι μὴ ὁρῶντες, πιστεύοντες δὲ, id eſt,In quem nunc non uidentes,credentes tamen,ſiue,In quo nunc cum non uidetis,& tamen creditis.

Exultabitis.) ἀγαλλιᾶσθε, id eſt,Exultatis,uerbo præſentis temporis conſentiente codice Donatiani altero:etiamſi poteſt eſſe exultate imperādi modo,quod Græca uox ſit anceps.Certe ſic adducit Auguſtinus libro ſecundo ad Catechumenos,capite ſexto: Credētes in eum,quem non uidetis,gaudete inenarrabili gaudio.

Qui de futura in uobis gratia.) Futura addidit interpres de ſuo,nam Græca ſic habēt, οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προφητεύσαντες. Quod ego ſic maluiſſem exprimere,Qui de uentura in uos gratia uaticinati ſunt.Nec eſt tēpus, quod Græci uocāt χρόνον,ſed καιρὸν,quod articulum uertimus.Eſt enim certius quiddam quàm tempus,ut & aliàs indicatum eſt. Conſentaneum autē eſt Petrum ſignificare locum,qui eſt apud Danielem cap.nono, ubi per myſticas hebdomadas indicat tempus ad quod occidendus eſſet Chriſtus. *Danielis hebdomadæ.*

Significaret,in eis ſpiritus.) τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα, id eſt,Spiritus qui erat in ipſis,ut intelligamus ſpiritum propheticum,quem eundem Chriſti uocat.

Prænuncians.) προμαρτυρόμενον, id eſt,Præteſtificans.Cæterum quod hic παθήματα, uertit paſſiones,ego malim afflictiones.

Et poſteriores glorias.) καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, id eſt,Et quæ illas conſecutæ ſiue conſecuturæ ſunt glorias.Sentit enim gloriam,quam aſſecutus eſt poſt ignominiam crucis.Etiamſi Hieronymus uertit alicubi pro glorias,decreta,ut mox indicabo, niſi forte p decreta,ſcriptū erat decora.Nam is liber excuſus eſt ex exemplari nō ſatis emendato. Sanè illud cōſtat δόξαν Græcis & gloriam ſignificare & opinionem.Proinde ueriſimile eſt, Hieronymum illic opiniones uertiſſe in decreta.

Quibus reuelatum eſt.) οἷς ἀπεκαλύφθη. Sermo Græcus anceps eſt, poteſt enim hic accipi ſenſus,teſtificans Chriſti paſſiones & glorias iis quibus reuelauit ſpiritus, nempe prophetis.Poteſt & hic,paſſiones & glorias,per quas Chriſtus fuit mūdo reuelatus, qui *Sermo mire ambiguus.*

ante fuerat ignotus. Neq; quenquam mouere debet articulus Græcus οἷς, cum præceſſerit παθήματα. Quãquam prior ſenſus meo iudicio ſimplicior eſt, ut οἷς articulus referatur ad Chriſtianos, qui uiderunt id quod de Chriſto prædixerat ſpiritus in prophetis. Sentit enim per afflictiones innotuiſſe mundo Chriſti gloriã. Poteſt & hic tertius accipi ſenſus, Quibus prophetis reuelatum eſt & illud, quod hæc quæ prædicebant, uobis pararẽt non ſibi, cum ſcirent ea non euentura ſuis temporibus. Poteſt & quartus hic accipi, Prophetæ prædixerũt & Chriſti mortem & illuſtrationẽ morte partam, utrunq; uere, quod notum eſt, iis quibus ea ſunt exhibita.

Senſus quadruplex.

Vobis autem.) Sed uobis, erat & Latinius, & apertius, ſiue, non ſibiipſis, imò uobis, οὐχ ἑαυτοῖς ὑμῖν δέ. Hinc certe liquet, non parum intereſſe, quo loco quam coniunctionẽ colloces. Hunc totum Petri locum Hieronymus interpretans Didymi librum de ſpiritu ſancto ſecundum, reddidit hoc pacto, Scrutantes & inquirentes, in quod aut quale tempus ſignificabat, is qui in eis erat ſpiritus Chriſti, teſtificãs in Chriſto paſſiones. Et ea quæ poſt erãt ſequutura decreta, iis quibus reuelatum eſt, quia nõ ſibi, ſed nobis miniſtrabãt, ea quæ nunc annunciata ſunt uobis, per ſpiritum ſanctum.

Qui euangelizauerunt uobis.) Vos, eſt Græce, non uobis, tametſi id quidem ad ſenſum nihil attinet.

Spiritu ſancto.) Deeſt In, ἐν πνεύματι ἁγίῳ, id eſt, In ſpiritu ſancto, hoc eſt, Per ſpiritum ſanctum, Hebræorum more.

In quem, pro quæ.

In quem deſiderant.) εἰς ἃ, id eſt, In quæ. Nempe ea quæ de Chriſto ſunt prænuncia ta per prophetas, ac deinde prædicata per apoſtolos. Facilis deprauatio ab εἰς ὃ in εἰς ἃ. Nec enim ſentit de ſpiritu prophetarum, in quem angelos uelle proſpicere, nihil mirũ eſt, ſed effert maieſtatem euangelij, quã angeli quoq; uenerẽtur. Beda interpretatur de Chriſto glorificato, paulo poſt indicans etiam de ſpiritu miſſo in terras accipi poſſe. At Irenæus libro contra hæreſes, quarto cap. lxvij. ſentit de promiſſis prophetarum, quæ Chriſtus aduenies repræſentauit.

Perfecti ſperate.) τελείως, id eſt, Perfecte, per aduerbium indicans ſpem ad finem uſq; perſeuerantem. Et ſic habebat codex Donatiani uetuſtior. Nec eſt, In reuelationem, ut legunt quidam, ſed ἐν ἀποκαλύψει, id eſt, In reuelatione, ſiue per reuelationem. Sentit enim de myſterio euangelij iam diuulgato, per quod Chriſtus innotuit, ſiue de aduẽtu Chriſti.

Quaſi filij.) ὡς τέκνα, id eſt, Vt filij, ſiue tanquàm filij. Nam quaſi tribuimus iis quæ cũ uideantur, non ſunt. Ad hæc filij obedientiæ, dixit iuxta proprietatem ſermonis Hebraici, pro filijs obedientibus.

Non configurati.) μὴ συσχηματιζόμενοι, id eſt, Non accommodantes uos priſtinis cõcupiſcentijs. Id enim eſt συσχηματίζεσθαι. Nec eſt, Ignorantiæ deſideriis, ſed ταῖς πρότερον ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ὑμῶν ἐπιθυμίαις: quod nos dilucide magis quàm ad uerbum expreſſimus, hoc modo, Vt non accommodetis uos priſtinis concupiſcentijs, quibus dum adhuc ignorare tis Chriſtum agebamini.

Sed propter eum qui uocauit uos ſanctum.) κατὰ τὸν καλέσαντα ὑμᾶς ἅγιον, id eſt, Quẽ admodum is qui uocauit uos, ſanctus eſt, ita & uos ſancti reddamini.

Sancti ſitis.) γενήθητε, id eſt, Efficiamini, ſiue reddamini. Neq; enim eſt, γίνεσθε, quod ambiguum eſſe poterat.

Et ſi patrem uocatis,) ἐπικαλεῖσθε, id eſt, Inuocatis & imploratis, aut cognominatis, nã Græca uox anceps eſt. Tum quod hic uertit, Sine acceptione perſonarũ, multo feſtiuius ſcriptum eſt à Petro ἀπροσωπολήπτως cõpoſita dictione, id eſt, Citra delectũ ſiue reſpectũ perſonæ. Hic uidetur abeſſe in cõmẽtarijs Bedæ & Gloſſæ ordinariæ, nec Lyra attingit.

ἀπροσωπολήπτως.

πατροπαράδοτα.

Paternæ traditionis.) Vnica uox eſt apud Græcos πατροπαραδότου. Eſtq; epitheton cõuerſationis, quaſi dicas, A patribus traditæ. Atq; ita refert diuus Hieronymus in cõmentarijs Eſaiæ, & Auguſtinus in pſalmum centeſimum quadrageſimum ſextum.

Quaſi agni.) ὡς ἀμνοῦ, id eſt, Velut agni, ſiue tanquàm agni.

Præcogniti quidem.) προεγνωσμένου, id eſt, Præfiniti ſiue prædecreti. Nam hoc loco plane uidetur uſurpare, pro eo quod iſti uocant prædeſtinationem, & Lyranus interpretatur, Præordinatione.

Fideles

Fideles estis in deo.) τοὺς πιστεύσαντας εἰς θεόν, id est, Qui credidistis in deum. Verum interpres abhorruit ab hoc præterito, ne uiderentur iam desijsse credere, qui quondam credidissent.

In obedientia charitatis.) ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας, id est, In obedientia ueritatis. Et additum est hoc loco in Græcis codicibus διὰ πνεύματος, id est, Per spiritum, quæ particula non est in Latinorum exemplaribus. *Deest in nostris.*

In fraternitatis amore simplici ex corde.) εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον ἐκ καθαρᾶς καρδίας, id est, In fraternũ amorẽ non simulatum, ex puro corde. φιλαδελφίαν uocat Christianorum inter ipsos mutuum amorem ac beneuolentiam. Cæterum illud, Ex puro corde, ad ea quæ sequuntur referendum est, Vos inuicem diligite ex puro corde.

Attentius.) ἐκτενῶς, id est, Vehementer, siue impense, aut si magis ad uerbum cupias reddi, Intense.

Omnis gloria eius.) ἀνθρώπου, id est, Hominis: exponit eñ quid modo dixisset carnẽ.

Quod euangelizatum est in uos.) τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς, id est, Quod per euangeliũ delatum est ad uos, siue quod prædicatum est apud uos.

EX CAPITE SECVNDO.

Rationabiles sine dolo lac.) τὸ λογικὸν, ἄδολον γάλα, id est, Rationale, doli expers lac: uocat autem lac logicon, ut à corporeo lacte discernat. Hieronymus in quinquagesimo quinto Esaiæ capite citat hunc locum, ut lac referatur ad rationale, non ad infantes, etiamsi non addat ἄδολον. Verum edisserens sexagesimum Esaiæ caput citat ad hũc modum, Quasi modo nati paruuli, rationabile & absq; dolo lac desiderate, ut palàm sit illud ἄδολον lacti adiungi oportere. Rursum enarrans Zachariæ caput decimum. Item Augustinus in epistolam Petri, homilia uigesima, refert hunc in modum, Depositа ergo omni malicia, & omni dolo, & adulatione, & inuidia, & detractione, tanq; modo nati infantes, rationabile & innocẽs lac cõcupiscite, ut in illo crescatis in salutẽ. Quin & Beda legit & interpretatur quemadmodũ legunt Græci. Testis erit codex, qui mihi tum inseruiebat hæc scribẽti ex bibliotheca Minoritarum Antuuerpiensium. Suffragatur nonnihil & alter codex Donatiani in quo scriptum erat, Rationale sine dolo. Proinde quæ theologi recentiores in hũc adducũt locũ de infantibus rationabilibus, nihil faciunt ad sensum apostoli. Nos & articulum Græcũ exprimere cupientes, uertimus ad hunc modum, Vt modo nati infantes, lac illud nõ corporis, sed animi, quod dolum nescit, appetite. Siquidem infantia Christi, est alienum esse ab omni uersutia studioq; nocendi. Gradus ætatum sunt profectus uirtutum. *Lac rationabile.*

Crescatis in salutem.) Hæc duo uerba, In salutem, nõ reperio in Græcis exẽplaribus, nec ad modum quadrãt ad propositam metaphoram. Siquidem salui sunt & infantes: uerum adolescunt hoc lacte in uirum perfectum in Christo.

Quoniam dulcis est dominus.) ὅτι χρηστὸς ὁ κύριος, id est, Quod benignus sit dominus. Aliàs uertit, Bonus. Sonat autem humanum, minimeq; austerum aut durum.

Et honorificatum.) Hæc duo uerba redundant. Deinde ἔντιμον est, nulla interueniente præpositione. id est, Preciosum, seu magis in precio habitum: quod interpres, opinor, uertit. Honorificatum.

Domos spirituales.) οἶκος πνευματικὸς, id est, Domus spiritualis: ut sit nominandi casus per appositionem additus. Lyranus offensus solœcismo manifestario, interpretatur, Domos in domos. Atq; In domum legit Augustinus, cum aliàs, tum psalmum enarrans octogesimum sextum. Idem in libello de præsentia dei ad Dardanum legit, Aedificamini domus spirituales. Atq; adeo haud scio, an primum scriptum fuerit spirituales, deinde à sciolis deprauata scriptura. Beda indicat huius loci triplicem lectionem, Domus spirituales, numero multitudinis, domus spiritualis numero singulari, & In domum spiritualem, quemadmodum alicubi legit Augustinus. *Domos, pro domus.*

In sacerdotium.) ἱεράτευμα ἅγιον, id est, Sacerdotium sanctum: nominatiuus est appositiuus, quemadmodum & domus: nam ipsos fideles sacerdotium uocat. Cæterum sacerdotium appellat functionem & administrationem sacrorum in domo spirituali, hoc est, in templo spiritus sancti, quod sumus ipsi.

Offerentes.) ἀνενέγκαι, id est, Ad offerendum.

Per Iesum Christum.) Id potest referri ad id quod proximum est, Acceptabiles, aut ad superiora omnia.

Propter quod continet scriptura.) διὸ καὶ περιέχει ἐν τῇ γραφῇ, id est, Quapropter & cõtinet in scriptura: ut sit sensus, hoc argumento lapidem illum esse præcipuum, quod iuxta testimonium Esaiæ collocatus sit in angulo, quo utrũq; parietẽ complectẽs & continens, totum ædificium fulciret. Nam id est περιέχειν, undiq; amplecti ac tenere, nisi forte neutraliter usurpauit περιέχειν. Potest accipi ,p excellere: unde & excellit, siue eximius est ille lapis in scriptura: ad quod satis apte congruunt quæ sequuntur, ἀκρογωνιαῖον &c.

περιέχειν.

Ecce ponam.) ἰδοὺ τίθημι, id est, Ecce pono. Locus est apud Esaiam capite uigesimo octauo Petrus sententiam expressit bona fide, non annumerauit uerba. Cæterum in illo, Qui crediderit in eo, non confundetur, iuxta Septuaginta retulit. Alioqui Hebraica ueritas habet, Qui crediderit, non festinet: uerum de hoc aliâs diximus. Et rursus Non cõfundetur, Græcis est, αἰσχυνθῇ, id est, Pudefiet, siue pudefiat, δυσωπικῶς.

Summũ angularem.) Græcis unica uox est ἀκρογωνιαῖον, quasi dicas, Sũmangularem.

Lyranus

Vobis igitur honor.) Nimis quàm pueriliter interpretatur hunc locũ Lyranus & Carrensis, Vobis erit honor in cœlestibus, quum Petrus sentiat de lapide prius reiecto à Iudæis, & deinde honorato & in precio habito. Siquidem ante uocauit ἔντιμον, nunc memor illius ait, ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ, id est, Vobis est precious, qui in illum credidistis, Iudæis & non credentibus uilis est. Beda uerbis nonnihil dissentit à nobis, re consentit. Proinde ne lector simili modo laberetur, nos uertimus, Vobis igitur preciosus est qui creditis. Laurentius mauult honorificum quàm preciosum lapidem. Non enim hic agitur de precio lapidis, sed de æstimatione. Quanq; ut charum dicitur interdum quod magno constat, interdum quod magni sit, sic & preciosum dicitur, quod multi precij est, aut quod habetur in precio. Nam lapis preciosus opponitur hic lapidi reiecto, quemadmodum paulo superius, ab hominibus quidem reprobatum, à deo uero electum & honorificatum: reprobato opponit ἔντιμον uertitq; honorificatum.

Petra scandali.) Hebraice dixit potius q; Græce, λίθον προσκόμματος, καὶ πέτρα σκανδάλου. Latine uerti poterat, Saxũ in quod impingit, & lapis ad quem offendũt homines.

Tropus Hebraicus.

Populus acquisitionis.) λαὸς εἰς περιποίησιν. Et hic loquendi tropus Hebraicus sit oportet. Sentit enim populum, qui lucro accessit, adoptatus & insitus in populũ dei. Ambrosius enarrans psalmum, Beati immaculati, sermone sexto legit, Populus in adoptionem.

Qui offendunt uerbo.) οἳ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, id est, Qui impingũt in uerbum, hoc est, Quos offendit euangelium, & impietatis ministrat occasionem.

In quo.) εἰς ὅ, id est, In quod. Nam in hoc erat paratus Iudaismus, ut in Christum crederetur, quem lex Mosaica præsignarat. In quod legit Beda, admonens tamen, in nonnullis codicibus scriptum fuisse, In quo.

Qui aliquando nõ populus dei.) In hac priori parte genitiuus, dei, non est addendus, οἱ ποτὲ οὐ λαός, νῦν δὲ λαὸς τοῦ θεοῦ, id est, Qui quondam non populus, nunc uero populus dei. Et ad hanc lectionem sensus est non paulo argutior, qui quondam non populus, hoc est, populus abiectissimus, & pro nihilo habitus, is nunc non solum est populus, sed populus dei. Consentiunt cum Græcis exemplaribus, nostrates quoq; libri castigatiores.

Conuersationem uestram habẽtes bonam.) καλὴν, id est, Honestam, ut pertineat etiã ad decus, quod uirtutem consequitur iuxta Stoicos. Et aliquanto post, detrectant, Græce est, καταλαλοῦσιν ὑμῶν, id est, Quod male loquuntur de uobis, siue detrahunt uobis.

In die uisitationis.) ἐπισκοπῆς, id est, Inspectionis. Tametsi Græca uox anceps est, ut quæ deduci possit ab ἐπισκέπτω. Quanquam ab hoc usitatius est ἐπίσκεψις. Hebræis est פקדה quod illis præfecturam & administrationem quandam sonat. Visit enim subinde & inspicit quid agatur, cui negocij cõmissa est cura. Sic appellat Petrus tempus illud, quo deus dignatur hominem trahere afflatu suo ad meliora.

Duces, præsides.

Subditi estote.) ὑποτάγητε οὖν, id est, subditi igitur sitis. Et creaturam κατ' ἐπίτασιν uocauit hominem.

Siue ducibus, tanq; ab eo missis.) ἡγεμόσι: quod sæpius iam uertit, Præsidibus. Nec eũ hic

hic Petrus agit de bello,sed de his qui agunt in prouinciis Romanorum,quæ à præsidi/bus Cæsarum nomine administrabãtur. Cum hic agat de magistratibus Ethnicorum, subditum esse dixit,pro tolerare quædam quæ uidentur suo iure facere,cum exigunt uectigal, quũ censent:uerum hoc ad illa tempora pertinebat. Nec tamen est Missis,sed πεμ/πομένοις, id est,Qui mittuntur:ut intellígas actionem sine tempore.

Tanq̃ ab eo.) ὡς δι' αὐτοῦ, id est,Tanq̃ per eũ,nempe regem,siue per eũ,uidelicet deũ.

Laudem uero bonorũ.) ἀγαθοποιῶν, id est,Benefactorum, siue bene facientium.Porrò apud ueteres,id quod Plato præcepit in sua republica,leges non solum minabantur pœnam male agentibus,uerum etiam præmijs inuitabant ad officia.Nũc malefacta quidem satis acriter puniuntur,cæterum benemeritis nulla gratia.In priore particula,omissa est coniunctio μέν,ad uindictam quidem,ut respondeat sequenti δέ.Et malefacta Latinis dícuntur scelera cõmissa,malefactor an inueniatur nescio.Maleficus anceps est uocabulũ. Nam ferè malefici dicuntur qui utuntur malis artibus,eoq̃ nos uertimus nocentiũ.Nam Græce est κακοποιῶν, id est,qui malefaciunt.

Obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.) Quod de bonis male loquebantur ethnici,partim tribuit amentiæ,partim ignorantiæ,cui uult occurri per obedientiam præstandam magistratibus,ne uideantur recte puniri,tanquàm publicæ disciplinæ transgressores.

Omnes honorate.) πάντας τιμήσατε, id est,Quibuslibet deferte honorem,etiam ethnicis dignitate præditis.Cæterum ἀδελφότητα ἀγαπᾶτε:quod ad Christianos pertinet. Honorem exigunt illi,soluite,charitas debetur Christianis.

In omni timore.) ἐν παντὶ φόβῳ, id est,Cum omni reuerentia. Sic enim alicubi uocem hanc interpretatur Hieronymus.Nec est,Modestis,nec enim sentit de nõ arrogantibus, sed ἐπιεικέσιν, id est,Aequis & humanis,neq̃ rigidis admodum.

Sed etiam díscolis.) ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς, id est,Sed etiam prauis,siue asperis.Mirum quid uenerit in mentem interpreti,ut Græcam uocem,altera Græca redderet:nam δύσκολος Græcis difficilẽ sonat.Charrensis interpretatur Díscholis,indoctis, inerudítis, quod non sint uersati in scholis.At idem tamen admonet in nõnullis exemplaribus,p dyscholis scriptum fuisse difficilioribus.At magis mirum est hic pariter hallucinatum esse Bedam, si tamen hoc illius est commentum,qui putat à schola dictum esse dyscholum, adducens illud è psalmo, Vacate & uidete,ubi,p uacate Græcis sit σχολάσατε. Idem mox admonet, quod S.Fulgentius in opusculis suis sic hũc adducat locum,Seruientes cum timore,non tantum bonis & modestis,sed etiam difficilioribus. *Dyscolus quid.*

Sustinetis tristitias.) λύπας, id est, Molestias.

Quæ enim est gratia.) ποῖον γὰρ κλέος, id est,Quæ enim gloria,siue quæ laus:Suffragabatur uetustissimum exemplar Donatiani,sed alterũ duntaxat.Suffragabatur & aliud è bibliotheca academiæ Basilienſis.Consentiebat uterq̃ Constantiensis.

Si benefacientes,patienter sustinetis.) εἰ ἀγαθοποιοῦντες καὶ πάσχοντες ὑπομενεῖτε, id est, Si cum bene faciatis,& tamen affligamini, suffertis.

Pro nobis,uobis.) Vtrunq̃ Græcis est ὑμῖν, id est,Nobis,primæ personæ:etiamsi nõ nulli uariant codices.

Qui cum male diceretur,non maledixit.) ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει, id est, Qui cum maledictis incesseretur,non remaledixit,siue regessit maledicta.

Tradebat autem iudicanti se iniuste.) Græca secus habent, παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, id est,Tradebat autem ei qui iuste iudicat.Significat Christum uindictam tradidisse deo,non sibi usurpasse.Charrensis haud scio unde nactus, nonnihil somniauit de hac quoq̃ lectione.

Vt peccatis mortui.) ἀπογενόμενοι, id est,Extincti,quasi iam desierimus esse.Ambrosius uertit,Separati,libro de sancto spiritu primo,capite octauo.

Cuius liuore.) τῷ μώλωπι, Vibice.Refert eũ quod est apud Esaiam,capite quinquagesimo tertio,Et liuore eius sanati.Est enim liuor uestigium plagæ in cute. Id trifariam interpretatur Hugo Charrensis,homo copiosus,Liuore, id est,Dilectione immodica, quæ illi pallorem contraxerat,iuxta illud Nasonis,Palleat omnis amans,hic est color aptus amanti: *Charrensis copiosus.*

manti:uel liuore,id est,Carne liuida facta ob colaphos:uel liuore,id est, Inuidia Iudæorũ. At hoc sanè loco Græca uox non admittit,nisi unicam interpretationem, etiamsi Latinis liuor πολύσημον est. Quin & apud Hebræos est חַבּוּרָה quæ uox illis tumorem ex plaga concretũ significat. In psalmis uertit Cicatricem, Computruerũt cicatrices meæ. Ambrosius eo quem modo citauimus loco,legit,Cuius uulnere plagarum sanati sumus.

Locus obscure redditus ab interprete.

Et episcopum animarum.) ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον, Pastorem & curatorem. Nam episcopi dicuntur qui prospiciũt de necessarijs. Beda legit,Et uisitatorem animarum uestrarum,adducens illud, Quia uisitauit nos omnes ex alto.

EX CAPITE TERTIO.

PEr mulierum conuersationem.) διὰ τῆς τῶν γυναικῶν ἀναστροφῆς. Cur non potius, Per uxorum conuersationem? Et hoc sanè loco ἐν φόβῳ rectius uertisset,cum reuerentia. Tum non est,Sanctam conuersationem,sed ἁγνὴν, id est,Puram,siue castam. Castam habebat codex ex Basiliensis academiæ bibliotheca,consentiebat & Constantiensis uterq;.

Quarum non sit capillatura aut circũdatio auri,aut indumenti uestimẽtorum cultus.) Græcus sermo dilucidior est, ὧν ἔσω, οὐχ' ὁ ἔξωθεν ἐκπλοκῆς τριχῶν, καὶ περιθέσεως χρυσίων, ἢ ἐνδύσεως ἱματίων κόσμος, id est,ut sententiam magis reddamus,quàm uerba, Quarũ sit ornatus,non externus qui situs est in crispatura siue contextu capillorum, aut appositione auri,aut amictu uestium aut palliorum.

Cordis homo.) Ambrosius libro epistolarum tertio,epistola undecima,admonet noue expressum,Cordis homo, pro Interno & abstruso homine: proinde nos periphrasi rem explicuimus.

Quieti & modesti.) τοῦ πραέως, καὶ ἡσυχίου, id est,Mansueti & quieti siue taciti. Nõ enim uult mulieres esse feroculas erga uiros.

Locuplex.

Locuplex.) πολυτελές. Fustuario dignum est,quod quidam pro locuples,scribunt locuplex per x,non per s. Quanquàm Græcis est πολυτελὲς, id est,Sumptuosum ac splendidum. Referri uidetur ad spiritum quietum: est enim neutri generis, quemadmodum & spiritus apud Græcos. Aut certe ad totam orationis particulam quæ præcessit,quod nimirũ habere huiusmodi spiritũ, magnificus ac splendidus ornatus est mulieris in oculis dei. Certe in codice Donatiani utroq;,scriptum est,Quod est in conspectu dei locuples.

Cuius estis filiæ.) ἧς. Cuius apud Græcos necessario refert Saram, & non Abraham. Nam apud nos referri potest ad Abraham.

Locus hactenus perperam enarratus.

Pertimentes ullam perturbationem.) μὴ φοβούμεναι μηδεμίαν πτόησιν, id est, Non territæ ullo pauore. Scire debes lector, hunc accusatiuum perturbationem,quẽ uulgata habet ædítio, non esse transitiuum, sed reciprocum,iuxta proprietatem Atticorum,qui sic loquuntur,gaudere gaudiũ,furere furorem,timere timorem. Nam hic πτόησιν significat fœmineum illum pauorem,quo solent de nihili rebus exanimari,qui debet abesse à sanctis mulieribus. Quod si intellexissent quidam magni nominis interpretes,secus, opinor, hunc locum edisseruissent,quos ego tamen in præsentia honoris causa non nomino.

Honor, pro abstinentia coitus.

Honorem impartientes.) Honorem interpretatur diuus Hieronymus, nõ ut flectãtur illis genua,& gemmis auroq; onerentur,ut primus cedatur locus,quod nũc in plerisq; regionibus stultissime uidemus fieri,sed abstinentiam à coitu: sic enim honorem haberi uasculo muliebri,si non inquinetur libidine. Idq; indicat quod sequitur,ut non interrumpantur orationes uestræ. Rursum non libet hoc loco referre, quid interpretetur Lyranus & huiusmodi complures interpretes,honorem exponentes,ut eis prospiciatur de uictu & uestitu,eoq; honesto,secundũ statum & proprias facultates. Deinde de impediendis orationibus interpretatur,orationes non exaudibiles,nisi uir & mulier sint bene concordes.

Locus insulsissime à quibusdam enarratus.

Lyranus.

Tanquàm cohæredibus.) ὡς συγκληρονόμοι, id est,Tanquàm & cohæredes. Addit enim hoc uelut alterum & efficacius argumentum: unde ne coniunctio quidem est ociosa. Porrò uasculum infirmius appellat ipsam mulierem ob sexus imbecillitatẽ. Quorsum inquies,attinebat hoc admonere,quod nemo nesciebat? Imò hoc quidam suo iudicio uaide sapiens miris conuicijs agitauit,quod uiderer uasculum muliebre accipere pro membro pudendo,seu natura mulieris. Sed tamen ut ingenue dicam,Hieronymi interpretatio

mihi

mihi uidetur esse uiolentior. Magis placet generalis sententia, ut mariti deferant aliquid honoris uxoribus, nec eas habeant ut concubinas aut ancillas: geminas enim causas adducit, quare uelit deferri uxoribus, uel ob imbecillitatem sexus, quemadmodum corporis membra minus honesta, magis habemus in honore, uel ob dignationem dei, qui mulierē æquauit uiro, in Euangelij promissis.

Gratiæ uitæ.) χάριτος ζώσης, id est, Gratiæ uiuæ: Quāq; hoc loco Græca uariant exemplaria. Quod si legis Vitæ, gratiam pro beneficio accipias necesse est. *Mendū manifestum apud nos.*

In fide autem.) τὸ δὲ τέλος, id est, In summa uero. Quantus hic disputādi campus aperitur neotericis quibusdam de fide, quot modis accipiatur, cum Petrus nihil huiusmodi neq; scripserit, neq; senserit. Iam quod hic uertit, Compatientes, Græce est συμπαθεῖς, id est, qui mutuo tangantur affectu. Sunt enim quos aliena ne tantulum quidem moueant. Quanq; Beda interpretatur, In fide, iuxta uulgatam Latinorum lectionem.

Fraternitatis amatores.) φιλάδελφοι, id est, Fratrum amatores, siue fraterne amantes.

Modesti.) φιλόφρονες: quod magis sonat affabilem & humanum, & ad uitæ consuetudinem facilem cōmodumq;. Porrò quod in nostris additur Humiles, opinor adiectum ab eo qui uolebat interpretari modestiam: nec enim addebatur in utroq; codice Donatiani.

Et labia eius.) Ϲ χείλη αὐτῶν, id est, Labia sua. Sic enim mauult Valla, nec uideo quam ob causam. Ipsius magis congruebat, Neque enim hic est uera reciprocatio ut in priore particula.

Vt non conturbemini.) μηδὲ ταραχθῆτε, id est, Neq; conturbemini.

Dominum autem Christum.) Deum est Græce, nō Christum. Et sanctificate, positū apparet, pro Glorificate. Quod genus est illud, Sanctificetur nomen tuum.

Ad satisfactionem.) πρὸς ἀπολογίαν, id est, Ad excusationem siue defensionem.

Quæ in uobis est, & spe & fide.) Græce tantum est, περὶ ἧς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, id est, De ea quæ in uobis est spe.

Cum modestia & timore.) μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου, id est, Cum mansuetudine & reuerentia. Loquitur enim de his qui placide respondent ac reuerenter, interrogati quibuslibet de fide Christi.

Quod detrahunt de uobis.) Græci legūt, ἵνα ᾧ ὧ καταλαλεῖσθε ὑμῶν ὡς κακοποιῶν, id est, Vt in eo quod obtrectant uobis tanquàm malefactoribus, de uoce malefactorum ante notauimus.

Melius est enim ut benefacientes, si uoluntas dei uelit.) Consentiunt quidē Græci codices cum nostra æditione, cæterum mirandū est, quid sequutus Augustinus libro aduersus Faustū xxij. cap. xx. referat hūc locū his uerbis, Melius est benefacientes, si uelit spūs dei, pati, quàm malefacientes. Nisi forte pro θέλημα scriptum habebatur in quibusdam exemplaribus νεῦμα, atq; id rursum scriba mutauerit in πνεῦμα. *Augustinus diuerse legit*

Calumniantur.) οἱ ἐπηρεάζοντες, Qui cōuiciantur, siue qui incessunt aut persequūtur.

Mortificatos quidem carne.) θανατωθεὶς, id est, Mortificatus. Item uiuificatus, nō uiuificatos ζωοποιηθείς. Atq; ita citat diuus Hieronymus in Esaiā capite liiij. Atq; item Augustinus epistola xcix. ad Euodium. Rursus sermone de uerbis apostoli xiiij. de Christo dictum est, inquit, Mortificatus quidem carne, uiuificatus autem spiritu. Sic de homine dici potest, Tabefactus carne, uiuificatus spū: ut intelligas Christū mortuū, iuxta corporis imbecillitatem, cæterum resurrexisse uirtute spiritus. Iam uero quorsum attinet hoc loco recensere, quæ somnient in hanc sentētiam, qui Græce nesciunt, & id tantum sequunt, non quod scripsit Petrus, sed quod deprauauit librarius? Possem ad singula cōuicijs incessere, nimis arrogantem istorum imperitiam, qui de ijs quæ citra linguarum peritiā, ne legi quidem emendate possunt, uelut ex oracuło pronunciant, quicquid somniarint. Quod si legas mortificatos & uiuificatos, quomodo cohærebit quod sequitur, In quo? Beda legit & interpretatur Viuificatos, & mortificatos, & adducit Athanasium aduersus Arianos, At paulo post indicat & hanc lectionē quam habent Græci. Cui cōsentiebat uterq; codex Constantiensis, nisi quod in altero deprauator, us uerterat in os, superne clausa litera u. Suffragabatur & codex ex bibliotheca Academiæ Basilienſis. Atque hic *Manifestū erratū interpretum recentiū.*

locus caute legendus est,ne quid tale sentiamus, quale nõnulli de anima Christi apud inferos passa.Qua de re nõnihil attingit Beda,sed tacito autoris nomine,Origenem,ni fallor,significans.

In carcere erant spiritu.) ἐν ᾗ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν, id est,Qui in carcere erant spiritibus.Ita legit Hieronymus,eo quem modo citauimus loco,Occisus est carne,uiuificatus spiritu,& prædicauit spiritibus in carcere constitutis.Carrensis admonet in nõnullis pro In carcere,scriptum fuisse,In carne.Verum hoc ante hunc indicauit Beda.In utroq; Constantiensi scriptum erat,spiritualiter pro spiritu. *Carrensis.*

Qui increduli fuerant aliquando.) ἀπειθήσασί ποτε, id est, Aliquando incredulis.

Quando expectabant dei patientiam.) ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία, id est,Cũ expectaretur dei lenitas:etiamsi nõnulli codices habebant ὅτι.In altero Cõstantiensi erat, expectabatur dei patientia,quemadmodum legunt Græci.Rursum in plerisq; erat, ἅπαξ ἐδέχετο,pro ἀπεξεδέχετο. Suspicor legendum fuisse ἅπαξ ἐξεδέχετο.

Cum fabricaretur.) κατασκευαζομένης, id est,Cum appararetur.

Quod & uos nunc similis formæ saluos fecit baptisma.) Græca plus habent lucis, ὃ ἀντίτυπον καὶ ὑμᾶς νῦν σώζει βάπτισμα, id est,Cui nunc simile,siue respõdens baptisma,nos quoq; saluos facit.Est enim σώζει præsentis temporis,seruat.Cæterum ὃ dure respõdet, siue ad aquam referas,siue ad baptisma:fortasse scriptum fuit ᾧ cui.

Qui est ad dexteram dei.) Hoc loco desunt in Græcis codicibus,quæ subscribam,Deglutiens mortẽ,ut uitæ æternæ hæredes efficeremur.Sed his prætermissis sequitur,πορευθεὶς εἰς τὸν οὐρανόν, id est,Profectus in cœlum. *Deest apud Græcos.*

EX CAPITE QVARTO.



Passo in carne & uos.) παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν σαρκὶ, id est,Passo p nobis carne:uos quoq; &c.

Eadem cogitatione armamini.) τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε, id est,Induite eandem cogitationem,uelut armantes uos,siue Armate uos iuxta eandem cogitationem.

Sufficit enim præteritum tempus ad uoluptatem gentium consummandam.) Græca sunt magis perspicua quàm Latina, ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν ὁ παρελήλυθὼς χρόνος τοῦ βίου, τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι, id est,Sufficiens est enim præteritum uitæ tempus,ut uoluntatem gentium perfecerimus,hoc est,Satis est hactenus impie uixisse.In hunc sensum adducit Augustinus,homilia in epistolam Petri uigesima, Sufficit enim præteritum tẽpus uoluntates gentium consummasse. *Voluptas, pro uoluntas.*

In luxurijs.) ἐν ἀσελγείαις, id est,In lasciuijs.Nam ebrietatibus nõ habetur apud Græcos,nec in utroq; codice Donatiani:cui consentiebant omnes uetusti codices.Quid enim opus erat dicere ebrietatibus,quum mox subijciat,comessationes & potationes.

In illicitis idolorum cultibus.) ἀθεμίτοις, id est,Nepharijs,quod atrocius est q̃ illicitis.

In quo admirantur.) ἐν ᾧ ξενίζονται, Ad uerbum sonat. In quo peregrinantur.Porrò Græcis ξενίζεσθαι dicũtur,quibus aliquid nouũ aut absurdum uidetur.Pertinet autem ad id quod consequitur.Augustinus epistola lxxxxix.locũ hunc adducit hisce uerbis, Sufficit enim præteritũ tempus,ad uoluntatẽ hominũ consummatam ambulantes in libidinibus, & concupiscentijs,& ebrietate,comessationibus,potationibus,& illicitis idolorum seruitutibus.In quo stupescunt nõ cõcurrere uos,in eam luxuriæ confusionẽ blasphemantes.

Luxuriæ confusionem.) ἀσωτίας ἀνάχυσιν: quod magis sonat,refusionem,ueluti cũ mare æstuans refundit sese.

Finis appropinquabit.) ἤγγικε, id est,Appropinquauit,præteriti temporis. Aut certe instat & imminet.

Estote itaq; prudentes.) σωφρονήσατε, id est,Estote temperati,siue sobrij.

Et uigilate.) καὶ νήψατε,id est,Estote sobrij,siue uigilate:nam νήφω Græcis utrunq; significat.Peculiare est apostolis hæc tria cõiungere,sobrietatem,uigiliam,& orationem,ut sobrietas opponatur luxui & crapulæ,uigilia somnolentiæ & inertiæ.Audiui qui in cõcionibus sacris apud populum,cum ex hoc loco thema proposuissent,multa congerebãt ex Aristotelis ethicis,siue magis ex elenchis literarijs de prudentia,Item de charitate quæ ex *Locus uulgo parum intellectus.*

nobis

nobis oriatur,atq; ita demum dimanat ad alios,uidelicet extra oleas,ut aiunt, currentes. Non quod huiusmodi lapsus conuicijs exagitandos existimem,sed quod nõ arbitrer dis/ simulandos.Etiamsi,ne quid dicam dolo,fœdum per se uidetur,eum qui in frequenti ple/ bis cœtu,eoq; ecclesiastico,susceperit docendos omnes,hoc ipsum non intelligere, quod totius orationis suæ basim ac fundamentum uult uideri.Et tamen ex his aliquot admoni tionem nostram contumeliose lacerant,quid facturi,si lacessantur iniuria, cum huiusmo/ di gratiam referant benemerenti? Quos si quis diuitum aut conuiuio accipiat lautiore, aut paulo pecuniæ donet,tantum non adorant,homines grati, & eleemosynam uocant: suaq; benefacta,quibus abundant scilicet,uicissim impertiunt.At talibus officijs tãto me/ lioribus qui afficit,omni contumeliarum genere prosequuntur.Nam aliquanto post,qui dam illius gregis κοσυφαῖος, cui credo denarrarat quispiam,quod inter amiculos deplo rassem hoc illis defuisse,cum alioqui placuissent quæ dicebãtur,in publica cõcione, cum ipse adessem,duo peccata quæ cõmittuntur in spiritum sanctum,oblique,imò satis aper/ te torsit in me,præsumptionem,sic enim illi uocant,quod non ueritus essem corrigere Pa ter noster,ac Magnificat.Item impugnationẽ cognitæ ueritatis,qui negassem sacros con cionatores intellexisse suum thema, quod à sacris uiris, è sacris literis depromptum es/ set. Ceu uero non hoc etiam fœdior esset illorum inscitia,qui quod est in illis literis per/ peram interpretarentur. Qui usq; adeo perfricuerunt faciem,nõne merebantur ut nomi/ natim traducerentur.Ego tamen tum nominibus tum ordini parco.

Im pudẽtia ingrata.

In uobismetipsis.) εἰς ἑαυτούς, id est,Erga uosipsos,seu potius erga uos mutuo.Hoc ali cui fortassis leuiculum admonitu uidebitur,& tamen auditus est mihi,qui in publica con cione sedulo philosopharetur ex hoc loco,quo pacto charitas primum à nobis ipsis pro/ ficiscatur,& quomodo cordibus infundatur,multaq; id genus,neq; cœlum,neq; terram attingentia.Et tamen isti sunt qui laborem hunc nostrum ut inanem & infrugiferũ asper/ nantur,quibus eo maxime foret opus,si saperent,imò quia non sapiunt,homines uere in/ utiles,meritissimoq; in tertium illud Hesiodi genus reijciendi,qui neq; per se sapiant,neq; credant recta monenti.

In uobismet ipsis,pro inter uos.

Continuam.) ἐκτενῆ: quod ante uertit,Attente,hic Propensum seu uehementem pote/ rat dicere. Quoniam charitas operit.) καλύπτει, id est,Operiet siue teget,uerbum futuri temporis,ut ad iudicij diem pertineat.

Accepit gratiam.) χάρισμα, id est,Donum.

Illam administrantes.) αὐτὸ διακονοῦντες, id est,Illa,siue per illam,nempe gratiam mi nistrantes.Quanquàm in nonnullis Græcorum exemplaribus scriptum erat αὐτὸν, ut refe ratur ad donum administrandum.Et in alterutrũ,quo uerbo sæpius impudentissime abu titur interpres,Græce est, εἰς ἑαυτούς, id est,In uos inuicem:quod idem ualet cũ eo quod modo dixit, εἰς ἀλλήλους, id est,Alius in alium.

Multiformis gratiæ dei.) ποικίλης: quod interpres haud male expressit, quum Græca uox uarium significet,ut intelligamus diuersas donorum formas.

Quasi sermones.) ὡς λόγια, id est, Tanquàm eloquia.

Ex uirtute ἐξ ἰσχύος .i. Ex ui siue robore,ut autoritas sit penes deũ,nõ penes hominẽ.

Quam administrat.) ἧς χορηγεῖ, id est,Quam suppeditat siue subministrat. Nam ad/ ministrat,qui fungitur administratione rei commissæ.Subministrat,qui præbet ac largi/ tur,quibus opus est.Itaq; Petrus διακονίαν tribuit homini,χορηγίαν deo.

Honorificetur.) δοξάζηται, id est, Glorificetur.

Nolite peregrinari.) μὴ ξενίζεσθε. Illud peregrinari, Græcis est commoueri, perinde ut re noua & insolita:nam & paulo post ξένου uertit,Nouum.Et Beda admonet in nõnullis codicibus scriptum fuisse,Nolite mirari.Et hoc loco prudens prætereo quorundam ma/ gnorum,ut uidẽtur,theologorum absurdas interpretationes.Quorsum enim attinet alio rum erratis explere uolumina?

Peregrinari, pro admirari.

In feruore.) τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει, id est, Exustione,siue examinatione per ignem. Rur/ sus enim ad aurum respexit,quod exploratur igni.Proinde nos uertimus,Ne ceu re no/ ua perturbemini,dum per ignem exploramini.

Vobis

Vobis sit.) Fit, est Græce γινομλύκ.

Sed cõmunicantes.) ἀλλὰ καθ' ὃ κοινωνεῖτε, id est, In hoc quod communicatis, siue quatenus communicatis. Cyprianus in epistola quarti libri sexta, locum hunc reddit ad hunc modum, Charissimi nolite mirari ardorem accidentem uobis, qui ad tentationem uestrã sit, ne excidatis, tanquàm nouum uobis contingat, sed quoties communicatis Christi passionibus, per omnia gaudete, ut & in reuelatione facta claritatis eius, gaudentes exultetis. Si improperatur uobis in nomine Christi, beati estis, quia maiestatis & uirtutis domini nomen in uobis requiescit. Hactenus illius uerba recensuimus. Primum Peregrinari, recte uertit in Mirari. Cæterum ardorem aptius uerti poterat Incendium. Quanquàm hic Græca perturbatius ille reddidit. Deinde Excidatis, posuisse uidetur pro uehementer ad miremini, siue obstupescatis, ceu Græcam exprimens uocem ἐξίσατε, quemadmodũ alibi in Paulo, Siue excidimus deo. Porrò maiestatis & uirtutis domini nomen, quid sibi uelit, nescio, nisi forte pro πνεῦμα uertit, numen, aut νεῦμα legit ille, non πνεῦμα. Adducit idem hoc testimonium totidem uerbis in expositione symboli.

Cypriani lectio.

Beati eritis.) Eritis, apud Græcos non additur, tantum est μακάριοι. Rectius autem subaudias Estis q̃ eritis.

Quod est honoris gloriæ, & uirtutis.) Græca sic habent, τὸ τῆς δόξης, καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα, id est, Quod est gloriæ, & spiritus dei. Ita tamen ut spiritus accipias nominandi, non pariendi casu. Potest autem hic locus bifariam accipi, Vno modo, ut τὸ τῆς δόξης seperatim legatur pro gloria, quemadmodũ fecit noster interpres. Altero, ut nominatiuus τὸ πνεῦμα spiritus adhæreat ex æquo duobus genitiuis, τὸ πνεῦμα τῆς δόξης, καὶ τοῦ θεοῦ, id est, Spiritus gloriæ & dei, uelut interpretans, quid dixisset, spiritum gloriæ, adiecerit, Et dei. Virtutis, non est in Græcis.

Duplex lectio.

Requiescet.) ἀναπαύεται, id est, Requiescit, præsentis temporis, siue resocillatur.

Deest apud nos.

Nemo autem uestrum pati.) Ante hæc uerba habent Græci, quæ non reperio in Latinis codicibus. Habent autem hæc uerba, καὶ μὴν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται, id est, Secundum illos quidem blasphematur, secũdum uos autem glorificatur. Quæ tamen non absunt in eo loco quem modo ostendimus apud Cyprianũ, legit enim, Quod quidem secundum illos blasphematur, secundum uos autem honoratur. Vt referantur duo uerba, ad spiritum, siue gloriam dei, quæ impiorum hominum iudicio dehonestabatur, supplicio & afflictione profitentium. At ipsorum opinione, hoc pacto gloria dei redderetur illustrior. Nec Beda attingit hanc partem in cõmentarijs. Pro eo quod nos legimus patiatur, παχέτω, in utroq; codice Constantiensi habebatur, nemo seipsum circũueniat. Id arbitror librariorum culpa cõmissum.

Nemo autem uestrum.) μή γάρ τις ὑμῶν. Ne quis enim uestrum.

Quasi fur.) Vala mauult, ut fur, ut homicida, ita mox uertit. Si autem ut Christianus. Atqui Christianus uere erat, homicida non erat. Sed sermo referendus est ad opinionem affligentis non afflicti.

Aut maledicus.) ἢ κακοποιὸς, id est, Aut maleficus.

Alienorum appetitor.) ἀλλοτριοεπίσκοπος, id est, Alienorum inspector, siue curator. Composita uox, ab alieno & episcopo, hoc est, inspectore, quod qui quid appetit, inspectat. Augustinus in expositione epistolæ ad Romanos inchoata, legit, Aut curas alienas agens.

In isto nomine.) ἐν τῷ μέρει τούτῳ, id est, In parte hac. Diuidit afflictionem in cruciatum corporis & causam. In cruciatibus non est gloriandum, sed in altera parte gloriandum, quod ob Christum patimur.

Incipiat de domo dei.) ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ, id est, A domo dei.

Et si iustus uix saluabitur.) Admonet Beda hoc sumptum ex prouerbijs iuxta ueterẽ translationem. Alioqui iuxta nostram haberi: Si iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator? Quod aũt Beda dicit esse in ueteri translatione, legit apud Græcos ex interpretatione Septuaginta, εἰ μὴ ὁ δίκαιος μόγις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται, nec est saluabitur, sed σώζεται, saluus sit.

Fideli

Fideli creatori.) ὡς πιστῷ κτίστῃ, id est, Vt fideli siue fido conditori, siue possessori.
In benefactis.) ἐν ἀγαθοποιΐᾳ, id est, In beneficentia, siue in benefaciendo.

EX CAPITE QVINTO.

SEniores ergo.) Ergo, non est apud Græcos.

Consenior.) Rectius dixisset presbyteros compresbyter. Et ita uertit Hieronymus, ut mox ostendam. Quanquam hic quoq; nonnihil offendit nomen Græcum additum coniunctioni Latinæ. Et haud scio, an quisquàm laturus sit sympresbyter.

Quæ in futuro reuelanda est.) Nihil opus erat his uerbis, In futuro, τὴν μελλούσης δόξης ἀποκαλύπτεσθαι, Satis erat reuelabitur.

Quæ in uobis est.) τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον. Græcus sermo per se quidem est anceps. Mihi tamen uidetur esse sensus germanior. Pascite, quantum in uobis est gregem Christi. Sic enim habent Græci codices, non Dei. Nam ipse se pastorem appellat in literis Euangelicis. Quod si cui non placet hic sensus, sciat in uobis dictũ esse pro inter uos siue apud uos, ut intelligas unicuiq; suum gregem esse curandum.

Pascite eum.) Græce est, ποιμάνετε: quod est, Pascite, sicuti pascunt pastores. Idem uerbum est in psalmo secũdo, Reges eos in uirga, ποιμανεῖς, hoc est, Pastoraliter reges, ut Hilarij uerbis utar. Et Homerus regem subinde uocat ποιμένα λαῶν, id est, Pastorem populorum. *Pastor.*

Prouidentes.) ἐπισκοποῦντες, id est, Intendentes, aut episcopum agentes. Notat hanc uocem diuus Hieronymus in epistola quadã ad Euagriũ, cuius initiũ, Legimus in Esaia, uertitq; ἐπισκοπεῖν, Inspicere, sed addit Græce significãtius dici. Nam Latine inspicit, q cupit discere quid sit, Græcis ἐπισκοπεῖ, qui curã agit & prospicit de rebus necessariis. Porrò totum hunc locum in ea quam modo citaui epistola, uertit ad hunc modum, Presbyteros in uobis precor compresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ, quæ reuelanda est particeps, regere gregem Christi, & inspicere, non ex necessitate, sed uoluntarie iuxta deum.

Spontanee secundum deum.) Secundum deum, non additum est in codicibus Græcis. *Superest in nostris.*

Sed uoluntarie.) προθύμως, id est, Prompte, siue propensis animis.

Non dominantes in cleris.) Græce est, μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. Neq; ueluti dominium exercentes aduersus cleros. Cleros autem uocat, non diaconos aut presbyteros, sed gregem, qui cuiq; forte contigit gubernandus, ne quis existimet episcopis in clericos interdictum dominium, in cæteros esse permissum. Et presbyteros hic episcopos uocat. Nondum enim increuerat turba sacerdotum, sed quot erant presbyteri, totidem erãt episcopi. Præceptum apostolorum principis, in omnibus omniũ episcoporum aulis, uel aureis literis oportebat inscribi: Pascite, inquit, gregem, non opprimite, non expilate: idq; non coacte, uelut ex officio, sed ex syncero affectu, tanquàm patres, neq; turpis lucri gratia: quasi præsentiens ecclesiæ pestem hinc orituram. Denicq; non dominãtes more regũ, sed exemplo pascite, benefactis uincite. Nũc episcoporum uulgus nihil audit ab assentatoribus doctis, nisi dominia, ditiones, gladios, claues, potestates: atq; hinc fastus quorũdã pluspiam regius, sæuitia pluspiam tyrannica.

Sed forma facti.) τύποι γενόμενοι, id est, Formæ facti, hoc est, Exẽpla: licet numerus mutatus nihil uariet de sensu. Quanquàm dubium non est, quin interpres uerterit formæ numero multitudinis, quum ea lectio constet in uetustiore codice Constantiensi. Nam in altero deprauator, ex è fecerat a, inducta lineola. Item extabat in eo quem exhibuit bibliotheca scholæ Basiliensis.

Gregis ex animo.) Ex animo, Græci non addunt.

Omnes enim inuicem humilitatem.) Græce est, ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι, id est, Inuicem

cem ſubiecti,hoc eſt, Viciſſim alius alij. Nec eſt enim,ſed aũt in quibuſdam uetuſtis. Quã & interpres uertit in inuicem pro ἀλλήλοις,quam ſcripturam comperi in uetuſtis exẽplaribus,niſi quod in altero Conſtantienſi deprauator eraſerat in præpoſitionem.

Inſinuate.) ἐγκομβώσασθε. Quod perinde ſonat,quaſi dicas,Innodate. Sentit autem humilitatem arcte retinendam in animo,ueluti nodis illigatam,ne per ullã occaſionem queat extundi,quemadmodum ſolet frequenter uſu uenire infirmioribus. Nec eſt hic ταπεινότης, ſed ταπφνοφροσύνη, quod ſonat humilitatem animi ſeu modeſtiam potius.

ταπεινὸς in bonã partem. Supereſt apud nos.

Humilibus.) ταπφνοῖς. Hic certe de animi ſenſit modeſtia.

In tempore uiſitationis.) Viſitationis,redundat, iuxta Græcos codices. Tantum eſt ἐν καιρῷ. Nam ἐν καιρῷ perinde ſonat ac ſi dicas,ſuo tempore,ſiue quum eſt opportunũ. Neq; enim eſt χρόνῳ quod ſpacium ſiue ſpeciem temporis ſignificat, quum καιρὸς ſignificet opportunitatem. Spatium eſt,quum dicimus triennium,ſpecies quum dicimus hyeme,aut æſtate,καιρὸς eſt,quum dicimus,ante diem,ſero. Et quoniam quidam ambigunt num humiliare ſit Latina uox,uerti poterat,ſubmittite uos ſub potentem manum dei,Sic enim habent Græca, ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα.

Quærens quem deuoret.) ζητῶν τινὰ καταπιεῖν, id eſt, Quærens aliquem deuorare. In alijs rurſum habebatur, ζητῶν τίνα καταπίν,quemadmodum legit interpres. Interpres quẽ ſequitur Auguſtinus,legiſſe uidetur ζητῶν τι. Sic enim adducit hunc locum, homilia ex quinquaginta triceſima quinta,Aduerſarius ueſter diabolus,tanq; leo rugiẽs, aliquid deuorare quærens,circuit. Verum haud ſcio,num id acciderit uitio librariorum:nam eiuſdẽ operis homilia quadrageſima ſexta,legit,Aliquem deuorare quærens. Quanquàm ad eũdem modum adducit Cyprianus in libello de zelo & liuore. Et aliquid deuorare quærẽs, ut appareat uariaſſe codices & Græcos & Latinos.

Reſiſtite fortes.) στερεοὶ, id eſt,Firmi & ſolidi.

Eandem paſſionem.) τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων, id eſt,Eaſdem paſſiones, ſeu magis afflictiones.

Fraternitati fieri.) ἐπιτελεῖσθαι, id eſt, Perfici.

Perficiet,confirmabit,ſolidabit.) Græce eſt,αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς,στηρίξαι,θειώσαι,θεμελιῶσαι, id eſt,Ipſe perficiat uos,fultura,confirmatione, fundatione. Quanq; equidem nõ ignoro,hæc tria poſſe pro uerbis accipi,futuri temporis,fulciet,confirmabit,fundabit. In nonnullorum Græcorum exemplaribus hæc erant infinita, στηρίξαι,θειῶσαι,θεμελιῶσαι, id eſt, Confirmet,corroboret,fundet.

Breuiter ſcripſi.) δι' ὀλίγων ἔγραψα, id eſt, Paucis ſcripſi.

Per Syluanum.) Anceps eſt ſermo,utrum Syluanus iuſſu Petri ſcripſerit, an Syluano tradiderit perferendam epiſtolam.

Perperam legimus.

In Babylone collecta.) ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ, id eſt,Quæ in Babylone eſt ſimul electa,hoc eſt,Conſors electionis ueſtræ. Atq; ita fermè adducit Hieronymus in Catalogo ſcriptorum illuſtrium in Marco. Quanquàm illic nec Latina Hieronymi, nec Græca Sophronij carebant omnino mendis. Beda hũc enarrans locum,legit Coëlecta,quod ſcriba deprauauit in Collecta. In duobus uetuſtiſſimis exemplaribus Donatiani,ſcriptũ erat Conelecta. Sunt qui Babylonem hic interpretentur Romam, quod mihi ſanè non uſque quaq; ꝓbatur. Magis arbitror Petrum id temporis uere Babylone uixiſſe.

In oſculo ſancto.) ἐν φιλήματι ἀγάπης, id eſt, In oſculo charitatis.

Gratia uobis omnibus.) εἰρήνη ὑμῖν, id eſt,Pax uobis. Attamen Beda Gratiam interpretatur.

Annotationum in priorem epiſtolam Petri apoſtoli,per Des. Eraſmum Roterodamum, finis.

IN EPISTOLAM PETRI APOSTOLI SECVNDAM ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI.

EX CAPITE PRIMO.



IMON Petrus.) συμεὼμ, id est,Symeon,quāquàm ea uox Græcis uarie pronunciatur.

Coæqualem.) ἰσότιμον, id est,Parem,æqualem,siue eiusdem precij nam hinc Græca uox composita est.

Dei nostri & saluatoris Iesu Christi.) Si cōiunctim legas, intelligetur Christus & deus & seruator dictus Petro. Sin diuisim,dei pertinebit ad patrem,seruatoris ad Christum.

Et pax impleatur.) Notat hoc Beda,quod in priore epistola optarit multiplicari pacem,hic optat adimpleri. Græcis est idem uerbum.

Quomodo omnia &c.) Græca paulo secus habent,quàm Latina,ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ,τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης, id est, Vt eius diuina uirtus omnia nobis largita est,quæ ad uitam ac pietatem pertinēt.Et mox,Per agnitionem aptius erat quàm cognitionem ἐπιγνώσεως. Porrò δεδωρημένης potest esse genitiuus absolute positus, & potest referri ad ἐπιγνώσει,ut hic sit sensus,Per agnitionē dei,& Christi Iesu domini nostri,utpote diuina illius potestate omnia nobis largita quæ ad salutē pertinēt. Perperam quidā initium nouæ sententiæ faciunt à dictione quemadmodū,quum hæc pendeant ex superioribus,Sic impleatur gratia dei,ut ab eo data sunt omnia.Beda secus distinguit,sed hoc modo, quemadmodum non habet ad quod respondeat.Idē admonet in Latinis codicibus duplicem fuisse lectionem,In quibusdam scriptum fuisse, Quæ ad uitam & pietatem donata est,in alijs,Quæ ad uitam & pietatem donata sunt.

Propria gloria & uirtute.) διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, id est,Per gloriam & uirtutem.Hoc loco lector admonendus est,uirtutem non esse δύναμιν, quam frequenter aliàs legit,sed ἀρετὴν,quæ opponit uitio.Hoc admonere uisum est, quod Beda pro uirtute interpretatur δύναμιν.Id perspicuum est ex illius uerbis.Quin potius infirmos & inglorios cernens sua nos uirtute recuperauit & gloria. Sentit aūt Petrus quū nos essemus obstricti uitijs,deū nobis impartisse suam iusticiam,quum essemus abiecti contulisse nobis suā gloriam.

Per quem maxima & precioſa.) δι' ὧν τὰ τίμια ἡμῖν καὶ μέγιστα ἐπαγγέλματα, id est,Per quæ precioſa nobis & maxima promissa. Quanquàm sermo Græcus nonnihil habet ambiguitatis,quod articulus ὧν, referri potest ad gloriam & uirtutem, siue quod paulo superius præcessit,Omnia.

Donauit.) δεδώρηται, id est,Donata sunt.

Vt per hoc.) ἵνα διὰ τούτων, id est, Vt per hæc.Consentit uterq; codex Donatiani.

Fugientes.) ἀποφυγόντες, id est,Aufugientes,uel potius,Si refugeritis.Est enim præteriti temporis.

Concupiscentiæ.) τῇ ἐπιθυμίᾳ, id est, In concupiscentia.

Vos autem curam omnem,) Καὶ αὐτὸ τοῦτο δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες ἐπιχορηγήσατε, id est,Et in hoc ipsum autem,curam omnem conferentes,ministrate. Cæterum præpositionem additam non expressit interpres, παρεισενέγκαντες, id est,Obiter,siue præterea inferentes,ut nostra cura accedat ad donum de quo dixit.Item ἐπιχορηγήσατε, id est,Insuper suppeditate:& hoc accessionem quandam sonat.

In fide uestra uirtutem.) Non est δύναμιν, quod potentiam aut miraculum sonat, sed ἀρετὴν,quod bonitatem morum quæ fidem comitatur.Annotauit hoc & Beda.

In scientia abstinentiam.) ἐγκράτειαν, id est, Temperantiam.

Amorem fraternitatis.) φιλαδελφίαν, id est, Fraternum amorem, quod iam sæpius admonui. Porrò quod fraternæ charitati subiicit ἀγάπην, hoc est, Dilectionem, aut bis idem dixit, aut ueluti generalius ac latius addidit: ut φιλαδελφίαν referatur ad mutuũ amorem Christianorum inter se, quandoquidem hos fratres appellant apostoli, dilectio ad uniuersos, etiam ethnicos, aut uehementius quiddam est ἀγάπη ꝙ φιλία, aut φιλαδελφία ad affectum refertur, ἀγάπη ad executionem. Sed media sententia mihi magis arridet. Adsint & superent, cum sit πλεονάζοντα nõ potest habere locum quod hic asscribit Beda, si aduersus bella uitiorum potiore uirtute prævaluerint. Neq; enim superare transitiuum est hoc loco, sed neutrum, idem pollens quod abundare. Laurentius offenditur inelegantia sermonis, si uobiscũ adsit. Verum hoc non interpretis sed scribæ culpa cõmissum est. Hæc em̃ uobis quum adsint & superent: deinde lector parum attentus, reperiens coniunctim scriptum uobiscum, putans aliquid deesse addidit, si. Quũ hoc diuinassem, repperi germanã lectionem in utroq; Constantiensi. Quod hic dicit adsint, Græce est ὑπάρχοντα, quod sonat suppetentia. Suppetit autem quod ad usum satis est. Id uerbum quoniam frugalius uidebatur, corrigens addit πλεονάζοντα, abundantiæ uocem. Nam mox est πάρεσι, quod elegãter sanè uertit, præsto sunt.

Et manu tentans.) μυοπάζων. Certum est dictionem esse compositam. Videtur autem deducta metaphora à muribus, qui parietem aut tabulam, aut si quid aliud obuiũ fuerit, sequi solent, donec cauum nacti fuerint. Quã ꝙ legitur μύοψ, & muscæ genus, oculos boũ infestans, unde dictum uideri possit uerbũ μυοπάζειν. Adiecit autẽ hoc apostolus, ut profũdam cæcitatẽ exprimeret. Nã luscioſi magna corpora uidẽt, ut ductu manuũ nõ sit opus.

Magis satagite.) σπουδάσατε, id est, Date operam, siue studete. Nec est, Satagite magis, sed magis fratres satagite, ut magis sit corrigentis, non augentis, quasi dicas, Potius satagite, potiusq; hæc uobis desint date operam ut assequamini. Et hoc sanè loco malim date operam aut adnitamini ꝙ satagite.

Magis, corrigentis.

Vt per bona opera.) Per bona opera, apud Græcos non reperio additum.

Certã uestrã uocationẽ.) βεβαίαν, id est, Firmã, siue ratã. Melius autẽ uestri, ꝙ uestram.

Propter quod incipiam.) Longe aliud est Græce, οὐκ ἀμελήσω, id est, Non negligam, siue non omittã, etiamsi Beda legit & interpretatur, Incipiam. Quid quod ipse sermo præ se fert absurditatem, Quis enim dicit̃ semper incipere, quod assidue facit? Fortassis interpres, si tamen hoc uertit, respexit ad μελλήσω, duplicẽq; negationẽ uertit in affirmationẽ. Et haud scio an ille legerit οὐ μελλήσω, id est, non contabor.

Equidem scientes.) καίπερ, id est, Licet, siue quanq;. Sic enim mitigat admonitionẽ.

In præsenti ueritate.) Lyranus indicat in nõnullis codicibus hic addi uolo, & omnino supplendum esse, non animaduertens accusatiuum casum pendere à uerbo quod præcessit cõmonefacere, quum dicimus admonebo te licet memorem.

Frequenter.) ἐκάστοτε, id est, Semper, hoc est, Non desinam quoad uiuam.

Post obitum.) ἔξοδον, id est, Exitum, meminerat enim tabernaculi.

Vt horum omniũ.) Omniũ, redũdat. Nec addebatur in utroq; codice Donatiani. Cui suffragabãtur tres uetustissimi codices, qui mihi aderant in hac æditione quarta. Est aũt perturbatior aliquanto, & ob id obscurior huius sermonis cõtextus. Sic enim Græca cõponi poterant, σπουδάσω δὲ ἑκάστοτε, ἔχειν ὑμᾶς ποιεῖσθαι μνήμην τόνδε μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον, id est, Quinetiã semp operã dabo, quo possitis horũ mentionẽ facere post exitũ meũ. Nam ἔχειν hoc loco positũ est, p posse, & referẽ ad uerbũ infinitũ ποιεῖσθαι. Est aũt idẽ uerbum qd̃ paulo supius uertit satagite. Nõ em̃ indoctas fabulas.) σεσοφισμένοις μύθοις, id est, Arte cõfictas fabulas. Atq; haud scio, an interpres uerterit, Doctas fabulas, quas Petrus opponit simplici rusticanæq; ueritati. Tales erãt olim philosophorũ argutæ magis ꝙ salubres disputatiões, & hodie nõnullæ theologorũ altercatiões. Certe Beda Doctas legit, nõ indoctas. In codice Cõstãtiẽsi uetustiore manebat incorrupta scriptura, in altero in erat rasum.

Ordo.

Sophismata.

Virtutem & præscientiã.) δύναμιν καὶ παρουσίαν, id est, Virtutem, siue potentiam & aduentũ. Nam ita frequenter uertit παρουσίαν. Apparet aũt scriptũ fuisse præsentiã: nam sic quoq; nonnunquam uertit παρουσίαν, deinde uitio scribæ mutatum fuisse, præscientiam.

Et tamen

Et tamen ex illius dormitantia magni theologi, quorum de numero est Lyranus, mysterium ingens parturiunt. Non quod illos insecter, qui quod potuerunt præstiterunt, sed quod miserandos existimem, qui coacti sint tractare sacras literas, non satis instructi literis, sine quibus, ut dignum est, illæ tractari non queunt. In codice Donatiani uetustiore meliorisq; fidei scriptum erat, Præsentiam. Et huic suffragabantur exāplaria uetusta. Nā Petrus idem hoc dicit quod alicubi Paulus, se non prædicasse Christi aduentum sapientia uerbi, sed uirtute spiritus.

Illius magnitudinis.) Illius, hic masculini generis est, & refertur ad deum, non ad magnitudinem.

In quo mihi cōplacui.) Quum hic profiteatur se fuisse unū qui in monte audiere trāsfigurato dño patris uocē, mirū est aliquos dubitasse an hæc epistola esset Petri. Necesse est enim si Petri nō est, Ioannis aut Iacobi esse, aut eam uocem aliās in monte proditam, aut aliquē sibi falso usurpasse titulū Petri, quorū illa nō sunt uerisimilia, postremū autem etiam uehementer absurdū. Et tamen ueteres, qui de huius epistolæ autore dubitabant non ignorabant hoc in hac epistola scriptum esse. Illud constat euidens esse stili discrimē inter hanc & priorem.

Et habemus firmiorem.) καὶ ἔχομεν βεβαιότερον. Hoc loco uehementer sudant recentiores, quomodo explicare possint quod Petrus dixit, Prophetarum sermonem firmiorē, quàm suum aut patris. Verum Græcis mos est, subinde cōparatiuum pro positiuo usurpare. Id sensisse uidetur Augustinus, homilia ex quinquaginta trigesima secunda, locum hunc adducens, nihil offensus comparatiuo certiorem, sic enim ille legit, pro firmiorem. Deinde nō simpliciter dixit prophetarū sermonem firmiorē, sed iam factū certiorem, atte stante dictis illorū uoce patris. Postremo pater ipse quodammodo filij sui propheta fuit, ac præco, prædicēs palàm omnia sibi placitura, quæ ille dicturus aut facturus esset. Atq; hic sermo propheticus firmior erat sermone prophetarum, quos illi uenerabant: id quod Petrus non improbat, modo intelligāt eas prophetias esse spiritualiter interpretandas, non more Iudaico. Atq; hunc postremum sensum, ego puto germanum esse Petri.

Lyranus tota aberrans uia.

Locus ante hac nō satis intellectus.

Propria interpretatione.) ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται, id est, Propriæ interpretationis nō fit. Græca uox dicta est à soluendo, quod cōuenit rebus intricatis, uel ab aduendo, quod magis congruit his quæ sequuntur. Non enim ipsi suapte uoluntate aggressi sunt ædere prophetias, sed impulsu spiritus sunt aggressi.

Spiritu sancto inspirati.) ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, id est, A spiritu sancto rapti, si ue agitati, siue impulsi.

EX CAPITE SECVNDO.

ET eum qui emit eos, deum negant.) καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι, id est, Et qui se mercatus est dominum negantes.

Eorum luxurias.) ἀπολείαις, id est, Exitia siue perditiones. Interpres legisse uidetur ἀσωτίαις, siue ἀσελγείαις. Tametsi Græca exemplaria, quæ sanè uiderim, consentiunt.

De uobis negociabuntur.) ὑμᾶς ἐμπορεύσονται, Vos cauponabuntur, & uobis ad quæstum abutentur, Vt autem depinxit Petrus, quod hodie uidemus, à plerisq; sacerdotibus nihil nō ad quæstū trahi. Non cessat.) οὐκ ἀργεῖ, id est, Non tardat. Id non animaduertens Beda interpretatur, non cessat, id est, non desistit.

Si enim deus angelis peccantibus non pepercit.) Beda putat hic hyperbaton esse, ac tandem reddi illic: Nouit deus pios de tentatione eripere.

Angelis peccantibus.) ἁμαρτησάντων, id est, Qui peccauerant.

Sed rudentibus.) σφαῖς, id est, Catenis. Rudentes interpres dixit ingētes funes ac nauticis similes. Augustinus alicubi p rudentibus legit, carceribus. Rudētibus, Beda coacte interpretat, cū Græca uox sonet catenas. Addit in nōnullis codicibus haberi p rudentibus rugientibus, quod utiq; reiecisset, si Græce nouisset & cōsuluisset Græcorū exemplaria.

Inferni.) ζόφου, id est, Caliginis. Quanq; ζόφος Græce significat specum tartareum, & caliginem, atq; solis occasum.

In tartarū tradidit.) ταρταρώσας παρέδωκεν, id est, In tartarū detrusos tradidit uinculis.

Cruciandos in iudicium.) εἰς κρίσιν τηρουμένους, id est, In iudicium seruatos siue seruandos. Etiamsi nonnulli Græcorum codices habent τετηρημένους, id est, seruatos.

Originali mundo.) ἀρχαίῳ κόσμῳ, id est, Antiquo mundo. Sentit enim priscum mundum ac recens conditum.

Custodiuit.) ἐφύλαξεν, id est, Seruauit.

Iusticiæ præconem.) Aldina æditio non κήρυκα habet, sed κήρυγμα, ut referatur ad hoc quod sequitur, ὑπόδειγμα.

A nefandorum iniuria ac luxurioſa cõuersatione.) Græce est καταπονούμενον ὑπὸ τῶν ἀθέσμων ἐν ἀσελγείᾳ ἀναστροφῆς, id est, Ab ijs qui per lasciuam cõuersationẽ erãt nepharij.

Damnauit exemplũ.) Non est hic παράδειγμα, sed ὑπόδειγμα, ut intelligas exemplũ nõ quod imiteris, sed quod admoneat quid sit uitandum.

Locus hactenus parum intellectus.

Aspectu eẽ & auditu.) Græca nõnihil dissident à Latinis, βλέμματι γὰρ καὶ ἀκοῇ ὁ δίκαιος, ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς, ἡμέρας ἐξ ἡμέρας ψυχὴν δικαίαν ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν, id est, Aspectu eẽ & auditu iustus inhabitans inter illos, cotidie animã iustam, iniquis operibus excruciabat, siue explorabat. Significat enim illum cum oculos haberet sanctos, & aures sanctas abhorrentes ab omni turpitudine, grauiter discruciatum fuisse, quod uiuẽs inter illos, cogeretur cotidie uidere & audire quæ nollet. Hunc locum Beda non attingit. Facilis quidem est deprauatio inter ἐβασάνιζεν & ἐβασάνιζον, Verum ingens est Græcorũ codicum consensus, & si legas cruciabant, reclamat grãmaticæ ratio, nisi nominatiuas uoces accipias pro genitiuis absolute, ὁ δίκαιος ἐγκατοικῶν, pro τοῦ δικαίου ἐγκατοικοῦντος.

Nouit deus.) κύριος, id est, Dñs. Quanq; in his uerbis subinde aliud pro alio usurpant librarij. Seruare cruciandos.) κολαζομένους. Vt intelligas illos interim puniri dũ seruantur. Interpres legisse uidetur κολασθησομένους. Atq; ita legisse uidetur Origenes, qui putauit impios dæmones nõ ante supremũ iudicij diem subijciendos incendio. Pro Origenis opinione facit, quod in euangelio clamant dæmones, Venisti ante tempus cruciare nos. Verum hic non proprie de dæmonibus, sed de animabus impiorum agit.

Magis autem eos.) μάλιστα, id est, Maxime, nisi forte superlatiuum usurpatum est uice comparatiui, quod crebro fit in πᾶς.

Dominationemq;.) Τὴν κυριότητα, id est, Autoritatem, hoc est, legitima præditos potestate. κύριος enim sæpe dicitur non simpliciter dominus, sed qui pollet autoritate, cuiusq; ius est præscribendi.

Sibi placẽtes.) αὐθάδεις, id est, Præfracti, & quod uulgo dicũt, sui sensus, suiq; capitis.

Sectas non metuunt.) δόξας οὐ τρέμουσι, id est, Opiniones non tremunt. Quanquã hoc loco tremunt, pro metuunt positum est. Mihi sanè uidetur longe alius esse sensus, quàm theologorum uulgus interpretatur, id quod cum omnium pace dixerim. Agit enim Petrus de præfractis & intractabilibus, qui nõ obtemperãt præfectis suis & episcopis, quos

Locus aliter explanatus.

αὐθάδεις appellat, & τολμητὰς καὶ τῆς κυριότητος καταφρονοῦντας. Nec his contenti, non uerentur etiam maledictis incessere uiros gloria ac maiestate præditos. Nam hos, ni fallor, δόξας appellat, quemadmodum paulo superius κυριότητας. Porrò participium βλασφημοῦντες, iuxta proprietatem Græcanici sermonis, infiniti uerbi loco positum est: Non metuunt maledicentes, pro eo quod erat, nõ metuunt maledicere. Videtur autem κυριότης minus quiddam esse, quàm δόξα. Nam herus quilibet in seruum habet κυριότητα, at nõ statim δόξαν. Princeps autem, aut magistratus δόξαν habet, unde læsæ maiestatis accersi solet, qui maiestatem uiolarit. Vtitur autem ijsdem uerbis, & in eũdem sensum Iudas in epistola sua, κυριότητα δὲ ἀθετοῦσιν, δόξας δὲ βλασφημοῦσιν, id est, Dominationẽ uero spernunt, glorias autem blasphemant. Iam illud uerbum, introducere, scias esse subditiciũ, quũ non sit nec in Græcis codicibus, nec in uetustis exemplaribus. Nam & in Constantiensi & Basiliensi scriptum erat, Sectas nõ metuunt blasphemantes, nec erat ullum inductionis aut rasuræ uestigiũ. Proinde lector offensus absurditate sermonis latini, adiecit introducere.

Non portant.) οὐ φέρουσι, id est, Nõ ferunt. Mirum quur hic placuerit portandi uerbũ.

Supereſt in Græcis.

Aduersus se.) Post hæc uerba addunt Græci, παρὰ κυρίῳ, id est, Apud dominum.

Execrabile iudicium.) βλάσφημον κρίσιν, id est, Blasphemum iudiciũ, quasi abominandum & mali ominis. Videtur enim βλάσφημον usurpasse pro δύσφημον.

Irrationabilia

Irrationabilia pecora.) ἄλογα ζῶα, id est, Muta animantia, neq; enim de ouibus tantum loquitur, Certe in epistola Iudæ uertit animalia. ἄλογον autem utrūq; sonat, & quod sermone caret, & quod rationis est expers.

Naturaliter.) γεγεννημμένα, id est, Nata. Quāq; mihi uidetur illud γεγεννημμένα apud Græcos additum loco scholij à quopiam qui uoluerit interpretari, quid esset φυσικά, Id alius in contextum transtulit. Sic enim dixit, naturalia ad captionem, quēadmodum dicimus, natus ad discendum, pro eo quod est, natura compositus. Deinde naturalia aliquis uertit in naturaliter. Alioqui quæ sunt animalia non naturalia? An homo non est animal naturale? Cæterum captio non sonat hic fraudem, sed seruitutem. Nam est ἅλωσιν non θήραν, quod est psalmo cxxiij. Et non dedit nos in captionem. Rursus xxxiiij. Et captio quā abscondit, ἡ θήρα. Porrò quod hic uertit perniciem Græcis est φθορά, quæ uox & exitium declarat, & pernicíem. Eandem uocem mox uertit corruptionem.

Diei delicias.) τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν, id est, Diurnas delicías. Admonet Beda quosdam ita distinguere, Percipientes mercedem iniusticiæ uoluptatem, ut fœda uoluptas sit illis etiam supplicium, iuxta illud: Tradidit illos in reprobum sensum. At mauult sequi distinctionem quam ait se reperisse, in opusculis beati Gregorij papæ. Atqui si prior lectio recipitur, existimantes non habet suum casum. Quod autem dixit τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν, aut significat illos in diem uiuere securos futuri, aut uult hoc turpiorem uideri luxum illorū, quod etiam interdiu comessentur, quum iuxta Paulum qui ebrij sunt, nocte ebrij sint. Ac de libidinoso noctu, mane sobrio, dicit Prudentius, Castumq; nugator sapit.

Coinquinationis & maculæ,) σπῖλοι καὶ μῶμοι. Vtrūq; nominandi casu legendū est, nō paterno. Nam ipsos homines maculas uocat & inquinamēta, quo sit oratio uehementior. In conuiuijs suis.) ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν, id est, In deceptionibus suis. Interpres ꝓ ἀπάταις legisse uidetur ἀγάπαις. Porrò cum librarius non intelligeret agapen, quod Græce sonat charitatem, aliquoties usurpari pro conuiuio, suspicans locum esse mendosum, correxit, ἀπάταις. Vsus est eadē uoce Iudas in epistola sua: qua de re nōnihil illic dicem⁹.

Luxuriantes uobiscum.) συνευωχούμενοι ὑμῖν, id est, Conuiuantes uobiscum. Quanq; potest ex his uerbis alius elici sensus, ut datiuus ὑμῖν referatur ad participium ἐνδυφῶντες, & συνευωχούμενοι ad illud ἐν ἀπάταις, ut hæc sit summa sententiæ, Insultantes uobis, ac male precantes in erroribus suis, dum inter se comessantur.

Plenos adulterij.) μεστοὺς μοιχαλίδος, id est, Plenos adulteræ mulieris, ut intelligas lasciuos & impudentes. Cyprianus exponens symbolum, legit plenos mœchationibus, si modo non fallit scriptura.

Incessabiles delicti.) ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας, id est, Qui non possint cohiberi à peccādo.

Pellicientes.) δελεάζοντες, id est, Inescantes: nam δέλεαρ esca.

Ex Bosor.) τοῦ βοσόρ, id est, Filium Bosor.

Suæ lasciuiæ.) ἰδίας παρανομίας, id est, Propriæ iniquitatis. Suspicor interpretem legisse παροινίας, quæ uox sonat intemperantiam ex immodico potu.

Turbinibus.) ὑπὸ λαίλαπος, id est, A turbine, siue à procella.

Exagitatæ.) ἐλαυνόμεναι, id est, Quæ feruntur, siue aguntur, siue impelluntur.

Tenebrarum reseruatur.) εἰς αἰῶνα τετήρηται, id est, In æuum seruata est.

Superbia enim uanitatis.) ὑπέρογκα γὰρ ματαιότητος φθεγξάμενοι. Arbitror interpretem scripsisse, superba, ut respondeat ad ὑπέρογκα, idq; librarij uitio mutatum in superbia. Atq; hanc coniecturam non esse uanam indicat uetustior ille codex Donatiani. Cui suffragabatur exemplar Constantiense. Verti poterat ad hunc modum: Nam uehementer fastuosa uanitatis uerba locuti, inescant in concupiscentijs carnis, lasciuijs. Non ablu/ dit sensus ab illo Iuuenalis,

Superbia, pro superba.

Sed peiores, qui talia uerbis,
Herculis inuadunt, & de uirtute locuti &c.

Pelliciunt in desiderijs.) δελεάζουσιν, id est, Inescant. Recte tamen uertit interpres.

Luxuriæ.) ἀσελγείαις, id est, Lasciuijs.

Qui paululum fugiunt.) τοὺς ὀλίγως ἀποφυγόντας, id est, Qui uere aufugerunt. Vala suspicatur interpretem uertisse planè, idq; deprauatum in paulum. Mihi probabilius fit, ꝓ

ὄντως interpretis exemplar habuisse ὀλίγως, aut certe οὕτως. Nam hoc aduerbium frequenter habet uim extenuandi, quod à ueteribus annotatum est. Euangelio Ioannis, Sedebat Iesus sic super puteum. Qui sic aufugerunt, id est, qui utcunq; aufugerunt. Constat enim Hieronymũ legisse paululum in libris aduersus Iouinianum, quum ait, ut qui paululum refugerint à peccatis, ad suum reuertantur errorem. Torquet autem locus hic & alijs scrupis. Etenim nostri codices hinc incipiunt nouam sententiam, Qui in errore cõuersantur, ut accipiamus eos qui pelliciunt alios ad luxum, in hoc errare, quod alijs libertatem pollicentur quum ipsi sint serui turpitudinis, Verum hũc sensum nullo modo patitur sermo Græcus, qui sic habet, θελεάζουσιν ἐν ἐπιθυμίαις σαρκὸς ἀσελγείαις τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας, τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους. Etenim si hic sensus quem nos sequimur esset germanus, legendũ erat, ἐν τῇ πλάνῃ ἀναστρεφόμενοι, Nũc & casus participij, & additus articulus repudiat hãc interpretationem. Verũ hoc sublato, manet alter scrupulus, utrũ hæc particula τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους, pertineat ad pelliciẽtes an ad pellectos. Si ad pellectos, uidetur deesse coniunctio, καὶ τοὺς ἐν πλάνῃ. Verum hoc erat tolerabile. Ego malim referri ad pellicientes, ut particula τοὺς ἐν πλάνῃ, pendeat à participio ἀποφυγόντας, si modo patitur sibi iungi casum accusandi. Itaq; sensus erit, Pelliciunt eos inescatos uoluptate, qui uel paululũ cœperint refugere ab ipsis, in hoc errantibus, quod ipsi serui turpitudinis pollicentur alijs libertatem. Porrò quod hic uertit corruptionis, Græcis est φθορᾶς, quod ante uerterat perniciem, hic Latinius erat corruptelæ.

Huius & seruus est.) τότῳ καὶ δεδούλωται, id est, Huic etiam in seruitutem addictus est.

Facta sunt eis &c.) τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων, id est, Postrema deteriora primis.

Non cognoscere.) μὴ ἐπεγνωκέναι, id est, Non cognouisse.

In uolutabro luti.) εἰς κύλισμα βορβόρου, id est, Ad uolutationem cœni, ut subaudias, reuersa. Hieronymus in epistola ad Furiam citat, Ad uolutabrum. Et Ambrosius ad uirginem deuotam, Velut sus lota iterũ in uolutationẽ. Exemplar Constantiense uetustius tenebat uestigium germanæ lectionis, sed erasor ex uolutabrum fecerat uolutabro.

EX CAPITE TERTIO.

Hanc ecce.) ταύτην ἤδη, id est, Hanc iam. Interpres legisse uidetur ἰδού.

In quibus.) ἐν αἷς. Mirum est Laurentium non fuisse offensum hac sermonis forma, epistolam in quibus. Beda sensit aliquid. Eoq; scribit, in quibus epistolis, siue in eis ad quos scribit. Atqui hoc posterius non consistit, quum αἷς sit generis fœminini. Ad epistolam igitur referendus articulus. Sed reclamat numerus. Is scrupulus facile discutitur. Etenim quum dicit alteram epistolam, duarũ meminit, ἐν αἷς igitur ad utrãq; pertinet epistolam, priorem ac posteriorem.

In cõmonitione.) Nõnulli codices habebant, ἐν ἐπιγνώσει, id est, In cognitione.

Quæ prædixi uerborum.) τῶν προῤῥηθέντων ῥημάτων, id est, Prædictorum uerborum, siue uerborum quæ prædicta sunt à prophetis.

Duplex sensus.

Vestrorum præceptorum.) ἐντολῆς, id est, Præcepti, numero singulari. Potest autem duplex esse sensus. Quanq; alter ab altero minimum deuariat, Præcepti nostri qui sumus apostoli domini ac seruatoris, Ac præcepti dñi & seruatoris, quod per nos illius apostolos, accepistis: ut intelligas additum τοῦ κυρίου, propter autoritatem præcepti. Nam apostolus alterius nomine refert quod refert. Obtestor conscientiã tuam lector, quis ex hac uersione percepturus erat mentẽ scriptoris: ut memores sitis eorũ quæ prædixi, uerborum à sanctis prophetis & apostolorum uestrorũ præceptorum domini & saluatoris.

In deceptione.) Apud Græcos non lego.

Ab initio creaturæ.) κτίσεως, id est, Conditionis siue creationis.

Latet enim eos hoc uolẽtes.) Id est, uolentes, & sponte hoc nescĩt, hoc est scire nolũt.

Cœli erant prius.) ἐκπάλαι, id est, Olim. Hic Beda indicat duplicem lectionem, alterã quam habemus, alteram huiusmodi. Cœli erant olim de aqua & per aquam constituti, quæ sanè lectio congruit cum Græcis exemplaribus.

Ille tunc mũdus.) ὁ τότε κόσμος, id est, Qui tũc erat mundus, aut illorũ temporũ mũdus.

Patienter agit.) μακροθυμεῖ, id est, Longanimis est, ut ad uerbum reddam.

Ad pœnitentiam re.) χωρῆσαι, id est, Recipere siue capere, aut complecti. Quãquàm

χωρεῖν

χωρεῖν sonet etiam ire siue incedere.

Sicut fur.) Hic additū est in Græcis codicibus, ἐν νυκτί, id est, In nocte, ex euangelio opinor. Dissoluenda sunt.) λυομένων, id est, Cum dissoluantur.

Festinantes in aduentum.) σπεύδοντας τὴν παρουσίαν, id est, Accelerantes aduentum.

Per quem cœli.) Quem, ad diem refertur, non ad dei aut domini, siue quod Lyranus indicat ad aduentum, Nam Græce est ᾗ ἡμέρᾳ.

Ignis ardore.) καυσούμενα, id est, Aestuantia. Idem uerbum paulo superius uertit, calore, καυσούμενα λυθήσονται.

Tabescent.) τήκεται, id est, Liquescunt, præsentis temporis, quum tamen præcedat λυθήσονται, nisi præsentis temporis catachresis est uice futuri.

Et promissa.) κατὰ τὴν ἐπάγγελμα, id est, Iuxta promissum.

In quibus iustitia.) ἐν οἷς. In quibus, referri potest uel ad cœlos ac terram, uel ad expectantes. At mihi quidē aptius referri uidetur ad nos, qui expectamus nouos cœlos ac terram nouam, si iuste uiuamus, ut mereamur frui nouitate creaturæ.

Immaculati & inuiolati.) ἄσπιλοι καὶ ἀμώμητοι, id est, immaculati & irreprehensibiles siue incontaminati. Miror unde hic inuiolati uocabulum uenerit in mentem interpreti. Nisi quod inuiolata dicitur uirgo incorrupta.

Depranant.) στρεβλοῦσι, id est, Detorquent.

Custodite.) φυλάσσεσθε, id est, Obseruate siue cauete.

Ne insipientium &c.) τῇ τῶν ἀθέσμων πλάνῃ συναπαχθέντες, id est, Nefariorum errore abducti. Miror quid legerit interpres qui uertit insipientium. Nec est simpliciter abducti, sed συναπαχθέντες, hoc est simul abducti cū alijs. Augustinus libro de ciuitate dei xx. cap. xviij. totum fermè hoc caput ad hunc adducit modum: Venient in nouissimo dierum illusione illudentes, secundum proprias concupiscentias suas euntes, & dicentes, Vbi est promissum præsentiæ ipsius? Ex quo enim patres dormierunt, sic omnia perseuerant ab initio creaturæ. Latet enim illos hoc uolentes, quia cœli erant olim, & terra de aqua, & per aquam constituta dei uerbo, per quem qui tunc erat mundus, aqua inundatus deperijt. Qui autem nunc sunt cœli & terra, eodem uerbo repositi sunt, igni reseruandi in die iudicij, & perditionis hominum impiorum. Hoc unum uero nō lateat uos fratres charissimi, quia unus dies apud dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Non tardat dominus promissum suum, sicut quidam tardantem existimant, sed patienter fert propter uos, nolens aliquem perire, sed omnes in pœnitentiam conuerti. Veniet autem dies domini ut fur, in quo cœli magno impetu transcurrent, elementa autem ardentia resoluentur, & terra & quæ in ipsa sunt opera resoluentur. His ergo omnibus pereuntibus, quales oportet esse uos in sanctis conuersationibus, expectantes & properantes ad præsentiam diei domini, per quam cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore decoquentur. Nouos uero cœlos, & terram nouā, secundū ꝓmissa ipsius expectamus, in quibus iustitia inhabitat. Hactenus Petri apostoli uerba retulimus, partim ut ex collatiōe sensus esset dilucidior, partim, ut appareret quātope Augustini lectio ab hac nostra dissideat ædītione. De hac quoq; secunda Petri epistola, cuius esset, cōtrouersia erat. Id testat̄ Hieronymus in catalogo scriptorū illustriū, his qdē uerbis: Scripsit duas epistolas, quæ canonicæ nomināt̄, quarū secūda à plerisq; eius negat̄, ꝓpter stili cū priore dissonātiā. At idē alibi uariat, nūc uolēs eā esse Petri, & stili dissonantiā reꝯciens in interpretē, quo tum Petrus sit usus, nūc negans illius esse, quod reclamet stilus. Eusebius lib. iij. cap. ij. sic testatur de hac epistola, Verū Petrus apostolus prædicatiōis suæ monimēta nobis ꝓpauca reliqt. Vna em̄ eius epistola est, de qua nullus omnino dubitat. Nā de secūda multis incertū est, apud plurimos tñ etiā ipsa legēda suscipitur. Stili discrimē tū in uerbis tū in sensibus clarius est q̄ ut possit dissimulari. Proinde quū hic testet̄ se fuisse spectatorē uisiōis in monte: deinde mentionē faciat superioris epistolæ, postremo Paulū appellet fratrē, mihi nō displicet quod adfert Hieronymus de interprete. Nam in euāgelio tradunt Marcū Petri interpretē fuisse. Alioqui suspicari cogeremur, aliquē has notas studiose infulsisse, quo Petro apostolo assereret. Quemadmodum fecit is qui titulo Clementis multa conscripsit.

Annotationū, in epistolam Petri secundā per Des. Erasmū Roterodamū, finis.



VOD fuit.) ὃ ἦν, Id quod erat, quemadmodum uerterat in Euangelio, In principio erat uerbum.

Contrectauerunt.) ἐψηλάφησαμ. Quod diuus Hieronymus fermè citat, palpauerunt. Idem uerbum uertit, palpate & uidete. Lucæ xxiiij. Potest aũt hic sermo trifariam distingui. Vno modo, ut principale cõma præcedat hanc partem, Et manus nostræ contrectauerunt &c. Id quod erat ab initio, quodq; audiuimus ac uidimus ac perspeximus de sermone uitæ, idem etiam manibus contrectauimus. Altero sic, ut post hyperbaton redeat ad id qd' instituerat dicere. Quod uidimus, inquã, & audiuimus, annunciamus uobis. Tertio modo ut principale cõma sit, post uidimus, ut hic sit sensus. Quod erat ab initio uerbum, sicut audiuimus auribus, uidimus oculis, nec simpliciter uidimus, sed multo tempore cum illo uersati, spectatores fuimus, quin & manibus contrectauimus uerbum uitæ, uita enim nostra quæ prius latebat, exposita fuit sensibus corporis, itaq; licuit uidere. Quod igitur tot modis compertum habemus, id etiam testificamur & annunciamus uobis. Deinde more suo repetit quod dixerat, Quod uidimus & audiuimus annunciamus uobis. Contextus orationis ferè conuenit cum euangelico, Quod erat ab initio, repetit in fine periodi, quæ erat apud patrem. Illud admonẽdus lector Græci sermonis ignarus, in primo ac tertio loco, uidimus esse ἑωρά καμεν, in medio esse ἐθεασάμεθα, illud est simpliciter uidere, hoc spectare & cõtẽplari, uelut in hoc expositũ. Et societas nostra sit.) Ὁ ἡ κοινωνία δὲ ἡ ἡμετέρα, id est, Et societas uero nostra. Necq; additur apud Græcos, sit: aptius autem subaudietur, est.

Vt gaudeatis.) Græce tantum est, ut gaudium uestrum sit plenum, siue impletum. Suffragabatur Græcis uetustius exemplar Constantiense. cui hoc magis habeo fidem, quod is qui scripsit indoctior fuit, cẽq; ut posset aliquid deprauare. Nec aliter adducit in cõmẽtarijs Augustinus ac Beda. Quãcq; ille legit nostrũ gaudiũ nõ uestrũ, sed refragãtibus Græcis codicibus, quos qdẽ adhuc uiderim. Alioqui mihi nõ displiceret, pnomen primæ pſonæ. Et hæc est annũciatio quã audiuimus.) Græcis est ἐπαγγελία, qd' magis sonat, pmissionẽ, cẽq; ἐπαγγέλλω uox anceps est. Apud Græcos sunt quatuor uoces diuersæ, quas interps eodẽ modo reddidit. Prima est καταγγέλλομεν, secũda ἐπαγγέλλομεν, tertia ἀναγγέλλομεν, quas uertit annũciamus, quarta ἐπαγγελία, quã uertit annũciationẽ. Mihi nõ displicet promissionis uerbũ, nisi quod parum apte cohærent quæ sequunt, quod deus lux est, & tenebræ in eo nõ sunt ullæ. Hic nõ fit mentio, pmissionis, nisi torqueas. Sed quod filius annũciauit à patre, hoc apostolus acceptũ à filio renũciat nobis. Nã id, pprie sonat ἀναγγέλλω. Siqdem illud quoniã, nõ est cõiũctio causæ, sed εἰδική. Quid annũcias? deũ esse lucem. Multis præterea locis hoc capite ὅτι reddit per quoniam & quia.

EX CAPITE SECVNDO.



Duocatũ habemus. παράκλητον ἔχωμεν, i. Patronũ habeamus. Quãcq; hic uariãt exẽplaria Græcorũ, uetustius exẽplar Cõstantiẽse cõsentiebat cũ Græca lectione. Qui dicit se nosse deũ.) ὁ λέγων, ἔγνωκα αὐτόν, i. Qui dicit, noui eũ. In Christo manere.) Græce est, in eo. Cõsentiebat exẽplar Cõstantiense, & Augustinus. Quod audistis.) Addũt Græci, ἀπ' ἀρχῆς, i. Ab initio, in posteriore parte. Iterũ mãdatũ nouũ.) πάλιν aptius reddidisset rursus, aut cõtra. Nam Græca uox & cõtrarietatẽ declarat & iterationẽ. Hic aũt nõ repetitionis, sed cõtrarietatis est declaratio. Et in ipso & in uobis.) Prius & redundat.

Tenebræ transierũt.) παράγεται, i. Transeunt. Quod uerũ est, ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἐν αὐτῷ καὶ ἐν ὑμῖν, id est, Id quod uerum est in illo, idem uerũ est & in uobis. Nec enim apud Græcos, quod, referri põt ad mandatũ. Scribo uobis infantes.) παιδία, id est, Pueri siue filioli, sed melius pueri. Scribo uobis patres.) Hic Græce est ἔγραψα, id est, Scripsi: ac mirum est eandẽ particulã quæ ad patres ptinet, repeti cũ reliquarũ nulla repetatur. Qua tñ in re

Latini

Latini codices uariãt. In uetuſtiſſimo Cõſtantienſi ſic habebatur, Scribo uobis filioli, quoniã remittũtur uobis peccata, ꝓpter nomẽ eius. Scribo uobis patres, quoniã cognouiſtis eũ qui ab initio eſt. Scribo uobis adoleſcẽtes, quoniã uiciſtis malignũ, Scribo uobis infantes, qm̃ cognouiſtis patrẽ, Scribo uobis patres, quia cognouiſtis eũ q ab initio eſt, Scribo uobis adoleſcẽtes, quia fortes eſtis, & uerbũ dei in uobis manet, & uiciſtis malignum. In hac lectione eadem particula bis ponitur, Scribo uobis patres, quia cognouiſtis eũ qui ab initio eſt. Conſentiebat exemplar Baſilienſe, niſi quod poſtremo loco nõ erant adoleſcentes ſed iuuenes. At in altero Conſtantienſi erant hic quoq; adoleſcentes, niſi quod raſor ille ex adoleſcentibus fecerat iuuenes. Aberat tamen particula de patribus iterata, quæ conſtanter habetur in Græcis codicibus, & recitatur ab Auguſtino, qui nõ diſſimulat ite rationem. Aſſcribit enim, Cõmendat & repetit. Hoc admoniſſe retulit, quod in pleriſq; uulgatis æditionibus, temerarij ſuſtulerunt hanc particulam. Illud annotandum, Auguſtinus pro adoleſcentes legit iuuenes. Et quanquam pleriq; Latinorum codices priore loco habent adoleſcentes, poſteriore iuuenes, tamen apud Græcos eadem eſt dictio νεανίσκοι. Obganniet hic forte moroſulus aliquis, ἄπαγε iſtas minutias. Imò ad has impingere poſſet etiam oculatus theologus, Græcarum literarũ ignarus. Quum enim addit quoniam fortes eſtis, ſubindicare uidetur robuſtiorem ætatem quàm ſit adoleſcẽtum. Ipſe prorſus in hoc fuiſſem philoſophatus, niſi Græca lectio doceret nihil eſſe nouæ ſentẽtiæ, ſed prioris inculcationem. Quod aũt diminutiuũ eſt νεανίσκοι pro νέοι ſiue νεανίαι, abuſus eſt uocis. Iam in prima parte filioli, non eſt παιδία, ſed τεκνία Rurſus quod eſt infantes Græcus habet παιδία, quum infans Græcis dicat̃ βρέφος aut νήπιος. Tres igitur diſtinguit ætates, puerorum iuuenum & ſenum, & unamquanque bis ponit, niſi quod in pueris mutat uocabulum, in patribus ac iuuenibus nequaquam. Tribuit autem cuiq; quod congruit, Pueri per inſcitiam labuntur. His igitur condonãtur peccata. Idem aliquando per ætatem nec parentes agnoſcunt ſuos, Ideo gratulatur ijs, quod cognoſcunt patrem cœleſtem. Senes meminerunt antiqua priſcaq;, Nihil autem patre illo antiquius. Iuuenes ſolido ueſcentes cibo, ualent robore. Ideo dicuntur uincere diabolum, & habere uerbum dei in ipſis manens, ex hoc enim cibo robur eſt iuuentutis euangelicæ. Iam quod apud Græcos in poſtrema particula habetur ἔγραψα, quũ in cæteris habeatur γράφω, puto nihil ad ſenſum referre. Non præteribitur & illud in coniunctione ὅτι eſſe nonnihil amphibologiæ, quod hic ſenſus accipi poteſt. Ideo ſcribo uobis quod uobis remittũtur peccata: aut hic, Hoc ipſum ſcribo uobis, quod uobis remittuntur peccata.

Viciſtis malignum.) τὸν πονηρὸν, id eſt, illum malum, nimirũ Satanam. Nam malign latine loquentibus dicitur inuidus parumq; candidus.

Omne quod in mundo eſt.) Secus Græci diſtinguunt atq; nos, quanq; ſenſus eſt idẽ ὅτι πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἀλαζονία τοῦ βίου, οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ πατρός, id eſt, Quicquid eſt in mundo, uidelicet, concupiſcentia carnis & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ, non eſt ex patre. Interpres conatus eſt dilucidius reddere & reddidit obſcurius, Quum enim dicat, quæ non eſt ex patre, uidetur ſola uitæ ſuperbia non eſſe ex patre. At iuxta diuum Auguſtinum, tria dicit, quæ nõ ſunt ex patre. Primum pertinere uidetur ad uoluptates, ſecundum ad oſtentationem imaginũ & nobilitatis, tertium ad dignitates mundanas.

Superbia uitæ.) ἡ ἀλαζονία τοῦ βίου, id eſt, Faſtus ſiue ſtrepitus uitæ, ſeu facultatũ: nã βίος utrũq; ſignificat. Neq; em̃ hic eſt ζωὴ quæ uox declarat uitã qua ſpiramus, βίος ſignificat uictũ & omnes facultates ad uitæ uſum pertinẽtes, & uitæ genus, & ipſam uitam, unde μακρόβιοι, & βιωτικὰ Paulus appellat quæ ad corporis ſubſidium pertinẽt.

Antichriſtus uenit.) Venit, præſentis temporis eſt, ἔρχεται, aut certe futuri.

Nunc Antichriſti.) Νῦν, id eſt, Et nunc, id eſt, nunc quoq; ſunt pro uno multi. Nec eſt ſunt, ſed γεγόνασι, id eſt, facti ſunt, hoc eſt, cœperunt eſſe.

Ex nobis prodierũt.) ἐξῆλθον, id eſt, Exierunt: quũ em̃ ſignificatur defectio à cõmunione non origo, nõ apte quadrat prodierũt. Exierũt legit Auguſtinus.

Nouiſſima hora.) Græci horam ponunt aliquãdo pro tempore.

Quaſi ignorantibus.) ὅτι οὐκ οἴδατε, id eſt, Quod non cognouiſtis.

Et

Et quoniam omne mendacium.) Hoc apud Græcos non est separatum, sed pendet ex superioribus, Scripsi uobis non quasi nescientibus ueritatem, sed scientibus eam, & quod omne mendacium ex ueritate non est, id est, hoc quoq; scientibus, nullum mendaciū esse ex ueritate.

Qui confitetur, filium & patrem habet.) Hæc non reperio in Græco codice, ne in Aldina quidem æditione.

Quam promisit nobis.) Rectius erat, Qua promisit nobis uitam æternam. Est enim idioma Atticum, promisit promissionem.

Sicut unctio eius.) ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα, id est, Sicut ipsa unctio. Augustinus certe legit manete in ipsa, cæterq; hic legit unctio ipsius.

Manete in eo.) Augustinus legit in ipsa, ut referat ad unctionem. Græci codices habent μενεῖτε, id est, manebitis. Cum meis exemplaribus consentiebat æditio Hispaniensis & aldina.

Non confundamur ab illo.) Sensus esse potest, ut illum non pudeat nostri.

EX CAPITE TERTIO.

Videte qualem.) ἴδετε. Anceps est, an sit uidetis, an uidete, neq; magni refert ad sententiam.

Nominemur & simus.) Et simus, apud Græcos non additur. Adiectum uidetur ne quis parum esse putaret nominari, quod indicat Augustinus ita scribens. Nam qui uocantur & non sunt quid prodest illis nomen? Verum hic loquitur de nomine quod à deo tribuitur. Hic nō est discrimen inter dici & esse.

Non nouit nos.) ὑμᾶς, id est, Vos, secundæ personæ.

Sanctificat se sicut.) ἁγνίζει, id est, Purificat.

Sicut & ille sanctus.) ἁγνός, id est, Purus & castus.

Et iniquitatem facit.) Et pro etiam dictum est, ut sit sensus, Quisquis cōmittit peccatum, idem cōmittit iniquitatem.

Non uidit eum nec cognouit.) οὐδὲ ἔγνωκεν, neq; nouit. Græca uox significat actū inhærentem, Sed deterius est quod quidam habēt sciuit eum.

In hoc ap.) εἰς τοῦτο, id est, Ad hoc, siue in hoc, ut sit accusatiui casus.

Omnis qui non est iustus.) πᾶς ὁ μὴ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην, id est, Omnis qui nō facit iustitiam. Fratris autem eius.) Subaudiendum, opera, τὰ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ.

In hoc cognouimus charitatem dei.) Dei, redundat iuxta Græcum codicem, licet addatur paulo inferius.

Suadebimus corda nostra.) πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν, Augustinus legit persuademus cordi nostro, quasi dicas satisfacimus cordi nostro. Cor enim interpretatur cōscientiam. Græca uox πείθω quū significat suadendo flectere, nōnunq; habet accusandi casum, quū obtemperare, dandi tātum. Vsus est hac uoce Paulus similiter ad Galatas primo. Modo enim homines persuadeo an deum. Quidam uetustus codex pro persuademus habebat custodimus, Consentiebat alter Constantiensis.

Si reprehenderit nos cor nostrum.) ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία. Potest accipi, si condemnarit nos cor nostrum.

Si cor nostrum nō reprehenderit nos.) μὴ καταγινώσκῃ. Mirum quid sequutus Augustinus hic legat, Si cor male non senserit, Nam hoc interpretatur etiam.

De spiritu.) ἐκ τοῦ πνεύματος, id est, Ex spiritu. Hoc autem ita dictum est, ut quum ita loquimur, bibo de uino tuo, pro eo quod erat, bibo uinum tuum.

EX CAPITE QVARTO.

Omni spiritui.) Latinius erat, cuiuis spiritui, hoc est sine delectu, & si positum est pro, an, siue, num, an ex deo sint.

Græca dissonant à nostris

In hoc cognoscitur.) γινώσκετε, id est, Cognoscitis, siue cognoscite. Interpres legisse uidetur γινώσκεται.

Et omnis spiritus qui soluit Iesum ex deo non est.) Hanc particulam non reperio in Græcis codicibus quos ego sanè uiderim, sed pro eo sic habetur, καὶ πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ θεοῦ οὐκ ἔστι, id est, Et omnis spiritus qui nō confitetur

cõfitetur Christũ in carne ueniſſe,ex deo non eſt.Hiſtoria tripertita indicat hunc locũ ab hæreticis deprauatũ.Ego magis ſuſpicor hanc particulã additã aduerſus hæreticos:quorũ alij Chriſto ſic tribuebãt humanã naturã,ut adimerent diuinã, alij ſic tribuebãt diuinã, ut adimerent humanã.Alij ſemihominẽ eſſe uolebant,ſic tribuentes corpus humanũ, ut negarent illi fuiſſe animã humanã.Certe quod Græci legunt,magis cõgruit cum phraſi Ioannis apoſtoli,cui peculiare eſt contrariã ſententiã ſuccinere priori,quo magis infigat animis quod dictũ eſt.Quod genus ſunt illa:Qui credit in filiũ dei,habet teſtimoniũ dei in ſe.Qui uero nõ credit filio &c.Ac mox,Qui habet filiũ dei,habet uitam,qui nõ habet filiũ dei,uitã non habet.Qui cõfitetur ex deo eſt,qui non cõfitetur ex deo non eſt.Et huiuſmodi figuris totus huius ſermo ſcatet.Cyprianus libro aduerſus Iudæos ſecundo cap. vij.refert hunc locũ iuxta Græcorũ lectionẽ:Omnis ſpiritus qui confiteꝛ Ieſum Chriſtũ ueniſſe in carne,de deo eſt.Qui autem negat eum in carne ueniſſe de deo non eſt, ſed de Antichriſti ſpiritu.Apud Auguſtinum in homilijs,quibus enarrat hanc epiſtolam in contextu qui præferꝛ cõmentariolo,citaꝛ hic locus quẽadmodũ legũt Græci & Cyprianus. Et tñ in fine interpretaꝛ & hoc:omnis ſpiritus qui ſoluit Chriſtum nõ eſt ex deo,ut appareat hanc particulam fuiſſe in illius codice tertiam,quaſi legerit:Omnis qui cõfiteꝛ, omis qui nõ confitetur,omnis qui ſoluit,aut certe tum temporis uariaſſe lectionẽ eccleſiaſticã, & Auguſtinũ neutram uoluiſſe præterire.In neutro codice Cõſtantienſi addebatur. Sed hac de re ſit ſuum cuiq; liberum iudiciũ,ego quod in Græcis codicibus reperi trado, nec probans,nec improbans diuerſam lectionem.

Et hic eſt antichriſtus.) καὶ τοῦτο ἐστὶν τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, id eſt, Et hic eſt ille Antichriſti, ut ſubaudias ſpiritus.Mecum facit Cyprianus quem paulo ante citauimus.

De quo audiſtis qm̃ uenit.) ὅτι ἔρχεται,id eſt,quod uenturus eſt.Ita legit Auguſtinus.

Et uiciſtis eum.) Eos eſt Græcæ,αὐτούς.Græcæ lectioni ſuffragabaꝛ uterq; codex Conſtãtiẽſis, niſi quod in recẽtiore,ueſtigia deprauatoris teſtabanꝛ ex eos,factũ fuiſſe eũ. Auguſtinus legit eũ,& interpretaꝛ.Cæterũ αὐτοὺς referꝛ ad duos,Antichriſtũ & mundum.

De mundo loquuntur.) ἐκ τοῦ κόσμου λαλοῦσι, id eſt,Ex mundo loquuntur. Non enim eſt ſenſus,eos loqui de mundo,ſed ex affectu mundi cuius ſunt.Sicut in euangelijs annotatum eſt, Qui de terra eſt,de terra loquitur.

In hoc cognoſcimus.) ἐκ τούτου, id eſt,Ex hoc.

Quoniam ipſe prior.) Prior,non eſt in Græco codice.Cui conſentiebat uetuſtius exẽplar Cõſtantienſe,niſi quod recentior aliquis in ſpatio aſſcripſerat prior,ceu ſcholij uice. Nobiſcum facit & Auguſtinus.Propitiationẽ pro peccatis noſtris.Beda admonet, opinor & Auguſtinus in quibuſdam uice huius uocis propiciationẽ eſſe litatorem.Litat autem qui ſacrificio placat.Auguſtinus interpretatur ſacrificationem.

Si deus dilexit nos.) εἰ οὕτως,id eſt,Si ſic deus dilexit nos.

In hoc cognoſcimus qm̃ in eo manemus & ipſe in nobis quoniam.) ὅτι utrobiq; eſt ἐν τούτῳ, Per hoc cognoſcimus nos in illo manere,& illũ in nobis,qđ de ſpũ ſuo dedit nobis.

De ſpiritu ſancto ſuo.) Sancto redundat.Conſentiebat utrũq; uolumen Cõſtantienſe.

Et credidimus charitati.) Græce eſt,charitatem.

Timor pœnam habet.) κόλασιν, id eſt,pœnã ceu potius punitionẽ aut cruciatum.Auguſtinus legit tormentum:ubi enim timor,ibi non eſt tranquilla cõſcientia.

Nos ergo diligamus deum.) αὐτὸν, id eſt,Eum,non deum.

Quoniam deus prior.) ὅτι αὐτὸς πρῶτος, id eſt,Quoniam ipſe prior, ſiue primus.

Quem uidet,deum quẽ nõ uidet.) Vtrobiq; Græcis eſt ἑώρακε,id eſt,uidit.Nec eñ neceſſe eſt uidere ut diligas,ſatis eſt uidiſſe,ut cognoſcas.Nihil aũt amaꝛ niſi cognitum.

Habemus à deo.) ἀπ' αὐτοῦ, id eſt, Ab eo.

EX CAPITE QVINTO.

Cum deum diligamus.) Cum deum dilexerimus,ſiue diligimus.

Et mandata eius faciamus.) τηρῶμεν,id eſt,Seruauerimus,ſiue ſeruemus.

Quoniam Chriſtus eſt ueritas.) ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, id eſt,Quod ſpiritus eſt ipſa ueritas. Veritas eſt,Hebraice dixit, pro uerax eſt. Caro fallax, ſpũs neſcit mẽtiri.In rebus uiſibilibus fucus eſt,in rebus æternis ueritas eſt.

Spiritus, pro deus.

Tres

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo.) In Græco codice tantum hoc reperio de testimonio triplici, ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα, id est, Quoniam tres sunt qui testificantur, spiritus, & aqua, & sanguis. Diuus Hieronymus prælo/quens in epistolas canonicas, suspicatur hunc locum fuisse deprauatum, à Latinis interpretibus, & à nonnullis omissum fuisse testimonium patris, filij, & spūs sancti. Et tamen iuxta nostram æditionem adducit hunc locum Cyrillus in opere, cui titulum fecit de thesauro, libro xiiij. capite penultimo: Rursum, inquit, Ioannes in eadē epistola ait: Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit quia Iesus est filius dei? Hic uenit per aquā & sanguinem & spiritum Iesus Christus, nō in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testimonium perhibet. Spiritus enim ueritas est. Quia tres sunt qui testimonium perhibent spūs aqua & sanguis, & hi tres unum sunt. Si testimoniū hominū accipimus, testimonium dei maius est &c. Hactenus Cyrillus, uir ni fallor orthodoxus. Atque hic cum dimicet aduersus Arianos, plurimaq; in illos congerat è diuinis libris testimonia, probabile non est illum omissurum fuisse telum, quo maxime confici poterant illi, si aut scisset aut credidisset hoc fuisse scriptum ab apostolo. Iam Beda locum hunc diligenter enarrās cum accurate multisq; uerbis exponat testimonium triplex in terra, nullam mentionem fecit testimonij in cœlo patris uerbi & spiritus. Nec huic tamen uiro defuit omnino linguarum peritia, nec in obseruandis antiquis exemplaribus diligētia. Imò ne hoc quidem addit in terra, duntaxat in codice manu descripto, tantum legit: Tres sunt qui testimoniū dant. In codice qui mihi suppeditatus est è bibliotheca minoritarū Antuerpiensiū, in margine scholium erat asscriptum de testimonio patris uerbi & spiritus, sed manu recētiore, ut consentaneum sit hoc adiectum ab erudito quopiam, qui noluerit hanc particulā prætermitti. Sed urgemur autoritate Hieronymi, quam equidē nolim eleuare, quanq; ille sæpenumero uiolentus est, parumq; pudens, sæpe uarius parumq; sibi constans. Tamen nō satis uideo, quid sibi uelit hoc loco Hieronymus. Verba ipsius subscribam: Sed, inquit, sicut euangelistas dudum ad ueritatis lineam correximus, ita has proprio ordini deo iuuāte reddidimus. Est enim prima earum una Iacobi, duæ Petri, & tres Ioannis, & Iudæ una. Quæ si sicut ab eis digestæ sunt, ita quoq; ab interpretibus fideliter in Latinū uerterētur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese uarietas impugnaret, illo præcipue loco ubi de unitate trinitatis in prima Ioānis epistola positum legimus, in qua etiam ab infidelibus, translatoribus multū erratū esse à fidei ueritate comperimus, trium tantūmodo uocabula, hoc est aquæ sanguinis & spiritus in ipsa sua æditione ponentibus, & patris uerbiq; ac spiritus testimonium omittentibus: in quo maxime & fides catholica roboratur, & patris ac filij & spiritus sancti, una diuinitatis essentia comprobatur. Hactenus Hieronymi uerba retulimus, ex quibus liquet Hieronymū nihil queri de codicibus Græcis, sed tantū de ijs, qui Græca Latine uerterūt. At nūc in Græcis codicibus hoc potissimū deest, quod omissum queritur, & habetur in codicibus Latinis licet non omnibus. Sed unde Hieronymus castigauit errorē interpretum? Nimirū è Græcis exemplaribus. Sed illi aut habebant, quod nos uertimus, aut uariabant. Si uariabant, quē admodū & Latina, quonam argumento docet utrū sit rectius utrumue scriptū sit ab apostolo: præsertim cū quod reprehendit, tum haberet publicus usus ecclesiæ? Quod ni fuisset, non uideo qui possint habere locum quæ sequuntur: Sed tu uirgo Christi Eustochiū, dum à me impensius scripturæ ueritatem inquiris, meam quodammodo senectutem inuidorum dentibus corrodendam exponis. qui me falsarium corruptoremq; sacrarū, pnūciant scripturarum. Quis eū clamasset falsarium, nisi publicam mutasset lectionē? Quod si apud Græcos legit Cyrillus, quod nūc habent Græci codices, si apud nos Augustinus ac Beda, aut tantum hoc legit, aut utrūq; legit, non uideo quid adferat argumenti Hieronymus, quo docet germanam esse lectionē, quam ipse nobis tradit. Sed dicet aliquis: Erat hoc efficax telum aduersus Arianos. Primum cum cōstet & apud Græcos & apud Latinos olim uariasse lectionem, nihil hoc telum aduersus illos ualebit, qui sine dubio pari iure sibi uindicabant lectionem, quæ pro ipsis facit. Sed finge non esse cōtrouersam lectionem, cum quod dictum est de testimonio aquæ, sanguinis & spiritus, unum sunt, referatur nō ad eandē naturā, sed ad consensum testimonij, an putamus Arianos tam stupidos

pidos futuros, ut non idem hoc loco interpretentur, de patre, uerbo & spiritu: præsertim cum simili loco uiri sic interpretentur orthodoxi in libris Euangelicis, nec hanc interpretationem reijciat Augustinus cum Ariano Maximino disputans: imò cum hūc ipsum locum sic interpretetur fragmētum glossæ ordinariæ, in uersuum interuallo additum: Vnū sunt, inquit, id est, de re eadem testantes. Hoc non est confirmare fidem, sed suspectam reddere, si nobis huiusmodi lemmatis blandiamur. Fortasse præstiterat hoc pijs studijs agere, uti nos idem reddamur cum deo, quàm curiosis studijs decertare quomodo differat à patre filius, aut ab utroq; spiritus. Certe ego quod negant Ariani, nō uideo posse doceri, nisi ratiocinatione. Postremo cum totus hic locus sit obscurus, nō potest admodum ualere ad reuincendos hæreticos. Sed hac de re copiosius respondimus calumniatori per apologiam. Illud addam, cum Stunica meus toties iactet Rhodiensem codicem, cui tantū tribuit autoritatis, mirū non hic adduxisse illius oraculum, præsertim cum ita ferè cōsentiat cū nostris codicibus ut uideri possit Lesbia regula. Verūtamē ne quid dissimulem repertus est apud Anglos Græcus codex unus, in quo habetur quod in uulgatis deest. Scriptū est em̄ hunc ad modū, ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, πατὴρ, λόγος, καὶ πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν. καὶ τρεῖς εἰσὶν μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ πνεῦμα, ὕδωρ, καὶ αἷμα εἰς τὸ μαρτύριον τοῦ ἀνθρώπου &c. Quanquàm haud scio an casu factum sit, ut hoc loco nō repetatur, quod est in Græcis nostris, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. Ex hoc igitur codice britannico reposuimus, quod in nostris dicebat deesse: ne cui sit ansa calumniandi. Tametsi suspicor codicē illū ad nostros esse correctū. Duos consului codices miræ uetustatis Latinos in bibliotheca quæ Brugis est diui Donatiani. Neuter habebat testimoniū patris uerbi & spiritus. Ac ne illud quidē in altero addebatur, In terra. Tātum erat, Et tres sunt qui testimoniū dant, spiritus aqua & sanguis. In exemplari Constantiensi utroq;, post testimonium, aquæ, sanguinis & spiritus, adiectū erat testimoniū patris, uerbi, & spiritus, his uerbis, Sicut in cœlo tres sunt, pater, uerbum, & spiritus, & tres unum sunt. Nec erat additum, testimonium dant, nec pronomen hi. In codice quē exhibuit publica bibliotheca scholæ Basiliensis, nō erat, testimoniū spiritus, aquæ & sanguinis. Ad hæc Paulus Bombasius uir doctus & integer, meo rogatu locū hunc ad uerbum descripsit ex bibliothecæ uaticanæ codice peruetusto, in quo non habebatur testimoniū patris, uerbi, & spiritus. Si mouet autoritas uetustatis, liber erat antiquissimus, si Pontificis, ex illius bibliotheca petitū est testimoniū. Cum hac lectione consentit æditio Aldina. Quid Laurentius legerit non satis liquet. Interea perlata est ad nos æditio Hispaniensis, quæ dissidebat ab omnibus. Habet enim hunc in modum, ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, καὶ ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, καὶ τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα. Primum in hoc dissonat exemplar quod ex eadem ni fallor bibliotheca petitum sequuti sunt Hispani, ab exemplari Britannico, quod hic adduntur articuli, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, τὸ πνεῦμα, qui non addebantur in Britannico. Deinde quod Britannicum habebat οὗτοι οἱ τρεῖς, Hispaniense tantū, καὶ οἱ τρεῖς, quod idē fit in spiritu, aqua, & sanguine. Præterea quod Britannicum habebat ἕν εἰσι, Hispaniense εἰς τὸ ἕν εἰσι: postremo quod Britannicum etiā in terræ testimonio adijciebat, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, quod non addebatur hic duntaxat in æditione Hispaniensi. Equidē arbitror illud εἰς τὸ ἕν, esse ex idiomate sermonis Hebraici, Ego ero illi in patrem, non potest aliud sonare, quàm ero illi pater. Iam Hispaniensis æditio scholiū è decretalibus adiecerat, quod diuo Thomæ tribuitur, Id declarat iuxta codices emendatos, in testimonio spiritus, aquæ, & sanguinis, non addi, & hi tres unum sunt, Verum id adiectū uideri ab ijs qui fauebant Ariano dogmati. Nam si hic adderetur, nō posset exponi nisi de consensu testimonij, quando natura non possunt unū dici, spiritus, aqua, & sanguis. Ex hoc cōsequeretur, & illud quod præcessit de patre & filio & spiritu sancto, & hi tres unum sunt, accipi posse de consensu charitatis ac testimonij. Nūc his uerbis Ioannes asseruit eandem essentiam patris & filij & spiritus sancti. Principio quod colligunt uerissimum est, patris & filij & spiritus sancti eandem esse naturam simplicissimam & indiuiduam. Id nisi esset, non uere nasceretur è patre filius, nec uere spūs sanctus à patre filioq; pcederet, utiq; deus de substantia dei. De collectiōe tantū agimus. Constat hic agi de fide testimonij, non de substantia personarum. Quod si mul-

tis alijs locis hæc uox,unũ,conſenſum ſonat non unitatẽ indiuidui, quid abſurdi ſit,ſi hic ſimiliter interpretemur. Quoties legimus in utroq; teſtamẽto,cor unum,ſpiritum & animam unam,os unũ,mentem unã,quum cõſenſus ac mutua charitas ſignificatur? Is enim ſermonis tropus quũ tam familiaris ſit diuinis uoluminibus,quid uetat quo minus & hic ſimiliter accipiatur? Dñs Ioannis decimo dicit:Ego & pater unũ ſumus. Hoc teſtimonio quomodo proſternetur Arianus? niſi doceas unũ in literis ſacris non appellari, niſi quæ ſunt eiuſdẽ ſubſtantiæ. Nũc quum innumera loca ſuppetant,quæ docent intelligi de conſenſu mutuaq; beniuolẽtia,ad confirmandã opinionẽ orthodoxi ualebit,ad retundendã hæretici pertinaciam nõ uideo quantũ ualeat. Quod autẽ Chriſtus ibi loquatur de cõcordia quam habet cũ patre,probabili cõiectura colligitur,quod Chriſtus non reſpondet ad id quod dixerat ſeſe unũ cũ patre,ſed quod deum appellabat patrem ſuum,ſeq; ſingulari modo uocabat filiũ dei. Et apud Ioannem xvij. Pater ſancte,inquit, ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi,ut ſint unũ ſicut & nos. Ac rurſus,ut omnes unum ſint ſicut tu pater in me,& ego in te,ut & ipſi in nobis unũ ſint. Totus hic locus de conſenſu charitatis ac teſtimonij tractat,& uelimus nolimus cogimur illud unum aliter interpretari de nobis q; de perſonis diuinis. Non igitur conſtringit locus niſi compellat orthodoxorum autoritas,& eccleſiæ præſcriptio,docens hũc locũ aliter exponi nõ poſſe. Pium autem eſt noſtrum ſenſum ſemper eccleſiæ iudicio ſubmittere,ſimul atq; claram illius ſententiam audierimus. Nec interim tamen nefas eſt citra contentionem ſcrutari uerũ,ut deus alijs alia patefacit. Sed ut ad lectionis negocium redeamus,ex his quæ cõmemorauimus conſtat, & Latinorum & Græcorum codices uariare,Meaq; ſententia nullũ periculũ eſt quãcũq; lectionem amplectaris. Nam quod ait Thomas de particula ab hæreticis addita,primum nõ affirmat,ſed ait dicitur,Alioqui eccleſia catholica per orbem terrarũ amplecteretur, quod ab hæreticis eſſet adulteratũ. Illud torquebit grãmaticos,quomodo de ſpũ,aqua & ſanguine dicit,tres ſunt qui,& hi unũ ſunt, præſertim quũ ſpiritus,aqua & ſanguis apud Græcos ſint neutri generis. Verum apoſtolus magis reſpexit ſenſum q; uerba,pro tribus teſtibus,quaſi tribus perſonis, ſuppoſuit tres res,ſpiritũ,aquam & ſanguinem. Quod genus ſi dicas,qualis ſis artifex,ipſum ædificium teſtis eſt.

Et hi tres unum ſunt.) Hi,redundat,niſi quod interpres adiecit explicandæ ſententiæ gratia. Neq; eſt,unũ,ſed in unum εἰς τὸ ἕν in quibuſdam.

Hoc eſt teſtimoniũ dei quod maius eſt.) Quod maius eſt,hoc loco ſupereſt,iuxta Græcos codices. Quia teſtificatus eſt,) ὅτι μεμαρτύρηκε, id eſt, Quod teſtificatus eſt.

Habet teſtimonium dei in ſe.) Dei,redundat. Articulus tamen habet emphaſim, ut de dei teſtimonio accipias.

Qui non credit filio.) Græce non eſt filio,ſed deo.

Mendacem facit.) Græce eſt, fecit, πεποίηκεν.

Quia non credit.) ὅτι οὐ πεπίστευκεν, id eſt,Quia non credidit.

Græca à noſtris diuerſa.

Hæc deſcribo.) ταῦτα ἔγραψα, id eſt,Hæc ſcripſi. Hoc loco Græca diſſident à Latinis, ſed uereor ne ſint deprauata, ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε, ὅτι ζωὴν αἰώνιον ἔχετε,καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, id eſt,Scripſi uobis,qui creditis in nomine filij dei, ut ſciatis quod uitam æternam habetis, & ut credatis in nomine filij dei. Certe Græcorum exemplaria conſentiunt.

Quas poſtulamus.) ἃ ᾐτήκαμεν, id eſt,Quæ poſtulauimus,præterito tempore.

Qui ſcit fratrem.) ἐάν τις ἴδῃ, id eſt, Si quis ſciat.

Petat & dabitur ei uita peccanti non ad mortem.) αἰτήσῃ καὶ δώσει αὐτῷ ζωὴν, τοῖς ἁμαρτάνουσι μὴ πρὸς θάνατον, id eſt,Petet & dabit ei uitam,his qui peccant nõ ad mortem. Merito torquet grãmaticos,quomõ poſt ei, ſequat peccantibus. Tametſi Beda legit peccãti, conſentiens cũ noſtra æditione. Verum hic numerus mutatus nõ mutat ſenſum,qm̃ pronomẽ ei generaliter poſitũ eſt,quemadmodũ ſi dicas,difficilius eſt certare cum uiro,q; cũ fœmina,idem pollet,quaſi dicas,certare cũ uiris q; cũ fœminis. Subeſt & alius ſcrupulus, quid referat ad uerbũ dabit,deus an qui petit. Nã & qui impetrat alteri,quodãmodo dat

Non pro illo.) οὐ περὶ ἐκείνης. Illo,referendũ eſt ad peccatum,non ad hominem. Locus hic in ſpeciẽ,adimere uidetur ſpem ueniæ,relapſis in culpam grauem. Neq; me clam eſt,

quibus

quibus rationibus ſeſe hinc explicent theologi. Sed mihi uideť & alius exitus aperiri poſſe. Venialia delicta, ſine quibus nō uiuitur, cotidiana precatione delētur, remitte nobis debita noſtra, quemadmodū interpretatur & Auguſtinus. Cæterum atrocia flagitia, non ſanantur eodē modo, ſed olim ejiciebanť è contubernio eccleſiæ, tradebanturq; ſatanæ, nec recipiebātur, niſi ieiunio, lachrymis, multisq; remedijs duris deleta culpa. Beda putat oīno peccatum aliquod eſſe, cui non ſit petenda uenia, eo quod fruſtra petereť, uidelicet ſequutus Auguſtinū qui hoc ſenſit in libris de ſermone dñi habito in mōte, quæ fuit Origenis Theognoſti & Athanaſij opinio. Verū huiꝰ ſentētiæ canit palinodiā in libro retract. priore, addens hoc eſſe uerū ſi in peruerſo affectu pſeuerauerit uſq; ad mortē. Et hanc ſententiā attingit Beda, ſed priorē iudicat potiorē, quod cū hac parū cōgruant quæ ſequūť, Omnis iniqtas peccatū eſt &c. Suſpicor aūt Auguſtini cōmentariū mutilū truncata parte quæ offendebat lectorē, quā tñ Beda legiſſe uideť. Id arguit imitatio, q̄lis eſt in cæteris. *Locus difficilis, noua ratione explicatus*

Omnis iniquitas eſt peccatum, & eſt peccatum ad mortem.) Græci legūt nō ad mortem. Et in hanc ſententiā exponit gloſſa ordinaria. Quanq; & aliâs ſermo habet amphibologiam, poteſt eīm hic accipi ſenſus, Omnis iniquitas eſt peccatū, & quidē ad mortem, ut peccati uocabulū ſit generalius, iniquitatis ſpecialius: Poteſt & alius, omnis iniquitas eſt peccatū, & eſt aliquod peccati genus quod ſuperat oēm iniquitatē, eoq; nec remittiť.

Sed generatio dei.) ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ θεοῦ τηρεῖ ἑαυτὸν, id eſt, Sed genitus ex deo ſeruat ſeipſum. Conſentiunt Græcorū exemplaria, nec minus cōſtanter diſcrepant Latina. Si pro ἑαυτὸν ſcriptū eſſet αὐτὸν, ὁ γεννηθεὶς referri poſſet ad filiū dei, qui conſeruat filios dei.

Non tanget.) οὐχ ἅπτεται, id eſt, Non tangit, tempore præſenti.

Dedit nobis ſenſum.) δέδωκεν διάνοιαν, id eſt, Mentem, ſiue cogitationem.

Deum uerum.) Deum, apud Græcos non eſt, ſed τὸν ἀληθινὸν, id eſt, Eū qui uerus eſt. Ac iuxta Græcorū lectionē citat hūc locum diuus Hilarius lib. de trin. ſexto, Vt intelligamus uerū, & ſimus in uero in filio eius Ieſu Chriſto. Hic eſt uerus deus & uita æterna. Poteſt enim hic eſſe ſenſus, ut cognoſcamus uerum deū & ſimus in uero. Plus eſt enim eſſe in deo q̄ noſſe deū. Et in filio, ſonare poteſt per filium, ut cognoſcamus patrē per filium. Deinde particula quæ ſequitur, Hic eſt uerus deus, referri poteſt ad deū uerū patrem, qui præceſſit, Hic quē nouimus in quo ſumus per filiū, uerus eſt deus. Tametſi nō ſum ignarus hoc ab interpretibus referri ad filiū, qui & ipſe uerus ſit deus. Exēplaria quæ uidi conſentiūt cū æditione Aldina, quædā tñ cōſentiunt cū noſtra lectione, Vt cognoſcamus uerum deū. Quidā affirmat idē haberi in quodā Rhodienſi. Verū id ad ſenſum minimū habet momēti, quū cōſtet de patre fieri mētionem in prima particula, de poſtrema dubium eſſe poteſt, utrū repetat ſuo more quod prius dixerat, an idē tribuat filio quod patri. Certe ſumus eſt Græcis nō ſimus ἐσμὲν. Nō eīm monet ut ſint, ſed gratulať quod ſunt in uero.

In uero filio eius.) ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ, id eſt, In eo qui uerus eſt, nimirum in filio eius, aut per filium eius.

Annotationū in epiſtolam Ioannis primam, finis.

IN EPISTOLAM IOANNIS SECVNDAM ANNOTATIONES DES. ERASMI ROT.

ET natis.) Τοῖς τέκνοις. Cur nō potius filijs? ſequitur eīm, οὓς, id eſt, Quos, maſculino genere, cū τέκνα ſit neutri generis. Poterat uertere, liberis, potius quàm natis, quæ uox poētarum magis eſt.

In eo ambuletis.) ἵνα ἐν αὐτῇ περιπατῆτε, id eſt, Vt in eo ambuletis, ſed ut eo, referat mandatū, non deum. Nam Græcis eſt fœminini generis, ut ad deū referri non poſſit.

Qui non cōfitetur Ieſum Chriſtū ueniſſe in carne, hic eſt ſeductor & antichriſtus.) Græci ſecus diſtinguunt, ſenſu nō admodū diuerſo, Multi ſeductores introierunt in mundū, qui non confitentur Ieſum Chriſtū uenturum in carne. Deinde ſubijciunt. Hic eſt ſeductor, ὅτι πολλοὶ πλάνοι εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον, οἱ μὴ ὁμολογοῦντες

λογοῦντες ἰησοῦν χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκὶ, οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος. Verum huic lectioni nonnihil reclamat articulus οἱ μὴ ὁμολογοῦντες, qui si abesset, sine cõtrouersia referendũ esset ad superiora. Nec est quod nos offendat mutatus numerus, quũ Antichristum dicit omnes intelligit qui Christo repugnant. Hac figura gallũ dicimus pro gallis, militẽ, p militibus. Cæterũ ἐρχόμενον potest accipi, ut sit præteriti imperfecti tẽporis, qui ueniebat, & potest accipi, ut sit futuri, ut intelligamus de iudicio supremo.

Exierunt.) ἐισῆλθον, id est, Introierunt.

Mercedem plenam accipiatis,) ἀπολάβωμεν, id est, Accipiamus.

Qui recedit.) ὁ παραβαίνων, id est, Qui præterit, siue transgreditur, & quod hic bis est permanet, Græcis est manet, μένων. Interpres affectauit ἐναντίωσιν exprimere, in recedit & manet. uetusti codices habebant præcedit, nõ recedit. Nostri & uerbũ mutarunt & numerum, præcedit enim dixit pro præterit.

Nec aue ei dixeritis.) χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγητε, id est, ne dixeritis illi salutẽ, aut ne iusseritis illũ saluere. Ecce prædixi uobis, ut in die dñi non confundamini.) Hæc uerba non inuenio in Græco codice.

Deest Græcis

Spero me futurũ ad uos.) Si Græcis esset γίνεσθαι uideri poterat eam formã sequutus, nũc quum sit ἐλθεῖν, id est, Venire, demiror quur illi placuerit futurũ, præsertim quum sequatur ad uos. Quod durius etiam fit, quoniã addit, & os ad os loqui, ore ad os erat Latinius, Nam in Græcis est synecdoche, & subauditur ἡμᾶς, Nos expressimus, præsentẽ præsentibus loquuturum. Simili sermonis genere claudit & sequentem epistolam.

Annotationũ in epistolam Ioannis secundam, finis.

IN EPISTOLAM IOANNIS TERTIAM, ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTEROD.



Rationem facio.) εὔχομαι, id est, Opto.

Prospere ingredi.) εὐοδοῦσθαι, id est, prosperari siue prospere agere, quod mox ita uertit, prospere agit anima tua εὐοδοῦται. Quorsum obsecro cõducit ista uarietatis affectatio?

Maiorem horũ gratiã.) μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν, id est, Maius horũ non habeo gaudiũ: quidã pro τούτων habebat ταυτῆς.

Fideliter facis.) πιστὸν ποιῇς ὃ ἐὰν ἐργάσῃ. Potest & hic sensus accipi, tutum reddis, siue in tuto collocas. Aut hic rem Christianam facis.

Et hoc in pegrinos.) Hoc, redũdat, iuxta Græcorũ codices. Cooperatores simus ueritatis.) τῇ ἀληθείᾳ, id est, Veritati.

Scripsissem forsitan.) Græce ἔγραψα, id est, Scripsi. Nec additum est, forsitan. Suspicor aliquem castigatorem addidisse in margine, scripsissem, pro scripsi, & adiecisse, forsitan, ne uideretur arrogantior, deinde per imperitum librarium, utrũq; translatum fuisse in contextum. Non male uertit interpres, siquidem legit ἔγραψα ἄν. Quin alter sensus cõstat, Scripsi ecclesiæ, sed frustra, quando quidem obstat Diotrephes.

Et quasi nõ ei ista sufficiant.) Ἢ μὴ ἀρκοῦμαι ἐπὶ τούτοις, id est, Et nõ contentus his.

Et eos qui suscipiunt.) καὶ τοὺς βουλομένους, id est, Eos qui uolũt, ut subaudias recipere.

Testmonium redditur.) μεμαρτύρηται, id est, Testimonium perhibitũ est. Constat inter autores, primã Ioannis epistolã, eius esse Ioannis, quẽ Iesus dilexit plurimũ. Cæterũ duas posteriores, Ioannes presbyter scripsit, non Ioannes apostolus. Qua quidem de re prodidit Hieronymus in Catalogo scriptorũ illustriũ, his quidẽ uerbis: Scripsit autem & unã epistolã, cuius exordiũ est, Quod fuit ab initio &c. quæ ab uniuersis ecclesiasticis & eruditis uiris, pbat. Reliquæ aũt duæ, quarũ principiũ est, Senior electæ dñæ. Et, senior Caio charissimo, Ioannis presbyteri asserũtur, cuius & hodie alterũ sepulchrũ apud Ephesum oñdit. Idẽ in Papia, demõstrat Ioannẽ seniorẽ fuisse diuersum ab Ioãne apostolo & euãgelista. ac seniori, nõ apostolo ascribi duas posteriores epistolas: uide Eusebiũ li. iij. ca. xxix.

De autore epistolarum.

Annotationum in epistolam Ioannis tertiam, finis.

IN EPISTOLAM IVDAE ANNOTATIONES DES. ERASMI ROTERODAMI.



IN deo patre dilectis.) ἡγιασμένοις, id est, Sanctificatis. Interpres legisse uidetur ἠγαπημένοις.

Et uocatis.) Et, copula redundat. Rursum uocatis, hic nomen est, non participium.

Adimpleatur.) πληθυνθείη, id est, Multiplicetur. Interpres legisse uidetur πληρωθείη.

Omnem sollicitudinem.) πᾶσαν σπουδὴν ποιούμενος γράφειν ὑμῖν περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, ἀνάγκην ἔσχον γράψαι ὑμῖν. Bifariã hic locus potest accipi. Prior sensus hic erat, Non solum mihi fuit summum studium scribendi ad uos de cõmuni salute, uerũ etiam necessitas scribẽdi fuit, propter inimicos Christi. Alter hic, Cum esset mihi mirum studium scribendi uobis de cõmuni salute, non potui non scribere, hoc est, non potui non obsequi desiderio animi mei. *Sensus duplex.*

Deprecans supercertare semel traditæ fidei.) παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι, τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις. Quæ, si quis sententiã uelit, ita uerti poterant, Adhortans, ut in fide quæ semel tradita est, adlaboretis sanctis. Quidam codices Latini, pro sanctis habebant sanctæ sed mendose: Alij rursus habebant traditæ sanctis fidei: nec hanc lectionem patiuntur uerba Græca, iuxta quorundam exemplaria, in quibus habebatur τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις. Certe in ordine consentit prima æditio uoluminis quod habet glossam ordinariam. Sic enim legit, Semel traditæ fidei sanctæ. Vt scriptura mutaretẽ fuit in causa, quod lector non sensit datiuum τοῖς ἁγίοις referri ad uerbum ἐπαγωνίζεσθαι, quemadmodum dicimus, adlaborat illi, sed adiunxit propiori dictioni δοθείσῃ, Non enim est traditæ sed datæ. Itaq; sensus erit ut per fidem semel datam auxilio sitis sanctis, quo magis proficiant in fide. Verum quoniam alteram lectionem cum nostra congruentem reperimus in æditione Hispaniensi & Aldina, hanc sequuti sumus, sicut & antea fueramus.

Dominatorem & dñm.) δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν, id est, Herum deum, & dominum. Si quid interest, δεσπότης priuati iuris nomẽ est, κύριον honoris & autoritatis. Nam & matresfamiliâs οἰκοδεσποτᾶν iubentur, non κυρίευειν.

Scientes semel omnia.) Non est Græce omnia, sed τοῦτο, id est, Hoc.

Quoniam Iesus.) ὅτι ὁ κύριος, id est, Quod dominus.

Saluans, secundo eos &c.) σώσας, τὸ δεύτερον, id est, Cum seruasset, postea perdidit.

Suum principatum.) τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, id est, Suam originem. Significat autem primã illam in qua conditi fuerant naturam.

In iudicium magni dei.) μεγάλης ἡμέρας, id est, Magni diei. Atq; ita citatur ab Hieronymo in epistolã aduersus Ioannem episcopum Hierosolymitanum, attestantibus peruetustis exemplaribus. Nec repugnat ullius interpretatio, tametsi deprauatio iam in multos codices irrepserat. *Dei pro diei.*

Facti sunt exemplum.) πρόκεινται δεῖγμα, id est, Propositi sunt exemplum.

Et hi qui carnem.) καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι. Græci non simpliciter habent, hi, sed addũt somniantes, siue in somnijs delusi. Consentiunt Græci codices, sed constanter dissentiunt Latini. Quid autem sibi uelit ἐνυπνιαζόμενοι non satis coniecto, nisi forte sentit de obscœnis somnijs intemperanter uiuentium, aut quia omnis libido ueluti per somnium peragitur, sopita ratione.

Maiestatem autem.) δόξας δὲ, id est, Glorias autem, quod Hieronymus aduersus Iouinianum uertit dominationes. Porrò dominationẽ, uocat ipsos dominos, & glorias, principes publica præditos potestate: sicut admonuimus & ante in epistola Petri. Sic eñ δόξας uocat homines publicitus in precio habitos, quemadmodum Suetonius in Claudio Cæsare uocat

sare uocat eos potestates qui magistratu fungerentur, Per prouincias potestatibus demandauit.

Michaël archangelus.) ὁ δὲ μιχαὴλ, id est, Michaël autem, siue at Michaël.

Imperet, pro increpet.

Imperet tibi deus.) ἐπιτιμήσαί σοι κύριος, id est, Increpet te dominus. Hieronymus aduersus Ruffinum legit, increpet tibi dominus, Græcum imitatus sermonem. Similis locus est apud Zachariam prophetam, capite tertio, Increpet in te dominus satan, & increpet in te dominus, qui elegit Hierusalem. Porrò locus quem hic citat Iudas, sumptus est ex apocryphis Hebræorum: & ut diuus Hieronymus indicat in cõmentarijs in epistolã ad Titum, ex libro qui illis inscribitur Enoch: unde & ipsa epistola non caruit suspicione.

Citatur locus ex apocryphis.

quod quibusdam uideatur parum apostolicum quicq̃ citare ex apocryphis. Quãquam Origenes libro πρὶ ἀρχῶν tertio, citans locũ ex eo libello, subindicat fuisse conscriptum de ascensione Mosi, titulo uero Enoch: ipse citat libro quarto.

Qui in uia.) ὅτι, id est, Quia, siue quoniam.

In uiam Cain abierunt.) τῇ ὁδῷ τοῦ κάϊν ἐπορεύθησαν, id est, Via Cain ingressi sunt. Itidem uertit in psalmo, qui non abijt in consilio. Sentit enim illos ingredi per uiam Caim.

Mercede effusi sunt.) μισθοῦ ἐξεχύθησαν. Sensus obscurior est, Ⓒ τῇ πλάνῃ τοῦ βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν. Cæterum ordo Græci sermonis sic habet, κατὰ ἐξεχύθησαν τῇ πλάνῃ, τοῦ μισθοῦ βαλαὰμ, id est, Effusi sunt deceptione mercedis Balaam. Effusos uocat in omne facinus abductos ac prolapsos, cum iam non temperant sibi, nec abstinent ab ullo scelere. Deinde deceptionem mercedis, uocat corruptelam, qua data mercede, Balaam conductus fuit, ut malediceret populo Israëlitico.

In epulis suis.) ἐν ἀγάπαις ὑμῶν, id est, In dilectionibus uestris. Siue inter charitates uestras. Quemadmodum enim εὐλογίαι Christianis dici cœperunt munuscula ex charitatis affectu missa, ita conuiuia quæ pauperibus refocillandis exhibebantur ἀγάπαι sunt dictæ. Talia suspicor fuisse Corinthiorũ, de quibus Paulus multa queritur ad illos scribens. Vtitur in hũc sensum hoc uerbo Faustus libro. xx. cap. iiij. uir nequaquam orthodoxus, sed tamen non inelegans in dicendo. Reperitur & in decretis locis aliquot. Quod si hic sensit Iudas de huiusmodi cõuiuijs, & recipimus quod legunt Græci, sensus erit, hoc insigniorem esse fœditatem luxus illorũ, quod inter honesta charitatis ac frugalitatis exempla, crapulæ libidinicq̃ turpiter indulgerent. Cæterum parum quadrat, quod nostri codices habent, In epulis suis, nisi forte Græcis omne cõuiuium ad quod complures adhibentur amici, ἀγάπη dicitur. Siquidem is mos apud nõnullos & hodie durat, ut amici sese uicissim inuitent, ne desuetudine pereat amicitiæ uigor. Tertullianus in libro quem scripsit aduersus gentes, sentire uidetur hanc uocem fuisse peculiarem Christianorum conuiuijs: Cœna, inquit, nostra de nomine rationem suam ostendit, uocatur ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est.

Sine timore.) Sine timore aduerbium est Græcis, ἀφόβως, id est, Intrepide, siue secure, & refertur ad participium pascentes.

Pascentes.) ποιμαίνοντες, id est, Pascentes, hoc est, pastorum in modum seipsos agentes ac ducentes, & sibijpsis pastores. Sentit enim illos nullius parêre imperio, sed suo arbitratu uiuere.

Arbores autumnales.) δένδρα φθινοπωρινά. Quod fermè sonat, quasi dicas, arbores autumno marcescentes, siue fructibus marcidis, aut quod interpres secutus uidetur, arbores extremi autumni. Solent enim nonnullæ extremo autumno præter temporis rationem, florere, idq̃ agricolis indicat eas mox emorituras.

Fluctus feri maris.) Feri epitheton est fluctus, non maris, κύματα ἄγρια θαλάσσης.

Quibus procella.) οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους, Caligo tenebrarum, siue specus tenebrarum.

Enoch dicens.) Id ex apocryphis adductum est, ut & illud de Michaële.

Apocrypha. rursum.

Ecce ueniet.) ἰδοὺ ἦλθε κύριος, id est, Venit, præteriti temporis.

Quibus impie.) ὧν ἠσέβησαν, Quæ impie patrarunt.

Contra deum.) κατ' αὐτοῦ, id est, Contra eum. Suffragantibus & uetustis exẽplaribus.

Et os.) τὰ στόματα, id est, Ora. Quanq̃ hic exempla uariant Græcorum.

Superbiam.) ὑπέρογκα, id est, Superba. Vnus uetustus codex habebat superbia, in altero simi

tero ſimilis erat ſcriptura,ſed quidam puncto ſubſcripto,notarat i literam. Tertius habebat,ſuperbe. Varietas arguit deprauationem,quum apud Græcos nihil uariet.

Quæſtus cauſa.) ὠφελείας χάριν, id eſt,Vtilitatis gratia.

Qui dicebat.) ὅτι ἔλεγεν, id eſt,Quia dixit.

Et impietatibus.) τῶν ἀσεβείων, id eſt,Impietatum.Et copula & redundat.

Segregant ſemetipſos.) Græce tantum eſt,qui ſegregant, ἀποδιορίζοντες.

Noſtræ fidei.) ὑμῶν πίστει, id eſt, Veſtræ fidei.

Et hos quidem arguite.) ἐλεᾶτε, id eſt, Cõmiſeramini.

Iudicatos.) διακρινόμενοι, id eſt,Dijudicantes,ſiue cum dijudicamini:Græcis enim ambigua uox eſt.

Saluate de igne.) ἐν φόβῳ σώζετε,id eſt,In timore ſeruate,ſiue per timorem.

De igne rapient.) ἐκ πυρὸς, id eſt,Ex incendio. Totus hic locus nõnihil diuerſus eſt à Græcis exemplaribus.Ea ſic habent,Καὶ οὓς μὲν ἐλεᾶτε,διακρινόμενοι,οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ πυρὸς ἁρπάζοντες,μισοῦντες Καὶ &c. id eſt,Et hos quidem cõmiſeramini dijudicantes,ſiue cũ dijudicamini:illos uero in timore ſeruate,ex incendio rapientes,odio habẽtes etiã &c. Porrò ſenſus alioqui ſubobſcurus hic eſt, Vt alios manſuetudine trahant ad Chriſtũ, habita ratione perſonarum,alios metu deterreant à peccãdo,& oderint nõ ipſos homines, ſed turpeis affectus,quos hic ueſtem carnis maculatam uocat.Niſi mauis in hũc interpretari ſenſum,odio habentes,non ſolum ipſa turpia facta carnis,uerumetiam ueſtem à carne contaminatam,hoc eſt,quicquid ullo modo ad turpitudinem pertinet.Ad hanc interpretationem facit Græca coniunctio, Καὶ, tamen prior magis quadrat cum his quæ mox ſequuntur,Ei uero qui poteſt.Habete odio uitia nõ homines,& gloriam ne uobis uſurpetis,ſed deo tribuatis, qui poteſt illos ex malis reddere bonos.

Quæ carnalis eſt.) τὴν ἀπὸ σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα, id eſt,A carne ſordidatã tunicam.

Immaculatos.) ἀμώμους, id eſt, Irreprehenſibiles.

In aduentu dñi noſtri Ieſu Chriſti.) Hæc non leguntur in Græcis codicibus.Nec erat in uetuſtiore codice Conſtantienſi.

Soli deo.) μόνῳ σοφῷ θεῷ, id eſt,Soli ſapienti deo.

Per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.) Nec iſta leguntur in Græcis codicibus. *Rurſus additum ſapienti, & coronis eſt*

Ante omnia ſecula.) Abſunt à Græcis libris hæc quoq;.

Annotationũ, in epiſtolam Iudæ,per Des.Eraſmum Rot.finis.

IN LIBRVM APOCALYPSEOS IOANNIS ANNOTATIONES DES. ERAS. ROT.



POCALYPSIS.)Demirat Valla,cur hic interpres Græcam uocem reliquerit,cũ antehac ſæpe uerterit. Nam Græca uox eſt Apocalypſis,quã Latine poſſis dicere reuelationẽ. Indicauimus aliàs ex autoritate diui Hieronymi,dictionẽ hanc nouã à Septuaginta fuiſſe repertam,quo ſermonis Hebraici,proprietatem exprimerent.Siquidem illi גלה uocant,quoties res abdita prius,aperitur.Hebræorum more librũ auſpicatus eſt, qui ſquis fuit huius operis autor, nempe à titulo. *Apocalypſis noua uox.*

Palàm facere.) δεῖξαι, id eſt, Vt oſtenderet,ſiue demonſtraret,& refertur ad ſequentia.ut oſtenderet per hanc reuelationem Ieſu,ſeruis illius,quid mox futurũ ſit. Vala ſuſpicatur fuiſſe ſcriptum ab interprete, planũ facere,pro explanare,quod cõuenit rebus obſcuris.Nam ut palàm facere pro euulgare ſit Latinus ſermo,certe non caret amphibologia.Siquidem palàm facit,qui facit aliquid

quid in publico. Mittens per angelum.) ἀποστείλας διὰ τοῦ ἀγγέλου, id est, Misso mandato. Alioqui cum angelum miserit, quid erat quod mittebat per angelum? Siue mandans per angelum.

Qui testimonium perhibuit uerbo dei, & testimoniũ Iesu Christi.) ὃς ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν μαρτυρίαν ἰησοῦ χριστοῦ, id est, Qui testificatus est uerbum dei, & testimoniũ Iesu Christi. Nam Græcis uerbũ & testimoniũ eiusdẽ casus sunt. Testificari dixit pro publice prædicare.

Quæcũq; uidit.) Interpres addere debuit, Et quæcunque uidit ὅσα τε εἶδε, ut hic sit tertius accusatiuus, pendens à uerbo testificatus est. Quin hoc loco quiddam additum cõperio in Græcis codicibus, quod in Latinis penitus nõ inuenit̃, καὶ ἅ τινά εἰσι, καὶ ἅ τινα χρὴ γενέσθαι μετὰ ταῦτα, hoc est, Et quæcũq; sunt, & quæcũq; oportet fieri post hæc.

In Græcis superest.

Beatus qui legit & qui audit.) Græce diuersus est numerus, μακάριος ὁ ἀναγινώσκων καὶ οἱ ἀκούοντες, id est, Beatus qui legerit, & qui audierint uerba prophetiæ. Nam huius addidit nescio quis de suo, uolens opinor exprimere uim articuli Græci.

Et uidebit eum om̃is oculus.) Glossa ordinaria indicat ab hac nõnihil diuersam lectionem, Et uidebit omnis terra talem.

Ab eo qui est, qui erat, & qui uenturus est.) Ingenue fatendum est, Græcum sermonẽ nihil omnino significare quomodocũq; legas, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, Nam finge poni uerba ipsa, uelut absoluta, tolerabile est ὁ ἐρχόμενος, sed quid tandem significat ὁ ἦν? Ad uerbũ ita sonat, si tamen exprimi potest, ab ens, ab id quod erat, & ab is qui uenturus est. Valla putat hac nouitate sermonis significatam immutabilem in deo ꝓprietatem, præsertim cũ in spiritibus inflexerit casum, καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων. Cæterum illud ἐρχόμενος, participium est uerbi, quod ad utrunq; tempus anceps est. At hoc sanè loco magis conueniebat futurum, cum præcessissent duo tempora. In æditione Hispaniẽsi omissus erat articulus ἀπὸ τοῦ, casu ne an studio nescio.

Qui dilexit nos.) τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, id est, Ei qui dilexit nos, ut referatur ad patrem, sitq; sensus, Christum fuisse testem fidelem patri, qui dilexit nos, & lauit à peccatis ꝑ sanguinem eius. Nam suo, uertendum erat, aut ipsius, nõ eius, si pertinebat ad Christũ. Quãq; mox necesse est mutare personam: Et fecit nos reges & sacerdotes. Sic enim est in Græcis exemplaribus, βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς, id est, Reges & sacerdotes. Etiamsi Hispaniense exemplar habebat βασιλείαν, id est, regnum, pro βασιλεῖς.

Etiam amen.) ναὶ ἀμήν. Etiam, non est coniunctio, sed aduerbium confirmandi, ut sit gemina confirmatio, altera Græca, altera Hebraica.

Alpha & ω.

Ego sum alpha & ω.) τὸ α καὶ ω. Qui primus est in re quapiam, etiã prouerbio Græcis dicitur Alpha, ut apud Martialem, alpha penulatorum, & ω μέγα extrema est in ordine literarum. Qua de re copiosius aliquanto diximus in Chiliadibus nostris. Cæterũ principium & finis non erat in Hispaniensi. Et rursum, Qui est, qui erat, & qui uenturus est, totidem syllabis Græce scriptum est hic, ut paulo ante.

Vestitum podêre.) Podêre penultima producta pronunciandũ est. Est enim Græca uox ποδήρης, quæ significat uestem ad pedes usq; demissam, à pos, inquit Lyranus, quod est pes, & hæreo hæres. quod adhæreat talis. Imò potius ab ἀρῶ, quod est adapto, quod ad pedes usq; congruat. Quorsum enim attinebat eandem uocem, ex Græco, Latinoq; conflare? Etiamsi non desunt, qui malint sic dici ποδήρης, quemadmodum τριήρεις.

Lyranus.

Pedes eius similes aurichalco.) Græce est, χαλκολιβάνῳ. Dictio cõposita ex ære & thure. Suidas indicat esse genus electri preciosius auro: id conflari dicit, ex uitro & lapide, testans eius temperaturæ fuisse mensam sanctam magnæ, ut ipse uocat, ecclesiæ. Plinius in historia mundi libro xxxiiij. cap. ij. testatur esse genus æris, quod è terræ uenis effoditur, olim habitum in precio.

χαλκολίβανον.

Sicut in camino ardenti.) Non erat nobis par exemplarium copia in hoc opere: quod Apocalypsis uix reperiat̃ addita in ullis Græcorũ uoluminib⁹. In his sanè quos uiderim codicibus scriptũ erat, ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι, id est, Velut in fornace ardentes, siue igniti, ut ad pedes pertineat participium.

Et facies eius.) καὶ ὄψις, id est, Aspectus.

Ex

EX CAPITE SECVNDO.

TInueniſti eos mendaces.) Hoc loco additum repperi in uetuſtiſſimo codice ©\ ἐβάπτισας, id eſt, Et baptizaſti, ſed mendoſe, ni fallor, quandoquidem in commentariolis Græcanicis nihil erat quod ad baptiſmum pertineret. Poſt ex alijs exemplaribus comperi legendū ἐβάσασας, id eſt, tuliſti, ſiue toleraſti. Quanꝯ in Latinis codicibus ordo inuerſus eſt, patientiam habes præcedit, tuliſti ſequitur.

Sin aūt.) εἰ δὲ μή, Sin minus. Id paulo poſt trāſtulit, ſi quo minus: uertere poterat, alioq.

Angelo Smyrnæ eccleſiæ.) Smyrnenſium eſt Græce σμυρναίων, Et item paulo poſt, Et angelo Pergami eccleſiæ, Græce eſt, Pergamenſis eccleſiæ, φ τῷ περγάμῳ, ut paulo ſuperius, τῆς ἐφεσίνης ἐκκλησίας.

Doctrinam Balam qui docebat in Balac.) Recte admonet Valla, paulo ante illic dictū pro iſtic. Nam Græci carent hac pronominum differentia. Cæterum hiſtoriam de Balac rege, & Balaam propheta, habes Numerorum capite uiceſimoquinto.

Calculum candidum.) ψῆφον λευκήν. Olim calculis ferebant ſuffragia. Vnde albo lapillo notari dicuntur quæ probantur, atro quæ damnantur. Et in ſuffragijs comitiorum, nomen eius, cui fauebatur, calculo inſcribebant.

Thyatiræ eccleſiæ.) θυατείρων, id eſt, Thyatirenſium.

Pedes eius ſimiles auricalco.) Rurſus eſt, χαλκολιβάνῳ, de quo modo diximus.

Et manducare de idoloticis.) De Idolothytis legendū eſt, hoc eſt, ſimulacro immolatis.

Vt ageret pœnitentiam.) ἵνα μετανοήσῃ, id eſt, Vt reſipiſceret, quod tamen ad hūc modum ferè uertit. Verum de hoc iam crebro admonuimus.

Tanꝯ uas figuli.) ὡς τὰ σκεύη τὰ κεραμικά, id eſt, Tanꝯ uaſa fictilia.

EX CAPITE TERTIO.

TAngelo eccleſiæ Sardis.) τῆς ἐν σάρδεσιν, id eſt, Eccleſiæ Sardenſis. Et item aliquanto inferius, Angelo Philadelphiæ, τῆς ἐν φιλαδελφίᾳ, id eſt, Philadelphienſis eccleſiæ.

Qui aperit & nemo claudit.) Laurentius legit, claudet & aperiet, futuro tēpore. Et addit, κλείσει αὐτὸν εἷς ὁ ἀνοίγων, id eſt, Claudet eum, niſi qui aperit. Verum noſtrum exemplar conſentiebat cum æditione noſtra. Cum Vallæ lectione conſentiebat Hiſpanienſe. Ne quis autem contemnat noſtrum, tantæ uetuſtatis erat, ut apoſtolorum ætate ſcriptum uideri poſſet.

Angelo Laodiceæ eccleſiæ.) τῆς ἐκκλησίας λαοδικέων, id eſt, Eccleſiæ Laodicenſium.

Neq; frigidus es, neq; calidus.) οὔτε ζεστός, id eſt, Neq; feruidus, à ζέω ferueo.

Incipiam te euomere.) μέλλω σε ἐμέσαι, id eſt, Euomam te. Quod tamen interpres ad hunc modum aliquoties gaudet uertere.

Cōiunctio per peram addita.

Dicis quod diues ſum.) Ex his uerbis nullus alius ſenſus percipi poteſt, niſi quod ille dicat, Chriſtum eſſe diuitem. Proinde omittenda erat coniunctio quod, quæ hoc loco Latine loquentibus nullum habet uſum.

Aurum ignitum probatum.) Græca ſecus habent, πεπυρωμένον ἐκ πυρός, id eſt, Ignitum ex igni. Ad eum fermè modum interpretantur & Græcanica ſcholia. Fortaſſis interpres legit, πεπυρωμένον, unde addiderit probatum.

Confuſio nuditatis.) αἰσχύνη, id eſt, Turpitudo ſiue probrum aut pudor. Mirum unde confuſionis uocabulum irrepſerit in conſuetudinem Chriſtianorum.

Collurium.

Collyrio inunge oculos.) κολλυρίῳ. Collurion, quam uocem dictam putant ab ijs, quæ truncatam habent caudam, eſt hoc loco pharmaci genus.

Ego quos amo.) ὅσους ἐὰν φιλῶ, id eſt, Quoſcunq; amo.

EX CAPITE QVARTO.

SImilis erat aſpectui lapidis iaſpidis.) ὅμοιος ὁράσει λίθῳ ἰάσπιδι, id eſt, Similis aſpectu, lapidi iaſpidi: ut prior datiuus ſit modi, alter relationis.

Similis uiſioni ſmaragdinæ.) Id eſt, Similis aſpectu ſmaragdino, ut ſubaudias lapidi. Nam ita modo dixit σαρδίνῳ, id eſt, Sardenſi lapidi.

Viginti quatuor ſeniores.) Quū apud Græcos ſeniores ſedētes ſint accū-

ſatiui caſus,male cohæret amicti,ſed in nõnullis codicibus nõ additur εἶδον uidi, ſed ſubauditur erant,itaq; interpres legiſſe uidetur καθημμένοι.

Et requiem non habebant.) οὐκ ἔχουσιν, id eſt, Non habent:ac mire ſubito mutauit genus,cum dixiſſet animantia, ſubiecit λέγοντες dicentes.

Sanctus ſanctus ſanctus.) In Laurentianis codicibus,ut ipſe indicat,ſanctus nouies repetitur.At in meis ter dũtaxat poſitum erat,ac nuſquam maior uarietas quàm in hoc uolumine,quod Græcis hic liber propemodum inter apocrypha habebatur.Cum Laurentiana lectione conſentiebat exemplar Hiſpanienſe.

Qui erat & qui eſt.) Eadem ſunt uerba,de quibus ante iam dictum eſt.

Propter uoluntatem tuam erant.) Græce eſt,εἰσὶ ſunt,non erant.

Et quum darent illa animalia.) In Græcis codicibus eſt, δώσουσιν, id eſt,dabunt,niſi forte ſcriptum erat δώσωσιν,& πεσοῦνται eſt, id eſt, procidunt.

Dignus es domine accipere.) Exemplar Hiſpanienſe pluſculum hic habet uerborum, ἄξιος εἶ ὁ κύριος καὶ θεὸς ἡμῶν ὁ ἅγιος, id eſt,dignus es dñe ac deus noſter ſancte accipere.

EX CAPITE QVINTO.

INtus & foris.) ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν, id eſt, Intus & in tergo, hoc eſt,utraque parte membranæ.

Leo de tribu Iuda.) ὁ λέων ὁ ὢν ἐκ φυλῆς Ἰούδα, id eſt, Leo ille qui eſt è tribu Iuda.

Et cantabant canticum.) καὶ ᾄδουσιν, id eſt, Canunt.

Et feciſtis nos.) ἡμᾶς. Laurentius legit αὐτοὺς, id eſt,Eos.Deinde non eſt,regnum,ſed βασιλεῖς, reges,ut ſuperius indicauimus.

Et erat numerus eorum milia milium.) Laurentius legit, μυριάδες μυριάδων,χιλιάδες χιλιάδων. Myrias ſignificat decem milia,Chilias mille.Noſtrum exemplar magis conſentiebat cũ uulgata Latinorũ æditione,Hiſpanienſis æditio cum eo quod legit Laurentius.

EX CAPITE SEXTO.

ET audiui unum de quatuor animalibus tanquàm uocem tonitrui.) Valla legit, ὡς φωνή. Noſtri codices habebant φωνῆς. Alioqui dicens, erat dicendum non dicentem.

Bilibris tritici.) Græce eſt,Chœnix,id eſt,menſura tritici,aut leguminis, quæ ſatis ſit in cibũ diurnũ.Budæus noſter libro de aſſe qnto putat chœnicẽ pendere libras quatuor,Pollux tres dũtaxat. Et denario tantũ eſt,nec additur uno.

Equus pallidus.) Græce eſt,χλωρός.Id ſonat etiã uiridis,atq; ita uertit ipſe paulo poſt: Et omne fœnũ uiride.

Animas interfectorũ.) Hiſpanienſis æditio addit, τῶν ἀνθρώπων τῶν ἐσφαγισμένων, id eſt ,hominũ ſignatorum.

Sicut ficus mittit groſſos.) βάλλει,id eſt,Abiicit.Et groſſos eſt ὀλῴθους.Id ſonat ficus immaturas. Sicut liber inuolutus.) ὡς βιβλίον εἰλιγόμενον,id eſt,Vt liber qui uoluit,ſiue cõuoluitur.Eadem uox eſt in pſalmis de cœlis immutatis.

Liber inuolutus.

EX CAPITE SEPTIMO.

DVodecim milia ſignati.) Græcis ſignati,nõ repetit,niſi in initio & fine.Nec addit ad ſingulas tribus,ut admonet Valla,quãq; in noſtris exẽplaribus addebat.Et ſignati,eſt participiũ à uerbo ſigillo,ac ſi dicas ſigillati,& ſigillo obſignati.

Salus ei qui ſedet.) σωτηρία. Quod magis ſonat ſaluationẽ.Alioqui quid opus erat precari ſalutem Chriſto?

Et lauerunt ſtolas ſuas.) καὶ ἐπλάτυναν τὰς στολὰς αὐτῶν, id eſt,Dilatauerũt ſtolas ſuas.Interpres legiſſe uidet,ἔπλυναν.Nec me fefellit mea diuinatio.Sic emẽdi in æditione Hiſpanienſi.

Et deducet.) ποιμανεῖ, id eſt,Paſcet,ſiue reget more paſtorum.

Aduitæ

Ad uitæ fontes.) ἐπὶ ζώσας πηγὰς, id est, Ad uiuos fontes. Quãq; Hispaniensis æditio habebat ζωοῦς, id est, uitæ.

EX CAPITE OCTAVO.

HAbens thuribulum.) λιβανωτόν. Quod aliâs thus significat.

Et tertia pars terræ.) In nõnullis habebatur, tertia pars arborum, quum in Latinis habeatur utrũq;, tertia pars terræ, & tertia pars arborum.

Dicitur absinthium.) ἄψινθος, id est, Apsinthus. Allusit ad etymologiam Græcæ dictionis, quæ inde dicta est, quod bibi non possit, quasi dicas apinthon. Agit enim de aquis uersis in amaritudinem.

Væ uæ.) Laurentianus codex addidit, τρὶς, id est, Ter, meus habebat τοῖς, & bis tantum habebat uæ.

EX CAPITE NONO.

ET habebant loricas.) θώρακας, id est, Thoraces, an idem ualeat lorica nescio.

Nomen illi Hebraice Abaddon.) ἀββαδὼν, Hebræis אָבַר perdere est, inde אֲבַדּוֹן quasi dicas perditor, aut perdens.

Latine nomen habet exterminans.) Hoc interpres adiecit de suo. Quãdo quidem Ioannes, aut quisquis fuit alius, Græce scripsit, contentus ab ijs intelligi, qui Græce scirent. Nec tamen est, cur tantopere stomachetur Valla, si interpres uoluit & Latinos scire, quid sit apollyon. *Excusatus interpres.*

Vicies milies dena milia.) δύο μυρϊάδες μυρϊάδων, id est, Duæ myriades myriadum, hoc est, uicies mille myriades. Myrias, ut modo diximus, decem milia complectitur.

Loricas igneas.) θώρακας, id est, Thoraces. Pars est corporis infra collum usq; ad stomachi locum scapulas cæteraq; à tergo & à fronte complectẽs, unde & uestis aut armatura eam tegens partem thorax dicitur.

EX CAPITE DECIMO.

PEdes eius ut columna ignis.) ὡς στύλοι, id est, Vt columnæ.

Habebat in manu sua libellum.) Quidam habebant βιβλαρίδιον, alij βιβλύδρϊον, alij rursum βιβλιδάρϊον.

Quemadmodum leo cum rugit.) Græce est, μυκᾶται, id est, mugit, fortasse quod Græci non seruent eam differentiam inter ὠρύεσθαι & μυκᾶσθαι, quam Latini inter rugire & mugire.

Signa quæ locuta sunt septem ton.) σφράγισον, id est, obsigna uelut occultanda.

Per seruos suos prophetas.) Quidam Græci codices habebant ὡς εὐηγγελίσατο τοὺς δούλους αὐτοῦ τοὺς προφήτας. Aliquis offensus accusandi casu, addito uerbo Euangelizandi, asscripsit præpositionem, per.

EX CAPITE VNDECIMO.

SImilis uirgæ, & dictum est mihi.) λέγων, dicens, quasi calamus loqueretur. Nisi nominatiuus positus est absolute loco genitiui. In Hispaniensi erat alia scriptura, καὶ εἱστήκει ὁ ἄγγελος λέγων, id est, stabat angelus dicens.

Et atrium quod est foris eijce foras.) Meus codex habebat, ἔσωθεν, id est, Intus, Hispaniensis æditio ἔξωθεν, id est, foris, cõsentiens cum nostra lectione, quæ lectio mihi magis probatur, & tamen neutra est absurda.

Et accepisti uirtutem tuam magnam & regnasti.) ἐβασίλευσας. Aptius hic uertisset, & regnum adeptus es. Regnauit enim Latinis qui regnare desijt, sicut uixerunt, qui uiuere desierunt. Apud Græcos secus in his duntaxat uerbis.

EX CAPITE DVODECIMO.

ET clamabat parturiens.) κράζει, id est, Clamat. Id arguit quod mox sequit̃, & cruciatur ut pariat. Iam q̃ apte hæc conueniant in diuam Iesu matrem Mariam uiderint ipsi, qui quod de ecclesia dictum est, ad illam detorquent. Imò quod de sapiẽtia dictum est, hoc est, de Christo. ad Mariã detorquent, præter ueterum omnium interpretationẽ. Atq; hic atroces excitamus tragœdias, quasi gratũ sit illi, sua causa cõmitti inter se Christianos, pro quibus conciliandis, mortuus est filius. *Multa coacte detorqueri ad Christi matrẽ*

Vt eam

Vt eam faceret trahi à flumine.) ἵνα ποταμοφόρητον ποιήσῃ, id est, Vt efficeret, ut illam auferret flumen, siue ut raperetur flumine. Græce iucundius dixit uoce composita.

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

ET admirata est uniuersa terra post bestiam.) καὶ ἐθαυμάσθη ἐν ὅλῃ τῇ γῇ ὀπίσω τοῦ θηρίου, id est, Admiratio fuit in tota terra post bestiam.

Qui in captiuitatem duxerat.) εἴτις αἰχμαλωσίαν συνάγει, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει, id est, Qui captiuitatem contrahit, in captiuitatem abit. Laurentius secus legit.

Characterem in dextera.) χάραγμα, id est, Notam impressam, siue insculptam.

EX CAPITE DECIMOQVARTO.

QVod mixtum est mero.) τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου, ut mero sit ablatiui casus, & referatur ad uino. Nam Græcis κεράννυσθαι dicitur, quod infunditur in calicem bibituro, etiam si non diluatur aqua, aut alio potus genere.

Amodo iam dicit spiritus.) Græci sic distinguũt, ut amodo sit finis sententiæ, ut sit sensus, post hac fore beatos, qui in domino fuerint mortui. Deinde sequitur, ναὶ λέγει τὸ πνεῦμα, etiam dicit spiritus. Et hic etiam, confirmantis est.

Lacus uinarius. In lacum iræ dei.) εἰς ληνόν. Qui est lacus, in quem exprimitur uuarum liquor.

EX CAPITE DECIMOQVINTO.

QVia solus pius es.) ὅσιος. Laurentius & Hispanensis æditio legit ἅγιος, id est, Sanctus.

Vestiti lapide mundo & candido.) Græce est, λίνον, id est, Lino mũdo. Interpres legisse uidetur, λίθον. Prior dictio una dũtaxat literula differt à lapide. Et splendido magis est quàm candido, λαμπρόν.

EX CAPITE DECIMOSEXTO.

VInus sæuum ac pessimum.) κακὸν καὶ πονηρόν, id est, Malum ac malũ, Græce enim bis idem dixit. Nisi mauis miserum ac malum.

Qui es, & qui eras.) Quanquam interpres mutauit personam, tamen to tidem syllabis dictũ est, quibus superius, Qui est, qui erat, qui uenturus est, ὁ ὤν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος.

Etiam domine.) ναὶ κύριε. Etiam confirmantis est.

ταλαντιαῖον Grando magna sicut talentum.) ὡς ταλαντιαία, id est, Talentaris, & magnitudine talenti. Talentum magnum antiquis dicebatur, unde quicquid ingens esset, id ταλαντιαῖον uocabant, sicut ἀμαξιαῖον.

EX CAPITE DECIMOSEPTIMO.

VPra bestiam coccineam.) κόκκινον, id est, Coccinam, purpuram regum indicans. Et hic est sensus.) ὧδε ὁ νοῦς, id est, Hic est mens, siue intellectus. Nam hic aduerbium est, non pronomen.

EX CAPITE DECIMOOCTAVO.

στρηνιάω. ET in delitijs fuit.) καὶ ἐστρηνίασε. Idem uerbum quo compositio usus est Paulus in epistola ad Timotheum priore capite. v. Cum autem luxuriatæ fuerint in Christo, uolunt nubere. De quo pluribus suo dictũ est loco. Item paulo post, καὶ στρηνιάσαντες, id est, & lasciuierunt.

Lignum tinium.) θύϊνον, Thyinon ab arbore Thyo. Cuius fit mentio tertio Regum capite decimo.

Et similæ.) καὶ σεμίδαλιν. Quidam interpretantur Siliginem.

Lapidem molarem magnum.) λίθον ὡς μύλον, id est, Lapidem tanctũ molam.

Hoc impetu mittetur.) οὕτως ὁρμήματι, id est, sic impetu mittetur.

EX CAPITE DECIMONONO.

Tubæ, pro turbæ. QVasi uocem magnam tubarum multarum.) ἤκουσα φωνὴν ὄχλου πολλοῦ, id est, Audiui uocem turbæ multæ. Proinde cõsentaneum est, interpretem scripsisse turbarum non tubarum.

Alleluia.) Quod Hebræis sonat, laudate dñm. Siquidẽ הַלְלוּ laudate est, יָהּ dominus. Ea uox crebra est in psalmis, Laudate dominum.

Vide

Vide ne feceris.) ὅρα μή, id est, Vide ne. Feceris addidit interpres, quo magis explanaret sententiam. Similiter, cap. xxij. ὅρα μή.

Et calcat torcular uini.) λωὸμ, Quod ante uertit lacum.

Gog & magog.) Accusatiui casus est utrūq;, & generis masculini, quod articulus Græcus declarat, τὸμ γωὺ καὶ τὸμ μαγωὺ, siue pro hominibus accipienda sunt, siue pro gente. Nec est congregabit, sed συναγαγεῖμ, id est, Ad congregandum, aut ut congreget eos. Porrò eos, non refertur ad angulos, aut gentes, sed ad Gog, & Magog.

Ego sum alpha & ω.) γέγονα ἐ ἄλφα, καὶ τὸ ω. Noster codex consentiebat cum uulgata horum temporum æditione.

EX CAPITE XXI ET XXII.

Aspidi sicut crystallum.) κρυσταλλίζοντι, id est, Crystallizanti, ut referatur ad lapidem.

Qui nocet noceat.) ὁ ἀδικῶμ, id est, Qui male agit, siue qui iniustus est. Et adhuc positum est pro amplius.

Beati qui lauant stolas suas.) Longe aliud Græci, μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτου, id est, Beati qui faciunt mandata eius. Interpres legisse uidetur, οἱ πλύνοντες τὰς στολάς. Sed unde quod sequitur, in sanguine agni? Nam id quidem apud Græcos prorsus non legitur.

Etiam uenio cito.) ναὶ ἔρχομαι ταχύ. Næ, est confirmantis. At idem aduerbium mox repetitur Græcis, ναὶ ἔρχου κύριε ἰησοῦ, id est, Etiam ueni domine Iesu. Testatur diuus Hieronymus Apocalypsim, ne sua quidem ætate fuisse receptam à Græcis. Ad hæc quosdā eruditissimos uiros, totum hoc argumentum, ceu fictum multis conuitijs insectatos fuisse, quasi nihil haberet apostolicæ grauitatis, sed uulgatam tantum rerum historiam, figuratum inuolucris adumbratam. Deinde nec in sentētijs esse quod apostolica maiestate dignum uideatur. Vt de his interim nihil dicam, me nōnihil mouerēt cū aliæ cōiecturæ, tū illæ, quod reuelationes scribens, tam sollicite suum inculcat nomē, Ego Ioannes, ego Ioannes. Perinde quasi syngrapham scriberet non librum. Idq; non solū præter morem aliorū apostolorum, uerum multo magis præter suum morem, qui in euangelio modestiora narrans, nō exprimit tamen usquam suū uocabulum, sed notulis indicat, Discipulus ille, quē diligebat Iesus. Et Paulus coactus referre de uisionibus suis, rem sub alterius exponit persona. At hic tam arcana cum angelis colloquia describens, quot locis inculcat, ego Ioannes. Ad hæc in Græcis, quos ego uiderim, codicibus, non erat titulus Ioannis euangelistæ, sed Ioannis theologi, ut ne cōmemorem stilū non parum dissonantē ab eo qui est in euāgelio & epistola. Nam de locis, quos quidā calumniati sunt, uelut hæreticorū quorundam dogmata redolentes, nō magni negocij sit diluere. Hæc inquā, me nōnihil mouerēt, quo minus crederem esse Ioannis euāgelistæ, nisi me consensus orbis aliò uocaret, præcipue uero autoritas ecclesiæ, si tamē hoc opus, hoc animo cōprobat ecclesia, ut Ioānis euāgelistæ uelit haberi, & pari esse pondere, cū cæteris canonicis libris. Iam Dorotheus Tyri episcopus ac martyr in cōpendio uitarū, prodidit Ioannē euangeliū suū scripsisse in insula Patmo. Etiamsi Eusebius tradit Ephesi scriptū. Cæterū de Apocalypsi, nullam omnino facit mentionē. Ne Anastasius quidē Græcus, in suo catalogo audet affirmare, opus hoc illius esse, tantū ait receptū à quibusdā, tanq; illius opus. Dionysius Alexādrinus episcopus qui candidissime sensisse uidetur de hoc opere, dissentit quidem ab his qui censebant esse Cerinthi hæretici, cuius erat dogma, in terris futurum aliquando regnum Christi, ac tum quicquid uoluptatum pro Christo contemptum fuerat, ubere cum fœnore rediturum, redituras opes, redituras uictimas ac festos dies legis Mosaicæ, Atq; hoc consilio operi alieno Ioannis apostoli titulum præfixisse, ut suos errores huic libro admixtos apostolici nominis fuco commendaret simplicibus: tamen suspicatur librum ab alio quopiam Ioanne uiro sancto conscriptum, & in hac sententia fuisse complures Christianos, quorum iudicio commotus, non ausus sit librum aspernari. Porrò cur suspicetur opus nō esse Ioannis apostoli, q filius fuit Zebedæi, frater Iacobi, nō aliā causam adducit, nisi quā & nos recensuimus, uidelicet, quod identidem nomen suum inculcet. Hæc atq; alia nonnulla super hoc libro recenset Eusebius Cæsariensis Ecclesiasticæ historiæ libro septimo.

De Apocalypsi ueterū iudicium.

Dorotheus.

Idem

Idem libro tertio mentionem faciens huius operis: In reuelatione, inquit, quæ dicitur Ioannis. Rursus aliquanto post, Inter noui testamenti libros de quibus fuerit aliquando dubitatum recenset reuelationē Ioannis: Epistolam Iacobi & Iudæ, & Petri secūdam, Ioannis secundam ac tertiam. Rursus aliquanto post eodem in libro citat Caium quendam autorem orthodoxum, qui nihil dubitat hoc opus tribuere Cerintho hæretico, multis uerbis ostendens quæ uenena suæ hæreseos huic libro admiscuerit, abutens interim apostolici nominis autoritate. Equidem quum ad hæreticorum maliciosas artes respicio, facile possum adduci ut credam Cerinthum, qui uixit ætate Ioannis, & illi opinor superuixit, hoc cōmento uoluisse suum uirus in orbem spargere. At rursum mihi non potest persuaderi deum passurum fuisse, ut diaboli techna, tot seculis impune deluderet populum Christianum. Nam opus hoc constat antiquissimum esse, quippe quod uetustissimus Irenæus, & hoc uetustior Iustinus martyr cōmentarijs suis dignati sunt. Quanq̄ Irenæus apud Eusebium libro tertio, præter apostolos quibus adiungit Ioannem euangelistam, cōmemorat Aristionem quendam & Ioannem presbyterum, cuius Eusebius suspicatur esse apocalypsim. Nam eidem Hieronymus testatur asscribi duas posteriores epistolas. Idē in epistola ad Dardanū testatur ætate sua epistolam ad Hebræos in disputationibus reijci solere à Latinis, similiter & apocalypsim à Græcis, ueteres tamen ex utroq; sumere testimonia. Aliâsq; non in uno loco cōmendat hoc opus aduersus Græcorum reiectionē. Idem rursus exponens Ezechielis caput xxxvi. fatetur Irenæum non omnino fuisse alienū ab opinione Chiliastarum, quemadmodum nec Tertullianum, Lactantium, & Victorinum, Papiam & Apollinarium. Cerinthus enim docebat Christum nōdum resurrexisse, sed resurrecturum, ac post mille annos cum suis regnaturum in terris incredibili rerum omnium felicitate. Sanè Chiliadis crebro fit hic mētio, uelut cap. xij. & xx. Ad euincēdū hic liber nō perinde ualet, quum totus constet allegorijs, ad cognoscenda ecclesiæ primordia conducit plurimum. Inter gemmas etiam nōnihil est discriminis, & aurū est auro purius ac probatius. In sacris quoq; rebus, aliud est alio sacratius. Qui spiritualis est, ut inquit Paulus, omnia dijudicat, & à nemine dijudicatur.

In cōtextu euāgelij secundū Ioannē Pagina ccxxiij. uersu à fine duodecimo.

Cyrillus hoc modo legit & interpretat̄.) ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ. ἀπέστειλαν δὲ αὐτὸν δεδεμένον πρὸς καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα. ἦν δὲ καϊάφας ὁ συμβουλεύσας &c. Nam quod multo post sequitur ἀπέστειλεν ὁ ἄννας &c. non est nouæ narrationis exordium, sed reditus ad explendum quod cœperat de negatione Petri. Hæc lectio redigit Euangelistas in concordiam.

ANNOTATIONVM ERASMI ROTERODAmi in totum testamentum nouum, iam quartum æditarū, finis.

BASILEAE APVD IO. FROBENIVM, ANNO A CHRISTO NATO M. D. XXVII. MENSE FEBRVARIO.

FACESSAT LIVOR, FRVATVR CANDOR.




ANNO M. D. XXVII.

ERASMVS ROTERODAMVS PIO LECTORI S. D.

QVũ hanc quartam æditionem moliremur, nacti sumus aliquot Chrysostomi, & Athanasij græca uolumina, in quibus deprehendimus illorũ citationes cum nostra æditione plerumq; consentire, quanquam qui hactenus græcorum cõmentaria uerterũt, nescio quo consilio uulgatam translationem reddere maluerunt, quã exprimere quod erat in Græcis codicib⁹. Vnde sępenumero fit ut interptatio nõ respõdeat ad id quod translatum est: id potissimum deprehendere licet in eo, qui Theophylacti cõmentarios in epistolas Pauli, latine uertit: sed maiorem etiã cõfusionẽ parit lectori, si legat illorum citationes aut cõmẽtarios in ueteris testamẽti libros in quibus longe maior est discrepantia quã in nouo testamento. Vehementer itaq; ad rem pertinebat uel ob græcorum cõmentariorũ utilitatẽ, ut utriusq; testamenti libri latine uerterẽtur, iuxta Græcorũ lectionem, quod quidem à me primũ tentatũ est nõ sine graui inuidia in nouo testamẽto, sed maiori cum fructu, minori inuidia perfectum est in utroq; cura sumptuq; R. D. Franciſci Cardinalis Hispaniarum: hoc admonere uisum est, quo quidam moderatius oblatrent publicis rei Christianæ commodis.

APPENDICES ANNOTATIONVM.

QUoniã mihi uidetur propemodũ plus iustæ operæ impẽsum huic parti studiorũ, quæ q̃q̃ non inutilis est ad maiora tendentibus, tamẽ nõ tam perplexe tractãda est, ut à magis necessarijs remoretur, Itaq; uisum est si quid postea inciderit annotatione dignum, quod nũquã nõ est futurum, emergentibus quotidie nouis ueterũ lucubrationibus, separatim ad calcem operis adijcere, quod genus hoc est. Diuus Augustinus cumq; hoc alij complures in hoc laborant, ut de negatione Petri narrationem Euangelicam redigant in concordiam, Propterea quod Ioan. cap. 18. uideatur à cæteris omnibus dissentire, nec ea dissonãtia tantũ obstrepit in libris latinis, uerũ etiã in græcis. Quo magis mirandũ est, nec Chrysostomum hac discrepantia fuisse offensũ. Sic enim refert Ioannes Iesum fuisse compræhensum & ligatũ, primũ ad Annã abductum, eò secutũ Petrum, atq; ibi primũ negasse Iesum, deinde post multa, subiũgit Iesum ab Anna ad Caiaphã missum, ubi eum bis negauit Petrus: ex qua narratione declaratur primã negationem apud Annã esse factam, reliquas duas apud Caiapham, cæteris Euangelistis magno consensu narrantibus, omnes Petri negationes, in ædibus Caiaphæ factas esse. Sensit hic nõ nihil scrupuli & Ioãnes Gerson, qui testatus uarios uarie hac de re sensisse, addit sibi uideri Augustinũ in hac fuisse sententia ut omnes negationes crederet esse factas in domo Annæ. Verum ex Cyrilli cõmentarijs uidetur hæc tota quæstionis difficultas explicari, qui & legens & interpretans satis declarat, & in Græcis & in nostris codicibus quædã uerba fortassis scribarum incuria prætermissa. Nã Græca sic habẽt ἡ οὖν σπεῖρα, καὶ ὁ χιλίαρχος, καὶ οἱ ὑπηρέται τῶν Ἰουδαίων συνέλαβον τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἔδησαν αὐτὸν, καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν, πρὸς Ἄνναν πρῶτον, ἦν γὰρ πενθερὸς τοῦ Καϊάφα, ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι συμφέρει ἕνα ἄνθρωπον ἀποθανεῖν ὑπὲρ τοῦ λαοῦ: quæ nostra translatio consentiens habet hunc in modum. Cohors autem & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum ligauerunt eum & adduxerunt eum ad Annam primum. Erat autem socer Caiphæ qui erat pontifex anni illius: erat aũt Caiphas qui cõsiliũ dederat Iudæis &c. Cyrillus autem ut habetur latinus legit hũc in modum. Cohors ergo & tribunus & ministri Iudæorum compræhenderunt Iesum, & ligauerunt eum & adduxerunt eum ad Annam primum, Erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius, Et interiecto cõmẽtario subijcit, miserunt autẽ eum ad Caipham pontificẽ, erat autem Caiphas qui consilium dedit Iudæis, quia expedit unũ hominẽ mori pro populo, Sequebatur autẽ Iesum petrus. Vnde liquet inter hæc uerba, qui erat Pontifex anni illius, & inter hæc, Erat autem Caiphas qui consilium dederat, pretermissa fuisse hæc, & miserunt eum ligatũ ad Caipham pontificẽ, ut deinde sequatur, Erat aũt Caiphas qui consiliũ dederat Iudæis: & hoc ordine lectionis oẽs negationes intelligẽtur esse factæ in domo Caiphæ, nulla Annæ. Quid autẽ senserit Gerson nõ satis intelligo, quum ex Augustini uerbis tale nihil possit colligi, nec in alijs Euangelistis ullus est scrupulus, nisi quod omnes prætermittũt historiæ partem de Iesu ducto ad Annã, Siquidẽ Matthæus refert eũ simul ut captus est fuisse ductũ ad ædes Caiphæ, idẽ narrant

Marcus & Lucas, nisi quod nomen tacent, tantum uocant principem sacerdotum, cætera cõueniunt: solus igitur scrupulus remanet in Ioãne, qui solus narrat eum primũ ductum ad Annam: Quod is ut interpretatur Cyrillus, cum Iuda pactus fuerat: huic ubi satisfactum est, sine mora ductus est uinctus ad Caipham, uelut autoritate præminẽtem: quid sit apud Annam actũ nõ legitur, quicquid aũt actum narratur, actum est in ædibus Caiphæ. Restat adhuc unus scrupulus, qui cõueniat ut aliquãto post Ioãnes ꝓsequẽs historiæ narrationẽ, scribat, & misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Non enim prosequitur ordinem rerum gestarum, Sed ad gradum reuocat narrationem, ut id quod ceperat de negatione Petri perficiat, id quod & Cyrillus subindicat his uerbis: quasi currentem equum, narrandi progressum, euangelista utiliter reuocat, & ad priora rursum orationem reducit. Quare sic? quia negationem Petri tertio factam exponere uoluit, repetit ergo breuiter & missum ab Anna Iesum ad Caipham iterum dicit, Petrũq; interrogatum exponit. Astipulatur huic sententiæ & Cyrilli lectio. Non enim legit, Et misit eum Annas, sed misit igitur eũ Annas Solet autem hæc dictio esse reuocantis orationẽ à digressione. Hoc quicquid est uolui cõmunicatũ esse studiosis, citra cuiusq; præiudicium

Io. 7. Pro eo quod legunt latini, Nõ enim uolebat in Iudæam ambulare, annotauimus Chrysostomum legere nõ enim poterat, quod ex ipsius etiam interpretatione perspicuum est, Nec aliud legisse uidetur Cyrillus qui locum hunc sic explicat. Ambulabat, id est conuersabatur in Galilæa, quod nõ ultro nec libenter, sed necessario factum, adiecta causa, ostẽdit, idcirco enim inquit in Galilæa cum alienigenis longo tẽpore fuit, quia Iudæi quærebant ipsum interficere. Etenim cum ait eum nolentem uersatum in Galilæa, significat illi non licuisse uersari in Iudæa. Cæterum scripturæ mutandæ uidetur hæc fuisse occasio, quod durum esset dictu Christum quicquam non potuisse. Verum eadem opera mutari debebat quod legitur Marci .6. Et non poterat ibi uirtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem eorum. Neq; enim rarum est scripturæ diuinæ de Christo uerbis humanis loqui.

Habes indicem duplicẽ, in altero congestos locos aliquot insignes, per titulos digesto, scholijs additis alicubi, in altero uocum singularum etiam Græcarum & quicquid annotatu dignum est indicatũ, quoq; facilius inuenias quod quæris, præter paginæ numerum additæ sunt tres literæ, quarũ .p significat summam paginæ partem, m. mediam. f. postremã.

SOLOECISMI PER INTERPRETEM ADMISSI MANIFESTARII ET INEXCVsabiles, è plurimis pauci decerpti.

Matthæi, cap. 5. pag. 29. m. Quicũq; te angariauerit mille passus, uade cum illo & alia duo. pro eo quod dicendum erat, miliariũ unum, & alia duo.

Matthæi, cap. 6. pag. 36. p. Magis pluris estis uos. Cum huiusmodi cõduplicationes comparatiuorũ, quas Augustinus in libris, De locutionibus ueteris testamenti docet ex Hebræi sermonis proprietate, Rhomanus sermo non recipiat.

Cap. 7. pag. 37. p. Videbis eiicere, pro, dispicies ut eiicias, Græcam figuram reliquit, Nam Latinis, uidet eiicere, qui uidet eiicientem.

Cap. 8. pag. 40. f. Quid nobis & tibi, pro eo quod erat: Quid tibi nobiscũ? Rursus Græci sermonis proprietatẽ reliquit. Neq; enim dicimus, quid mihi & longis tibijs: sed, quid mihi cum longis tibijs? τί μοι καὶ μακρῶις αὐλῶις;

Cap. 11. pag. 48. m. Cum consummasset præcipiens, Græce dixit interpres, pro eo quod erat, finem fecisset præcipiendi.

Eodem cap. pag. eadẽ, Pauperes euangelizãtur, Græce dixit. Neq; eñ minus solœcon est, pauperes euangelizantur, quã pauperes annunciantur, cum illis quippiam nunciantur.

Ca. 15. pa. 63. m. Tũc accesserũt ad eũ ab Hierosolymis Scribæ, ꝓ scribæ Hierosolymitan

cum

Græce ſit, δι ἀπὸ ἱεροσολύμων γραμματεῖς.

Cap.20.pag.79.p. Principes gentium dominantur eorum.primum eorũ dixit,pro,earũ, Græco genere relicto. Deinde dominantur eorum, pro, dominantur eis, Græco caſu per incuriam relicto.

Ibidem. Filius hominis non uenit miniſtrari. Græce dixit,ſed male Latine, pro eo quod erat,Non uenit ut ſibi miniſtraretur. Quanquàm hoc ipſum uenit miniſtrare,pro,ad miniſtrandum,non eſt Latinum.

Cap.22.pag.85.m. Impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.genitiuum Græcum reliquit oſcitans interpres,pro,impletæ ſunt diſcumbentibus.

Eodem,pag.86.p. Neq; nubent,neq; nubentur. Quis unquã audiuit nubentur?

Cap.24.pag.91.p. Opiniones bellorum dixit,pro,rumores bellorum.

Iam in hac coniunctione,quia,ſiue cũ,pro quod abutitur,ſiue cum iuxta Græci ſermonis proprietatem addita,Latinis ſuperuacua eſt. Velut Iohannis,cap.1.pag.218.f. Confeſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus. Nam ut donemus quia idem pollere cum,quod. Quid aliud dictum eſt,niſi Baptiſtam fuiſſe confeſſum, quod Euangeliſta non eſſet Chriſtus? Rurſum apud eundem,cap.4.pag.225.m. Recte dixiſti,quia uirũ non habeo. Quid aliud expreſſit, q̃ Samaritanã dixiſſe,quod Chriſtus uirum non haberet? Item apud Marcum, cap.13. pa. 133.p. Dicentes quia ego ſum. Rurſum Lucæ 1. pag.152. m. Quia nemo eſt in cognatione tua &c. Quia plane redundat.

Marci 2.pag.113.m. Videntes quia manducaret,pro eo quod dicendum erat. Quum uiderent eum edentem.

Cap.13.pag.133.p. Dicentes quia ego ſum. Sermo neq; ad Græcã proprietatem reſpondet, neq; ad Romanam.

Act.cap.15.pag.292.m. Antiochiæ & Syriæ, & Ciliciæ. Neq; Græca reddidit, neq; latinitatis habuit rationem.

Cap.20.pag.304.f. Beatius eſt dare magis quã accipere. Sermo Græcus comparatiuum non habet,nec latinitatis ratio patitur.

Lucæ.cap.1.pag.151.m. Memorare dixit,pro meminiſſe.

Cap.4.pag.168.m. Quãta audiuimus,uertit,quæ ſiue quæcũq; audiuimus. Similiter apud Iohannem cap.12.pag.243.m. Tanta ſigna dixit,pro tot, ſiue tam multa.

Lucæ.19.pag.195.m. De pecunia locutus,ſubiunxit,exegiſſem illud, ſomnians ſe Græce loqui,nam ἀργύριον,quod hic uertit pecuniam,Græcis neutri generis eſt.

Item cap.23.pag.205.m. Et uentres quæ non genuerũt,quæ dixit pro qui, putans ſe Græce loqui,quod κοιλίαι fœminini generis ſit.

Ioannis cap.1.pag.215.m. Gloriam quaſi unigeniti à patre.periculoſo ſolœciſmo dixit quaſi, pro tanquàm. Nam quaſi ſimulationem declarat, non ueritatem. At Chriſtus erat uere unigenitus patris.

Cap.4.pag.225.m. Non coutuntur Iudæi Samaritanis. Vt demus recte dici,utuntur Samaritanis pro, habent commercium cum illis, quis unquàm dixit couti, pro mutuum inter ſe habere commercium?

Cap.6.pag.230.m. Fuit ad terram,pro,appulit ad terram.

Cap.7.pag.232. m. Feſto mediante dixit, Græcam uocem imitatus, ſed audacter magis quàm feliciter,cum paraphraſi licuit uti: cum dimidium feſti peractum eſſet.

Cap.15.pag.249.p. Vt fructũ plus adferat,pro, plus fructus adferat, ſiue fructũ uberiorẽ adferat. Nam Græcis eſt πλείονα καρπόν.

Eodem,pag.eadem. Cum præceſſiſſet palmites,ſubiunxit: Et colligent ea, Græco genere ſeruato, quod κλῆμα neutri generis ſit. Nam numerus ideo tolerabiliter mutatus eſt apud Græcos,quod antea collectiue dixerit, omnẽ palmitem. Vt diſſimulẽ interim quod paulo ſuperius bis addidit eum,ex idiomate ſermonis Hebraïci: Omnem palmitem non ferentem fructum,tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum. Etiam ſi idem uitium ſermonis eſt in Græcis.

Actorum,cap.2.pag 267.p. Ad inuicem dicentes, pro, inter ſe dicentes. Quis unq̃ Latinus dixit ad inuicem? Non magis profecto quàm ad mutuo. Et tamen hic ſermo apud

interpretem creberrimus est.

Cap.3.pag.270.m.Pœnitemini igitur,uerbo inaudito dixit,pro, μετανοήσατε, cum Latine dicere potuisset,resipiscite,

Cap.5. pag. 274.m. Cum præmisisset agrum, oblitus se Latine loqui,uertit uenundatũ quod κτῆμα & χωρίον.Græcis neutri generis sit.

Cap.8.pag.279.p. Multi eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes uoce magna, exibant. Quid potuit absurdius dici? cum sensus sit: Spiritus cũ ingenti uociferatione exisse, ab ijs qui ab illis tenebantur.

Cap.10.pag.283.m.Per ter dixit,pro ter,siue tribus uicibus. Quidam hunc locũ sic defendit à solœcismo, quod interpres reddiderit Græcã formã. Imo hac ratione maxime cõmittuntur solœcismi, Quanq̃ nec rettulit Græcam formam. Dicendum enim erat,ad ter. Et latini dicunt ad Calendas Ianuar. pro circiter.

Cap.16.pag.293.f.Foras portam,pro,è porta.

Cap.17.pag.296.p.Quã celeriter dixit.pro,q̃ celerrime,cum Græce sit ὡς τάχϊστα.

Cap.20.pag.304.f.Cum præcesserit uerbum,subijcit, qui potens est, pro, quod potens, quod Græcis λόγος sit masculini generis.

Cap.20.pag 304.m. Nec facio animam meã preciosiorem quàm me. Neq; uerba Græca reddidit interpres,neq; sensum,cum sit Græcis, οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ.

Cap.21.pag.305.m.Et cum suadere ei non possemus,inquit, cum antea narrasset illos suasisse. Videlicet hic abusus suadere,pro persuadere,cum plurimum intersit.

Cap.26.pag.313.m. De om̃ibus quibus accusor à Iudæis rex Agrippa, æstimo me beatum apud te,cum sim defensurus me hodie,maxime te sciente omnia,quæ apud Iudæos sunt cõsuetudines & quæstiones.Primum,ut dissimulemus,quibus accusor dictum,pro,de quibus accusor:æstimo,pro,existimo,quod beatũ apud te dixerit, pro,qui defensurus me sim apud te,quàm crassus solœcismus est,quod cum præcesserit omnia,mox subijcit, cõsuetudines & quæstiones,nõ animaduertens Græcum genus, quod reliquit in omnia, fuisse mutandum. Quis enim audiuit unquam omnia consuetudines? Eamus nunc & contendamus nusquã dormitasse interpretem.

In epistola Pauli ad Rhomanos,cap.2.pag.337.m.Testimoniũ illis reddente conscientia ipsorum,& inter se inuicem cogitationum accusantium aut defendentium,cum genitiuum Græcum absolute positum, uerterit in ablatiuum, reddente conscientia, quæ supinitas erat alterum genitiuum relinquere,iratis grammaticis omnibus?

Cap.10.pag.368.m.Quis credidit auditui nostro? Quis unquam Latine loquens,auditũ, (dixit sermonẽ loquẽtis?

Cap.12.pag.375. m Odientes malũ,pro,odio habẽtes.

In epistola ad Corint 2.cap.8.pa.488.p.Nõ minorauit,dixit pro, nõ minus habuit.

In epistola ad Philippenses cap.4.pag. 563.f. Refloruistis, pro me sentire, pro eo quod erat,reuiguit uester in me affectus.

In epistola ad Hebræos cap.3.pag.643.p. Quanto ampliorem habet honorẽ domus,qui fabricauit eam,cum sensus sit,quanto maiorem honorem habet qui condidit domum,q̃ ipsa domus.Et interim negamus referre quomodo loquamur,cum ob hunc solœcismũ Thomas & hunc secuti recentiores,fœdissime lapsi sint.

Cap.6.pa.649.m.Per maiorem sui,dixit pro, maiorem se,non cogitans se Latinis loqui, non Græcis.

In epistola Iacobi cap.1.pag.665.f.cum ait:Deus intentator est malorum,nònne de deo irreligiose locutus est? cum intẽtator dicatur, qui impingit mali quippiam.Sentit autem deũ neq; tentare quenquam malis,neq; tentari.

In Apocalypsi cap.1.pag.704.m.Mirus & insignis est solœcismus in sermone Græco, ἀπὸ τοῦ ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος.Nam qui cohæret, ὁ ὤν cum ijs quæ præcedũt ἀπό; Deinde quid sonat ullis ὁ ἦν; Rursus,qui quadrat ὁ ἐρχόμενος cum ἀπὸ τοῦ; Qui putant Apocalypsim ab Iohanne conscriptam,negent si uolent, usq̃ apostolos male Græce locutos. Nam id quidam contendunt,uidelicet apostolorum patroni.

Luc.21.pag.198.m.Et omnis populus manicabat ad eum. quod apud Græcos est ὤρθριζε latina uoce est imitatus,sed impudenter.Quis enim ferat manicare,pro mane uenire?

Loca

LOCA OBSCVRA ET

IN QVIBVS LAPSI SINT MAGNI NOMINIS INTER/

pretes, ex innumeris pauca decerpta, ut sit ad manum, quod obiiciatur eis, qui dicunt superfuisse, quod nostris annotationibus foret explicandum.



Atthæi cap.1.pag.6. &.7. Traducere perperam intellectum à Magistro sententiarum.

Cap.11.pag.49.p. Regnum cœlorum uim patitur, pleriq; interpretantur de ui cohibendis affectibus, cũ Christus sentiat gentes & peccatores uiolentia fidei irrumpere, cũ Iudæi inuitati nollent ingredi.

Lucæ cap.1.pag.140.f. Rerum quæ in nobis cõpletæ sunt, quis Latina intellexisset, nisi cõsultis Græcis, cum Euangelista sentiat, res quas narraturus sit certas esse compertæq; fidei. Interpres nihil putauit interesse, inter πεπληροφορημένων & πεπληροφορημένων.

Eodem.pag.151.m. Dispersit superbos mente cordis sui. Vulgus interpretum putat esse sensum, quod deus cogitatione sui cordis dispersérit superbos, cum sensus sit, superbos à deo dissipatos, suis ipsorum consilijs & cogitationibus: qua de re nulla est apud Græcos tergiuersatio, cum illi legant, καρδίας αὐτῶν.

Eodem.pag.153.p. Iusiurandum quod iura. ad Abraham pa.no. daturum se nobis. Solẽnis distinctio, qua chorus ecclesiasticus uersus hos diducit, ob prolixiorem, ut opinor, sententiã effecit ut cõplures nõ animaduertãt uerũ sensũ, ut illic indicauimus. Ac mox in remissionẽ, cũ sit in remissiõe, pro, p remissionẽ. Ac mox: Oriẽs, nomen est substãtiuũ, cũ uulgus putet esse participiũ. Sunt & alia in hoc cãtico, quod cotidie canit in tẽplis, & à paucis intelligit.

Cap.2.pag.158.f. Tuam ipsius animã pertransibit gladius. In tuam ipsius, lapsus est Hugo Carrensis, & Lyranus. In pertransibit, lapsus Augustinus, existimans pertransire dictũ pro, præterire, ut aliquoties inuẽitur, cum Græce sit διελεύσεται, per medium ibit, siue perfodiet.

Cap.19.pa.196.p. Si cognouisses & tu. Locus obscurus, & hactenus à paucis intellectus.

Cap.22.pag.199.f. De emendo gladio, reiecta Lyrensis & recentiũ interpretatio, uelut à Christi mente alieniſſima.

Iohãnis cap.12.pag.243.p. Adhuc modicũ lumen in uobis. Vulgus interpretatur, pauxillum lucis esse in apostolis, cũ sensus sit, Christũ lucem exiguo tempore apud illos uersaturũ.

In Actis cap.20.pag.304.m. Nec facio animã meam pretiosiorem q̃ me. Quis intelligat sensum, cum male reddiderit interpres? Sed de hoc dictum est in solœcismis.

In epistola ad Rhomanos, cap.2.pag.336.m. Quærentibus uitam &c. Sic reddidit interpres, ut sensus percipi non possit.

Cap.3.pag.339.p. Credita sunt illis eloquia. Lyranus interpretatur, quod Iudæi fidem habuerint eloquijs, cum sensus sit, illis esse commissa, siue concredita eloquia dei.

Cap.5.pag.348.f. Nam iudicium quidem ex uno. Vulgus accipit ex uno Adam, cum sensus sit ex uno peccato.

Cap.11.pag.370.f. Vt illos æmulentur. Thomas quadruplicem sensum induxit, nec tamẽ attigit uerum, cum hæc sit sententia, ut deus illos ad æmulandum prouocaret.

Cap.12.pag.373.f. Rationabile obsequium. Vulgo interpretantur, moderatam macerationem carnis, cum sensus sit, deo immolandam uictimam non brutam, sed rationis participem, hoc est, ipsum hominem.

Cap.14.pag.382.m. Alius iudicat diem ad diem, alius iudicat omnem diem. Sic interpretatus est Augustinus, ut uideatur procul abesse à sensu Pauli. Etiamsi non nihil torquet hũc locum Ambrosius. Nam Paulus agit de superstitiosa obseruatione dierum ad exemplum Iudæorũ, cum Christianis olim omnes dies æque sacri fuerint.

Eodem.pag.eadem.p. Qui infirmus est, holus manducet. Sic uulgo interpretantur quasi iubeat superstitiosos holeribus uesci. Imò Paulus mallet nullum esse superstitiosum. Sed ostendit, quid faciat firmus, fretus sua fide, quid infirmus obsequens suæ superstitioni.

Eodem,pag.385.p.In ſuo ſenſu abundet.Abũdare ſuo ſenſu,pertinacis eſt. Paulus ſentit, ut in his quæ citra uitium uel fieri,uel nõ fieri poſſunt,unicuique ſua mens ſatisfaciat.

Cap.15.pag.388.Eorum quæ per me non effecit,locus uarie expoſitus.

In epiſtola prima ad Corinthios,cap.2.pag.399.f.Spiritualibus ſpiritualia comparantes. Vulgo ſic accipiunt, quaſi uiris ſacris ſacra conueniant,cum Paulus ſentiat genus ſermonis adhiberi deberi rebus ſpiritualibus aptum.

Cap.3.pag.401.m.Lignum,fœnum,ſtipulam,interpretantur de uitioſis actibus, & gradibus peccatorum , cum Paulus ſentiat de doctrina quorundam apoſtolorum inſyncera, quæ ad exactum iudicium improbaretur,periretq; opera tum eorum qui didicerunt,tum eorum qui docuerunt dediſcenda.

Cap.10.pag.439.p.An æmulamur dominum , pro eo quod eſt,ad iram prouocamus?

In epiſtola.2.ad Corinthios,cap.1.pag.466.m.Ex multarum perſonis facierum. Locus eſt obſcuriſſimus,& à nobis uarie explanatus.

Iohan.cap.18.pa.251.f. Ad Caïphã. Vbi ob locũ deprauatũ tota uia aberrat Auguſtinus.

2.Cor.4.pag.475.p. Vt ſublimitas ſit uirtutis dei .cũ ſit ſenſus, ut ſublimitas uirtutis per nos ædita , ſit dei, & non ex nobis.

Cap.5.pag.479.m.Si qua in Chriſto noua creatura,ſenſus eſt,ſi quis eſt in Chriſto,is eſt noua creatura.

Cap.8.pag.488.f.Deſtinatam uoluntatem. Thomas interpretatur , ab æterno prædeſtinatam,multum aberrans à ſenſu Pauli,cum is dixerit προθυμίαν, id eſt,animi promptitudinem , ſiue propenſionem.

Ibidem.m.Gloriæ Chriſti.Locus eſt obſcurus,ſed paucis hic indicari non poteſt.

Cap.10.pag.494.f.Sed ipſi in nobis. Locus obſcurus & uulgo parum intellectus . Neis quidem paucis poteſt annotari.

In epiſtola ad Galatas.ca:1.pag.507.p.Nõ acquieui carni & ſanguini. Thomas ac uulgus recentiorũ interpretantur:Non acquieui uitijs carnalibus , cum Paulus neget ſe contuliſſe. Euãgeliũ ſuum cũ Petro & cæteris apoſtolis hominibus,quos carnem & ſanguinẽ uocat.

In epiſtola ad Epheſios, cap.1. pag.533.m. Vulgus legit : Super omnem eccleſiam, cum ſenſus ſit , Chriſtum eſſe ſummum caput eccleſiæ ſuæ,præfectum omnibus , ut cui data ſit omnis poteſtas.

Cap.2.pag.534.p.Poteſtatis aëris.Locus hactenus à paucis intellectus.

In epiſtola ad Philippenſes,cap.1.pag.553.p.Dum omni modo ſiue per occaſionẽ.Quãquàm id paucis annotari non poteſt.

Cap.2.pag.556.p.Formam ſerui accipiens &c. Secus explanata , q̃ uulgus explanat.

Eodem pag.557.m.Et perficere.Putant eſſe conſummare,cum ſit ἐνεργεῖν, hoc eſt,agere.

Eodẽ pag.558.p.Supra ſacrificiũ.Locus longe ſecus intelligendus,quàm uulgo exponãt.

In epiſtola ad Coloſſenſes,ca.2.pag.569.p.Diuitias plenitudinis,cũ Græce ſit,πληροφορίας nõ poteſt eſſe alius ſenſus, quã ut optet illis Paulus certiſſimã fidẽ & perſuaſionẽ myſterij.

Ibidem.m.Ne quis uos decipiat,dixit pro deprædeẽ.quod certe interpretis eſt uitium.

Cap.2.pag.570.p.Chirographum decreti.Locus uulgo paucis intellectus.

Ibidem mox.Traduxit,expenſa Auguſtini interpretatio.Quo loco Thomas miſerabiliter lapſus eſt.

Eodẽ.pag.571.m.Nemo uos ſeducat pro eo quod erat,nemo uobis præmiũ interuertat.

Eodem,pag.572.p.Ambulans in his quæ non uidit. Locus non à quibuſuis intellectus, in quo lapſus uidetur & Auguſtinus.

Ibidem.m.Quid adhuc decernitis,ut male uertit interpres,ita uulgus perperam intelligit Nam Paulus ſentit,eos non amplius debere teneri decretis humanis.

Cap.3.pag.574.f.Exultat,uertit βραβεύετω. Et interpretem ſecuti recentiores interpretes, tota aberrant uia.

In epiſtola ad Hebræos,cap.2.pag.635.p. Minuiſti eum paulo minus ab angelis.Secus expoſitus locus,quàm uulgus accipit.

Ibidem pag.642.p. Decebat enim. Quod de patre dictum eſt,uulgo ad filium referunt, perperam legentes conſummari,pro conſummare.

Ibidem

Ibidem.f. Et tentatus. Locus noue & uere expositus, & restituta lectio.

Cap.3.pag.643.p. Ampliorem honorem domus. & lectionem palàm uitiatã, & sensum hactenus non intellectum ostendimus.

Cap.5.pag.647.m. Interpretabilis ad dicendum. Thomas anxie torquetur, ob culpam interpretis qui debuerat uertere, difficilis enarratu, siue ad interpretandum.

Cap.11.pag.658.f. Castra uerterunt. Quidam interpretantur pro, euerterunt, cum sentiat esse uersa in fugam.

Eodem.pag.659.p. In melotis. Thomas hoc loco insigniter hallucinatus est.

Cap.13.pag.661.f. Placuerunt quidam angelis ho.re. Vt deprauate legimus uulgo, ita perperam intelligimus, cum sit sensus, quosdam inscientes excepisse angelos hospitio, quos homines esse putabant.

In epistola Petri.1.cap.2.pag.675.m. Quasi modo geniti infantes rationabiles, lac &c. Ex deprauata lectione sequitur sensus deprauatus, cum Petrus non uocet pueros rationabiles sed lac animi non corporis rationale uocat.

Cap.2.pag.677.f. Tradebat autem iudicanti se iniuste. Vt uulgo deprauate legimus, ita perperam exponimus, cum Petrus sentiat Christum non sumpsisse sibi uindictam, sed eam tradidisse patri, qui iuste iudicat.

Cap.3.pag.678.m. Pertimentes ullam perturbationem, cum sensus sit, non expauescentes ullo pauore.

Ibidem mox. Honorem impartientes. cum Petrus loquatur de abstinentia coïtus, recentiores exponunt de cultu & uictu prospiciendo uxori, iuxta illius dignitatem. Item quod sequitur de non interrumpendis precibus, interpretatur, non exaudiri preces, nisi concordet uir & mulier.

Eod.pag.679.p. In fide legimus, pro, in fine, siue in summa, & hinc mirus error interpretũ

Ibidem.f. Mortificatos quidem carne. ob deprauatam lectionem, toto cœlo errant interpretes neoterici.

Cap.4.pag.680.f. Estote itaq; prudentes. cum Petrus iubeat illic nos esse sobrios.

In epistola Petri 2.cap.1.pa.687.p. Et habemus firmiorẽ. Locus antehac parũ intellectus.

Cap.2.pag.688.p. Aspectu enim & auditu. Locus longe secus enarratus, quàm antehac intellectus est.

Ibidem.m. Sectas non metuunt &c. Locus noue expositus.

In epistola Iohannis.1.cap.5.pag.698.f. Non pro illo dico ut roget quis &c. Locus difficillimus noue explanatus.

Iohannis in Euange.cap.5.pag.226.f. Probatica piscina putant cohærere, cum probatica sit nomen loci, in quo erat piscina.

Cap.11.pag.241.p. Duodecim horæ diei, secus expositæ ꝙ uulgus accipit.

Act.cap.24.pag.311.f. Patri & deo, pro, patrio deo. Et hinc mirus interpretũ tumultus.

LOCA MANIFESTE DEPRAVATA, SED EX INFINITIS, VT OCCVRRERANT, PAUCA DECERPTA.

Matthæi cap.3.pag.18.m. Appropinquabit, pro appropinquauit: sed potius appropinquat, in quo perpetuo penè peccatum est à scribis.

Cap.4.pag.21.f. Angelis suis mandauit, pro, mandabit: errorem errore pensante scriba.

Cap.8.pag.40.m. Imperauit uentis, pro, increpauit. Ad eundem lapidẽ impegerunt Luc.cap.4.pag.168.m. Imperauit febri, pro. increpauit.

Matthæi cap.12.pag.55.m. Spiritus autem blasphemiæ, pro, spiritus blasphemia. Quo loco mendum lectionis turpiter imponit interpretibus neotericis.

Cap.23.pag.89.m. Qui mundatis &c. pleni estis, mendose legimus pro, plena sunt.

Actorum.cap.1.pag.262.f. Erant autem hominum, pro, nominum.

Actorum.cap.14.pag.291.m.Italiam,pro,Attaliam.
Marci,cap.8.pag.126.f.Qui me cõfessus fuerit.Confessus,deprauatũ est,pro,cõfusus.
Cap.8.pag.174.m.Et non poterat audire. Audire,deprauate legimus pro adire.
Ibidem mox.f.Compellebantur,pro,complebantur.
Cap.9.pag.176.m.Et inde ne exeatis,pro,& inde exeatis.
Cap.10.pag.179.m.Pro septuaginta legimus,septuaginta duo.
Eodem,pag.180.p.Suspiciens autem Iesus,pro,suscipiens, ὑπολαβών.
Cap.12.pag.186.f.Et duo in tres diuidentur. Vitiosa distinctione sensum corrupimus.
Cap.14.pag.188.m.Neq; uicinos,neq; diuites,legendum,neq; uicinos diuites.Nã à pauperibus uicinis nihil erat periculi,ne uicissim non uocent ad conuiuium.
Cap.15.pag.189.m.Euertit,pro euerrit,siue uerrit,cum Græce sit σαροῖ .Id mendi & in uetustissimis exemplaribus inoleuit.
Ibidem mox.Consummasset,scriptum est pro,consumpsisset.
Eodem.pag.190.p.Deuorauit substantiam suam,pro,substantiam tuam.
Cap.16.pag.191.f.Et sepultus est in inferno. Vitiosa distinctio uitiauit sensum.Nam post sepultus est,apud Græcos colon est.
Iohannis,cap.1.pag.218.f.Hæc in Bethania facta sunt.Bethania,pro,Bethabara corrupte scriptum est.
Eodẽ,pag.219.m.Quia tollit peccata mundi,cum sit,peccatum mundi.
Cap.5.pag.226.f.Betsaida,pro,Bethseda.
Cap.7.pag.232.p.Non uolebat,pro,non ualebat,hoc est,non poterat.
Cap.11.pag.241.p. Vt glorificetur filius dei per eum,cum legendum sit, per eam,uidelicet infirmitatem.
Cap.21.pag.255.m.Sic eum uolo manere,pro,si eum uolo manere.
Actorum,cap.15.pag.291.f. Dirupta,pro,diruta scriptum est.
Eodem.pag.292.p.Suffusa.pro,suffossa,
Cap.16.pag.293.p.Vidua,scriptum est pro,Iudæa.
Cap.19.pag.301.p. Virtutesq; nõ modicas quaslibet.Duplicẽ lectionẽ cõmiscuit scriba.
Cap.27.pag.315.p.Ciuitas Thalassa,pro,ciuitas Lassæa.
Eodem.pag.316.f.In locum bithalassum,pro,dithalassum,hoc est,bimarem.
Cap.28.pag.317.p.Insigne Castrorũ,pro,insigne Castorũ,hoc est, Castoris & Pollucis.
Cap.8.pag.355.m.Sapientia carnis inimica est,pro,inimicitia est.
Cap.9.pag.363.f.Ex uno concubitu,pro,ex uno concubitum habens. Vbi deprauatam lectionem sequitur & sensus deprauatus.
Cap.10.pa.367.m.Moses em̃ scripsit.Locus deprauatus q tamẽ paucis indicari nõ potest.
Cap.12.pag.377.f.Mihi uindictam,pro,mihi uindicta,siue, mea est uindicta.
Cap.13.pag.380.f.Nox præcessit,pro , processit hoc est,progressa est.
Cap.14.pag.385.m.Tu fidẽ quã habes,in teipso habes,pro,tu fidẽ habes ,in teipso habe.
Cap.16.pag.391.p.Asiæ scriptum est,pro,Achaïæ.
Epistola ad Corinthios.1.cap.1.pag.394.m.In eadem scientia,pro,in eadẽ sententia.
Cap.2.pag.398.f.Nunquam.pro,nequaquam.
Cap.12.pag.444.m.Dicit anathema Iesu,pro, dicit anathema Iesum.
Eodem.pag.446.m.Gloriatur,pro,glorificatur, δοξάζεται.
Cap.14.pag.449.m.Spiritus loquitur,pro,spiritu loquitur.
Eodem,pag.451.m.Quis supplet locum idiotæ,pro, qui supplet &c. Vna litera addita,& distinctionem & sensum corrupit.
Eodem,pag.453.m.Quid insanitis,pro, quod insanitis.
Cap.15.pag.456.m.Nouissime autem inimica,pro,nouissima aũt inimica.
Ibidem mox. Propter uestram gloriam , pro , per nostram gloriam,ut sit iurantis.Et hic lectio mendosa totam subuertit sententiam. (scitis.
Epistola ad Corinthios.2.cap.1.pa.467.p. Legistis & cognouistis, pro , legitis & cognoscitis.
Cap.5.pag.478.m.Excedimus,pro,excidimus,cum Græce sit ἐξέσημεν.
Cap.8.pag.487.p.Ingenium,pro ingenuum,hoc est,ingenuitas.

Cap.12.pag.502.m.Sed esto,ego uos grauaui,pro,esto,ego uos non grauaui.
Ad Galatas,cap.2.pag.513.m.Quoniam reprehensibilis erat,pro,reprehensus erat.
Cap.4.pag.521.m.Bonum autem æmulamini,pro,bonum autem æmulari.
Ad Ephesios,cap.2.pag.536.p.Decretis euacuãs,pro,in decretis.Hic omissa præpositio, totum sensum subuertit.
Cap.6.pag.551.m.Et in omnibus perfecti stare,pro,perfecte stare.
Ad Thessalonicenses.1.cap.2.pag.785.m.Vt crederetur à nobis.A,redundat, & sensum uitiat.
In secundam,cap.1.pag.587.p.Retribuere retributionem,pro,retribuere afflictionem.
In epistola ad Timotheum.1.cap.4.pag.604.p.Assecutus,pro,assectatus.
In epistola ad Thes.2.cap.3.pag.591.p.Per epistolam hanc.hunc legendum, non hanc.
In epistola ad Timotheum.1.cap.2.pag.599.m.Si manserit,pro,si manserint.Vbi depra/ uata lectio,& sensum totum corrumpit.
Ad Timotheum.2.cap.4.pag.622.p.Et fratres eius,pro,& fratres omnes.
Ad Heb.cap.2.pa.642.m.Decebat em̃.cõsummari mẽdose scriptũ est,pro, cõsummare.
Cap.13.pag.661.f.Placuerunt angelis hospitio acceptis.de quo & ante meminimus.
Epistola Iacobi cap.2.pag.657.m.Superexaltat, pro, superexultat.
Cap.3.pag.668.f.Cæterorum,pro,cæterum.
Cap.5.pag.671.p.Adduxistis,pro,addixistis.
Epistola petri.1.cap.2.pag.675.f.Domos spirituales,pro,domus spiritualis.
Cap.3.pag.679.p.In fine autem,pro,in finem,aut in summa.
Ibidem.f.Mortificatos carne,pro,mortificatus carne.
Cap.5.pag.684.f.In Babylone collecta,pro, in Babylone coëlecta.
Epist.Iudæ,pag.702.p.Imperet tibi deus,pro,increpet te deus.
Matthæi.1,pag.5.m.Mater Iesu Maria,pro,mater eius Maria.
Rursus pag.11.m.Et uocabitur nomen eius,pro,uocabunt nomen eius.
Cap.5.pag.27.p.Reconciliari fratri tuo,pro,reconciliare.
Cap.26.pag.101.p.Quod dixerat,pro,qui dixerat.
Marci.11.pag.131.m.Timemus populum,pro, timebant populum.
Lucæ.1.pag.145.f.Sorte exijt,pro,sors exijt.

AD PLACANDOS EOS

QVI PVTANT IN SACRIS LIBRIS NIHIL NEQVE

superesse,neq; deesse,quædam excerpsimus,quæ manifestius de/ prauata sunt in hoc genere, & ut negari possit.

Matthæi.cap.2.pag.17.p.Ploratus & ululatus,cum Græci codices habeãt, lamẽtatio,ploratus,ac fletus.Et ita recitet Hieronymus, pariter & iuxta Septuaginta, & iuxta Hebraicam ueritatem.
Cap.3.pa.19.f.Iã enim securis.legendũ iuxta Græcos:Iã enim & securis.
Ca.12.pa.54.f.Indicat Hieronymus omissum qddã in uaticinio Esaïæ.
Cap.16.pag.67.m.Quem dicunt homines esse filium hominis? cum & in Græcis & in uetustis codicibus habeatur,quem me dicunt esse &c.
Cap.27.pag.104.f.Liberet eum si uult,legendum,si uult eum.
Marci cap.1.pag.111.m.Quia in potestate spiritibus imperat legendũ.Et spiritibus impat.
Lucæ cap.4.pag.168.p.Impleta est scriptura,legendum,scriptura hæc.
Cap.7.pag.173.m.A filijs suis.legendum:Ab omnibus filijs suis:iuxta Græcos & Ambro/ sium,sic etiam interpretantem.
Iohannis.1.pag.217 p.Et gratiam,pro,gratia. Et,redundat.
Cap.3.pag.224.m.Qui de terra est,de terra loquitur.legendum: Qui de terra est, de ter/ ra est,& de terra loquitur.

Cap.6.

Cap.6.pag.230.f.Nónne hic eſt filius Ioſeph? cum iuxta Græcos & Auguſtinum legendū ſit:Nónne hic eſt Ieſus,filius Ioſeph?

Epiſtola ad Rhomanos,cap.12.pag.575.p. Habentes donationes. legendum: Habentes autem donationes. Omiſſa coniunctio ſenſum ſubuertit.

Epiſtola ad Corinthios.1.cap.7.pag.417.f. Quod honeſtum eſt, & facultatem præbeat dominum ſine impedimento obſecrandi.

Cap.9.pag.435.p.Et qui triturat.Deſunt quædam apud nos.

Epiſtola ad Galatas,cap.3.pag.518.p.Teſtamentum confirmatū à deo &c. Iuxta Græcos & Ambroſium deeſt in Chriſtum.

Epiſtola ad Theſſalo.1.cap.3.pag.583.m.Miniſtrum dei. Iuxta Græcos & Ambroſium deeſt,& cooperarium noſtrum.

Epiſtola ad Philemonem,pag.832.p.In Chriſto Ieſu &c.Ante hæc uerba deeſt, quod eſt in nobis:iuxta Græcos codices, Chryſoſtomum, Ambroſium, & Hieronymum.

Epiſtola Petri.1.cap.4.pag.268.m.Deſunt quædam apud nos iuxta Græcos.

Matth.26.pag.100.m.Et non inuenerunt.In Græcis codicibus bis ponitur.

Marc.10.pag.129.m.Et ueni ſequere me.Addunt hic Græci codices ἄρας τὸν σαυρὸν.ideſt. Sublata cruce.

Act.cap.3.pag.268.m.De fructu lumbi eius.Græci plus habent q̄ꝫ noſtri.

QVAE SINT ADDITA IN NOSTRIS EXEMPLARIBVS.

EPiſtolæ ad Epheſios,cap.2.pag.533.f.Et conuiuificauit. Cōuiuificauit, nec eſt apud Græcos,nec apud Hieronymum, nec Ambroſium, nec in uetuſtiſſimis codicibus.

In eadem,cap.3.pa.539.p. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrē. Hieronymus teſtatur,hæc uerba. Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe addita.

Epiſt.ad Timotheū.1.cap.2.pag.468.p. Cuius teſtimonium &c. Cuius & confirmatum eſt,non ſunt apud Græcos.

Epiſt.ad Timotheum.2.cap.2.pag.617.f.Fidem,ſpē.Spem,nec eſt apud Græcos,nec apud Ambroſium,nec in uetuſtis exemplaribus.

Cap.2.pag.618.m.Qui reſiſtunt ueritati. Veritati,redundat,iuxta Græcos & Ambroſiū.

Cap.3.pag.619.p.Cæci,redūdat,nec eſt in Græcis,nec in Latinis antiquis,nec apud Chryſoſtomum,nec apud Ambroſium.

Epiſt.ad Coloſſenſes,cap.1.pag.567.m.Omnem plenitudinē diuinitatis.Diuinitatis,redundat:nec apud Græcos additur,nec apud Ambroſium.

Epiſt.ad Hebræos,cap.4.pa.646.m. Confeſſionē ſpei noſtræ. Spei noſtræ, nec eſt apud Græcos,nec apud Chryſoſtomum additur,nec in exemplaribus uetuſtiſſimis.

Cap.5.pag.647.p. Cum eſſet filius dei. Dei redundat iuxta Græcos codices. Item iuxta Chryſoſtomum & Vulgarium interpretes.

Epiſt.ad Ro.ca.8.pa.961.m.Neq; futura,neq; fortitudo &c.Fortitudo, nō eſt apud Græc.

Cap.11.pag.569.m.Saluæ factæ ſunt &c.Duæ dictiones redundant,dei,& ſaluæ.

Epiſt.ad Corinthios.1.cap.6.pag.412.f.Empti enim eſtis precio magno.Magno redūdat iuxta Græcos,Chryſoſtomum,& Ambroſium.

Lucæ cap.11.pag.182.m.Lucerna corporis tui. Tui,additum eſt.

Cap.13.pag.187.f. Sata tria,in Luca ſunt addita,ex Matthæo.

Mat.ca.5.pag.29.m.Diligite inimicos ueſt.apud Græcos plus eſt q̄ꝫ in noſtris.

Epiſt.ad Rhomanos cap.11.pag.373.m.Honor & gloria.Honor,redundat.

Epiſt.ad Epheſios,cap.2.pag.537.p.In ſpiritu ſancto.Sancto,redundat iuxta Græcos codices,Hieronymum,& Ambroſium.

Matthæi cap.5.pag.24.m. Quum male dixerint uobis homines. Homines non eſt in

Græcis

Græcis libris.

Matth.cap.5.pa.26.p. Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa.Hieronymus negat hanc particulam,ſine cauſa,eſſe in ueris exemplaribus.

Cap.27.pag.100.m.Principes ſacerdotũ & ſeniores populi.Redundat apud nos,populi.

Act.cap.22.pag.308.p.Et flagellis cædi & torqueri.Torqueri addidit interpres.

Epiſtola ad Corinth.1.cap.14.pag.454.p. Sicut in omnibus eccleſijs ſanctorum doceo Doceo hoc loco à noſtris additum uidetur.

Corinth.2.cap.9.pag.491.m. Hoc autem dico.Dico additum eſt ab interprete.

Cap.13.pag.503.p.Sint inter uos. Hæc tria uerba in Græcis exemplaribus non habentur.

Epiſtola ad Philemonem cap.1.pag.631.f.Omnis operis boni.Operis redundat.

Matthæi cap.6.pag.33.f. Quia tuum eſt regnum. Hæc coronis, apud Matthæum addita eſt apud Græcos duntaxat.

Epiſt.ad Rho.ca.12.pa.377.m.Prouidentes bona. Apud Græcos tantũ eſt, corã omnibus hominibus.non ſolũ coram deo,additũ eſt.nec addit hæc Origẽ.aut Theophylactus.

Epiſt. ad Corinth.1.cap.7.pag.415.m. Per mulierem fidelem, nonnihil uerborum additum eſt apud nos.

Matthæi cap.6.pag.35.p.Lucerna corporis tui.Tui,redundat.

Epiſtola ad Corinthios.1.cap.4.pag.405.f. Hæc particula, ſicut & ego Chriſti, nec apud Græcos aſſcribitur, nec in exemplari Paulino, nec apud Ambroſium.

Epiſt.ad Philip.cap.2.pag.558.m.Tam,unanimem. Tam,redundat apud nos.

Matthæi cap.6.pag.35.f.Animæ ueſtræ. De potu nec apud Chryſoſtomum additur, nec apud Hilarium, nec apud Græcos, paucis exceptis.

Matth.cap.7.pag.36.f.Nolite condemnare,& nõ condemnabimini.Hæc uerba in nullis Græcorum exemplaribus repperi.

Eodem pag.37.p.Frater ſine.Frater,nec aſſcriptum eſt in Græcis, nec in Latinis antiquis.

Ibidem,Et canes conuerſi.Canes apud Græcos non additur.

Eodem.pag.38.p.Ipſe intrabit in regnum cœlorũ.In Græcis codicibus non adduntur nec repetuntur ab Hieronymo.

Eod.pag.39.f.Vbi caput ſuũ reclinet.Suũ pronomẽ in Græcis exemplaribus nõ additur.

Cap.13.pag.58.f. Hic eſt qui uerbum dei audit.Redundat dei.

Cap.19.pag.73.p. Erunt ſoluta & in cœlo.Coniunctionem addidit de ſuo.

Corinth.1.cap.3.pag.400.f.Adhuc enim eſtis.Enim,redundat & officit ſenſui.

Matthæi.9.pag.42.f. Et dixit,puella ſurge. Hæc quatuor uerba nec habẽtur apud Græcos nec adduntur ab Hieronymo, nec extant in antiquis exemplaribus.

Ad Corinth.2.cap.2.pag.469.m.Triſticiã ſuper triſticiã.Super triſticiam,apud nos additum eſt ex alio quopiam loco,cum nec Ambroſius addat,nec Vulgarius interpres.

Matthæi cap.10.pag.44.f. Dicentes,pax huic domui. Hæc uerba ſunt adiecta apud nos, cum nec apud Græcos ſint,nec apud Hieron.interpretem,nec apud Theophylactum.

Corinth.2.cap.2.pag.470.f.Et ad hæc quis tam idoneus. Tam,planiſſime redundat,cum nec Origenes addat.

Matthæi cap.14.pag.62.p.Diſcipuli dederunt turbis.Dederunt,additum eſt.

Ad Galatas cap.3.pag.515.p. Non credere ueritati. Hanc particulam Hieronymus putat adiecticiam,nec addebatur in uetuſtiſſimis exemplaribus Latinis.

Eodem pag.516.p.Et in uobis crucifixus.Et,additum eſt,& officit ſenſui.

Matthæi cap.15.pag.64.f. Labijs me honorat. Hic redundat aliquid apud Græcos, aut certe nobis deeſt.

Eodem pag.65.p.Doctrinas & præcepta.Et,redundat,cum ſit appoſitiue dictum.

Cap.16.pag.67.f.Quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus.Ieſus,redundat.

Cor.2.ca.6.pa.481.f. Eandẽ autem retributionẽ habentes.Habentes ſupereſt apud nos.

Ad Epheſios cap.5.pag.548.f.Implemini ſpiritu ſancto.Sancto,ſupereſt.

Ibidem mox.In uerbo uitæ.Vitæ,ſupereſt.

Matthæi cap.21.pag.82.m. Verebuntur forte filium meum.Forte,additum ab interprete non ſine incommodo ſententiæ.

Corinth,

Corinth.2.cap.11.pag.496.m.Excidant, additum est apud nos.

Matthæi 27.pag.104.m. Vt impleretur quod. Totum testimoniũ prophetæ adiectũ est.

Ad Galatas cap.5.pag.523. m. Nemini consenseritis. Hanc particulam ut adiecticiam præterit Hieronymus.

Ibidem, Persuasio hæc uestra. Hæc uestra, supersunt. Tantum est persuasio.

Eodem pag.524.m.In occasionem detis carni. Detis, adiectum est.

Marci.1.pag.110.m.Descendentem & manentem. Et manentem aliunde est additum.

Cap.2.pag.114.p.Ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis. Discipuli tui apud Græcos non (additur.

Marci.10.cap. pag.130.p.Dare uobis. Vobis redundat.

Lucæ 12.pag.185.f.Et iustitiam eius. Hæc uerba nõ adduntur apud hunc Euangelistam.

Cap.19.pag.195.f.Sicut dixerat eis stantẽ pullũ. Stantẽ pullum non addũt Græci codices

Actorum cap.4.pag.271.f.Et seniores Israhel audite. Audite, nõ additur apud Græcos.

Cap.5.pag.275.p. Et liberarentur ab infirmitatibus suis. Nõ est in Græcis exemplaribus.

Cap.7.pag.278.f.Obdormiuit in domino. In domino nõ additum est in Græco exẽplari.

Marci.5.pag.118.p.Etiam Euangelista nonnihil adiecit de suo.

Iohannis cap.6.pag.230.p.Duodecim cophinos, & duobus piscibus. tria uerba sunt adiecta, quæ nec in Latinorum uetustis exemplaribus reperiuntur.

Marci cap.8.pag.125.m. Tu es Christus. Additum apparet aliunde, filius dei uiui.

